UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot hactenùs separatim edita fuerê Omnia

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677


urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

Visual Library

Th. 2672.

J. XI. 28.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Ex legato Celmi Principis FERDINANDI Epi Paderb: et Monasterii: Ao 1683.




RELLIGIO
IOANNIS
BONÆ
OPERA
OMNIA.

# JOANNIS BONÆ,

EMINENTISSIMI
S. R. E.
TITULO S. BERNARDI AD THERMAS
CARDINALIS PRESBYTERI

# OPERA

*Quotquot hactenùs seperatim edita fuerê*

# OMNIA,

Nunc primùm in unum Corpus collecta, & emendatiora prodeunt.

*Addito Rerum & Materiarum Indice copioso.*

Cum Gratia & Privilegio S. Cæs. M.

Bibliothe
Theodoriana
Paderborn.

ANTVERPIÆ,
Sumptibus Viduæ JOHANNIS JAC. F. SCHIPPERI.

CIↃ IↃC LXXVII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# IOANNIS
# BONÆ

EMINENTISSIMI
S. R. E.
TITULO S. BERNARDI AD THERMAS
CARDINALIS PRESBYTERI

# OPERA

Quotquot hactenus separatim edita fuere

# OMNIA

Nunc primum in unum Corpus collecta, & emendationi procurante.

Additis Rerum & Materiarum Indicibus copiosis.

Cum Gratia & Privilegio S. C. M.

ANTVERPIÆ,
Sumptibus Viduæ Iohannis Iac. F. Schipperi.

# BIBLIOPOLA LECTORI S.

QUod plerisque in novorum Librorum editione usitatum est, ut multis laudibus Auctorem efferant, & impensè commendent Lectoribus, id in operis hujus editione supervacaneum duximus. BONAM dixisse sufficerit operis hujus Auctorem, cui nec invidia istud negare audebit elogium, BONA esse quæ hactenus edidit omnia. Fidem huic rei facit frequens singulorum opusculorum editio, & adeò subita distractio, ut avidis Lectoribus exemplaria, quamvis plurima, vix suffecerint. Quæ igitur seorsim edita piorum atque eruditorum omnium approbata sunt calculis, non poterunt non placere in unum collecta volumen, quod eleganti typo adornatum, & generali eóque copiosissimo in omnes Tractatus indice in tui gratiam locupletatum exhibemus. Tu Lector labore nostro fruere & vale.

IN-

# INDEX TRACTATUUM.


I. Manuductio ad Cœlum. Pag. 1

II. Principia & Documenta vitæ Christianæ. 45

III. Via Compendii ad Deum. 105

IV. Tractatus asceticus de Sacrificio Missæ. 175

V. De Discretione Spirituum. 221

VI. De Rebus Lyturgicis. 323

VII. De Divina Psalmodia. 643

VIII. Testamentum. 979


MA-

# MANUDUCTIO
## AD COELUM.

Medullam continens Sanctorum Patrum, & veterum Philosophorum.

---

# PRÆFATIO
## *Ad Lectorem.*

DUo sunt, quæ in vestibulo hujus mei libelli me tecum præfari oportet, Lector benevole. Nam primitus vereor, ne me aliqui impudentiæ, & temeritatis accusent. Quomodo enim, inquient, ad cœlum homines manuducere præsumis, ipse prorsus terræ affixus? Aut quâ fiduciâ describere virtutem aggrederis, cui præstandæ idoneus non es? Deinde, quid novi hâc tuâ nobis lucubratione profers? Rem antiquam, ab innumeris penè Scriptoribus doctè & eleganter pertractatam, fastidiosa & rudi repetitione recantas: opesque alienas, tanquam tuas, superbo mendacio ostentas.

Hæ sunt voces, quibus convellere studium meum nonnulli forsitan conabuntur. Sed primum me excusabo prudentis illius dicto; quia

——— *fungor vice cotis, acutum.*
*Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi.*

&, ut alterius Sapientis verba usurpem: *Non sum tam improbus, ut curationes æger obeam, sed tanquam in eodem valetudinario jaceam, de communi malo tecum colloquor; remedia communico. Sic itaque me audi, tanquam mecum loquar: in secretum te meum admitto.* Discentem discipulum, & meipsum erudientem, non docentem magistrum, hîc me profiteor: nam mutuò ista fiunt; & dum docent homines, discunt.

Quod autem secundo loco objectum est, non aliter diluere possum, quàm ingenuè fatendo, pauca hic de meo, pleraque aliena esse. Congessi huc plurima, vel quæ propria didici experientia, vel quæ mihi profutura intellexi, dum Sanctorum Patrum, & veterum Philosophorum scripta percurrerem. Sed, apum more, varia libamenta in unum saporem confudi, quædam admiscens propriis Auctorum verbis, quædam meo stylo: quem facilem esse volui, & sine fuco; quia facere hic doceo, non dicere. Habes hîc igitur omnium moralium institutionum, quas ad bene beatéque vivendum Sancti Patres tradiderunt, compendium quoddam, & breviarium: habes Senecæ, Epicteti, Antonini, aliorumque Sapientum, placita meliora. Placuit autem salutares admonitiones,

quas efficaces esse in meis malis expertus sum, omissâ locorum citatione è quibus eruuntur, breviter indicare: remedia enim hæc animæ sunt, non ingenii lenocinia: nec delectare hîc intendo, sed prodesse. Non quærit æger, quis potionem miscuerit; vel unde pharmaca accepta sint, dummodò sanent. Multa omisi, quæ dicere poteram; multa, quæ subtiliùs explicare. Magis enim prodest, pauca præcepta sapientiæ tenere, quæ in promptu semper & usu sint, quàm multa discere & illa ad manum non habere. Multum didicit, qui scit quantum saluti satis est. Faxit Deus, ut hic meus qualiscunque labor omnibus plurimùm prosit; sed mihi præcipuè, ne dicta mea factis deficientibus erubescant.

---

Imprimatur. si videbitur Reverendiss. P. Mag. Sac. Palat. Apost.

*M. A. Oddus Episc. Ier. Vicesg.*

Imprimatur.

*Fr. Vincentius Maria Guinisius Magister, & Socius Reverendiss. Patris S. P. A. Mag. Ord. Præd.*

MANU-

# MANUDUCTIO
## AD COELUM.

### Medullam continens Sanctorum Patrum, & veterum Philosophorum.

---

### CAPUT I.

*De fine ultimo hominis. Quàm malum sit, ab eo deflectere. Quibus mediis, & quo ordine ad ipsum perveniatur.*

1. AD Cœlum te manuducere propositum mihi est, quicumque hæc legis; ad illud, scilicet, bonum, quo adepto, nihil possis ulterius desiderare. Hic est scopus, hæc meta, ad quam omnium vota naturali propensione suspirant. Omnes beati esse volunt. Sed ob culpam primi parentis plerique obcæcati, relicto vero, & summo bono, ad falsa & fucata quærenda se inutiliter applicaverunt. Et hi quidem, summum bonum existimantes, nullâ re indigere; divitiis hoc nomen imponunt. Alii, summum bonum in summa potentia constituentes, vel regnare ipsi volunt, vel regnantibus adhærere. Quidam verò usque ad sordida descendentes, felicissimum putant, voluptatibus diffluere, qui summi boni possessionem carne, & gulâ metiuntur. Tanta apud istos beatitudinis vilitas est. Sic laborantes sine fructu, ac veluti errantes in labyrintho, quò velocius ad bonum properant, eò longius abscedunt: ideò infelices, quia suam non agnoscunt infelicitatem.

2. Hæc res est, quæ magnis te malis involvit, miserabilis homo, quòd beatè quidem vivere, & beatè mori desideras; sed ad videndum, quid sit beatitudo, & quomodò ad eam perveniatur, stultus & cæcus es, devio errore per varios anfractus incedens. Quicquid agis, quicquid cupis, quicquid moliris, contra te est. Non enim respicis illud bonum immensum, in quo sistere debet voluntas tua; quia ultra summum non est locus: sed vagaris sine proposito, instar formicarum per arbusta repentium, quæ in summum cacumen, deinde in imum inanes aguntur. Deus omnium conditor è nihilo te creavit, ut ipsum solum ames; ipsi soli servias totâ mente, toto affectu. Sicut necessarium est illum esse, ita & esse ultimum finem. Seriò cogita, quantam tuæ vitæ partem illi tribuas, cui te totum impendere debes. Errant studia & consilia tua, si ad ipsum non diriguntur. Sicut finis viæ tuæ locus est, quò tendis; quò cùm perveneris, quiesces: sic finis vitæ tuæ Deus est, ad quem referre debes quicquid cogitas, quicquid loqueris, quicquid agis, donec ipso adepto omnia vota compleantur. Ad æternum ducit interitum, quicquid ab ultimo fine abducit.

3. Quemadmodùm in navigatione subducto navigio si aquatum exieris, obiter in littore aut cochleam colliges, aut bulbum; animo autem in navim semper intento solicitus eris, ne gubernator vocet; ac tunc relictis omnibus ad navim properabis: sic tibi in vita agendum est. Mente semper in Deum fixâ, ita rebus externis utere, ut cordi minimè inhæreant, nec te à proposito fine dimoveant. Serviunt illæ tibi, ut tu servias Deo. Alioquin à divina deficiens unitate, ad plura non necessaria dispergeris; tòtque colis idola quot sunt creaturæ, quas inordinato affectu prosequeris. Hi sunt Dii tui, quibus non bovem, non hircum, sed te ipsum, tuamque salutem turpi sacrilegio immolas. Non patitur lex amoris quidpiam cum Deo amari, nisi in Deo, & propter Deum. Summa perditio est, à summo bono deflectere, & converti ad creaturas.

4. Quod Princeps Medicorum de impuris corporibus ait; quò magis alantur, eò ampliùs lædi; id etiam de animis dicendum est. Nam qui à prava consuetudine ad meliorem statum

transire incipiunt, malæ vitæ venenum priùs evomere debent; ac tum, animo expurgato, solida virtutum percipere alimenta. Ipsa autem purgatio sic perficienda est, ut quotquot admisisti peccata expientur, tum omnis ergà illa affectus exuatur: vitiosi habitus eradicentur: malæ propensiones, & appetitus immoderati sub rationis imperio coërceantur; caro castigetur: quæ corpori sunt necessaria, ad justum moderamen redigantur: frænum linguæ ac sensibus imponatur: quæcumque ad arcem virtutis properanti moram injicere possunt, penitus exterminentur. Quid trepidas, viamque tibi ad beatitudinem difficilem fingis? Tu te ipsum facere beatum potes, eo vires suppeditante, qui principium tuum, & finis est. A te autem debes exire, ut ad eum pervenias. Eò vicinior illi fies, quo à te ipso remotior fueris.

5. Proponendum est itaque primò, quid appetas, quò properes: tum, via circumspicienda, quâ summum illud bonum adipiscaris, intellecturus in ipso itinere, quantum quotidiè proficias. Perlustra sedulò conscientiam tuam, & caligantes oculos aperiens solerter adverte, qualis debeas esse, dum alius fieri potes. Serò fraudem agnosces, cùm vitare nequibis. Disce, quo remedio cupiditatum mansuescat insania, quo fræno timorum sævitia compescatur. Disce terrena despicere, & ab his spontè discede, quæ diu tecum esse non possunt. Omnia relinque antequàm relinquaris, ut cùm venerit mors, nihil in te reperiat, quod possit abolere. Curam autem præcipuam animæ impende; ut quæ excellentiâ prior est, non sit cultu posterior. *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Nullum est lucrum, ubi salutis est damnum.

## Caput II.

*Cupienti benè vivere, morum instructor eligendus est. Qualis hic esse debeat. Officia discipuli.*

Nihil magis necessarium incipienti servire Deo, quàm ut se regi, & instituì ab optimo præceptore sinat. Quis enim iter ignotum sine duce aggrediatur? Quis difficillimam artem ediscat sine magistro? Paucos numerabis, qui seipsos protulerint, qui sine ullius adjutorio ad virtutem exierint. Quid universim fieri oporteat, & mandari absentibus potest, & posteris scribi. Quandò autem, & quemadmodum quidpiam fieri debeat, ex longinquo nemo suadebit: cum rebus ipsis deliberandum est. Non potest Medicus per epistolam cibi aut pharmaci tempus præscribere: vena tangenda est. Ita etiam in curandis animi morbis quædam sunt, quæ non nisi à præsente monstrantur. Paulus futurus Doctor gentium, postquam conversus à Christo fuit, missus est ad Ananiam, ut ab eo disceret viam vitæ. Durum & laboriosum negotium aggressus es, malignitatem naturæ vincere, cum spiritualibus nequitiis colluctari, & ad virtutem te ipsum perducere, inter tot obstantia & impedientia. Quare aliquem invocare oportet, qui manum porrigat adjutricem, qui ostendat pericula, insidias detegat, & in ancipiti pugna instruat ad victoriam. Sed dicis mihi. Quem invocabo? Virum fidelem & sapientem, qui velit & possit tibi prodesse: cujus reverearis occursum, non reformides: qui non castiget errantem, sed emendet: cujus vita plus oculis, quàm auribus probetur. Malè imperat, qui præcipit, & non facit.

2. Eum elige adjutorem, qui nemini aduletur, qui se vulgi congressibus non inferat, qui nec divitum convivia, nec Principum ædes frequentet, qui tale aliquid habeat in vita, quale argentarius in pecunia; qui possit dicere, Affer quamvis drachmam, ego eam discernam; affer quamvis affectionem, ego eam dijudicabo: qui, tanquam probatus medicus, internas ægritudines dignoscat, quique apta præscribat remedia ad omnes animi morbos depellendos. Talis sit, qui subtili examine omnium spirituum instinctus discernere, inter virtutes, & vitia discrimen ponere, omnium moribus servire sciat; qui omnes recessus & secreta mentis tuæ solerti consideratione perscrutetur: qui ab omni vitioso affectu immunis, lucro dumtaxat spirituali intentus sit: qui in spiritu lenitatis errantem doceat atque alliciat: qui omnes diaboli versutias & strategemata detegere, & eludere didicerit: cui denique non erubescas omnia mala tua pandere, omnia pectoris penetralia reserare. Pars magna felicitatis tuæ erit, talem posse reperire.

3. Cum eo libenter sermonem habeas; quicquid pravæ propensionis, quicquid morbosæ qualitatis in te est, quicquid delinquis, quicquid etiam boni facis, quicquid cælitus immissum tibi existimas, prudenti ejus discussioni committe. Sæpe illum deprecare, ut, si quem tibi notaverit turbulentum inhærere affectum, indicare ne gravetur; idque frequenter faciat, nec redarguendi vere-

verecundiâ impeditus vitia tua dissimulet. Quod si negaverit se aliquid in te deprehendere censurâ dignum, ne te protinus credas inculpabilem evasisse. Tacet enim, aut timens odium tuum, aut desperans emendationem. Tunc verò urge, & insta vehementiùs, & factis ostende, quantum proficere cupias. Incipe vitia apud illum deponere, ad ejus præscriptum mores exigere. Gaude fieri ab eo convitium tuæ pravitati, semperque ab ipso vel sanior redeas, vel sanabilior. Inter tot mala aliquid est, velle sanari.

4. Hæc sunt docentis & discentis mutua officia: ut ille prodesse velit, hic proficere. Ne ille prosit, vix quidpiam impedit, nisi discipuli refractarium ingenium, doctrinæ impatiens, & curationis incapax. Quidam enim innixi prudentiæ suæ, alterius sequi ducatum detrectant. Hæc omnia, inquiunt, quæ tu doces, jam scio. Quid prodest aperta monstrare? plurimum. Interdùm enim scis, & non attendis. Non docet admonitio, sed excitat memoriam, nec patitur elabi. Sæpè animus etiam aperta dissimulat: ingerenda itaque illi rerum notissimarum notitia. Nam virtus erigitur cùm tacta est, & impulsa. Alios retrahit malus pudor, vitium puerile, & viro indignum. Alii, quasi phrenetici, pertinaci silentio mala intus premunt, & Medico curationi intento indignantur. Suadet nimirùm hanc noxiam taciturnitatem tartareus hostis, sperans perniciem afferre, quamdiu latet. Et corporis quidem ulcera, tametsi pudibunda, omnium oculis exponere, ut curentur, non erubescis; animæ verò carcinomata studiosè tegis, ac si ea celare tollere sit; cum vix tamen fieri possit, quin vel te repugnante ipsa se prodant. Qui vulnus tegit, nunquam sanabitur.

5. Nunquid Medicus injuriam tibi facit, si tuum tibi morbum demonstrat, si periclitanti dicit: Malè habes, febricitas: hodie tibi abstinendum à cibo est, hodie aqua potanda? Imò pro beneficio laudatur, gratiæ ei aguntur, & referuntur. Si quis autem dixerit; Appetitiones tuæ æstuant, opiniones vanæ sunt, affectus immoderati; protinùs exclamas: O facinus ferro & sanguine vindicandum! ò contumeliam nullo modo ferendam! Infelix! Quid tibi damni aut mali infert tuæ salutis studiosus monitor & instructor? Id scilicet, quod speculum deformi. Te talem tibi ostendit, qualis es. Corrige ergò quod ille arguit; compone mores, ablue sordes. Facilè potes, si volueris omnium te oculis irreprehensibilem exhibere.

## Caput III.

*De purgatione à peccatis. Exuendus erga illa affectus, & vitia extirpanda. Nullum efficacius vitiorum remedium, quàm mortis, & æternitatis consideratio.*

1. AB ultimo fine deviat homo, cùm peccatum commitit, quod est omnium malorum caussa. Ab hoc semine nascitur quicquid cruciat: hoc veneno totus Orbis inficitur. Latet illud, dum fit, sed cùm patratum fuerit, tunc intelliges quàm malum sit. Fuêre, qui mortuorum corpora vivis jungerent, ut fœtore torquerentur. Similis est in peccantes animadversio: alligatum est eis supplicium; non inveniunt quò evadant. Nisi aliquid patiaris, ne malum facias; plurimum patieris, quia fecisti. Vix concipitur prava actio, & jam puerpera est suæ pœnæ. Indè nata mors est, hinc succensa gehenna. Ab omnibus itaque flagitiis expianda conscientia, dolore, confessione, & satisfactione. Nec graviora dumtaxat evitanda, sed minima quæque & leviora; quæ tametsi mortem non afferant, vires tamen sensim dissolvunt, & ad mortiferam labem disponunt. Quid autem interest ad naufragium, utrùm navis uno fluctu operiatur: an guttatim subrepens aqua, & per incuriam spreta, ipsam impleat & submergat? Tanto majorem maculam ista inferunt moribus, quantò facilius poterant evitari. Quò hostis debilior est, eò gravior tibi ignominia erit, si ab illo vincaris.

2. Nunquam virtutes animo inserere poteris, & te in pristinum libertatis statum asserere, nisi exuas omnem affectum erga peccata, quantumvis minima; ne corpore in deserto, animo sis in Ægypto. Male tecum agitur, si post dimissam injuriam, post relictos turpes amores, adhuc malignis collocutionibus præstas auditum, adhuc terrenâ specie delectaris. Vitia autem & pravi habitus, qui deletâ culpâ in te remanent, tanquàm pessima peccati soboles, radicitùs extirpari debent. Si solos ramos præcideris, servata radix emerget, & novi ex ea succrescent ramusculi iniquitatis. Dicis, te velle vitia exscindere. Falsum est: non enim claudis vitiis ostium, sed opponis. Dicis, te offendi turpitudine vitæ tuæ. Hoc credo: quis enim non offenditur? Homines mali vitia sua oderunt simul & amant, atque etiam, dum

perpetrant, deteſtantur. Quid prodeſt verbis mala rejicere, factis amplecti? Nemo eſt tam profligatæ conſcientiæ, cui aliquandò vitia ſua nauſeam non faciant: ſed citò cum illis in gratiam redeunt. Qui autem verè converſus ad Deum eſt, ponit ſecurim ad radicem, & ipſas minutiſſimas vitiorum fibras eradicat. Tum memor fragilitatis ſuæ omnes peccandi occaſiones ſtudioſiſſimè vitat: & ad quodlibet malæ rei objectum timore concuſſus reſilit, & exhorreſcit.

3. Quid fruſtrà tergiverſaris, & præcipienti Deo vitiorum exterminationem, opponis naturæ infirmitatem? Nemo magis virium tuarum menſuram novit, quàm qui ipſas largitus eſt. Quare ergò non ſtatim obtemperas, cùm non commodum quæratur jubentis, ſed tua utilitas? O cæcam & ſceleratam temeritatem! Servili nequitiâ in os Domini reclamare audes, & dicere, durum eſſe quod ille jubet; ac ſi mandata tibi impoſuerit, quæ ferre non poſſis: ut videatur præcipiendo non tam ſalutem tuam quæſiviſſe, quàm pœnam. Hæc eſt nimirùm, humana perverſitas, & malè de Deo mereri, & laborem ſibi fingere in præcepto. Sed ſi volueris vires tuas experiri, videbis multò plura te poſſe, quàm putabas. Non quia difficilis eſt lucta, non audes; ſed quia non audes, difficilis illa videtur. Multa priùs tortori habita, uſus vertit in riſum. Incipe, nec teipſum contemnas. Non deſerit Deus milites ſuos. Tantùm virium habebis, quantùm volueris.

4. Omnia vitia facilè vinces, ſi omnem tibi diem ſupremum diluxiſſe credideris. Quid eſt quod te alligat terræ? Quia nunquàm cogitas, citò ab ea exeundum eſſe. Tranſeunt quotidiè præter oculos tuos elata cadavera, quæ mortalitatis oblitum reſpicere cogunt ad mortem. Tu autem in media ſtrage morientium, nihil minùs quàm mortem cogitas: & cùm nihil frequentiùs videas, nihil citiùs obliviſceris. Veniet tamen qui te relevet dies, & ex contubernio olidi ventris educat. Diſcutietur iſta caligo, & tunc in tenebris te vixiſſe cognoſces, cùm lucem aſpexeris. Produc ſi potes, ex tot elapſis annis vel unicum diem, integræ virtutis teſtem, qui non fuerit aliquâ labe pollutus. Defloruit rudior ætas inter talos & nuces, inter ineptias & libidines adoleſcentia, inter ſcelera & flagitia præceps juventus. Poſt omnes annos, qui à cunis ad canos defluxerunt, nihil jam ſupereſt niſi dolor, & pravi fructus iniquitatis. Heu quales te apprehendent anguſtiæ, cùm præterita pudori erunt, formidini futura! Quid tunc proderunt divitiæ, tot partæ ſudoribus, tot curis quæſitæ? Quid carnis deliciæ, & probroſæ voluptates; quid inania dignitatum nomina; quid purpura, quid coronæ? O ſi daretur reverti ad crepundia, & telam de novo exordiri; quàm meliori textu omnia concinnares! ſed intempeſtiva, illo fatali momento, hæc vota erunt. Si vis tempore uti, nunc incipe: & ea deſere, quæ tunc velles deſeruiſſe. Minima res eſt, momentaneis renunciare, ut æterna conſequaris.

5. Quære, ſi lubet, ex morituro, de anteacta vita quid ſentiat? vix unum reperies, qui non longè diverſam proferat de opibus, dignitatibus, mundique vanitatibus ſententiam, quàm vivens habuerit. Tunc res omnes æquiori lance penſantur, ſuisque momentis æſtimantur. Et illis quidem ſera ſapientia in exitu eſt: tibi verò plurimùm proderit, ſi ex alieno errore tuum corrigere didiceris. Potes nunc tutò navigare: quid exſpectas tempeſtatem? Potes te, rebus integris, ſubducere calamitati: cur re reſervas extremo periculo? Sera, dum mergeris, cautio eſt; ſera prudentia, cùm jam periſti. Tot maximi & ſanctiſſimi viri, relictis omnibus impedimentis, cùm ſibi & mundo valedixiſſent, hoc unum in extremam uſque ætatem egerunt, ut vivere & mori ſcirent: plures tamen, nondum ſe ſcire profeſſi, è vita abierunt. Adeò difficile eſt, hanc artem ediſcere. Tu autem in ſenectutem ſana differs conſilia; & indè vitam vis inchoare, quò pauci perduxerunt? Stultitia magna eſt, tunc vivere incipere, cùm deſinendum eſt.

6. Quò te projicis, incautus homo! ſic credis, & ſic vivis; umbræ tranſitus eſt tempus tuum; punctum, vita tua, & ſi quid minus puncto eſſe poteſt. Vix natus, deſinis eſſe. Siſte vel unum diem; horam dumtaxat ne fluat inhibe, brevem moram tempori pone. Fruſtrà conaris: nam te ſecum citius abripiet, quàm ut deſinat velociſſimè fluere, in tuum rerumque omnium exitium. Et huic momento æternitatem poſtponis, quæ finem non habet? ô ſtultitiam, ô cæcitatem! Corpori perituro non ceſſas quæ ad ipſum pertinent comparare, & non eſt finis acquiſitionis tuæ: animæ verò quæ nunquam moritur, nulla provides bona in futurum, ac ſi tua non foret? languet corpus; omne diſcrimen ſubire paratus es, ut ſanetur: languet anima; & negligis, & non ſentis? Quando dictum eſt tibi; naviga, ne moriaris, & diſtuliſti? Sume amariſſimum pharmacum; & recuſâſti? Levia Deus jubet, ut vivas in æternum, & non vis obedire? Si

tibi

tibi lis foret, omnis cogitatio tua, omnis sermocinatio circa illam occuparetur; nec subsidia parare cessares, ut pro te Judices sententiam ferrent: extremo autem judicio imminente, è quo pendet æternitas, rides, nugaris, peccas, in æternum periturus? Ah! desine tandem insanire; & à vitiis emergens, sic forma quotidie animum, tamquam ad extremum ventum fit. Vera philosophia hæc est, quàm maximè fieri potest, hanc animam è corpore educere, & separare.

7. Hoc sit negotium tuum, hoc otium; hic labor, hæc quies, subducere te tempori, & immergere æternitati. Fixum semper & immobile stat, quod in jura transiit æternitatis. Avarus epulo aquæ stillam post tot sæcula adhuc petit; & perpetuo mugitu frustra rogabit. Æternitas est duratio semper præsens, nunquam sine suspirio, & horrore nominanda: est rota quæ semper volvitur: est juge, interminatum, semperque inchoans principium. Seria ejus cogitatio mundi delitiis miscet absynthia; lethalique mœrore attonitos homines, ac veluti sideratos, dejicit. Hæc animam rebellem domat, & curis inanibus indormiscentem excitat ad virtutem: hæc famem, & sitim condit: hæc omnem laborem facilem, jucundum omnem dolorem, omnem pœnam suavem, & brevem esse persuadet. Impleantur numericis notis ingentia cœli spatia, quacunque in immensum protenduntur. Quis præter Deum poterit hanc propemodùm infinitam numerorum seriem exprimere? Hi tamen numeri innumerabiles nec initium quidem æternitatis sunt. Tot anni, tot sæcula labantur, quot sunt in illis unitates; nondum aliquid de æternitate decessit. Nondum pervenerunt ad desperatissimæ æternitatis initium infelicissimi mortales, qui perpetuo inferni incendio cruciantur. Ad hanc considerationem si non horrescis, si vitam seriò non emendas, quovis saxo durior es.

## CAPUT IV.

*De Gula. Ejus mala, & remedia. Quæ sint indicia devictæ gulæ.*

1. PRimum tibi certamen adversus gulæ vitium ineundum est, quæ pabulum cæteris subministrat. Morti corporis & animæ nos gula initiavit. Primi enim parentes nostri, pomi interdicti esu omnes homines, antequam gignerent, peremerunt. Nunc eâdem animarum hostes utuntur; ut enervato omni vigore nos proterant, & conculcent. Hinc stupor, languor, & tædium: hinc scurrilitas, loquacitas, dissolutio: hinc immunditia, rixæ, contentiones: hinc mentis hebetudo, destructio omnium virtutum. Hinc rei familiaris profusio: hinc egestas: hinc longa morborum series, & ipsa denique mors, graviori ciborum sarcinâ accelerata. Pauci sunt infirmi, quos gula ad ægritudinem non adegerit. Nam si noxiis humoribus, ex nimio cibo, & potu congestis, careat corpus, tentari quidem à morbo, sed non subigi posset. *Plures occidit gula, quàm gladius.*

2. O vilissimam ventris servitutem, ô inexplebilem cupiditatem! Modicum tibi corpus natura præbuit; vincis tamen vastissimorum, & edacissimorum animalium aviditatem. Taurus paucorum jugerum pascuis impletur; una sylva plures nutrit elephantos: tibi angustus est Orbis; non sufficit ventri tuo, quicquid volat in aere, quicquid natat in undis, quicquid latet in sylvis. Aspice potentum culinas, & concursantes inter tot ignes coquos: vide servorum, & ancillarum sudantem cohortem: vide stragem animalium, & natantia vino penuaria: observa, quanta solicitudine argentum ordinant pueri; quantâ arte disponunt fercula, inferunt patinas, scindunt aves: quantâ celeritate discurrunt ad ministeria. Vix credes unam esse domum, cui tot Consulum, & Regnorum vina promuntur; cui mensæ tanto tumultu apparantur. Non præcipio ut subtrahas ventri alimenta. Contumax est; non potest vinci, quotidiano indiget cibo. Verùm latet hîc dolus, & subtilissimus concupiscentiæ laqueus; quo sæpe anima irretitur, obtentu necessitatis, negotium obumbrans voluptatis. Vis scire, quàm parvo fames extinguatur? Teipsum numera, metire corpus, stomachum consule. Scies, non esse necessarium, quod mensuram excedit. Naturæ pauca sufficiunt, luxuriæ nihil.

3. Fames non est ambitiosa; contenta desinere, quo desinat non quærit. Elapso momentaneo palati judicio, non suaviùs sapit pretiosum, quàm vile. Si esuris, edendum est: si sitis, bibendum. Sed utrùm panis plebejus sit, an siligineus: utrùm aqua ex proximo amne excepta, an multâ nive refrigerata, nihil pertinet ad naturam. Hoc unum illa jubet, sedari famem, sitim extingui. Pisces è supero, inferoque mari, à flu-

à fluviis, & lacubus evocati, detractæ è cœlo aves, ereptæ è sylvis feræ, diversa vini genera, & omnia Apicii condimenta, infelicis luxuriæ tormenta sunt. Epicurus sobrium victum voluptatis gratiâ commendat: nihil est enim tam lautum, quod nausea non reddat insipidum; nihil tam insuave, quod delicatum non faciat fames. Vis omnem cibi & potus superfluam curam abjicere? exitum specta. Citò morieris, & corpus istud, tanta epularum varietate nutritum, fœdis vermibus pabulum erit. Considera, quali convivio te escam præparas; & sic carnem nutri, ne mentem opprimas. Cibo utere, qui parabilis sit, & ubique occurrens, nec patrimonio gravis, nec valetudini. Magna pars libertatis est, bene moratus venter, & patiens contumeliæ. Multa quam supervacua essent non intelleximus, nisi cum deesse cœperunt. Eget corpus alimoniâ, non cupediis, aut lautitiis.

4. Non est autem quòd te laudes, si contempseris superflua. Tunc laudabilis eris, cùm contempseris necessaria: cùm tibi persuaseris, sordidum panem ad victum; modicum vinum & debile, vel aquâ debilitatum, ad potum satis esse: cum didiceris, herbas non tantùm pecori, sed homini quoque nasci. Tunc te admirabor, cùm solam necessitatem, ac virium reparationem, Deique gloriam, in cibo sumendo spectabis: cùm lautiores epulas, & magnatum convivia contempseris: cùm invitus ad mensam accedes, sicque alimenta sumes, quemadmodùm pharmacum ægroti: cùm voluptatem gustûs, quia tolli non potest, compescere & moderari studueris: cùm tibi molestum fuerit, quidpiam delicatius, valetudine exigente, accipere: cùm verâ denique mentis & corporis puritate imbutus fueris. Non enim in corporis attenuatione probatio abstinentiæ sita est, sed in perfectione castitatis.

## Caput V.

*De Luxuria. Quàm turpe sit hoc vitium. Quam facilis in id lapsus, & quomodo evitandus. Voluptas animi sectanda, quæ solida est.*

1. NUllum vitium isto turpius: nullum, de quo magis erubescamus. Vel nudum ipsius nomen non carere ignominiâ edixit Apostolus, præcipiens, ut, quæ hujusmodi sunt, nec nominentur in nobis. Hinc ille pudor, quo solent ingenui ac probi homines affici, si semel admissum aliquod immunditiæ peccatum aliis innotuisse suspicentur. Hinc lubricos adolescentiæ errores quidam in secretissimo pœnitentiæ tribunali ministro Christi abscondunt, æterna potiùs tormenta, cum æterno dedecore, subire post mortem eligentes, quàm imaginariam hujus vitii infamiam in hac vita. Huic autem limo infixus vix emergit. Conclamata est ejus salus, quem hæc lues infecit. Quid enim possunt ad hoc humanæ vires? *Nemo potest esse continens, nisi Deus det.*

2. Primum itaque hujus morbi remedium, fervens ad Deum oratio est, ut ipse te sanet & præservet, qui solus potest. Tum impuris cogitationibus resistere in ipso accessu oportet, eâ celeritate, quâ ignitum carbonem excutis à vestimento. Væ tibi, si te semel dimiseris ad aliquid quantumvis minimum in hoc genere deliberandum. Proxima deditioni est arx, cujus gubernator incipit cum hoste miscere colloquia. Omnis item præcidenda pravitatis occasio ab otio, à gula, ab omni specie impura, à malorum convictu, & societate: nec quidquam in hac lucta negligendum. Sunt etiam in justis quædam hujus vitii reliquiæ, omninò extirpandæ: est latens quidam serpentis sibilus: sunt quædam affectiunculæ; quæ tametsi malæ non sint, sunt tamen principia peccatis præludentia, quibus sensim sine sensu fascinata mens, nisi statim abrumpas, adhærebit. Nunquàm magnus eris, si hæc minima spreveris. Magna à parvis initium sumunt.

3. Ante omnia cavendum, ne te nimia tui fiducia decipiat. Quisquis non timuit, jam lapsus est. Quot & quales viri post confessiones, & victorias; post signa & magnalia, incauto fœminæ aspectu, corruerunt? Non affero hîc Samsonis, Davidis, & Salomonis, toties decantata exempla. Sunt alia recentiora, & quotidiana. Et ut desint aliena, habes tu ipse in te, unde erubescas; undè discas, non altum sapere, sed timere. Nonne extremæ dementiæ est, inter tot omnium ætatum & gentium documenta adhuc aliquid audere, & non vitare discrimen? sed hæc est semper humanæ pervicaciæ incredulitas, ut nunquàm credat alios cecidisse, nisi & se viderit interire. Facta est mulier à Deo adjutrix viri; sed dolo serpentis personam sumsit hostilem. Nihil in illa, nisi quod feriat, quod urat, quod interficiat. Nulla est hyæna, nullus basiliscus, qui cum illius voce & oculis conferri possit. Ah! fuge ejus aspectum; fuge colloquium,

quium, quicunque tuam optas salutem. Suum morem illa retinet, semper hominem expellit è paradiso.

4. Familiare hîc est, multas prætexere excusationes necessitatis, consuetudinis, puræ intentionis: sed latitant sub specie boni ingentia mala. Indè enim prosiliunt nocturnæ libertates, incauta colloquia, gestus leviores, modestiæ neglectus, crebra munuscula, & quædam hilaritudines, quibus paulatim deponitur pudor, & tota demum exuitur verecundia. Crescunt hæc per intervalla; & qui rubore suffusus, ad sola mulierum vestigia horrescebat, jam vultu constanti lascivientes oculos, nudatumque pectus intuetur; & blando intus operante veneno, prius damnâ patitur, quam periculum senserit. Sic paulatim rationis oculus caligare incipit, posteà obcæcatur. Sic anima cœlo nata affigitur humi, immemor Dei, immemor sui, donec flamma concupiscentiæ semper duraturo incendio absorbeatur. O miseri, quorum fœdæ, & momentaneæ voluptates tam luctuoso exitu terminantur! omnes puto Sardonicis herbis saturos esse; moriuntur, & rident.

5. Quid quæris, stultus homo, inops proprii consilii, alieni desertor? Voluptates? Deus cœlo æternas reposuit. Vis hujus sæculi fallaces, & excludi æternis? Ubi ratio, ubi prudentia? Cœlum intuere, & omnes ejus beatissimos cives. Olim panem cum cinere, potum cum fletu miscebant. Vidisses eos in mundo angustiis undique oppressos, sordibus obscuratos, semper lacrymis madidos, semper vigiles in oratione, extra omnem mundi lætitiam positos. Viam sibi ad cœlum equuleis, gladiis, & crucibus fecerunt. Respice infernum, & desperatam damnatorum turbam, ignibus, tenebrisque perpetuis sepultam. Hi falsa mundi gaudia, carnisque delitias & luxum olim amplexi, nunc serò cognoscunt, quantum sibi nocuerint voluptates. Hæc sedulò contemplare, & si credis, exhorresce. Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat.

6. Quod si etiam in hac vita placet voluptas; cur non magis solida, vera, impolluta, immutabilis, quæ ex animo benè composito venit, ut de tuo te ipsum oblectes? Carnis voluptas mollis est, caduca, fucata; semper mero & unguento madens, & timens publicari. Ejus statio fornices, popinæ, & loca censorem metuentia. Si foris nitet, introrsus misera est. Cùm incipit, tùm extinguitur, & in ipso sui usu perit. Voluptas verò animi tranquilla, excelsa, invicta, semper secura & stabilis, nec satietatem habet, nec pœnitentiam. Nullus eam pudor comitatur, nullus sequitur mœror, nec suum unquàm possessorem destituit. Hac si frui desideras, omnes carnis illecebræ vincendæ sunt. Vera enim voluptas est, omnem contemnere voluptatem.

## Caput VI.

*De Avaritia: malitia ejus perstringitur. Collatio pauperis, & divitis. Opum fallacia, & vanitas.*

1. Hæc est Avaritiæ pessima fraus, quam prænoscere debes, ne decipiaris: occultat se; nec ullum reperies, qui se avarum confiteatur. Ille divitias congregat, ut sibi & liberis prospiciat: hic ut pauperum indigentiæ consulat: alius ut redimat piis operibus peccata sua. Sed congestum aurum nemo istorum erogat: imò nova semper quæruntur, quæ addantur acervo; & dum quærendo teritur tempus, elabitur vita, cui opes quærebantur. Ut ægrorum sitim aqua non sedat, quam sitibundus placido amne fluentem videt, & agitat manu; nisi os admoveat, & gelidos hauriat latices: ita Avarus nullâ re satiari potest; quia menti ejus, in qua residet Avaritia, thesauri, & pecuniæ non possunt illabi. Animam Dei capacem solus Deus implere potest.

2. Congeratur in te, Avare, quicquid omnes locupletes possederunt: ultrà Salomonis opulentiam fortuna te provehat: terram marmoribus, auro parietes, gemmis laquearia abscondas. Non tantùm habere tibi liceat, sed calcare divitias. Accedant statuæ, & picturæ, & quicquid ars luxui serviens elaboravit: majora cupere ab his disces. Naturalia desideria finem habent; ex falsa opinione nascentia infinita sunt. Quid refert, quantum tibi in arca, quantum in horreis lateat, si non computas acquisita, sed acquirenda? Toto eget mundo, cujus non explet mundus cupiditatem. Atque utinam considerares, quanta secum mala divitiæ afferant, quanta auferant bona! Invenires procul dubio, quàm vera sit Apostoli sententia; *Radix omnium malorum est cupiditas.* Indè germinant fraudes, indè consurgunt bella; hinc perjuria, hinc proditiones oriuntur. Tolle avaritiam, & non est

discordia: desinat avaritia, & cessat ambitio. Hæc terram latronibus complet, mare piratis, urbes tumultibus, domos insidiis, forum injustitiâ. Quædam nimirùm societas, penè etiam nominis, est vitiis & divitiis.

3. Confer, si placet, inter se pauperem & divitem: cerne vultum utriusque. Hic plenus sollicitudinum, tetricâ facie tristitiam animi prodit: ille serenâ fronte sincerum mentis gaudium ostendit. Hujus, inter ærumnas cor exedentes, bracteata felicitas est; illius mens, mœroris vacua, internæ pacis jucunditate perfruitur. Hic quærendi cupiditate anxius, amittendi metu miserrimus, ad omnes fortunæ injurias expositus, quò plus habet plus cupit. Ille in paupertate ditissimus, optat quod satis est, nihil timens; quia nihil habet quod sibi adhæreat, quod sibi eripi possit. Quam lætos dies ducit pauper, quàm placidas noctes! Dives autem, æger animi, morbum suum, quocunque pergit, secum trahit, spinis undique circumseptus. Sed lethalis est sopor, qui non sentit aculeos.

4. Audi, miser, cujus inexplebilis avaritia est. Omnibus licèt locis tecta tua resplendeant: licèt immensos pecuniarum acervos possideas: quamvis, ultrâ mare latifundia tua extendantur; veniet tamen, veniet dies ab æterno statuta, quâ hæc omnia simul cum vita, amaro & invito animo deseres. Abibunt, peribunt hæc omnia; propter quæ pereundum tibi erit. Tunc demum intelliges, quàm contemnenda mireris; simillimus pueris, quibus omne ludicrum in pretio est. Illos reperti in littore calculi leves, & aliquid varietatis habentes delectant: tu circa auri glebas, splendidosque lapillos insanis cariùs ineptus. Non dico, ut divitias non habeas, si te Deus divitem fecit; sed ut habeas, nulli detractas, sine cujusquam injuria partas, sine sordidis quæstibus, sine solicitudine, & superflua cura. In domum illas, non in animum, recipias; paratus his carere, cùm Deus voluerit. Ille verè locuples est, qui divitiis non eget. Ne expectes, ut fur, vel casus eripiant tibi quæ possides, occupa tu eorum vices, & aufer tibi ipsi animo circa exteriora indifferenti, quidquid alii auferre possunt. Tuus eris, si hæc tua non erunt.

5. Disce à te removere pompam, & cultum victumque tuum non ad exempla compone, sed ut Christiani suadent mores. Potest paupertas se in divitias convertere advocatâ frugalitate. Exiguum natura desiderat, non esurire, non sitire, non algere. Potes habitare sine marmorario fabro; potes vestiri sine commercio Serum. An non sitim extinguet poculum, nisi gemmeum aut crystallinum sit, quo simul bibas & timeas? Gladius non scindet panem, nisi ebur, & margaritæ in capulo niteant? Pelvis fictilis non excipiet manûum sordes? Nec lumen lucerna ministrabit, nisi sit aurificis opus? Auro servit, qui se auro ornari putat. Quantò utilius foret, veras amare divitias, quæ hominem meliorem faciunt; quas nulla fortunæ iniquitas nec ipsa mors auferre potest? Quid pauperiem times, integrum Regnum ferens in corde? Regnum Dei intra te est. Absit ut aliud bonum quæras. Quære bonum tuum. *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Hic tibi possessio & regnum sit, in quo sunt omnia bona, omnes thesauri. Cui Deus totum est, huic mundus nihil est.

6. Quicquid nitidum, quicquid magnum in mundo apparet, inane est, fictitium est, nihil est. Quid miraris cùm vides hominem auro, & purpurâ indutum, & magnâ servorum catervâ stipatum? Pompa est. Ostenduntur hæc omnia, non possidentur: & dum placent, transeunt. Non capio hujus rei fidem à Lycæo, vel à Porticu, non à Cruce Christi, non ab æterna Dei Sapientia; sed ab ipso mundo, ab ipsis vanitatum mancipiis. Audi Amanum opibus, potentiâ, honoribus super omnes tunc mortales eximium. Convocat auditores, & coacto cœtu omnia nihil esse pronuntiat. *Nihil*, inquit, *me habere puto*; & caussam adjecit: *Quam diu videro Mardochæum sedentem ante fores Regias.* O ludibria, ô cæcitatem! Sæpè legi, & audivi omnia nihil esse collata cum bonis, quæ virtus parit, quæ nutrit æternitas: sed vehementiùs depressa sunt; coram nihil visa sunt nihil. Nihil igitur facis, si nihil spernis. Spernendum est aliquid quod in te sit, quod aliquid sit. Comprimenda cupiditas, ac veluti sub vinculis habenda; ut assuescas colere paupertatem, & usu rerum res ipsas metiri. Facilè autem contemnes omnia, si semper cogites te moriturum.

## CAPUT VII.

*De Ira, Character irati. Effectus, Caussæ & remedia Iræ.*

1. IRascor iræ. Sola hæc ira justa est adversus monstrum rabidum & execrabile; adversus affectum maximè implacidum, & turbulen-

lentum: qui si semel invaserit hominem, vix in eo humanæ naturæ vestigia relinquit. Ira brevis insania est, sui impotens; armorum, sanguinis, & suppliciorum avida; decoris oblita, necessitudinum immemor, in ipsa irruens tela, ut alteri noceat; ruinis simillima, quæ super id quod oppresserunt franguntur. Linquit decor omnis iratos. Flagrant & micant oculi, tumescunt venæ, horrent capilli, quatiuntur labia, stridٍent dentes, spumant ora, rabida vocis eruptio colla distendit. Non est ullius affectûs facies turbatior. Fœdatur vultus, contrahitur frons, nutat caput, vacillant pedes, agitantur manus, & totum corpus indecora jactatione huc illuc circumfertur. Adjice minaces gestus, complosas manus, pulsatam humum, percussum pectus, evulsos crines, scissa vestimenta, & sanguinem ab imis præcordiis exæstuantem. Qualem, putas, intra esse animum, cujus extra imago tam fœda est? Qualia Poetæ inferni monstra finxêre, ignibus ardentia, succincta serpentibus, diroque mugitu perstrepentia; talis est irati habitus, turpis, cruentus, æstuans, crudelis, & in ferinam rabiem degenerans. Cætera vitia licet abscondere, & in abdito alere: ira se profert, & in faciem exit, ac velut ignis omnia corripit: quantoque studiosius eam tegere conaris, eò ampliùs effervescit. Modi nescius est, nec frænum patitur, quem ira possedit.

2. Reliqua item vitia certis quibusdam finibus coërcentur; iræ nihil intactum, nihil est inaccessum: cœlum ipsum petimus iracundiâ. Hinc blasphemiæ; hinc querimoniæ adversus Deum; hinc de ejus providentia motæ ab impiis controversiæ. Nec his dumtaxat irascimur, à quibus nos læsos existimamus; sed futuræ etiam injuriæ cogitatione offendimur, & qui facturus esse injuriam, falsâ plerumque imaginatione, creditur, jam fecit: adeò ingeniosi in vitiis sumus. Sæpe nescimus quibus irascamur, irascimur tamen: & si alius desit, in quo impetus ille frangatur, contra nos ipsos excandescimus. Ut verò scias, non ex sola injuria nasci hunc affectum, iræ etiam nostræ sentiunt rabiem, qui nec offendere nos possunt, nec contumeliâ afficere. Sic vestimenta sæpe scindimus, vasa projicimus, frangimus calamum, laceramus chartam, cum his uti ex animi sententia non valemus. Sic in furorem sæpe nos agit aut versus calix, aut mensa negligentius posita, aut parum agilis puer, aut tacti subsellii stridor, & alia multa, quæ iram nostram nec meruerunt, nec sentiunt. Sic refractarius equus & contumax; sic canis oblatrans, & perstrepentes aviculæ; sic importunus muscarum volatus, aut culicum morsus bilem concitant, & impatientiæ nostræ pœnas luunt. Vide quam demens sis. A rebus sensu carentibus, & à brutis animantibus exigis pœnas, quibus par esset tuam potius insaniam castigare.

3. Quod si libeat iræ damna & effectus intueri, nulla pestis humano generi pluris stetit. Videbis cædes, & urbium clades, & totarum exitia gentium. Videbis pestilentiam manu factam, & magnam occisorum struem, fusique sanguinis rivos flumina inficientes. Aspice nobilissimarum civitatum fundamenta vix notabilia; has ira dejecit. Aspice solitudines sine habitatore desertas; has ira exhausit. Aspice incendia domos concremantia, violatos fontes venenis, extinctas familias; hæc scelera ira patravit. Ferarum conventum dixeris non hominum, nisi quod illæ inter se placidæ sunt, hi mutuâ laceratione se perimunt. Accedit huic vitio hæc pernicies, quòd hominem exuit similitudine Dei, cujus opera tranquilla sunt: mentem obcæcat, ne verum videat, ne aliorum monitis obsequatur: omnes animæ facultates turbat & pervertit; cumque pessimè totum hominem afficiat, vix illi tamen ulla turpitudo inesse creditur: adeò vulgus glorioſum existimat irasci. Sed præstat ad remedia accedere, quibus hæc prava affectio, si non tolli omnino, rationis saltem imperio subjici, & ad salutarem modum cogi possit.

4. Ante omnia optimum est primum iræ irritamentum protinus spernere, & ipsis repugnare principiis: nam si cœperit ferre transversum, difficilis ad salutem recursus est. Faciet quantum volet, non quantum permiseris. Cum hostis portis se intulit, modum à captivo non accipit. Facilius enim est non admittere pernicioſa, quam admissa moderari. Pars superior mundi, & ordinatior, ac propinqua sideribus nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, sed caret omni tumultu: inferiora sunt quæ fulminant. Ita animus sublimis, quietus semper & compositus, ac in statione tranquilla collocatus, intra se mala premit, quibus ira contrahitur, & verbis suis minimum libertatis permittit: scit enim cum iratus fuerit, mala non tolli, sed fieri graviora. Sicut aves, dum viscum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt: sic omnis indignatio in tormentum suum proficit. Plus nocet ira, quam injuria. Qui irascitur, se ab alio

contemptum putat; verus autem æstimator sui non vindicat, quia non sentit. Ultio confessio doloris est. Non est magnus animus, qui repetit mordentem.

5. Auditâ voce maledicentis statim animadvertendum, non quid illum audire, sed quid te deceat loqui. Non tantum licere debet alienæ perversitati, ut serenitatem tuam obducat. Deus, qui omnia potest, tot improbos homines suffert: tu cæteris deterior, unum ferre non poteris? Ridiculum est te non corrigere malitiam tuam, quod potes, aliorum velle tollere, quod non potes. Si tot peccatorum reus es, quicquid pateris nihil est comparatione gehennæ, quam mereris. Quis es tu, cujus aures lædi nefas sit? Seipsum offendit, quia peccat, qui facit injuriam: tibi enim quid accidit? Id quod ab æterno decretum est pro tua salute. Audi quid dicat Deus: *Si dimiseritis, & ego dimittam vobis.* Ad hoc tonitruum si non expergiscaris, non dormis, sed mortuus es. Danda est alienis vitiis venia, ut tuis impetres.

6. Tollenda ex animo suspicio est, fallacissimum iræ incitamentum. Ille me parùm humanè salutavit, ille inchoatum sermonem citò abrupit, illius vultus aversior visus est. Nec deerunt suspicioni argumenta, & conjecturæ; cum semper ad malum crediti simus. Major injuriæ pars constat vitio interpretantis. Quare simplicitas necessaria est, & benigna rerum æstimatio. Age contra te absentis causam: sitque tibi hoc vitium suspectum; quòd quæ inviti audimus, libenter credimus; & antequam judicemus, ira scimur. Dandum semper est tempus: veritatem dies aperit. De parvula summa judicaturo res tibi sine teste non probaretur; amicum verò condemnas, antequam audias? Rebus quæ referuntur statim fidem adhibere, imprudentis hominis est. Multi mentiuntur, ut decipiant; multi, quia decepti sunt. Qui aliquid clam dicit, penè non dicit. Quid iniquius, quam secretò credere, palam irasci? Denique non expedit omnia videre, omnia audire. Non accipit injuriam, qui nescit.

7. Cum scis aliquem malè loqui de te, interroga conscientiam tuam, an ipse prius de illo loquutus sis. Tum cogita, de quam multis loquaris. Faciet te moderatiorem respectus tui, si te ipsum consulueris. Nam cur alienæ luxuriæ non ignoscis, qui nihil tuæ negâsti? cur mendacia persequeris, ipse perjurus? cur ipse perfidus, fidei acerrimus exactor es? cur tibi licentiam in alios permittis, in te non vis? Succurrat non tantum quid patiaris, sed quid feceris. Quicquid in alio reprehendis, in venies in sinu tuo. Omnes mali sumus: communi vitio danda est venia. Et si nihil tale fecisti, at potes facere. *Qui stat, videat ne cadat.*

8. Quid novi sit, si inimicus nocet, amicus offendit, filius labitur, servus peccat? Hæc omnia ita consueta sunt, ut rosa vere, fructus æstate. Sicut properanti per frequentia urbis loca alicubi labi necesse est, alicubi retineri, alicubi respergi: ita in hoc vitæ actu dissipato & vago multæ incidunt quærelæ, multa impedimenta. Cur indignaris à viro malo injuriam passus? Quod suum erat fecit. Tu verò, si bonus es, boni viri munus exerce: cura ut illum bonum facias. Hoc autem non fit ultione, sed patientiâ, & beneficiis: & si non bonum, saltem benevolum reddes: si neutrum, te procul dubio meliorem efficies. Ille detraxit de fama tua; graviter tibi infensus est. Quid hic tu? Non credo. Si quid dixit, errore deceptus dixit, mente non malâ, zelo bono: prodesse voluit, aut certè læsus à me fuit. Non est injuria, pati quod prior feceris. Verè illam culpam admisi, reus sum; æquum est justitiæ cedere. At gratis impugnor, & sine culpa, Quid indè? Christum imitabor, & dicam cum Propheta: *Obmutui, & non aperui os meum; quoniam tu fecisti.* Aliena dicta, aut facta, tibi mala non erunt, etsi revera mala sint, nisi malè eis utaris. Talia sunt, qualis usus eorum.

9. Quæ est causa offensionis? Opinio. Tolle damni opinionem, & nihil nocebit tibi. Nulla res attingit aut movet animum, aut ad ipsum intrat: solus ipse se ipsum movet; & quale tulerit judicium, talia fiunt ea quæ accidunt. Nihil te lædet, nisi tu te ipsum læseris. At malus est, inquis, qui me persequitur. Expecta: dabit alteri pœnas, quas debet tibi; & jam sibi dedit, quia peccavit. At ratione præditus est; quare non emendat se? Et tu, qui ratione præditus es, cur non corrigis impatientiam tuam? cur non vincis in bono malum? Aliena vitia in oculis habes; à tergo tua sunt. Sed age, quisquis es, cui dulce videtur ulcisci, datur tibi optatæ ultionis facultas; cum hac tamen justissima lege, ut à majori incipias. Ordo injuriæ præscribat ultionem. Graviorem omnium hostem iram tuam habes; hæc plus te offendit: ab ista auspicare vindictam. Non sunt quærendi in platea adversarii, dum infensior domi latet. Plato iratus in servum, manum quam percussurus sustulerat,

lerat, suspendit, dicens: Cæderem, nisi irascerer. Prius voluit iracundiam flagellare, quàm servum; digniorem flagris existimans dominum irascentem, quam servum negligentem. Quò quisque honestior est, eò fortius iram comprimit.

10. Judices, & qui præsunt populis, iram interdum ostendere debent, ac etiam exhibere; ita tamen, ut rationem non præveniat, sed quasi ancilla subsequatur. Corrigendus est qui peccat, & castigandus; sed sine ira. Si vir bonus irasci turpiter factis debet, omnis illi per iracundiam vita transibit. Quod enim momentum erit, quo non videat improbanda? Deficiet, si toties à se iram, quoties caussa poscet, exegerit. Placidus itaque & æquus errantibus, talem affectum erga illos habebit, qualem medicus erga phreneticos. Sicut non commoveris ob algores & fervores, qui à tempestatibus suas vices obeuntibus inducuntur: ita nec irasci debes propter injurias, quas improbi homines pro sua natura inferre solent. Ægri intemperantes sunt, in quibus nihil est sani. Satis acerba erga contumeliosum vindicta est, nullam petere ab eo vindictam. Ille lædit ut doleas; si tu non doles, ipse dolebit, videns ereptam sibi contumeliæ voluptatem; adeò fructus injuriæ in sensu & indignatione patientis positus est. Convitia, si irascare, agnita videntur; spreta exolescunt. At turpe est, inquis, contemni, læsumque honorem non reparare. Imò turpe est timere contemni: non enim hoc timet, nisi qui contemni dignus est. Non respicit sapiens, quid homines turpe judicent, nihil illi turpe, nisi peccatum. Contemnor, ait, ab aliquo? Ipse viderit. Ego curabo, ne quid contemptu dignum agam, aut loquar. Odit me aliquis? Viderit. Ego omnibus erò placidus, & benignus. Sic invicta patientia, improborum malitiam superat & fatigat; Deumque imitatur, qui ignoscit, qui patientissimus est, & scelera nostra suis beneficiis vincit. Majoris animi est, non agnoscere injuriam, quàm ignoscere.

## CAPUT VIII.

*De Invidia, & Acedia. Utriusque descriptio & curatio.*

1. INvidia sui vindex priùs in propria sævit viscera, quàm in proximi bona. Alia vitia ultrix pœna à tergo sequitur; huic etiam præire solet. Invidus enim alienam felicitatem suum facit tormentum, & de vicini pinguedine ipse macrescit. Simul peccat & plectitur, quem hæc pestis invasit. Cætera vitia certo alicui bono contraria sunt; hoc, omnium bonorum inimicum est, omnium rerum naturam pervertit. Adversatur divinæ bonitati, cui proprium est omnia bona sua communicare: adversatur statui Beatorum, qui aliorum felicitate, ut suâ, potiuntur: adversatur Christianæ charitati, quæ de bonis etiam inimicorum lætatur: adversatur denique legi naturæ, quæ nos omnia bona nostra aliis etiam optare jubet. Sicut oculus eo morbo affectus, quem Ophthalmiam Medici vocant, splendidis omnibus offenditur: ita invidus aliorum virtute, & claritate cruciatur. Invidia dicitur; quia alterius excellentiam nimis videt.

2. Invidet Satan, sed hominibus, sociorum nemini: tu verò homo cùm sis, hominibus invides; quod nec Diabolus quidem facit. Hoc autem animi pusilli est, & proprio judicio se ad infima abjicientis: neque enim alteri invideres, nisi eum meliorem te, & superiorem arbitrareris. Vis invidiâ carere? Sperne hujus mundi fugacia bona, & dilige æterna. Amor æternitatis mors invidiæ est. Non potest mortalia bona aliis invidere, qui sola sempiterna concupiscit. Quis unquam Princeps sutori invidit, aut sarcinatori, artium suarum vilia servitia? Non se demittit ad hæc infima mens sublimioribus occupata. Nonne satis est propriis malis angi, quæ tam multa sunt, nisi & aliena bona te torqueant? Nunquam eris felix, si te cruciat felicior. An putas bona, quæ invides, alteri erepta, ad te posse transferri? Habet proximus tuus divitias, floret scientiâ, supereminet dignitate. Hæc omnia tua erunt, si ipsum amaveris. Plurimis abundat bonis, qui amat aliena.

3. Jungo Invidiæ Acediam; quia utraque tristitiâ est: illa de alieno bono, hæc de proprio. Utraque ad pusillos spectat: nam *parvulum occidit Invidia*; & Acedia vitium est languentis animi, bonorumque spiritualium tædio laborantis, qui rei magnitudine ac difficultate deterritus, nihil unquam homine dignum aggrediatur. *Vult, & non vult piger*; semper varius & inconstans, sibi gravis aliis molestus, & continuo sui tædio pœnæ incubans suæ. Similis est trocho, qui in orbem quidem agitatur, sed non progreditur; atque ita per flagri vim movetur, ut tamen semper insistat. Voluisse eum aliquid deprehendes, sed non feciſſe. Omnis ejus operatio insipida, & instar repentis aquæ vomitum provocans,

non hominibus tantùm, sed & ipsi Deo. Frustra igitur salutem speras, nisi excusso torpore generosos assumas spiritus, & acrioribus stimulis ad magna te cogas. Ut avis ad volatum, ita homo nascitur ad laborem: & ut desint labores pro Deo assumpti, satis cuique pœnarum imponit mundus. Quantum ille laborat, ut divitias consequatur? Quantum ille patitur, ut ad optatam perveniat dignitatem? Magno vitia coluntur. Quod si fugacia bona tanto sudore mercaris; cur non parem adhibes diligentiam, ad fœliciſſimam æternitatem comparandam? Ah! pudeat segnem esse in re tanti momenti. Breviſſimus labor est; merces æterna. Nihil est tam arduum & tam difficile, quod mens humana, Deo duce, non vincat. Fortiter aude; & difficultatum spectra disparebunt. Quicquid sibi animus imperavit, obtinuit. Age quod potes; omnia poteris. Adjuvat facientem Deus.

## Caput IX.

*De Superbia, Ambitione, & inani Gloria. Icon superbi. Dignitatum vanitas, & pericula. Tumoris mala, & alexipharmaca.*

1. Superbia, ambitio, & inanis gloria cognata sunt vitia; è quibus, tanquam Oceano, omnium malorum flumina oriuntur. Nam cùm sibi pro fine propriam excellentiam proposuit homo, huc omnia dirigit, spreto Dei cultu, neglectâ hominum reverentiâ. Et si illi aditus ad gloriam non patet, nisi per scelera; per scelera ad gloriam ibit: viamque sibi ad prætensum decus aperiet, per dolos, & fraudes, proximique ruinam, & cædem. Superbus, Deo odibilis, humano generi intolerabilis, omnia studia, & opera sua ad captandam hominum laudem inflectit. Se gradu potiori dignum putat, sibique in illo maximè complacet. Majora viribus temerè aggreditur, omnibus negotiis se ultrò ingerit, se ipsum impudenter extollit, cæteros aspernatur. Callidè simulat humilitatem, ut à se removeat ambitionis suspicionem. De gradu dejectus, omnia querelis implet, suscitatque rixas, & odia. Ergà inferiores ferum se & truculentum exhibet: ergà superiores assentator est, quovis mancipio timidior, & obsequentior. Bona, si quæ habet, non Deo, ut par est, sed sibi arroganter attribuit. Affectat in omnibus videri; deque rebus altiſſimis, quas ignorat, quasi ex propria experientia, subtiliter disserit. Aliorum facta curioſè inquirit, temerè judicat, severè damnat: auget vitia, laudem imminuit. In sermone & incessu fastum quendam præ se fert, aliorumque contemptum. Odit correctionem; respuit consilia, monitis non acquiescit. Bona sibi opinatur adesse, quibus caret: & quæ habet, multò majora sibi fingit, quàm sint. Ideò indignatur, & ad pessima quæque flagitia se dejicit, si cæteris tanquàm dignior non præferatur, si se & sua negligi suspicetur. Fluctuat cor ejus perpetuis motibus; quia cùm honor, quem cupit, in aliena sit potestate, necesse est illum turbidis affectibus continuò agitari. *Initium omnis peccati est superbia.*

2. Pone in statera, si sapis, & compara cum minima æternæ fœlicitatis particula, quæcumque tibi optanda in hoc sæculo videntur, regna, imperia, Orbem denique totum; excutiet illa suo pondere mundum universum cum pompis suis, tanquàm folium, quod vento rapitur. Erige te ergò ad æterna; & te dignum fac cœlo, cui natus es. Excute superbas tuæ excellentiæ cogitationes & te veris bonis metire. Si te Cæsar adoptâsset in filium; quis ferret supercilium tuum? Nunc autem Dei filius es. Christi sanguine redemptus. Cur non cogitas originem tuam? cur te abjicis ad terrena, tuo genere prorsùs indigna? Ad cœli & siderum dominatum te vocat Pater: ad possessionem semper duraturam. Hic ingentes sume animos; hâc promissione extollere, ab hoc Patre nobilitatem tuam jacta, ad ejus similitudinem mores tuos compone. Hæc est via, quæ ad veram gloriam perducit.

3. Quid sunt sceptra, quid coronæ? Fulgidæ compedes, & clara miseria; quæ si plenè hominibus nota esset, nunquàm de solio litigarent. Plura essent regna, quàm reges. Magna servitus est, magna fortuna. Isti, quos vulgus beatos censet, longè aliter de se sentiunt: nam gravior ipsis incumbit fælicitas, quæ graves illos populo reddit. Tunc laudant otium lene, & sui juris. Tunc odio est illis fulgor, quem priùs admirabantur. Tunc attoniti & trementes de terrenorum vanitate philosophantur. Tunc mortem formidant, & tremendum Dei judicium: ante cujus conspectum nihil proderit tanto studio quæsita dignitas, tot parta sudoribus, & empta sanguine. Sic igitur vive, ut securum te inveniat illud tribunal. Qui nunc humiliatur, tunc exaltabitur.

4. Insanis, si te putas adeptâ dignitate securum, & quietum fore. Quod olim licuit, jam non

non licebit: minor licentia in magnis est. Quo altior fueris, eò magis vitia tua apparebunt. Non latet qui in fastigio est. Si qua tibi olim tranquillitas fuit, jam periit. Nullum tibi secretum liberum erit: nullum poteris diem ex arbitrio tuo disponere. Magni sunt ex alto casus. Frustrà requiem ibi quæris, ubi omnes periculum, & laborem, multi miserum vitæ exitum, invenerunt. Non capiunt securas dapes regiæ mensæ. Auro & gemmis bibuntur toxica. Quot Reges proprio sanguine solium purpurârunt? Lubrica in summo statio est; pendula omnia, & præcipitio proxima. Tutiùs itur per plana. Quàm magnus admirantium, & plaudentium numerus, tam magnus invidentium est. Quanti ibi insidiantium acervi, & oppugnantium? quàm intuta omnia, & suspecta; Non servis fides, non amicis, non filio, non fratri. At humi jacentem domum non intrant scelera. Securus vivit qui latet. Nullum timet, quem nemo timet.

5. Si equum videres, aut canem, inter cætera suæ speciei individua principatum assumere; numquid risum cohibere posses? Tu verò majori cachinno dignus es, si super reliquos homines te extollis; quòd ditior aliis, seu potentior sis. *Quid superbis terra, & cinis?* Nemo efferri potest nisi ex proprio bono. Quid est autem tuum bonum, si omnia à Deo accepisti? Nihil tuum nisi peccatum. Quod si omnia accepisti, illi redde gloriam, qui tibi bona sua largitus est. Numquid equus equo præfertur; quia multum pabuli habet, & multum hordei; quia frænum aureum, & gemmata ephippia? Nequaquam; sed qui celerior est, alium antecellit. Ita homo, ni stultus sit, gloriam ex eo non quæret, quod est extra se. Sed melior, inquis, sum, & nobilior cæteris. Si hoc dicis, omni honore indignus es; quia nemo dignè honoratur, nisi vir bonus, qui honorem spernit & gloriam. Vera nobilitas nescit extolli; & ubi vitæ splendor est, ibi quoque modestia reperitur. Maxima sublimium gloria est, quàm maxime se submittere.

6. Cognosce conditionis tuæ imbecillitatem, metire corpusculum tuum: multa reperies in te, ob quæ deprimi debeas; nihil, quo possis extolli. Noli Geometras, & Philosophos spernere: omnis terra punctus est. Quàm miserè desipis, si regna in puncto statuis, & dividis dominationes. In parvo nemo magnus. Hæc terra, quam tumido incessu premis, mox te premet: nec amplius ex ea possidebis, quam frigidis & putrescentibus membris occupabis. I nunc, & in hoc nihilo magna & immortalia ædifica. Hic furores tuos, hîc elatam exerce insolentiam. Dilata hîc cupiditates tuas; hîc acies, hic bella molire. Cùm multùm insanieris, serò tandem cognosces, quàm vana dignitatum nomina, quàm fallaces honorum tituli fuerint. Vitreum est, quicquid hic lucet: dum splendet, frangitur. Magnæ arbores diu crescunt; unâ horâ extirpantur.

7. Magnum superbiæ irritamentum præcidisti, si lateas. Nemo oculis suis lautus est, nec paucorum quidem & familiarium; sed apparatum vitiorum suorum pro modo turbæ spectantis expandit. Quis eam, quam nulli ostenderet, induit purpuram? Quis posuit secretam in auro dapem? Quis sub umbra rusticæ arboris luxuriæ suæ pompam solus explicuit? Ambitio scenam desiderat; nec ullibi potentius vires suas exerit, quàm inter hominum laudes. Apis si mel fecit, equus si cucurrit, arbor si fructum protulit, nihil ultrà quærunt: homo plausum desiderat, digitoque monstrari, & dici, Hic est. Sed si attentius consideraveris, qui sint isti, à quibus optas laudari; nihil facilius, quàm vulgi plausum, contemnes. Homines vani, & mutabiles sunt; quos sæpè dicis insanire, qui se omni horâ amentiæ damnant, & sua sæpè reprobant consilia. Brevis vita est & laudantis, & ejus qui laudatur, fitque id in angulo terræ, quæ punctum est: ac ne ibi quidem omnes consentiunt; nec quispiam sibi ipsi. At magnum est, laudari à posteritate: ab his nimirum, quos neque vidisti, nec unquàm videbis. Cur non doles, te non fuisse laudatum ab his, qui ætatem tuam antecesserunt? Sed finge, immortales eos fore qui tui recordantur, tuique futuram immortalem memoriam: quid hoc tibi mortuo proderit? quid prodest vivo? Sæpè laudaris ubi non es, & cruciaris ubi es. Pretium cujusque rei in ipsa est: nec melior fit, si laudetur; nec deterior, si laude careat. An sol, si desint spectatores, de luce quidpiam amittit? An carebit dulcedine ficus, flos venustate, gemma nitore, nisi encomiis celebrentur? Magnum argumentum est animi ab altiori sede venientis, laudes hominum aspernari, & seipso contentum esse. Laudes perdis, si desideras: nam quid laudabile in te est? quanta est fragilitas tua, quanta miseria, quanta salutis tuæ incertitudo? Servus inutilis es, etsi omnia feceris, quæ præstare teneris. Quâ verò fronte audebis dicere, te omnia feciſse quæ debes? Time igitur, ne intùs non sis; quod foris diceris: & cave, ne ea laudentur in te, ob quæ ipse displices tibi. Redde Deo, quæ

ab

ab ipso habes, esse, vivere, intelligere: nihil supererit tibi nisi peccatum. Nihil ergo cum sis, de nihilo gloriari non potes. Incipies esse aliquid, cum te nihil esse cognosces.

## Caput X.

*De totius corporis, sensuumque exteriorum moderatione. Quantum corpori indulgendum. Castiganda oculorum licentia. Vestium luxus damnatur.*

1. Hanc sanam & salubrem vitæ formam teneto, ut corpori tantùm tribuas, quantum valetudini satis est. Duriùs tractandum; ne animo malè pareat. Indulgendum illi, non serviendum. Cibus famem sedet, potio sitim extinguat, vestis arceat frigus, domus munimentum sit adversus injurias temporum: ad alia, quæ inutilis labor, veluti ad ornamentum adjecit, subsiste pavidus, & time; his enim insidiæ adversùs animam parantur. Omne honestum vile est ei, cui nimis carum est corpus, qui pro illo nimium timet. Major es, & ad majora genitus, quam ut sis vile mancipium corporis tui; quod equidem non aliter respicere debes, quàm ut vinculum animi, & libertatis. Vir probus & sapiens ejus curam habet: non, tanquam propter ipsum vivat; sed quia sine illo non potest. Corpus instrumentum est animæ. Quis autem artifex, neglectâ arte, in curandis instrumentis tempus terit? Hebetis ingenii est, circà corporis ministeria occupari.

2. Quia per sensuum fenestras mors in animam ingreditur; stude illos à terrena vita ad cœlestem traducere: eosque sensim abducito à nimia operis, quod exercent, attentione; ne se avidius rerum terrenarum delectationibus immergant. Servire sensus debent, non imperare. Oculorum inprimis castiganda licentia: nam cùm celerrimè videant, rerumque plurimarum imagines ad phantasiam, & indè ad mentem transmittant; gravium peccatorum semina in appetitu excitant, nisi firmâ custodiâ muniantur. Si exterioris oculi rectitudinem interioris puritas comitetur, Dei vestigia ubique impressa reperies: & cùm Deum in creaturis venerari didiceris, ex his suaviter attolles animum ad divinæ Majestatis contemplationem. Mulier compta elaborata luxuria est: nunquàm in ea figas obtutum; quia peribis. Comœdias, choreas, tornea-

menta, theatrales ludos ne spectes: dissipant enim mentem, & ludicris occupant curis; ut se ad cœlum erigere nequeat. Ubi errat oculus, errat affectus.

3. Auditus sensus est disciplinæ, per quem notio veritatis & sapientiæ, quasi per januam, mentem ingreditur. Sepi itaque aures providâ circumspectione; ne pro veritate mendacium, pro sapientiâ stultitia in penetralia cordis irrumpant. Claude illas oblocutionibus; claude susurris, claude nugis & rumoribus, claude otiosis narrationibus; omnique rei, quæ nihil ad animæ profectum confert. Sicut qui audivit symphoniam, fert secum in auribus modulationem illam, & dulcedinem cantûs, etiam cùm discessit: ita malus sermo, quamvis non statim officiat, semina tamen in animo relinquit, quæ diutiùs hærent, & ex intervallo recurrunt. Deum intùs loquentem eò frequentiùs audies, quò rarius homines audieris. Omnia odoramenta arte confecta effœminatorum sunt, & malè audientium. Ideo, rejecto omni odore, fac ut bonis moribus suavissimam virtutum fragrantiam redoleas. Gustum verò castigabis abstinentiâ, & sobrietate; Tactum ciliciis, verberibus, duriori strato, aliisque asperitatibus. Satius est corpus affligere, & servare; quàm noxiis blanditiis & ipsum & animam perdere in æternum.

4. Cum ex habitu cultuque corporis internus animi status palàm fiat; ea procul à te sint, quæ solent indicium esse animi pravi & perturbati. Qui olim sapientes inter Ethnicos dicebantur, nec digitum quidem sine ratione exerere viro probo permiserunt. Tantam à te rectitudinem non exigo, sed opto: idque edico, ut abstineas à risu, à scurrilitate, à dissoluti hominis licentia, à manuum gesticulatione, à præpropero incessu. Ut nihil in te appareat, quod possit offendere intuentes: non fordes vestium, non frontis rugæ, non motus incompositi, non signa contemptus, seu animi abalienati, non quicquid nauseam, vel fastidium parit. Multa possunt honestè fieri, quæ non possunt honestè videri.

5. Homo nudus creatus est & non erubescebat; non enim poterat rubore eum afficere nuditas ignorata. Postquàm verò peccavit, abjectâ innocentiæ chlamyde, quæ satis eum tegebat; externa vestis pudori velando necessaria fuit. Sed quod olim in pœnam irrogatum fuit, nunc in dignitatis prærogativam transivit. Quæruntur vestimenta; non quæ tegant, sed quæ ornent, quæ alienis oculis ac libidini placeant. Index animi

mi vestis est. Nimia ejus accuratio, totusque vultus de speculo & capsula, muliebris ingenii est. Pudebit cultus exterioris, si cogitaveris quid eo tegatur. Qui habet intùs ornamenta virtutum, non quærit externa. Ostentari virtus sine fuco gaudet: quicquid addideris, minus est illa. Vanus hominum error est, fulgere purpurâ, mente sordescere. Quidam se catenis onerant; sed quia aureæ sunt, infamiam servitutis non metuunt. Aliquos non ligat aurum, sed figit: nam per vulnera infigitur auribus, è quibus sæpe patrimonia pendent; & quæ olim pœnarum nomina, nunc ambitionis sunt. Non paucos videbis inter pectinem & speculum diù occupatos, qui magis soliciti de capitis sui decore sunt, quàm de salute. Ita prævaluerunt stultorum hominum depravata judicia, ut se rebus ornari putent, quas calcare deberent. Sit igitur vestis tua artis expers; non ad pompam, sed ad necessitatem, infra fastum, supra sordes, & ad vitæ conditionem temperata. Auro te licèt & margaritis exornes, sine Christi decore deformis es. Hic est decor, qui semper manet; qui non carnem morituram, sed teipsum intùs exornat. Insana ambitio est, fimum tegere auro.

## Caput XI.

*De custodia linguæ. Quanti momenti sit, & quam difficilis. Quid in sermone servandum; quid vitandum. Qualiter toleranda vitiosa aliorum lingua.*

1. Tanti momenti est custodire linguam, ut majori cura servanda sit, quàm pupilla oculi; quia *mors & vita in manibus linguæ*. Qui eam cohibere nequit, urbi patenti absque murorum ambitu comparatur. Vix tamen domari potest sine speciali Dei auxilio. Domat homo leonem, domat taurum, domat ursum; & non domat linguam suam. Innata est enim naturæ humanæ loquacitas; ut quod cupit & concipit, statim proloqui gestiat. Tum lingua vicina est cerebro, os phantasiæ; ut quod illa cogitat, mox derivet ad os, & in verbo effluat. Docuit te natura, quàm sit necessaria linguæ custodia, cùm duplex ei munimentum objecerit, dentium & labiorum. Sicut autem odor unguenti, pyxidis ore non obstructo, evanescit; ita patente oris janua, omnis animi vigor dissipatur. Male sibi attendit, qui linguæ jugiter non attendit.

2. In omni loeutione cautus esto, illam comprimens immoderatam affectionem, quâ plerique impelluntur, ad sententiam vix conceptam temerè effutiendam, sine examine & delectu. Fuge duplicitatem, & simulationem; sensusque animi, absque involucro & ambiguitate, purissimè profer. Data est tibi à Deo loquendi facultas; ut eâ res, sicuti sunt, verè & candidè enunties. Loquuturus, ipse te consule, an ulla in te exæstuet affectio immoderata; nec quicquàm linguæ permittas, donec commotio cesset: alioquin plura effundes, quæ te posteà dixisse pœnitebit. Facilè silebis, si nulli perturbationum clamores in corde perstrepant: si fuerit in anima solitudo & serenitas. Non potest esse alius sermoni, alius animo color. Si mens sana est, si temperans, si composita: sermo quoque siccus ac sobrius erit. Eâ vitiatâ, hic quoque afflatur. Cujus notæ quisque sit, indicium oratio est.

3. Nullus sit sermo otiosus. Sicut eligis, quo vescaris; sic elige, quod loquaris. Cibum, per os ingressurum, examinas; cur non verbum egressurum, quod sæpe in domo tua graviores tragœdias excitat, quàm cibus in tuo stomacho? Assuesce plurimum tecum, minimùm cum aliis loqui. Viros sapientes sæpè pœnituit, locutos fuisse; nunquàm verò, tacuisse. Animalia, quæ sapientiora censentur, parùm quoque vocalia sunt. Garrulitas vitium puerorum, & mulierum est, quibus minus rationis inest. Nihil virtutis in eo est, è cujus ore non nisi vana & inutilia prodeunt. Si Deum amares, si tuæ salutis studiosus fores, omnia colloquia tua de Deo essent, de virtute, & perfectione. Nescit amor mentiri; tegi non potest. Profunditur quisque in ea, quæ amat; & quæ latent in mente, frequentiùs ad linguam recurrunt. Ideò minùs libenter de rebus divinis loqueris; quia nondum è fæce vitiorum emersisti. Accedit exigua lectio, & meditatio eorum, quæ pertinent ad salutem; ut etiam loqui volentem materia deficiat. *Ex abundantia cordis, os loquitur.*

4. Omnis ferè sermocinatio in congressu hominum, de aliorum vita, moribus, & studiis est. Tot quisque judices habet, quot sunt capita in civitate. Vix ullus est, qui oculos domi habeat. Cæcutimus plerique in propriis vitiis discernendis, ergà aliena acutissimi. Convitia in proximum plenis valvis admittimus; laudibus vix rimæ patent. Hoc vitium quò communius est, eò studiosiùs vitandum. Satis tibi negotii cum vitiis tuis: ea carpe & emenda. Arcana tua, sive

aliorum, quæ celare ex officio debes, nemini evulges. Pleroſque contigit in perplexas incidiſſe quæſtiones, quod imprudenter, quibus non oportuit, ſecreta crediderint. Sivè uni, ſivè pluribus dixeris, idem eſt. Facilè ſermo ab uno ad alterum effluit: ab hoc ad omnes. Oritur hæc facilitas ex hoc præcipuè; quòd cum plus juſto protrahitur ſermo, ſenſim irrepit dulcedo quædam confabulationis, non aliter afficiens animum quàm ebrietas: quare nullum ſecretum tàm abditum & ſacrum eſt, quod non erumpat. Ille tibi arcana ſua aperit, tu, veluti pignore fidei accepto, tua viciſſim illi communicas. Sed tu forſitan audita retices; ille obvio cuique refert: & cùm omnes palàm ignorent, clam ſciunt. Linguas diceres per omnium aures ſecretò volitare, donec tandem arcanum ſuperfluit, & rumor fit. Quicquid mali ſub cœlo eſt, aut lingua peperit, aut promovit. Ideò verbis tuis ſtateram fac, & frænum ori tuo; nihilque loquaris, quod tacuiſſe melius ſit. Laudabilior eſt verborum parſimonia, quàm pecuniæ. Qui nummos prodigit, dum ſibi nocet, aliis prodeſt; verborum prodigus, & ſibi nocet, & aliis. Ad divinitatem propiùs accedit, qui multa audire ſcit, & pauca loqui.

5. Nihil linguæ inacceſſum. Non ſunt immunes à criminationibus Principes terræ, quos extra ferri metum potentia collocavit: non viri ſanctitate conſpicui, quos cenſuræ ſubduxit innocentia. Ipſe Chriſtus, cùm inter homines degeret, linguæ flagellum non evaſit. Ad horum exempla erige patientiam tuam. Stimulus quidam virtutis eſt obtrectatio, & frænum ne à recto tramite devies. Nullus capitalior vitiorum hoſtis, quàm cenſura. Cùm quis perperam de te loquitur, doceris quid caveas. Vis venenatæ linguæ morſus evadere? contemne. Nullum vulnus habebis, ſi tacueris, plus tribuens bonorum judicio, quàm criminantis inſolentiæ. Parùm refert, quid alii de te ſentiant. Eſt intùs in anima teſtis certior, & incorruptior. Conſcientiam tuam interroga, & illi crede. Quid turpiùs, quàm ab inſipientium ſermone pendere, & propriam exiſtimationem in aliorum judiciis reponere? Quicquid alii de te dicant, te oportet bonum eſſe: haud aliter, quàm ſi aurum vel ſmaragdus diceret; Quicquid alii dicant, me aurum eſſe, me ſmaragdum oportet, & colorem meum ſervare. Si quis dulci ac limpido fonti convitium faciat, an propterea ceſſabit puram aquam ſcaturire? Et ſi quis lutum injiciat, nonne ſtatim eluet ac diſſipabit? Ità nec tu tranquillum animi ſtatum turbare debes, etſi mali te lacerent, & calumnientur. Exigua ſui æſtimatio eſt, ad omnem rumorem commoveri. Pueri os parentum feriunt, matris crines turbavit infans, momordit ubera, laceravit genas, & ſputo aſperſit: & nihil horum contumeliam dicimus; quia qui fecit, contemnere minimè poteſt. Quem itaque animum habent parentes adversùs pueros; eundem habe adversùs eos, qui te calumniantur. Si te ſemel eò demiſeris, ut injuriâ movearis, eum qui fecit honorabis. Neceſſe eſt enim, ut ab eo ſuſpici gaudeas, à quo contemni moleſtè fers. Hoc autem eſt vitium animi contrahentis ſe, & deſcendentis. Infœlix ſemper eris, ſi te putas poſſe contemni.

## Caput XII.

*De ſenſibus internis. Uſus opinionum. Bonis cogitationibus mens imbuenda. De coercendo appetitu ſenſitivo ejuſque pravis affectionibus. Variæ ad id præceptiones.*

1. IN hoc præcipuus ſapientiæ cardo vertitur, ut nulla opinio menti tuæ inſeratur, quæ vel naturæ vel rationi inconſequens ſit. Quare omnibus rejectis adversùs phantaſiæ motus exerceri debes, ſicut Dialectici adversùs ſophiſticas captiones. Obiit filius. Non eſt hoc in noſtra poteſtate; malum non eſt. Pater illum exhæredavit. Et hoc cùm arbitrii noſtri non ſit, malum non eſt. At rem illam ægrè tulit. Hoc noſtri arbitrii eſt; ideò malum. Fortiter tulit. Noſtri arbitrii eſt & bonum. His ſi aſſueveris, proficies. Amicus in carcerem ductus eſt. Quid accidit? nihil, niſi quod in carcerem ductus eſt. De ſuo autem quiſque addit: malè cum illo actum eſſe. Corrige opinionem, & omnia tranquilla ſunt. Sicut furioſum ligamus ne cui noceat: ita coercenda phantaſia, ne falſis opinionibus obruat mentem. Hæc tanquàm fera indomita proripit ſeſe, & quocunque libuerit per ſummam licentiam divagatur, garrula, fugax, quietis impatiens, novitate rerum lætiſſima, nec agnoſcens moderationem. Huic igitur ſtudio ſedulam operam navare debes, ut eam teneas & alliges, ac in uno figas; ne cogitationes tuæ, animique decreta ſemper ex opinione ſuſpenſa ſint. Quæcumque ſunt extrà animum tuum, nihil pertinent ad te.

2. Quic-

2. Quicquid se tibi cogitandum offert, examina diligenter; quò tecum ipse differere possis, quæ sit ejus rei nudæ, & ab omnibus aliis separatæ natura, quæ proprietates, quis finis, quæ circumstantiæ, quæ utilitas: an ad te spectet, sitque in tua potestate; necne: alioquin nullum ei accessum præbeas, eique repugna; quantùm potes. Deus intimè præsens occultissima cordis tui clarissimè perspicit, nihilque tam abditum est, quod oculis ejus pervium non sit. Vide, ne coràm ipso ea volvas in mente, quæ coram honesto viro loqui erubescerès. Sint cogitationes tuæ placidæ, simplices; puræ omnisque malitiæ expertes. Tales sint, ut subitò interrogatus quid cogites; possis sine pudore palàm facere quod intùs latet in corde. Pudeat cogitare, quod pudet loqui. Malis cogitationibus aditum obstrues, si bonis semper occuperis.

3. Nihil æquè noxium animæ, nihil magis contrarium, quàm inferior, brutalis, & sensitivus appetitus. Hic fons est omnium scelerum, & imperfectionum: hic hostis, quem semper timere, semper impugnare debes, donec rationis imperio, quantùm in hac vita fieri potest, subjiciatur. Nulla hic requies, nullum otium datur. Sine fine, & sine modo pugnandum; quia nec finem, nec modum adversarius habet. Latet hic intrà te: imò tu ipse tibi hostis es, potentior quàm Xerxis exercitus. Custodi à te ipso animam tuam. Fortius est te invadere, quàm urbes, tui potiri, quàm rerum. Non exigo ut pravas affectiones omninò conteras, & ad nihilum redigas; sed ut eas regere discas. Satis præstiterit ratio, si eas compescat & moderetur. Iniqui fuêre Stoici, qui omnes affectus tanquàm malos infamârunt. Mala non est, nec supervacua supellex naturæ. Tollit omnem virtutem, qui omnes tollit affectiones. Nullæ sunt victoriæ, ubi nullum certamen.

4. Difficilis sanè hæc lucta est, & prælium anceps: affectus enim nascuntur nobiscum; & ratio multis post annis subsequitur, quandò illi jàm dominantur, & voluntas sine repugnantia eis paret, specie boni inaniter delusa: donec ratio, successu temporis & experientiâ, instauratis viribus suum agnoscat dominandi jus, & affectuum tyrannidi obsistere incipiat. & primi quidem naturæ motus inemendabiles sunt; sed attendere tibi ipsi summâ vigilantiâ debes; & cùm primùm te perturbari animadvertis, tunc ratione, quasi fræno, eam commotionem coërcere. Facilius est initiis resistere, quàm impetum gubernare. Brevi tempore ad magnam animi tranquillitatem pervenies, si casus omnes circumspexeris, antequam eveniant, ut te paratum hostis aggrediatur. Serò animus ad remedia post pericula instruitur. Tum pauca agere, & loqui disce: nam si ex his, quæ plurima loqueris & facis, ea tollas quæ necessaria non sunt; pauciores senties animi perturbationes. Neque dicas; hoc parum est, hoc nihil refert. Maximum enim est, licèt minimum videatur, quod est initium virtutis & perfectionis.

5. Homo vetus à peccatoris Adæ infecto semine trahens originem, si quasi quædam arbor consideretur, habet pro radice amorem sui, pro trunco propensionem ad malum, pro ramis perturbationes, pro foliis vitiosos habitus, pro fructibus opera, verba, & cogitationes, quæ divinæ legi adversantur. Ne igitur rami pravarum affectionum in folia & fructus erumpant, pone securim ad radicem, & pessimum tui ipsius amorem extirpa. Si hunc sustuleris, omnem inferioris appetitûs vitiosam sobolem unico ictu excidisti. Tolles autem & eradicabis, si te ipsum spreveris: si verè credideris, te unum esse ex millibus, nullâ dote singulari præditum, omnique scientiâ & virtute destitutum: si displicere hominibus, & ab illis sperni non metuas: si omni solatio, & commodo libenter careas. Servabis te, si benè oderis: perdes, si malè amaveris.

## Caput XIII.

*De Amore. Quæ sit ejus natura, quæ causæ, qui effectus. De ejusdem remediis. Addita quædam in Odio.*

1. Amor, complacentia boni est; illa, scilicet, prima impressio, quâ afficitur appetitus, dum bonum cognitum ei placet. Hoc cohæret universus Orbis; eoque subacto, qui primum inter effectus locum tenet, facilè reliqua turba debellabitur. Bonus amor illuc tendit, undè sumpsit originem: ad bonum accedit; quia à summo bono procedit. Discute vitam tuam, & in statera districti examinis appende cor tuum. Observa quis in eo prævaleat amor: id enim quod in lance dilectionis præponderat, hoc tibi Deus est, hoc idolum quod colis. Ideò præcipit Deus, ut eum toto corde diligeres, præoccupare cupiens tuæ mentis

affectus; quia quod diligis ex toto corde, hoc tanquàm Deum adoras.

2. Impellunt ad amandum, præter bonitatem & pulchritudinem, sympathia quædam, & convenientia morum & animorum: modestia item exterior, industria, nobilitas, doctrina, ingenii perspicacia, & alia ejusdem generis, corporis & animi ornamenta. Ipse amor magnes amoris est; cui si accedant beneficia, jam cogitur dilectionem rependere, qui nolebat impendere: sunt & quædam naturaliter ad amandum provocantia; nam quibus spiritus lucidiores sunt, cor calidius, subtilior sanguis, quique sunt facili ac miti naturâ, ad amorem sunt procliviores.

3. Magna est amoris potentia: in rem amatam transformat amantem. Quidam sui exitus amor est, quædam à se peregrinatio, quædam spontanea mors. A se abest omnis, qui amat; nihil cogitat de se, nihil providet, nihil agit: & nisi ab amato suscipiatur, nullibi est. O quàm infeliciter amat, qui Deum non amat! Non enim potest in amato esse, qui diligit terrena, quæ animam satiare nequeunt; cùm sint finita, & vanitati ac morti subjecta. Qui verò Deum diligit, in Deo est; & desinens vivere in se, in eo vivit, in quo omnia vivunt, qui est centrum nostrum, & incommutabile bonum. Amor humanus violentus, & amarus est, divinus semper humilis, & tranquillus: illum cruciat zelotypia, in hoc nulla rivalitas est: ille timet, ne alius amet; hic optat, ut omnes ament. Ergò si te amas, Deum ama: nam quod ames, prodest tibi, non illi. Homo mutari potest, & perire: Deum nunquam amittis, nisi dimittis.

4. Ut amor, quo socium fortè prosequeris, sincerus sit, omnes ab eo humanas causas ingenii, jucunditatis, similitudinis remove, & illas dumtaxat quære, quæ in pietate & sanctitate consistunt. Pernicies virtutis est amor, quem Platonicum vocant, quo à formæ corporalis aspectu animam erigi fingunt ad divinæ pulchritudinis considerationem. Formosæ faciei obtutus ad tangendi concupiscentiam excitat; & quod per oculos exit, sivè lumen sit, sivè fluxus quidam, hominem colliquat & perdit. Melius est labi pedibus, quàm oculis. Sunt autem difficillima amoris remedia: quia castigatus magis premit; & nisi obstes principiis, ita sensim irrepit, ut te priùs amare sentias, quàm instituas de amando consilium. Sed si omninò initiis repugnes, facilis curatio erit. Aliis quoque rebus occupanda mens, quæ curas ingerant, & memoriam rei amatæ dimoveant. Tum vitanda omnis admonitio dilecti corporis: quia nihil faciliùs recrudescit quàm amor; qui si semel te invaserit, adeò pertinaciter vexabit, ut non nisi lento remedio temporis, & absentiæ submoveri queat, donec, scilicet, lassus expiret. Multos curavit pudor, dum se digito signari, vulgique fabulam fieri doluerunt; & rei fœditatem plenam dedecore, plenam periculis, & pœnitentiæ obnoxiam considerârunt. Aliis profuit attentè disquirere mala & incommoda rei amatæ, quæ ejus decorem & amabilitatem imminueret. Demùm juvabit, amorem ad Deum, ad virtutem, ad æterna præmia, ad ea nimirum, quæ verè amabilia sunt, convertere: ut bonus amor malum pellat amorem, & mens hominis generosa vilissimo terræ amore sordescere erubescat. Mali amores, bonos mores inficiunt.

5. Omnia colligavit natura amatoriâ quâdam catenâ. Hæc cogit & copulat stellarum choreas in cœlo, volucrum examina in aëre, armenta boum in pratis, greges pecudum in montibus, turmas ferarum in sylvis. Sacer autem hic nexus à solo rumpitur odio: ut enim amor ad unionem, ita odium ad divisionem & dissensionem tendit. Huic affectui facilè subjacent ignavi, timidi, & suspiciosi, qui undecunque damnum metuunt. Sunt & quidam homines ita nati, ut oderint omnes, qui tanquàm diræ alites tenebras quoque suas exosas habent. Si quis hujus notæ occurrerit tibi, non odio illum, sed miseratione prosequere. Sicut in palæstra caves à colluctore placidè & sine ira: ita in omni vita ab eo sine odio declina, qui tibi contrarius est. Odium verò compescès excitando animum ad amorem, per considerationem alicujus boni in eo, quod odio habetur. Nullus in te odio locus erit, si omnia in bonum interpreteris. Tum applicandum est odium ad ea, quæ verè illud merentur; quæ sunt deformitas peccati, & æterna damnatio. Si ad alia ipsum vertis, non rem quam odisti, sed te ipsum lædis, & perdis. Nam si etiam inimicos juberis diligere, quem debes odisse? Abeundum est tibi extra rerum municipium, ut invenias quem odisse liceat. Extrà rerum naturam malum est, in quod solùm justè exerceri odium potest. Quod si hominem odisse debes, neminem ita ut te: nemo enim tantum tibi nocuit, quantum tu ipse.

CA-

## CAPUT XIV.

*De desiderio, & fuga. Quid desiderandum, quid fugiendum sit.*

1. FElix est qui subjectus est Deo, qui nihil impensè desiderat, qui se rebus accommodat, qui dicit: Vult me Deus incolumem esse; vult me ægrotare; vult me divitem, vel pauperem: vult me hinc migrare, vel hîc morari; Ad utrumque paratus sum. Si semel dixeris, Quando illuc ibo? Quando illud habebo? miser eris. Nam si id concupiscis, quod extra te est, perpetuâ anxietate cruciaberis; &, tanquam in orbiculari machinâ, semper sequeris, nunquam assequeris. In tua potestate sunt opiniones, cogitationes, affectiones, & quælibet actiones tuæ: extra eam corpus, divitiæ, gloria, dignitates, & quicquid ipse non agis. Illa nec prohiberi ab aliquo, nec impediri possunt, hæc aliena sunt, & impedimentis obnoxia: quare ea omnino non appetes; vel ita saltem, ut scias ab aliorum arbitrio pendere, & diu tecum esse non posse, quia sic exigit eorum conditio. Nulla res externa desiderabilis est: *præterit enim figura hujus mundi.* Etsi omnia votis respondeant, quicquid habueris, dolens & invitus in morte relinques. Intro respice: intùs est fons boni, semper scaturiens, si semper fodias.

2. In hoc uno posita fuit quorumdam veterum philosophorum sapientia, qui fortunæ imperio exempti inter ipsos corporis acerrimos cruciatus litem beatis mentibus de felicitate movebant. Nam cùm terminos potestatis homini à Deo concessæ contemplarentur, sibi planè persuadebant, nihil præter affectiones & cogitationes suas ad se pertinere. Ideoque tam absolutum in eas imperium hujus meditationis usu acquirebant, atque ita animi motus regebant, ut, non sine aliquâ ratione, se solos divites, solos potentes, solos felices jactarent. Assidua autem exercitatio necessaria est, ut res extrà se positas, tanquàm nihil ad te spectantes, spernere discas. Id si fueris assequutus, nunquàm dolebis externa tibi deesse: sicut non doles, quod rex Tartarorum non sis, aut quod alis careas ad volandum. Quæ extra nos, nihil ad nos.

3. Hoc fræno coercenda sunt desideria, quibus si modum non imponas, nunquàm explebitur inexplebilis animus; & quicquid illi congesseris, non erit finis cupiditatis, sed gradus, & irritatio. Nullus humor sufficit ei, cujus viscera ardenti æstu laborant: non enim sitis illa, sed morbus est. Ita accidit illis, qui desideria sua non ad rationem revocant, cujus certi sunt fines; sed ad vitium & luxum, quorum immensum est, & incomprehensibile arbitrium. Nulla incommoda senties, nec quidpiam tibi deerit quod desideres, si te intra naturalem modum continebis: si modum excesseris, etiam in summis opibus pauper eris. Cupiditati nihil est satis, naturæ pauca sufficiunt.

4. Memento sic in vita versandum esse, ut in convivio. Si quæ epulæ circumferantur, & ad te pervenerint, manu modestè extentâ partem accipito. Si te prætereat qui fert, ne eum detine. Si nondum pervenerit, ne longè appetitum extendas, sed expecta donec accedat. Sic ergà divitias, erga dignitates, & reliqua quæ extra sunt, si affectus fueris, dignus eris Sanctorum convivio, eaque animi securitate fruêris, quæ te omnibus casibus superiorem faciet. Quod si ea quæ oblata fuerint despexeris, & recusaveris; non solum conviva Sanctorum, sed consors eris felicitatis eorum, eamque incipies prægustare in terra, quâ illi in cœlo perfruuntur. Arbitrio tuo potes te beatum facere, si nihil desideres, quod extra te sit. Quis est beatus? qui habet quicquid vult. Habet autem quicquid vult, qui non vult nisi quod potest.

5. Multa fugimus, & abominamur tanquàm noxia, & adversa, quæ verà utilia sunt. Fit enim plerumque, ut spiritui plurimùm prosint, quæ appetitui adversantur. Quæ nocent, docent. Mors, exilium, paupertas, ignominia, labor, ægritudo, & cætera ejusdem generis, quæ in tua potestate non sunt, nec mala sunt, nec pertinent ad te. His itaque non fugam, non abominationem opponere debes, sed conceptæ de illis opinionis neglectum. Hæc omnia Socrates larvas appositè nuncupabat. Nam ut pueris larvæ incutiunt metum, cùm nihil in illis præter externam speciem horribile sit; ita in rebus contingit, quas non ut sunt, sed ut apparent, apprehendere soles. Mors quid est? Larva. Vide quàm dulcis fuerit non solùm sanctis, & eximiâ virtute præditis viris, sed Socrati, & aliis sapientibus Ethnicis. Quid igitur terribile est in morte? Opinio. Timor mortis est horribilis, non ipsa mors. Idem in aliis rebus, quas soles abominari, deprehendes. Corrige opinionem, & nihil invenies, quod debeas abominari, præter peccatum.

## CAPUT XV.

*De Gaudio, & Triſtitia. Qualiter vir bonus gaudere debeat. Non triſtatur qui omnia prævidet. Varia doloris antidota.*

1. ITa gaudere debes, ut in gaudio tuo modeſtia luceat; neque animus ita diſſolvatur, quin poſſis liberè, ſi opus ſit, à lætitia ad mœrorem tranſire. Chriſtus Dominus optimus rerum æſtimator non ridentes beatos vocat, ſed eos qui lugent. Valdè enim dedecet Chriſtianum hominem, qui ſe æterna ſectari profitetur, inter tot juſtiſſimas triſtitiæ cauſſas, ſtultorum more riſu geſtire, & de rebus perituris exultare. Fugit terrena voluptas, & quæ nos gaudia vocamus, ſæpè initia triſtitiæ ſunt. Verum gaudium non niſi ex virtutum conſcientia naſcitur. Non poteſt gaudere niſi juſtus, fortis, & temperans. Ut nunquam deſit animo tuo lætitia, fac ut tibi domi naſcatur. Naſcetur autem, ſi intra te ipſum fuerit. Cæteræ hilaritates leves ſunt: non implent pectus; nec ſemper gaudet, qui ridet. Res ſevera eſt verum gaudium; oritur ex bona conſcientia, & honeſtis conſiliis, & rectis actionibus; ex contemptu voluptatum, & placido illibatæ vitæ tenore. Hæc eſt vera virtutis lex: ut verè gaudeas, diu lugendum.

2. Triſtitia malum præſens vel re ipſa, vel apprehenſione, cum quadam perturbatione & inquietudine, execratur. Solemus autem ut plurimum non rebus, ſed rerum opinionibus cruciari. Noli res indagare quales ſint, non ſervitia, non agros, non nummos, non negotia: conſidera potius, quæ tua de illis opinio ſit. Quòd dedecore afficiaris, quòd ſpolieris pecuniâ, quòd vapules, arbitrii tui non eſt: at rectè de his ſentire, non ea eſſe mala ſed ſæpe utilia, penes te eſt. Nunquam dolebis, ſi à præſenti moleſtia avulſam cogitationem illuc converteris, ubi vera ſunt gaudia. Viro bono nihil accidit mali: non quia non ſentiat ſed quia vincit. Reſpicit enim omnem adverſitatem, ut occaſionem exercendi patientiam, ut inſtrumentum divinæ gratiæ, ut viam ad gloriam in æternum duraturam. Poteſt vir bonus miſer dici, eſſe non poteſt.

3. Quicquid fieri poteſt, quaſi futurum proſpice. Sic omnium malorum impetum mollies: quæ ad præparatos nihil afferunt novi; ſecuris, & omnia proſpera expectantibus, gravia eveniunt. Quid erit, ſi rerum tuarum dimidium auferat caſus; quid ſi omnia? quid ſi ruat domus, comburantur ſegetes, deſerant amici? quid ſi fama periclitetur, & de gradu per calumniam dejiciaris? Morbus, captivitas, ruina, ignis; nihil horum ſapienti repentinum eſt. Futuras ſecum commentatur miſerias, & dolorem, quem alii diu ſuſtinendo, ipſe diu meditando lenit. Cuivis accidere poteſt, quod alicui accidit. Quæ ſunt divitiæ, quas non fames à tergo, & mendicitas ſequantur? Quæ dignitas, quam non ſordes comitentur, & extrema contemptio? Quod regnum, cui non ſit paratum excidium? Nonne gladio carnificis regiam cervicem abſciſſam, idque juſſu ſubditorum, inaudito exemplo, hæc ætas vidit? Nec magnis iſta intervallis diviſa ſunt: horæ momentum intereſt inter opes & egeſtatem, inter aulam & caulam, inter ſolium & ſecurim. Scito ergò, omnem conditionem verſabilem eſſe; & quicquid in ullum incurrit, in te quoque incurrere poſſe. Adverſam fortunam facilè ſuſtinet, qui ſemper expectat.

4. Non ſe exerit virtus, cùm ſecundo curſu vita procedit. Tunc apparet quanta ſit, cùm, quid poſſit, patientia oſtendit. *Spectaculum*, inquit Apoſtolus, *facti ſumus Deo, Angelis, & hominibus*. Ecce autem ſpectaculum dignum, ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum adverſitate compoſitus, de ſe ipſo, & de omni calamitate triumphans. Tranquillum mare, & ventus obſequens, artem gubernatoris non oſtendunt. *Qui non eſt tentatus, quid ſcit?* Dicit aliquis infelicem me, cui hoc acciderit. Imò felicem te; quia licuit tibi te experiri. Potuit enim tale quidpiam cuique accidere; ſed non erat cujuſque ſimilem caſum ſine dolore excipere. Ne itaque in ſiniſtris eventibus te ſubmiſeris: contra potiùs fige ſtabilem gradum; & quicquid oneris ſupra cecidit, ſuſtine. Nam primo impetu fracto, nihil in his horribile eſſe videbis, præter opinionem. Quæ à natura vim habent, eandem ſervant in omnibus: ſed paupertatem, ignominiam, contumelias, & cætera, quæ mala vulgus nuncupat, multi patienter ferunt, multi nec ſentiunt quidem: non ergò naturale eſt, in his mœrore conſumi; ſed à perverſa opinione procedit. Quid tibi ipſi mentiris, Levem omnem calamitatem ferendo facere potes. Levis eſt omnis dolor, ſi nihil ei opinio adjecerit.

Noli

Noli mala tua facere tibi per impatientiam graviora. Tam miser quisque est, quàm se ipse existimat.

5. Omnis ægritudo morâ tandem decrescit; & licet contumaciſſimum dolorem tempus adimit, & enervat. Visne igitur diem operiri, quo luctus te invito desinat; an ipse illi finem imponere? Cur non id consilio præripis, quod allatura est diuturnitas? Quamvis ipse custodias mœrorem tuum, custodienti tamen elabitur. Nulla enim res citiùs in odium venit, quàm tristitia: quæ dum recens est, consolatorem invenit; inveterata deridetur. Quòd si dolore calamitas vincitur, eat omnis inter luctus dies, noctem sine somno mœstitia consumat; ingerantur pectori manus, & sese omni sævitiæ genere profecturus dolor exerceat. Sed si lacrymæ inutiles sunt, si nullo fletu adversitas mitigatur; disce te ipsum regere, & omni adversitati invictâ constantiâ obsiste. Turpis est navigii rector, cui gubernacula fluctus eripuit, qui fluctuantem navim tempestati permisit. At ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare clavum tenentem, & undis reluctantem.

## Caput XVI.

*De Spe, & Desperatione. Quomodo utramque moderari oporteat.*

1. Spes vana, & mendax, & verè somnium vigilantis est, nisi in Deo collocetur, cujus solo nutu omnis difficultas vinci potest. Quid rei futuræ expectatione cruciaris, & in longinqua cogitationes extendis? Nihil sperabis, si nihil cupies, si omnia terrena despicies. Nemo sperat quæ contemnit. Licet te nunquam sperata deceperint, licet non ex difficili petatur quod speras; quam diu te spes aliqua proritat, solicitus eris, & incertus tui, ac in ancipiti positus. Ut pedibus loca invia, & prærupta non petis; ita nec animo ea speranda, quæ in tua potestate non sunt. Omne miseriæ momentum hoc est; defuisse voluntati quod speravit.

2. Sæpe admonendus est animus, ut quæcunque extra te, & circa te sunt, aspiciat ut peritura, tenuique filo pendentia. Quid obliviscéris conditionis tuæ? Mortalis natus es: nihil tibi de hodierna die promittitur, nihil de hac hora. Instat à tergo mors; quicquid habes mutuò accepisti. Usus fructus tuus est, cujus tempora summus omnium Arbiter temperat. Ad ejus nutum, omnia sine querela reddenda sunt. Pessimi est debitoris, creditori convitium facere. Nihil est ergò sub sole, quod debeas, aut possis sperare. Illa tantum vera est spes, quæ de vero, & summo bono rite concipitur.

3. Desperationem causſant inertia, abjectio animi, nimia difficultatum apprehensio, vitiosa sui diffidentia, viriumque & industriæ defectus. Vincitur, excitando animum eorum exemplo, qui etiam in gravioribus angustiis constituti, omnia obstantia generosè superarunt. Incipe, & propelle te ipsum: quia Deus facientes adjuvat; & quod arduum videbatur, facillimum fit, si falsa de illo opinio deponatur. Quicquid accidit tibi, id omne ab æterno destinatum est. Illud autem aut ita evenit, ut natura comparatus es ferre: aut secus; si primum: ne despera, sed fer: sin aliter, nec tunc quidem desperandum: quicquid enim illud est, citò finem & ipsum habebit, & tibi imponet. Leve est, quod ferre potes, breve, quod non potes. Sed memineris, in te situm esse, multa facere tolerabilia; si ea, ut utilia, & convenientia, apprehenderis. Calamitas, virtutis occasio est.

## Caput XVII.

*De Timore. Quàm vanus sit, & qua ratione vincatur. Audacia vitanda. Quædam iterum de Ira.*

1. Magna pars mortalium, cùm nec sit quicquam mali, nec pro certo futurum sit, æstuat tamen, & discurrit, sibique infortunium vel fingit, vel auget. Non tot reperit cruciatus humana crudelitas, quot patitur animus, futuri anxius; qui solicitus est, ne bona præsentia amittat, aut mala imminentia eveniant. Multa mala, quæ non essent, sunt, quia timemus. Quid prodest tibi ante tempus cruciari, & inani providentiâ occurrere ærumnis tuis? An ideo oportet te jam miserum esse, quia quandoque futurus es? Stultum est, dare se referentibus, nullisque apparentibus signis, quæ malum prænuntient, falsis terreri imaginibus. Sæpe fallaci conjecturâ deceptus, verbum dubiæ significationis detorques in pejus. Sæpe potentis offensam majorem putas, quàm revera sit; & cogitas, non quantùm iratus

sis

sit ille, sed quantùm liceat irato. Vani autem sunt hi metus; & ideo magis perturbant, quia vani sunt. Vera enim modum suum habent: quicquid ex incerto venit, conjecturæ & licentiæ paventis animi traditur. Patiùm differt patiaris adversa, an expectes; nisi quod modus est dolendi, non est timendi. Doles quantùm scis accidisse; times quantùm potest accidere.

2. Si vis omnem timorem exuere, quicquid vereris ne eveniat, eventurum propone, & illud malum tecum metire, metumque tuum taxa: intelliges profectò, non re ipsâ, sed opinione magnum esse quod metuis. Num potest aliquid tibi durius accidere, quàm ut mittaris in exilium, ut ducaris in carcerem? Num quidpiam corpori ultrà timendum est, quàm ne uratur, & pereat? Excute singula ista, & redige ad verum timorem tuum: multos invenies, etiam infideles, qui hæc omnia contempserunt. Stephanus inter lapides pacato animo Deum precatur: Laurentius in flammis exultat, & insultat tyranno: se ultro projicit in succensum rogum Apollonia Virgo. Ridet ferreis malleis contusus in pila Anaxarchus: Socrates cicutæ poculum gaudens exhaurit, & Critiæ propinat. Quid ignes metuis, & turbam carnificum circa te frementium? sub ista pompa, quæ stultos territat, latet mors, quam tot pueri, tot puellæ læto animo amplexi sunt. Deme rebus tumultum, deme personam, redde singulis faciem suam: nihil in illis terribile esse videbis, præter ipsum timorem. Id nobis evenit grandioribus pueris, quod parvulis solet. Hi quos amant, quibus assueverunt, cum quibus ludunt, si personatos vident, expavescunt. Tu verò pueris deterior, ad tantam ineptiam perveniisti, ut non solum dolore, sed doloris larvâ & panico terrore vexeris.

3. Abduc animum à privatâ causâ ad communem. Dic, mortale tibi & fragile corpusculum esse, multisque morbis, ac tandem morti obnoxium. Dic tibi ipsi: Jam pridem sciebam, multa mihi adversa imminere. Quid nunc ergò timeo? Ægrotabo? Proderit ad animæ salutem corporis ægritudo. Ad paupertatem redigar? Tutior mihi & tranquillior vita erit. Opes amittam? & cum illis curas multas, periculumque perpetuum. Ignominiâ afficiar? si justa, ejus caussam execrabor: si injusta, meâ me conscientiâ consolabor. Repulsam speratæ rei patiar? Nec Reges quidem omnia quæ cupiunt assequuntur. In exilium mittar? Sponte ibo, eritque peregrinatio. Cæcus fiam? Multis cupiditatibus via incidetur. Malè de me loquentur homines? Facient quod mereor, quod solent. Moriar? Hac conditione intravi, ut exirem. Sed peregrè moriar? Nulla terra est aliena non habenti hìc permanentem civitatem. Moriar ante diem? Nemo nisi amens queritur, ante tempus absolvi vinculis, & carcere relaxari. Mors, exilium, luctus non sunt supplicia metuenda; sed tributa nostræ mortalitatis. Stultum est ea timere, quæ vitare non potes.

4. Fuge audaciam, nihilque temere ultra vires aggredere: nemo enim celeriùs opprimitur, quàm qui nimiùm de se præsumit. Exiguæ sunt vires nostræ sine Dei præsidio, à quo omnis sufficientia, omne robur emanat. Oritur audacia à propriæ virtutis nimiâ existimatione, à contemptu adversariorum, à præcipiti ingenio, rebusque gerendis minus exercitato. Plus metuit, qui prudentior est: nam vires proprias metitur, solerter prospiciens quid valeant, quid ferre recusent. Audaces, cùm graviora, quàm antè conceperant, experti pericula fuerint, effuso primo impetu subsidunt & torpent, serò agnoscentes, quàm sint incertæ hominum providentiæ, quàm vanæ cogitationes. Initium est futuræ calamitatis incauta securitas.

5. Nunquam tibi dominabitur ira, si opinionem existimatæ injuriæ tollas. Tu ipse dux flagitiorum tibi es, & incensor criminum: tu mala omnia tibi struis. Quid caussam tuarum perturbationum in alios derivas, si tu te impellis & præcipitas? Nemo læditur nisi à se ipso. Quod dicunt pueris nutrices, Si non plores, accipies; id tu rectiùs dices animo tuo effervescenti: Noli irasci, noli urgere & clamare; rectiùs fiet quod volebas. Dies quosdam institue, quibus proponas in iram nunquàm incidere quacunque ex caussa: tum per unum vel duos menses eâdem ratione te experire; invenies successu temporis te adeò profeciisse, ut ad risum te provocent, quæ priùs iratum è statu mentis dejiciebant. Placidi mores nemini eorum, cum quibus vivitur, ita sunt grati, & jucundi, ut ei ipsi, qui præditus illis est. Hoc boni habet pacatus animus; semper gaudet, semper triumphat.

## CAPUT XVIII.

*De Potentiis animæ rationalis. Continendus intellectus à curiositate. Cui potissimùm scientiæ incumbendum. Quàm malum sit, aliorum mores disquirere. Aliorum judicia spernenda. De voluntatis abnegatione.*

1. DAta est tibi à Deo intelligendi faculeas, ut ipsum agnosceres, & cognoscendo amares; sed per peccatum duplici vulnere saucia est, ignorantiâ & cæcitate. Nam & in notione veritatis erras; & quid sit faciendum, vel fugiendum, plerumque ignoras. Quantâ ergò diligentiâ vel urbs in grassantis pestilentiæ metu, vel arx ab hostili exercitu obsessa custoditur, ne quis non planè cognitus intùs obrepat; tantâ est curâ, multoque majori vigilandum, ne intellectus malæ rei, sibi à sensibus objectæ, aditum patefaciat. Rerum enim species sensus objiciunt, intellectus admittit, & ad judicium defert; hoc voluntati proponit. Sed sensus offerunt bona & mala: mentis est, vel admittere, vel excludere.

2. Inprimis continendus est intellectus à curiositate. Cur per inania distrahis mentem, solidæ sapientiæ & Deo natam? Res frugi sapientia est. Sicut qui gustat aconitum, ut qualitatem ejus scrutetur, priùs perit, quàm saporem sentiat; sic qui ea rimantur, quæ ad se non spectant, priùs se ipsos pessumdant, quam cognoverint quod quærebant. Scire quod non prodest, proximum est ignorantiæ. Qui verè sapiens esse cupit, non opinioni discit, sed vitæ: nec quærit in scientia oblectamentum animi, sed remedium. Nôsse gaudes stellarum vires? Inepties postquàm sciveris, si ignores infirmitatem tuam. Vis ornatè & eleganter loqui? Satius est, si discas tacere. Scire nova cupis? Quid magis novum, quàm renovare te ipsum? Hoc disce. Errores alienos libet confutare? Cur non corrigis tuos? Juvat percurrere historias, & scire aliorum facta. Benè, si interim non ignores, quæ à te sunt facienda. Placita litigantium concordare delectat? Cur non & tuos affectus tumultuantes? Nisi quæreres supervacua, facilè invenires necessaria. Scientia autem necessaria illa est, quæ te bonum potiùs, quàm doctum facit.

3. Quid in iis quæstionibus te torques & maceras, quas subtiliùs sæpè est contempsisse, quàm solvere? Cur pertinaci studio laboras, ut ea discas, quæ forent dediscenda, si scires? sed ut aliarum rerum, sic quoque litterarum intemperantia nos vexat. Nullus librorum est finis. Instruuntur Bibliothecæ ad spectaculum potiùs & ornatum, quàm ad usum legentium. Vix librorum editorum indices totâ vitâ legere poteris, quamvis multos vixeris annos. Inter hos multi sunt noxii & pernicioſi: multi indigni, qui legantur: multi vani & imperiti; quos cùm diu perlegeris, nihil scies. Plures quidem à limine salutare tibi permittitur, ne aliquid in ipsis latere judices magni & secreti boni; sed paucis, & cum delectu, insistendum. Paucis ad bonam mentem libris & litteris indigemus.

4. O inanes mortalium cogitationes! Impalescimus chartis, & per innumeras artes ac scientias ingenium extendimus, quasi nobis per multa sæcula vivendum sit: vitæ verò sempiternæ curam negligimus, quæ non scientiis, sed virtutibus comparatur. Quid prodest acta externorum Regum inquirere; & quæ passi invicem, ausique sunt populi, magnis voluminibus describere? Quantò satius foret, tua mala extinguere, quam aliena posteris tradere? docet te Geometria metiri latifundia: doceat potius, quomodò, quod tibi sufficiat, metiaris. Numerare docet Arithmetica, & avaritiæ commodare digitos: doceat potiùs ea spernere & læto animo amittere, quæ tantâ solicitudine computantur. Monstrat Musica, quomodò voces inter se consonent: ostendat potiùs, quomodo secùm mens concordet; nec disparem reddant sonum sensus, & ratio. Monstrat, qui sint modi hilares, qui flebiles: ostendat, inter prospera non extolli, inter adversa non emittere flebilem vocem. Non damno harum rerum cognitionem; sed hæc & alia utiliter scies, postquàm sciveris te ipsum, & novissima tua. Nihil scis, quamvis omnia scias, si te ipsum ignoras.

5. Infame vitium ac sordidissimum est, aliena facta observare, mores disquirere, & omnia temerè interpretari. Quis enim es tu, qui alienum judicas servum? *Domino suo stat, aut cadit.* Ipse est, qui judicat omnes, qui omne sibi judicium reservavit. Quâ audaciâ divinum tribunal præsumis invadere? Attende tibi, & latebras conscientiæ tuæ perserutare. Vide ibi mala quæ insunt, bona quæ desunt, & noli oculos ad aliorum vitam convertere. Satis uberem malorum copiam in te reperies, quam acriori censurâ

perstringas. Vix quidpiam justè fit, quod non possit pravum ingenium in malum detorquere. Ipsis Evangeliis abutuntur hæretici: Christi actiones calumniabantur Hebræi. Ut corpora melancholica & mali humoris, quicquid cibi sumpserint, in bilem vertunt; sic anima malè dispositа quicquid videt, quicquid audit, perperam interpretatur. Bona vel mala intentio sæpè res bonas vel malas facit: hæc autem soli Deo nota est, qui scrutatur renes, & corda. Quod si factum alienum nullâ potest ratione defendi; quid ad te? Non erubescis, fœdissima quæque quasi è latibulis educere, ac publicè spectanda proferre? Cur non te ipsum observas, qui cæteris deterior es? In te exerce maledicentiam tuam: de te ipso tecum detrahe: accusa pravitatem tuam: & te ipsum dijudica. Dei enim judicium evades, si tui judex severus fueris.

6. Ut ingeniosi in notandis aliorum factis plerique sumus, indè nobis prudentiæ famam perquirentes; ita facilè suspicamur, alios de nobis malè sentire, vel loqui; nos illis odiosos esse & despicatos. Hoc vitium ut repellas, temperanda primò cupiditas est, quâ hominibus placere, & magni ab illis æstimari desideras. Tum danda est opera, ut vel ipsam cogitationem abjicias, sciendi quid alii de te sentiant, vel loquantur; cùm præsertim sæpè contingat, eos nec quidem de te cogitare, quos fingis perperam de te loqui, & te observare. Dic tibi cum Apostolo: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Dic ad alios: *Mihi pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Talis reverà es, qualis es apud Deum. Sensus & loquela hominum nihil adjicit bonitati tuæ; nihil detrahit de malitia. Melius est, bonum esse, quàm videri.

7. Nihil tuæ voluntati contrarium eveniet, si eam penitus abnegaveris, & transfuderis in divinam. Sic mentis solidâ pace, sic verâ tranquillitate perfrueris. Vives ut voles, si, quid velle debeas, didiceris. Debes autem velle, quod Deus vult. Hæc est unica vitæ hujus felicitas, velle, ut, quæ fiunt, ita fiant, sicut vult Deus, non ut volumus ipsi. Ducit te Deus ad finem, ad quem ab æterno destinatus es, per suavia & aspera, per prospera & adversa. Obsequere divinæ providentiæ, & sequere alacriter: nam etsi repugnaveris, sequeris nihilominus, & impius eris. Ducit volentem Deus, nolentem trahit.

## Caput XIX.

*De statu proficientium. Varia profectus adjumenta. Temporis æstimatio, & usus. Dei præsentia necessaria.*

1. SI bonus esse cupis, primùm credito, te malum esse. Nunquam proficies, si proficiendi deposueris appetitum. Nolle proficere, deficere est. Persevera igitur, ut cœpisti; & quantùm potes propera, quò citius frui emendato animo, & composito possis. Argumentum animi in melius translati est, si vitia tua vides, quæ adhuc ignorabas. Sic ægris gratulari solemus, cùm se ægros esse senserunt. Noli facilè tibi credere; sed excute te, & observa, tuique profectus experimentum cape animi firmitate, & cupiditatum diminutione. In proficientium classe te esse existimabis, cùm in te ipsum maximam habueris potestatem. Inæstimabile bonum est, se possidere, & unum esse. Vir probus semper idem, improbus semper alius est.

2. Potes, si vis, unâ die ad culmen sanctitatis pervenire, si toto corde aversus à creaturis, ad Deum convertaris. An verò vitam intus cum Deo agas, ex his signis deprehendes. Si tibi displiceant res transitoriæ, si placeat solitudo, si cures quod perfectius est, si opiniones & judicia hominum spernas. Magnum verò adjumentum ad omnem virtutem præbebit tibi vitæ & passionis Christi assidua meditatio. Ipse est liber vitæ, in quo solo, velut in divite ac instructissima bibliotheca, reperies, quidquid pertinet ad salutem, etsi omnes libri cum suis auctoribus interirent. Non tamen sufficit Christum scire & meditari, nisi etiam imiteris; atque ita vivas, sicut ipse docuit verbo, & exemplo. Nisi ad regulam prava non corriges.

3. Præclarè à quodam dictum est; eos qui proficere velint, ita vivere debere, ut perpetuò curentur. Multa enim sunt jugiter observanda, quæ ad arcem virtutis properanti moram injiciunt. Cùm nimirùm amore inordinato vel te ipsum, vel aliquam creaturam prosequeris: cùm rebus externis ita afficeris, ut, si eas auferri, vel amitti contingat, iniquo animo laturus sis: cùm propriis commodis nimiùm studes in cibo, potu, colloquiis, evagationibus: cùm temporalibus te nimiùm immergis, tuoque judicio ac voluntati pertinaciter adhæres; cùm motus internos minimè

nimè obsérvas, Deumque intus loquentem per secretas inspirationes, audire contemnis. Hæc sunt præcipua impedimenta, te in via detinentia; quæ ut removeas sedulò vigilabis, & te operi viriliter accinges. Animet virtus quicquid agis; animet finis perfectissimus, cum promptitudine & alacritate: animet pura intentio: atque ita operi insiste, ut prænotioni, quam habes de ejusdem perfectione, penitùs adæquetur. Non consistit profectus in multitudine exercitiorum; sed in his, quæ quotidiè fiunt, perfectè obeundis. Non enim in facto laus est; sed in modo, quo res fit.

4. Volant dies, festinat tempus; & quod præteritum est, nemo tibi restituere potest. Non vivis, sed victurus es: semper enim vita tua spectat in crastinum. Sic elabitur tibi vita, dum vitæ instrumenta conquiris: & interim senectus venit; venit mors, in quam incidis imparatus. Sicut iter facientes, quos mutua decipit confabulatio, se prius ad metam perveniſse, quàm appropinquasse cognoscunt: ita hoc vitæ iter assiduum, quod vigilans & dormiens eodem gradu peragis, tibi occupato & distracto non nisi in fine apparebit. Quid igitur cunctaris, quid cessas? Pretium tempori pone, utere eò celeriter: æstima hunc diem, imò hanc horam; ejus enim jactura irreparabilis est. Prædia tua à nemine pateris occupari: si exigua de finibus contentio sit, ad lites & ad arma discurris: vitam verò & tempus tibi eripi à quocunque permittis, ejus rei profusissimus, cujus solius avaritia honesta est. Computa ætatem tuam, revoca ad calculum præteritos annos; quamvis centesimum excedas, videbis te pauciores habere, quam numeras. Quantum enim ex his diripuerunt somnus, gula, lites, amici, & otiosa discursatio? adjice quod sine usu jacuit, quod nihil agenti, aliudque agenti elapsum est, te non sentiente quid perderes; intelliges, quàm exiguum tibi de tuo relictum sit, & te immaturum mori fateberis. Sæpe quereris de transactis diebus, quos malè perdidisti: cur non eniteris sic præsens tempus transigere, ut eo elapso dicere possis: Non video, quo pacto illud melius potuerim collocare? Singuli tantùm dies, & hi per momenta præsentes sunt. Cur hodiernum perdis, quod tuum est: & futurum disponis, quod tuum non est? Maximum vivendi impedimentum est dilatio. Vive hodie; cras vivere serum est.

5. Deum semper in omni cogitatione, verbo, & opere, quocunque alio fine excluso, respice: & unicam ejus voluntatem sectare. Nunquam à recto tramite deviat, qui Deum sibi viæ ductorem proponit. Bono loco res tuæ erunt, si omnia quæcunque facis ad Dei gloriam dirigas; atque ita singula facias, ac si ipse spectet, qui videt omnia, omnia sustentat, omnibus providet. Ejus obtutum nunquàm effugies: interest enim non verbis tantùm & factis, sed intimis cogitationibus tuis. Cùm fores obduxeris, & tenebras intus feceris, ne putes te solum esse; tecum Deus est, qui secretum tuum facere sanctius debet, cui nihil clausum est. In ipso vivimus, movemur, & sumus. Coràm illo comede & bibe, cum illo ambula, cum eo tracta negotia tua, ad ipsum erige vitam tuam. Fac te dignum, in quem oculos figat, quem semper amabiliter spectet. Magna tibi necessitas indicta est probitatis, cùm ante oculos agis Judicis cuncta cernentis. Sic vive, ac si nemo in mundo sit, præter te solum & Deum. Quicquid ejus providentia de te disposuerit, libens amplectere, sive prosperum illud fuerit, sive adversum. Deum quæris: hâc, an illâ viâ ad ipsum pervenias, quid refert? Atque utinam aliquandò pervenias!

## Caput XX.

*De bono solitudinis. Fugienda malorum societas. Mundi vitia quot & quæ sint. Studium proficientis, acquisitio virtutum. Signa quædam obtentæ virtutis.*

1. Ingens argumentum est compositæ mentis, & à pravis affectionibus emendatæ, secum posse consistere. Sicut Deus, se solo beatus, in se semper moratur; ita ad Dei felicitatem proximè accedes, si tecum manere didiceris. Et quidem si volueris, nunquam eris solitarius, si nunquam à Christo separeris. Quod si loquendi te corripit cacoëthes, tecum loquere; sed cave, ne cum malo homine loquaris. Vis autem scire, quid tecum colloqui possis? Id quod homines de aliis libentissimè faciunt: de te apud te malè loquere. Produc vitia tua, & castiga quicquid in te animadversione dignum repereris. Nunquam deerit aliquod vitium, cui curatio adhibenda sit. Absconde te in otio; sed & otium tuum absconde. Gloriari solitudine iners ambitio est. Corporali autem solitudine internam junge, ut grata tibi atque utilis sit. Subduc te vanis occupationibus; nec ab hominibus tantùm,

sed à rebus etiam secede, quæ ad te non spectant. Esto liber ab omni creatura; & à corde tuo earum imagines exclude. Abjice omnes caducarum rerum solicitudines, omnes cogitationum ineptias; & in abdito cordis recessu tibi soli, & Deo attende. In hoc mentis silentio, in hac rerum omnium oblivione & nuditate, vera cordis requies, vera tranquillitas sita est. Huc fuge, hic abscondere, huc semper intende: ibi enim reperitur Deus, ubi omnes creaturæ deseruntur.

2. Si vis bonus esse, fuge malorum consortium. Nihil tam damnosum bonis moribus, quam se populo committere. Nunquam mores, quos intulisti, referes. Animus tener & parùm tenax recti, vitiorum impetum, tam magno comitatu venientium, ferre non potest. Facile transitur ad plures. Convictor delicatus paullatim enervat & emollit: vicinus dives cupiditatem irritat. Unico exemplo luxuriæ, seu avaritiæ, perire potes. Trahunt in pravum parentes, trahunt socii, trahunt servi. Plena omnia periculis, plena sunt laqueis. Statim ac editi in lucem sùmus, in omni continuò pravitate, & in summâ opinionum perversitate versamur. Vix ullus in mundo est, qui non aliquod vitium aut commendet, aut imprimat, aut nescienti allinat. Continebis te aliquando inter domesticos lares, extra forum & commercium hominum: proh quàm suavi & optatâ fugâ! Omnia intùs serena, omnia tranquilla, sine nube & vento. Accedit casu qui te evocet; sequeris. Conjungunt se alii, fit corona, venitur ad turbam, peccatur multiplici excessu; & qui bonus exieras, pessimus regrederis. Vulnera autem animæ non deprehendis, nisi iterum solitarius. Recede ergò in te ipsum, quantùm potes; ne suis erroribus mentem imbuat omnis undique ad vitia consentiens multitudo. Lætior est animus, qui in pauciora distringitur.

3. Crede te paullisper in celsi montis verticem subduci: speculare inde miserrimam mundi faciem. Hinc discès ipsum odisse, & ab eo in solitudinem elongari. Cernes itinera à latronibus claudi, maria à prædonibus obsideri, fremere undique bella, & humano cruore madescere campos, abruptoque fræno vitia ubique & scelera dominari. Videbis in occulto penetrali ab impudicis ea fieri, quæ nec ipsis quidem possunt placere qui faciunt. Invenies tam indigna, tam indecora; ut nemo dubitaturus sit eos insanire, si cum paucioribus insanirent: sed sanitatis patrocinium est insanientium turba. Inter leges ipsas delinquitur; nec tuta illic est innocentia, ubi defenditur. Perit innocens, absolvitur reus: minùsque crimine, quam absolutione peccatur. Nullus legum metus est: quod enim potest redimi, non timetur. Amaræ sunt obloquentium linguæ, subdola ora laudantium: indè sævit odium, hinc decipit mendax officium. Alius vino madet, alius torpet inertiâ. Illum insatiabilis avaritia tenet; hunc defatigat ex alienis judiciis suspensa semper ambitio. Respice forum multitudine refertum: tantumdem istic vitiorum esse fateberis, quot hominum. Peccant omnes injuriis in proximum; in Deum contemptu, in res abusu: omnia in suum congregant judicium, omnium rei. Et quomodò tutum servare vestigium, vel ad te recurrere poteris, inter tot vitia omni ex parte urgentia, quæ resurgere cupientem, & in altum attollere oculos, premunt, & mergunt? Innoxium aliquem esse, ubi regnant nocentium agmina, difficile est: nam si te immutare non poterunt, saltem impedient. Una est firma tranquillitas, tot te malis exeerpere, & in eam recedere stationem, è qua possis mundi luem ab omni contagio liber intueri. Insuperabilis est animus, qui externa deseruit, & sibi soli vacans arce suâ se vendicat. Huic mundus carcer est, & solitudo paradisus.

4. Vanum est ab hominibus secedere, nisi cogas animum intentum sibi esse, & virtutum exercitationi solerter incumbere. Nullum homini bonum est, si desit virtus; nulla quies, nulla felicitas nisi ex virtute. Tria sunt, quæ sibi mutuo in Universo respondent. Inter omnia & super omnia Deus; inter sensibilia lux, inter animi perfectiones virtus. Deus est lux & virtus omnium: lux, virtus mundi & imago Dei: virtus, lux animi, per quam filii Dei nominamur & sumùs. Ad hanc purgato animo accedere debes, si ad optatum perfectionis culmen pervenire desideras. Virtus enim perfectio hominis est, instauratrix innocentiæ, omni plena jucunditate. Est supplementum naturæ, ad bonum supernaturale ex se ineptæ. Est facilitas boni operis, quâ rectè vivimus, quâ velut cæci illuminamur, quâ peccatis resistimus, quâ meritis cumulamur, quâ vitam æternam promeremur. In hoc studio necessarium tibi primò est, cujusque virtutis naturam & actus præscire; quia nemo amat quod ignorat. Tum ab actu & exercitatione nunquam cessandum: & si desint occasiones, milites imitari oportet, qui in mediâ pace sine hoste decurrunt, fictisque velitationibus se ad vera certamina parant.

parant. Finge tibi ingentia quæque scelera objici: puta te contumeliis proscindi, omnia quæ possides à te violenter auferri; & sic patientiam exerce, ac si res vera ageretur. Non trepidabis in ipsâ re, si ante rem te ita exercueris. Magnos ad pugnam spiritus adfert miles, qui sanguinem sæpe sudit.

5. Virtutum habitus non nisi longâ exercitatione comparantur. An verò aliquam ex illis obtinueris, ex his indiciis dignosces. Si nimirum vitia virtuti opposita extincta sentias, aut magnâ ex parte compressa. Si pravarum affectionum motus sub fræno rationis legem pati, ac menti parere facilè compellas. Si actus virtutis absque difficultate, imò etiam cum delectatione exerceas. Si tepidorum dicta contemnas, plenaque spiritûs libertate ad ea præstanda te exeras, quæ displicent imperfectis. Si pravos actus, ad quos anteà per habitum inclinabaris, connaturali quodam fastidio abomineris. Si neque per somnium re aliqua turpi delectari, aut quidpiam injustum approbare videaris. Si ea satagas imitari, quæ in aliis laudas & admiraris; atque ab illis abstineas, quæ reprehendis. Si nullam culpam exiguam putes; omnemque imperfectionem, quantumvis minimam, studiosè vites, & observes. Si cùm vides vel audis, æquales tuos divitiis aut dignitatibus florere; nec invideas, nec perturberis. Si errores tuos ingenuè fatearis, cupiens ab omnibus corrigi & reprehendi. Si conscientiæ testimonio contentus, bona opera in te ipso serves, & abscondas: rectè enim facti fecisse præmium est. Si studio denique virtutis sine intermissione incumbas: nam vera virtus nunquam torpet, sed semper in actu est.

## Caput XXI.

*De virtutibus Theologicis. Fides operibus comprobanda. In solo Deo ponenda fiducia. Motiva amoris erga Deum. Amor proximi beneficiis ostenditur. Hortatio ad eleemosynam.*

1. Basis cæterarum virtutum & totius Christianæ vitæ fundamentum est fides; sine quâ nemo potest placere Deo. Hæc est sapientia, quæ domuit orbem; cui firmiter adhærendum, omni disquisitione & curiositate rejectâ. Crede autem, & operare: quia fides sine operibus mortua est. Sermo tuus, & professio tua jactitant fidem: cave, ne vita & mores prædicent infidelitatem. Credis Evangelium: cur non obedis Evangelio? Credis vitam æternam: cur brevissimum tempus interminabili præfers æternitati? Quid prodest credere vera & bona, si tu falsus es; & mala operaris? Vix fieri potest, ut benè credat, qui malè vivit: ille enim verè credit, qui exercet operando quod credit.

2. Cùm certissimum sit, Dei providentiâ omnia disponi, & gubernari, adeò ut nec passer de cœlo, nec folium ex arbore cadat absque ejus nutu & voluntate; ipsi te totum trade excelso animo, & ingenti fiduciâ, nihil dubitans, quin opportunum ad res omnes auxilium sis habiturus. Scito, omnia humana consilia atque præsidia fallacia & incerta esse; teque regi & agi absque ulla anxietate à Deo sinas. Et si res accidant inopinatæ, quibus actionum tuarum & consiliorum tota series turbari & præcidi videatur, vel morbis, vel falsis criminationibus, aliisque casibus gravioribus; ne despondeas animum, sed spe divinâ munitus, ejus te regimini subjice: nam per hos casus, per hæc discrimina, ad illum finem te divina Sapientia perducit, quem tibi ab æterno destinavit. Non sentit malum præsens, qui futura sperat bona. Tantum potest homo, tantum habet, quantum sperat, & credit.

3. Charitas omnium virtutum forma & Regina, & Deum respicit, & proximum. Et Deus quidem ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, super omnia amabilis diligendus est, purè propter se, & suam infinitam bonitatem. Quod es, quod vivis, quod moveris, quod sentis, quod intelligis, Dei gratia est. Ipse te à servitute diaboli redemit: ipse animam tuam innumeris prærogativis nobilitavit: ipse tibi vitam æternam, nullis præcedentibus meritis, præparavit. Cœlum, terra, aër, aqua, & omnia quæ in eis sunt, magnis vocibus quotidiè clamant, ut summo cum amore prosequaris, à quo propter te creata sunt. Cur per multa vagaris, quærendo bona animæ tuæ? Ama unum bonum, quod est omne bonum. Quære simplex bonum, quod est summum bonum; quo nihil majus, nihil amabilius potest excogitari. Solus amor est, quo mutuam Creatori vicem, quamvis non ex æquo, rependere potes. Amor autem non est otiosus; non quærit quæ sua sunt: operatur magna, si est. Nulla amori impervia difficultas. Verus amator mori potest, vinci non potest.

4. Natura omnibus amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit: omnes enim homines magni corporis membra sumus, ad eamdem fidem & gloriam vocati. Non amat Deum, qui non diligit fratrem suum. Actus verò dilectionis erga proximum sunt, beneficia omnibus conferre, omnibus prodesse, omnes obsequio & amore prævenire. Beneficia autem læto animo & prompto indigentibus conferes, nullâ intercedente morâ, nisi in accipientis verecundiâ Sufficiat ad remedium tristius quidpiam passis, quòd eorum indigentiam scias. Molestum verbum, & onerosum est, Rogo. Si amici desiderium occupas, & antecedis, antequam rogeris; multiplicas munus tuum. Non tulit gratis, qui, cùm rogâsset, accepit. Si prævenire non potuisti, plura rogantis verba intercide, ne rogatus videaris; téque daturum, ipsâ festinatione approba, etiamsi non fuisses interpellatus. Tum bona verba bonis rebus adjice; nec quidquam triste misceas beneficio, non mœstitiam, non tarditatem, non exprobrationem, non denique jactantiam. Res ipsa te silente loquetur; & qui videt in absconditо, reddet tibi.

5. Inter actus Christianæ beneficentiæ præcipuum tenet locum eleemosyna; quâ fides probatur, redimuntur peccata, emitur cœlum. Cave ergò, ne despicias pauperem, qui cùm sibi egenus sit, te facere divitem potest. Peccatis tuis venundatus es, redime te pecuniâ tuâ: fac de instrumento avaritiæ, subsidium misericordiæ. Histrio te ad risum provocans, plenus à te recedit; Christus offerens regnum cœlorum, nihil accipiet? Tributa Principi vel invitus solvis, etsi ex agris nihil perceperis; Christo Regi ex eo, quod superabundat, frustum panis denegabis? Cave, ne parcens pecuniis tuis, reus sis sanguinis fratris tui. Si non pavisti, occidisti. Cogitas, quàm benè alii post te vivant; non cogitas, quàm malè tu moriaris. Satius est deesse aliquid hæredibus tuis de patrimonio, quam tibi de salute. Inspice rationes tuas. Vide, quid in æterna patria, quid hic possideas. Ex omnibus rebus tuis id solùm in morte reperies, quod per manus pauperum in cœlum præmisisti. Argue infidelitatem tuam. Invadere domum hostis potest, cœlum non potest.

## CAPUT XXII.

*De Prudentia. Ejus necessitas, & difficultas. Officium viri prudentis.*

1. UT architectis nullum opus rectè procedit sine linea, & libella; ita nec nobis sine prudentia. Hæc norma cæterarum virtutum est, recta ratio agendorum, oculus animæ, & ars vivendi. Non potest esse jucunda vita, à qua absit prudentia. Hanc artem difficillimam esse omnes fatentur. Sed & obscura est. Oritur ex eo difficultas; quod intrà considerationis suæ ambitum res omnes tam universas, quàm singulares complectatur: ac deinde, quod nullus sit certus status rerum humanarum; quæ cùm sint variæ semper & contingentes, atque à diversis pendeant circumstantiis, non est cujusque ingenii, certam in illis statuere normam, & quæ non rarò repugnantia sunt, certo quodam temperamento conjungere, & miscere. Obscuritatem verò adfert caligo illa, quâ rerum gerendarum causæ involvuntur. Apparent quidem earum fastigia; sed latent fundamenta. Latet etiam divinum decretum, de prospero vel infelici rerum eventu: undè fit, ut paucorum sit ista virtus. Pauci possunt quid magis expediat in quovis negotio prævidere.

2. Prudentiam gignunt usus, & memoria. Res enim singulares, quas illa regit, notæ homini fiunt per usus, & experientiam. Tutus eris, si tuo, & alieno credideris experimento; nec altiori rei te impones, in qua tibi tremendum, & unde cadendum sit. Ut verò omnia prudenter disponas, inspicere primùm debes te ipsum; deinde negotia quæ aggrederis; tum eos, quorum causa, vel cum quibus agendum est. Et te ipsum quidem accuratè æstimabis, ne plus quàm potes tibi posse videaris. Aliquis eloquentiæ fiduciâ prolapsus est: quidam patrimonio suo plus imperavit quàm ferre queat: alius infirmum corpus laborioso oppressit officio. Æstimanda sunt posteà quæ aggrederis; & vires tuæ cum rebus agendis comparandæ. Opprimunt onera, quæ ferente majora sunt. His quoque admovenda manus, quorum finem aut facere aut certè sperare possis. Hominum deinde delectus habendus est, an digni sint quibus partem vitæ tuæ impendas: eorum mores examinandi, ne tibi noceas, dum aliis prodesse studes. Denique considerandum est, utrùm naturâ tua rebus hujusmodi

agendis

agendis idonea sit; & eò inclinandum, quò te vis ingenii defert. Reluctante naturâ irritus labor est.

3. Vir prudens nihil aggreditur, quamdiù aliquâ perturbatione agitatur: non enim potest verum & honestum discernere concussa mens, & pravæ affectionis præstigiis delusa. Multum item prudentiæ adversatur præcipitatio, quæ in graves ac inextricabiles casus plerosque induxit. Quare prudens nil temere agit, propriumque judicium alieno consilio subjicit. Timidæ sunt hominum cogitationes, incertæ providentiæ, rerum exitus dubii, fallaces experientiæ. Ibi salus, ubi multa consilia. Spectat quoque ad prudentem, rem denudare? & acutè introspicere, sine fuco & integumentis, quæ decipere incautos solent. Sepone pecuniam, famam, dignitatem: intus rem ipsam scrutare: quære quid sit, non quid vocetur. Stultum est, simulacris & umbris falli. Tum debes veluti ex specula quicquid evenire potest explorare; ne stultum illud quandoque dicendum sit: Non putaram. Ad id longa consultatio adhibenda, maturumque judicium, & subtile examen; ne prava aliqua circumstantia actionem vitiet, ne prudentia degeneret in astutiam & calliditatem, & ne in tanta veri ac fucati boni vicinia vitium pro virtute amplectaris. Peractâ denique electione, omnem præcide moram, statimque exequere quod decrevisti. Nullus cunctationi locus est in bono consilio; quod non potest laudari, nisi peractum.

## Caput XXIII.

*De Justitia, & Religione. Actus utriusque. Quid sit pœnitentia, & in quo consistat.*

1. Justitia suprema virtus, aliis nata non sibi, quicquid habet transfundit in proximos, nihil petens ex se, nisi usum sui. Hæc homines à mutuis injuriis avertit, & mundum universum in pace constituit. Hæc tacita quædam naturæ conventio est, & vinculum societatis humanæ; nec quidquam sine illa laudabile esse potest. Vir justus neminem lædit, alienum non vendicat, omnibus prodest, benè de omnibus sentit & loquitur, dat unicuique quod suum est, non impedit alterius bonum. Si præsit, justa præcipit, omnibus patet, propriisque utilitatibus subditorum commoda præfert: pœnis vitia coërcet, præmia bonis largitur, & sic omnes continet in officio. Si subsit, servat concordiam, legibus paret, & jussis majorum, suoque statu contentus officia & dignitates non appetit, nec se rebus ingerit quæ ad se non spectant. Gratis autem justitiam colit; quia justæ actionis nullum majus præmium existimat, quàm justum esse.

2. Religio moralium virtutum præstantissima, Deum immediatè respicit, ejusque cultum & honorem. Primus autem cultus est, ipsum credere & cognoscere: deindè, reddere illi majestatem suam, reddere bonitatem. Parùm est nosse Deum, quod & dæmones faciunt, qui oderunt: amor insuper & cultus exigitur, his ex rebus constans; quæ utinam tam benè implerentur, quàm sciuntur! Scis, Deum illum esse, qui præsidet mundo; qui humani generis tutelam gerit, qui universa moderatur. Ipsum solum potentem, solum bonum, solum altissimum confiteris: ab eò tanquam à summo bono, & tuo ultimo fine, perpetuam beatitudinem expectas. Cur non igitur, ut par est, eum colis? cur non summam ei exhibes venerationem? cur vilissimam terræ glebulam ei præfers? Vana est religio tua, nisi factis comprobetur. Vis verè religiosus esse? Ambula coram Deo, & esto perfectus. Satis eum colit, qui imitatur. Vera Religio te Deo religat, Deum tibi. Custodi eam illibatam à negligentia, ab erroribus, à peccatis. Stultitia magna est, fidem linguâ, moribus infidelitatem prædicare. Hujus notæ homines irrisit olim celeberrimus inter Ethnicos Philosophus, dicens; Nihil glorioſius esse Christianis, cùm loquuntur: nihil miserabilius, cùm operantur.

3. Divini juris læsi reparatrix est Pœnitentia; quæ ad peccati detestationem inclinat, cum efficaci voluntate, Deo, per illud offenso, satisfaciendi. Hæc est enim pœnitentia, præterita peccata detestari, expiare; nec amplius in ea consentire. Præterit quod delectat; restat quod arguit, quod torquet, quod damnat. Quid prodest transactam fœditatem abscondere? Nemo nocens se judice absolvitur. Tribunal quoddam à natura in ipsa mente humana constitutum est, ubi unusquisque sui sceleris accusator est, & testis, & judex. Hic coge animum & sensus tuos quotidie adesse, ad reddendam rationem. Dic apud te causam; &, quantum potes, te ipsum coargue. Totum diem tecum scrutare; omnia dicta & facta tua, atque ipsasmet cogitationes remetire, nihil abscondens, nihil transiens. Si agnoscis iniquitatem

tatem tuam, ignoscit Deus: si fateris, mederis. Quid refert neminem scire vitium tuum, cùm tu scias? An utilius tibi existimas, damnatum latere, quàm palàm absolvi? Ubicumque lateas, conscientia tecum est; non potes eam effugere. Miserrimus es, si hanc aspernaris.

4. In tria tempora vita dividitur, quod est, quod fuit, & quod futurum est. Præsens momentaneum est, antè desinens quàm veniat: futurum nondum est: at præteriti dies aderunt omnes, cùm jusseris, & ad arbitrium tuum se inspici patientur. Ne timeas memoriam tuam; ne erubescas te in præteritum retorquere, erroresque tuos tibi exprobrare. Quò frequentiùs id feceris, eò citius emendaberis. Ipse de te vindictam sume; nec ea iterum admittas, quæ feciſſe te plangis. Plerique liberati à naufragio, exinde repudium & navi & mari dicunt. Deique beneficium periculi memoriâ honorant. Hanc bonam solicitudinem in te esse cupio; ne iterum experiri velis, quod semel timuisti. Grande periculum evasisti: ne te iterum discrimini exponas. Toties pepercit Deus, quoties deliquisti: cave, ne idcirco deterior fias; quia Deus bonus est. Quid facturus sis, cogitas aliquando: cur non potiùs, quid feceris? Nam consilium futuri ex præterito venit. Multi ad sapientiam pervenirent, nisi jam putarent se perveniſſe. Nisi te quotidie emendes, quotidie deterior eris.

## Caput XXIV.

*De Pietate, & Observantia. Obedientia commendatur, itemque Gratitudo. Quomodò accipiendum, & reddendum sit beneficium.*

1. Nullâ vi verborum exprimi potest, quàm laudabile opus sit, posse hominem dicere; Parentibus meis cessi, & parui semper: eorum imperio, sive æquum, sive durum fuerit, obsequentem & submissum me præbui: bonum patriæ civem me semper exhibui: fratribus & consanguineis bene facere nunquam cessavi: omnes vincere beneficiis conatus sum. Hæc sunt nimirum Pietatis officia, quibus debitum tribuimus cultum patriæ, parentibus, fratribus, & aliis sanguine conjunctis. Quod verò pietas erga cognatos, id præstat observantia erga Prælatos, Principes, Præceptores, & alios, qui aliquo modo nos antecedunt dignitate, sapientiâ, ætate, religione, & sanctitate. Solemus enim coram illis assurgere, caput aperire, viâ decedere, equo aut vehiculo desilire, ad genua provolvi, manus aut vestes osculari, aliaque honoris signa pro more patriæ exhibere. Hæc autem omnia profuso ac reverenti animo præstabis, si præcesserit in intellectu magna sublimitatis illorum æstimatio. Nam hinc orietur in voluntate fuga quædam & metus; quo perculsus nimiam cum illis familiaritatem declinabis, atque ab eorum magnitudine in tuum quodammodò resilies parvitatem. Omnis potestas à Deo est. Quicquid præstiteris majoribus tuis, infra debitum honorem erit, si Deum in illis consideraveris.

2. Ut ex primi parentis inobedientiâ omnis calamitas exorta est, sic per obedientiam filii Dei ad felicitatem reducti sumus, si & nos obedientiam servaverimus. Obedientia rerum omnium perfectio est, earumque cum suo principio firmissima connexio. A Deo enim in Deum admirabili circulo cuncta deducit. Hanc Christus præ cæteris virtutibus commendavit, qui ne eam perderet, perdidit vitam. Hæc melior dicitur esse quàm victimæ; quia per eam propria voluntas mactatur. Suscipiendum est autem Superioris edictum, velut emissa divinitus vox, nullâ quæsitâ præcepti caussa vel motivo. Nescit judicare, qui perfectè didicit obedire. Moneat Superior, jubeat lex, dicat quid me velit facere; non disco, non disputo, non excuso: sed simpliciter & velociter pareo, paratus ad omnia, seu facilia seu ardua, pari gaudio & promptitudine exequenda. Unum est, in quo refractarius & contumax esse potes, si quis nimirum à bono te retrahat, & adversus Dei legem impellat. Cætera omnia constanter & sine murmure exequi debes.

3. Gratitudo debitum respicit ob acceptum beneficium. Nihil autem magis præstandum, quàm beneficii æstimatio; si non ex rei magnitudine, saltem ex animo, & affectu donantis. Tum jugis benefacti memoria necessaria est, quæ semper animo hæreat. Gratiam referre nequit, nisi qui meminit: & qui meminit, jam refert. Hoc non exigit opes, non operam, non felicitatem; in promptu omnibus est. Ut desint vires, nunquam deerit voluntas, quâ rependere etiam Regibus potes. Cùm ab aliquo accipis beneficium, hilaris accipe, & gaudium profitere, quod sit danti manifestum; ut muneris sui fructum capiat. Justa lætitiæ caussa est, lætum ani-

amicum videre, justior, feciſſe. Qui gratè beneficium accepit, qui libenter & benignè primam ejus penſionem ſolvit. Nunquam voluit gratus eſſe, qui beneficium tam longè projecit, ut extra conſpectum ſit. Qui illud extollit, qui ſe negat gratiam referre poſſe, jam reddidit. Qui faſtidiosè accipit & negligenter, parvi facere illud videtur. Qui vix indicat ſe ſenſiſſe, vix labia deducit, ingratior eſt, quàm ſi taceret. Vir bonus, dum accipit beneficium, de reddendo ſtatim cogitat. Quid enim tam contra officium, quàm non reddere quod acceperis? Nec menſurâ pari, ſed uberiori reddendum; ſicut terra ſuſcepta ſemina majori cumulo reſtituit. Cave tamen, ne in gratiæ relatione nimiùm feſtines. Quidam, cùm aliquod munuſculum miſſum eſt illis, aliud ſubinde intempeſtivè remittunt, & ſe nihil debere teſtantur. Rejiciendi hoc genus eſt, cùm munus munere ſubitò expungis.

## Caput XXV.

*De Veritate, ejuſque uſu. Simplicitas laudatur. Actus fidelitatis.*

1. In omni ſermone, geſtu, & ſcriptura, aliiſque ſignis externis veritas ſit. Non decet Chriſtianum hominem labium mendax. Muliebre vitium & plebejum eſt, aliud pectore claudere, aliud ore proferre. Vir generoſus res ſimpliciter enuntiat prout ſunt: non exaggerat, non amplificat, non decipit, non ſimulat, verborumque ambages & involucra devitat. Simplicia verba veritas ſimplex amat. Vult nuda videri; quia innocens eſt. Qui verò mentitur aut fallit, rem duplici ſermone obſcurat; ut lateat. Odit lucem qui malè loquitur, ſicut qui malè agit. Cave itaque, ne ut veſtitum, ſic ſententiam habeas, aliam domeſticam, aliam forenſem: ne in fronte oſtentatio ſit, intùs veritas occultetur. Ab hoc vitio abhorret ipſa natura. Pueros vide; nondum ratione utentes. Mendacium inter prima probra objiciunt; & quamvis levitate quâdam aſſumant, tamen inſitâ judicii rectitudine damnant. Qua in re Dei providentiam admirari oportet, quæ virtutes animo inſerit, ſine quibus vita & ſocietas ſtare non poſſunt. Omnium autem perniciosiſſimum eſt mendacium vitæ. Nam ſi omnem ſermonis falſitatem abominaris, tanquàm ſublimi animo indignam; cur ipſe mendacium eſſe, & vivere non formidas? Magna res eſt, unum hominem agere.

2. Simplicitas, parum hominibus cognita virtus, tantæ eſt dignitatis, ut eâ Deus magnoperè delectetur: nam *cum ſimplicibus ſermocinatio ejus.* Simplex enim ille & integerrimus cùm ſit, ſimplices eſſe vult animas, quæ ad ſe conveniunt. Eſt autem ſimplex, qui in varia non abit: qui ſine duplicitate & hypocriſi talem ſe exteriùs exhibet, qualis interiùs eſt: qui proprios defectus, cùm fert occaſio, candidè & ſincerè fatetur: qui malitiâ parvulus eſt, & omnem politicam agendi rationem deteſtatur: qui non excluſâ prudentiæ circumſpectione, fidem in omnibus eſſe arbitratur, malum de nemine ſuſpicatur: qui ſtultus apud homines videri non refugit, ut ſit ſapiens apud Deum: qui ab omni multiplicitate alienus, ſimplici intentione Deo placendi, cuncta operatur. Quid turbaris ergà plurima, infelix aſtutia? Unum eſt neceſſarium; ut ad eum pervenias, qui unus & ſimpliciſſimus eſt. Nunquàm pertinges ad metam, ſi duplici graderis viâ.

3. Fidelitas, inter maxima & præcipua humani generis bona, colenda eſt: hac enim ſublatâ tollitur uſus commerciorum, diſſolvitur amicitia, fœdera diſſociantur, univerſa Reſpublica perturbatur. Rara tamen & iſta eſt, ac fere mundo incognita virtus. Paſſim accuſant humanam perfidiam tot ad contractus adhibiti teſtes, tot ſtipulationum firmamenta, tot interpoſitæ induſtriæ: qui nihilominus vix ſufficiunt, ut firma maneant pacta & conventa. Adeò plerique ſordidi ſunt, ut ſanctior ſit illis quæſtus quàm fides. O turpem humano generi publicæ fraudis ac nequitiæ confeſſionem! Nemini credimus ſine teſte, ſine ſponſore: & tutiùs in tabulis, quam in animi ſacrario, fidem cuſtodiri arbitramur. Cæterùm vir fidelis quodcunque opus promiſſum conſtanter exequitur, comiſſa ſibi ſecreta nemini pandit, datam fidem etiam hoſtibus ſervat, ipſamque regnis ac vitæ præfert. Tardè quidem promittit, quia celeri ſponſioni celerem incumbere pœnitentiam novit: ſed ſi ſemel ſpopondit, non fallit, non violat, niſi fortè rerum ſtatus mutetur, aut peccandi periculum incidat. Neminem obligat promiſſio, quæ non poteſt ſine ſcelere adimpleri.

## Caput XXVI.

*De Amicitia. Quibus officiis sit colenda. Præcepta quædam, ad mutuam conversationem pertinentia.*

1. Nihil magis ad humanam vitam necessarium, quàm amicitia; nihil commodius, nihil jucundius. Ea est mutua duorum benevolentia, in virtute fundata, & bonorum communicationi conjuncta. Quantum hoc bonum est, ubi præparata sunt pectora, in quæ tutò secretum omne descendat; quorum conscientiam minùs quàm tuam timeas: quorum sermo solicitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse delectet? Quid dulcius, quàm hominem habere, cui confiteri non timeas si quid deliqueris; cujus vel solus occursus profit tibi? Minuta quædam animalia cùm mordent non sentiuntur: adeo tenuis est illis & fallens in periculum vis; tumor indicat morsum: idem tibi eveniet in boni amici conversatione, non deprehendes, quemadmodùm, & quando tibi profit; profuisse deprehendes. Vera autem esse amicitia nequit, nisi reciprocus interveniat amor: sed amare principalius est, quàm amari; atque ideo benevolentia pro fundamento statuitur, redamatio connotatur. Vera item amicitia est, & Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non sola corporalis præsentia, non mendax obsequium, non fallax adulatio, sed Dei timor, & divinarum studia litterarum conciliant. Solida in malo amicitia esse non potest.

2. In eligendo amico magna cautio adhibenda, juxta illud quod vulgus ait; multos salis modios simul edendos esse, ut amicitiæ munus expletum sit. Sunt autem quatuor in eo probanda, cum quo inire amicitiam cupis. *Fides*, res difficillima, cujus sola ferè umbra in terris reperitur; ut te & tua ei tutò committas. *Intentio*; ut amicitia finem honestum habeat, & res divina non transeat in turpitudinem. *Discretio*; ut scias quid præstandum illi, quid ab eo petendum. *Patientia*; ut paratus sit animus, quæcunque adversa pro amico sustinere. Hæc cùm in illo probaveris, explorare insuper debes, prioribus amicis quomodo usus sit: nam talem in te futurum sperabis, qualem cæteris se præbuit. Fidus amicus vivus thesaurus est, magnâ servandus curâ; magno, si pereat, fletu lugendus. Beatus es, si talem habes, qui te diligat, non tuas opes, non mensam, non ingenium: qui errantem corrigat, cadentem sublevet, currentem adhortetur. Similem illi non invenies, quacunque cœli ambitus patet. Multi sunt, qui dicuntur amici: eorum qui verè sint, pauciſſimi numerantur. Nemo alterum gratis amat. Qui se spectat, qui res externas sibi pro fine proposuit, verus amicus non est. Tamdiù te diliget quamdiù utilis ei fueris. Sublata mensâ deficiet; atque ut cœpit, sic desinet. Vera amicitia ibi maximè deest, ubi creditur abundare.

3. Sicut Medicus, cariſſimum sibi ægrotantem curaturus, nec ferro, nec igni parcit; ita erga amicum correctione indigentem te gerere debes, liberrimè, audacter, constanter, nihil negligendo, aut dissimulando. Damnabile est obsequium, per quod vitia foventur. Sit autem admonitio secreta, adsit ei omnis suavitas, careat omni verborum acerbitate. An aliquis tibi in amicitiam recipiendus sit, diù delibera: cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte; tam liberè cum eo loquere, quàm tecum. Ita quidem vivere debes, ut nihil illi committas, nisi quod inimico committere possis: sed quia interveniunt quædam, quæ consuetudo fecit arcana, omnes curas cum amico, omnes cogitationes misce. Quidam, quæ solis amicis committenda sunt, obviis narrant, & in quaslibet aures quicquid urit exonerant: alii etiam cariſſimorum conscientiam reformidant, & intra pectus omne secretum premunt, nec sibi quidem credituri, si fieri posset. Utrumque vitium est, & omnibus credere, & nulli, sed alterum honestius, alterum tutius. Quod si cupis sine periculo cum omnibus loqui, id facile assequeris; non occultando, quæ feceris, sed nihil faciendo, quod velis occultum esse.

4. Affinis amicitiæ est affabilitas, quæ humanam conversationem moderatur; in qua servanda modestia est, servandum silentium. Multa decet audire virum probum, pauca loqui. Vitiosum est, velle potiùs sciri, quàm scire; cognosci, quàm alios cognoscere; proprias merces inutiliter prodigere, quàm sibi alienas comparare. Assuescere oportet eorum cum quibus vivis verbis & moribus incompositis: & quia multi multa loquuntur falsa, inepta, puerilia, nihilque ad rem pertinentia, hæc prudenter dissimulabis. Animi abjecti, ac muliebris est, cum iis dumtaxat versari velle, qui cedant, applaudant, & adulentur. De te rebusque tuis parciùs loquere: tuæ sententiæ ne pertinaciter inhæreas, & à verbis elatis

elatis abstine, quæ auctoritatem & magisterium sapiant. Cùm quidpiam contra decorum occurrit tibi, in te regressus te ipsum interroga an & tu tali vitio labores: tum ex omnibus quæ audis & vides, aliquid semper ad tuum profectum excerpe. Benè tecum agitur, si ex alieno peccato tuum emendas.

5. Cùm tibi aliquid occurrit insolitum, inopinatum, & ab usu tuæ patriæ abhorrens, ne id continuò reprehendas: nam levis animi indicium est, aliena mirari, & ridere, & suo servire municipio. Res æstimandæ prout sunt, non ut videntur. Vulgus omnia æstimat ex novitate, difficultate, artificio, raritate, pompâ, rumore, & extrinseco apparatu: sapiens intrinsecum rei pretium, & honestatem respicit; eaque omnia spernit, quæ plebs insana admiratur. Quicquid acciderit, penes te est, ut fructum ex eo capias. Noli te coarctare, & limitare proventum tuum. Licet tibi personam obducere, & actores fabulæ imitari. Illi dum flent, non dolent; dum emunt, non possident; jubent sine imperio, objurgantur sine vindicta, objurgant sine ira: agunt, scilicet, alienam vitam. Utinam & tu sic in aliorum societate te geras, sine affectu, & proprietate! Magnum theatrum mundus est, in quo tot histriones, quot homines sunt. Cura autem, ut, quantùm fieri potest, spectator sis, non actor fabulæ. Qui spectaculum sui in scena exhibent, laborant; qui spectant, rident & delectantur.

## Caput XXVII.

*De Liberalitate. Quid sit, & qualiter exercenda. Quomodo differat à Magnificentia.*

1. NOn voco liberalem, pecuniæ suæ iratum; qui nec dare scit, nec servare; qui non donat, sed projicit. Liberalis est, qui rectè dat & rationabiliter, & pro modo facultatum, quantùm decet, impendit, quandò & quibus oportet, non suum sed alienum spectans emolumentum. Porrò liberalitas virtus est beneficiorum erogatrix, quæ circa pecuniarum largitionem & acceptionem versatur: sed largitio principaliter intenditur; quia præstantius est dare, quàm accipere. Sufficit autem voluntas, cùm tribuendi facultas deest; imò hæc maximè attenditur, ut non solum prosis, sed velis prodesse. Nemo fluminibus, aut mari gratias agit, quod navigia patiantur: neque arboribus, quod fructus ferant: nec vento, quòd secundus aspiret: nam licèt hæc omnia beneficia sint, illis tamen deest benefaciendi voluntas. Quòd verò alicui donandum est, pretium à celeritate sortitur. Sunt nonnulli, qui dum aliquid donant, gratiam omnem corrumpunt, avertendo vultum, obducendo frontem, & in alterum diem differendo. Sic amicum dilatione lassant, torquent expectatione: cùmque proprium sit libenter donantis citò dare, qui diu noluit, non ex animo largitus est. Properat omnis benignitas; & jucundum est munus, quod obviam venit.

2. Non potest quisquam beatè degere, qui se tantùm intuetur, qui omnia ad utilitatem suam convertit: alteri vivas oportet, si tibi vivere optas. Quid tanquam tuo parcis? Procurator es. Omnia ista, quæ ferreis claustris custodis, quæ ex alieno sanguine rapta tuo defendis, tua non sunt. Deposita apud te fuerunt, & jam ad alium dominum spectant. Aut hostis illa, aut hostilis animi successor invadet. Quæris, quomodò facias tua? Donando. Quid est hoc, quo te divitem putas? Domuncula, pecunia, agellus: si donaveris proximo, beneficium erit, virtus erit, quæ tecum in æternum manebit. Tunc pretiosa est pecunia, cùm usu largiendi desinit possideri.

3. Quia tenui impensâ fieri magna non possunt, ut mediocres sumptus liberalitas regit; ita splendidos & magnos Magnificentia. Hæ duæ virtutes, cætera similes, hoc discrepant; quòd illa etiam in parvis, hæc non nisi in magnis & luculentis apparet. Cui res angusta domi est, liberalis esse non potest: laudem verò magnificentiæ ille solus assequitur, cujus opulentia spectabilis est. Hæc propriè in operis admirabilitate conspicitur. Si quis enim magni pretii gemmam in usum rei divinæ largiatur, eximiè potiùs liberalis quàm magnificus dicendus erit: sed si pretio gemmæ sacrarium, templum, aut aliud splendidum ac mirabile opus extruxerit; magnificus nuncupabitur. Operum verò nomine, in quæ magni sumptus conferri possunt, ea intelliguntur, quæ pertinent ad publicam hilaritatem, & ad quædam hominis officia splendidè præstanda. In his decori ratio habenda est, respectu operantis, & facultatum. Non est magnificus, qui plura quàm habeat profundit: qui ære alieno se & suos gravat; ut magificentiæ laudem consequatur. Verè liberalis & magnificus ille est, qui quod donat & expendit, detrahit sibi.

## Caput XXVIII.

*De Fortitudine. Quæ sint ejus officia. Mortem à viro forti contemnendam esse.*

1. Molles sunt hominum animi, debilisque natura; quam idcircò fortitudine armare oportet, ne periculis deterriti ab honestate recedamus. Duplex ejus officium est: unum, idque præcipuum, labores atque pericula sustinere: alterum, eadem aggredi cùm oportet. Vir fortis non se temere malis ingerit, sed adventientia constanter fert: non appetit formidabilia; sed spernit: ibi extollitur, ubi cæteri deprimuntur: ibi stat, ubi alii jacent: non illum subigit dedecus, non repulsa, non exilium, non injuriæ: non eum carcer, non tormenta, non ipsa mors exterrent: omnem luctum, omnem ægritudinem, omnes molestias magnitudine suâ elidit: non se minis aut precibus à recto detorqueri permittit: non despondet animum, etsi plura bene cœptis obsistant impedimenta: non cedit oneri, nec cum officio semel suscepto luctatur; sed persistit, donec perficiat: stat rectus sub quolibet pondere: nulla illum vis, nulla potentia, nullus terror minorem facit: periculis undique imminentibus non allidit virtutem, nec abscondit. Quò tendat, semper attendit, non quid patiatur.

2. Sicut secundo navigans vento variis se subsidiis munit, quibus tempestatem excipiat: sic utile erit tibi, donec prospera est fortuna, quærere præsidia, quibus adversam fortiter feras. Finge tibi jam advenisse, quicquid sinistri contingere potest, orbitatem, naufragium, exilium, vulnera, tormenta, morbos, calumniam, contumeliam: atque ita te compara, ac si jam in discrimine versareris: ut hoc quasi præludio excitatus, dicere possis in omni eventu; Hæc jam animo præcepi, jam prævidi, & contempsi. Ab æterno constitutum est, quid gaudeas, quid fleas: & quamvis magnâ varietate singulorum vita distingui videatur; summa in unum venit. Accepimus peritura perituri. Quid indignaris? quid quereris? etsi omnia tua pereant, nihil perit de tuo. Satius est dare, quod repetit Deus, quàm cogi ad solvendum. Virum sapientem etiam in tormentis beatum fore ipsemet Epicurus edocuit. In Phalaridis, inquit, tauro si fuerit, dicet: Quàm suave est hoc, quàm hoc non curo! Magnum quidem effatum; sed nobis non incredibile, apud quos extant tot Martyrum exempla, quorum in pœnis constantia, in flammis alacritas tanta fuit, ut nullo modo sentire tormenta viderentur. Volenti, & Deum amanti omnes pœnæ deliciæ sunt.

3. Nullibi clariùs fortitudinis præstantia elucet, quàm in mortis discrimine. Difficile est animum perducere ad contemptum vitæ; cujus amore ita plerique tenentur, ut nihil eâ felicius, nihil pretiosius æstiment. Sed si sapiens es, ut te esse oportet, desines inter mala numerare mortem, quæ finis malorum est, & initium vitæ. Æquo animo exire debes, rediturus. Mors invictam necessitatem habet; eam timere dementis est: dubia enim sunt quæ metuuntur, certa expectantur. Considera, nec pueros, nec mente lapsos timere mortem. Turpissimum est autem, si eam tibi securitatem ratio non præstat, ad quam stultitia perducit. Cum exceptione mortis data est vita: vivere noluit, qui mori non vult.

4. Gratificata est nobis natura, cùm ad certum tempus usuram spectaculorum suorum concessit: jam exacto tempore discedendum est. Quis sapiens ad extremum spiritum redactus, si rursus ei vita concederetur, vellet iterum materni uteri ergastulum subire, resumere amentiam infantiæ, metus puerilitatis, juventutis pericula, curas virilitatis, labores senectutis? Nemo tam feliciter vixit, cui placeret iterum nasci. Attende igitur quò properes, & à quibus discedas. Posses vitæ hujus exitum non timere, si alterius ingressum sperares. Hæc est caussa timoris tui; quia inanis bonorum es, quorum incipis in fine vitæ desiderio laborare. Alioquin non trepidares in limine æternæ felicitatis. Viro justo supplicium esset nasci, nisi mors sequeretur.

5. Nemo mortem lætus excepit, nisi qui ad illam se diu composuit. Effice eam tibi assiduâ cogitatione familiarem; ut venientem alacri animo excipias. Ut vixeris, non dies faciunt, non anni; sed animus exire gestiens, & ad originem suam revolare. Diù vixit, qui benè moritur. Benè moritur, qui benè vixit. Vis mortem tibi tranquillam parare? Assuesce ex alto cuncta despicere. Non potest mortem timere, qui jam plura sibi eripuit: quàm rapiat mors. Vis tibi vitam jucundam facere? Omnem pro illa solicitudinem depone: ad omne genus mortis paratus esto; sivè gladius vitam, sivè febris abrumpat, nihil tua interfit: vitam sic institue, ut liceat tibi quotidiè dicere, Vixi. Ille securus vivit, & lætus

& lætus moritur, qui se singulis diebus effert; cui concessum est vivere vitâ peracta. Non potes benè vivere, nisi quotidiè moriaris.

## Caput XXIX.

*De Magnanimitate. Viri magnanimi descriptio.*

1. MAgnum aliquid ipso nomine sonat Magnanimitas, excelsa virtus; cujus robustissima vis est, semperque tendens ad magna. Sine hac irritus cadet omnis conatus reliquarum virtutum: nam cùm multæ in earum exercitatione occurrant difficultates, adversus eas mens erigi, & contrà audentior ire debet: nec priùs absistere, quàm perruptis interpositis obicibus, ad boni sibi propositi adeptionem generosè pertingat. Hoc præstat homini Magnanimitas: quæ ad magna & heroica opera semper inclinat; Deique ope subnixa, securè ac promptè res quasque difficiles aggreditur. Audendum est aliquid, si vis aliquid esse. Non potest parvo res magna constare. Magna res est homo, cum verè est homo.

2. Magnus animus ad magna semper aspirat, eàque omnia velut minuta contemnit, quæ pro maximis vulgus optat. Opera quidem efficit, quæ multo honore sint digna; sed ipsum honorem, & denegatum non ambit, & spernit oblatum, nisi aliter exigant Dei honor, & obedientia. Nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert: recteque facti non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petit. In edito stat semper, excelsus, insuperabilis, par sibi in omni rerum statu: nec locis altioribus se ingerit, contentus magnitudine suâ. Super omnia èminet omnium dominus; & ideo nulli se submittit, neminem rogat; quia extra se nullâ re indiget. Nihil est quòd ipsum terreat, aut incurvet. Se profert, & spectari vult non vanitatis studio; sed attento gradu, in quo degit, & Dei donis, quibus refulget. Stat tamen cum his inconcussa humilitas summa coram Deo; quia omnia bona sua, omnèmque gloriam in ipsum refundit pro certo sciens, se ex se ipso nihil habere, nihil posse, nihil esse. Hoc est virtutis fines agnoscere, de se suisque rebus humillimè sentire; iisdem tamen habitos honores salvâ modestiâ non repudiare. Sequi debet gloria, non appeti.

3. Excipit adverso pectore omnia adversantium tela, nihil reluctans; ut ad summum virtutis fastigium perveniat. Cum viris mediocribus & infimis modestum se ac moderatum exhibet: coram Principibus & opulentis nec se projicit, nec adulatur, nec eorum potentiâ suam opprimi sinit libertatem. Quæ odio vel amore digna sunt, apertè odit, apertè amat: quæque palàm dici vel fieri debent, liberè loquitur & operatur; quia nihil timet aut sperat. Facit eadem, quæ cæteri hominum, sed non eodem modo; atque ideo utitur dissimulatione in vulgus, nec se facilè populo miscet. Non meminit injuriarum; & in his, quæ necessariò perferenda sunt, nec querulus, nec supplex est. Paucos laudat, nec ipse laudari optat; sed facere laude digna. Non vivit alterius nutu, nisi amici & Superioris: neque facilè admiratur, quia nihil illi magnum, vel novum videtur. In omni casu se ipso tutus, nullis rerum movetur eventibus. Motum habet tardum, vocem gravem, orationem stabilem ac sedatam: non enim festinat, qui paucis rebus studet; nec vehementer contendit, qui se ipso contentus est.

## Caput XXX.

*De Patientia. Ejus occasiones, & effectus. Indicia veræ Patientiæ. Ad omnia mala ferenda paræneſis, & documenta. Necessitas Perseverantiæ.*

1. PAtientia est virtus, quâ mala hujus sæculi æquo animo sustinemus. Quia verò hæc mala plurima sunt; varia sortitur nomina, pro varietate malorum, in quibus sustinendis versatur. *Patientia* propriè dicitur, cùm injurias fortiter excipit: *Æquanimitas*, cùm in ferendâ jacturâ bonorum exteriorum occupatur: *Longanimitas*, cùm pectus munit adversus rei expectatæ dilationem: *Constantia*, cùm firmat voluntatem ad alia quæcunque mala, propria & aliena, privata & publica, toleranda. Nulla est virtus, cujus exercendæ crebriores incidant occasiones. Tot enim irruunt malorum agmina, tot nos obsident adversarii; ut rectè dictum sit; Militiam esse vitam hominis super terram. Nullum penè momentum labitur, quo strenuè dimicandum non sit. Ut desint externi hostes, satis sibi quisque infestus est. Ex nobis, & in nobis nascuntur, quæ nos cruciant & exercent. A fletu auspicamur vitam, rudes ad omnia, nisi ad lacrymas. Hoc primùm discimus; huic rei incumbimus usque

ad mortem. Inventi plures sunt, qui non riserint: nemo, qui nunquam fleverit. Patientia itaque necessaria est; ut pectus muniat, spiritum roboret, virtutes perficiat. Nemo potest cognoscere quantùm valeat, nisi tribulationibus exerceatur. Non est sapiens, qui non est patiens.

2. Malè est homini, qui nunquam adversam fortunam expertus est. Ajunt Medici, nihil magis metuendum, quam nimis bonam habitudinem; sed & nautis nimia malacia suspecta est. Si te verberat & lacerat calamitas, non est sævitia sed certamen. Nisi dimices, non vinces: nisi viceris, non triumphabis. Quod si *oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*; tu præsumes alienæ felicitatis particeps fieri absque ulla tribulatione? Erras toto cœlo, si aliam tibi viam fingis, quâ migres ad Cœlum. Virtutis sacramenta hæc sunt; bona facere, & mala pati. Indicia verò jam adeptæ patientiæ sunt, aliena mala æquanimiter ferre, inter flagella Dei non murmurare, eorum qui mala inferunt consortium non fugere, inter contumelias ab odio custodiri, divinæ voluntati quæcumque nos angunt adscribere, in malis silere, mala inferentes diligere, illatas injurias soli Deo conqueri, sèque illi paratum ad omnes ærumnas offerre cum gaudio & gratiarum actione. Denique verè patiens esse dignoscitur, qui erga proximi imperfectiones impatiens non est.

3. In bonorum externorum jacturâ magnum solatium est, infidam eorum conditionem perpendere. Quicquid possides, quicquid amas, naturalem retinet fugacitatem: apud te est, tuum non est. Noli tibi imaginariæ stabilitatis desiderio illudere. Nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum præter virtutem. Hoc unum contingit immortale mortalibus: cætera suam mortem secum ferunt. Ergò quæcumque habes, eo loco pone, ut magnum sit inter te, & illa intervallum. Viro bono nihil eripitur; quia nihil possidet tanquam suum. Cur gemis amisso nummulo, elato filio, succensâ domo: perditâ autem modestiâ, verecundiâ, fortitudine, non ploras? Atqui hæc bona tua sunt, & tui juris: illa nec bona, nec tua sunt. Si doles, cùm ea amittis; te dignum, qui amitteres, ostendis. Nihil te amisisse putares, si nihil inordinatè diligeres. Externa sapientem non angunt, quia non tangunt.

4. Opus aliquod aggressurus, omnia ejus adjuncta considera: plura invenies, quibus turbari mens tua poterit, si non fuerint prævisa. Puerum vocas? fieri potest, ut præsto non sit, vel ut nihil agat ex animi tui sententia. Ad aliquem iturus es? fieri potest, ut inclusus sit, ut occludantur tibi fores, ut ille te negligat. Hæc prævide, & omnia secunda tibi accident. Ille me hodie non admisit, cùm alios admitteret: sermonem meum aversatus est: me in imo collocavit: querelæ sunt nauseantis animi, in quas felices & delicati ac imprudentes incidunt. Non hæc observat, qui his non afficitur; qui scit, hæc omnia vitæ hujus tributa esse. Optimum autem est pati, quod emendare non potes. Si cujus malitiâ vel impudentiâ offenderis; cogita, an fieri possit, ut nulli sint in mundo improbi & impudentes. Quodsi hoc fieri nequit; quid accidit novi, si vir malus & impudens more suo malè agit? Vide, ne potiùs tu arguendus sis, qui non prævideris hunc ita peccaturum. Semper sibi constitit mundus: vitia sunt, ubi sunt homines.

5. Cùm aliquâ afficeris pœnâ, attende, non quid patiaris, sed quid feceris. Si verum tibi dixeris, acrioribus flagellis te dignum fateberis. Deus est, quo auctore cuncta proveniunt. Ipse te castigat, ut sanet, ut exerceat, ut induret, & sibi præparet. Futuris malis reservat eos, quibus indulgere videtur. Unde possum scire, quantum animi tibi sit adversùs paupertatem, si divitiis affluis. Undè dignoscam, quantum habeas constantiæ adversùs ignominiam & odium populi, si inter plausus senescis? Audivi te, cùm alios in tribulationibus consolareris: opto te audire, consolantem te ipsum, & tibi ipsi imperantem, ne doleas. Si medico urenti, & membra secanti & gratias habes, & mercedem persolvis; cur Dei medicinæ non acquiescis? Amentia est, putare damna, quæ sunt remedia. Si paupertas, si ægritudo, & cætera, quæ mala vocas, possent tecum verbis contendere, insultarent tibi, & dicerent: Quid mihi, homo, adversaris? Num aliquo bono meâ culpâ privaris? Prudentiânè, an justitiâ, an fortitudine? An non licet mecum læto animo esse? Bona erunt, quæ mala putas, si super ea inconcussus eminueris. Magnum malum est, malum ferre non posse.

6. In alienis casibus potes aliquandò constantiam dissimulare, nunquam autem in propriis. Sit tibi fletus communis cum miseris, non fletûs causa. Descende, & inclina te afflictis; ut ipsos erigas. Nemo jacentem levabit, nisi se inflectat. Quia verò res omnes duplex manubrium habent, tolerabile unum, alterum intolerabile; si quis

si quis tibi injuriam fecerit, non eâ parte ipsum prehende, quâ facit injuriam: hæc est enim ansa, quâ ferri non potest. Sed cogita, illum eodem Christi sanguine redemptum esse, ad eamdem gloriam vocatum: sic eum prehendes, quâ parte tolerabilis est. Et quia amicitia valdè exili voce prædita est, ad liberas reprehensiones; veritatem ab adversario audire semper studeas. Hic perpetuò vigilans, res tuas infensus explorat: teque facilius mala tua, quàm ipsum fallent. Traducet te per vicos & plateas, animique tui morbum vel latentem, vel neglectum, ipse iratus commonstrabit. Ab hoc capere utilitatem satage, & consule saluti tuæ. Attentius se ipsum circumspicit, qui paratum sibi novit censorem, & adversarium.

7. Perseverantia virtutum omnium corona, & consummatio est. Inchoantibus præmium promittitur, sed datur perseverantibus. Ideò ante omnia hoc cura, ut constes tibi. Nihil tam utile est, quod in transitu prosit: retrò relaberis, si ad ulteriora non contendis: & si incipis stare, descendis. Constitue, quid velis, & in eo usque ad exitum persevera. Inconstantis animi est, novas quotidiè exercitationes assumere, novas subindè sibi quærere sedes. Non alibi sis oportet, sed alius. Planta, quæ sæpiùs transfertur, tandem aresçit: & remediorum crebra mutatio impedit sanitatem. Si Apostolus, vas electionis, non attendens quid antè feciſſet, sed quid facere deberet; nequaquam se comprehendisse arbitrabatur: quid tibi faciendum erit, cui optabile foret, ut posses in fine tuo illius principio comparari? Ardor litterarum nullâ ætate extinguitur: divitiarum amor insatiabilis est: expleri nescit honorum cupido. Res finem habituræ, sine fine quæruntur: divinam verò sapientiam, si vel leviter degustaveris, continuò te saturum esse putabis? Aliter te ad perfectionem invitat, qui dixit; *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Hæc meta tibi proponitur; ut locum semper supereſſe scias incremento virtutis tuæ.

## Caput XXXI.

*De Temperantia. Quantum illi conferat Verecundia. De abstinentia, & Castitate.*

1. Temperantia voluptatibus imperat, quæ ex gustu & tactu percipiuntur: adscititias & superfluas odit & abigit; necessariis obsequitur, quantùm recta ratio permittit. Ejus regula infallibilis est, solam necessitatem in his, quæ ad corpus spectant, pro mensura habere: nec unquam ad voluptates, propter ipsas, accedere. Hac virtute efficitur, ne ex homine in jumentum labaris. Ad eam plurimùm confert Verecundia, frænum pravorum motuum, bonæ indolis index, custos puritatis, testis innocentiæ. Si mentem tuam illa possideat, docebit te omnem timere turpitudinem, ab omni actu illicito abstinere, Dei præsentiam venerari, te ipsum ubique revereri, eamque semper diligere intelligibilem pulchritudinem, quæ in operibus temperantiæ maximè elucet. Porrò tunc verecundum te esse dignosces, cùm vel ad ipsum intemperantiæ nomen expaveſces, cùm te parietes tui tegent, non abscondent: quos plerique circumdatos sibi credunt, non ut tutiùs vivant, sed ut peccent occultiùs. Quid autem prodest, recondere te, & oculos hominum aureſque vitare? Tecum semper est Deus, qui ubique te videt: tecum conscientia, quæ ubique te accusat.

2. Usum cibi & potûs, Abstinentia & Sobrietas; quæ verò ad tactum pertinent, Castitas & Pudicitia moderantur. Et in usu quidem ciborum, difficillimum est, extra metas necessitatis non abripi. Venter præcepta non audit: poscit, appellat, & quotidianum tributum exigit. Sed quàm parvo dimitti possit, quàm modicâ stipe contentus sit, nemo recogitat. Cogimus vitiis servire naturam; famemque & sitim, quæ naturalibus remediis facilè sedari possunt, variis eduliis & potionibus irritamus. Castitas quoque ardua est inter tot libidinis incentiva; nisi ea compeſcat timor Dei, occasionum fuga, sensuum custodia, & maxima sui ipsius reverentia. Qui seipsum non veretur, nec alios vereri poterit. Vis castus esse? contine oculos; ne invitus ames, quæ incautè aspexisti. Quid fugacem & falsam creaturæ pulchritudinem admiraris? Expecta paulisper, & jam non erit. Serenam frontem squalentes arabunt rugæ, mœsta teget nubes oculorum faces, dentium ebur scaber obducet situs. Fuge etiam pravorum consortium, omnem mollitiem vita, carnem jejuniis doma, & duriùs tracta. Perit, qui nimium est amans sui sepulchri.

## CAPUT XXXII.

*De Mansuetudine, & Clementia. Utriusque officia, & præstantia.*

1. UT iræ impetum mitiges, necessaria est mansuetudo; ne citrà vel ultra recti limites hac in parte deflectas. Telum naturæ est ira; quo uti licet, cùm peccantes arguere & castigare ex officio teneris: cùm dictat prudentia, tuam vel alienam injuriam debito modo repellendam esse; ne crescat ex impunitate reproborum licentia. Crudelis est, tam qui nulli, quàm qui omnibus ignoscit. Cùm verò, justitia exigente, puniendi sunt rei; mansuetudinis & clementiæ memor esto. Descende ad pœnas tanquàm invitus; & talis esto ergà peccantes, qualis extitit ergà te Deus. Sicut ille sustinuit te, ut meliorem faceret: ita illos sustine, ut corrigantur. Despicis Medicum, si desperas ægrotum. Tam facilis est ægri sanitas, quanta Medici sapientia & benignitas. Vir mitis iracundiæ pelago velut scopulus supereminet, fluctusque impingentes dissolvit; nec pœnâ semper, sed sæpiùs pœnitentiâ contentus est. Clamat coacto cœtu humani generis, Salvator mundi, *Venite omnes, & discite à me*: non curare infirmos, non leprosos mundare, non cæcis lumen, aut mortuis vitam reddere. Sed quid? *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum.* Ad hoc redegisse videtur omnes thesauros sapientiæ & scientiæ suæ; ut ab eo discamus mites esse. Tanta mansuetudinis præstantia est.

2. Ut mansuetudo iram, sic clementia punitionem moderatur. Illa ad omnes, hæc ad Principes & Superiores pertinet. Ejus enim munus est, mitiorem pœnam, quàm jura exigant, irrogare: non ex timore, lucro, amicitia, aliove motivo; sed ex animi lenitate. Non opus est, latera montium abscindere, & in arduo collis vertice arces constituere: salvum Principem in aperto clementia præstabit. Hæc est munimentum inexpugnabile, quæ tutum reddit imperium. Malus Princeps invisus est: quia timetur: & timeri vult; quia invisus est. Quem verò metuunt subditi, oderunt; & quem quisque odit, perisse cupit. Vitæ Regum dominus est, quisquis suam contempsit. Frustrà se potentiâ munit, qui septus suorum benevolentiâ non est. Turpia sunt Principi multa supplicia, sicut Medico multa funera. Si Rex continet vim suam, si omnes injurias & offensiones supernè despicit, si quosdam alienæ iræ, neminem impendit suæ, tunc verè se Regem ostendit. Magni animi est, placidum esse atque tranquillum.

## CAPUT XXXIII.

*De Modestia. Munus duplex Studiositatis, Quæ regula in usu Entrapeliæ servanda.*

1. MOdestia reliquas animi dotes mirabiliter exornat. Hæc forma honestatis est, & frænum vitiorum. Quamvis sermone taceas, habitu & gestu te prodis. Argumentum virtutis ex minimis licet capere. Vultus, risus, incessus, & flexus oculorum sæpe hominem ostendunt, qualis sit. Sic vive, ut omnes cognoscant, te ad consortium Angelorum pertinere. Serva decorum in motu omnium membrorum, in gestu, voce, & aspectu; ne quid in his effœminatum & molle sit, ne quid rusticum aut durum. Vera modestia ab animo in corpus, ex interna morum gravitate in superficiem emanat; ut quasi suppellectilem suam mens foris inspiciat. Vir modestus vivum Dei simulacrum est: nam solus ejus aspectus intuentes componit. At hoc quàm bonum est, videri & prodesse? Spectat quoque ad modestiam, tui statûs conditionem in vestibus, supellectili, ornatu domûs, & multitudine servorum non excedere. Animi tui impedimenta hæc sunt: quibus non tu, sed quæ sunt extra te, exornantur. Cur igitur gaudes malo tuo? cur inania miraris, & impedimentorum multitudine gloriaris? Hanc servorum cohortem, quæ latus tuum cingit, rectè dixeris hostilem exercitum, à quo satis cavere non potes. Quid agas nôsse volunt, non quid præcipias. Nihil humilius eorum ingressu, nihil progressu insolentius, nihil odiosius egressu.

2. Studiositatis duo sunt munera: alterum, sciendi appetitum, qui plerumque justo major esse solet, temperare & moderari: alterum, torporem excutere, animique industriam ad necessaria ediscenda excitare. Curiosum homini ingenium dedit natura; artisque suæ ac pulchritudinis conscia, nos operum suorum spectatores genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta solitudini ostenderet. Sed abutimur naturæ bono, ea curiosè investigantes, quæ utiliùs ignorarentur. Non ille sapit,

sapit, qui scit multa; sed qui sapit, quod facit ad rem. Ea primum discenda, quæ pertinent ad salutem: cætera quò minùs legas non deterreo, dummodò quicquid legeris ad mores referas. Cave autem, ne lectio multorum librorum habeat aliquid vagum & instabile. Certis ingeniis immorari oportet & innutriri, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Lectio varia delectat, certa prodest.

3. Danda est aliquando remissio animi, & assiduo labori quies intermiscenda: non enim durabile est, quod caret alternâ requie. Legum conditores dies aliquot instituerunt, quibus ad hilaritatem publicè homines cogerentur, viresque reciperent paullulum resoluti & remissi. Animi verò relaxationem plurimæ actiones constituunt. Inambulatio, scilicet, in loco amœno, & aperto; ut cœlo libero attollat se mens, & membra vegetentur: suburbana ac rusticana secessio, procul ab urbium nidore & tumultu: aucupium & venatio, quæ statum tuum non dedeceant; & piscatio, quæ innocentior est: læta studia & mitiora, musicusque concentus, & ludus aliquis honestus: joci demum innoxii, & urbanitates, à quibus absit omnis injuria & indecentia. Sunt quidam nimiùm severi, osores hominum, suisque tenebris incubantes, à quibus hilaris sermo nunquàm potest extorqueri. Alii jocis semper dediti, rebus seriis nunquam se applicant, nunquàm se populo subducunt. Miscenda autem ista & alternanda sunt: nam solitudo desiderium hominum faciet, frequentia tui, tædium eritque altera alterius remedium. Odium item laboris sanabit remissio; tædium remissionis, labor. Sunt & nonnulli, qui vires suas dispensare nescientes, immoderatum in se imperium exercent. Modus illis deest. Nec intermittere studia sciunt, nec repetere. Cùm se ad laborem concitant, junguntur dies noctibus; nec desinunt; nisi deficiant. Rursus cùm se in lusus dimittunt, se ita resolvunt, ut ad priorem consuetudinem vix retrahi possint. Sic igitur dandum animo intervallum, ut remittatur, non resolvatur. Ad hoc necessaria est Eutrapelia, quæ certos fines præscribat, quos prætergredi nefas sit. Optima quæque mala fiunt, cùm quis modum excedit.

## Caput XXXIV.

*De Humilitate. In quo consistat. De cognitione sui. Veri humilis characterismus.*

1. A Christo venit humilitas. Ipse eam verbo promulgavit, docuit Exemplo. Hæc, post virtutes Theologicas & intellectuales, inter cæteras primatum habet: removet enim superbiam, quæ est origo omnium malorum. Hæc nos amabiles Deo reddit; quia cum humilibus sermocinatio ejus. Sine hac, quæ virtutum fundamentum est, quicquid in spirituali ædificio superextruitur, nec solidum erit nec stabile. Quamvis autem ipso nomine quidpiam vile & exiguum præ se ferre videatur; virtus tamen magnorum est, quoniam est virtus perfectorum, animumque erigit ad altiora. Illustria aggreditur sine tumoris periculo, ardua sine metu difficultatis; excelsa, strenua, magnanima, eodem semper tenore subsistens. Non consistit humilis, ut vulgus putat, in mera sui despicientiâ & abjectione; sed in ea moderata gloriæ & honoris appetitione, quæ & excessum devitet, & à defectu recedat. Appetit humilis gloriam, tanquàm stipendium virtutis, animo directè in actionem intento; non propter ostentationem, sed ob solam virtutem, & quantum ipsa deposcit. Illegitimus est omnis honor, quem virtus non parit. Quia verò humilis, quâ pollet mentis perspicaciâ, æquus sui æstimator est, omnem propè honorem meritò versatur: tum, quia novit, quàm sit exiguum, quod ipse de suo confert ad opera virtutis: tùm quia timet, ne ex debiti honoris appetitu ad indebitum captandum prolabatur. Tutius est aspernari honorem, quem qui recusat, amplificat; qui spernit, auget.

2. Ideò humilis non es; quia te ipsum non cognoscis. Nulla est regio tam remota, de qua faciliùs credas falsa narranti. Quid est homo? Imbecille corpus & fragile, suâpte naturâ inerme, alienæ opis indigens, & ad omnem temporum contumeliam projectum. Massa luti, fœdum animal, ad omnia mala proclive, adeò perversò, & depravato sensu, ut terrena cœlestibus, caduca æternis præferat. *Universa vanitas, omnis homo vivens.* Nulli animali vita fragilior, nulli rabies acrior, nulli confusior pavor, nulli major libido. Undè igitur tibi superbia, miserabilis creatura, & omnium infelicissima? Attende

miseriam tuam, considera probra & dedecora tua, si qua in te supereſt rationis scintilla. Tunc perfectè humilis eris, cùm te ipsum nosse dideris.

3. Verus humilis se prorsùs despicit; neque humilis, sed vilis vult reputari: honorem sibi debitum in Deum refert, & in omnibus de se diffidit: gaudet contemptu sui, hoc solo superbus, quòd laudes spernit. Se ipsum considerat juxta ea, quæ ex se habet; alios verò secundùm ea, quæ habent ex Deo; & sic aliis se conferens, se omnibus deteriorem arbitratur: hoc est enim ingenium humilitatis, propria mala aliorum bonis comparare; ex quo vel quilibet perfectissimus potest sine mendacio se cæteris imperfectiorem existimare. Adhæc verus humilis omni obedientiâ se subdit majori, propria desideria non perficit, defectus suos libenter detegit, omnem injuriam patienter sustinet, abjectiora quæque cum gaudio amplectitur, omnem fugit singularitatem, abstinet à multiloquio, latere desiderat & nesciri; infra se omnia ponit; se infrà omnia, seque totum intra nihilum claudit. Verecundus est & circumspectus: non loquitur, nisi cogat necessitas. idque modestè & sine risu, flere potiùs optans quàm ridere. Cordis humilitatem corpore ostendit, defixis in terram oculis, gravi & modesto incessu, cernuo vultu, ad instar rei, qui jam debeat tremendo Dei judicio præsentari. Conscius flagitiorum quæ commisit, incertusque de gratia, & dubius de salute, non audet oculos in cœlum attollere; sed cum Publicano à longè stans, ferventi oratione peccatorum veniam deprecatur. Omnia denique opera sua veretur, omnia terræ bona despicit, omnem calcat mundi pompam: totum enim mundum nihil putat, qui se credit nihil esse.

## CAPUT XXXV.

*De statu perfectorum. Imago viri perfecti. Finis vitæ perfectæ, unio cum Deo.*

1. PErfectus ille dicitur, cui nihil deest. Quid autem potest illi deesse, qui purgatus à peccatis, emundatus à vitiis, ac virtutibus exornatus, Deo suo intimè adhæret, & unus cum eo efficitur spiritus in æternum? Hic est apex Christianæ perfectionis: hic finis ultimus, ad quem tendere debes. Cùm enim quælibet res tunc perfecta censeatur, cùm fini suo copulatur, finis autem tuus Deus sit; tunc demum te perfici necesse est, cùm perfectè Deo adhærens ad eum redis, à quo existi. Perfectus autem sine speciali Dei auxilio nemo est. Et quia pauci inter mortales ad singularem Dei illapsum recipiendum mentis apicem disponunt; ideo paucorum perfectio est. Paucos singula secula protulerunt.

2. Virum perfectum illum esse dices, quem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adversa felicem, in ignominia beatum, in mediis tempestatibus placidum, quicquid cæteri timent optantque ridentem, omnia tanquam minora transeuntem, nullo bono nisi suo nitentem, semper liberum, sibi semper constantem, sui semper similem, erectum, excelsum, vacuum sui, & plenum Deo: cui bona sua nulla vis excutit, qui mala in bonum vertit, qui nulla re frustratur, nullo læditur casu: qui pretia rebus non ex opinione, sed ex natura imponit: qui super omnia eminens, toti mundo se infert, & in omnes ejus actus contemplationem suam extendit, semper tranquillus & inconcussus: qui majore sui parte illic perpetuò commoratur, unde descendit. Sicut radii solis, quamvis terram contingant, illic tamen sunt, unde mittuntur; sic vir perfectus nobiscum quidem conversatur, sed optimâ sui parte abest, & fini suo semper adhæret. Talis est animus ejus, qualis mundi status supra lunam: semper illic serenum est. Rerum defectus ignorat, varium animum nescit, omnia sæcula illa serviunt, æqualiter tanquam sol universa perlustrat, atque omni multiplicitate rejectâ in simplicissima unitate quiescit. Nihil optat, nihil quærit extra se, non habens necesse longius arcessere felicitatem, quam corde inclusam gerit. Soli Deo operatur, soli Deo vivit, semper abire paratus. Hanc animum adhibe vitæ tuæ: & intelliges, quàm procul abes à perfectione.

3. Res ista major altiorque est, quàm ut possis ad eam pertingere, nisi ille te sursum trahat, qui dixit; *Sine me nihil potestis facere.* Sed & præviæ dispositiones necessariæ sunt. Finis vitæ perfectæ, intima cum Deo unio est: & quia ille habitat lucem inaccessibilem, ad eum nunquam accedes, nisi tenebras creaturarum à te expellas. Non potest homo divinæ consors naturæ fieri, nisi se ipsum, & omnia creata, mente & affectu transcendat. Omnis vel minima cuicumque rei adhæsio echeneidi, exiguo piscículo, similis est; qui si navim mordeat, eam sistit & detinet in medio cursu. Non aliter plerisque ani-

animabus contingit; quæ velut naves, cœlestibus divitiis onustæ, beatæ unionis portum feliciter attingerent, nisi aliqua vitiosâ affectione detinerentur. Deus unus & simplicissimus est: nunquam poterit anima unioni apta esse, nisi una & simplicissima efficiatur.

# INDEX CAPITUM.


Caput I. *DE fine ultimo hominis. Quàm malum sit, ab eo deflectere. Quibus mediis, & quo ordine ad ipsum perveniatur.* pag. 3

II. *Cupienti benè vivere, morum instructor eligendus est. Qualis hic esse debeat. Officia discipuli.* 4

III. *De purgatione à peccatis. Exuendus erga illa affectus, & vitia extirpanda. Nullum efficacius vitiorum remedium, quàm mortis, & æternitatis consideratio.* 5

IV. *De Gula. Ejus mala & remedia. Quæ sint indicia devictæ gulæ.* 7

V. *De Luxuria. Quàm turpe sit hoc vitium. Quam facilis in id lapsus, & quomodo evitandus. Voluptas animi sectanda, quæ solida est.* 8

VI. *De Avaritia. Malitia ejus perstringitur. Collatio pauperis & divitis. Opum fallacia, & vanitas.* 9

VII. *De Ira, Character irati. Effectus, Caussæ & remedia Iræ.* 10

VIII. *De Invidia, & Acedia. Utriusque descriptio & curatio.* 13

IX. *De Superbia, Ambitione, & inani Gloria. Icon superbi. Dignitatum vanitas, & pericula. Tumoris mala, & alexipharmaca.* 14

X. *De totius corporis, sensuumque exteriorum moderatione. Quantum corpori indulgendum. Castiganda oculorum licentia. Vestium luxus damnatur.* 16

XI. *De custodia linguæ. Quanti momenti sit, & quàm difficilis. Quid in sermone servandum; quid vitandum. Qualiter toleranda vitiosa aliorum lingua.* 17

XII. *De sensibus internis. Usus opinionum. Bonis cogitationibus mens imbuenda. De coercendo appetitu sensitivo ejusque pravis affectionibus. Variæ ad id præceptiones.* 18

XIII. *De Amore. Quæ sit ejus natura, quæ caussæ, qui effectus. De ejusdem remediis. Addita quædam in Odio.* 19

XIV. *De Desiderio, & fuga. Quid desiderandum, quid fugiendum sit.* 21

XV. *De Gaudio, & Tristitia. Qualiter vir bonus gaudere debeat. Non tristatur qui omnia prævidet. Varia doloris antidota.* 22

XVI. *De Spe, & Desperatione. Quomodo utramque moderari oporteat.* 23

XVII. *De Timore. Quàm vanus sit, & qua ratione vincatur. Audacia vitanda. Quædam iterum de Ira.* ibid.

XVIII. *De Potentiis animæ rationalis. Continendus intellectus à curiositate. Cui potissimùm scientiæ incumbendum. Quàm malum sit aliorum mores disquirere. Aliorum judicia spernenda. De voluntatis abnegatione.* 25

XIX. *De statu proficientium. Varia profectus adjumenta. Temporis æstimatio, & usus. Dei præsentia necessaria.* 26

XX. *De bono solitudinis. Fugienda malorum societas. Mundi vitia quot & quæ sint. Studium proficientis, acquisitio virtutum. Signa quædam obtentæ virtutis.* 27

XXI. *De Virtutibus. Theologicis. Fides*

*operibus comprobanda. In solo Deo ponenda fiducia. Motiva amoris erga Deum. Amor proximi beneficiis ostenditur. Hortatio ad eleemosynam.* 29

XXII. *De Prudentia. Ejus necessitas, & difficultas. Officium viri prudentis.* 30

XXIII. *De Justitia, & Religione. Actus utriusque. Quid sit pœnitentia, & in quo consistat.* 31

XXIV. *De Pietate, & Observantia. Obedientia commendatur, itemque Gratitudo. Quomodò accipiendum, & reddendum sit beneficium.* 32

XXV. *De veritate, ejusque usu. Simplicitas laudatur. Actus fidelitatis.* 33

XXVI. *De Amicitia. Quibus officiis sit colenda. Præcepta quædam ad mutuam conversationem pertinentia.* 34

XXVII. *De Liberalitate. Quid sit, & qualiter exercenda. Quomodò differat à Magnificentia.* 35

XXVIII. *De Fortitudine. Quæ sint ejus officia. Mortem à viro forti contemnendam esse.* 36

XXIX. *De Magnanimitate. Viri magnanimi descriptio.* 37

XXX. *De Patientia. Ejus occasiones, & effectus. Indicia veræ patientiæ. Ad omnia mala ferenda paranesis, & documenta. Necessitas Perseverantiæ.* ibid.

XXXI. *De Temperantia. Quantum illi conferat Verecundia. De abstinentia, & Castitate.* 39

XXXII. *De Mansuetudine, & Clementia. Vitriusque officia, & præstantia.* 40

XXXIII. *De Modestia. Munus duplex studiositatis. Quæ regula in usu Eutrapeliæ servanda.* ibid.

XXXIV. *De Humilitate. In quo consistat. De cognitione sui. Veri humilis characterismus.* 41

XXXV. *De statu perfectorum. Imago viri perfecti. Finis vitæ perfectæ, unio cum Deo.* 42

FINIS.

PRIN-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# PRINCIPIA
## ET
# DOCUMENTA
# VITÆ CHRISTIANÆ.

---

# ELECTIS DEI

*Per Universum Orbem Dispersis*

## JOANNES

*Miseratione Divina,*

Tituli Sancti Bernardi ad Thermas S. R. E. Presbyter

## CARDINALIS BONA

*Gratiam, & Pacem quæ superat omnem sensum.*

HUnc Libellum Vobis offero, quâ par est veneratione, felices animæ, vasa honoris & misericordiæ, genus electum, gens sancta, Filii Dei destinati ad gloriam ante mundi constitutionem, qui pretioso sanguine Christi redempti, & à servitute peccati dono gratiæ ipsius liberati, ignominiam crucis non erubescitis. Vobis enim datum est nosse mysteria regni cœlorum, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati estis. Vos elegit Pater cœlestis in partem sortis Sanctorum, ut essetis sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate, in quo prædestinati estis, non secundùm opera vestra, sed secundùm propositum voluntatis ejus. Pro Vobis Dei Filius oravit, cum transiturus de hoc mundo ad Patrem dixit, *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Pro mundo autem non oravit, quia omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre. Ideò non audiunt verba vitæ, qui de mundo sunt; & si audiunt non intelligunt, quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Et Christus quidem lux vera est, quæ illuminat

omnem hominem venientem in hunc mundum, sed mundus eum non cognovit, nec videt eum, nec scit eum, nec spiritum veritatis potest accipere. Hoc est autem judicium, & causa damnationis reproborum, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem; erant enim eorum mala opera, & omnis qui malè agit, odit lucem. Quod si in vita, & prædicatione suâ Christus lux fuit, præcipuè tamen universo mundo in cruce resplenduit; lignum enim illud, in quo erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuit docentis. Audiamus ergo quid nos doceat. Id nimirùm docet moriens, quod docuerat vivens: *Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Crucem igitur amplecti, & Christi sequi vestigia salus nostra est: in cruce plenitudo meritorum reperitur: & hæc Christianorum sublimior philosophia, scire Christum, & hunc crucifixum. Atque utinam hæc Principia, & Documenta Vitæ Christianæ legentibus aperiat Deus cor ad intelligendum, dispellens tenebras ignorantiæ, & sanans animæ languores, ut erepti de potestate tenebrarum ad agnitionem veritatis perducantur. Hujus rei gratia Deum oro, ut det illis virtute corroborari per spiritum ejus in interiorem hominem, ut charitas in eis magis, ac magis abundet, ut sint sinceri, & sine offensa, repleti fructu justitiæ, Deo per omnia placentes sine querela, & sinè reprehensione. Hoc votum meum pro illis est: pro me autem Deum precor, ut mentem meam luminis sui claritate perfundat, & meam imbecillitatem brachii sui potentiâ confirmet, nè, qui aliis prædico, moribus doctrinæ repugnantibus, reprobus efficiar. Vos etiam rogo amici Dei, & oves pascuæ ejus, memores mei estote in orationibus vestris, ut quod hæ paginæ docent, operibus comprobem, meisque legibus obtemperem, eo vires largiente qui dixit: *Sine me nihil potestis facere:* qui cum Patre, & Spiritu sancto unus est Deus, unus est Dominus, gloriosus, & superexaltatus in sæcula. *Amen.*

---

*Imprimatur*,

Si videbitur Reverendissimo P. Magistro Sacri Palatii Apostolici.

*J. de Angelis Archiep. Urbini Vicesgerens.*

*Imprimatur*,

Fr. Raimundus Capisucchus Ord. Prædic. Sacri Palatii Apostolici Magister.

PRIN-

# PRINCIPIA, ET DOCUMENTA VITÆ CHRISTIANÆ.

## PARS I.

### De Vita Christiana, ejusque fine, & officiis.

§. I.

*De tribus generibus Christianorum.*

CUm omnem Christianorum multitudinem in Caholica Ecclesia viventium, eorumque mores & instituta veluti è specula prospicio, tria quasi eorum genera mihi videor deprehendisse. Unum est eorum, qui Christi doctrinam, & exempla in spiritu & veritate sectantes se re & nomine Christianos esse perpetuâ & exactissimâ Evangelicæ perfectionis exercitatione ostendunt: Deo enim servientes, & in lege ejus die ac nocte meditantes carnem suam cum desideriis, & concupiscentiis crucifigunt, nullis adversitatibus victi, nullis prosperitatibus depravati. In hoc autem genere nonnulli eminent, quorum virtutes ultra humanam conditionem assurgunt. Servant siquidem continentiam usque ad tenuissimum victum & perpetuum jejunium: puritatem custodiunt usque ad cujuscumque etiam licitæ delectationis contemptum: patientiam exercent usque ad cruces & flammas: seipsos abnegant usque ad omnimodam abjectionem, & odium sui: divitias spernunt usque ad patrimonia distributa pauperibus: Deum diligunt usque ad supremum gradum, qui in hac vita haberi potest: omnes denique virtutes in gradu heroïco possident, ita ut mirentur cæteri, qui eos vident, & fateantur imbecillitatem suam, quia ad tantam perfectionem pervenire non possunt. Sed horum numerus ad pauciſſimos redigitur, & vulgò ignotos, qui sibi, ac mundo mortui, & crucifixi vitam degunt absconditam cum Christo in Deo.

Alterum illos complectitur, qui orthodoxæ fidei professione contenti his rebus dumtaxat, quæ foris apparent, Christiani hominis officia contineri arbitrantur; timentes quidem Deum, sed & idolis suis servientes. Ad Sacramenta frequenter accedunt, sed tantâ animi remissione & socordiâ, ut ex frequentia nihil proficiant; à gravioribus peccatis abstinere satagunt, leviora negligunt: exteriores Religionis actus non omittunt; sed terrenis affectibus immersi, sibique semper & propriis commodis addicti, quid sit vita interior, quid perfectio Christiana, quid ascensus mentis in Deum, quid abnegatio rerumque omnium abdicatio, sine qua neminem posse suum esse discipulum toties Christus docuit, aut prorsus ignorant, aut discere nolunt: & si quis eis sanctioris vitæ documenta proponat, illa ad Monachos, & ad Anachoretas ablegant stulto & lachrimabili errore decepti.

Tertium genus illos omnes comprehendit, qui ideo Christiani dicuntur, quia à Christianis parentibus orti, & aquâ baptismatis regenerati inter Christianos commorantur: moribus autem deteriores sunt infidelibus, improbi, sceleribus pleni, abominabiles, quorum immensa multitudo est.

§. II.

*Tertium genus Christianorum describitur.*

HI sunt qui ore Deum fatentur, factis negant: corpus enim suum ejusque commoda nimis amantes, & seculi legibus pertinaciter adhærentes contra Evangelicam veritatem ita se obdurant, ut se esse Christianos penè erubescant.

Fovent

Fovent quotidè peccata sua,& flagitiis in consuetudinem versis etiam verecundiam perdiderunt. Nihil sapiunt nisi terram, bonaque & mala solius corporis voluptate perpendunt, & sic omnes vitæ suæ actus disponunt, ut veluti bruta animalia corporis sensibus obsequantur. Maximum bonum judicant opes, quas si bonis artibus nequeunt, malis assequi student. Nihil illis turpe, nihil indignum, dummodo pecuniis affluant & dignitatibus, quibus ad injuriam Creatoris sacrilegè abutuntur; & quod olim de quibusdam Græcis dictum legimus,ædificant quasi semper victuri,vivunt quasi alterâ die morituri. Hæc autem faciunt, quia verbis domini non credunt,& humanæ conditionis obliti longam sibi annorum seriem pollicentur. Quiescunt in rebus transeuntibus, quæ rursum ab aliis occupandæ sunt, nihil soliciti de permanentibus, quia de Æternitate non cogitant. Torquet illos ambitio, dissolvit libido, inflat superbia, lacerat invidia, agitant cupiditates, & justitiæ fastidio laborantes sic Dei mandata aversantur, ut ferè etiam execrentur. Clamat Christus beatos esse paupere s, beatos qui lugent, qui persecutionem patiuntur: isti ex adverso beatos illos dicunt, qui divitiis ad satietatem abundant, qui super alios dignitate eminent, quos omnes venerantur. Edixit ille suum Discipulum esse non posse, qui non renuntiat omnibus quæ possidet: isti, quæ habent, cum amore retinent, cum dolore amittunt; imo & aliena concupiscunt, & si nemo prohibeat, cum injuria rapere parati sunt. Aliqui etiam Ecclesiæ addicti, qui solum Christum partem suam esse professi sunt,suæ promissionis immemores nummos non cessant nummis addere, possidentes sæpenumero sub Christo paupere quæ sub locuplete mundo non habebant. Præceptum Domini est, ut diligamus inimicos nostros, atque his, qui nos oderunt beneficia rependamus: isti & odio habent, & contumeliâ afficiunt, & si factis nequeunt,saltem animo offendunt. Jubet ille: ut auferenti tunicam dimittamus & pallium; ut dexteram maxillam percutienti sinistram prebeamus: quis est qui obtemperet? imò quis est qui hoc sive mandatum, sive consilium non contemnat, non irrideat? Percurrat qui voluerit Christi Evangelium, ejusque sectatores recenseat, pauciss imos reperiet, qui ad ejus præscriptum vivant, qui ipsum quâ par est æstimatione, & veneratione prosequantur. Sed nec legere, nec audire dignantur, & iniquas mundi fabulationes, atque insanias falsas Verbo Dei anteponunt, vel ex hoc ostendentes se ad illos pertinere, qui Verba Dei non audiunt, quia ex Deo non sunt. Cum sit igitur hominis Christiani Deo fideliter credere, ejus consiliis obsequi, ejus parêre mandatis; fit absque dubio, ut qui hæc spernit & conculcat, Christianus non sit: fides enim sine operibus mortua est, nec quidquam prodest magni nominis prærogativa, si mores illi & officia non consentiunt. Inter Christianum & infidelem non sola fides discrimen ponere, sed vita etiam & mores debent, ut vera Religio à falsa operibus distinguatur. Qualis enim fides illorum esse potest, qui sic Deo credunt, ut ejus mandata contemnant? Similes dæmoni isti sunt, qui credit, & contremiscit: atque utinam deteriores non essent, nam dæmon credulitatem habet & timorem: hi fidem jactant, timorem non habent.

## §. III.

*Peccatum originale causam esse omnium malorum.*

CAusam hujus pravitatis nemo potest ignorare, cui nota sit primi hominis prævaricatio. Amissâ enim justitiâ originali in tot mala incidit vitiatæ naturæ massa damnata, ut eorum multitudo omnem vincat eloquentiam. Hinc vita traducitur plena laboris, & doloris, plena vitiis, & iniquitatibus, suoque pondere proclivis ad malum. Hinc horrenda illa profunditas ignorantiæ, quæ mentem nostram tenebrosâ quâdam caligine involvit: hinc cœca & indomita concupiscentia, quæ animam deprimit, & affigit humi. Hinc aversio à Deo, & amor rerum pereuntium, atque ex hoc mordaces curæ, insana gaudia, lites, discordiæ, rixæ, hæreses, sacrilegia, infandæ libidines, ac totius ferè humani generis æterna damnatio. Illa siquidem fuit impiæ rebellionis justissima pœna, ut qui propriâ voluntate in superbiam elatus Deum deseruit, ab eo desertus sit; & qui libero arbitrio bene uti noluit, cum posset: jam ipso ad bonum uti, & Deum diligere sicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, aut quæ recta sunt, cogitare nequeat, nisi gratia & misericordia divina ipsum excitet, & præveniat. Homo igitur sibi relictus amoris sui pondere ad se ipsum convertitur, sibique soli incubans, in se tamquam in centro requiescit. Atque utinam omnes Christiani

stiani hanc veritatem benè perciperent; nam si se captivos esse sub lege peccati, & ad omne bonum ineptos agnoscerent, ab eo utique auxilium continuâ & ferventi oratione peterent, qui operatur in nobis & velle, & perficere; & à quo omne lumen, & robur, & omnis sufficientia nostra procedit. Sed jacent plerique in profundo sepulti, & miserando errore delusi suam cœcitatem, suosque languores amant, & se sanos existimant, quia nesciunt se ægrotare.

## §. IV.

### *Occasio, & scopus hujus Libelli.*

HÆc cum sæpius mente revolverem, vitæque transactæ perditos dies in amaritudine animæ meæ recogitarem, duplex me cura invasit, quarum una præteritum tempus, altera futurum respiciens, de utroque anxium & solicitum reddidit. Nam si dies anteactos simul adesse jubeo, & serium de iis examen instituo, horrori mihi sunt tot Divinæ legis prævaricationes, & toties violata Fides, quâ Christo in Baptismate nomen dedi, abrenuntians Sathanæ, cunctisque operibus, & pompis ejus: pudetque me gratiæ Dei infidelem fuisse. Si verò mentis obtutum in ea figo, quæ ventura sunt, Dei tremendâ judicia, expavesco, & veniæ ac salutis incertus totis artubus contremisco. In his igitur angustiis constitutus, statui, Deo opitulante, mihi ipsi primum, tum aliis, quos eadem calamitas premit, efficaciter succurrere, & remedia præscribere, quæ semper in promptu sint, ut imbecillitas memoriæ assiduâ lectione reparetur, viamque perfectionis arripere cupientibus prolixæ inquisitionis labor absit. Nam quia omnis disquisitio veritatis fit ex quibusdam principiis, quæ à Philosophis Axiomata, à Medicis Aphorismi dicuntur, quibus præcipuarum rerum compendium ac veluti medulla continetur; propositum mihi est in hoc Libello, quidquid de Vita sanctè instituenda in sacra primum Scriptura, tum in Codicibus sanctorum Patrum, & piorum Scriptorum diffusè legitur, ad certa quædam, & magis necessaria Vitæ Christianæ Principia restringere, quæ brevia sint & concisa, & paucis multa comprehendant. Porrò hoc unum est necessarium, à quo summa rerum vitæque beatæ totius ratio dependet, scire quid sit Christianè vivere. *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* (*Matth.* 16. 26.) Quid verò perversius magisque insanum aut dici, aut fingi potest, quàm Christiani nomine gloriari, vitamque prorsùs alienam à Christi doctrina, & exemplis instituere? Vanum est nomen, cui vita non congruit.

## §. V.

### *Cur Vitæ Christianæ documenta multi discunt, pauci exequuntur.*

HÆc autem Præcepta facilè possunt omnes legere, discere, & meditari; sed quod valde dolendum est, eorum germanam vim, & notionem pauci assequuntur. Facilè omnes agnoscimus iter ad Cœlum parandum esse abnegatione, jejuniis, vigiliis, carnis castigatione, multisque tribulationibus, sed in actionibus nostris aliter sentire videmur. Facilè dicimus, oportere Christianum calumnias, persecutiones, tormenta, & ipsam mortem libenter pati; sed cùm hæc mala proxima sunt, cùm vitæ periculum imminet, tunc caligo mentem obumbrat, & quod antè dilucidum videbatur, incredibili obscuritate circumfusum apparet. Humiles sumus, cùm à nemine vilipendimur: patientes, cùm nihil molestiæ occurrit. Documentis Vitæ Christianæ assentimur, quando nos non attingunt: cùm vero ad nos pertinent, tunc irrepunt terrenarum cupiditatum illecebræ, mentemque confundunt; & ea in molliorem sensum, nobisque commodiorem interpretamur. Latet enim veritas caligine obvoluta, eamque oderunt homines ob insitam illi austeritatem, quam natura nostra peccato vitiata pati non potest; & quia virtutibus amaritudo, vitiis voluptas admixta est, illâ offensi, hâc deliniti præcipiti cursu in vitia ruunt, & posthabitâ veritate mendacium amplectuntur. Quod si aliquando Præceptores audiunt, qui ipsam veritatem proferant, ac veluti oculis exponant, quamvis agnoscant se in tenebris, & umbra mortis ambulare, & aliquo modo ad lucem aspirare incipiant, in suas nihilominùs tenebras relapsi oculos claudunt, ne oblatum lumen aspiciant, similes dormientibus, qui

expergiſci conantur, ſed alto ſopore demerſi, protinùs in ſomnum remerguntur. Nemo igitur mirari debet, ſi multa proponimus, nihil exequimur; tùm quia difficultates, quæ in bonis actionibus ſolent occurrere, non prævidemus, illisque apparentibus retrocedimus, tum quia magis in propriis viribus, quàm in Dei adjutorio confidimus, & ideò ingruente tentatione deficimus, ut diſcamus non noſtræ virtutis eſſe, ſed Divinæ miſericordiæ, quod vincimus: tùm quia denique multùm ſpeculationi, parum affectui incumbimus, & leges bene vivendi in doctrina potius, quàm in conſcientia habere volumus, ſcientiam Divinam ſtudioſè inquirentes, non ut mores habeamus quos illa inſtituit; ſed ut ad hominum laudes per ejus oſtentationem perveniamus. Inanis autem labor eſt ſapientiam diſcere, & inſipienter vivere.

## §. VI.

### *Regulas Evangelicæ perfectionis non ſolis Religioſis, ſed omnibus Chriſtianis traditas eſſe.*

QUia plurimi ſunt, qui tradita à Chriſto Chriſtianæ perfectionis documenta nec diſcere, nec ſervare volentes, ne illa temere abjeciſſe videantur, ad illos dumtaxat ſpectare aſſerunt, qui clauſtris incluſi à ſeculi curis alieni ſunt; oſtendam evidenter quam ſit inanis & falſa eorum perſuaſio, ut hoc errore ſublato veritas patefacta clareſcat. Veriſſimum quidem eſt, duplici ſtatu Chriſtianorum vitam diſtingui, mundano, & religioſo; uterque tamen, diverſo licet tramite, ad eundem terminum tendit: & quod attinet ad praxim virtutum, ad mundi contemptum, ad paupertatem ſpiritûs, ad amorem Crucis, par utriuſque conditio eſt, hoc ſolo intercedente diſcrimine, quod Religioſi ſolemnium votorum ac regularum vinculis divincti, ſtrictiori jure quam mundani ad perfectionem tenentur, in reliquis una & eadem vitæ ratio ab utriſque requiritur, unum & idem Evangelium omnibus prædicatum eſt. Cumque Deus nihil præcipiat niſi Charitatem, nihil prohibeat niſi cupiditatem, nulla in his differentia, nulla exceptio perſonarum reperitur. Præcepit Salvator noſter, ne quis verbum otioſum loquatur, rationem de illo redditurus in die judicii, ne quis iraſcatur, ne quis concupiſcat, nec ullam videmus poſitam eſſe diſtinctionem inter Monachos, & conjugatos. Simili modo cum dixit beatos eſſe qui lugent, infelices qui rident: cum docuit, nos oportere ſemper orare, omnibus renuntiare, vitam odiſſe, nos ipſos abnegare, injurias patienter ferre, intrare per anguſtam portam, nullum certè hominum genus excluſit. Paulus item Apoſtolus, cum omnibus Chriſtianis etiam conjugatis filioſque nutrientibus ſcriberet, nonne ab illis omnem exigit vitæ Monaſticæ diſciplinam? *habentes*, inquit, *alimenta, & quibus tegamur his contenti ſimus* (1. *Tim.* 6: 8.) Quid amplius ab Anachoretis requireret? Petrus quoque & Jacobus Apoſtoli, nonnè ad omnes Chriſti fideles ſcribebant, cum eos hortabantur, ut eſſent ſancti, integri, perfecti, in nullo deficientes, (1. *Petr.* 1: 15. *Iac.* 1: 4.) Chriſtus denique cum dixit, *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt* (*Matth.* 5: 48.) ſermonem habuit ad omnes in ſe credentes, quibus altiſſimum Sanctitatis ſcopum præfixit, ut omnes qui per adoptionem Filii Dei nominamur, & ſumus, Patris Perfectionem æmulemur. Magna itaque cunctis Chriſtianis ſanctitatis neceſſitas indicta eſt, ne à paterna hæreditate tanquam degeneres excludantur.

## §. VII.

### *Hujus Libelli utilitas, & exhortatio ad perfectionem.*

IDeò contemptis omnibus, quæ bona mortales putant, huic ſoli curæ incumbendum eſt, ut per Chriſti veſtigia ad Evangelicæ perfectionis culmen properemus. Ad hoc referuntur quæcumque in hoc Libello collecta ſunt, ut ſuperatis ſenſuum præſtigiis, & veritate comprehenſâ, quaſi in Regionem originis noſtræ revertamur, de vitiis triumphaturi, & in perpetuum regnaturi. Filii hujus ſæculi perſuadere conantur, perfectionem rem difficillimâ eſſe, nec poſſe in hoc mundo inveniri, ut ſegnis effectus homo quærere non audeat, quod ſe conſequi poſſe deſperet. Sed volenti nihil difficile, & quidquid arduum eſt, gratia Dei facile reddit. Tanta eſt autem pulchritudo juſtitiæ, tanta jucunditas æternæ lucis, tantus ſplendor incommutabilis veritatis, ut ſi unius tantùm

tùm diei morâ in ea manera liceret, innumerabiles hujus vitæ anni pleni delitiis, & omni affluentiâ temporalium bonorum, meritò contemnerentur. Scriptum est enim, *Quia melior est dies una in atriis tuis super millia* (*Psal.* 83.) Nemo autem mirari debet, si quæ aliquando in hoc tractatu repetita occurrent; connexa sunt enim virtutum documenta, & hæc est vis veritatis, ut quo propius ad ipsam accedimus, eò frequentiùs in eamdem incurramus. Si quæ verò aspera & difficilia, si qnæ graviora, & humanæ fragilitatis vires excedentia videantur, meminisse juvabit regnum cœlorum vim pati, nec esse condignas passiones hujus temporis, quamvis unus omnes sustineat, ad futuram Gloriam, quæ revelabitur in nobis. Brevis labor est, merces æterna.

## §. VIII.

### *Quam necessaria sit Christiano ultimi finis consideratio.*

NEc verbis exprimi, nec mente concipi potest, quanta sit inter Christianos ultimi finis ignorantia. Si nulla esset æternitas, si nihil post hanc vitam sperandum aut timendum foret, numquid aliter viveremus? Pauciſſimi sunt, qui seriò considerent, hoc unum sibi & gravissimum negotium in hac vita peragendum esse, ad quod omnia dirigere, cui totis viribus incumbere oportet, ut quisque scilicet finem suum consequatur, qui propter se appetitur, & non refertur ad aliud, de quo Philippus Apostolus loquebatur cum dixit, *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis* (*Ioan.* 14: 8.) Finis enim, qui est Deus, ejusque clara visio sufficit nobis, quia ejus non erit finis. Cætera nugæ, & vanitates sunt, & afflictio spiritus. Docet nos corporis figuratio ad quid nati simus. Erecto enim vultu creavit nos Deus, ut cœlum aspiciamus, unde origo nostra, ubi patria est. Plerique tamen pecudum more in terram proni nihil quærunt, nihil sapiunt nisi terram; ac veluti lethargo oppressi vix ad magnos clamores, atque etiam admoto igne, caput attollunt. Tum paucis verbis imperfectè prolatis rursum obdormiunt, & verba salutis nec audire volunt, nec audita percipiunt. Verbum Domini est, *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* 6: 33.) Nos autem de regno Dei nihil soliciti, pecuniam primum quærimus; & sæculi dignitates atque voluptates: & huic soli curæ intenti sumus. Ille docuit nos, unum esse necessarium (*Luc.* 10: 42.) nos in multa distrahimur, quæ nihil aliud sunt, quam impedimenta salutis. Ait ille, ut eadem hominibus faciamus, quæ nobis volumus ab illis fieri (*Matth.* 7: 12.) nos ex adverso ea facimus aliis, quæ nolumus ab illis pati. Ille dixit, *Nolite judicare* (*Matth.* 7: 1.) nos aliorum severissimi judices. In fratrum oculis festucas arguimus, trabes in nostris non videntes. Præcipit ille, ut ipsum toto corde, & super omnia diligamus (*ibid.* 22: 37.) nos opes, & voluptates plusquam ipsum amamus præferentes ei quidquid naturæ depravatæ errores fovet, quidquid blanditur concupiscentiæ. Inanis igitur est, quod ad nos attinet, prædicatio crucis, inutilis incarnatio Verbi, inefficax virtus Sacramentorum, quandoquidem ita vivimus, ac si nullam Dei & ultimi finis notitiam haberemus. Cumque vita cujusque animalis in operatione sibi congrua consistat, nostra autem propria operatio sit cognitio, & amor Dei, quidquid operamur huic fini conveniens, salutare est; quidquid extra illum, inutile & vanum: quidquid contra illum, pernicioſum.

## §. IX.

### *Cum omnes velint esse beati, cur non omnes beati sint.*

OMnium qui ratione utuntur certa sententia est, velle homines beatos esse. De ipsa autem beatitudine multæ, & magnæ controversiæ excitatæ sunt, in quibus Philosophi studia sua & otia contriverunt, ut discerent, quæ sit vita beata, cujus appetitio Christianis, & infidelibus, sapientibus & insipientibus communis est. Sed in quo vera beatitudo consistat, soli Christiani norunt, qui fide credunt fontem totius felicitatis, & finem omnium appetitionum Deum esse, qui est summum bonum & finis ultimus, quem super omnia amare debemus, ut in ejus fruitione quiescamus. Satis autem deplorari non potest innumerabilium Christianorum cœca perversitas, qui cum beatitudinem vehementer exoptent, nihil tamen agunt, quo illam adipisci valeant: ità enim deluditur eorum

mens, falsâ quâdam felicitatis imagine, ut præsentium suavitate illecti nihil appetant, quod sensum excedat. Ideò beati esse volunt, nec possunt; quia actiones suas ad finem ultimum dirigere nolunt, ex quo fit, ut miseri sint, non quod velint miseri esse, sed quoniam ea volunt, ex quibus inevitabilis miseria sequitur, ipsis etiam invitis. Sicut in circulo quamtumvis amplo unum est medium, quod centrum vocant, ad quod omnes lineæ vergunt, & quamvis circuli ambitus in partes innumerabiles secari queat, nihil tamen verè est præter illud unum, quod quasi quodam æqualitatis jure omnibus dominatur: ita animus unum Deum semper quærere, & ad illum tendere debet, à quo si recedit, multitudine obruitur, quæ ipsum unum invenire non sinit. Hoc unum à nobis exigit Deus, quia hoc solum necessarium est. Cætera omnia si desint, nihil necessarium deest, quandoquidem nec quod vivamus necessarium est. Quod si vita necessaria non est, multò minus quæ ad illam spectant. Qui autem vivit necessitate officii, uni Deo vivere & servire debet. Ita enim in hoc mundo constituta est rationalis creatura, ut si convertatur ad bonum incommutabile, fiat beata, si ab eo avertatur, misera sit.

## §. X.

### *Omnia ad Deum referenda esse purâ intentione.*

CUm omnes in hoc mundo peregrini simus, & viatores, qui ad patriam pergimus, necessarium nobis est indesinenter progredi, ac seriò disquirere quò tendamus, quo fine, & quâ intentione operemur, & ad quid præsentibus studiis spectemus. Homo enim operatur propter finem, & quò purior est operantis intentio, eò perfectius est opus. Bonum opus intentio facit, intentionem dirigit fides. Impiorum, & reproborum est illa vox, *Ergo fruamur bonis quæ sunt (Sap. 2: 6.)* nam Deo frui, creaturis uti debemus. Et omnes quidem creaturæ, quantùm est ex parte Dei, semitæ sunt, & modi, quibus ad ipsum perducimur: malitiâ verò nostrâ impedimenta fiunt, quibus ab eodem avertimur, & à scopo abducimur: quoniam, ut ait Sapiens, *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium (Sap. 14: 11.)* Insipientium, inquit, qui Deum ducem non sequuntur, qui ab ejus lumine mentis oculos avertunt, & decus creaturarum amantes in umbra, & obscuritate perambulant, eò languidiores ad perferendam Dei lucem effecti, quò magis umbræ inhærent. Quod si omnes creaturæ ad hoc conditæ sunt, ut iis utamur ad finem ultimum consequendum, avellenda ab illis affectio est, & ad Deum transferenda, qui finis est. Etenim finis appeti, & amari debet sine fine, & termino, quia ejus bonitas summa est & independens, illa verò, quæ ad finem perducunt, eatenùs amantur, quatenùs ad ipsum finem consequendum juvant, à quo eorum bonitas pendet. Christiani igitur hominis est, quidquid cogitat, quidquid loquitur, quidquid agit, ad Deum referre, non ore dumtaxat, aut minus fervidâ spiritûs applicatione, sed toto animi conatu, & affectu à rebus terrenis prorsùs avulso: nam sæpè decipimur specie recti, & relabimur in nos ipsos, nostra potiùs commoda, in ipsis etiam spiritualibus exercitationibus, quàm Deum quærentes. Ideò Scriptura dicit arctam & difficilem esse viam Salutis, quia natura corrupta Divinis rationibus ac puræ intentioni repugnat, & ad se omnia refert: cùm autem hæc repugnantia assiduo usu, & delectatione Divinæ legis superata fuerit, lata fit via, lævia mandata, jugum suave.

## §. XI.

### *Unde proveniat quod plerique à fine aberrant.*

PRæclarè & ex alta sua sapientia mortalium Sapientissimus dixit, *Stultorum infinitus est numerus, (Eccl. 1: 15.)* Maxima enim, ac penè infinita hominum turba, intolerabili ac perpetuis lacrymis deplorandâ insaniâ transigit in nugis dies suos, carnem spiritui, tempus æternitati, terrena Divinis præponens; donec miserabilis vitæ actio in horribilem mortis tragœdiam desinit, & in puncto ad inferna descendunt. Si de lite vincenda, de acquirenda possessione, aut de consequenda dignitate sermo sit; nulli parcitur labori, exhauritur ærarium, evolvuntur libri, prisca monumenta excutiuntur. At cùm agitur de Cœlesti regno, de sempiterna beatitudine adipiscenda, dormiunt omnes,

omnes, nemo excitatur, nulla diligentia, nulla cura adhibetur. Pro his quæ corpus afficiunt & lædunt, cujusmodi sunt fames, sitis, frigus, æstus, dolores, infirmitates, sensa habemus infallibilia, ex quibus fit, ut omne studium nostrum, omnisque industria in his evitandis continuò occupetur. Ad animæ autem famem, frigus, ægritudinem, & alia mala, omni prorsus sensu caremus, ac si pars hominis nobilior & excellentior, quâ vivimus, quâ ratiocinamur, quâ similes Angelis sumus, aut omninò non esset. Vincit nimirum, & prævalet pars animalis, & hæc fragilis vita plùs diligitur, quam sempiterna, nec in alio omnis nostra solicitudo attentiùs occupatur, quàm ut homo brevi moriturus aliquantò seriùs moriatur. Provenit hoc, primùm ex crassa & supina ignorantia, sive potiùs ex inadvertentia, nesciunt enim plerique, aut non considerant, ad quid conditus sit homo, quem sibi debeat in omni parte vitæ suæ scopum præfigere, & quâ viâ ad illum possit pertingere, sicut scriptum est, *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde* (*Ierem.* 12: 11.) Provenit ex multitudine, & sævitia hostium in nos irruentium, quorum laqueos nemo potest evadere, nisi à Domino exercituum conterantur. Cingunt enim nos, & obsident caro fragilis, mundus blandiens, & agmina dæmonum insidiantium. Provenit ex defectu luminis, cujus in mundo profundâ nocte sepulto maxima inopia est, nec illud in oratione ab eo exquirimus, qui solus potest discussis tenebris mentem nostram illuminare. Provenit tandem ex segnitie, & inconstantia, quia virtus in desiderio est, & non in opere: & cum ad praxin veniendum est, difficultate territi recedimus. Et omnes quidem ad Christum pervenire vellent, sed post illum ire nemo vult: eo frui vellent, sed non imitari: ipsum assequi desiderant, sed non sequi. Vellent lucrum sine labore, coronam sine certamine. Placent præmia, displicet lucta.

## §. XII.

### *Decipimur specie recti.*

OMnis mundi felicitas, & quidquid vulgus amat ac plurimi æstimat, instar picturæ est, quam si quis ad falsum & exiguum lumen præsentis temporis, quasi ad lumen lucernæ intueatur, speciem aliquam pulchritudinis habere videtur, quâ allicit, & trahit ad se: sed si ad lucem æternitatis, quasi ad radios fulgentissimi Solis introspiciat, clarissimè perspiciet nihil aliud esse, quàm deformem & vix adumbratam imaginem, & incompositam linearum confusionem. Obscura nimirum est oculis mundi lux Evangelii, quæ in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehendunt. Hæc sola nos illuminat, ut, quid interfit inter bonum, & malum, inter verum, & apparens, discernere, & pretiosum à vili separare valeamus. Per hanc veritatem cognoscimus, quæ permanet in æternum, quæ habitat in interiori homine, instruens nos non hærere in pulchritudine creaturarum; sed earum nitorem ita percurrere, ut ad rerum omnium Conditorem per amorem recurramus. Hæc docet nos soli Deo adhærere, omnemque fiduciam in ipso ponere, non in principibus, non in amicis, nec etiam in fratribus, quia, cum singuli propria principia, & fines habeant, proprioque commodo studeant, tamdiù nobiscum erunt, quamdiù nos utiles credent ad proprios fines consequendos: cum verò ex nobis nullum emolumentum sperabunt, procul à nobis recedent. Cavendum igitur, ne species decipiat nos, ne solatium & felicitatem quæramus in creaturis quæ non sunt, nec pretium habent nisi ab errore vulgi, & ab ignorantia, & cœcitate nostra, relicto Deo bonorum omnium fonte, qui solus verè est, & extra quem nec quies, nec pax reperitur. Infelicissimus homo est, qui ab eo recedit, qui summus est.

## §. XIII.

### *Humanæ vitæ cursus, & perversitas.*

HOc circulo humanæ vitæ cursus irrequietâ vertigine persicitur, & circumvolvitur, Edunt homines, bibunt, dormiunt, rursumque surgunt, ut iterùm gulæ & somno indulgeant. Opes congregant, & non est finis acquisitionis eorum. Jucundè vivere volunt, tardiùs mori. Inter baptismum, & extremum halitum congeries quædam & confusio intercedit Sacrarum, & profanarum actionum, Sacramentorum, & criminum, Confessionum & relapsûs. Nulla dies sine labe transigitur, omnesque passim in incertum currunt absque ulla sui finis consideratione. Et omnes quidem currunt, sed

sed pauci omninò sunt, qui perveniant ad metam. Non enim considerant, qualis in Cœlo gloria parata sit illis, qui triumphato sæculo Christi fidem, & legem custodiunt. Fecit Deus mundum, & in eo creavit hominem ad imaginem & similitudinem suam, tribuens illi intellectum, ut Factorem agnosceret; voluntatem, ut diligeret, memoriam, ut memor esset mandatorum ipsius ad faciendum ea; sensus ad serviendum ei; linguam ad enarrandas & decantandas laudes ejus. Universa autem, quæ in mundo sunt, propter hominem condidit, eique cuncta subjecit, ut ipse Creatori subjectus rebus omnibus ad salutem suam & ad Dei gloriam uteretur. Sed voluptatum illecebris depravati mortales ad infima deprimuntur, Deique donis tam interioribus quàm exterioribus, scientiis, divitiis, honoribus, ipsâque valetudine, & vitâ nonnisi ad commoda corporis, & ad injuriam Creatoris utuntur: quibus si rectè uterentur, ornamentum animi forent, vitæ præsentis subsidia, & ad finem ultimum consequendum aptissima instrumenta. Tanta est hominis perversitas & malitia, ut in sui perniciem convertat, quæ sibi à Deo tradita sunt ad perpetuam Beatitudinem comparandam.

## §. XIV.

### *Via recta ad finem est, ut quisque suam Crucem ferat.*

DEbet omnis homo, ut finem suum citius consequatur, vitam suam dirigere secundùm rationes æternas, & per viam statui suo convenientem ad propositam sibi metam properare. Sed non omnes hoc servant, plurimi enim stulto errore delusi viam sibi ad finem proprio arbitrio præscribunt, illam deserentes, quam Divina providentia unicuique destinavit. Sicut Princeps militiæ Regis Syriæ, nomine Naaman, quamvis optaret à lepra sanari, remedium tamen facillimum ab Elizæo præscriptum recusabat, illud præferens, quod ipse sibi finxerat, solo Prophetæ tactu se sanandum putans; jamque iratus lepram suam secum ferens recedebat; nec unquàm curatus fuisset, nisi postmodùm servi fidelis admonitione sapientior factus, indicatum à sancto viro remedium adhibuisset. Ita plerique propriam sibi semitam sternunt, quâ perveniant ad finem, multa decernentes à proprio statu & instituto aliena, quibus exequendis vel facultas deest, vel occasio, vel obstant, quæ prætermitti nequeunt, quotidianæ occupationes. Ex quo fit, ut semper in desideriis sint, & nihil unquàm, quod ad finem obtinendum prosit, operentur. Via autem brevis & expedita illa est, quam Christus ostendit dicens, ut, qui vult ipsum sequi, accipiat & ferat crucem suam: suam inquit, non alienam: à Deo acceptam, non à se inventam: non quæ temerè usurpetur, & vires excedat; sed quam paravit Divina sapientia, quæ simul ferendi vires subministrat. Cavendum igitur primò, ne mens aberret à fine, quem qui nescit, illa quoque ignorat, quæ ad ipsum perducunt. Tum cognito fine, quoniam diversæ occurrunt semitæ ad ipsum pergere volentibus, illa præferenda & eligenda, quæ proprio statui conveniat, ut quisque videlicet crucem suam ferat, sicut Dominus præcepit. Porrò crux singulorum hæc est, officio suo exactissimè fungi, adversitates quotidiè occurrentes patienter ferre, & ad perfectionem sui statûs nullâ prætermissâ occasione se ipsum erudire. In omni loco & statu Christianam perfectionem consequi licet, & pervenire quò tendimus, si in vocatione sua quisque permaneat.

## §. XV.

### *Conditiones ultimi finis, & cur ab illo plerique aberrent.*

ULtimi finis duæ sunt conditiones, quod sit bonum perfectum, & quod sit per se sufficiens, ita ut vitam prorsus tranquillam, nullòque exteriori bono indigentem reddat, atque omnem motum terminet naturalis desiderii, etiamsi solùm possideatur. Quicumque enim indiget, illud, quo indiget, adipisci desiderat: qui autem aliquid desiderat, non quiescit, donec illud consequatur. Hæ verò conditiones in solo Deo reperiuntur, qui summum & perfectissimum bonum est, & solus potest omne desiderium nostrum explere. *Satiabor*, inquit Propheta, *cùm apparuerit gloria tua.* (*Psal.* 16: 15.) Verumtamen humani generis vitium exercrabile est, ut summum bonum illud esse definiat, quod præ cæteris ità diligit, ut ab eo amoveri non possit, quamvis propriæ conscientiæ judicio id malum esse non ignoret. Tanta vis est perversi animi, ut nec alieno, nec pro-

proprio judicio acquiescat. Ideò plurimi sunt, qui aut veri finis ignorantiâ, vel perversæ voluntatis vitio, falsa potiùs bona quàm vera sectantis, à summo bono aberrant, nec ipsum unquàm assequuntur. Hi semper miseri, & detestabiles rerum ordinem turbant, atque confundunt, à Deo aversi, & creaturis tamquàm uni adhærentes: sub sensibus esse delitias computant, tenebras amant, quibus involvuntur, corpus mortis quod gestant, laqueos inter quos ambulant, locum afflictionis quem inhabitant, nec horibilem Judicis sententiam adversùs sui finis desertores pertimescunt. *Ambulant*, sicut ait Apostolus, *in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum; qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam (Ephes. 4: 17.) æstimant lusum esse vitam nostram, & oportere undecumque etiam ex malo acquirere (Sap. 15: 12.)* fitque sæpius Divino judicio, ut, dum nequiter vivunt, illud demùm perdant, quod salubriter credunt, similes insipientibus, qui dicunt in corde suo, *Non est Deus (Ps. 13.)* Fontem hujus perversitatis jam suprà indicavi, nec unquàm satis commemorabitur, etiamsi millies repetatur. Peccavit Adam, & non solùm justitiam quam acceperat, sed scientiam quoque boni perdidit, totamque propaginem in se tanquàm in radice vitiavit. Hæc autem corruptio immenso pondere hominem gravat, magnóque impetu inclinat, & urget ad carnis voluptates, ad effrænam sensuum licentiam, ad exercendam super alios potestatem, ad sui rerumque suarum æstimationem, ad otium, & fugam laboris. His accedit in intellectu obscuritas, ignorantia, falsa rerum apprehensio, incerta judicia, errores, mendacia, & à seriis cogitationibus aversio: in voluntate infirmitas, veri boni neglectus, & languor, atque inertia ad resistendum pravis motibus, appetitus rebus caducis semper affixi. Idcircò de viro iniquo scriptum est: *Non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore (Ps. 9.)* Ignorato autem Deo, cui debent cuncta servire, veræ etiam virtutes ignorantur, quæ finibus non officiis, à vitiis discernuntur. Anima verò ab hac diabolica captivitate & à miserrima servitute peccati per gratiam Jesu Christi Salvatoris nostri liberata, Deo firmiter adhæret, in quo omnia reperit quæ ab hominibus desiderari possunt, summâque pace, & tranquillitate in ipso quiescit, nihil quærens, nihil optans extra ipsum: nimis enim avarus est, cui Deus non sufficit.

## §. XVI.

### *Alia assignatur causa ob quam multi ultimum finem non assequuntur.*

CUm rationi consonum sit, idque omnes fateantur, futura præsentibus, Divina terrenis, perpetua brevibus anteponenda esse; satis intellectu difficilè est, cur plerique mortalium, qui corde hoc credunt, & ore prædicant, factis tamen negent: in actibus quippè & negotiis carnalis vitæ occupati, augere reditus, agros colere, pecuniam undecumque congregare, dignitates consequi totis viribus studeant; in reliquis sic verè se habent, ac si sensu & intelligentiâ carerent. Si de Deo, de Vita æterna, de Christiana perfectione sermo habeatur, vel quæ dicuntur non percipiunt, vel statim obliviscuntur, quia res caducæ & temporales, quæ sensibus subjectæ sunt, mentes eorum magis percellunt, & licèt interdùm quotidianâ experientiâ urgente videant, & probent, humana omnia fugacia esse, ac tenui filo pendentia; protinùs tamen sensibus cedunt, ad ea redeuntes, quibus dudum assueti sunt. Hujus autem infelicitatis causam potissimam esse diximus primi Parentis prævaricationem, ex qua velut rivuli ex fonte ignorantia, inopia lucis, tentationes, & inconstantia emanârunt. Nunc verò alia occurrit sedulò considerandа imbecillitas; scilicèt spiritûs nostri non percipientis, quæ sunt Spiritûs Dei, & res etiam terribiles languidè, & confusè concipientis. Peccati fœditas, mortis amaritudo, tremendum Dei Judicium, æternum gehennæ incendium leviter apprehendi solent, ut sunt quædam verba in auribus sonantia, quare vim nullam habent salutares motus excitandi. Illam videlicet eamque minimam partem propositę rei apprehendimus, quæ sensum percellit, reliqua non attendentes, quæ mentem excitare & afficere queunt. Sic in peccato ea dumtaxat prospicimus, quæ temporaria sunt, multoque magis displicet nobis propriæ dignitatis, & existimationis diminutio apud homines, quàm Dei offensa, & reatus interminabilis pœnæ. Sic hominis morientis sola symptomata consideramus, quæ foris apparent, ea omittentes, quæ ipsi morti connexa sunt, & ad animam spectant.

ctant, Judicium, & gehennam, quia à sensibus remota sunt, ita percipimus, ac si ad nos nullo modo pertinerent. Rerum autem, quæ sensibus jucunda & grata sunt, solam superficiem, quâ placent, intuemur, & deplorabili amentiâ nos felices arbitramur, dum illis momento fruimur, futuri in æternum infelicissimi. Animam esse immortalem nemo ignorat, multique Philosophi doctissima nobis de ejus immortalitate Commentaria reliquerunt, sed de futuro statu animæ suæ post mortem nemo recogitat, nemo solicitus est, ac si cum corpore interiret. Plerique enim nec ex fide, nec ex ratione vivunt, sectantes temerè quæ sensus appetunt, & ea fugientes, quæ illis molesta sunt, ac si in hac vita nihil aliud agendum sit, nihil in altera timendum.

## §. XVII.

### *Filii Dei sumus, & ejus Spiritu vivendum nobis est.*

SI quis hoc animo percipere posset, ac jugiter meditaretur se filium Dei esse, pretioso Christi Sanguine redemptum, & in spem Vitæ æternæ regeneratum, hanc solam nobilitatem in pretio haberet, nihilque terrenum sapiens, sola æterna ac Divina mente revolveret, & ad Patrem semper aspirans sic vitam instituere satageret, ut talem filium decet. Sicut in theatro, qui Regis personam agit, tametsi actio illa inanis sit, & ad vanam otiosæ plebis delectationem inventa; seriò tamen curat, ne quid agat, aut dicat, quod Regis dignitatem dedeceat: quantò magis Christiam, qui mortem Domini annuntiant, donec veniat, totis viribus eniti debent, ne quid Christo indignùm in verbis & operibus suis appareat? quemadmodum Pictor, ut præclarum opus efficiat, nunquam ab exemplari, quod sibi imitandum proposuit, oculos & mentem avertit: ita Christianus in omni actione, & sermone perfectissimam Christi vitam, & mores tanquàm prototypon numeris omnibus absolutum sibi ante oculus ponere, & sic operari, sic loqui, sic vivere debet, ut nunquàm ab ejus exemplis declinet. Qui enim dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Spiritus, qui dominatur in nobis, spiritus Adæ est, per quem redacti in servitutem diaboli nobis ipsis, propriisque commodis firmiter adhæremus. Quia verò naturâ filii iræ sumus, si ipsam naturam sequimur, omnia opera nostra ex voluntate satanæ, qui nos durissimâ servitute premit, perficientur. Ab hac autem captivitate Christi Sanguine liberati, ex gratiæ principiis operari debemus, ejusque corpori inhærere, cujus membra facti sumus. Adam *primus homo de terra terrenus fuit*; Christus *secundus homo de cœlo cœlestis. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis* (1. Cor. 15: 47.) solicitè caventes, ne, qui Christiani dicimur, tanti nominis dignitatem pravitate nostrâ perdamus. *Si quis spiritum Christi non habet*, inquit Apostolus, *hic non est ejus* (Rom. 8: 9.) Ille autem spiritum Christi habere dicitur, cujus vita interior, & exterior vitæ Christi similis est, qui ad ejus exemplar mores suos componere, atque ità loqui, & operari studet, sicut locutus, & operatus est Christus. Idem alibi monet, ne ambulet homo secundùm hominem, ac si diceret, noli ambulare secundùm hominem: sed secundùm eum, qui fecit hominem: noli deficere ab eo, qui fecit te, ut spiritu ejus imbutus, filius Dei efficiaris. Filius autem Dei esse non potest, qui à spiritu Christi alienus est.

## §. XVIII.

### *Justus ex fide vivit.*

QUod radix arbori, quod fundamentum ædificio, quod rivulis fons, id vitæ Christianæ, cæterisque virtutibus est fides, sine qua impossibile est placere Deo. Ideò ab illa Christianæ institutionis exordium sumendum est, dicit enim Scriptura, *Justus ex fide vivit* (Rom. 1. 17.) Quæ de sapientia, ejusque laudibus, & excellentia magnificis verbis in sacris Libris scripta sunt, (Sap. 7. Iob 28.) ad fidem pertinere, & res ipsa docet, & omnium sapientum consensus evincit. *Omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Infinitus thesaurus est, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. Emanatio est claritatis omnipotentis Dei, candor lucis æternæ, speculum sine maculâ majestatis Dei, & imago bonitatis illius.* Hæc docet nos, omnem veritatem ostendens animæ quid sectari, quid diligere, quid fugere debeat. Docet nos bona hujus mundi mala esse,

mala esse, & mala bona, si patienter tolerentur. Docet contemni oportere quidquid corporeis oculis cernitur, quidquid sensus attingit. Ab illa discimus Deum, & nos ipsos cognoscere, in qua notitia salus, & perfectio nostra consistit. Ipsa ab erroribus insanæ multitudinis ereptos verâ nos Sapientiâ imbuit, & in auram veræ libertatis à seculi captivitate educit. Discrepant toto cœlo mundi hujus, & fidei principia: cumque Christus, à quo fidem accepimus, falli non possit, hinc evidenti conclusione deducitur, oportere nos ex fide vivere, ejusque principia sequi, falsam verò, & pernicioſam mundi doctrinam detestari. Advertendum tamen & solerter considerandum est, nullam in nobis venam esse, nullam facultatem, quæ non impellat ad principia fidei destruenda, & evertenda. Summum hominis studium, summa cura hæc est, in hoc seculo commodè vivere, de æternitate altum silentium, nulla cogitatio. Ad hoc maximum malum infelices mortales adigit spiritus Adæ & concupiscentia, quæ regnat in mortali corpore. Qua de causa gemunt omnes electi Dei dicentes, *Non quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* 7.) Respondet autem Apostolus, *Gratia Dei per* Jesum-Christum. Gratia enim liberat nos à cœcitate, & ab infirmitate, ut videamus quæ recta sunt, & ad ea peragenda roboremur.

## §. XIX.

### *Fundamentum vitæ Christianæ abnegatio sui, rerumque omnium abdicatio.*

MAgna fidei potentia est, quæ cum sit immobilis, immutabilis, inconcussa: similem sibi Christianum efficit, qui ex nuda & simplici fide vivit, & operatur. Nihil enim videt, nihil optat nisi Deum, & in eo placidissimâ tranquillitate quiescit, quia ipse solus lux ejus & dulcedo est, & omnium rerum plenitudo. Nullam autem in hoc mundo delectationem habet, nec in filiis hominum sperat, in quibus non est salus: nam cum omnia, quæ sub cœlo sunt, fluxa, & caduca sint, qui ipsis innititur, cum ipsis pariter labitur; qui verò nititur immobili, non movetur. Sicut Beati omnia vident in Verbo, sic nos debemus in fide omnia intueri, ita ut vita nostra nihil aliud sit, quàm viva imago fidei: ejusque veritatis expressio: nec in ulla re gloriemur, nisi in cruce Domini nostri Jesu-Christi, quæ ab asseclis mundi ignominia judicatur. Primus homo in statu innocentiæ finem ultimum consequi poterat innoxio & legitimo usu delitiarum, quas illi Deus paraverat in paradiso voluptatis. Postquam verò deseruit Creatorem, totumque genus humanum, antequam gigneret, peccato infecit, aliam ad consequendum finem Divina Sapientia viam adinvenit, viam scilicet crucis & abjectionis, per quam Christus incessit, & quam omnibus indixit, prædicans abnegationem, rerumque omnium abdicationem, *Si quis vult*, inquit, *post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidiè, & sequatur me.* (Luc. 9: 23.) Item, *qui non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* 14: 26. 33.) Hoc est fundamentum vitæ Christianæ, hæc supereminens scientia Christi, dura & contraria Spiritui hujus mundi. Hæc summa vitæ beatitudo, hæc altissima Philosophia, terræ sapientibus ignota, scire, & sequi Christum, & hunc crucifixum; seipsum odisse; & quidquid mundus amat, ac magni æstimat, divitias, honores, voluptates, & vice versâ amare quæ ille odit, paupertatem, dolores, sui contemptum, ærumnas, tribulationes. Magna autem gratia est necessaria, ut hoc principium rectè intelligatur; major ut delectet; maxima, ut operibus comprobetur.

## §. XX.

### *Insania hominum, qui sponte damnari volunt.*

CUm æterna supplicia illis dumtaxat destinata sint, qui ad illa damnari volunt, sibique locum in iis præparant sponte peccando; æterna quoque gaudia omnibus volentibus parata sint: quis non crederet vacuum esse infernum, cœlique regnum plenissimum, & infinitâ multitudine refertum? Quis enim sibi persuadere poterit reperiri hominem tantæ dementiæ, qui

velit in perpetuum miser esse, cum facilè possit æterna beatitudine frui; è contrario tamen paucissimi sunt, qui regnũ cœlorum consequantur. Damnatorum verò tanta est turba, ut illorum comparatione, electorum numerum exiguum esse Scriptura nos doceat; dicente Christo, cum de his loquitur, *Nolite timere pusillus grex (Luc. 12. vers. 32.)* Quæ est igitur tanta hominum insania, ut potius miseri in æternum, quàm fælices esse velint? Quis in ardentissima siti labris poculum admoveret, si vel levissimam suspicionem haberet admixti veneni; & tamen passim committuntur peccata, quibus luendis æternum ignem succensum esse non suspicio, non opinio, sed fides certissima est. Tam horribilis dementiæ causam veræ fidei defectui plerique adscribunt, quod licèt in multis verissimum esse certâ experientiâ constet; hoc tamen in plurimis defectui attentionis, & considerationis tribuendum videtur. Quamvis enim credant infernum esse, neminemque damnari, nisi in hac vita volens, & lubens locum sibi in tormentis peccando præparet, hujus tamen veritatis statim obliviscuntur, siquidem fantasia bono sensibili affixa, sensuumque voluptate obbrutescens, omnem aditum claudit futurorum considerationi, nec sinit intellectum advertere, in quam horrendam perpetuòque duraturam amaritudinem carnis delectationes desinant, & quam facile nobis sit in hujus vitæ momento futuram calamitatem evadere, & gaudia sempiterna adipisci. Atque utinã hæc homines saperent & intelligerent, ac novissima providèrent, nam cum proprium sit hominis cogitare, & meditari, ordo cogitationis est, ut in suo fine cognoscendo mens ante omnia occupetur. Omnem errorem, & ignorantiam superat, negligere hominem salutem suam.

## §. XXI.

### *Character veri Christiani.*

HOmo Christianus est, qui Christi fidem & legem profitetur, ejusque vitam & virtutes imitatur. Hoc nimirum à nobis exigit Christianæ fidei professio, ut omnia terrena transcendentes vivamus vitâ divinâ. *Apparuit (Ad Titum 2. 11.)* inquit Apostolus, *gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc seculo; expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Sicut doctor vocari nequit, qui literis præditus non est, nec exercitum ducere potest, qui nescit arma tractare; nec artificis nomen assumit, qui artis peritiam non habet: ità Christianus dici non potest, qui Christi sectator non est. Veri ergo Christiani sunt, qui abnegatis seculi desideriis Deum solum amant totis viribus, totâ virtute, ac proximum in Deo, & propter Deum, nihil in eo quærentes nisi Deum, & nemini se præferentes, quia in generatione gratiæ omnes æquales sunt: qui sobriè, & justè viventes, ità in cunctis se gerunt, ut nihil in eis appareat, quod possit offendere intuentes: qui bonis exterioribus, sicut ægri pharmaco utuntur, nihil appetentes, quod ab alio possit auferri. Qui nemini placere appetunt, nemini timent displicere, nisi Deo. Qui corpus suum oderunt tamquam corpus peccati, ipsumque jugiter castigant, ne insolescat. Qui firmam in omnibus constantiam servant, & universo mundo celsiores, nullis minis, nullis persecutionibus, aut contumeliis terreri possunt, aut commoveri: qui tam in prosperis, quam in adversis eâdem fruuntur mentis serenitate, nec unquam à lumine veritatis recedunt: qui desiderio futurorum damnant præsentia, & ex Fide, Spe, & Charitate viventes, credunt quod nondùm vident, sperant quod nondùm tenent, optant quod nondùm possident: qui Deum ita amant, ut nullum pro illo laborem, nullum periculum subterfugere parati sint, etiamsi nullum pro ejus gloria certantibus præmium propositum esset: qui Divinæ misericordiæ, & propriæ conscientiæ fiduciâ regnum Dei expectantes, dicere possunt cum Apostolo, *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex (2. Tim. 4: 7.)* Gaudent, cum digni sint pro nomine Jesu contumeliam pati, eumque diem se perdidisse credunt, in quo nihil pro Christo passi sunt. Eorum gloria, felicitas, sapientia in his consistit, quæ à mundo ignominia, miseria, & insania æstimantur. Carnalis prudentiæ falsa principia detestantur, oportere nimirùm divitiis affluere, à nemine sperni, super omnes eminere:

fidei

fidei verò veritates sectantur docentis opes contemnere, abnegare seipsum, & in nulla re gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU CHRISTI. Denique in omni vitæ ratione ità se gerunt, ac si omnis eorum sermo, & operatio clamarent, *Regnum meum non est de hoc mundo* (Joan. 18: 36) Alta quidem, & difficilia hæc sunt, sed regnum Dei vim patitur, idque omni conatu dignum est, quod non nisi à vim inferentibus possidetur.

## §. XXII.

### *Quomodo debeat Christianus opera sua perficere.*

DEbet Christianus omnia opera sua in pace, & mansuetudine perficere, & ad omnes rei vel negotii circumstantias attendere, ad locum, ad tempus, ad personas, & præcipuè ad finem. Cavebit autem à præcipiti celeritate, quæ repentino potius naturæ impetu, quam ratione, & Divinæ gratiæ motione ad agendum impellit. Cavebit ab inconstantia, & levitate animi ad diversa, & inutilia facilè evagantis, ut præsentior sibi sit, & aptior ad Dei illustrationes recipiendas, quibus statim, & alacriter parebit. Quidquid sibi agendum erit, seriò advertet, ne animo præoccupato aggrediatur, alioquin in rebus discernendis cœcutiet, & multa illi excident, de quibus meritò accusari poterit & reprehendi. Cujusque actionis initio opem, & lumen à Deo petet: tum sedulò examinabit, quam partem in illa habeat Deus, quam ipse sibi vindicet. In progressu animadvertet, ne delectatio, & complacentia mentem alliciat, & à proposito fine amoveat: in fine cavebit ne sensim subrepens inanis gloria, quidquid bene peractum est, vitiet & contaminet. Hoc autem præcipuè fixum animo habebit, ne hominum laudes, sed Dei gloriam quærat, & ad nihilum suum respiciens elatas cogitationes in semine suffocabit. Nulli negotio externo se ingeret, nisi vocatus à Deo. Tunc verò prompto animo obediet optans anathema esse à Christo pro fratribus suis: hujus enim vitæ perfectionem non in Dei fruitione sitam esse scit, sed in ejus voluntate adimplendâ. Nihil super vires aggredietur, rebusque gerendis affectum, & mentem non applicabit, ultra quam necessarium sit, ut inde nihil depereat libertatis, & pacis. Omnis commotio & effusio ad exteriora spiritum Dei extinguit, & animi serenitatem obnubilat. Sicut Angelus Tobiæ comes nullum officium prætermittebat hominis mercede conducti, semper tamen cum Deo erat: ita vir probus humanis quidem negotiis attendit, atque iis interdum, sicut & cæteri absorberi videtur, sed cor ejus cum Deo manet: & si corpore versatur in terris, mens tamen in cœlis est, ubi meliori sui parte ab omni terræ affectione liber commoratur.

## §. XXIII.

### *Debent opera bona propriæ vocationi convenire.*

NIhil interest inter negotia, ad quæ obeunda ratione proprii status, & conditionis quisque tenetur, & maximum negotium æternæ salutis; nemo enim certius salutem suam operari potest, quàm si officio suo benè fungatur. Subtilissimum nostræ perfectioni laqueum tendit Sathan; cum desideria in nobis excitat magnarum rerum alio loco, & in alia vocatione agendarum: spiritum enim occupant, & mentem distrahunt, ne rei attendat, quæ præ manibus habetur; & quæ ad proprium munus pertinet. Maximoperè hallucinatur, qui statu vitæ jam prudenter electo locum aptiorem Deo serviendi in alio vitæ genere sibi fingit, & quærit. In suo siquidem munere explendo segnis nihil agit ubi est, dum multa & magna molitur ubi non est. Cumque perfectio vitæ Christianæ à singularum actionum bonitate & rectitudine pendeat, ingentem illi obicem ponunt, qui quotidianas exercitationes, quas proprii officii ratio ab illis exigit, negligenter, & oscitanter peragere consueverunt, quia nimirùm ubi non sunt, ibi animus eorum est. Horum vita continuum bene vivendi exordium est; multa decernunt, nihil exequuntur; frondibus abundant, fructibus carent; quia ad instar arboris sæpius translatæ, nullo stabili loco radices figunt.

## §. XXIV.

### *Quomodo Christianis vivendum sit.*

ITa Christianis vivendum est, ut ab illecebris ventris, & gulæ, ab immodesto corporis cultu,

ab inanibus ludorum negotiis, à torpore pigritiæ, ab honorum ambitu, à laudis cupiditate, ab amore pecuniæ abstineant. Iram omninò pellant, & alteri non faciant quod pati nolunt. Nihil remissè agant, nihil audacter, nihil fictè, aut per simulationem. Quodcumque officium vitæ Christianæ, quæcumque exterior virtutis exercitatio, si careat interiori spiritu & veritate, nihil aliud est, quàm hypocrisis & actio scenica. Solent nonnunquam viri nefarii præclara sanctorum gesta in theatro repræsentare. Hic Martyris constantiam, ille Virginis modestiam, aut Apostoli, vel Christi heroicos actus egregiè simulant; sed actione peractâ alienam personam deponunt, suamque turpem, & impurissimam suscipiunt. Simili modo, qui opera exteriora in solam speciem, & inanem ostentationem exercent, veluti histriones sunt, & scenici jaculatores, qui omni virtute & sanctimonia destituti, viri sancti personam in scena gerunt, quorum vita, & mores nihil aliud quàm fabula sunt. Ideo pauci ad Christianæ perfectionis fastigium pertingunt, quia opera sua in spiritu veritatis non perficiunt. Prævalent Christi exemplis, & præceptis falsa mundi axiomata, & communes virtutum notiones à natura insitæ perversis hominum opinionibus depravatæ ad vitia detorquentur. Cum ergo inter homines falsis doctrinis imbutos vivamus, debet quisque in seipsum crebrò inquirere, an & ipse ignoret quæ recta sunt, & an rectè fungatur officio suo. Via veritatis una est, & immutabilis, per quam qui recto tramite cupit incedere, non terram intueri debet, sed cœlum; non homines sequi, sed Deum, qui Via, Veritas, & Vita est.

## §. XXV.

### *Opera exteriora spiritu interiori animanda.*

CAvendum, ne sensus in actionibus nostris primam sibi sedem usurpent, inde etenim omnia mala emergunt. Sensuum occasus veritatis exortus est. Ideò vix possumus nobis ipsis polliceri aliquid nos egisse, quod omni ex parte bonum fuerit, quia licèt gratia impellente, & cooperante, multa propter Deum operari cæperimus, non sumus gratiæ fideles, statimque labimur ad nos ipsos. Episcopo Sardis dictum est ab Angelo: *Non invenio opera tua plena coram Deo meo* (*Apoc.* 3: 2.) Nam preces, jejunia, eleëmosynæ, & alia ejusdem generis opera! plena sunt coram hominibus, qui solam faciem vident, sed vacua coram Deo, qui intuetur cor, nisi purâ & simplici intentione Divini beneplaciti perficiendi, & spiritui interiori impleantur. In Evangelio decem Virgines commemorantur, quarum quinque fatuæ excluse sunt à nuptiis, non defectu virginitatis, aut lampadarum sive operationum, sed quia defecit oleum bonæ intentionis, & sanctarum affectionum. Idem nobis eveniet, nisi opera nostra spiritu interiori, & Dei amore animentur, ut placeant Deo. Vita exterior apud omnes Christianos eadem est, sed sicut horologii exstima facies ab interioribus rotis pendet, & ab intimâ corporis constitutione vividus color procedit: ita boni à malis ex interiori spiritu discernuntur. Regnum Dei intra nos est.

## §. XXVI.

### *Operum perfectio undè oritur.*

SIcut qui multum comedunt semper viribus imbecilles sunt, corpore malè affecto, & ad extremam maciem redacto; quia nimirùm stomachi sui mensuram ignorantes, plus illi ingerunt, quam ferre possit: alii ex adverso frugali mensâ contenti, quia cibum exiguum sumunt, & qui facilè digeritur, validis semper viribus sunt, & ad extremam senectutem incolumem vitam producunt. Ita nonnulli, quamvis multa peragant opera bona, nihil ferè in via Christianæ perfectionis proficiunt, quia videlicet præpostero cursu ambulantes, tunc se maximè progredi putant, cum plura, quamvis remissè & segniter operantur, cum potius eniti debeant, ut ea quæ agunt ferventiùs indies, & perfectiùs peragant; in hoc enim operandi modo perfectionis incrementum consistit, non in tepida operum congerie, & multiplicatione. Alii verò parum operantur, & in Amore Dei plurimùm crescunt, quia quæcunque faciant, etsi minima, & pauca sint, majori semper fervore, ac puriori intentione perficere studeant: atque ita se gerunt in omnibus operibus suis, ut in fine singulorum magnum illud verbum Christi in cruce pendentis non immeritò usurpare queant, *Consummatum est* (*Ioan.* 19: 30.) Perfeci quod Deus à me

me in hoc opere exigebat, ferventer, & quantùm imbecillitas mea cognovit, & potuit, sine imperfectione, quantùm scilicet & velle & operari ille dedit mihi, qui dixit, *Sine me nihil potestis facere (Ioan. 15: 5.)* Eâdem ratione sic quamlibet diem transigunt, ut nocte adveniente possint fidenter dicere, *Consummatum est.* Sic denique vitam instituunt, ut ejus cursu peracto, verè affirmare queant, se omnia consummasse, quæ Deus illis præceperat. Qui sic vivit, Christianè vivit, nec timebit in die mala.

## §. XXVII.

### *Præsentiæ Dei utilitas.*

NUllum præstantius documentum ad quælibet opera exactè perficienda, quàm Deum in singulis rebus intimè præsentem intueri, qui eis motum & vitam, & esse largitur, & omnia in omnibus operatur. Hæc nobis necessitas indicta est, omnia opera nostra optimè peragendi; quia Dei obtutum intimos quosque recessus penetrantem effugere nunquam valemus. Ipse nos replet, in quo vivimus, movemur, & sumus; nec unquam nos deserit, nisi ab ipso aversi ad creaturas convertamur. Hæc autem sunt veteris Adæ corrupta semina, quæ in nobis vigent, prava scilicet affectio ad sensuum illecebras, quibus à Dei præsentia mens evocatur. Si enim ab amore creaturarum liberi essemus, Deum procul dubiò in omni loco præsentem cerneremus, quemadmodum Christus spospondit dicens, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (Matth. 5: 8.)* Verè magna, & inexplicabilis est multitudo divinæ dulcedinis, quam Deus abscondit timentibus se; sed revera abscondita est, & illi soli eam percipiunt, qui vident, & gustant quam dulcis est Dominus. Neque enim satis est habere thesaurum, ut quis dives sit, sed scire insuper debet, se illum possidere, ejusque pretium, & usum agnoscere. Nos autem in nobis thesaurum habemus immensum & inæstimabilis pretii, summum, & infinitum bonum: cur ipsum negligimus, & post atomos apparentium bonorum currimus, quæ sui in nostram explere non possunt? *Filii hominum usquequo gravi corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium (Psal. 4: 3.)* cum Deo præsente omni momento frui possitis? Divites sumus & nescimus. Beatorum spirituum felicitatem prægustare possumus, & non curamus: quia nimirùm parti inferiori, ac sensibus jugis Dei præsentia molesta, & gravis est, & vim, quam patiuntur, conantur excutere, & partem superiorem ad se trahere. Et quia Divina consolatio aliquando subtrahitur, ad terrenam protinus labimur, nisi per fidem Deum præsentem intueri, & cum eo intimo affectu miscêre colloquia satagamus. Hoc documento ipsemet Deus patrem credentium Abrahamum ad perfectionem erudivit dicens, *Ambula coram me, & esto perfectus (Gen. 17: 1.)* David quoque in psalmo ait, *Providebam Dominum in conspectu meo semper, propter hoc lætatum est cor meum (Psalm. 15: 8.)* Jugi enim lætitiâ fruitur, qui fontem omnium bonorum præsentem habet.

## §. XXVIII.

### *Cur difficilis videatur Sanctorum imitatio.*

AD exempla Sanctorum vitam, mores & actiones nostras componere difficillimùm arbitramur, quia ipsos mente concipimus quasi homines alteriùs naturæ exutos corpore, cœlestis patriæ possessione beatos, ubi nemo irascitur, nemo concupiscit, nemo tentatur: ubi pax summa, lætitia inenarrabilis, lux splendidissima, & status omnium bonorum aggregatione perfectus. Sed si revera, uti par est, illorum cupimus sequi vestigia, aliter considerandi sunt. Homines enim mortales fuerunt similes nobis, eâdem corporis sarcinâ onusti, eâdem tabe carnalis concupiscentiæ infecti, iisdem malis & periculis obnoxii: & nihilominus qer fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, & fecerunt mirabilia in vita sua. *Helias* ut Jacobus Apostolus scribit (*Iac. 5: 17.*) *homo erat similis nobis passibilis, & oratione oravit, ut non pluveret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex: & rursum oravit, & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum.* Idem de aliis dici potest, quorum insignem sanctitatem, & heroica gesta miramur, nobis enim similes, & ex eodem luto compacti, atque iisdem tentationibus, dum in hac terra essent, expositi fuerunt; sed infinito propè intervallo à nobis disjuncti, in hoc dissimiles inventi sunt,

quod carnis fragilitatem, mundi superbiam, dæmonum insidias, invictâ animi virtute superarunt. Quid igitur tergiversamur? Facilè est volentibus eorum opera imitari, si exuto desidiæ veterno non nostris viribus, sed ope divina confisi ad illud sanctitatis fastigium conemur ascendere, ad quod ipsi feliciter pervenerunt. Magna pars sanctitatis est, ejus efficax desiderium.

## §. XXIX.

### *Omnia ad gloriam Dei referenda.*

SEntentia Apostoli est, omnia opera ad Deum, ejusque gloriam referenda esse, ut veræ virtutis rationem consequantur. *Sivè*, inquit, *manducatis, sivè bibitis, sivè aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* (1 Cor. 10. 31.) & alio loco, *omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini* Jesu Christi *gratias agentes Deo, & Patri per ipsum* (Col. 3:17.) Quidquid enim boni à nobis fit, quod non fit propter Deum, & si officio videatur bonum, deficiente tamen recto fine, malum est: finibus enim, non officiis virtutes à vitiis discernuntur. Est autem officium id quod faciendum est. Quod si rebus creatis inhæremus, & ipsas propter se diligimus sinè ulteriori relatione ad Deum, damnata cupiditas est, dicente Joanne Apostolo, *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt* (1. Ioan. 2: 15.) Ratio est, quia in hoc mundo tanquam peregrini sumus, & viatores, qui ad patriam pergimus; creaturis autem uti debemus tanquam vehiculis, quibus recto itinere eò feramur, quò tendimus. Deus verò diligendus est propter se ipsum, quia summum bonum est, & finis ultimus, in quo solo requies appetitus, securitas fruitionis, & tranquillissimum gaudium invenitur. Hunc finem si quis ignorat, rectè quoque vivendi rationem ignorat. Cognito autem rerum omnium fine, jam scimus quò dirigendæ sint actiones nostræ, & quò omnium virtutum officia referri debeant. Hinc Theologi, licèt unamini consensu asserant, quasdam actiones humanas nec bonas ex se, nec malas esse, quales sunt ambulare, comedere, dormire, docent tamen, eum peccare, qui re ipsa dormit, edit, ambulat, & hæc non refert ad ultimum finem, quia deficit à prima & universali regulâ humanarum actionum, quæ est idem finis, ad quem quidquid agimus dirigere oportet. Et hoc est quod Dominus dixit: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* (*Matth. 6: 22.*) Oculus iste intentio est, quâ quisque peragit opus suum, quæ quidem intentio si non fuerit recta, totum opus tenebrosum erit. Non est autem recta operantis intentio, nisi quidquid agit ad summum bonum veluti ad fontem refundat. Omne bonum desursum est & quidquid ab illo deflectit malum est.

## §. XXX.

### *Radix omnium malorum est amor sui.*

POstquam primus hominum parens se ipsum immoderatè amans in grande illud peccatum lapsus est, per quod totum genus humanum morti, ignorantiæ, & concupiscentiæ obnoxium generatur, & nascitur, tantâ caligine natura nostra repleta est, tantoque pondere ad terram allisa, ut Deo relicto in se ipsam deflexerit, & amisso sensu spiritualis jucunditatis ad sensuum voluptates effusa sit. Hinc dira tyrannis orta est, quam pessimus virtutum omnium hostis amor sui in omnes exercet, cujus imperio obsequentes nihil in nostris operationibus quærimus, nisi commoda, honores, & delitias. *Legi enim Dei* caro *non est subjecta, neque enim potest* (*Rom. 8: 7.*) sicut ait Apostolus, omnes siquidem ejus instinctus, & motus ad peccatum impellunt, & in horribili damnationis statu nos constituunt. Nihil verò commodis nostris magis adversatur, quam proprius amor, qui ad ea quærenda tanto nos ardore impellit. Cum enim Deus omnia referri ad se tanquàm ad ultimum finem præceperit, qui se in omnibus, & suam utilitatem respicit, nihil certè ex operibus suis refert, quod sibi utile sit ad vitam æternam promerendam, ergò, ut ibidem infert Doctor gentium, *Debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Ad hoc urget nos Christiana religio, ut, sicut exhibuimus membra nostra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita ipsa exhibeamus servire justitiæ in sanctificationem

ficationem. *Sancti critis*, dicit Dominus, *quia ego sanctus sum* ( *Levit.* 11: 45. ) Amor sui & propensio ad propria commoda impedit intellectum, ne principia & documenta Christianæ vitæ percipiat. Quis enim poterit amanti se ipsum persuadere omnia, quæ diligit mundus, vana esse, & nullius momenti: honores & dignitates nihil aliud esse, quam splendidam servitutem, & afflictionem spiritûs: viri fortis & magnanimi esse, ignoscere inimicis, & his qui oderunt nos benefacere: satius esse, divitias spernere quàm habere: glorioſius esse propter Deum subesse, quam dominari: laudabilius vincere se ipsum, & coercêre appetitum, quàm munitissimas arces expugnare? hæc sanè dura videntur, & incredibilia diligenti se ipsum, quia immoderato sui amore quasi vinculis & catenis inextricabilibus terræ affixus solis terrenis commodis, ac delectationibus alligatur. Filii autem Dei spiritu Dei aguntur, ut non secundùm carnem, sed secundùm spiritum vivant. Quod si quædam opera carnis faciunt, ex quibus expediri in hac mortalitate non possunt, ad ea se duci non sinunt ex proprio sui amore, sed ex principio supernaturali, prava desideria continuâ carnis maceratione coërcentes. Ajunt sui amatores, discretionem in his, quæ ad corpus spectant, necessariam esse: sed illa optanda, & adhibenda, quæ de cœlo est; nam prudentia carnis mors est.

## §. XXXI.

### *Amor sui Babylonem ædificavit.*

CONstituit Deus hominem in paradiso, sed ab Adamo, in quo omnes peccavimus, à paradiso in hunc mundum, à Jerosolymis in Babylonem, à patria in exilium, à libertate in servitutem, ab integritate in corruptionem, à vita in mortem translati sumus. Sic collapsi à veritate in vanitatem, non solùm similes evasimus vanitati, sed ut ait psalmus: *Universa vanitas omnis homo vivens* ( *Psal.* 38. 6. ) Vanus est enim secundùm corpus, quod in corruptionem & in mortem desinit; vanus secundùm animam, quæ serviens iniquitati se ream mortis æternæ facit: vanus quo ad exteriora, quæ pereunt, & in morte relinquenda sunt. Hanc tamen vanitatem ardenti amore prosequimur, hæc mendacia solicitè quærimus, quę infinitis erroribus nos implicât, & ex civibus supernæ Hierusalem cives efficiunt diabolicæ Babylonis. Has duas civitates duo amores fecerunt: nam civitatem Dei Hierusalem fecit amor Dei usque ad contemptum sui; Sathanæ verò civitatem, quæ Babylon dicitur, fecit amor sui usque ad contemtum Dei. Iter ad hanc spatioſum est, & breve, iter ad illam arctum, arduum, & longum: faciliùs enim est in terram labi, & in infernum descendere, quàm ad cœlum elevari. Se ipsum igitur quisque discutiat, & videat quid amet, nam si Deum amat, & se ipsum spernit, cæleſtis Hierusalem civis est: si autem se impensiùs amat, ad Babylonem spectat, è qua nobis exeundum esse clamat Scriptura dicens, *Egredimini de Babylone* ( *Isai.* 48: 20. ) & alio loco, *Recedite de medio Babylonis* ( *Ierem.* 50-8. ) Psalmista quoque ait, *Filiæ Babylonis miseræ, beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram* ( *Psal.* 136: 8. ) Tunc autem eximus de Babylone, cum à confusione vitiorum recedimus: tunc parvulos Babylonis, malas scilicet cupiditates, ad petram allidimus, cum Christi amore noxia desideria excidimus, & superamus. Amor sui mors animæ est, amor Dei vita: non ergo se amat, qui se amando vitam perdit.

## §. XXXII.

### *Omnes seipsos quærunt etiam in rebus sanctis.*

HOc certè mirabile est, quod cum tanta diversitas hominum, humanarumque propensionum sit; omnes tamen unanimiter in hoc conveniunt, quod nemo sibi vilis est, nemo alteri cedere aut subjici vult, nec quisquam est adeò abjectæ conditionis, qui non putet se aliquid esse, & apud alios in pretio haberi non desideret. Omnes cupiunt super alios eminere, omnes ignoscunt sibi, aliis numquam: opiniones suas pertinaciter omnes sustinent, res suas admirantur; proprias tantùm adinventiones, & placita probant, aliena rejiciunt: ignorantiam suam instar sapientiæ ostentant, & cum nihil sciant, nihil se ignorare arbitrantur. Vitia quæ habent, tegunt, & justitiam simulant quam non habent, frustra reclamante conscientiâ. Sed multò mirabiliùs est, quod ipsi etiam viri probi, qui nihil aliud quærere videntur quàm Divinum beneplacitum, ejusque gloriam, & honorem, occulto tamen, & aliquando vix perceptibili corruprænatu-

naturæ instinctu in se ipsos diffluunt, operantes quod bonum, & justum est, non ut placeant Deo, sed ut ea mentis jucunditate fruantur, quæ ex bonis operibus emanat. Quem laqueum viris spiritualibus eò subtilius amor sui tendere solet, quò res sanctior, & melior est. Quid tam sanctum quam Dei mandatis obedire, Scripturas legere, in Ecclesia prædicare, frequentare Sacramenta, & ad altare Domini ministrare? Hæc autem cupiditas laudis inquinare solet, & nisi cor suum omni diligentia custodierit homo, omnis labor ejus irritus est. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*, inquit Apostolus, (1. Cor. 13: 1.) *charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cimbalum tinniens.* Et si quis distribuerit in cibos pauperum omnes facultates suas, & tradiderit corpus suum ita ut ardeat, nisi hoc purè fiat ob amorem Dei, nihil prodest. Simili modo Aggæus Propheta ait, (*Agg.* 1: 6.) *Comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati: & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum*; quia nimirum nihil prosunt opera bona, cum quis seipsum in illis quærit, & non Deum. Cum igitur naturæ semper & ubique seipsam quærentis fraudes, & doli subtilissimi sint, omnes animi recessus perscrutari, & solicitè cavere debemus, ne in principio, medio, & fine actionum nostrarum, aliqua ratio se immiscat proprii emolumenti, quantumvis sancta, & honesta videatur. Vitæ Christianæ disciplina hæc est, non quærere, nec amare nisi quod Dei est, & odisse quod proprium est.

## §. XXXIII.

### *Quæ scire debeat omnis Christianus.*

SCire debet omnis Christianus, quæ sint præcepta Divina, & humana, ad quæ servanda quisque tenetur. Divina sunt illa, quæ in Decalogo continentur, itemque præcepta Fidei, Spei, & Charitatis. Fides obligat omnes ad ea credenda, quæ singulis fidelibus in Symbolo proposita sunt. Spe vitam æternam, & quæ ad eam obtinendam sunt necessaria, nos consequi posse confidimus Dei Gratia, & nostra coöperatione; quæ omnia à Deo petimus, cum Dominicam Orationem recitamus. Charitatis lege obstringimur Deum diligere super omnia, & proximum sicut nos ipsos. His virtutibus percitur homo: nam fides mentem illuminat, & dirigit, Spes voluntatem ad Deum erigit, Charitas nos Deo unit. Est etiam præter prædicta præceptum sumendi Baptismum, & Eucharistiam, ac confitendi peccata, licèt de his nihil Ecclesia præciperet. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei: (*Ioan.* 3: 5.) & nisi manducaverimus Carnem Christi, & biberimus ejus Sanguinem, non habebimus vitam in nobis. (*Ioan.* 6: 54.) Pœnitentia autem à Deo illis parata est, qui Baptismalem innocentiam supervenientibus culpis perdiderunt. Sunt denique humanæ leges ab Ecclesiastica, vel seculari potestate sancitæ, quas nosse opertet, ut illis, qua par est humilitate pareamus. Verùm ad hæc præstanda nemo idoneus esse potest, nisi ab ejus mente ignorantiæ tenebras lux vera discusserit; sicut scriptum est, *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum* (*Psal.* 93: 12.) Homo enim post peccatum sedet in tenebris, & in umbra mortis, bonumque vel malum non ex regula veritatis, sed ex sua cupiditate metitur. Divinum igitur auxilium implorandum est, ut qui justit quod vult, det nobis quod jubet, dispellens caliginem, & sanans languorem; expellens cupiditatem, & infundens charitatem, quoniam finis præcepti est Charitas; & qui verè Deum amat, omnibus mandatis ejus sine exceptione obsequitur.

## §. XXXIV.

### *Interioris, & exterioris hominis differentia.*

NOn de hoc tempore, non de hoc mundo Spes nostra est; neque ad præsentis vitæ bona, neque ad eam felicitatem, quam plerique mortalium sectantur, conditi sumus, sed ad æternam, quam Deus promisit, & homo nondum capit; sicut scriptum est, *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum* (1. Cor. 2: 9.) Cum igitur ad gloriam sempiternam ab origine mundi nobis paratam, destinati simus, error gravissimus est, non æternis sed humanis rationibus in nostris operationibus duci, vitamque instituere non gratiæ Divinæ instinctu, sed ex principiis naturæ. Felices sunt qui inti-

intima penetrant, qui cum Deo intus morantur, & nulla affectione foris tenentur. Hi sunt homines interiores, qui ad arcana Dei percipienda disponunt se, & eum in se loquentem audiunt. Qui verò rebus exterioribus moventur, qui libenter rumores audiunt, qui theatra avidè spectant, licèt honestas satagant vanitatis suæ causas prætexere, divisi sunt, interiores non sunt, sibi adhærent, non Deo; delicias mundi quærunt, non cœli. Lumen quippè illis deest ad rerum divinarum notitiam necessarium; quia eas nunquam, vel raro & obiter meditantur, unde fit, ut de bonis æternis parum soliciti *in vanitate sensus sui ambulent*, (*Ephes. 4: 17.*) sicut ait Apostolus, *alienati à vita Dei per ignorantiam*. Quò magis enim proficit homo in prudentia carnis, eò magis ignorat, quæ Dei sunt: tantumque detrahitur Divino amori, quantum impenditur creaturis.

## §. XXXV.

### *Quam pernicioſum ſit falſas rerum ideas mente concipere.*

SApiens est, qui suis momentis ponderat res, & æstimat pro ut sunt, non sicut prædicantur & æstimantur ab hominibus. Quælibet enim res duas veluti facies habet, unam veram, alteram fucatam, & apparentem. Vera est, quæ divinis rationibus, & ideæ in mente Dei existenti conformis est: altera secundùm ideas, & affectus hominum, & secundùm pravas amoris proprii præscriptiones efformatur. Sic Episcopatus, ut hoc utar exemplo, secundùm veram & divinam ideam, est onus Angelicis humeris formidandum, & servitus quâ tenetur Episcopus animarum saluti consulere ad præscriptum Divinarum, & Apostolicarum institutionum, strictissimam de illis rationem Deo redditurus in die judicii. In idea autem hominum Episcopatus est dignitas, ad quam qui promovetur, gradum conspicuum in Ecclesia obtinet, divitias adipiscitur, & ab omnibus honoratur. Undè fit, ut, qui Episcopatum respicit secundùm veram ideam, timeat, fugiat, & oblatum constanter recuset: qui verò ipsum desiderat, & omni conatu consequi nititur, falsas hominum ideas in mente habet, se ipsum quærens, non Deum. Idem de aliis gradibus & dignitatibus tàm Ecclesiasticis, quam mundanis dicendum est: atque hinc oritur totius orbis omniumque ordinum perversitas & perturbatio, quod veras rerum ideas, & definitiones plerique ignorant, & hujus mundi tenebris, ac præstigiis assueti veritatem oderunt, nec idonei sunt ad Divinum lumen recipiendum, quod non nisi mundis corde communicatur. Vocabula usurpantur heroïcis Sanctorum virtutibus, Christique Sanguine consecrata; & hi quidem Episcopi, illi Sacerdotes, aut Diaconi, quidam Monachi, & Religiosi, alii Reges, & Principes, & judices populi; omnes autem Christiani nuncupantur: sed quale sit horum nominum pretium, quæ vis, & significatio, quibus virtutibus excellere debeant qui in prædictis gradibus sunt constituti, quæ singulorum idea sit, quæ leges, quæ officia, quæ definitio, nemo scit, nemo investigat; rebusque neglectis sola remansit titulorum majestas, & rerum umbra, ac inanis imago. Nemo se talem exhibet, qualis dicitur, nemo sequitur Christi vestigia. Hoc autem malum operatur in nobis amor sui, vitium pessimum & subtilissimum, quod vix peritissimi agnoscunt, vix sanctissimi vincunt. Bona verò & mala hujus vitæ, si veras eorum ideas respiciamus, vix ullum discrimen admittunt, utraque enim vana sunt, & momentanea, & quasi nihilum computantur. Ideò David vir secundùm cor Dei solam æternitatem mente versabat dicens, *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui* (*Psal. 76: 6.*) Et Filius ejus Salomon omnium mortalium sapientissimus recensitis omnibus tam bonis, quàm malis hujus vitæ exclamat, & concludit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* (*Eccl. 1: 2.*)

## §. XXXVI.

### *Tria Chriſtiano neceſſaria, ut ſibi attendat, ut tempus bene expendat, ut rectè utatur Sacramentis.*

FIdelitati quam Deo debemus tria præcipuè sunt necessaria. Primum est jugis attentio ad nos ipsos & ad ea, quæ operamur, cujus defectu à recto tramite aberrantes per invia & aspera proficiscimur, nostramque felicitatem quærimus ubi non est, & si ab alio ostendatur, non credimus. Usu rationis homo à feris, fide ab infidelibus distinguitur. Cum ergo temerè, sordidè,

dide, inconsideratè, ventris vel gloriæ causâ, & cum impetu aliquid agit, perit hominis officium, & ad feras declinat. Cùm verò propter se, & sua commoda ad agendum movetur, cum infidelibus computatur. Sicut artem perficiunt opera, quæ secundùm artis præscriptum fiunt: ita hominem fortem, justum, modestum, prudentem faciunt opera, quæ fortiter, justè, modestè, prudenter fiunt.

Secundum est bonus temporis usus, à cujus momento pendet æternitas. Monent Philosophi, solam rerum salubrium notitiam viro sapienti non sufficere, sed studium etiam necessarium esse, nec permittendum, ut ulla exercendæ virtutis occasio elabatur. Volat enim irrevocabile tempus, & quod inutiliter transigitur, nemo restituere potest. Volat tempus, & non advertit insipiens quid amittat. Juvat nimirum confabulari, & genio indulgere, donec transeat dies: & sic teritur tempus acceptabile, sic dies, & horæ prætereunt, quas ad veniam obtinendam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam misericors Deus indulget. Quod si de verbo otioso, quod nullam scilicet rationabilem causam habet, rationem reddituri sumus, quantò magis de tempore inutiliter transacto?

Tertium est rectus usus Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, ex quorum frequentia parum proficimus, quia frigidè, ac sine prævia dispositione ad ea accedimus. Proprii verò illorum fructus sunt, si ex pœnitentia crescit in nobis humilitas, & amor propriæ abjectionis: ex Eucharistia suavitas, & mansuetudo erga proximum, & amor erga Deum. Sicut avarus diù noctuque divitiis inhians, nihil cogitat nisi lucrum & pecuniam: ità qui sæpiùs hæc Sacramenta suscipit, sicut oportet, semper ad Deum anhelat, nec aliud potest sine ingenti molestia cogitare. Vitæ perfectæ fundamentum hoc est, omnimoda abstractio à rebus omnibus, quæ Deus non sunt.

## §. XXXVII.

### *Pœnitentiam omnibus Christianis necessariam esse.*

OMnis Christianus sic vivere, sic mori debet, ut continuo luctu, & squalore ostendat, se pœnitentem esse, qui pro peccatis commissis satisfacere satagit, & ab omni labe purgari. Hoc initium fuit, hæc summa Evangelicæ prædicationis, *Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* (*Mar.* 1: 4.) Ipsemet Jesus, Dux & legifer noster, cum se primùm hominibus manifestavit, *Venit in Galilæam prædicans Evangelium regni Dei, & dicens quoniam impletum est tempus, & appropinquavit regnum Dei: pœnitemini, & credite Evangelio* (*ib.* 14.) Et alius Evangelista ait, *cœpit* Jesus *prædicare & dicere, pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum.* (*Matt.* 4: 17.) Præmissa est pœnitentia, tanquam dispositio ad suscipiendum Evangelium, ut anima ab omni macula emundata idonea fieret ad gratiam Dei recipiendam, quæ in malevolam animam non intrat, nec habitat in corpore subdito peccatis. Sacrificium placabile & Deo gratum est, cum homo resipiscens se deliquisse fatetur, & agnoscens iniquitatem suam, veniam contrito corde à Deo postulat quem offendit. Hoc maximum peccati malum est contemptus Dei, nam qui peccat, Deum spernit & odit: cujus flagitii & perversitatis causa est defectus Fidei & considerationis. Quis enim tantæ dementiæ & temeritatis foret, ut legem Dei violare & transgredi auderet, si verè crederet & intelligeret, quid sit Deus, & quid sit ipsum offendere, cujus summa bonitas, infinita potentia, & tremenda majestas? Ad hanc abyssum profundissimam miseriarum nos culpa originalis dejecit, ut secreta quadam aversione, velut insani, fugiamus à Deo, ipsoque derelicto, in quo sunt omnia bona, volutemur in cœno, fluxis & fucatis bonis adhærentes, vel quia latet veritas, vel quia compellit infirmitas. Quanta sit autem, & quam deplorabilis hæc cœcitas, nemo comprehendere potest, nisi attentiùs meditetur, tantam esse peccati malitiam, ut sola unigeniti Filii Dei acerbissima passione & morte expiari potuerit. Si igitur hoc verè credimus, si peccata nostra, eorumque gravitatem perpendimus, ita dies nostri cum dolore & mœrore transigendi sunt, ut ostendamus, nos veluti reos esse, qui omni momento suæ damnationis sententiam præstolantur. Facile omne peccatum à Deo condonatur, cum pœnitentiâ, & meliori vitâ corrigitur.

## §. XXXVIII.

*Signa, & fructus veræ pœnitentiæ.*

NUnquam poterunt evitari peccata, nisi sit in anima ingens eorum horror, & odium: nec diuturna erunt opera pœnitentiæ, nisi sit in anima ardens desiderium acquirendæ perfectionis. Ad Sacramentum autem pœnitentiæ nunquam accedendum est, nisi præter contritionem, & voluntatem non ampliùs peccandi, aliquod semper speciale peccatum, præcisis omnibus ejus occasionibus, deponatur. Et hoc erit præcipuum confessionum emolumentum, facere fructus dignos pœnitentiæ, omnem scilicet Dei offensam detestari, tremendum ejus judicium per horrescere, seipsum cum rubore & confusione arguere, ad omnem satisfactionem se paratum exhibere, omnem appetitum Divinæ legi contrarium coercere, omnia peccandi pericula evitare, humilitatem suique contemptum libenter amplecti, conscientiam suam frequenter discutere, & omnes ejus sinus ac latebras diligentissimè perscrutari; eradicare, destruere, evellere ab anima quod pravum est; tum in ea serere, plantare, ædificare quod sanctum & perfectum est. Qui hoc spiritu imbutus est, peccata sua ante oculos habet, aliena post tergum: de suis dolet, aliena non respicit: sua castigat, aliena excusat. Pericula timet, in quibus versatur, quæ multa sunt & assiduâ observatione præcavenda. Semper enim ad malum impellunt arcta societas & inevitabilis necessitudo cum rebus, & personis, quæ ad peccandum alliciunt; habitus vitiosi dudum contracti, & proclivitas ad lapsum, quæ multò major est, quàm homines communiter credant; nam cum naturæ congenita sit, se blandè, ac fraudulenter in animum insinuat, rationis debile lumen obscurat, ipsamque conscientiam suffocat & sopit, ne ullo peccati sensu tangatur: atque ita fit, ut multa quotidiè perpetrentur, quorum sensum adimit affectus, qui in ipsa præcipitat, & notitiam eorum tollit ipse usus malorum. Hoc videlicet habet infelix consuetudo peccandi, ut, quantò ampliùs quisque delinquit, eò magis mentis intuitus obscuretur.

## §. XXXIX.

*Peccata leviora, & vitia quomodò corrigi & extirpari debeant.*

PEccata leviora, quæ venialia dicuntur, quàm facilè perpetrantur? Nemo tamen ignorat hæc levia non esse, quæ Deum magnum offendunt, ac propterea acerbissimis pœnis in altera vita expianda sunt. Quia verò ab his omnibus sine speciali Dei gratia nemo potest abstinere, omni saltem conatu enitendum est, ut eorum numerus quotidie minuatur, & unumquodque contrariæ virtutis studio sigillatim exterminetur. Sicut grassante pestilentiâ non solùm homines lue infecti, sed illorum quoque supellex, & quidquid ad illos spectat, solicitè evitantur, ne alios pestilenti morbo inficiant: ita cum agitur de peccatis tametsi levioribus, non ipsa solùm timere & fugere oportet: sed quidquid ad illa inducit, vel ex eis oritur, ne mortiferum virus in incautos spargant. Omni ferè momento subtilissimè sese insinuant diversæ occasiones curiositatis, loquacitatis, scurrilitatis, iræ, contentionis, impatientiæ, evagationis, & aliarum ejusdem generis culparum & imperfectionum; & quia istæ nedum evitari, sed vix percipi possunt, hoc omninò curandum est, ut saltem ex animo omnis erga illas affectus, nequidquam reluctante naturâ, evellatur: alioquin permanente erga illas affectu, nec emendari unquam poterunt, nec remitti, etsi centies Ecclesiæ clavibus in Sacramento pœnitentiæ subjiciantur. Scio quidem, de his levioribus noxis scriptum esse, *Septies cadit justus:* verumtamen ipse vir justus sic vivit, ut in eas nunquam labatur, nisi ex fragilitate, vel subreptione. Quod verò attinet ad vitia, qui cupit ea radicitus extirpare, debet inprimis cum pravus motus excitatur, ipsum coercere, tum actum contrariæ virtutis elicere: ut, si quis injuriâ afficiatur, primò quidem iræ motum frænabit, tum actum eliciet patientiæ & humilitatis, gaudens se pati quod meretur, idque sæpius sibi contingere optabit: mox illum sincerè diliget, qui contumeliam irrogavit, eique alacriter beneficium rependere paratus erit, quoties sese occasio obtulerit; neque enim sufficit declinare à malo, nisi quis studeat & bene operari; nec servus bene mereri de

domino suo censendus est, quia nec verbera illi, nec contumelias infert, nisi quoque fideliter illi serviat, & jussis ejus exactè obtemperet. Et in hoc multi falluntur, qui salutem suam in tuto positam arbitrantur, quia putant se nihil mali operari, omittentes interim, quæ officii sui sunt, & virtutis studium negligentes: *Declina à malo*, ait psalmus *& fac bonum* (*Ps.* 36: 27.) utrumque enim necessarium est, & mala non perpetrare, & quæ ad munus proprium spectant, non omittere.

## §. XL.

### *Viros Ecclesiasticos & Religiosos strictiùs teneri ad perfectionem.*

QUamvis norma, & institutio Christianæ perfectionis universis Christi fidelibus tradita sit, non solis Religiosis, ut suprà ostendimus, nemo tamen inficiari potest, quin strictiùs ad eam teneantur, qui se voto solemni vel in Religione approbata, vel in statu Clericali Domino consecrarunt. In his siquidem statibus constituti non solùm seipsos sanctificare, sed reliquos quoq; fideles verbo & exemplo instruere, illuminare, & ad salutem perducere debent. Nihil in hoc negligendum, nam prava remissio maxima jactura est. Ideò ita eos vivere, ita virtutibus incumbere oportet, ita cum cæteris hominibus se gerere, ut ab eorum colloquio & consortio revertantur percutientes pectora sua, & dicentes, verè Filii Dei sunt isti. Sicut vir religiosus cujuscumque dominii se incapacem fatetur op votum paupertatis: ita judicare debet, appetitum suum & voluntatem non esse in sua potestate propter votum obedientiæ, nec illis posse pro suo arbitrio uti. Ille autem verè pauper & obediens censetur, qui se rebus omnibus etiam ad vitam necessariis libenter, & læto animo exuit, qui ad omnem Superioris nutum, sive grata, sive molesta præcipiat, semper obedire paratus est. At è contrario qui ob rerum penuriam tœdio afficitur, & murmurat, qui mandatis invitus paret, religiosus non est. Neque enim in alio, ut ita dicam, elemento vivere debet, quàm in sui contemptu & abjectione, rerumque omnium abdicatione, ut Christo conformis sit, qui nihil possidens in hoc mundo factus est Patri obediens usque ad mortem. Quid prodest Christi Domini, Sanctorumque gesta legere, & celebrare, si ea sic legimus & laudamus, ac si ad nos nullo modo pertinerent? Hæc nobis proposita sunt, ut ad eorum normam & typum vitam nostram instituamus. Nihil Religioso perniciosiùs, quam securitas, & libertas, cum omnia ei ad nutum eveniunt, omnia fiunt prout vult. Dicebat quidam vir sanctus, nullum esse religiosum in Cœlis, qui non fuerit martyr in terris: vita quippè religiosi ad præscriptum suæ Regulæ strictè viventis incruentum martyrium est. Causa verò potissima, ob quam plerique in Religione irregulariter vivunt, ex defectu considerationis oritur, quia nec perpendunt, nec penetrant, quanta sit Status religiosi sublimitas, & quàm noxia sit omnis vel minima regularis disciplinæ relaxatio. Hinc verò paulatim provenit propriæ vocationis oblivio, orationis, atque aliarum exercitationum omissio, tum variis subtilitatibus & argumentis, quæ à proprio amore suggeruntur, disciplinæ contemptum excusare nituntur: & quia interiori spiritûs suavitate destituti sunt, solatium foris quærunt à creaturis. Pauci sunt, qui in simplicitate cordis sui per spinosa crucis itinera Christum sequantur. Turba verò errantium maxima est, unde licitum quodammodo fit, quod plerique faciunt. Cavendum igitur, ne multorum exempla nos perdant, desperatæ enim dementiæ est, hominem tepidum & imperfectum in eo statu securè vivere, in quo viri sancti cautè incedentes vix tramitem tenuerunt.

## §. XLI.

### *Religiosi suæ vocationis immemores describuntur.*

NOn consistit Spiritus religiosus in exteriori specie, & in habitûs ac corporis compositione; sed in spiritu humilitatis, & in interiori cum Deo occupatione. Quia verò infirmitas humanæ naturæ eundem semper rigorem servari non patitur, hinc fit, ut sensim defluat, & ad propria commoda quærenda ruat: ex quo sequitur, ut omnis religio quantumvis optimè instituta, à primæva puritate & fervore recedens, per quosdam vix perceptibiles gradus ad humanum & politicum vivendi modum dilabatur. Ideò plures tàm religiosi quàm clerici omnino ficti sunt, habitu quidem Ecclesiastici, moribus

moribus autem deteriores, quàm filii hujus sæculi. Toti sunt in apparatu verborum & cæremoniis, in procurandis dignitatibus, in aucupanda magnatum benevolentia, in cumulandis divitiis. Mille habent diverticula, ut suos distortos fines consequantur, & publico Ecclesiæ bono privatas utilitates anteponant. Habitant in domo Dei, patri cælesti prorsus degeneres, & servi Dei dicuntur, cujus mandatis non obediunt. Vitam ducunt omni solicitudine vacuam, de Christi patrimonio viventes, atque amplis reditibus dotati sunt, ut Deo & Ecclesiæ deserviant: nihil tamen totius anni decursu agunt, quod uniusdiei alimoniam mereatur. Nunquam desunt illis verba, ut totâ die inutiliter cum hominibus sermones misceant: muta verò fit lingua, deficit sermo, ut vel modico tempore de Deo, vel cum Deo loquantur. Alii verò sunt, qui aversi à propria vocatione, in qua permanendum esse Apostolus monet, ad alium statum quasi perfectiorem aspirant; cumque mores mutare deberent, hanc mutationem differunt, donec sint in alio loco, ad quem nunquam pervenient. Somnia vigilantium ista sunt, & subtilissima diaboli tentatio, nam cœlum non animum mutant, qui per loca diversa vagantur. Difficilè est, ut in alio loco laudabiliter vivat, qui se, & sua vitia secum portat.

## §. XLII.

### *Oportere Religiosum à mundo alienum esse.*

TUnc Religiosus sperare poterit, se initium aliquod perfectionis habere, cum ipsum homines oderint & despexerint. Unusquisque enim sibi dissimiles odit, & Christus Discipulis suis dixit; *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus* (*Ioan. 15: 19.*) Quod si religiosus de mundo non est, ita vitam in Monasterio instituere debet, ut modo vivendi ostendat, se statum pœnitentiæ profiteri ad expianda peccata, quæ olim in mundo perpetravit. Quò magis autem à mundi actibus alienus fuerit, eò citiùs ad apicem perfectionis perveniet: & quò minùs inter gentes versabitur, eò majori pace, & animi libertate fruetur. Facilè transitur ad plures, & pravorum exempla sensim bonos ad similia disponunt. *Commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & servierunt sculptilibus eorum* (*Ps. 105: 35.*) *& facti sunt sicut populus, ita & Sacerdos* (*Isai. 24: 2.*) Nimia quoque familiaritas, & assidua cum hominibus consuetudo fastidium gignit, occulta vitia detegit, contemptum parit; & fervorem devotionis extinguit. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei* (*Luc. 9: 62.*)

## §. XLIII.

### *Arguuntur qui regimen animarum ambiunt.*

MAgna temeritas Ecclesiasticorum est, qui, cum viribus careant ad onus pastorale ferendum, illud tamen anxiè quærunt, & se illi sponte subjiciunt, non vocati à Deo, sed spiritu elationis impulsi; non ut gregem pascant, sed ut ipsi pascantur; non ut regant, sed ut dominentur. Res planè horribilis ac deploranda est, quod regimen animarum plurimi ambiunt, sed nemo considerat, quanti momenti sit fidejussorem Deo esse pro animabus Christi sanguine redemptis; atque onus accipere usque ad cœli valvas portandum sub pœna æternæ damnationis, si illud culpabiliter excutiant. Ut autem suæ superbiæ velamen obtendant, libenter arripiunt quod ait Apostolus, *Qui Episcopatum desiderat bonum opus desiderat* (*1. Tim. 3: 1.*) nec tamen advertunt, quod laudato desiderio id, quod laudaverat, in terrorem protinus vertit subdens, *oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, modestum.* Et quis est tantâ præditus sanctitate, ut possit se in omnibus irreprehensibilem exhibere? Meritò igitur Pastorale officium ars artium dicitur, & onus Angelicis humeris formidandum. Quantum enim judicii requiritur ad regendos homines, quorum mira diversitas, incredibilis inconstantia, nulla sinceritas? Quantum luminis ad occulta cordium penetranda, quod Dei proprium est, & ad intentiones discernendas? Quantum prudentiæ ad diversorum propensiones dignoscendas: quantum diligentiæ, ut abstrahatur anima à peccato: quantum industriæ ad obstandum tentationibus: quantum solertiæ ad avertendas malorum occasiones: quantum scientiæ ad moderandam conscientiam:

quantum fortitudinis ad coërcendos peccatores: quantum virtutis ad resistendum adversariis: quantum patientiæ in tolerandis imperfectis: quantum constantiæ in bonis promovendis: quantum denique habilitatis ad omnia justitiæ munera exercenda? Hæc omnia sine speciali Dei gratia vix possunt in uno homine reperiri: ac proindè animarum cura sine manifesta Dei vocatione acceptanda non est: tum diù considerandum, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Non debet præesse, qui non potest prodesse.

## §. XLIV.

### *Omnibus Christianis necessariam esse Orationem.*

TAnta est necessitas Orationis, ut fidei dogma sit, neminem sine illa Salutem consequi posse. Quis enim potest Deum vocantem sequi, nisi dono gratiæ adjuvetur; ejus autem auxilium quis potest sine oratione promereri? Idcircò docet Scriptura, oportere semper & sine intermissione orare (*Luc.* 18: 1. 1. *Thess.* 5. 17.) quia semper & in omnibus auxilio Dei indigemus. Semper autem orat, qui certa orandi tempora nullo unquam die prætermittit. Semper orat, qui omnia quæcunque agit purissima intentione ad Deum refert; oratio enim nihil aliud est, quam elevatio mentis in Deum. Semper orat, qui efficax orandi desiderium in corde jugiter conservat, nam ipsum desiderium oratio est. Bene orat qui bene vivit. Nemo vitiosus, nemo impius, nemo desertor fuit, qui non priùs omne orandi studium abjecerit. Oratio canalis est, per quem fluunt in animam rivuli Divinæ gratiæ: eâ deficiente arescit anima, & sensim perit. Nec sufficit, aliquot preces voce tantùm absque ulla attentione, & reverentiâ, ut plerique faciunt, persolvere: nam de his conqueritur Deus dicens, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me* (*Isai.* 29: 13. *Matth.* 15: 8.) Et qui sic orat, non evadet Prophetæ comminationem, canentis, *Oratio ejus fiat in peccatum* (*Psal.* 108: 7.) Mendacia sunt, & inania verba, cum quis scelus operatur, & psallit Deo, *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum* (*Psal.* 118.) Totus in patinis est, & dicit, *Oblitus sum comedere panem meum* (*Ps.* 101: 5.) ridet tota die, vanisque gaudiis diffluit, & ait, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* 41: 4.) Mandatis Dei non paret, & psallit, *Maledicti qui declinant à mandatis tuis* (*Ps.* 118.) Execrabiles sunt hujusmodi orationes, iram Dei ergà orantem provocant, & duris suppliciis castigari merentur. Nemo autem Christiani nomine dignus est, nisi saltem bis in die, mane cum surgit & vespere antequam cubitum eat, mentem ad Deum elevet, & aliquo spatio temporis ferventer oret, ut tantumdem diei reficiendæ animæ tribuatur, quantum corpori nutriendo impenditur. Nec unquam dimittenda, aut diminuenda oratio, quamvis aridi in ea, & omni consolatione, ac spiritûs suavitate qui orat destitutus sit: vera enim devotio & solida animi jucunditas non in fervoris affluentia, non in sensibili dulcedine, non in mollibus quibusdam affectibus, & lacrymis consistit; nam etiam Turcæ, & alii infideles in suis precibus & sacrificiis hæc interdum experiuntur; sed in prompta voluntate serviendi Deo, & à peccatis abstinendi. Quæ Dei sunt non sensu, sed solâ fide percipiuntur.

## §. XLV.

### *Quæ dispositio ad orandum requiratur.*

MUlti sunt qui methodum & regulas perquirunt, quibus discant orare Deum, ac si oratio veluti ars quædam & opificium foret, quod certis quibusdam legibus contineretur. Non damno præcepta orandi à sanctis & piis viris præscripta, sed sola non sufficiunt, nisi adsit continua cordis & sensuum custodia, sine quâ Spiritus orationis haberi non potest. Cor enim totâ die dispersum & dissipatum, & in vanis hominum fabulationibus occupatum, quomodò poterit in oratione ad Deum accedere, & de maximo salutis negotio cum illo agere? Magna hæc hominum illusio est existimantium, se posse brevissimo horæ intervallo rem homini terreno difficillimam peragere, à qua totâ die alieni fuerunt, & de qua antea nec quidem cogitarunt. Oratio mentem requirit puram, & à rerum terrenarum imaginibus liberam, ut soli Deo vacare possit. Nulla ad eam magis idonea dispositio, quàm integritas vitæ, & morum innocentia. Qui ejus studio incumbere & in eo progredi cupit, tanti debet cœlestia æstimare, ut terrenis veluti mortuus sit, nullumque in eis solatium inveniat. Bona est oratio, quam fides & humilitas comitantur.

§. XLVI.

## §. XLVI.

*Cur multi ex oratione nihil proficiant.*

PAuci sunt, qui ex oratione, & meditatione fructum percipiant, quia rebus, quas meditantur, contrariam dispositionem, & sensum habent; nec se offerunt Deo tanquam victimam, & holocaustum ad omne ejus beneplacitum perficiendum. Ipsum quidem precantur, ut eos doceat cognoscere & facere voluntatem suam; sed nihilominus contra Dei voluntatem multa operari non cessant, quia duplicis cordis sunt, unum Deo expandunt in oratione, alterum sibi reservant, nec dicunt cum Propheta, *In toto corde meo exquisivi te* (*Ps.* 118.) Alii spiritu curiositatis & superbiæ impulsi sublimioribus speculationibus occupantur, quæ ad vitia cognoscenda & eradicanda parum vel nihil conferunt, & si aliquando voluntatem excitant ad gemitus & suspiria, ea tamen suavitate statim evanescente impatientes remanent, sui consilii tenaces, refractarii, ac iisdem semper vitiis irretiti. Atque hinc fit, ut repentinæ conversiones ex vehementi commotione provenientes ut plurimùm non durent, quia cessante illâ vi, quæ voluntatem quodammodò rapuit, ipsa quoque motio desinit, & homo ad vitia, quibus assuevit, relabitur. Alii instinctu propriæ delectationis ad orationem accedunt tanquam ad fontem suavitatis, non Deum sed se ipsos quærentes, ut spiritualis dulcedinis ubertate reficiantur. Alii orationis emolumentum ex veri & falsi notione metiuntur, & hi omnino sibi imponunt, quia multa discere in oratione & nihil operari magna diaboli deceptio est. Nihil homini prodest oratio, quamvis ad cœlum rapiatur, & audiat arcana verba, quæ non licèt homini loqui, nisi exuto spiritu mundi sentiat in se augeri promptam erga Deum voluntatem. Bene orat, qui nihil scire, nihil habere desiderat, nisi Christum & hunc crucifixum.

## §. XLVII.

*Nunquam studium orationis omittendum.*

ERror communis est, meditationem rem difficillimam esse, cum tamen nemo sit, qui non quotidiè meditetur. Quid est enim meditari, nisi rem aliquam mente revolvere? Hoc autem continuò facimus à mane usque ad vesperam; sed ut plurimum noxia & vana meditamur. Cur igitur mysteria Fidei, & quæ salutis nostræ sunt, non meditamur? His jugiter occupari mens nostra facillimè posset, si eam avertere à rerum terrenarum curis conaremur. Hac de causa ad orationis studium inepti sumus, quia sensibus mori, & Christi crucem atque ignominiam amplecti nolumus. Sæpè etiam orationem omittimus, ut bonis operibus extrinsecus incumbamus, ex quibus nullus vel exiguus provenit fructus, quia lumine destituimur ad bene agendum necessario, quod non nisi in oratione percipitur, & illa peragimus extra ordinem superne gratiæ, nostro potius, quam divino impulsu. Maximus autem error est interiora propter exteriora negligere. Sicut corpus quotidianâ destitutum alimoniâ paulatim deficit, & perit: ita languet anima, ac veluti exanimis fit, nisi oratione, quæ cibus ipsius est, singulis diebus nutriatur. Cibo autem indiget eò frequentiori, quò plura ac majora habet contraria, quàm corpus. Ipsam enim tum ea omnia per consensum vexant, quæ corpori molesta sunt, frigus, æstus, ægritudo, fames, sitis, & alia ejusdem generis: tum corpus ipsum, & sensus, concupiscentia, dæmon, & mundus. Cum autem oramus, Deum quærere & invocare debemus in penetralibus animæ, in interiori homine, in quo ipse habitat, sicut in templo suo. Quare verba sonantia ad orandum necessaria non sunt, sed in spiritu & veritate Deum orare, & adorare oportet. Conceptis verbis preces effundere illis necesse est, qui nesciunt in abdito mentis cum Deo loqui, & ea quibus indigent proprio sermone exprimere. Publicæ item Ecclesiæ preces voce, & cantu promuntur, ut audiant fideles, & ædificentur, votisque consentientibus eleventur in Deum. Cæterùm templum Dei & locus orationis nos ipsi sumus, & regnum Dei intrà nos est.

## §. XLVIII.

*Conditiones bonæ Orationis.*

UT perfecta sit oratio, quâ aliquid à Deo petimus, debet orans solius Dei amore ad id quod postulat excitari. Quamvis enim res ipsa bona & amabilis sit, tutiùs tamen & perfectiùs est eam petere, & amare, quia Deus vult, ne sub velo bonitatis rei, lateat pernicio-

sus

cioſus amor ſui. Baſis orationis Fides viva eſt, & præſentia Dei, ad quem accedendum cum ſimplicitate, ſicut infans ad ubera matris fertur nihil diſcernens. Qui, dum orat, ſe orare conſiderat, non eſt perfectè attentus orationi, mentem enim & intentionem à Deo divertit, quem orat, ut attendat orationi, quâ orat. Et ſic ſæpe contingit, ut incidat in diſtractiones, cum eas nititur evitare. Ideò in oratione valde commendatur ſimplicitas, quâcunque alienâ conſideratione ſublatâ, ferventiùs ſiquidem orat, qui neſcit ſe orare, ſoli Deo attendens quem orat. Nulli autem evagationi obnoxia mens erit, quæ Deum ſemper præſentem habuerit. Nam quò evagari poterit, quæ ſe totam in oceanum immenſæ Divinitatis immerſerit? Quocumque ſe vertat, inde numquam emerget. Quod ſi Deo permittente multæ contingant diſtractiones, non erit oranti inutilis oratio ſua, ſi in illis expellendis ſtrenuè dimicaverit. Aderit Deus decertanti, quamvis procul videatur abeſſe. Faciliùs tamen vincuntur avertendo ab eis mentem, eaſque ſpernendo, quàm contra pugnando: eâ enim pugnâ ſæpè fit, ut fortius animo imprimantur, & magis infeſtæ ſint. Oratio arida, & expers omnis conſolationis eò gratior eſt Deo, quò minùs grata naturæ eſt.

## §. XLIX.

### *Gratia, & modus Orationis duplex.*

SIcut viatores, dum iter agunt, ſemper locum in mente habent, ad quem proficiſcuntur: ita qui orant, ad finem orationis, qui eſt unio cum Deo, animi intentionem indeſinenter dirigere debent, eo ſibi præfixo ſcopo, ut ſublatis impedimentis ad eam unionem diſponantur. Inanis eſt orantium labor, ſi aliud in oratione exquirunt. Cum verò duplex ſit oratio, una communis, quæ conatu & induſtriâ noſtrâ fit, præveniente tamen, & cooperante gratiâ Dei, nemo enim, ut docet Apoſtolus (1. *Cor.* 12: 5.) poteſt dicere Dominus JESUS, niſi in Spiritu ſancto: altera ſingularis & infuſa, quæ non eſt in poteſtate noſtra, ſed à Deo infunditur, quibus & quando vult; utraque ſanè deſiderari, & peti ab illo poteſt, qui facit nos quærere ut inveniamus, petere ut accipiamus, pulſare ut aperiatur nobis; ſoli tamen meditationi modo communi, & conſueto vacandum eſt, niſi quis Divinâ inſpiratione, & vocatione ad altius orationis genu elevetur. Gratia autem meditationis nihil aliud eſt, quàm facilitas mentem ad Deum elevandi, ſanctos affectus concipiendi, & effundendi cor ſuum ante conſpectum Domini Dei ſui. Hanc Deus humilibus largiri ſolet, qui non confidunt in virtute ſua, ejuſque opem implorant, ut, à quo datur orandi præceptum, ab ipſo petatur auxilium, quia omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum. Ideò incipienda eſt oratio à confeſſione noſtræ impotentiæ, & fragilitatis, à deteſtatione peccatorum, quia juſtus initio orationis accuſator eſt ſui, & à rectitudine intentionis, nullo ſibi propoſito fine, niſi adimplendæ Divinæ voluntatis, de qua dicit Apoſtolus, *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra* (1. *Theſſ.* 4: 3.) Qui aliter orat, Divinæ miſericordiæ oſtium contra ſe claudit.

## §. L.

### *Fons Omnium bonorum oratio.*

QUod de Sapientia ſcriptum eſt, hoc verè de oratione dici poteſt: *Super ſalutem, & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile eſt lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta, & ignorabam, quoniam horum omnium mater eſt. Infinitus enim theſaurus eſt hominibus: quo qui iſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.* (*Sap.* 7.) Oratio quippè fons gratiæ eſt, virtutum patens, mentis illuminatio, mœrentium conſolatio, lætantium jucunditas, cibus animæ omniumque bonorum origo, & cuſtodia. Hæc iram Dei placat, veniam peccatorum impetrat, expellit vitia, liberat à periculis, & Divini amoris in nobis ignem accendit. In ea omnium virtutum actus exercetur. Prima verò ante omnes occurrit Fides, nemo enim oraret, niſi crederet Deum eſſe præſentem, & preces clamantium ad ſe audire, eaſque poſſe, & velle, ſi juſtè petimus, exaudire. Spes erigitur, quia maximam in Dei ope, & miſericordia fiduciam habemus. Charitas excitatur Divinæ bonitatis conſideratione, quæ urget nos ad ipſum ſuper omnia diligendum. Per eam diſcimus adimplere omnem juſtitiam, & juſtorum prudentiâ omnia perpendere. Fortitudo exercetur, quia orans firmiter ſtatuit ſervire Deo, & pro ejus amore adverſa

adversa omnia tolerare. Temperantiæ actus eliciuntur, quia mens orantis à terrenis & corporeis abhorrens, cœli delitias degustat. Dona quoque Spiritûs sancti vim suam exerunt, quia intellectus de æternis illuminatur, Dei sapientiâ fruitur, ipsique Deo appropinquans omnes creaturas scientiæ dono pro nihilo habet: tum luce uberiori perfusus in rerum agendarum dispositione per donum consilii non fallitur: ad orandum pro aliis pietate impellitur: Divinæ Majestatis celsitudine apprehensâ ejus timorem concipit, & ad multa pro Christo toleranda fortitudine roboratur. Multis ergò virtutibus fulget, qui multum orationi incumbit.

# PARS II.

## De moderandis animi affectionibus, & de studio virtutum.

### §. I.

*Quærenda veritas, fugienda vanitas.*

VEritatem omnes desiderant, omnes commendant, sed ubi ea sit, pauci cognoscunt: nam si scirent ubi esset, nihil amplius quærerent, nihil præter illam amarent. Et quidem in rebus mortalibus eam non esse evidens est. Quidquid enim in aliquo loco est, nullo modo permanere potest, si illud, in quo est, non permaneat: mortalia autem esse desinunt, quia intereunt, ac propterea in illis non est veritas. Quærenda igitur est in rebus immortalibus, quæ verè sunt, & in æternum futuræ sunt: quærenda in virtute, quæ nihil aliud est, quam æqualitas vitæ in omnibus veritati consentiens, excluså vanitate, & rerum pereuntium cohibito appetitu. Veritati enim congruit homo, cum animi motus ratio regit, & spiritus Dei in eo dominatur. Quod si cupiditatum tyrannico imperio subsit, à veritate in vanitatem defluit, & variis, ac contrariis perturbationibus agitatur, hinc timore, inde desiderio, hinc anxietate, inde inani lætitiâ; hinc rei amissæ dolore, hinc ardore adipiscendi quæ non habet; hinc acceptæ injuriæ cruciatu, inde studio vindicandæ. Hi sunt videlicet omnium malorum fontes, quæ miserrimam animam vexant, vanitas & voluptas. Oriuntur ex vanitate eorum omnium, quæ propriam excellentiam fovere possunt, ardentissimum desiderium, magna sui æstimatio, aliorumque contemptus, & aversio à veritate. Ex voluptate propensio illa procedit, quâ fertur homo ad cibum, & potum, ad ludos, & relaxationes, & ad reliqua omnia, quæ corpori, & spiritui rebus terrenis occupato grata, & jucunda sunt. Hinc evagatio continua, & cordis effusio ad exteriora, quibus anima Deo vacua implere se studens, tota est in nugis & vanitatibus mundi, quærens homines, cum quibus recreëtur, & confabuletur, & à quibus laudetur in desideriis, & vanitatibus suis. Hæc verò sunt, quæ homini carnali exosam reddunt Divinam Legem, & Euangelicam perfectionem. Euangelium siquidem nihil magis commendat, quàm humilitatem: at natura corrupta semper inclinat ad superbiam. Euangelium prædicat pœnitentiam, à qua homo maximè abhorret. Fides igitur est necessaria, quæ docet nos omnem veritatem; & hæc est victoria, quæ vincit mundum, Fides nostra. Filius Dei Patri consubstantialis, ut amorem nostrum à rebus terrenis avellendum esse doceret, fidem prædicationi suæ altissimâ virtutum exercitatione conciliavit. Divitias homines appetunt; pauper esse voluit: honoribus, & imperiis inhiant; abscondit se ne fieret Rex: contumelias intolerabiles esse arbitrantur; omne genus injuriarum sustinuit: calumnias detestantur; innocens damnari voluit. Vita ejus disciplina morum fuit, nec ullum à nobis peccatum committi potest, nisi cum appetimus quæ illè contempsit; aut ea fugimus, quæ ille sustinuit. Stultus igitur est qui vitam beatam in iis positam putat, quæ spernenda esse Christus docuit.

## §. II.

*Quanti momenti sit ad Christianam perfectionem nihil vel minimum negligere.*

IDeò pauci ad perfectionem Christianæ vitæ perveniunt, quia majoribus vitiis jam superatis sibi vim inferre nolunt, ut minoribus resistant, quibus quotidie infestantur. Sensim ad graviores lapsus disponitur, qui segnis est in minimis, & minutissimis præcavendis: majora enim vitia, & extrema vel primo aspectu horrorem incutiunt, in minora faciliùs labimur. Non solent homines adeò insanire, ut unâ die omnes facultates suas dissipare & prodigere velint, sed paulatim hoc fit. Hæc modica, inquiunt, impensa est, non minuit patrimonium, vix aliquid è cumulò detrahitur; adhuc ærarium integrum manet. Tum de aliis expensis eodem modo argumentantur, donec, quod singulæ non perfecerunt, omnes simul perficiunt, & qui dives erat, mendicus fit. Idem accidit in usu cibi & potûs: hoc parum est, nocere non potest, temperantiæ metam non transgreditur: atque ita paulatim ex minimis congeries fit, donec stomacho plus ingerimus quam ferre possit, & in graves ac sæpè incurabiles morbos incidimus. Magnæ occasiones serviendi Deo, actusque heroicos virtutum exercendi rarissimæ sunt; parvæ autem singulis pene momentis occurrunt: idcircò oportet ad minima quæque attendere, singulos cordis motus observare, minuta quælibet desideria vincere, propriæ voluntati resistere, & noxium sui amorem exterminare. Nemo repentè fit malus, sed ut ait Sapiens, *Qui spernit modica paulatim decidit* (*Eccl.* 19.1.) Omnis consolatio, quæ à creaturis accipitur, quantumvis innocens & exigua videatur, Divinam semper excludit: qui verò se subtrahit ab amicorum consuetudine, à vanis collocutionibus, ab omni exteriori solatio, solo Christo contentus, qui reverà solus sufficit, ineffabili gaudio in ipso, & per ipsum fruitur. Sicut expulso à quolibet loco uno corpore aliud subintrat, ne detur vacuum, ut docent Physici: ita anima, quæ omnia creata, atque omnem sui amorem à se expellit, Deo protinus repletur, in quo reperit omne bonum. Verumtamen pravus habitus ab infantia contractus nos terrenis delectationibus affigit, quæ præsentes sunt, & sensus percellunt; nec sinit ad divina & supernaturalia assurgere, & iis delectari, quia sunt remotissima à sensibus nec nisi per fidem cognoscuntur. Ideò volutamur in carne & sanguine, nec unquam extra nos prosilimus, semper instabiles futuri, donec tandem rejectis terrenis consolationibus quiescamus in Deo, qui est pax nostra, & gaudium nostrum, rerumque omnium finis, & centrum.

## §. III.

*Omnibus Christianis necessaria crux & abnegatio.*

TOta vita Christiani crux esse debet, & abnegatio: nemo autem crucis dulcedinem & suavitatem novit, nisi qui illam intimo animi sensu degustavit. Norunt experti, quantâ jucunditate sit plena; nam si modico tempore illis subtracta divinâ dispositione fuerit, contristantur, & incidunt in amaritudines amarissimas. Et mundus quidem falso judicio homines justos existimat esse infelices, quia pauperes, afflicti, & vulgo despecti sunt: ipsi verò se beatos putant, & in cruce gloriantur, quoniam sibi ex animi sententia omnia contingunt. Si pauperes sunt, hoc volunt: si afflicti, afflictione lætantur: si à cæteris spernuntur, sperni desiderant. Nulli autem beatiores sunt, quam qui habent quod volunt. Impii verò, qui turpia, & obscœna sectantur, tametsi vulgi opinione beati censeantur, quia habent quod volunt, reverà tamen miseri sunt, quia quod volunt nolle deberent. In cruce, & abnegatione præcipuè consistit religio Christiana, & qui aliter Christi doctrinam amplectitur quam proposito crucis mysterio, ab Euangelii scopo longiùs aberrat. Multa Christus occultavit Apostolis, quæ tunc portare non poterant; sed ipsis adhuc infirmis, & nondum intelligentibus quæ dicebantur, se gentibus tradendum ad illudendum, & crucifigendum apertè & palam prænuntiavit. Paulus recens conversis lac potum dedit, non escam, cujus nondum capaces erant: Christum tamen prædicabat crucifixum, Judæis scandalum, gentibus stultitiam: & cum multa sciret, se nihil scire professus est nisi Christum, & hunc crucifixum. Vetus Ecclesia plura fidei mysteria Catechumenis occultabat, sed nunquam crucem Christi. Ideò frons Christiani cruce signatur, ne quis ejus ignominiam erubescat. Absit Christiano in aliquo gloriari, nisi in cruce Domini N. Jesu Christi, qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio. Ipse per crucem redemit nos, nec

quisquam

quisquam potest redemptionis fructu potiri nisi per crucem. Hinc necessitas indispensabilis orta est abnegandi seipsum, quod qui præstare recusat, Christi discipulus esse non potest. *Siquis*, inquit, *venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* 14. 26.) Et apud alium Euangelistam ait: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me* (*Matt.* 16. 24.) *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Non dixit abnegandam dumtaxat esse superbiam, crapulam, ebrietatem, luxuriam, divitias, possessiones, & alia, quæ extra nos sunt; nam hoc utique tolerabile foret: sed jubet etiam ut abnegemus nos ipsos, proprios scilicet affectus, & quidquid suggerit & operatur in nobis spiritus Adæ. Hæc omnia prorsus à nobis revellere, ac rejicere debemus, & carnem nostram crucifigere cum vitiis, & concupiscentiis suis, vitamque Christi crucifixi in nobis exprimere. Durus est hic sermo carni, & sanguini, sed in hoc Christi fides, in hoc salus nostra consistit.

## §. IV.

### *Fundamentum vitæ Christianæ est abnegatio.*

ABnegatio primus lapis est spirituali ædificio sternendus. Quid enim prosunt altæ de Deo, rebusque divinis speculationes, quid dulcia cum Deo colloquia, quid virtutum exercitationes, si nos ipsos in his quærimus, & in superbiam elati nos colimus velut idolum, & pharisaico fastu cæteros aspernamur? Sapientior est omnibus Philosophis, qui se stultum credit; gloriosior cunctis Regibus, qui se omnibus inferiorem putat. Salus, virtus, & perfectio nostra non in sublimitate sermonis, non in signis, & mirabilibus; sed in cruce, in abjectione, & in improbriis Christi sita est: nec ullus unquam poterit aut salutem consequi, aut virtutem adipisci, aut perfectus esse, nisi abneget semetipsum, & resecatis omnibus vitiis ad exemplar se conformet, quod Christus cruci affixus nobis ostendit. Advertendum tamen est, quod sicut Simeon Cyrenæus crucem portavit post JESUM, sed mortuus in ea non est: ita multi crucem asperrimam portant, qui sibi adhuc vivunt, & ex proprio sui amore, non purè propter Deum patiuntur. Quis crederet amorem sui in cruce locum habere, à qua tantoperè natura abhorret? Et nihilominùs non pauci reperiuntur, qui duram crucem amplectuntur, ut de pœnis suis glorientur, & ab hominibus videantur. Hi sanè crucem portant, sed nolunt cum Christo crucifigi: seipsos excruciant, sed nihil inde merentur, imò bonorum omnium jacturam faciunt. Solent plerique conqueri, res & negotia eos impedire, ne interiori pace fruantur: at verè quidquid obsistit mentis nostræ tranquillitati, à nobis ipsis procedit, quia inito fœdere cum propriis sensibus hoc vinculum dissolvi non patimur, ea omnia fugientes, quæ propriis commodis adversantur. Hoc est bellum intestinum, & turbulentum, quod inter rationem & appetitum jugiter erit, donec pars inferior superiori parêre, & subjici didicerit. Si quis amicum haberet summâ sibi necessitudine conjunctum, cujus præsentiâ ne uno quidem momento carere posset, cum quo edere, dormire, confabulari soleret; ab aliquo autem fide dignissimo moneretur, hunc perfidum proditorem esse, qui mortem illi dolosè tentaret inferre; omnis amor protinùs in odium & in implacabilem inimicitiam converteretur. Porrò hic amicus caro nostra est, cui blandimur, quam fovemus, cujus desideriis obsequimur: & hæc sub specie amicitiæ nos decipit, & vitam nobis non corporis aliquando morituri, sed animæ eripere conatur. Non sunt nobis fingenda prælia, & decernenda certamina cum absentibus & longè distantibus adversariis; sed cum hoste domestico quotidie decertandum, qui saluti nostræ semper insidiatur. Tollat homo seipsum à se, & nullum habebit in via salutis impedimentum.

## §. V.

### *Quomodo adversus vitia, & pravas affectiones pugnari oporteat.*

ATtendendum solerter quid diligamus, quid metuamus, unde gaudeamus, & contristemur; totum enim cor nostrum in his quatuor affectionibus est: & tunc ad Deum toto corde convertimur, cum nihil omnino diligimus, nisi ipsum, aut propter ipsum: cum nihil nisi eum, aut propter eum timemus: cum non nisi secundùm ipsum aut dolemus, aut lætamur. Hi motus animi cum non reguntur, nos similes faciunt omni generi bestiarum: cum autem reguntur, omninò mansuescunt, & nos similes Angelis efficiunt. Hæc est nimirum

beata hominis vita, cum omnes affectus ejus rationi & veritati consentiunt, & tunc vocantur gaudia, & amores sancti: si verò non consentiunt, dissipant mentem, & vocantur libidines, & perturbationes. Monstra sunt quæ vinci, & edomari non possunt, nisi continuò adversus ea decertemus. Nec satis est in universum ac veluti acervatim actus elicere, quibus mores corrigere, pravosque affectus coercêre decernamus; in hoc enim generali apparatu pugnæ, castigationis, abnegationis, & separationis ab omni solatio creaturarum, natura nostra ad malum prona nihil reperit, quod ipsam vexet, licet arma contra illam expedire videamur, ac propterea hujusmodi decretis non contradicit, imò virtutis eo modo, & quasi in ideâ conceptæ pulchritudine delectatur, ipsam probat, & laudat, ipsique infideles, & Philosophi eam sic amplexi sunt. Inde multi decepti de vitiorum victoria inaniter gloriantur, quia bonis desideriis naturam repugnare non sentiunt; at cum inito singulari certamine non vitia generatim, sed unum peculiariter aggrediuntur, cum pravum affectum insurgentem viriliter expugnare nituntur, cum aliquid quamtumvis minimum tolerandum occurrit: tunc demum apparet quam vanæ fuerint, & debiles præconceptæ deliberationes. Singulas ergo, & peculiares occasiones, quæ nunquam desunt, abnegandi seipsum, & pravas affectiones coercendi, observare oportet, & in his se fortiter gerere; nam sic animi motus sub rationis imperio reguntur, sic vitia eradicantur. Hoc autem fieri nequit sine contentione infatigabili, quæ semper operetur: sine profunda attentione, quæ omnia penetret, & perscrutetur usque ad radices: sine perpetua violentia, quæ fixas cordi affectiones evellat. Motus enim voluntatis nostræ in Deum, utpotè contrarius inclinationi depravatæ naturæ, violentus est, & nisi subinde nova vis illi imprimatur, statim ad nos ipsos descendimus motu, qui infirmæ voluntati naturalis est. Sicut autem noxias & inutiles herbas in areolis hortorum impedire ne crescant, & radicitus evellere possumus; numquam tamen efficiemus, ne iterum suâ sponte nascantur: ita nonnumquam contingit, affectiones nostras eo nos studio moderari, ut naturam mutasse videamur. Verùm quidquid curæ ac diligentiæ ad hanc rem adhibeamus, semper natura in suo fundo corrupta est, aliosque motus inordinatos producit, ex quo sequitur, à studio mortificationis numquam cessandum esse, numquam arma deponenda. Quod si quis aliquando Deo juvante heroicum virtutis actum vel semel elicuerit, hic solus sufficiens est ad omnem naturæ repugnantiam deinceps superandam, & ad veram animi libertatem consequendam. Quidam viri sancti cum semel devictâ naturæ contumaciâ ulcerosi saniem lambere, & fugere ausi sunt, omne postmodum morborum genus non solum sine stomachi fastidio, sed hilari etiam ac propenso animo contrectarunt. Tanti refert vel semel heroico actu vicisse se ipsum.

## §. VI.

### *De sensuum exteriorum moderatione.*

QUia solet vitiis via per oculos aperiri, eos omninò avertere oportet ab omni, vel momentaneo cujusque rei aspectu, quæ ad peccandum allicere, vel à perfectione retrahere possit, eâ prorsus accuratione, ac celeritate, quâ quis à loco morboso, & pestilenti recedit. Triplex autem est oculus, quo res creatæ conspiciuntur. Primus est animalis, cum solâ sensibili rei pulchritudine, & elegantiâ homo delectatur, & in ipsa exteriori specie immoratur, nec aliud considerat. Secundus est philosophicus, cum ex rei visæ symmetria & concinnitate, discendi cupiditate intellectus excitatur ad ejus naturam, & proprietates investigandas. Tertius est Christianus, cum à visione creaturarum mens elevatur ad Creatorem, ejusque amore succenditur. Isto oculo vir fidelis res omnes intuetur, per hæc visibilia ad Deum invisibilem assurgens, qui est vera pulchritudo, à qua veluti à fonte omnes rivuli creatæ pulchritudinis emanant, quia ipse est qui verè est, in quo res omnes verè sunt; nam in seipsis umbra sunt, & deficiunt, ac propriè non sunt. Omnium autem sensuum vita à re ipsis objecta dependet, sicut vita corporis ab anima. Oculorum enim vita in rerum visione consistit; vita aurium in harmoniæ, & vocum auditu; cum videlicet visus in aspectu rei pulchræ delectatur, & auditus complacet sibi in vocum & organorum concentu. Ex hoc autem consequens fit, ut sensuum mors nihil aliud sit, quam separatio ab his, in quibus eorum vita subsistit. Nihil verò perniciosius vitæ Christianæ, quàm vita sensuum: nam cum animæ facultates imaginationi, hæc sensibus corporis, nexu ferè indissolubili colligatæ sint, commota à sensibus phantasia potentias rationales inficit, & immutat,

tat, trahitque voluntatem, ut pravis tandem delectationibus assensum præbeat: quod malum aliter evitari nequit, nisi sensus à noxiis voluptatibus retrahantur. Porrò mors sensuum, de qua sermo est, duplici modo contingit, physicè, & moraliter. Physicè cum sensus omninò à suo objecto removetur, ut cum oculi ab omni etiam innoxia pulchritudine avertuntur, aures clauduntur quibuscumque sermonibus, & concentibus delectabilibus: moraliter cum sensus non à re ipsa, sed à rei fruitione divellitur, quando scilicet oculus videt, auris audit, sed à rebus visis, & auditis omnis complacentia removetur. Prima mors, sive separatio securior, & facilior est, dummodo discretione regatur: facilius est enim omnem pravæ delectationis occasionem evitare, quàm moderationem in ea servare. Altera gravi periculo exposita est, quia sensuum illecebræ magnam vim habent, & ob consensum, ac sympathiam potentiarum, facillimè animam deprimunt ad carnales oblectationes. Et quia ferè cum lacte sensibus blandiri didicimus, licèt postea agnoscamus quàm fluxæ sint, & vanæ eorum delectationes, & quàm gravia inferant animæ detrimenta; manent tamen de illis præconceptæ notiones, & fixæ potentiis imagines, donec longo meditandi usu, actibusque contrariis paulatim evanescunt, & solida Christianæ vitæ principia menti inseruntur. Spiritus est Deus, actusque purissimus, ad quem pertingere nemo potest, nisi nubes phantasmatum dissipentur, ipsumque corpus, & sensus continuo usu mortificationis spirituales quodammodò efficiantur.

## §. VII.

### *De pugna adversus gulam, & carnem.*

OMnia bona exteriora, omnem seculi pompam, omnem voluptatem deserere & coërcere, homini Deum timenti, studioque virtutum sedulò incumbenti non est difficile; at alimenta corpori subtrahere nemo potest; reficiendum enim est edendo, & bibendo, & quotidie urget ista necessitas. Sed quia hæc ipsa suavis est nobis, adversus hanc suavitatem pugnandum est, ne insidietur concupiscentia, & quod salutis causâ facere cogimur, transeat in voluptatem, quæ plerumque præire conatur, cum sequi debeat. Naturali indigentiæ pauca sufficiunt, sed quod illi satis est, delectationi parum est. Sæpè nescimus utrum subsidium petat inevitabilis corporis cura, an fallacia concupiscentiæ nos decipiat, & in hac incertitudine hilarescit infelix anima, ut salutis obtentu intemperantiam excuset. His tentationibus, quia quotidianæ sunt, quotidiè resistendum, & eâ moderatione alendum corpus, ne metam necessariæ nutritionis excedamus. Nihil salubrius animæ & corpori, quàm parca, modesta, & frugalis mensa. Pravas affectiones facilè moderatur, qui cibi & potus abundantiâ fomitem illis non subministrat. Lautiores epulas, & convivia appetere, de illis loqui, ea meditari hominum est, qui terrena sapiunt, & quorum Deus venter est. Christianus verò, ut hominem pœnitentem decet, nec quidem de cibo cogitat, nisi urgente necessitate: tum ad mensam ea animi præparatione accedat ac si solo pane vesci, & aquam bibere deberet; ex quo fit, ut sit illi suavissimum quidquid superadditum fuerit. Id autem facilè quisque servabit, si Sanctorum jejunia ac ferè incredibilem abstinentiam mente revolvat, & sibi Christum imitandum proponat, felle & aceto potatum. Animus ad hæc intentus non attendit ad escas. In pugna verò adversus carnem removenda primum est omnis tentationis occasio, servatâ in omnibus modestiâ, & severitate, omniumque sensuum continentiâ. Omnium deinde mulierum evitandum consortium, quoniam magna in diverso sexu vis fomitis est, & ad id uterque fertur, ad quod provocat lex naturæ; etiamsi pars superior contradicat: nam menti infigitur corporalis figura, & sæpe recurrit influens cordi insanabile vulnus. Cavendum denique, ne nimia nos fiducia decipiat, nam qui non timet, jam lapsus est.

## §. VIII.

### *De malis linguæ, & de bono silentii.*

DIfficile est paucis explicare quot mala & damna ex lingua proveniant. In multiloquio non deesse peccatum, Spiritus Sancti sententia est (*Prov.* 10: 19.) loquacitas enim fons est vitiorum, indicium ignorantiæ, argumentum stultitiæ, fervoris extinctio. Omnis ferè sermo ex superbia procedit, nam loquimur, ut doceamus, ut nos sapientes esse & prudentes ostendamus. Sibi quisque persuadet se multa scire, quæ libenter effutit, ut aliquid esse videatur. Sicut aër corruptus sensim attractus inficit corpus, ita loquacitas animam vitiat, ejusque robur enervat.

Inde enim proveniunt dissolutiones, querelæ, detractiones, mendacia, rixæ, scurrilitates, & omnia mala. Frustrà laborat, ut donum orationis, & internam pacem obtineat, qui frænum & custodiam ori suo non ponit. Frustra satagit proprios emendare defectus, qui aliorum censor est. Hoc laqueo plerique involvuntur: alios reprehendunt, sibi adulantur: alios deprimunt, se & sua jactanter extollunt. Pauci admodum sunt, qui huic vitio renuntient, qui vitam suam ita irreprehensibilem exhibeant, ut non libenter alienam reprehendant. Tanta nimirum hujus mali libido mentes hominum invasit, ut illi etiam, qui ab aliis vitiis longiùs recesserunt, in hoc, veluti in extremum diaboli laqueum infeliciter incidant. Docuit me vir magnus, numquam se vidisse hominem loquacem in bonis operibus perseverasse. Magna itaque res est taciturnitas, per quam ab hominum consortio recedentes discimus cum Deo miscêre colloquia. Lingua enim in vanum silet, nisi Spiritus cum Deo loquatur. Omnia quæ patimur, calumnias, persecutiones, infirmitates, & animi afflictiones, silentium sanctificat: nam qui hæc tolerat, & tacet, sacrificat Deo corpus, animam, existimationem, facultates, & omnia bona sua: tum Christum imitatur, qui quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum: liber denique ab omni perturbatione, tranquillâ fruitur sui ipsius possessione. Est quidem nonnunquam sui defensio necessaria, sed ingens cautela adhibenda, ne Christianæ modestiæ, & humilitatis moderamen excedatur. Vix autem accidit casus, in quo quis tueri famam suam teneatur, nisi aut munus publicum gerat, ad quod exercendum redderetur inhabilis, si bonum ejus nomen per calumniam denigraretur: aut cum uni impositum crimen in aliorum dedecus vergit, quibus prospiciendum sit: aut cum quis à legitimo superiore de veritate interrogatur. Rebus in cæteris consultius est tam linguâ, quàm animo tacere, neque enim prodest exterior taciturnitas, si intus commoti affectus tumultuantur. *Obmutui*, ait Propheta, *& silui à bonis* (*Psal.* 38.) Quod si à bonis sermonibus abstinere interdum oportet ob silentii præstantiam, quantò magis à noxiis, & inutilibus? Sapientissimus est, qui scit tacere, difficilius etenim est nosse tacere, quàm loqui.

## §. IX.

*De bona, & mala delectatione, & de illorum infelicitate, qui præposterо fine virtutem colunt.*

NIhil naturæ rationali verè, & ex se delectabile est, nisi vita secundùm virtutem: quæ enim vulgo delectabilia videntur, veram, & solidam delectationem non habent, quia sibi invicem adversantur, & quod uni placet, alteri displicet: quod uni dulce, alteri amarum videtur. Sic prodigus in effusione pecuniæ, avarus in ea custodienda & conservanda delectatur. Hæ siquidem delectationes non sunt secundùm rationem, quæ omnibus communis est, sed secundùm corruptionem appetitus à ratione deficientis. Sicut palatum febricitantis certum judicium ferre nequit de sapore & condimento ciborum; ita nec sensus vitiosi hominis capax est delectationis, quæ ex virtute percipitur. Et quidem bonum sensibile naturæ instinctu cunctis placet, sed qua moderatione placere debeat, & quid in usu illius servandum sit, pauci dignoscunt. Ad majora homo conditus est, quàm ut serviat voluptatibus sensuum. Contemplatio & fruitio summi boni finis illius est: naturæ verò irrationalis finis est sensuum delectatio. Sed quia homo veritatem contemplari nequit, nisi per species, & phantasmata à sensibus accepta, nec potentiæ rationales officio suo fungi possunt in corpore malè affecto; ideò pertinet ad naturam hominis sui corporis curam rationalem & moderatam habere, ut potentiæ corporales aptiores fiant, & alacriores ad sua munera exercenda. Quod si quis finem constituat in his, quæ ad corpus spectant, ut si cibum sumat propter solam delectationem: hic procul dubio peccat, naturæ ordinem pervertens, quæ gratum cibo saporem indidit, ut eo alliceret ad necessaria vitæ alimenta, non ut in eo finem suum ponat, sicut bruta ratione carentia. Certum profectò est, non posse hominem in hac vita omni delectatione carêre, nam vel terrenis vel cæleſtibus delectatur; sed quò magis cœlestia appetit, eò majori fastidio à terrenis abhorret. Utrisque simul, & æqualiter delectari nemo potest. Multi quoque sunt, qui virtutis splendore, & pulchritudine magis quàm ipsâ virtute delectantur. Ad amorem Dei aspirant, quia excelsus, & sublimis est: vitam ducunt duriorem, quia vis quædam & generositas animæ in ea elucet: pacem interiorem sectantur ejus

ejus suavitate illecti: viam salutis scire cupiunt, ut sciant, omnesque libros de ea tractantes evolvunt, ut pabulum præbeant curiositati: iter perfectionis arripiunt tumore quodam spiritûs, & occulto amore propriæ excellentiæ: rerum sublimium notitiam quærunt & lumina, quibus imbuti se ipsis fruantur, non Deo: volunt quæ sibi placent, non quæ vult Deus; & hæc ipsa, quæ Deus vult, ideò volunt, quia delectant, non quia vult Deus. Sic cœco errore decepti dulcedinem possessionis magis amant, quàm rem possessam: & cum maximè credunt se Deo servire, sibi obsequuntur, & nihil proficiunt, nihilque tandem invenient in manibus suis, nisi amorem sui & superbiam. Deus igitur quærendus est in spiritu veritatis, propter ipsum solum non propter delectationem. Hæc vita laborum, pugnæ, & tenebrarum est: gaudium, quies, & tranquillitas futuræ vitæ reservantur.

## §. X.

### *Opinione vivimus.*

COnstans omnium sententia est, opinione nos vivere, sed quanta sit vis opinionis non omnes percipiunt. Hæc dominium in homines, seu potiùs tyrannidem exercet variis ac miris modis: hæc felices, & miseros, pauperes & divites, sanos & infirmos pro suo arbitrio facit: nemo enim beatus, nemo dives, nemo incolumis est, nisi putet se esse. Hæc hominibus gaudium, hæc tristitiam tribuit pro ut ipsi opinantur: nam hi affectus in opinione magis consistunt, quàm in rei præsentis commodo vel incommodo. Gaudere solent plerique vel dolere ex præconcepta rei fututæ bonitate vel malitia, quæ major ex opinione semper est, quàm re ipsa foret in re præsenti. Ipsâ enim experientiâ didicimus, adveniente bono quod sperabamus, vel malo quod timebamus, hujus molestiam, & illius jucunditatem vel minui vel prorsus evanescere. Opinio item non solùm operatur, ut quod futurum est, præsens fiat, sed insuper in unum redigit quæ per partes, & diverso tempore eventura sunt, totamque vim suam in momento exercet. Quis honorem, laudem, æstimationem hominibus præbet, eorumque operibus, nisi sola opinio? Totius orbis divitiæ, & dignitates uni collatæ non sufficiunt, ut his contentus sit, nisi opinio consentiat. Aman primus erat in regno Assueri, & opes immensas possidebat, & nihilominus opinione suâ infelicissimus se nihil habere putabat, quia homo quidam captivus ingredienti palatium ei non assurgebat. Est & aliud maximum malum opinionis; nam præsens tempus in longum extendit, & auget, ac si nunquam morituri simus: æternitatis verò interminabilem durationem defectu considerationis ita contrahit, ac minuit, ut de nihilo æternitatem, de æternitate nihilum faciat. Ipsa quoque vitia & peccata non ratione, sed opinione metimur; ex quo fit, ut plerique, dum vitium aliquod vitant, in contrarium currant. Sic exhorrens avaritiam, fit prodigus: inquietus fit, cujus pigritia reprehenditur: ad timiditatem declinat, cujus audacia arguitur. Provenit tandem ex opinione, quod de nobis ipsis non ex veritate, non ex sincero propriæ conscientiæ testimonio; sed ex falsa hominum existimatione judicemus. Tanta est vanitas, & amentia nostra, ut eâ vitâ minimè contenti, quâ in nobis ipsis vivimus, aliam chimæricam, & inanem quæramus in idea, & opinione aliorum, qui nos sæpe nec cognoscunt, nec diligunt, & quorum judicia ipsimet aliquando contemsimus. Sic verâ vitâ neglectâ, illam ornare, & conservare nitimur, quæ ab aliis pendet, adeò ut ipsum scire nostrum nihil esse reputetur, nisi nos scire cæteri sciant. Ab his autem erroribus & illusionibus, nulla ratio liberare nos valet, nisi Divina gratia mentibus nostris verum lumen infundat. Vera enim vel falsa cujusque opinio est, prout vero vel falso lumine imbuitur.

## §. XI.

### *Scientiam Salutis plerique contemnunt.*

BOna est omnis scientia, quæ veritati consentit, sed qui satagit salutem suam cum timore & tremore operari, ea priùs, & diligentiùs scire curat, quæ sunt viciniora saluti, quia tempus breve est. Nihil prodest homini multa scire, si sciendi ordinem, & modum neglexerit. Sententia Jacobi Apostoli est, *Scienti bonum facere, & non facienti peccatum est illi* (*Jac.* 4. 17.) Ac si diceret, sumenti cibum, & non digerenti pernicioſum est ei. Cibus enim indigestus non nutrit, sed nocet: ita & multa scientia sine delectu animæ ingesta, nisi igne Charitatis concocta fuerit, ac in mores transfusa, in pravos & noxios humores convertitur, & desinit in damnationem. Duo sunt, de quibus homo, dum in hoc mundo peregrinatur, solicitus esse debet, ut vitam sci-

scilicet animæ, quæ in gratia Dei consistit, & vitam corporis conservet. Sed vitam animæ plerique spernunt, omnisque scientia & intentio eorum, atque omne studium ad vitam corporis dirigitur, & in ea jucundè transigenda versatur. Idcircò tenebris & caligine multâ obcœcati post concupiscentias suas præcipiti cursu festinant, carnis quidem prudentiâ præditi, sed scientiâ justorum destituti. Quod si hominibus odibilis est, ut Sapiens ait, qui sophisticè loquitur (*Eccl.* 37: 23.) multò magis isti Deo odibiles sunt, qui sophisticè vivunt, non solum in verbis, sed etiam in vita mendaces. Scientiam Dei, quam non habent, ostentant, & scire vias ejus volunt, ac si justitiam quærerent, à qua maximè alieni sunt: aliorum defectus vident, non suos: alios corrigunt, non se ipsos: aliena curant, non sua: cumque vitiis pleni sint, virtutes, quibus carent, detestabili simulatione prædicant: mala verò, quibus abundant, sagaciter abscondunt. Sed Deum fallere nequeunt, cujus lumen sole lucidius intimos cordis recessus penetrat, & illuminans abscondita tenebrarum, quidquid in eo latet, in novissimo die manifestabit. Atque utinam in hac æterna & splendidissima luce suas quisque maculas & imperfectiones perspiceret, facillimùm cuique esset illas eluere, & emendare. Cum enim defectus nostros vel in se ipsis sive in nostræ cognitionis caligine, vel in splendoribus Divinarum perfectionum intueri possimus; prima cognitio hibernæ diei frigidæ, & obscuræ similis est: altera diei æstivæ fervidæ, & lucidissimæ comparatur, quæ suo fulgore minimas ac ferè imperceptibiles animæ sordes detegit, ignemque accendit, quo comburuntur. Hoc autem lumen videre non potest, & ad Deum ire qui à se non exit. in solo Deo veritas est, & solida scientia; extra illum nihil est nisi ingens fabula & mendacium, atque stultitia.

## §. XII.

### *Damna propriæ voluntatis.*

QUæcumque hic facimus propria voluntate Divinæ contraria, ligna sunt igne inextinguibili in futuro seculo comburenda. Etenim infernus nihil aliud est quam propria voluntas, quæ si non esset, nec infernus nec dæmones essent. Propterea omne malum, omnisque calamitas infelicium damnatorum propria voluntas est, quæ Divinæ pervicaciter adversatur. Ita etiam in hoc mundo, quo minus homo propriæ voluntati adhæret, eo magis ab inferno elongatur, æternæque felicitati appropinquat. Et si qui forent in hac vita propriæ voluntatis omnino expertes, hi sibi possent regni cælestis possessionem certâ spe polliceri. Quomodo autem propria voluntas deponi debeat, paucis verbis Christus docuit cum dixit; *sequere me* (*Matth.* 8. 22. *Marc.* 2. 14.) Cum enim testatus sit se in hunc mundum venisse, non ut suam, sed ut Patris voluntatem faceret; ad hoc nostra voluntas inclinanda est, ut exutâ omni proprietate, Christi crucem amplectatur, naturæ amaram, spiritui dulcissimam. Hoc nimirum à nobis exigit Christiana professio, ut Christi exemplo in omni opere, & eventu dicamus, *non mea, sed Dei voluntas fiat.* Hoc requirit Suprema, & æterna voluntas, quæ omnes voluntates creavit & conservat, ut ad solum ejus obsequium & beneplacitum omnia opera nostra, omnia verba, & cogitationes dirigantur. Verâ potitur libertate, qui in omni eventu sic ex animo loqui potest: Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Ego nihil volo nisi quod vult Deus. Ille sapienter disponit omnia, ejusque dispositioni tam in prosperis, quam in adversis me libentissimè subdo, non meam sed ejus gloriam quærens, eo statu rerum contentus, quem ejus providentia ab æterno decrevit. Omnis turbatio hominum, & omnis anxietas ex eo nascitur, quod se subjicere Divinæ voluntati aut nesciunt, aut nolunt. Magna autem pœna & intolerabilis illis est, qui hoc esse nolunt quod sunt.

## §. XIII.

### *Utilitas solitudinis.*

AD exteriorem & interiorem hominis compositionem inæstimabilis momenti est, corpore & animo solitarium esse, & proprium fundum colere in silentio. Ideò vir sapiens fugit hominum consortium, odit multiloquium, cunctis curiositatibus oculos & aures claudit, non se negotiis immiscet, sapientissimi viri sententiam in mente habens, *Qui minoratur actu percipiet sapientiam* (*Eccl.* 38. 25.) Deus unus, & solus est, nec ipsum reperire potest, qui solus non est. Quod si necessitas Deique gloria cogant aliquando virum sapientem exterioribus occupari, spiritus tamen ad interiorem recessum veluti ad suum centrum tendit, ita ut magis in eo sit quam

in

in opere exteriori, servatâ inter negotiorum curas mentis tranquillitate. Licet illi quácumque horâ voluerit in animum suum secedere, in quo summam quietem reperit, bene omnibus intus compositis. Qui verò occupatur in circumferentia, & extremitate creaturarum, ad centrum suum, quod est Deus, nunquam perveniet. Imperitis, & insipientibus pœna gravissima est, paucis horis secum vivere, & sibi attendere. Ideò omnem curam, & industriam ad hoc applicant, ut sui obliviscantur, & pretiosissimum tempus inutiliter prodigant. Ejus maximam partem usurpant sibi vitæ hujus necessitates, quod verò reliquum est, tanta illos molestia vexat, ut solicitè quærant, quomodo illius jacturam faciant. Timent nimirum, ne, cum soli sunt, de se cogitare cogantur: nihil enim in se reperiunt quod sibi placeat, & à seria sui consideratione avertunt se, solatia quærentes in creaturis, quia in se nihil inveniunt, nisi molestiam, tædium, & perpetuam agitationem. Fugiunt itaque à seipsis, quia animam suam non vident qualem desiderant, sed nudam, deformem, plenam miseriis, onustam peccatis. Non igitur mirari oportet, quod pauci sint, qui ferre possint solitudinem, & ferè omnes turbas, negotia, & multitudinem obsidentem quærunt, & amant; & si hæc desint, se infelices arbitrantur, semperque reipsâ infelicissimi erunt, donec discant secum vivere, & in seipsis atque in Deo requiescere. Docuit nos Dominus paucos electos esse, cum multi sint vocati, ut discamus declinare à multis, & cum paucis vivere, atque etiam inter paucos timere, quia nemo scit in quantam paucitatem electi redigantur.

## §. XIV.

*Quantum noceant divitiæ, & quomodo illarum amorem compescere oporteat.*

QUàm sit pernicioſus amor divitiarum, & quantum Christianis moribus, ac æternæ saluti adversetur, discipulos suos Redemptor noster edocuit, cum præmisso juramento, ut in rebus gravissimis consueverat, ait: *Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* 19: 23.) Et quò altius hæc terribilis sententia audientium cordibus infigeretur, rei difficultatem exaggerans adjecit: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Porta siquidem cœlestis patriæ angusta est, nec recipit divitiarum sarcinis onustos. Opes itaque & pecuniam ità diligere debemus, sicut ægrotus amaram potionem, quam ut amaram aversatur, amat ut necessariam ad pristinam valetudinem recuperandam. Et ipsa quidem valetudo, cum finis sit, propter se amatur, & sine mensura: pharmacum verò tantùm diligitur, quantùm satis est ad valetudinem, nec ullus æger reperitur, qui magnam pharmacorum copiam appetat, sed unicum, idque si fieri possit in minima quantitate, quam etiam prorsùs rejiceret, si posset absque medicamine sanus fieri. Eodem animo erga divitias esse debet omnis Christianus, ut sint nostræ peregrinationis subsidia, non irritamenta cupiditatis; ut, quantum in ipso est, sine illis vivere cupiat; nam sicut ait Apostolus, *magnus quæstus est pietas cum sufficientia* (1. *Tim.* 6: 6.) Sanctus quoque senex Tobias monita salutis tribuens filio suo, *Noli*, inquit, *timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato* (*Tob.* 4: 23.) Verè dives ille est, qui est dives æternitati, qui non opum, sed virtutum fructus recondit. Studium congerendæ pecuniæ vix esse potest sine peccato, carnis siquidem & oculorum concupiscentia, atque superbia vitæ hominem vehementissimè afficiunt; & quia pecuniis, quibus omnia obediunt, facilè consequimur quidquid appetimus, amor divitiarum hâc æstimatione ardentissimus est, & ad omne scelus impellit, dummodò quocumque modo arcam nummis impleamus. Sicut pueri, cum testis ludunt, summa attentione ludo incumbunt, testas verò negligunt: ità nos debemus vitæ curam habere, ad quam opes necessariæ sunt, ipsas verò negligere & ab his affectum avellere: nam si mens illis adhæreat, terræ affigitur, & deprimitur, & in vilissimam servitutem redigitur. Sicut etiam pueri, cum nuces projiciuntur, eas avidè rapiunt, & pro iis colligendis secum decertant; viri autem eas spernunt: eodem modo vir justus, & timens Deum, si aurum, argentum, dignitates distribuuntur, viderint inquit pueri, mihi hæc omnia nuces sunt. Si alio projiciente in sinum meum nux inciderit, forsitan accipiam, & fractam comedam: at nunquam me inclinabo, nec alium evertam, ut tollam, quia nux tanti non est. Nec tanti sunt omnia exteriora, quæ in bonis non esse habenda fides docet. Filius

Dei factus homo divitias habere noluit, ut â nobis contemnendas esse ostenderet. Ideò filii hujus seculi, qui spernere eas nolunt, Christum spernunt: filii autem Dei illic opes reponunt, *ubi neque ærugo; neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* In hoc mundo satis est dives, qui pane non indiget.

## §. XV.

### *De usu divitiarum.*

Quis sit proprius & legitimus divitiarum usus, paucì considerant: subsidia enim sunt humanæ vitæ, quas vir probus sine alicujus injuria congregat, sine affectu possidet, sine anxietate conservat, sine molestia erogat, & in usus necessarios honestè expendit. Cujusque autem necessitas ex proprii statûs conditione æstimanda est. Cum enim aliqui superiores sint, alii inferiores; quidam nobiles, alii ignobiles: hinc sanè fit, ut in gradu sublimiori constitutis plures opes sint necessariæ, ut honorificent ministerium suum: aliis verò pauciores sufficiant. Omnes autem bonorum suorum administratores sunt, quibus intra metam Christianæ modestiæ tanquam fideles dispensatores pro se uti, & quæ supersunt egentibus largiri debent. Rerum nostrarum verus Dominus est Deus, nos œconomi sumus, quâ consideratione etiam in affluentia divitiarum voluntariam paupertatem exemplo Sanctorum observare valemus, illud præstantes, quod scriptum est, *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere* (*Psal.* 61: 11.) Natura aurum abdidit in visceribus montium, & in profundis, atque inaccessis fodinis: & ideò avari qui aurum quærunt, & diligunt, nusquam ad cœlum oculos elevant, sed ad terram proni sunt, in qua latet aurum, nec unquam ab illa emergunt. Sapiens verò rerum omnium interitum brevi futurum mente, & spiritu præveniens, à rebus infimis avulsum cor cœlestibus applicat, ubi veræ sunt, & in æternum duraturæ divitiæ; illic honorari desiderans, ubi nemo indignus honoratur: ibi regnare optans, ubi adepto regno nihil timetur. Omnia, quæ in terris possidet, immolat Deo, paratus his carere, si Deus voluerit. Porro cor nostrum alienum esse à divitiis facilè his indiciis cognoscemus: si firmiter credamus eas onus esse, earumque pondus sentiamus: si fastidio nobis sint, atque illis carere sine dolore possimus: si de illarum possessione non gloriemur; si persuasum nobis sit, pretiosam supellectilem, magnificas ædes, & reliqua ejusdem generis, propter quæ opes comparantur, nihil aliud esse quam trophæa humanæ vanitatis, & salutis impedimenta. Nihil turbare nos poterit, si liberi fuerimus ab omni opum affectu. Securus est, qui nihil potest amittere. Quemadmodum præstabiliùs est in angusto cubili bene valere, quàm in amplo thalamo ægrotare: sic præstat in paupertate tranquillè vivere, quàm in multis opibus mœstum esse. Animus suâ sorte contentus beatus est.

## §. XVI.

### *Qui sint pauperes spiritu.*

Regni cœlestis possessionem in paupertate spiritus constituit Christus cum dixit, *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* 5: 3.) Verè autem pauper spiritu ille est, qui nec divitias desiderat, nec in his pacem habet: in cujus possessionibus & desideriis nihil est quod demi possit; qui multò majori anxietate metuit, ne dives fiat, quàm filii hujus seculi ne incidant in paupertatem: qui super omnia creata in sublime elatus è superiori parte spiritus sui sic loqui potest. Dives sum ego Dei gratiâ, & abundo, quia jam habeo quod concupisco, & hoc ipsum quod habeo sine adhæsione possideo, atque illo carere possum sine dolore, & detrimento. Veritas incommutabilis in me manens ineffabiles divitias suas ostendit mihi, quarum possessione beatus sum. In ea veritate omnia continentur, & ultra ipsam nihil requiro. Ibi clarissimè perspicio, quod ex me nihil habeo, nihil sum, nihil possum. Ibi clamat Veritas voce terribili, ut omnia inferiora quæ per se vera, & per se bona non sunt, & quæ non sunt unum cum ipsa, nullo modo audeant ad me accedere, aut animæ facultatibus aliquam sui speciem ingerere. Ibi video & cognosco omnia nihil esse, nihilque mihi contingere posse, nisi ipsa sempiterna veritas permittat, ipsa nimirum æterni Patris æterna providentia, quæ me nudum in hunc mundum de utero matris eduxit, & nudum inde extrahet in sinu terræ sepeliendum tempore præfinito. Hæc ex sublimi scientiâ Sanctorum è throno Altissimi infusâ verè & ex animo effantur veri pauperes spiritu, & ideò ipsorum regnum cœlorum esse Christus asseruit, quia nihil in eis, quod terram sapiat, reperitur. Atque utinam

ham hanc veritatem omnes Christiani bene perciperent, nam perituras Mundi divitias nemo quæreret, nemo diligeret: sed sicut pauci sunt electi, ita pauperes spiritu pauci sunt. Dicit Scriptura beatum illum esse, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, & thesauris: & quia paucorum hæc virtus est, subdit, *Quis est hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua* (*Eccl.* 31:8.) Verè siquidem mirabile est hominem reperire, qui nihil eorum concupiscat, quæ mundus admiratur, cui paupertas divitiæ sint, qui vitæ humanæ subsidiis eâ moderatione utatur, quam Lex æterna præscribit, atque omnia exteriora ita possideat, ac si sua non essent. Ideò pauci omnino sunt, qui ad hanc perfectionem perveniant, quia vitam ejusque commoda, quæ divitiis parantur, pauci sunt qui negligant, pauci qui Christo credant præcipienti, ut primò quæramus regnum cœlorum, nam cætera adjicientur nobis (*Matth.* 6.) Idem seriò admonuit nos, ne de cibo & potu, aut de vestimento soliciti simus, Pater enim cœlestis scit, quia his omnibus indigemus. Cur igitur Deo non credimus? cur de Patris providentia diffidimus? obstant nimirum, ne credamus vincula cupiditatis, quibus irretiti aures claudimus veritati, atque humi defixi oculos in cœlum tollere non valemus. Angustus admodum trames est, per quem veritas ducit hominem in cœlum. Hunc tenere non potest, nisi qui fuerit expeditus, & nudus. Locupletes autem ingentibus sarcinis onerati per viam mortis incedunt, quæ latissima est. Quid ergò prodest cunctis sæculi opibus affluere, si divitiis caremus, quæ permanent in æternum? Exules sumus, & peregrini, qui ad patriam pergimus, iter autem agenti per loca angusta, & difficilia minuenda sunt, non augenda impedimenta.

## §. XVII.

### *Quæ, & qualis sit obligatio faciendi eleëmosynam.*

Divitiæ, quæ ad vitam corporalem, & ad decentiam statûs necessariæ non sunt, sine periculo æternæ salutis retineri vix possunt, & in vanos ac profanos usus expendi, illæ præsertim, quæ ex reditibus ecclesiasticis congestæ sunt, sed pauperibus subveniendis, vel ad honorem Dei erogandæ sunt. Laus omnis & bonitas pecuniarum in usu consistit, vitiosæ & inutiles sunt, cum in arca servantur, cum nihil ex illis cœlestibus thesauris infertur; cum soli possidenti serviunt; cum nec pauper auxilium, nec peregrinus solatium, nec alii egentes ex illis subsidium percipiunt. Opes, possessiones, thesauri, & alia ejusdem generis bona ab hominibus vocantur, non quòd aliquem bonum faciant, sed quia ex his bonum operari possumus; piis enim largitionibus augetur justitia, sicut scriptum est, *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi* (*Ps.* 111:9.) Salomon quoque ait, *Redemptio animæ viri divitiæ suæ* (*Prov.* 13:8.) Et alio loco, *Ignem ardentem extinguit aqua & eleëmosyna resistit peccatis* (*Eccl.* 3:33.) Quemadmodum Christianæ fidei, & pietati nihil magis congruit, quàm egenorum paupertati succurrere, & propriæ conditionis in aliorum necessitatibus meminisse: ita nihil crudelius, & magis noxium, quàm necessaria non solùm egentibus, sed proprio etiam corpori subtrahere, ut congregentur opes, & hæredibus serventur, qui illas brevi tempore dissipabunt. Sed multò major, & numquam satis deploranda calamitas est animam suam perdere, ut alii ditescant. Quomodò verò & quando lethalem culpam incurrant, qui superflua non erogant, hîc non disputo; nam hoc speciatim determinare non est humanæ scientiæ, sed Christianæ prudentiæ, quæ docet unctione magistrâ, quid & quantum quisque debeat sibi adimere, ut indigentis vel gravi vel extremæ necessitati subveniat. Rursum quæ sit gravis, aut extrema necessitas, hic non exquiro; sed audio Dominum sine distinctione præcipientem, *Quod superest date eleëmosynam.* (*Luc.* 11:41.) Audio Joannem Baptistam, qui prædicans pœnitentiam, & requisitus à turbis, quid illis faciendum esset, respondit: *Qui habet duas tunicas det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat* (*Luc.* 3:10.) Audio prophetam psallentem, *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus* (*Ps.* 40.) Audio Esaiam qui ait, *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris* (*Esa.* 58:7.) Audio sanctissimum senem Tobiam his verbis filium instruentem: *Ex substantia tua fac eleëmosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter*

*tribue : si exiguum tibi fuerit ; etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniam eleëmosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras* (*Tob.* 4: 7.) Quid amplius dici potest? nam etiam de exiguo dandam esse eleëmosynam monet, ut à peccatis, & à morte perpetua anima nostra liberetur. Sed & Apostolus audiendus est, quem diligebat JESUS, sic fidelibus scribens, *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* (*Joan.* 3: 17.) Quod si charitas non est in illo, erit concupiscentiâ mala, & partem habebit in futuro sæculo cum illo divite, qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè, negatâ Lazaro mendico alimoniâ de micis ab ejus mensa cadentibus (*Luc.* 16.) Clamat intus conscientia & magnis vocibus avarum divitem interpellat dicens, cur pauperem esurientem à te repellis? Si non pavisti, occidisti. Panis qui tuis usibus supereſt, esurientis est : nudi sunt vestes, quæ apud te marcescunt : egentis est aurum, quod in arca custodis. Christus in extremo judicio æternis ignibus damnabit impios, quia misericordiæ opera indigentibus denegarunt : nam dicet, *esurivi & non dedistis mihi manducare : sitivi & non dedistis mihi bibere : nudus eram, & non operuistis me* (*Matth.* 25: 42.) nec ullam gravissimæ, sivè extremæ necessitatis mentionem facit. Vix enim totius vitæ decursu aliquis occurrit, tantâ pressus egestate, ut sine alterius ope vivere nequeat, nec alius inveniatur, qui ei velit, & possit opem ferre, idque nobis certum sit. Rarò hæ conditiones concurrunt, & si istæ attendendæ forent, nullus ferè locus eleëmosynis relinqueretur. Danda igitur eleëmosyna est, ex eo præcisè quod quis superfluum habet, nam misericordia plenitudo virtutum est, nec, ut multi faciunt, ad vitæ finem differendæ sunt piæ largitiones, longè enim minoris pretii apud Deum sunt quæ testamento legantur, quàm quæ vivens, & retinere valens piâ liberalitate largitur.

## §. XVIII.

### *Patientiæ necessitas.*

INter cæteras Christianæ disciplinæ partes, quæ ad vitam æternam consequendam necessariæ sunt, nulla melior, nulla utilior patientiâ, per quam homo Dei longanimitatem imitatur, qui tot mortalium sceleribus provocatus patientissimè tolerat, neminem à suis beneficiis excludit, solemque suum oriri facit super justos, & injustos. Patientia iram temperat, linguam frænat, mentem regit, pacem custodit, impetum frangit, simultates extinguit, fastum comprimit, mundum vincit, carnem coërcet, facit humiles in prosperis, in adversis fortes, mites in contumeliis, tentationes expugnat, persecutiones sustinet, vitam perficit, & coronat. Ut nihil malorum fiat, hæc sola efficit, quâ si omnes præditi essent, nullum scelus, nulla fraus in rebus humanis foret. In hoc sapiens, ac bonus vir à malis & insipientibus differt, quia habet invictam patientiam, quâ illi carent. Magna itaque virtus est tolerantia, omnibus vitiis, & affectibus oppositа, propter quàm vir justus variis adversitatibus à Deo probatur, ut mala, quæ inferuntur aut accidunt, æquanimiter ferre, sibique imperare, ac se regere discat. Nam quia naturæ repugnare non possumus, nec impedire ne animus laceſſitus injuriâ commoveatur, hæc virtus necessaria est, quæ animum fluctuantem contineat, ne prosiliat ad nocendum, atque hominem sibi reddat infensum. Ipsimet Philosophi maximis laudibus patientiam commendarunt, omnem sapientiæ suæ ostentationem ex ea proferentes : sed apud illos sicut falsa sapientia, ita falsa patientia fuit : Deum enim ignorantes tantùm à vera sapientia aberant, quantùm ab ejus auctore distabant. Nos autem Christo docente didicimus, oportere nos per multas tribulationes introire in regnum Dei, & hæc est vera sapientia scire Christum, & hunc crucifixum, ejusque crucem diligere, & alacriter ferre. Nam cum debeat Christiani vita Christi patientis redhibitio esse, qui crucem aversatur Christianus non est. Nemo speret se futurum sine flagello; flagellat enim Deus omnem filium quem recipit : nullus excipitur, etiam unigenitus Filius, qui solus fuit sine peccato, non tamen fuit sine flagello : nam oportuit eum pati, & ita intrare in gloriam suam. Unusquisque

que hominum pœnis, & malis hujus vitæ aut exercetur ad purgationem, aut admonetur ad conversionem. Quantumcunque verò quis patiatur, ad Christi tormenta, ad ejus ignominiam, & crucem nunquam perveniet.

## §. XIX.

*Adversitates exercendæ virtutis occasio sunt.*

VIta nostra via est, quâ ad patriam pergimus. Nulla viæ conditio illi deest. Itur aliquando per plana, aliquando per aspera: sunt loca amœna, sunt senticosa, sunt prærupta, & inaccessa. Aliquando turbæ comprimunt, mox solitudo est. Sunt à bestiis pericula, sunt à latronibus. Nunc pluit, nunc sudum est. Oppositiones, & adversitates ubique sunt, atque etiam in ordine gratiæ locum habet cujusdam Philosophi sententia, *omnia fieri secundùm litem.* Virtus enim non acquiritur sine oppositione, nec potest homo agnoscere quantum fortitudinis habeat, si desint adversitates, & tribulationes. Si quis stultorum vocibus, quorum immensa turba est, ad cœlum extolleretur, si nemo illi auderet contradicere, si mensa illi pretiosis dapibus affluens sterneretur, si res ejus familiaris fideliter administrata magnis sumptibus idonea foret, si ædificiorum excelsæ moles habitaculum illi præberent; si omnes in illum honores, omnes dignitates, omnes delitiæ confluerent: quis esset adeò facundus, & eloquens, ut illi persuadere posset inania esse hæc omnia, quæ vulgus bona vocat, mala autem hujus vitæ Dei beneficia esse, quibus nos præparat ad æternam beatitudinem consequendam? Ideò electos suos exercet Deus adversitatibus, ut propriâ experientiâ discant, quàm fluxa, & fragilia sint, quàm plena miseriis quæcumque mortales bona esse arbitrantur: & è contrario quàm bona sint, quæ homines mali, mala esse credunt, ac si nihil pati, maximum sit hominis bonum. Sapientis igitur est inter omnia contraria & obstantia Divinæ providentiæ læto animo obsequi, & cor suum eo loco figere, ubi nulla perveniunt vitæ hujus incommoda. Sæviant homines mali adversùs bonos quantùm voluerint, quantum permissi fuerint; irruant in eos agmine facto cunctæ calamitates, *non contristabit justum quidquid acciderit ei* (*Prov.* 12:21.) Talem virum nec felicitas corrumpit, nec frangit adversitas; dicit enim in omni eventu, *Planè hæc est infirmitas mea, & portabo illam* (*Ierem.* 10: 19.) Sic debet fieri, sic volo ut fiat. Omnis creatura velit nolit, uni Deo subjecta est; sed alii obediunt ut filii, & faciunt quod justum est: alii patiuntur ut servi, & fit de illis quod justum est. Nemo Dei leges evadit, aut facit homo quod lex jubet, aut patitur quod lex decernit.

## §. XX.

*Patienter ferenda quæ quotidiè occurrunt.*

MUlti sunt, qui graves sibi cruces, & tribulationes eventuras fingunt, quas patientissimè ferre proponunt; & hâc rerum, quæ nunquam erunt, inani specie delusi eximium patientiæ actum se exercuisse arbitrantur: cum interim multo minores cruces, easque præsentes totis viribus fugiant, & abominentur. Tollendus hic error est, & solerter advertendum in magnis rarissimè, in minimis frequenter adesse patientiæ occasionem, quæ quotidie, ac omni ferè momento exerceri potest aliena mala tolerando, propria corrigendo. Libentiùs autem ea crux amplectenda, quam Deus immittit, nam quæ propriâ voluntate assumitur, non semper à Deo est. Sicut gaudent infirmi, cum in medicum peritum incidunt, qui lethalem corporis ægritudinem curare sciat, & velit: ita nos calumniis, injuriis, aliisque molestiis lacessiti gaudebimus, & exultabimus, quod aliquis repertus sit, cujus operâ animæ nostræ vulnera sanentur, & summis apud Deum opibus locupletemur. Quidquid verò evenerit, libenter amplectemur, placet enim quod libet, & ea dumtaxat molesta sunt, quæ non libent. Qui volens, & lubens patitur, & minus patitur, & meritum auget. Nec obest reluctantis naturæ repugnantia, dummodò contrarii motus ad partem rationalem, in qua meriti, & demeriti sedes est, non perveniant, imò hæc obnitatur, Deique opem ferventi oratione deposcat. Quod si murmuraverit, si conturbetur, si omiserit quæ proprii muneris sunt, signum erit voluntariæ rebellionis, quando quidem ad ea impellit, quæ non nisi deliberato animo fieri possunt. Virtutes, quæ in actione consistunt, facilè exercentur: at quæ in tolerantia versantur, difficillimæ sunt, quia illarum usus extra nos est, istarum in nobis; illis natura consentit, istis repugnat. Cæterùm moderatè, & to-

leranter ferendi propter Deum quæcumque adversa singulis diebus contingunt, exemplum præbent milites, quorum tolerantia incredibilis est. Nam quæ itinera, quæ frigora, quos soles, quantas necessitates, quæ vulnera, quæ pericula patiuntur, & hæc omnia hilari animo, ut paucos dies senectutis quietos habeant, ad quos nesciunt utrum pervenient? Nos verò pro æterna requie brevissimi temporis laborem non sustinebimus? Tolerabilia, & levissima sient quæcumque patimur, si præmium consideremus, quod Deus promisit.

## §. XXI.

### *Gaudendum in tribulationibus.*

Sicut in ædificio plus operis, & sectionis uni saxo, quàm alteri adhibetur, jubente & disponente architecto, qui unum præ altero nobiliori loco destinavit: sic à Dei arbitrio petenda est ratio, cur unus graviora, alter minora patiatur adversa: unicuique enim propriam crucem tribuit Deus singulorum viribus æquam, & parem gloriæ ac coronæ, quam singulis præparavit. Sicut igitur marmor, si compos rationis foret, sculptoris ictus patienter ferret, & gratias ageret: ita nos gaudere oportet, quod variis tribulationibus quasi quodam scalpello nos Deus expolire dignetur, ut sublimiori loco in domo ejus collocemur. Castigat ille quos amat, ne mundi prosperitate corrupti, à via salutis aberrent. Ideò mali homines bonis sunt necessarii, ut per illos tanquam Dei ministros exerceantur, & ad virtutem assiduis afflictionibus obdurentur. Quod cum verissimum sit, ille affectus erga adversarios induendus est, quem erga Semei sibi maledicenten Sanctus rex David ostendit dicens, *Dominus præcepit ei, ut malediceret David, & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?* (2 *Reg.* 16: 10.) Nemo enim malum inferret, nisi Deo volente, & permittente: nec ille vellet, aut permitteret, nisi ad majorem sui gloriam & salutem nostram. Porrò in malis, quibus vexamur, non à creaturis solatium petendum est, sed à solo Deo, qui prima causa omnium pœnarum est. Nam vera consolatio non nisi in veritate reperitur, quæ Deus est. Hæc docet nos tribulationem necessariam esse, & cum gaudio suscipiendam veluti arrham, & pignus Divinæ erga nos dilectionis. *Omne gaudium*, ait Jacobus Apostolus, *existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habeat* (*Jac.* 1: 2.) Insidiæ, calumniæ, persecutiones, & alia mala hujus vitæ, maximum bonum sunt, & maximè diligendum, quia in illis nihil est boni, nihil amabile præter Divinum beneplacitum, ad quod tanquam ad primum principium cuncta revocari debent, quæ carni & sanguini molesta sunt. Iniquo judici Pilato dixit Christus, *Non haberes potestatem adversùm me ullam, nisi tibi datum esset desuper* (*Joan.* 19: 11.) Hâc agnitâ in omni eventu potestate, absque ulla difficultate mentis tranquillitas conservatur. Quæcumque nos angunt, si extra Deum considerentur, mille phantasmata, & distractiones pariunt. Cum enim extra centrum suum trahuntur, incipiunt gravia esse, multaque suggerunt phantasiæ præterita, præsentia, & futura, quæ nunquam fuerunt, nec sunt, nec erunt: atque hinc oriuntur angustiæ cordis, noctes insomnes, & curæ insanabiles. Quod si quis assuescat omnia in Deo conspicere, & ad ipsum referre, semper hilaris, & immotus dicet in omni eventu cum S. Job, *Sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum* (*Job* 1: 21.) Deus qui me affligi permittit, mei curam gerit infinitâ charitate. Ipse me cruci affixit, in qua constanter permanebo donec ipse me deponat.

## §. XXII.

### *Tolerandæ detractiones.*

Si magis angimur propter ea, quæ de nobis perperam loquuntur homines, quàm propter peccata, quæ sola nos cruciare debent, manifestè convincimur, quod nos ipsos magis amamus, quàm Deum. Infinitæ & horribiles sunt blasphemiæ à perditis mortalibus contra Deum prolatæ, & ille hos tolerat, suorumque donorum participes facit: nos autem repleti vitiis, & sceleribus, si quis nobis mala, quæ fecimus, exprobraverit, excandescimus, & à nemine contemni volumus. Illud potius metuendum, ne immeritis laudibus extollamur, ne nimia nos felicitas à crucis Christi consortio, & ab ejus gloria excludat. Si appenderentur veluti in statera quidquid meremur pro peccatis nostris, quidquid Christus pro nobis pertulit; in altera verò

lance

lance omnia tormenta, omnes injuriæ, omnia dedecora ponerentur, hæc certè præ illis, ac si nullius ponderis forent, levissima apparerent. Considerandum quoque est, quælibet ab aliis illata mala non ab inferentis, sed à patientis affectu gravia vel levia constitui. Nam qui hæc spernit, qui non accipit, qui vulnere superior est, nihil patitur. Non manus quæ tela vibrat vulnus facit, sed corpus quod patitur: nam si quis corpus adamantinum haberet, licet innumeris undique telis percuteretur, nullo vulnere affici posset: ita injuriæ, oblocutiones, & alia mala non à petulantium, & improborum insania lædendi vim habent, sed à Patientis imbecillitate. Beatus est, qui vitam suam ita disposuit, ut de illo quidpiam sinistri ne fingi quidem possit, pugnante meriti magnitudine adversùs malignantium obtrectationes. Quod si hoc assequi non valemus, hinc saltem diligentiam vitæ nostræ adhibere par est, ut nemo in nobis detrahendi occasionem inveniat, alioquin frustra detractoribus irascimur, si nos illis detrahendi materiam suppeditamus. Si verò nobis cuncta solicitè ad honestatem providentibus, illi nihilominus insaniunt, consolari nos debet Redemptoris nostri semper memoranda sententia: *Beati estis cum dixerint omne malum adversùm vos mentientes* (*Matth.* 5: 11.) Sentiant de nobis homines, & dicant quidquid libet, beati erimus si nostra nos conscientia apud Deum non accuset. Fallaces & mutabiles sunt hominum opiniones, vana judicia, quæ nec prosunt nobis, nec obsunt. *Si hominibus placerem*, inquit Apostolus, *Christi servus non essem* (*Gal.* 1: 10.) Sed nec fieri quidem potest, ut quis omnibus placeat: nam velle suum cuique est, trahitque omnes diversa, & unumquemque sua voluptas, & qui ab uno laudatur, ab aliis deridetur. Quidam Philosophus dicenti sibi, omnes te derident, respondit; at ego non derideor. Illos siquidem irrideri non posse judicabat, qui de risionibus non perturbantur.

## §. XXIII.

*Tam propria, quàm aliena mala æquanimiter ferenda.*

Optimum remedium est, in omni afflictione & adversitate à præsenti angustia mentem avertere, & ad Deum convertere, nostra quippe natura angorem suum conspicere nequit sine affectu miserationis erga se ipsam. Tum quia omnis cruciatus & ægritudo animi ex eo provenit, quòd rem, quàm amamus, amittere timemus; efficacissimum omnium malorum alexipharmacum est illud solummodò bonum amare, quod nulli subest mutationi, nec ab ulla creata potentia auferri potest, aut impediri. Ab aliquo autem verbo, vel facto læsi, linguam omnino continêre debemus, ne in verba erumpat animi commotionem indicantia: sicut enim languentis stomachi est non posse cibum duriorem concoquere, ita animi pusilli est, aspera verba ferre non posse. Dicebat quidam vir sanctus, se nullam unquam habuisse adeò gravem afflictionem, quàm tacendo non vicerit; nam quidquid sit quod cruciat, spretum exolescit: si verò irascimur acceptâ injuriâ, eâ nos dignos fuisse testamur. Dignus est contemni, qui de contemptu dolet. Non tamen sufficit dolorem intus premere, & tacere, sed intus etiam se arguere oportet, & omni abjectione dignum æstimare. Etenim vir sapiens, qui se attentiùs circumspicit, non considerat quid patiatur, sed quàm multa dignus sit pati propter peccata, quibus Deum offendit. Alios autem non judicat, ne seipsum damnet, memor Apostoli dicentis, *In quo judicas alterum te ipsum condemnas, eadem enim agis, quæ judicas* (*Rom.* 2: 1.) neque offenditur ob exiguum proximi debitum ipse debitor decem millium talentorum. Insanus est, qui suo graviori morbo, impatientiâ scilicet & superbiâ, alienum curare nititur. *Tu quis es*, inquit Apostolus, *qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit.* (*Rom.* 14: 4.) *Aut quomodo potes dicere fratri tuo*, ut in Euangelio legimus, *sine ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns.* (*Luc.* 6: 42.) Solius Dei est aliena delicta judicare, cujus est ea justè punire, aut misericorditer curare. Ad nos autem spectat, ea si non possumus corrigere, & impedire; alioquin patienter ferre; nam si vitium displicet, illud prius in nobis emendandum est, quàm in aliis. Qualis Deus erga nos est, patiens scilicet, & misericors, teles nos aliis exhibere debemus.

§. XXIV.

## §. XXIV.

### *Remedia impatientiæ.*

MUlta sunt negotia & officia, quæ aggredi, & quibus fungi oportet; multa hominum consortia, quibus cogimur interesse: vixque fieri potest, ut omnia ex animi nostri sententia eveniant, & omnes nobiscum consentiant. Idcircò summâ curâ advertendum, ne animi excussâ tranquillitate in impatientiam labamur. Id autem assequemur, præparato & præmunito animo earum rerum consideratione, quæ in singulis negotiis, officiis, & congressibus contingere solent, nec possunt à nobis immutari, aut impediri. Nam si dura quæque, injucunda, & molesta, quæ res ferè singulas concomitantur, antea prævisa fuerint, & ad illa æquo animo ferenda parati simus, omnem facilè commotionem & mentis ægritudinem evitabimus. Hoc præcipuum opus est, cui sedulò incumbere oportet, ut rebus scilicet exterioribus, prout exigit earum natura, utamur. Illarum autem natura fert, ut nobis serviant, non dominentur; ut multis casibus obnoxiæ & extra nostram potestatem sint: & ideò virum sapientem suique propositi tenacem, de solido mentis statu nunquam dejiciunt. Si quis eum abducat, si facultates eripiat, si dignitate privet, si tormentorum, vel mortis metum incutiat, non vincitur, non cedit, non læditur, quia dudum cogitavit, & didicit hæc omniâ extra se esse. Opiniones perturbant hominem, non res. Nemo angitur, nemo luget, nemo tremit, nemo expavescit, nisi qui appetit, aut timet aliquid, quod penes ipsum non est. Martyres Christi diversis tormentorum generibus dilacerati inter fatigatos carnifices invictam animi patientiam constantissimè tenuerunt: ipsis quoque pueris, ac mulieribus nec flagella, nec succensæ fornaces gemitus exprimere potuerunt. Verberari poterant, & occidi, non vinci: nam quæ tyranni dare poterant, vel auferre, ipsi spernebant, utpotè extra se posita. Virtutem verò animi nemo illis eripere potuit, quia extra regum, & tyrannorum potestatem est.

## §. XXV.

### *Propria Christianorum virtus humilitas.*

CLamat verbum Dei, fons Sapientiæ, clamat omnium virtutum magister, & auctor, & dicit, *discite à me* (*Matth.* 11:29.) Magnum aliquid audituri sumus, quis est enim qui dicit, *discite à me*? Ille est qui fecit cœlum & terram, qui omnia produxit è nihilo, qui dixit de tenebris lucem splendescere. Numquid docebit nos hæc eadem facere, & novum mundum creare? sed solus Deus hæc facit. Dicit ergo, ut ab illo discamus quod ipse propter nos factus est, *qui cum in forma Dei esset semet ipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* (*Philipp.* 2.) Discite, inquit, à me non mortuos suscitare, non dæmones expellere, non leprosos mundare, non cœcis lumen, surdis auditum reddere, non sicco vestigio pelagi undas calcare, sicut quidam fecerunt, quibus hanc gratiam donavi; sed *discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Noluit docere, quod ipse non esset, noluit jubere, quod ipse non faceret. Ad hoc redigit omnes thesauros scientiæ, & sapientiæ suæ, ut disceremus ab ipso humiles esse. Adeò res magna est & difficilis humilem esse, ut omnino disci non posset, nisi ab illo qui maximus est. Non enim posset humana superbia tumore depositò humilis fieri, nisi ab illo sanaretur, qui, cum Deus esset, *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* 2:8.) Est igitur humilitas propria, & præcipua Christianorum virtus, superbis Philosophis ignota, quàm præ cæteris Christus docuit verbo, & exemplo, ut in novitate vitæ ambulantes ad præmium supernæ vocationis post ipsum properemus, sedulò considerantes unde peregrinemur, quo tendamus, quantum viæ egerimus, quibus præsidiis ad iter peragendum muniti simus. Nisi enim humilitas omnia quæcunque facimus & præcesserit & comitetur, & subsequatur, nunquam ad optatam metam perveniemus. Nobis quippe de aliquo bono opere gaudentibus, quidquid egimus inficit superbia, quæ etiam in rectè factis timenda est, ne quod laudabiliter operamur, ipsius laudis cupiditate amittatur. Quod si aliquando cogitationes nostræ nos aliquid esse suggesserint, terra semper præsens est, quæ primæ nostræ originis nos admonet. Terra sumus, & mox in terram revertemur. Super hoc fun-

fundamento reliquarum virtutum ædificium conſtruendum eſt: nam ſi quis gratiam miraculorum habeat, ita ut montes transferat; ſi variis linguis loquatur, ſi dono prophetiæ præditus ſit, ſi omnes infideles ad Deum converterit, ſi omnes facultates ſuas egenis diſtribuerit, in maximo periculo labendi jugiter erit, extorquente illi ſuperbiâ, quidquid laudabiliter fecit, niſi conſcius infirmitatis ſuæ imminentem ſibi ruinam ſemper timeat, & de ſe diffidens ſalutem ſuam cum timore, & tremore operetur. Vera Chriſtianorum ſapientia hæc eſt, ut diſcant humiles eſſe.

## §. XXVI.

*Homo per ſuperbiam á Deo receſſit, & ad illum per humilitatem redire debet.*

SUperbia vitium præ cæteris execrabile, & noxium ab Angelo tunc originem ſumpſit, cum adverſus Deum elatus ad ſeipſum eo deſerto converſus eſt, bona ſibi inſolenter arrogans, quæ à creatore acceperat, ac ſi ipſe ſibi illorum fons, & auctor foret. Illius enim ſunt apud Iſaiam apoſtatica illa, & intolerabilem faſtum indicantia verba, *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, aſcendam ſuper altitudinem nubium & ſimilis ero Altiſſimo* (*Iſai.* 14: 13.) Idem & in homine contigit, qui ſerpentis dolo deceptus conditori ſuo æqualis eſſe concupivit, tanquam hoc haberet ſimile Deo, ut non niſi de propriis dives eſſet. Ideo ſcriptum eſt, *initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, receſſit cor ejus* (*Eccl.* 10: 14.) & in ſublimitate conſtitutus horribiliter dejectus eſt. *Initium* igitur *omnis peccati*, ut eadem ſcriptura teſtatur, *eſt ſuperbia* (*ibid.*) quam veluti hæreditario jure à primo parente omnes accepimus, propriam excellentiam veluti ſcopum in omni actu, & cogitatione ſpectantes, à Deo averſi, & ad nos ipſos converſi. ut ergo ad illum revertamur, à quo per ſuperbiam receſſimus, contrariâ viâ humilitatis incedendum eſt. Baſis verò ſeù fundamentum, ſuper quod humilitas exſtruitur, propriæ fragilitatis & miſeriæ cognitio eſt, ut nimirum quiſque cognoſcat, & fateatur ſe nihil habere, nihil poſſe, nihil eſſe, nihil ſibi deberi. Deus enim primi hominis corpus è limo terræ formavit, cui animam infudit è nihilo creatam, ſui capacem, & præclariſſimis gratiæ donis decoratam, quibus ſuperveniente peccato ſpoliata, maculâ infecta eſt naturæ viribus indelebili. Priſtino autem decori per gratiam Chriſti redemptoris reſtituta, rurſum propriâ voluntate â juſtitia recedens deformis facta eſt, & Deo odibilis: & ſic utique permaneret, niſi reſpiciens deſuper Pater miſericordiarum illam iterum â ſervitute peccati ereptam in libertatem, & pulchritudinem filiorum Dei vindicaret. Surgere verò poſt lapſum nemo poteſt, niſi qui profitetur Divini muneris eſſe quòd ſurgit. Quis enim de maſſâ perditionis diſcernit hominem, ut eum faciat vas in honorem, niſi gratia Dei per Jeſum Chriſtum? Quod ſi quis maniter inflatus dicat, diſcernit me fides mea, diſcernit me oratio mea, diſcernit me juſtitia mea: occurrit Apoſtolus hæc dicenti, & ait, *Quid enim habes quod non accepiſti, ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis* (1. *Cor.* 4: 7.) Idem quoque dicit, *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid á nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt* (2 *Cor.* 3: 5.) Denique Redemptor noſter ait, *Sine me nihil poteſtis facere* (*Ioan.* 15: 5.) ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus, ſed quemadmodum ſcriptum eſt, *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Non enim gloriari poſſunt peccatores, qui non habent unde glorientur: neque juſti, quia gloriam non habent, niſi in illo, cui concinunt, *Gloria mea & exaltans caput meum* (*Pſal.* 3: 4.) Sed numquid aliquis fortè gloriabitur, quod Dei beneficia non rejecerit? Hoc profectò extremæ dementiæ foret, ac ſi quis jactaret ſe, quod, cum poſſet miſer eſſe, & ſe in puteum præcipitem dare, id tamen non fecit. At iſtud etiam divinæ miſericordiæ fuit, quæ ſi lucem, & opem ſuam ſubtraheret, nec ejus dona agnoſcere, nec iis uti poſſemus. Superanda igitur cupiditas gloriæ, dilectione juſtitiæ, adeò ut in his, quæ rectè facimus, amor humanæ laudis cedat amori veritatis. In nullo enim gloriandum, quandoquidem noſtrum nihil eſt. Et hoc eſt fundamentum omnium virtutum, ſcire & credere, quod ex nobis ipſis nihil poſſumus, nihil ſumus, nihil habemus. Deus enim eſt, qui operatur in nobis & velle & perficere; atque ideò timendum ne gratia Dei, quæ datur humili, auferatur ſuperbo.

## §. XXVII.

### *Character superbi.*

SUperbia quædam elatio est, per quam homo ultra modulum suum extendit se, & sibi jactanter attribuit, quæ sua non sunt. Tum sui figuram, & ideam, quam ipse pulcherrimam, & altissimam concepit, in aliorum mentibus imprimere nititur, genus suum jactans, & dignitates, animique ac corporis dotes, quibus se super cæteros extollit, ac si potentiâ, & magnitudine omnibus antecellat. Altiores autem assumit spiritus, & arrogantiam, si his accedat servorum multitudo, pretiosa supellex, vestium luxus, gemmarum fulgor, ædium magnificentia & apparatus, pecunia in multos annos reposita, & alia ejusdem generis multa, quæ jactantiæ fomentum præbent, & insolentiæ pabulum subministrant. Ideo magnificos optat titulos, populique plausum, & laudes, tamquam indicium quod super alios emineat; & de his gloriatur, in his quiescit veluti in summo vitæ hujus bono, de æterna vita nihil sollicitus: Hinc oritur odium, quo quisque aversatur quidquid ipsum deprimit, & reliquis inferiorem ostendit. Hinc fastidium, & mœror, cum in aliqua re quis deprehenditur, quæ propriam excellentiam minuere videatur. Hinc timor continuus, & omnium ferè hominum anxietas timentium, ne opera quæ aggrediuntur infelicem exitum sortiantur: omnes enim videri volunt & laudari; nec immunes ab hoc morbo sunt infimæ plebis homines sordidas & despicatissimas artes exercentes, nam & proferunt se, & cupiunt ob artis suæ peritiam inter cæteros ejusdem sortis eminere. Ipsimet Philosophi, qui de contemnendâ gloriâ multa præclarè scripserunt, effugere superbiam non potuerunt, quam maximè detestati sunt, gloriam re ipsâ quærentes, quam verbis damnarunt. Occultè siquidem serpit hoc virus, & avulsâ pessimæ arboris radice, adhuc remanent subtilissimæ quædam fibræ, quæ vix à sanctissimis viris deprehendi queunt. Ejus itaque motus accuratissimè observare, ac Dei timore comprimere oportet, & magis veritate, quam falsis hominum laudibus delectari. Fumus è fornace erumpens in altum elevatur, & ingenti globo intumescens splendidissimum solis jubar obnubilat; sed quia caret soliditate, statim in auram dilabitur, & evanescit. Ita superbi, qui se inaniter extollunt nullo virtutum fundamento solidati, quantò amplius erigunt se, & in majorem ambitum diffundi satagunt, tantò exiliores fiunt, ac citiùs deficiunt & non apparent. *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani, & transivi & ecce non erat* (*Psal.* 36: 35.)

## §. XXVIII.

### *Incitamenta humilitatis.*

DEpravatæ naturæ pondere undique impellimur, & in lubrico positi, stabili gressu stare non possumus, nisi dextera Domini teneat nos. Si à gravioribus flagitiis abstinemus, hoc Dei ope fit, omnem peccandi occasionem misericorditer subtrahentis, alioquin experientiâ magistrâ jam didicimus, quales simus in proximo labendi periculo constituti. Si quid boni in nobis est, id valde exiguum, & imperfectum est, cumque bonum sit ex integra causâ, absque ulla mali admistione, quis certò asserere audebit, se aliquod opus aliquandò fecisse, quod ex integro bonum fuerit, & gratum Deo, & non potiùs innumeris imperfectionibus permistum? Quis tam sollicitè salutem suam quærit, aut tanto ardore perfectioni incumbit, sicut filii hujus seculi opes quærunt, & dignitates? Certi quoque sumus, nos gravissima commisisse peccata, de quorum remissione incerti, nescimus utrum amore digni simus vel odio: & si speramus veniam à Deo obtinuisse, de dono tamen perseverantiæ securi non sumus, sed omnia in futurum reservantur incerta. Quis verò hæc perpendens gloriari poterit, aut aliquid sibi tamquam proprium usurpare, & in se fiduciam habere? imo quis non timebit? quis non palam & ex corde profitebitur se nihil esse & nihil posse? Sicut aër recedente sole obscurus fit & tenebrosus, ita anima, Deo lucem & opem subtrahente, nihil videt, nihil potest. Hanc veritatem si quis plenè intellexerit, ab aliis item cognosci optabit: cumque verè, & ex animo se omni contemptu, & abominatione dignum æstimaverit, ab aliis quoque despici, & pro nihilo haberi desiderabit; nam si secus faceret, cognitæ veritati repugnaret. Veritas humilitatis comes individua est, & quò magis anima in veritatis cognitione proficit, eò clarius videt se nihil esse, & nihil posse.

§. XXIX.

## §. XXIX.

*Nihil boni esse in homine, qui caret Humilitate.*

AQuolibet lapsu facilè quisq; surgeret, si statim à medico remedium peteret. Sed plerique superbiâ adeò obcœcati sunt, ut morbum suum vel non cognoscant, vel propriis viribus se curaturos putent. Hæc ratio est, ob quam qui ceciderunt non resurgunt, & in sordibus suis contabescunt, quia ad Deum non confugiunt, nec pendent ab ejus gratia sicut oportet; sed sibi de se suarum ægritudinum remedium rejecto medico pollicentur; ex quo fit ut ipsa medicina morbus sit. Nullus autem mortalium eò infelicior, qui cum cæcus sit, putat se omnia clarè videre? nam cùm alterius opem non quærat, nullum est præcipitium, in quod labi non possit. Vetus illa sententia, *Nosce te ipsum*, quæ de cœlo descendisse dicitur, admonet hominem, ut cognoscat se nihil ex se, in Deo autem omnia posse. Ideò multi despondent animum jacentes in languoribus suis, quia adjutorium Dei non implorant, nec in illo sperant, de quo dixit Apostolus, *Omnia possum in eo qui me confortat* (*Philipp.* 4: 13.) de quo etiam Psalmista cecinit, *in Deo meo transgrediar murum* (*Psal.* 17: 30.) Non est vera humilitas, quæ magnanima non est, & ad sublimia non assurgit, illius ope freta, qui pro nobis factus est homo, ut nos Divinæ naturæ consortes faceret. Sicut ferrum ignitum non est ignis, sed ardet ex igne, qui in ipso est: ita homo ardere dicitur non ex se, sed ex amore sibi Divinitùs collato, qui in ipso est: & lucêre dicitur non ex se, sed ex lumine sapientiæ, & veritatis, quo à Patre luminum imbutus est. Sicut etiam instrumentum non propria virtute, sed per manum artificis operatur: ita homo dicitur operari, Deo per illum omnia operante, qui dat omnibus velle, & perficere, & omnia opera nostra operatur in nobis. Quod si amor, sapientia, & lux ab homine recesserint, illum protinus invadent frigus iners, profunda ignorantia, & caligo tenebrosa: eritque inutilis, & ad omnem usum ineptus veluti instrumentum sine artifice. Cum igitur homo ex se nihil sit, nihil valeat, nihil habeat, in nihilo suo tanquam in centro commorari debet; omnia enim in Deo poterit, cum se nihil esse, nihil posse cognoverit.

## §. XXX.

*Qui verè est humilis sibi ipsi intentus, alios non judicat.*

HUmilitas est virtus, quâ homo verissimâ sui agnitione sibi ipsi vilescit. Examen autem sui ipsius sibi hominem prodit: etenim aperitur conscientiæ liber, revolvitur misera vitæ series, illuminatur ratio, & cogitur anima coram se constituta proprio tribunali assistere à semet ipsâ judicanda. Quod si ita se judicaverit non utique judicabitur. Væ animæ, quæ in mirabilibus super se inaniter elevata, & ad exteriora effusa damna sua interiora non sentit. Ideò prævaricatores hortatur Scriptura redire ad cor (*Isai.* 46: 8.) ut, quidquid intus latet, curiosè explorent, & agnoscentes miseriam suam ab aliorum censura abstineant. Plerique tamen hoc negligunt, & quod miserabile ac nunquam satis deplorandum est, cum miserrimi sint, ac densâ caligine adeò circumfusi, ut propria vitia, & peccata perspicere nequeant; aliorum nihilominus vel exiguas imperfectiones subtilissimè investigant, & acutissimè deprehendunt. Hæc nimirum imperfectorum proprietas est, ut cum se ipsos nullo modo cognoscant, in arguendis aliorum vitiis continuò occupentur. At qui se intus cognoscere satagunt, quò magis in sui cognitione proficiunt, eò se imperfectiores fatentur, quoniam majori luce perfusi clarius vident, quàm longè absint à vera sanctitate, & perfectione. Propterea ad alios non respiciunt, nisi eis ex officio incumbat, satis negotii habentes in suis imperfectionibus emendandis. Vera Sanctorum disciplina hæc est, zelum erga se ipsum exercêre, & peccantes patienter ferre: indicium enim magnæ imperfectionis est imperfectos ferre non posse. Sicut Deus in ordine naturæ ex nihilo omnia creavit, ita etiam in ordine gratiæ omnem ornatum virtutum producit ex nihilo, ex anima scilicet, quæ se nihil esse intimè credat, & profiteatur. Solida virtus illa est, quæ derisionibus, contemptu, injuriis, & continuâ humilitatis exercitatione probatur. Hâc deficiente, quidquid virtutis in aliquo apparet, non virtus est, sed illusio, & hypocrisis, ac inane virtutis simulacrum. In ventum pulverem portat, qui sine humilitate virtutes congregat.

## §. XXXI.

*Veri humilis descriptio.*

VErè humilis censeri debet, qui omni exaltatione superior est, & omni abjectione inferior: qui in excelso loco positus, delatis sibi honoribus, & laudibus non extollitur: & ad infima projectus nunquam tanto contemtu, confusione, & ignominiâ affici potest, quin sibi persuadeat se multò deteriora mereri. Verè item humilis est, qui pro nihilo haberi cupit: qui non humilis, sed vilis in aliorum opinione esse desiderat, ita ut omnes credant patienter ab illo adversa tolerari non ex virtute, sed ex necessitate, quia nimirum ea evitare, vel impedire non potest. Si ipsum contingat in aliquo verbo vel opere labi, veniam petere ab his, qui præsentes fuerunt, non erubescit, si præsertim aut mendacium protulerit, aut de aliquo perperam pro humana fragilitate locutus sit: qua in re speciem quandam martyrii esse vir magnus edocuit. Simili modo si aliquid dixerit vel fecerit, ex quo ejus existimatio lædatur, de hoc quidem dolet quatenus offensa Dei est, gaudet autem de confusione, & contemptu sibi ex eo proveniente, cujus occasiones pacato animo amplectitur, nihil tamen scienter admittens, quo contemptibilis fiat. Si verba ejus innocenter prolata in sensum perversum trahantur: si illi, quos amat, in quibus confidit, in quos beneficia contulit, ipsum improbent, & persequantur, ejusque consortium fugiant: & si post multos labores non solùm nullam mercedem recipiat, sed potius opprobriis afficiatur, nullo modo conqueritur, quia opera sua nihili æstimat, suique contemptum avidiùs complectitur, quàm reliqui omnes honorem, & gloriam. Ab omnibus derelictus confugit ad Deum, in quo reperit omne gaudium, & omne bonum. Quæcunque ad se pertinent, silentio premit, ad omne dedecus, & ignominiam animo paratus, tamquam mortuus, & sepultus cujus non extat memoria. Non majoribus tantùm, & æqualibus, sed etiam inferioribus se subjicit, quò ad actus interiores semper, quo ad exteriores attentis circumstantiis, & salvâ dignitate. Firmiter credit, se omnium hominum nequissimum esse, quia mala sua aliorum bonis comparat: tum seipsum considerat secundùm ea quæ ex se habet, alios verò ex donis Dei. Latere optat, omniumque fabula, & ludus esse: nec solùm omni honore, & commodo; sed ipso etiam cibo, & potu, hominumque consortio se indignum putat: & si fortè aliis præferatur, pavet, confunditur, contristatur, se ineptum reputans, ac cujuscumque muneris incapacem. Hæc est imago veri humilis, rudi penicillo expressa, ex quâ poterit omnis Christianus perspicere, quàm procul absit ab hac virtute, quam sectatoribus suis Christus tantoperè commendavit, factus pro nobis opprobrium hominum, & abjectio plebis. In hujus autem virtutis exercitatione nullum est periculum, si quis se minorem æstimet, quàm revera sit. Grande verò malum horrendumque discrimen est, si se plus justo extollat, aut majorem putet, quàm re ipsâ sit. Sicut intrans per ostium, cujus superliminare demissum sit; si se nimis inclinaverit, nihil ei nocebit, sed si se vel transversi digiti spatio, plus quam ostii mensura patitur, erexerit, impinget & quassato capite collidetur: ita animæ non nocet quantavis depressio, maximam autem perniciem illi afferet quæcunque vel minima exaltatio. Quare nemini non dico præponere, sed nec quidem componere debet, qui vult omne periculum superbiæ evitare. Sic Christum Dominum imitabimur, qui cum Filius Dei esset, formam servi accepit, ut formam nobis traderet humilitatis.

## §. XXXII.

*Oportere humanam voluntatem Divinæ subditam, & conformem esse.*

NUllum donum gratius Deo, nullum subsimius sacrificium, quam seipsum Divinæ voluntati integrè in omnibus subjicere, & conformare: nihil enim aliud excelsa illa Majestas requirit ab homine, nisi ut se exhibeat hostiam viventem, sanctam, acceptabilem, quam si quis ritè obtulerit, piè & religiosè litavit. In hac siquidem conformitate, & submissione non bona exteriora, non rem aliquam singularem; sed propriam voluntatem, proprium judicium, totumque hominem perfecto holocausto immolamus, nullâ re exceptâ, nullis præscriptis limitibus. Quoties ergo aliquid nostri in nobis est, toties à nobis exire, & nos deserere debemus, donec solus Deus in nobis sit, & ad omnia quæ de nobis æterna sua providentia decreverit, parati, & indifferentes inveniamur. Non enim perficiet in nobis

nobis Deus beneplacitum suum, quamdiù aliquid erit in nobis, quod illi repugnet, & contrarium sit. Integrum cor ille postulat, & qui se totum ei non dat, nihil dat. Conceditur quidem humanæ fragilitati aliquid proprium velle, sed statim elevari supra se debet, & illi adhærere qui super omnes dominatur. Ille creator est, nos creaturæ: ille Dominus, nos servi: ille omnipotens, nos infirmi. Nostram itaque voluntatem corrigere, & illius nos voluntati subdere debemus dicentes, *non sicut ego volo, sed sicut tu* (*Matth.* 26: 39.) Verba Christi Domini hæc sunt orantis ad Patrem, & transfigurantis nos in se, ut discamus ab illo nihil velle nisi quod Deus vult. Alioquin quid potuit Christus velle diversum à voluntate Patris? Quorum una est Divinitas, dispar nequit esse voluntas. Quamobrem docuit nos orare, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra* (*Matth.* 6: 10.) Sicut Angeli faciunt voluntatem tuam, faciamus & nos obtemperantes præceptis tuis. Faciunt homines voluntatem suam, non Dei, quando faciunt quod volunt, non quod jubet Deus. Tollatur à nobis rixa illa, quam describit Apostolus dicens, *Caro concupiscit adversùs spiritum, spiritus autem adversùs carnem* (*Gal.* 5: 17.) Sic fiet voluntas Dei consentientibus simul carne, & mente; ita ut nulla remaneant desideria carnalia, cum quibus mens confligat: nihil sit in corpore quod spiritui resistat, omnisque concupiscentia in charitatem commutata fuerit: hæc est enim voluntas Dei sanctificatio nostra. Unus est Deus, & qui adhæret illi, unus spiritus est, una voluntas.

## §. XXXIII.

### *Omnia de manu Dei accipienda.*

IN hoc summa totius Perfectionis consistit, ut quidquid acciderit pacato animo de manu Dei accipiamus, omnem solicitudinem projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de nobis (1 *Petr.* 5: 6.) Omnia, quæ mundus mala vocat, peccato excepto, quod est solum & verum malum, à Deo esse Scriptura testatur dicens, *Bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honestas à Deo sunt.* (*Eccl.* 11: 14.) Et alio loco: *Ego Dominus & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc* (*Isai.* 45: 7.) Cum igitur Dei nutu, & secretissimi consilii sui immutabili dispositione apud ipsum fixa sint omnia, quæcunque fiunt in orbe terrarum; æquum est, ut universa quæ accidunt quantumvis dura, & acerba, veluti singularis erga nos benevolentiæ signa, de manu ejus accepremus, ipsius providentiæ inhærentes non nostræ, quæ semper timida, & incerta est, Deique operationem in nobis destruit. Calumniæ, fraudes, furta, raptus, insidiæ, bella, cædes, morbi, ruinæ, pestilentiæ, sterilitates, & aliæ quælibet calamitates, sive publicæ, sive privatæ ad improborum emendanda, vel castiganda flagitia, & ad justorum exercitationem à Deo permittuntur, & immittuntur, & si quid horum nos vexat, assumenda vox est patientissimi Prophetæ, qui omnium malorum genere cruciatus dicebat: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum* (*Iob* 1: 21.) Servis fidelibus, quæcunque agenda sunt, ita committunt Domini, ut eos tamen nescire velint, quis finis sit, quæ series, & ratio consiliorum suorum: sic nos subjecti erimus Divinæ providentiæ tamquam inutiles, & obsequentes servi, nihil soliciti quid de nobis, quid de aliis fieri velit; idque nobis à Domino dici putabimus, quod olim Petro dixit, *Quid ad te? tu me sequere* (*Ioan.* 21) Et si aliquando bona opera, quæ aggressi sumus, vel ægritudine, vel quâlibet adversitate impediri contigerit, non contristabimur: scit enim Deus, quid nobis magis expediat. Sic perpetuâ pace, & imperturbabili tranquillitate fruemur, clamante veritate cunctis perturbationibus, ne ad locum appropinquent, in quo Deus pacis commoratur.

## §. XXXIV.

### *Divinæ providentiæ in omnibus acquiescendum.*

BOnum est optare à Deo affligi, & multa pro eo pati, sed multò meliùs est, ipsius dispositioni, & beneplacito in omnibus acquiescere, & orare, ut nos ducat quò ipse vult. Vita naturalis motu & sensu se prodit, vita supernaturalis omnis motus & sensus cessatione, & defectione. Qui enim se deserit, omnesque motus animi sui in Deum transfert, is vitâ gratiæ vivit, & à se ipso ita est expeditus, ac si de se nihil sciret, velut

infans, cujus est unius diei vita super terram. Quidquid sibi acciderit, non in se respicit, sed in Divina voluntate, & providentia. Nihil ex hoc seculo sibi applicat, nisi quod vult Deus, in cujus manu tamquam instrumentum est, artificis arbitrio ad quodcumque opus applicandum. In divinis consiliis perscrutandis curiosus non est, sed illa humiliter adorat, firmiter credens ea semper justa esse, licèt sæpè occulta sint. Idem vult quod Deus vult, eodemque modo, atque eamdem ob causam, propter quam ille vult. Suam voluntatem Divinæ conformat, quoad omnia bona naturæ, gratiæ, & gloriæ; ita ut suis actibus, & suâ libertate, quantùm fieri potest, spoliet se, ut sola Dei voluntas in ipso vivat & operetur. Cum enim voluntas corruptæ naturæ vitio se plurimùm amet, & in sui actûs veluti possessione delectetur, tametsi unicam Dei gloriam quærat, eam tamen actu proprio vult, & in eo complacet sibi tamquam in proprio bono: ex quo fit, ut, si ipsum propriæ voluntatis actum & gaudium, quod ex eo provenit, sibi prorsus adimat, tunc verè, & perfectè Divino beneplacito acquiescere censenda sit, suamque voluntatem in Divinam purissimè transfundere, cum omnimodâ sui ipsius, & omnium creaturarum oblivione. Voluntas Dei necesse est ut fiat, omnia enim quæcunque voluit Dominus fecit, & non est qui possit resistere voluntati ejus: tunc autem optimè fit, cum in nobis, & à nobis fit.

## §. XXXV.

### *Solum Dei beneplacitum optandum est.*

IN voluntate Dei pax, & tranquillitas constituenda est. Si peccavimus, si alios ad peccandum induximus, si ex flagitiis nostris multa mala secuta sunt: dolendum sanè est, & fletibus eluenda sunt crimina, ac digna castigatione plectenda: animi verò perturbatio, & inquietudo evitanda, & cum pace emendationi incumbendum, imploratâ Dei misericordiâ, quæ nos labi permisit, ut discamus non altum sapere, sed timere; neque nostrum putemus esse quod Dei est. Ab ipso veniam, & indulgentiam in spiritu humilitatis, & in animo contrito expectabimus, sicut servus adventum Domini sui patientissimè præstolatur. Dominus enim est, veniet quando voluerit. Fidelis servus, & prudens nihil quærit, nihil optat, nisi Domini beneplacitum, & in omni eventu ex intimo cordis affectu ait, *Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te* (*Matth.* 11: 26.) *Fiat voluntas tua* (*Ibid.* 6: 10.) Ad omnem nutum tuum paratus sum. Vis me incolumen esse, vis ægrotare? Vis me dulcedine tuâ perfrui, vis in tenebris, & continuâ ariditate versari? Vis me abundari, vis penuriam pati? Id volo quod tu vis, fac de me quod tibi placet. Hæc animi præparatio omnino indifferentis ad quæcunque Deus vult, hominem facit ad omnia mala impavidum, & inconcussum, omnique adversitate superiorem, relictâ sui rerumque omnium solicitudine, & anxietate. Nam si de cibo, & vestimento, aliisque rebus ad vitam necessariis nos solicitos esse Christus prohibuit, quantò magis superflua, & inutilis cæterorum cura abjicienda est? Ipsa pax animi, si anxiè quæratur, amittitur: atque ideò sublatis curis in sola Dei voluntate quiescendum. Curiositas, & inquisitio, quâ sæpè investigamus, quid de nobis futurum sit, naturæ est seipsam amantis, & timentis aliquid pati. Optimè Deus ex alta providentiæ suæ specula cuncta respiciens, quid unicuique conveniat, agnoscit; & suaviter ac fortiter disponens omnia curam hominis singulariter suscipit, cum illum videt omnem de se cogitationem in ipsum projecisse.

## §. XXXVI.

### *Spes salutis nostræ in Deo ponenda.*

VIr christianâ sapientiâ imbutus non solùm supernæ dispositioni, quæcunque pertinent ad temporalis vitæ subsidia, committit, de crastino non cogitans, sicut præcepit Christus; sed spem quoque salutis suæ in ejus voluntate reponit, qui nunquam deserit sperantes in se. In hac spe & conformitate voluntatis suæ cum divina singulariter constitutus salutem suam cum timore, & tremore operatur, misericordiam, & judicium Domino suo fideliter concinens, in cujus arcana irrumpere, & in abyssum profundissimam judiciorum ejus descendere nimis temerarium foret. Certum quidem est, neminem posse in hac vita absque speciali revelatione æternæ salutis securitatem habere: sed absit ab homine Christiano hæc insania, ut de illa desperet. Hoc illorum est, qui obstinatissimâ voluntate in fœcibus suis computrescere, & in malis perseverare decreverunt. Qui verò meminit se Christi

Sanguine

Sanguine redemptum, & Baptismatis Sacramentò initiatum, de bonitate Dei non diffidit; ejusque auxilium indefessus implorat, tutum habens in eo refugium, qui veniam cum lacrymis postulanti, & peccata animo contrito detestanti nunquam negavit. Hæc sunt magna, & saluberrima consilia Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, atque adeò sapienter exquisita, ut electionem nostram occultam esse voluerit, ne securitas superbiam generet, & negligentiam, *& qui se existimat stare, videat ne cadat.* (*1 Cor.* 10: 12.) Quia verò electi pauci sunt, debet vir fidelis cum paucis sanctè vivere, ut certam faciat vocationem suam, & in fine cum paucis coronari mereatur. *Angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam* (*Matth.* 7: 13.) ut Christus Redemptor noster nos docet. Ideò per arctam viam incedendum est, semperque timendum, etiamsi bene currere videamur, quia de dono perseverantiæ nemo securus est. Non tamen animum despondere oportet, sed spes in Deo ponenda, ejusque beneplacito voluntas nostra subjicienda est in tempore, & in æternitate. At aliquis fortè dicit, incerta est mihi de me ipso voluntas Dei. Quid ergo? An tua voluntas de te ipso certa est? sanè non est. Quod si utraque incerta est, cur Divinæ potiùs voluntati, quàm tuæ spem tuam non committis? Superbissimus, & infelicissimus est, qui fiduciam habet in se, & non in Deo; ille autem beatus est, qui confidit in Domino, cujus firma promissio est, & in quo omnes qui speraverunt non sunt confusi.

## §. XXXVII.

### *Spiritum, & perfectionem Christianæ religionis in Charitate consistere.*

QUamvis per Fidem, & per Baptismum Christiani nuncupemur, & simus, sola tamen Charitas est, in qua spiritus & anima nostræ religionis consistit, & per quam Christianè vivere possumus. Sicut enim Deus propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, Filium suum misit in mundum, ut nos redimeret Sanguine suo: ita nos debemus ipsum diligere toto corde, totis viribus, & proximum sicut nos ipsos. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Hoc autem est maximum, & primum mandatum, ex quo universa lex pendet & Prophetæ. Hoc Fidei nostræ fundamentum, scire & cognoscere charitatem Dei, quia cum inimici essemus reconciliati sumus per Christum. Hic ignis est, quem ipse Redemptor noster venit mittere in terram, & nihil vult nisi ut accendatur (*Luc.* 12: 49.) Hic Spiritus primorum Christianorum fuit, quorum erat cor unum, & anima una: hæc veluti anima est, quæ corpus Ecclesiæ vivificat. Hanc tesseram, quâ sectatores sui à reliquis discernerentur, Christus Dominus reliquit nobis cum dixit: *In hoc cognoscent omnes quod mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* 13: 35.) In hac Dei, & proximi dilectione Christianæ vitæ perfectio consistit, per quam anima Deo unitur. Est autem perfectio opus divinæ gratiæ, ac propterea viribus nostris niti, aut nostræ industriæ confidere non debemus, sed omnis fiducia nostra in Deo ponenda, ejusque auxilium jugiter implorandum, ut liberet nos à malo, ad quod propensi sumus, & vindicet ab hostium tentationibus, quorum fraudes & insidiæ innumerabiles sunt. Quod si aliquando labimur, & post lapsum mente concidimus, signum evidens est, quod spes nostra in nobis non in Deo posita erat. Qui enim de se diffidit, agnoscit infirmitatem suam, Deumque ferventiùs orat, & pugnat alacriùs. Oportet autem desiderium perfectionis efficax esse & quotidie crescere, ita ut impellat ad opus, & nunquam minuatur. Non sufficit perfectionem laudare, & aliis commendare, sed manus operi admovenda est, ne ex illis simus, qui imperfectiones, & peccata ut aliena detestantur, non ut sua. Tunc verò homo perfectus erit, cum animam suam Deo exhibuerit puram, nudam, simplicem, sine malitia, sine affectu ad creaturas, & avulsam ab omni terrena delectatione.

## §. XXXVIII.

### *De ordine Charitatis.*

ILle justè & sanctè vivit, qui rerum integer æstimator, ordinem servat in dilectione, sedulò advertens, ne aliquid diligat, quod non sit diligendum, aut non diligat quod diligendum est, aut amplius diligat quod minus diligendum est, aut æquè diligat quod vel minus, vel amplius dili-

diligendum est, aut minus vel amplius quod æquè diligi debet. Ideò virtutem nihil aliud esse, quàm ordinem amoris, peccatum verò inordinationem amoris viri sapientes definierunt. Sunt quidem & alii affectus, sed omnes ex amore veluti ex fonte procedunt, & si est ordo in amore, omnes affectus ordinati sunt; si non est ordo in amore, in ipsis quoque nullus ordo sed perversitas, & perturbatio est. Non est enim virtus in hac vita, nisi ordinatè diligere quod diligendum est. Id eligere prudentia est: nullis inde averti molestiis, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est: nullâ superbiâ, justitia est. Talis est autem ordo amoris, qualis est ordo rerum: ita ut ante omnia & super omnia diligendus sit Deus, quo nihil melius, nihil sublimius nec inveniri, nec cogitari potest. Ipsum amando mores nostros corrigimus, ut puri puro adhærere valeamus. Mores nostri ex eo quod diligimus dijudicantur: non enim faciunt bonos, vel malos mores, nisi boni vel mali amores. Tenet autem anima, & servat ordinem amoris, si totis viribus diligat quod supra se est, id est Deum: socias verò animas tamquam seipsam. Hæc est lex dilectionis, ut homo diligat Deum, & proximum, & seipsum. Nullum verò præceptum datum est illi de diligendo seipsum, quia nemo seipsum servato ordine rectè amat, nisi Deum diligendo, à quo vis, & modus amandi desumi debent. Sicut homines amare debemus, vel quia justi sunt, vel ut justi sint: ita & semetipsum amare quisque debet, aut quia justus est, aut ut justus sit. Qui se aliter diligit, injustè se diligit, quoniam se diligit ut sit injustus; qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. Nemo igitur se diligere debet propter se, sed propter illum, qui rerum omnium finis ultimus est, & summum bonum, cui toto affectu inhærere debemus. Nam si se diligit propter se, non se refert ad Deum, & aversus ab incommutabili bono, seipso fruitur, transgrediens regulam dilectionis divinitus constitutam. Mandatum quippe accepimus amandi Deum toto corde, totâ animâ, totâ mente, ut omnem vitam, & intellectum, totumque affectum Divinæ dilectioni impendamus; & si quid aliud diligendum in mentem venerit, illuc referatur, quò totus amoris impetus currit. Proximum verò diligere quisque debet sicut seipsum, totam sui, & illius dilectionem in Deum referens, ut etiam proximus Deum diligat toto corde, totâ animâ, totâ mente. Cum ergo præcurrat dilectio Dei, ita ut cætera, quæ diligenda sunt, in ipsum confluant, ille præ omnibus, & super omnia diligendus, reliqua verò in ipso, & propter ipsum, ut amor noster ordinatus sit.

## §. XXXIX.

### *De dilectione Proximi.*

NEc Deus sine proximo, nec proximus sine Deo diligi potest: *mandatum* enim *habemus à Deo; ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* (1 Ioan. 4: 20) Qui verò præcipit ut proximum diligamus, nullum hominem excipit, non vitiosum, non pauperem, non extraneum, non inimicum. Omnes sincerè amandi, cujuscumque conditionis sint, *de corde puro, & fide non fictâ, non verbo & lingua, sed opere, & veritate,* (1 Tim. 1: 5. 1 Ioan. 3: 18.) quia probatio dilectionis exhibitio est operis. Sicut Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, non quia aliquid in nobis dignum amore repererit, sed ob amorem, quo diligebat Deum; ita nos in Deo, & propter Deum omnes diligere debemus, ea puritate, qua nos invicem diligemus in cœlo, nullâ habitâ ratione bonorum, quæ in ipsis elucent, nisi quatenus à Deo procedunt, & ad ipsum referuntur. Viri justi tantâ inter se charitate conjuncti sunt, ut, quod quisque in se non habet, hoc in alio se habere lætetur: & si quid amplius præ cæteris habeat, id in alios libentissimè effundat. Sicut per amorem, quo Deum diligimus, omnes ei adhæremus, & unus cum eo spiritus efficimur; ita per amorem proximi omnes ad invicem unum sumus, ut bonum singulorum omnibus commune sit; & quod quisque in se non habet, in altero possideat. Sic omnia mandata servantur, sic impletur omnis justitia. Charitas enim verissima, plenissima, & perfectissima justitia est. Charitas inchoata, justitia inchoata est: Charitas provecta, provecta justitia; perfecta Charitas, perfecta justitia, quæ tunc maxima est in hac vita, quando pro ipsa contemnitur.

## §. XL.

### *Quis sit modus fraternæ dilectionis.*

MOdus amandi proximum duobus præceptis continetur: Alteri feceris, quæ tibi vis fieri:

fieri : Alteri ne feceris, quæ tibi fieri non vis. Seriò igitur in conſpectu Dei debet unuſquiſque examinare, quidnam ſit quod ab aliis ſibi fieri vel non fieri velit : & ſi ipſe à nemine ſperni, ſi cæteros ſibi compati, ſuoſque defectus patienter ferre & bene de ſe loqui optat : hæc eadem officia illis præſtabit. Cordis perverſi indicium eſt, cum aliis ea facimus, quæ pati ab illis nolumus. Verus Chriſti diſcipulus mores aliorum non diſquirit, ſed eorum diſcuſſionem illi committit, cui Pater dedit omne judicium. Propria mala cognoſcere ſatagit, & his exſtirpandis incumbit. Se ſolum diſtrictè judicat, quem omnium peſſimum credit. Semper animo tranquillo eſt, quidquid viderit vel audierit : nam ſi bonum illud fuerit, Deum collaudat : ſi malum, vertit illud in bonum, mentem ab eo avertens, & ad Deum elevans, idque pacificè abſque ulla anxietate, & commotione. In corrigendis aliorum vitiis, ſi ipſi ex officio incumbat, vel fraternæ correctionis præceptum urgeat, zelum habet ſuavem, benignum, & alienæ infirmitati compatientem : contraria enim charitati eſt omnis acerbitas, & perturbatio. Excuſat, ſi poteſt, quæ minus rectè ab aliis fiunt, & abſtinet à cenſura : ſcit enim res humanas hujus conditionis eſſe, ut nihil adeò ſanctum ſit, quod aliquâ ex parte damnari non poſſit, ſi velit homo cenſuræ ſuæ laxare habenas, & quidquid occurrit, in deteriorem partem interpretari. Vitia ſunt ubi ſunt homines, à quibus ſummam exigere perfectionem nihil aliud eſt, quàm ſub ſpecie zeli propriæ impatientiæ blandiri, quæ nihil inordinatum, aut moleſtum poteſt in aliis tolerare. Nunquam proficiet, qui in vita aliorum judicanda occupatur.

## §. XLI.

### *Quæ ſit vera amicitia.*

COnſiſtit amicitia in bonorum communicatione, ex quo ſequitur, ut talis futura ſit, qualia ſunt bona quæ ſibi mutuò amici communicant. Vera autem bona nulla ſunt, niſi æterna & ſupernaturalia, in quorum communicatione vera & ſtabilis amicitia fundatur. Carnalis amicitia facillimè diſſolvitur, quia ſpiritus ſenſu alligari non poteſt : ſpiritualis verò non rumpitur, quamvis enim inter amicos aliqua interdum contingat irritatio, charitas Dei omnem contentionis aſperitatem ſuâ dulcedine vincit, & abſumit. Noxia porrò eſt & fugienda illa amicitia, quæ perſonæ dilectæ mentem affigit ; cujus primi motus omnino extinguendi, ue dulci quodam veneno mentem inficiant. Hæc facilè deprehenditur, cum omnes cogitationes & affectus in eo qui diligitur jugiter occupantur : cum in ipſo tanquam in centro quieſcit cor, atque illi veluti idolo omnes actiones noſtras immolamus. Neque obeſt, quod hujuſmodi amicitia innoxia & pura videatur, nam paulatim emollit cor, ac tandem in carnem deſinit. Viri probi ſemper maturi, graves, & compoſiti ſunt, omnibus benigni, nemini blandi, paucis familiares. In eorum converſatione elucet modeſtia, prudentia, ſeveritas, & juſtitiæ rectitudo. Ipſorum vita interior eſt, neque foras ſe proferunt verbis, aut exercitiis. Quia verò neceſſarium eſt, aliquando cum hominibus verſari, viſa & audita ſtatim ab animo excludunt, Deoque ſoli adhærent. Cum illis prudenter agunt, qui diverſâ ambulant viâ, finemque diverſum habent, ac diverſa principia : quia diſpares profeſſione, diſpares quoque affectu ſunt ; nec ſimul convenire queunt homo terrenus & cœleſtis, neuter ſiquidem alterius loquelam intelligit. Sicut peſte infecti ſibi approquinquantes ſolo afflatu inficiunt, ita in carnalibus hominibus contagio quædam latet, quæ ſtatim adſtantes contaminat, niſi procul ab eis recedant. Nemo æger curatur eo, quod ſano appropinquet ; ſani autem ſi peſtilentiâ affectis adhæreant, eâdem labe inficiuntur.

## §. XLII.

### *Quæ officia amicitiam concilient.*

OMnes homines naturali quodam inſtinctu aliis placere, & ab illis amari concupiſcunt, omnemque induſtriam adhibent, ut diverſorum ſibi amicitiam concilient. Sed hæc ſtabilis & ſincera nunquam erit, niſi Divinus amor eorum animos ſimul connectat. Amicitia, quæ humanis dumtaxat officiis comparatur, mercaturæ quædam ſpecies eſt tam diù permanens, quamdiù hinc inde aliquid utilitatis percipitur, aut expectatur. Comitas & urbanitas, quam ſummo rigore ab amicis exigimus, ludus verborum eſt, & vanitas, ac mera deceptio. Etenim qui profuſiùs & elegantiùs hujuſmodi officia præſtare ſolent, multa quidem ſpondent ; ſed cum aliquid ab illis petitur, tunc demum appareat, quam inanis fuerit ille verborum apparatus.

Nihil in his verum, nihil solidum, nihil sincerum. Quod si homines Deum ex toto corde diligerent, proximum quoque amore non ficto prosequerentur. Summa esset inter illos pax, nullæ lites, nulla divisio, nulla discordia. Nemo propriæ voluntati adhæreret, sed soli divinæ: cujus amor, ubi est, ita mentes unit, & afficit, ut unusquisque velit, quod alter vult, & omnes simul quod vult Deus. Nam cum omnia desideria nostra ad id, quod à nobis præ cæteris diligitur, veluti ad centrum tendant: si in omnibus Dei amor dominaretur, una quoque in omnibus esset voluntas, unus amor, unio perfecta. Sed quia singuli se ipsos amant & propria commoda, (diversi sunt autem singulorum fines, & affectus) inde fit, ut nemo proximi bonum & excellentiam æstimet, si nulla ex eo utilitas ad se derivetur. Sit aliquis subtilissimus Philosophus, insignis Mathematicus, omni eruditione & virtute refertus: pauci eum diligunt; at si divitiis affluat, si prodigâ manu eas effundat, omnes post eum currunt, quia nimirum scientiam & virtutem pauci diligunt, omnes pecuniam. Hinc autem bella, dissensiones, & inimicitiæ oriuntur, quia unusquisque alterius bona odio habet, cùm propriis commodis adversantur. Nemo seipsum amat, quatenus est homo communem habens cum cæteris humanitatem, sed solum se respicit, seque ab aliis segregat, nec cum cæteris hominibus, sed secum solummodò convenit: & quia amorem suum ultra se non extendit, ejus participes alii non sunt, nisi quatenus ad ipsum referuntur, & illi deserviunt. Hæc considerans vir sapiens, quamvis scienter nihil committat, per quod justè in odium aliorum mereatur incurrere: à vanis tamen mundanorum hominum amicitiis abhorret: gratissima est illi solitudo, suave silentium, dulcissima cum Deo colloquia, in quo solo omne gaudium reperit, omnem jucunditatem, omnem consolationem.

## §. XLIII.

### *Occasiones exercendæ erga proximum charitatis.*

EXercendæ erga proximum charitatis nunquam desunt occasiones. Tot enim sunt hominum miseriæ, aut corporales aut spirituales, ut vix possimus vel gressum movere, vel oculos vertere, quin multi occurrant ope nostrâ indigentes. Et primò quidem auxilio, & orationibus nostris indigentes. Et primò quidè auxilio & orationibus nostris indigent viri justi, ut Deo largiente in justitia perseverent; cum plura magnorũ virorum habeamus exempla, qui levissimâ tentatione seducti à gratia Dei, & à spe vitæ æternæ miserabili ruinâ exciderunt. Tanta est naturæ lapsæ fragilitas, tanta rabies dæmonis, tanta carnis rebellio, tanta vis pravorum habituum, tanta mundi corruptela, ut nemo securus esse queat. Egent deinde operâ & subsidio nostro, qui peccati nexibus sunt irretiti, pro quibus orandum, ne computrescant in fœcibus suis: neque enim excitari, & surgere suis viribus possunt, nisi respiciens de excelso cœlorum habitaculo omnipotens Deus manum porrigat adjutricem. Eodem malo premuntur omnes infideles, quorum innumerabilis turba quotidie ad inferna descendit. Miseriæ verò corporales infinitæ sunt. Multi fame, siti, nuditate, ære alieno, litibus, infirmitatibus vexantur. Alii inimicitiis, persecutionibus, calumniis, amissione bonorum, carcere, captivitate, aliisque calamitatibus torquentur. Nec minor illorum miseria est, qui inter spem & metum cum morte luctantur, in formidabili momento positi, à quo pendet æternitas. In maxima denique necessitate versantur animæ defunctorum, quæ acerbissimis pœnis cruciantur, quorum tota spes in viventium suffragiis sita est. Ad hos omnes charitatis nostræ & misericordiæ actus, quantum Deus dederit, extendendi sunt, eleëmosynis, consilio, orationibus, aliisque remediis, & officiis salutaribus. Christus sibi accepta refert quæ illis impendimus beneficia, & de his in novissimo die copiosam nobis mercedem reddet.

## §. XLIV.

### *Amandos esse inimicos.*

HEroica virtus, & Euangelicæ legis perfectio est dilectio inimicorum, quam Christus promulgavit dicens: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit superbonos & malos, & pluit super justos, & injustos* (*Matth.* 5: 44.) Durum hoc edictum carni, & sanguini, ac propterea legislator mentes erigit ad cœlestia, *ut sitis*, inquit, *filii Patris vestri, qui in cœlis est*: ut nimirum carnali nativitate posthabitâ, secundùm illam vivamus, quâ in Christo regenerati sumus. Exigit autem non solum ut diligamus inimicos, sed ut illis insuper beneficia impendamus, bene semper de illis & sentiamus, & loquamur, & pro ipsis oremus, alioquin nec Pater noster dimittet

mittet nobis peccata nostra, ut idem Dominus comminatus est (*Matth.* 6: 15:) Apostolus quoque ait, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi.* Tum sequitur, *noli vinci à malo, sed vince in bono malum* (*Rom.* 12: 20.) Ne vincamur ab hominibus, non est in nostra potestate: sed ne vincamur à malo; id in nobis positum est. A malo autem vincitur, qui mala sibi inferentes odio habet: vincit in bono malum, qui eos sincerè, & ex corde tamquam insignes benefactores diligit: & si in mala incidant, eis compatitur, eorumque necessitatibus gaudenter & liberaliter succurrit. Hanc veritatem charitas facilius persuadet, quàm omnia sapientum argumenta. Non igitur timenda sunt mala, quæ verbis vel factis inferre nobis homines possunt; sed illa potius timenda, quæ ipsi nobis irrogamus odio erga illos, impatientiâ, & appetitu vindictæ. Sola charitas nos invincibiles, & omni malo superiores facit. *Aquæ multæ* adversitatum & persecutionum *non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam* (*Cant.* 8: 7.) Magnum autem incendium oportet esse, quod inundationibus aquarum resistit.

## §. XLV.

### *Verum bonum amandum.*

DEus nobis summum bonum est, quem jubemur diligere toto corde, totâ mente, totis viribus: & huc omninò tendendum est, nec aliud ultra quærendum: huc omnia consilia nostra referenda sunt. Amor enim summi boni omnem in se servitutem complectitur: temperantia siquidem amor est, hominem in Deo integrum & incorruptum servans: fortitudo est amor constanter omnia perferens propter Deum: justitia est amor Deo soli serviens, & cæteris, quæ sub Deo sunt, bene imperans: prudentia denique amor est ea bene discernens, quibus adjuvatur, ut ad Deum pergat, ab iis quæ illum impedire possunt. Ipsum verò summum bonum non intuitu mercedis, aut proprii commodi; sed propter se amari debet, propter suam bonitatem, quâ nihil melius esse potest, cum sit infinita, & finis omnium. Ideò perfectus Dei amor esse censetur, cum omnia bona propter ipsum amantur, à quo & per quem sunt bona: cum amatur sine modo, ità ut voluntas, licèt non dæquet, saltem attingat, quantum fieri potest, summam ejus & immensam bonitatem, nullum modum vel terminum ponens in ejus dilectione: cum denique amatur super omnia, quia omne aliud bonum divinæ bonitati comparatũ quasi nihilum reputatur. Summoperè autem cavendum est, ne sensibilium bonorum usu & consuetudine voluntatis, vigor & energia in Dei amore sensim dissolvatur. Etenim ad æterna & intelligibilia, quia à sensibus remota sunt, tardiores sunt affectus: ad sensibilia autem incitatiores, tametsi illa pluris æstimentur. Deinde natura seipsam quærit, & cum vaferrima sit, tot fraudes, ut nos decipiat, totque recessus in quibus lateat, comminiscitur; ut vix possimus laqueos ejus evitare. Sicut vas plenum accipere nequit quod non habet, nisi prius effundat, quod habet: sic malus mundi amor à nobis excludi debet, ut bono Dei amore repleamur. *Nolite diligere mundum*, inquit Apostolus, quem diligebat JESUS, *neque ea, quæ in mundo sunt* (*1 Io.* 2: 15.) quibus verbis prohibemur non ita diligere ista, quæ fecit Deus, ut Creatoris obliviscamur. Pulchra videntur ista, sed quantò pulchrior est, qui fecit illa? Ista nobis tradidit Deus, ut iis propter ipsum utamur, ipso autem fruamur. Qui extra Deum bonum suum quærit, nunquam inveniet. Qui verò Deum super omnia diligit, abipso quoque diligitur: & si ipse nos diligit, quid boni poterit nobis deesse? Porrò ipse semper nos diliget, si ab ejus amore numquam cessemus.

## §. XLVI.

### *Amor Dei in quo consistat.*

IN hoc præcipuè Dei amor elucet, cum multa pro illo gaudenti animo patimur. Amare enim est pati, & magis amat, qui magis patitur. Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati. Affectus teneri erga Deum, atque inde profilientes lacrymæ naturæ effectus sunt, quæ ad affectus proclivior est. Veræ virtutes, & solida gaudia ab amore practico, & obedientiali oriuntur. Qui enim amat, propenso animo, & summâ jucunditate, illi, quem amat, in omnibus obsequitur, non timore pœnæ, sed amore justitiæ: & si quid grave, vel durum sensibus illi præcipitur, hoc amor levissimum, & gratissimum reddit. Nec aliam ob causam Scriptura testatur (*1 Ioan.* 5: 3.) præcepta Domini

gravia non esse, nisi ut anima, cui gravia videntur, intelligat se nondum perfectè amare, & à Deo gratiam petat, quâ levia & suavia fiant. Laborant in custodiendis Dei præceptis, qui solo timore quæ justa sint operantur: *sed perfecta charitas foras mittit timorem* (1 Ioan. 4: 18.) & levem facit sarcinam legis non solùm non prementem, sed instar pennarum in excelsa sublevantem. Servus, qui diligit Dominum suum, ejus præceptis libentissimè obtemperat, & quo gravius est ac difficilius, quod jubetur, eo libentiùs illud exequitur, etiamsi durissimi labores sustinendi sint, quia nimirum nihil grave, nihil durum amanti videtur. At servus nequam, qui dominum non amat, sed timet, ipsius mandata parvi pendit, variisque coloribus & integumentis à præstandis domino obsequiis se subtrahere satagit, & ejus jussiones eludere. Sic verò Dei amore carere convincitur, qui humanis ratiocinationibus à legis obligatione eximere se studet, laxiores quærens opiniones, & magistros prurientes auribus, qui, ut noxiæ libertati faveant, mandata Dei & Ecclesiæ tot limitationibus convellunt, ut vix remaneat præcepto locus. Vivunt itaque homines non sicut oportet, sed sicut volunt; quia tot jam sunt de humanis actibus opiniones, ut ferè liceat quidquid lubet. Ante horrendum Tribunal Christi non ex placitis hominum, sed ex lege Dei & ex veritate judicabimur. Ibi nulla opinio erit, sed nuda veritas. Scio quidem, non omnem probabilitatem damnandam esse; sed vereor, ne, quod multis probabile videtur, falsum omninò in extremo judicio inveniatur: vereor, ne nimia opinandi libertas multos ducat in perditionem. Hæc autem non intelligit, nisi qui Deum diligit ferventi amore, semperque parato ad obediendum ei: anima enim per charitatem se totam transfundit in Deum quem amat, fitque ex ipso & anima unus spiritus, una voluntas, sicut dicit Scriptura; *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo* (1 Ioan. 4: 16.) Ab hac unione verum gaudium procedit, quo anima ineffabili jucunditate perfruitur, bonum illud possidens quod amat; atque illi ejusque mandatis ac nutibus firmiter adhæret: quia ab ipso, per ipsum, & in ipso omnia sunt quæ possunt desiderari. Hoc autem indicio cognoscet homo se Deo adhærere, & unitum esse, cum omne ipsius studium, omne desiderium, omnis conatus, quidquid sperat, quidquid videt, quidquid loquitur, quidquid intelligit, Deus est.

## §. XLVII.

### *Quis sit modus perfecti amoris.*

INnatum est omnibus hominibus sciendi desiderium, & quo plura quisque cognoscit, eò amplius scientiæ appetitus crescit: eumque ad illud fastigium pervenerit, ut se omnia scire atque altissima de Deo se percepisse arbitretur: summâ lætitiâ & voluptate perfunditur, & scientiam amat tamquam rem optimam, quæ tantæ lætitiæ causa est: atque inde fit, ut ipsam cognitionem magis amet, quam illud, quod cognoscit. Sic Philosophi, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, seipsos suamque scientiam amantes, non Deum. Simili modo inter Christianos multi sunt, qui scientiam de Deo, ejusque amorem pluris æstimant, & magis amant, quàm ipsum Deum, & ejus beneplacitum. Difficile quidem est speculum affabrè factum intueri, quin homo seipsum in eo videat: sed cum Deum quasi speculum lucidissimum contemplamur, licèt fieri nequeat, quin & nos ipsos in illo, qui videt omnia, videamus; in amore tamen divinæ pulchritudinis & bonitatis perstiendum est, nullâ habitâ ratione ipsius visionis, & delectationis, quæ ex ea emanat. Alioquin nos ipsos amamus, cum maximè credimus Deum amare. Deus spiritus est, & actus purissimus, ipsumque oportet in spiritu & veritate adorare, & diligere; quod tunc rectè & purè fit, cum ipsum singulariter diligimus propter se, suamque summam bonitatem, nullo modo ad nos ipsos, nostraque commoda & delectationem respicientes.

## §. XLVIII.

### *Scientiam practicam & experimentalem magis conferre ad amorem, quàm speculativam.*

SIcut rusticus omnis doctrinæ & literarum expers, qui solem quotidie cernit, ejusque luce & calore fruitur, lumen intensiùs diligit, quam cœcus multâ scientiâ præditus, qui de luce ejusque causis & effectibus plura didicerit ex placitis Philosophorum: ita Deum magis diligit simplex, & pius homo ex cognitione practicâ fidei, quàm subtilissimus Theologus ex sola speculatione. Sicut etiam vir doctus & eruditus in regione

ne septemtrionali, in qua nullæ sunt vites, & nemo vinum bibit, de vineæ culturâ, deque vini potu, ejusque effectibus & proprietatibus copiosè poterit & acutè disserere: sed quia vinum nunquam gustavit, practicè nesciet quid sit vinum, quomodò lætificet cor hominis, quomodò inebriet; nec eam vini notitiam aliquando assequetur, quam rusticanus vinitor habet, qui vinum quotidie bibit: ita planè contingit, ut aliquis de plebe, qui nec legere quidem noverit, altiùs de Deo rebusque divinis scientiâ experimentali loquatur, quam vir magni nominis, qui totum vitæ suæ tempus in studiis Theologicis consumpserit. Experientia siquidem speculationem, amor scientiam excedit; multòque faciliùs pervenitur ad Deum affectu, quàm cognitione. Omnes igitur animæ vires affectui potius & orationi, quàm doctrinæ applicare oportet, si ardentissimum Dei amorem citiùs consequi desideramus. Amore potius quàm scientiâ sublimiorem Dei notitiam comparamus, quia amor ipse notitia est, & amando vehementiùs in contemplatione defigimur, per quam clariùs atque splendidiùs eum intuemur. Ipsum amando minùs laboramus, illi magis obsequimur: nam cognitio, quam de illo consequi possumus, in hoc exilio certis & angustis limitibus conclusa est; amare autem possumus quantum volumus, quantum scilicet ipse dederit, qui sine modo amari desiderat; nec ullus amori terminus præfixus est. Plerique tamen stulto errore decepti malunt semper quærendo numquam Deum invenire, quàm amando possidere.

## §. XLIX.

*Veram Sanctitatem in amore Dei consistere.*

MAndatum habemus à Deo ut simus sancti: ait enim, *sancti eritis, quoniam ego sanctus sum (Levit.* 11: 45.) Est autem sanctitas ab omni labe libera, & omninò perfecta, & omni ex parte immaculata puritas. Sic enim res omnes ex mistione pejoris & inferioris sordes contrahunt, & polluuntur, ut argentum ex mistione plumbi, vestis aspersione luti: ita anima impura sit & immunda, cum rebus infimis adhæret, nec prorsus pura ac sancta esse potest, nisi à cunctis rebus creatis avulsa sit. Consistit igitur sanctitas in omnimoda puritate, & in immobili cum Deo unione, quæ arctissimo amoris nexu perficitur; cum expurgata anima ab omni rubigine terrenorum affectuum, cunctisque rebus celsior eam justitiæ perfectionem adepta est, ut verè & securè audeat dicere cum Apostolo, *Quis me separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me separare à charitate Dei, quæ est in* CHRISTO JESU *Domino nostro*, (*Rom.* 8: 35.) Jejunia, eleëmosynæ, castigatio carnis, usus Sacramentorum, & aliæ ejusdem generis exercitationes ad consequendam sanctitatem plurimùm valent, sed sine charitate nihil prosunt, quamvis in cibos pauperum omnes facultates distribuantur, & proprium corpus igni tradatur, ut docet Apostolus (1 *Cor.* 13: 3.) Potest etiam in aliis virtutibus aliquando dispensatio locum habere, quoniam infirmi à jejunio, pauperes à danda eleëmosyna, debiles à corporis afflictatione sæpè eximuntur; at à præcepto charitatis, quæ omnium præceptorum finis est, & Christianæ legis plenitudo, nemo immunis est, nemo quacumque cogente vi, sive necessitate aut impediri, aut excusari potest, quin Deum amet, & ad eum jugiter aspiret. Paupertas, ægritudo, & alia impedimenta, quæ cæterarum virtutum exercitationi obicem ponunt, amori pabulum subministrant. Intus est dilectio, in corde, in voluntate; & quod à nobis super omnia requirit Deus, in nobis ipsis collocavit. Hoc est illud unum, quod solùm est necessarium, & solum sufficit, ut sancti simus. Hoc maximum, & præcipuum mandatum cæteris suavius & facilius: quid enim jucundius, quam amare? & quis est, qui audeat dicere, non possum amare? Qui verò Deum amat, qui unus est, is omnia amat in uno, & unum in omnibus: & si aliquid aliter amat, quàm in uno & propter unum, is Deum non amat, quia aliquid amat, quod Deus non est. Deo nihil superius est, nihil æquale: ideò mens ab illo averti nequit, nisi ad inferiora, & sensibilia convertatur, à quibus elevari numquam poterit, nisi à terrenis emergens, quæ pondus animæ sunt, iterum revertatur ad illum, à quo infeliciter recesserat. Ut igitur sancti simus, necessarium est à nobis ipsis recedere, & ab omnibus, quæ extra Deum sunt, & ad illud principium regredi, à quo profluximus, totâque virtute illi adhærere: nam ibi unum cum uno erimus, una vita, unus spiritus, una felicitas.

## §. L.

### *Multi sunt vocati, pauci electi.*

NUllus acrior stimulus pravis moribus corrigendis, vitæque nostræ ad normam Euangelii instituendæ quam illa horribilis, & tremenda sententia, *Multi sunt vocati, pauci verò electi* (*Matth.* 20: 16.) si tamen ejus sensum intimè penetremus. Nemo enim scit, an illâ vocatione sit vocatus, quâ secundùm propositum illi vocati sunt de quibus scriptum est, *Quos vocavit illos & justificavit: quos autem justificavit illos & glorificavit* (*Rom.* 8: 30.) Nemo scit, *utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta* (*Eccl.* 9: 1.) Nemo scit, an ita vocatus fuerit, ut in vocatione sua usque ad finem perseveret. Ad quod profundum secretum cum perveniisset Apostolus, quasi quodam ipsius altitudinis horrore perculsus exclamavit, *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus* (*Rom.* 11: 33.) In tanto igitur salutis discrimine, in tanta perseverantiæ incertitudine, continuo horrore concuti debet omnis Christianus, satagens cum timore & tremore certam facere vocationem suam, ut in fide vivens, quæ per dilectionem operatur, bonis operibus ostendat se ad illorum exiguum, & beatissimum numerum pertinere, quos misericorditer elegit Deus ante mundi constitutionem. Exiguum verò esse numerum electorum, & multò minorem quàm sit numerus reproborum, etiam si de solis orthodoxæ fidei cultoribus, exclusis parvulis, qui ante usum rationis obeunt, sermo sit; infallibili scripturarum testimonio multisque indiciis, & rationibus, atque ipsâ experientiâ evincitur. Nam ideò discipulos suos admonuit Christus multi laboris esse, & extremæ difficultatis viam salutis ingredi, ad quam non nisi per angustam portam patet accessus. *Intrate*, inquit, *per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam.* Tum quasi admirans subdit: *Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducet ad vitam: & pauci sunt, qui inveniunt eam!* (*Matth.* 7: 13.) Interrogatus etiam apud Lucam, *si pauci sunt, qui salvantur*: respondit: *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt* (*Luc.* 13: 23.) Rex David cum quæsisset à Domino, *Quis habitabit in tabernaculo tuo?* (*Psam.* 14.) Spiritu sancto responsum suggerente ait, *Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam*: Item in alio Psalmo, *Quis ascendet in montem Domini? Innocens manibus, & mundo corde.* (*Psal.* 23.) *Quis* autem *potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* (*Prov.* 20: 9.) Aut quis audebit asseverare se innocentem esse, & omni maculâ carere? Dicit Christus, *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* (*Matt.* 10: 38.) At Christi crucem quàm pauci amplectuntur? Audiamus Apostolum, *Omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ* JESU CHRISTI (*Philip.* 2: 21.) Qui autem Christum non quærunt, reprobi sunt. Rursùm ait Redemptor noster: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* 18: 3.) Hoc verò si expenderit humana superbia, inveniet absque dubio pauciissimos esse, qui per humilitatem & simplicitatem in naturam puerorum reverti studeant. Testatur Apostolus, eos, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti, prædestinatos à Deo fuisse, ut conformes fierent imagini Filii sui (*Rom.* 8: 29.) At quis est qui possit gloriari, vitam suam vitæ Christi conformem esse? Quis est qui cum ipso patiatur, ut simul possit glorificari? Omnibus dictum est, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (*Matth* 19: 17.) *Omnes* autem *declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* 13: 3.) Regnum cœlorum vim pati, & violentos illud rapere cœlorum rex testatus est (*Matth.* 11: 12.) violentum verò cum sit contra naturam, in paucis contingit, unde fit, ut pauci omninò sint, qui vim sibi inferre velint, & illud regnum futurum à sensibus abstractum, & solo fidei lumine obscurè cognitum bono sensibili, & præsenti præferre. Quod si stellæ non sunt mundæ in conspectu Dei, quales erunt homines terræ affixi, & in densa seculi nocte viventes? Si omnes justitiæ nostræ sordidissimæ sunt, ut ait Propheta, quales erunt injustitiæ, & iniquitates? (*Isai.* 64: 6.) *Si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* (1 *Petr.* 4: 18.) In arca Noë pauci id est octo animæ salvæ factæ sunt, reliqua omnium hominum innumerabilis multitudo aquis diluvii interiit. Ex incendio infamium civitatum Loth solus cum uxore & duabus puellis evasit, cæteri omnes ultricibus flammis consumpti sunt. Ex sexcentis ferè millibus Judæorum, qui egressi sunt de Ægypto, duo soli, Caleb & Josue in terram promissionis introie-

troierunt. Hæc autem in figura contingebant illis, ad ostendendum quàm sit exiguus numerus electorum comparatione reproborum. Confirmari idem potest ex paucitate eorum, qui ex hac vita verè contriti decedunt: quamvis enim multi videantur hominibus bene mori; dolor tamen de peccatis ex metu mortis procedens ad veram pœnitentiam difficillimè pertingit. Nam quomodo poterit bonam vitam inchoare peccator, cum ad ejus finem pervenit? Quomodò poterit super omnia mala detestari peccata, suasque delitias abominari, quas totius vitæ decursu intensissimè adamavit? Quomodo ex animo pœnitentiam amplecti, à qua semper abhorruit? Quomodo statuet efficaci decreto ea deserere, si vita supersit, quibus inveterato usu assuevit? Quomodo intellectus inter morbi, & mortis angores res supernaturales à sensibus remotas meditabitur, de quibus integris viribus aut numquam, aut non nisi obiter cogitavit? Quomodò vincet contrariis actibus anteactæ vitæ consuetudinem in tantis ægritudinibus, temporis, & tentationum angustiis? Experientiâ didicimus, vix aliquem reperiri, qui cessante periculo in proposito permanserit. Redeunt omnes ad assueta, & eorum, quæ metu mortis vel amicorum exhortationibus, aut humanâ prudentiâ agere decreverunt, statim oblivisciuntur: cum præsertim ne no ferè sit, qui etiam in extremis constitutus spem vitæ omnino abjiciat, quâ fraude multos decipit, & perdit dæmon. Accedunt languor animæ exire de corpore trepidantis, & omnium facultatum deperditæ vires, quæ vix hominem sui compotem esse sinunt, adeò ut adstantium verba actus virtutum suggerentium aut nullo modo audiat, aut sonum dumtaxat vocis sine sensu percipiat. Bene quidem de illorum salute sperare licet, qui sub exitu vitæ signa dederunt pœnitentiæ; sed in his nulla securitas est, cujus rei luculentum exemplum Rex Antiochus præbuit. (2 *Mach.* 9.) Cum enim ad extrema devenisset, sub potenti manu Dei humiliavit se orans, & promittens illata Judæis damna resarcire, templum exornare, spondens insuper se de suis reditibus pertinentes ad sacrificia sumptus præstiturum, & abnegato ethnicismo se Judæum futurum, omnemque terram perambulaturum, & prædicaturum Dei potestatem. Quis poterat à peccatore plura, & certiora pœnitentiæ signa exigere? Et hic tamen veniam non meruit, sicut dicit Scriptura, *Orabat sceleſtus Deum, à quo non esset misericordiam consecuturus*, quia nimirùm ejus pœnitentia ex metu mortis procedens sincera non fuit. Quis hæc considerans non contremiscit? Quis inter tot difficultates, & discrimina certam sibi salutem audebit polliceri? Quis non trepidabit nesciens an amore, vel odio dignus sit? Quia igitur pauci sunt electi, & fortassis multo pauciores quàm putamus, à multitudine recedendum est, & cum paucis sanctis, electis, & innocentibus vivendum, ut quisque possit vitâ peractâ, testimonium sibi perhibente conscientiâ, justo judici Deo dicere: redde mihi mercedem, quam promisisti quia feci quod justisti.

## Index Partis Primæ de vita Christiana, ejusque fine, & officiis.


§. 1. *De tribus generibus Christianorum.* Pag. 47
§. 2. *Tertium genus Christianorum describitur.* ib.
§. 3. *Peccatum originale causam esse omnium malorum.* 48
§. 4. *Occasio, & scopus hujus Libelli.* 49
§. 5. *Cur vitæ Christianæ documenta multi discunt, pauci exequuntur.* ibid.
§. 6. *Regulas Evangelicæ perfectionis non solis Religiosis sed omnibus Christianis traditas esse.* 50
§. 7. *Hujus Libelli utilitas, & exhortatio ad perfectionem.* ibid.
§. 8. *Quam necessaria sit Christiano ultimi finis consideratio.* 51
§. 9. *Cum omnes velint esse beati, cur non omnes beati sint.* ibid.
§. 10. *Omnia ad Deum referenda esse puràintentione.* 52
§. 11. *Unde proveniat, quod plerique à fine aberrant.* ib.
§. 12. *Decipimur specie recti.* 53
§. 13. *Humanæ vitæ cursus, & perversitas.* ibid.
§. 14. *Via recta ad finem est, ut quisque suam ferat crucem.* 54
§. 15. *Conditiones ultimi finis, & cur ab illo plerique aberrant.* ibid.
§. 16. *Alia assignatur causa, ob quam multi ultimum finem non assequantur.* 55
§. 17. *Filii Dei sumus, & ejus spiritu vivendum nobis est.* 56
§. 18. *Justus ex fide vivit.* ibid.
§. 19. *Fundamentum vitæ Christianæ abnegatio sui, rerumque omnium abdicatio.* 57
§. 20. *Infamia hominum qui sponte damnari volunt.* ibid.
§. 21. *Character veri Christiani.* 58
§. 22. *Quomodo debeat Christianus opera sua perficere.* 59
§. 23. *Debent bona opera propriæ vocationi convenire.* ibid.
§. 24. *Quomodo Christianis vivendum sit.* ibid.


§. 25. *Opera*

§. 25. *Opera exteriora spiritu interiori animanda.* 60
§. 26. *Operum perfectio unde oriatur.* ibid.
§. 27. *Præsentiæ Dei utilitas.* 61
§. 28. *Cur difficilis videatur sanctorum imitatio.* ibid.
§. 29. *Omnia ad gloriam Dei referenda.* 62
§. 30. *Radix omnium malorum est amor sui.* ibid.
§. 31. *Amor sui Babylonem ædificavit.* 63
§. 32. *Omnes seipsos quærunt etiam in rebus sanctis.* ib.
§. 33. *Quæ scire debeat omnis Christianus.* 64
§. 34. *Interioris, & exterioris hominis differentia.* ibid.
§. 35. *Quam perniciosum sit falsas rerum ideas mente concipere.* 65
§. 36. *Tria Christiano necessaria, ut sibi attendat, ut tempus bene expendat, ut recte utatur Sacramentis.* ibid.
§. 37. *Pœnitentiam omnibus Christianis necessariam esse.* 66
§. 38. *Signa, & fructus veræ pœnitentiæ.* 67
§. 39. *Peccata leviora, & vitia quomodo corrigi, & extir pari debeant.* ibid.
§. 40. *Viros Ecclesiasticos & Religiosos strictius teneri ad perfectionem.* 68
§. 41. *Religiosi suæ vocationis immemores describuntur.* ibid.
§. 42. *Oportere religiosum à mundo alienum esse.* 69
§. 43. *Arguuntur qui regimen animarum ambiunt.* ibid.
§. 44. *Omnibus Christianis necessariam esse orationem.* 70
§. 45. *Quæ dispositio ad orandum requiratur.* ib.
§. 46. *Cur multi ex oratione nihil proficiant.* 71
§. 47. *Nunquam studium orationis omittendum.* ib.
§. 48. *Conditiones bonæ orationis.* ib.
§. 49. *Gratia & modus orationis duplex.* 72
§. 50. *Fons omnium bonorum est oratio.* ib.

## PARS SECUNDA.

### De moderandis animi affectionibus, & de studio virtutum.

§. 1. *Quærenda veritas fugienda vanitas.* 73
§. 2. *Quanti momenti sit ad Christianam perfectionem nihil, vel minimum negligere.* 74
§. 3. *Omnibus Christianis necessaria crux, & abnegatio.* ibid.
§. 4. *Fundamentum vitæ Christianæ est abnegatio.* 75
§. 5. *Quomodo adversus vitia & pravas affectiones pugnare oporteat.* ibid.
§. 6. *De sensuum exteriorum moderatione.* 76
§. 7. *De pugna adversus gulam, & carnem.* 77
§. 8. *De malis linguæ, & de bono silentii.* ibid.
§. 9. *De bona, & mala delectatione, & de illorum infelicitate, qui præposterо fine virtutem colunt.* 78
§. 10. *Opinione vivimus.* 79
§. 11. *Scientiam salutis plerique contemnunt.* ibid.
§. 12. *Damna propriæ voluntatis.* 80
§. 13. *Utilitas solitudinis.* ibid.
§. 14. *Quantum noceant divitiæ, & quomodo illarum amorem compescere oporteat.* 81
§. 15. *De usu divitiarum.* 82
§. 16. *Qui sint pauperes spiritu.* ibid.
§. 17. *Quæ, & qualis sit obligatio faciendi eleemosynam.* 83
§. 18. *Patientiæ necessitas.* 84
§. 19. *Adversitates exercendæ virtutis occasio sunt.* 85
§. 20. *Patienter ferenda quæ quotidie occurrunt.* ib.
§. 21. *Gaudendum in tribulationibus.* 86
§. 22. *Tolerandæ detractiones.* ibid.
§. 23. *Tam propria quàm aliena mala æquanimiter ferenda.* 87
§. 24. *Remedia impatientiæ.* 88
§. 25. *Propria Christianorum virtus humilitas.* ib.
§. 26. *Homo per superbiam à Deo recessit, & ad illum per humilitatem redire debet.* 89
§. 27. *Character superbi.* 90
§. 28. *Incitamenta humilitatis.* ib.
§. 29. *Nihil boni esse in homine, qui caret humilitate.* 91
§. 30. *Qui verè est humilis sibi ipsi intentus, alios non judicat.* ibid.
§. 31. *Veri humilis descriptio.* 92
§. 32. *Oportere humanam voluntatem Divinæ subditam & conformem esse.* ibid.
§. 33. *Omnia de manu Dei accipienda.* 93
§. 34. *Divinæ providentiæ in omnibus acquiescendum.* ibid.
§. 35. *Solum Dei bene placitum optandum est.* 94
§. 36. *Spes salutis nostræ in Deo ponenda.* ibid.
§. 37. *Spiritum, & perfectionem Christianæ religionis in charitate consistere.* 95
§. 38. *De ordine charitatis.* ibid.
§. 39. *De dilectione proximi.* 96
§. 40. *Quis sit modus fraternæ dilectionis.* ibid.
§. 41. *Quæ sit veræ amicitia.* 97
§. 42. *Quæ officia amicitiam concilient.* ibid.
§. 43. *Occasiones exercendæ erga proximum charitatis.* 98
§. 44. *Amandos esse inimicos.* ibid.
§. 45. *Verum bonum amandum.* 99
§. 46. *Amor Dei in quo consistat.* ibid.
§. 47. *Quis sit modus perfecti amoris.* 100
§. 48. *Scientiam practicam, & experimentalem magis conferre ad amorem, quam speculativam.* ibid.
§. 49. *Veram sanctitatem in amore Dei consistere.* 101
§. 50. *Multi sunt vocati, pauci electi.* 102

# VIA COMPENDII AD DEUM,

## Per Motus anagogicos, & orationes Jaculatorias.

*Liber Isagogicus ad Mysticam Theologiam.*

### *Præfatio ad Lectorem.*

MUltùm luctatus sum, Christiane Lector, mecum cogitans, & animo volvens, quidnam potissimùm in hoc vestibulo tecum colloquerer. Diu tamen cogitanti nihil occurrit, nisi ut plurimam tibi salutem ex imis sensibus optem; quæ utinam per hunc librum vera & æterna tibi contingat. In hoc voto sistere satiùs est, quàm te prolixâ præfatione gravare: quidquid enim addidero, quid erit? An favores tuos & laudes captem? Parce, ista non ambio. An tuam saltem benevolentiam exquisitis verborum flosculis conciliem? Hoc non fit verbis, sed mutuis officiis, & beneficiis. An de usu & praxi hujus opusculi documenta præscribam? Congererem inutiliter, quæ infrà suis locis utilius leges. An materiæ utilitatem, & præstantiam extollam? Jam ex titulo & prospectu intellexisti, nihil melius fore, quàm citò ad Deum pervenire. An formam, stylum, & dicendi characterem, quod plerique solent, excusem? Neglexi hæc lenocinia, Manilii versum sequutus, *Ornari res ipsa vetat, contenta doceri.* An studium meum prædicem, & laborem, qui multus fuit? Pietati scripsi, non pompæ. An te de scopo instituti operis præmoneam? Frustra, quia in limine primi capitis descriptus est. An adversus maledicos & obtrectatores tuum implorem patrocinium? Non est necesse, nam sperno, & fugio hoc genus hominum; quod si non effugio, causa Dei hîc agitur, ipse tuebitur, & judicabit. An pro terminis, & phrasibus mysticis præmittam Apologeticon? Nec quidquam, à vocibus enim obscuris abstinui, vel si quas materiâ exigente intermiscui, non mea, sed rerum hæc culpa est, quæ non aliter tractari possunt. An objectiones præoccupem, quibus convelli studium meum potest, & audacia reprehendi? Non admittunt hæ paginæ talem lectorem, qui velit contentionibus deservire, & claresce re inimicitiis. Tum ultrò ipse fateor, me rem sublimem, non meâ, sed alienâ experientiâ edoctum scripsisse; sicut scriptum est, *Credidi propter quod locutus sum.* Addo solatium meum esse de perfectione disserere, instar languentium, qui, cùm vacent à sanitate, de bonis ejus tacere non nôrunt. Denique generosa res est in altum conari. Quæ causa igitur mihi est, ut te sine fructu hic morer? Nulla, nisi ut Deum ames, & ad eum properes, ejusque gratiam mihi concilies, ne in semitâ immobilis hærcam, dum aliis ad metam festinantibus viam ostendo. Vale.

# CENSURA.

*Reverendiss. P. Magistri Fratris Michaëlis de Alcantara Vicarii Generalis Italiæ, & Siciliæ, & Procuratoris Generalis totius Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Sanctæ Inquisitionis in Hispania Qualificatoris, & Sacræ Congregationis Indicis, in Urbe Consultoris.*

JUssu Reverendiss. P. Fr. Raymundi Capizucchi S. A. P. Magistri, Ord. Prædicatorum vidi librum istum, cujus titulus est: *Via Compendii ad Deum*, Auctore Reverendiss. P. D. Joanne Bona de Monte Regali Congreg. S. Bernardi, Ordinis Cistercienſis Abbate generali, ipsumque cum magnâ animi voluptate (utinam fructu) perlegi, & præterquam nihil in eo reperi Catholicæ nostræ Fidei, aut bonis moribus non conforme, judico illum spiritualis vitæ amatoribus utilissimum fore; in eo enim miro modo, ac singulari methodo digestum traditur quidquid in hâc materiâ sparsim congestum est à Sanctis Patribus, & aliis arcanæ hujus Theologiæ Professoribus, quos omnes Bonus Auctor magno studio, ac majori experientiâ percurrisse videtur, ut de illo verificari possit, quod juxta Magnum Gregorium homil. 5. super Ezech. de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicitur Psal. 144. *Memoriam suavitatis tuæ eructabunt:* Eructat equidem, quæ dulciter hausit, & sapienter docet, quæ usu didicit, simulque adeò efficaciter movet, ac jucundè delectat, ut quamplures profectus ex hujus Operis lectione in Dei obsequium sperari possint. Quare dignissimum censeo, ut typis mandetur, ac in lucem prodeat. Romæ in hoc Conventu S. Hadriani Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum die 26. Julii 1657.

*Fr. Michaël de Alcantarâ.*

Imprimatur si videbitur Reverendiss. P. Mag. Sac. Pal. Ap.

*M. A. Oddus Episc. Ierap. Vicesg.*

VIA

# VIA COMPENDII AD DEUM,

## Per Motus anagogicos, & ignitas aspirationes.

### Caput I.

*Scopus, & usus Libri. Proscriptione, & fine ad Deum Oratio. Duplex via, quâ itur ad Deum. Utriusque discrimina.*

1. Vitæ sanctioris viam nosse volentibus brevi compendio indicare propositum mihi est, non meis, sed veterum Patrum monitis, ac documentis. Usus erit hujus libelli, uti spero, non inutilis, nec injucundus. Nam cum plerisque longum iter ad Deum, plenumque sentibus videatur; haurient fortasse animo non modicam voluptatem, cum viam sibi facillimam, sed vulgo ignotam, proponi animadverterint, à qua labor absit, & longitudo. Nec erit hæc via scandalum mihi docenti, & non facienti: nam, ut quidam vir sapiens (a) scribit, *Docens aliquis plus discit, & discens sæpè unà audit cum iis, qui ipsum audiunt: unus est enim magister & ejus qui discit, & ejus qui audit, qui & mentem irrigat, & rationem.* Dirigens ergo pedes aliorum in viam pacis, & ipse incipiam ab omni via mala prohibere pedes meos: & cum perfecero gressus audientium me in semitis Dei; sequar ego, & exultabo sicut gigas ad currendam viam; quæ me ad verticem montis, ad tertium cœlum, ad caliginem, in quâ Deus habitat, recto itinere vel pertrahat, vel perducat.

2. Sed quia socordiâ depressus, & mundi hujus simulacra circumferens assurgere ad eum, qui posuit tenebras latibulum suum, sine ipso non possum; orationem præmittere par est, ut scientiarum Dominus, ductorque viæ ad supernaturalem illapsum, lumenque arcanum cor meum aperire, & mentem elevare dignetur.

Tu Domine, qui corda nosti omnium, dirige me (b) ad mysticorum oraculorum lucidissimum, indemonstrabile, & summum fastigium: ubi simplicia & immutabilia Theologiæ mysteria aperiuntur in caligine splendidissima silentii arcana docentis, quæ in summè tenebricosâ obscuritate clarissimè superelucet, & pulcherrimis splendoribus mentes oculis captas superadimplet. Hic enim est scopus, hæc meta votorum meorum, ad te pervenire principium, & finem meum, & optatissimum centrum animæ meæ.

3. Duplex autem est via, per quam itur ad Deum, ut summi viri (c) asseverant. Unam vocant scholasticam, & communem: alteram mysticam, & secretam. Utraque est donum cœleste desursum descendens à patre luminum, sed multiplex inter utramque intercedit discrimen. Illa humanum studium, & inquisitionem requirit, pauciscque convenit altiori præditis literaturâ: hæc ubique, semper, & ab omnibus haberi potest. Illa speculativa, hæc practica: illa propriè in intellectu, hæc in voluntate sita est. Illa exposita illusionibus, superbiæ, & curiositati, habet unde timeat: hæc tutò ac simpliciter ambulat, nihil quærens præter Deum. Illa naturaliter cum phantasiâ & discursu operatur: hæc supernaturaliter cum purâ & simplici intelligentiâ. Illa à scientiâ acquisita, hæc à donis infusis Spiritus sancti procedit. Illa angusta est limites non



(a) *Clemens Alexandrin. 1. strom.*

(b) *Ex Dionysio Areopag. cap. 1. myst. Theologiæ.*

(c) *Harph. lib. 1. pag. 2. c. 1. p. 48. & lib. 2. p. 3. cap. 30. & p. 5. collat. 1. myst. Theol. Victor. Gelenius in Summa practicâ myst. Theologiæ parte 1. decis. 1. art. 3.*

excedens humanæ speculationis: hæc cor dilatat ad infinita, & omnem modum naturalis cognitionis transcendit. Illa longa, laboriosa, & difficilis: hæc brevis, expedita, & facillima est. Illa ab infimis incipiens, à pravorum scilicet habituum extirpatione, & tumultuantium affectionum moderatione, per studium virtutum, & vitæ activæ officia ad apicem perfectionis ascendit: hæc admirabili circulo ab amore incipiens ad amorem progreditur, & desinit in amore per motus anagogicos, & flammigeras aspirationes. *Est* enim *amor*, ut Plato (d) etiam cognovit, *circulus à bono in bonum perpetuò revolutus*. Illam alibi (e) Deo duce, edocui: hanc breviter hic tradere animus est. Sed iterum ad Deum preces mitto, ut mentem, & manum dirigat, & cor amore inflammet; occulta enim ipsius melius amando, quam ratiocinando intelliguntur, & explicantur.

*Spiritus (f) superùm decus*
*Sancta sidereæ domus*
*Aura labere cœlitus,*
*Aura sacra, ter optimi*
*Dia flaminis aura.*
*Spiritus radians veni,*
*Terror agminis inferi,*
*Efficax hominum salus,*
*Aura sacra, ter optimi*
*Dia flaminis aura.*
*Alma lux sapientiæ,*
*Dulcis hospita mentium,*
*Cordis ardor amabilis,*
*Ima pectoris occupa*
*Igne pectus adure.*
*Fausta nuntia gaudii,*
*Flamma pronuba gratiæ,*
*Sancta lux animi veni,*
*Aura sacra, ter optimi*
*Dia flaminis aura.*

## CAPUT II.

*Viam mysticam duplicem esse activam & passivam. Quid utraque sit. Cupienti ad apicem mysticæ Theologiæ pervenire omnia relinquenda.*

1. OMissâ igitur viâ Scholasticâ de solâ mystica agendum est. Hæc, ut docet Dionysius Carthusianus (a) doctor extaticus, duplex est; activa & passiva. Colligitur hæc divisio ex Magno Dionysio Areopagitâ (b) qui ad Timotheum sic scribit. *Tu verò, care Timothee, in mysticis contemplationibus, intenta exercitatione, & sensus relinque, & intellectuales operationes, & sensibilia, & intelligibilia omnia, & ea quæ sunt & quæ non sunt universa, ut ad unionem ejus, qui supra essentiam & scientiam est, quantùm fas est, indemonstrabiliter assurgas; siquidem per liberam & absolutam, & puram tui ipsius à rebus omnibus avocationem, ad supernaturalem illum caliginis divinæ radium detractis omnibus & à cunctis expeditus eveheris.* Et alibi ita loquitur. (c) *Est item divinissima Dei notitia, quæ per nescientiam accipitur, secundùm illam, quæ supra intellectum est, unionem, quando mens à rebus omnibus recedens, ac demum semetipsam deserens, desuper fulgentibus radiis unitur, quibus in illo inscrutabili sapientiæ profundo collustratur.* Quibus verbis utramque viam attingit, activam, quæ in nostra sita est voluntate, non tamen sine divini auxilii infuso lumine, dum monet Timotheum, ut se disponat ad unionem per omnimodam abstractionem à rebus omnibus, sensus relinquendo, quia non percipiunt quæ sunt spiritus Dei, & omnia objecta sensibilia ac intelligibilia, principia scilicet scientiarum & ratiocinationum; & ea quæ sunt, essentias videlicet rerum immutabiles: & ea quæ non sunt, res nimirum temporales, quæ propter continuam mutationem meritò dicuntur non esse. Sic autem expedito ab omnibus impedimentis futurum pollicetur, ut ad supernaturalem divinæ caliginis radium anagogicè sublimetur, & à Deo trahatur: quia tunc anima divinitùs rapitur, & absorbetur, quæ est via passiva, supponens præviam viæ activæ dispositionem.

2. D. Bernardus hanc duplicem viam tendendi ad divinam unionem his verbis (d) exponit. *Quidam trahuntur, qui dicere possunt; Trahe me post te. Nonnulli ducuntur, qui dicunt; Introduxit me Rex in cellam vinariam. Alii rapiuntur, sicut Apostolus raptus est ad tertium cœlum. Et primi quidem felices, qui in patientiâ suâ possident animas suas. Secundi feliciores, qui ex voluntate suâ confitentur Domino. Tertii felicissimi, qui in profundissimâ Dei misericordiâ, quasi sepultâ arbitrii libertate;*

(d) *Plato in Convivio, ubi docte & suse de Amore.* (e) *In meâ ad Cœlum Manuductione.* (f) *Ex hymo elegantissimo Urbani VIII, ad Spiritum Sanctum.*

(a) *Dionys. Carthus. lib. de fonte lucis art. 14.* (b) *Dionys. Areop. myst. Theolog. c. 1.* (c) *Item de div. nominib. cap. 7.* (d) *Bernard. serm. 2. de Ascensione.*

*tate, in divitias gloriæ in spiritu ardoris rapiuntur, qui spreto ac suppresso adminiculo rerum ac sensuum, non ascensoriis gradibus, sed inopinatis instantaneisque excessibus feruntur in Patrem.* Hæc Doctor mellifluus, qui duos priores dispositioni activæ deputat, tertios passivæ. *Deus itaque sublimis*, verba sunt Excellentissimi magistri Dionysii Cartusiani *(e) Cum viderit mentem hominis spiritualis Zelo justitiæ penetratam, charitate flammigeram, puritate ac omni virtute fulcitam, ad divina fortiter aspirantem, mox dignantissime, exuberantissimè, amorosè, ac frequentissimè ei occurrit, succurrit, cooperatur, seque ei communicat, manifestat, infundit, eam ad se elevat, intrà se rapit, deosculatur, amplectitur, atque se ei intuendum, gustandum, fruendum offert ac exhibet, habetque complacentiam magnam in eâ, & tanquam amicam ac sponsam apprehendit, fœcundat, & sibi adstringit.*

3. Tunc verò animæ nostræ suprema portio ad Dei receptionem parata erit, ut in speculo æternæ salutis summus rerum divinarum contemplator Rusbrochius *(f)* admonet, cum fuerit prorsus nuda, & formis seu imaginibus vacua, in suum semper principium intuens. Sed quia ad hoc, teste D. Bonaventura *(g)* nihil potest natura, modicum potest industria; parum dandum est inquisitioni, multum unctioni; parum verbo & scripto, totum Dei dono. Moriamur ergò, & ingrediamur caliginem, imponamus silentium solicitudinibus, concupiscentiis, & phantasmatibus: transeamus cum Christo crucifixo ex hoc mundo ad Patrem, ut eo viso dicamus cum Philippo *(h) Sufficit nobis. Hæc est vera vita*, ita Plotinus *(i) fuga solius ad solum.* Sed melius de nostris propono. *Relinque hominem, Angelum, cœlum*, inquit Taulerus *(k) & ipsum essentiale bonum, ipsam essentialem veritatem cape nudè in se ipsa; nam quidquid apposueris, hoc ipsum tegit & excludit unitatem.* Platonici, quos phrasibus & verbis Dionysii Areopagitæ sæpissimè uti S. Maximus *(l)* affirmat, nihil frequentius docent, quam nos debere omnia relinquere, ut ad Deum ascendamus. Hinc Plato in Phœdone Philosophiam esse docet animi à corpore avulsionem, à corporeis scilicet affectionibus separationem. Eamdem veritatem cognoverunt Pythagorici, quorum unus, cujus magisterio se subdiderat Justinus Martyr *(m)* sic ipsum hortabatur; *An putas te percepturum quidquid ad felicitatem pertinens, nisi prius animam à rebus sensibilibus ad intelligibiles traductam reddas aptam virtuti, ipsiusque summi boni contemplationi?*

4. Hæc est vera sapientia à fonte omnium bonorum beatissima emanatione procedens, ac mentibus Sanctorum divinitus illapsa, qua perfusa anima, non Dei dona, sed ipsum largitorem scintillantibus affectionibus, insatiabilibus votis, unitivis aspirationibus desiderat; & ad eum suspirat, donec obtineat. Huc suspirabat Propheta *(n)* cum dicebat. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Quod si quæras, ubi vera sit requies, subjungit, *Ecce elongavi fugiens, mansi in solitudine.* Verbum namque sempiternum non nisi in solitudine profertur, in eâ inquam solitudine, ubi homo & à seipso, & ab omni multiplicitate relictus, desertus & exul effectus est. Propria Sanctorum est hæc solitudo, quorum hæc sunt verba apud Tertullianum. (o) *Ego nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo: nihil officio advigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria observo, cancellos non adoro, subsellia non contundo, jura non conturbo, causas non latro, non judico, non milito, non regno. Secessi de populo: imò unicum negotium mihi est, nec aliud nunc curo, quam ne curem. Erat olim ista sententia: Nemo alii nascitur, morituros sibi. Certè ad Epicuros & Zenones ventum est: sapientes vocas totum quietis magisterium, qui eam summæ atque unicæ voluptatis nomine conservavere.*

(e) *Cartus. de fonte lucis art.* 16. (f) *Jo. Rusbroch. in speculo æternæ sal. cap.* 8. (g) *Bonavent. Itinerar. mentis cap. ult.* (h) *Joan.* 14. 9. (i) *Plotinus in fine libri ult.* (k) *Jo. Taulerus serm.* 3. *pasch.* (l) *Maximus prologo in opera Dionysii.*

## Caput III.

*Mystica Theologia quid sit? Quomodo differat ab aliis scientiis? An cognita fuerit antiquis Platonicis? Ejus principium & scopus.*

1. Hac viâ quietis, secessus, & abstractionis pervenitur ad mysticam Theologiam, ad illam videlicet indoctam sapientiam omni sapientiâ humanâ superiorem, quâ mens Deum suum sine discursibus agnoscit, & quasi contrectat, & sine ratiocinationibus gustat. Est autem mystica Theologia secretissima mentis cum Deo



(m) *Justinus martyr initio Colloq. cum Triphone.*
(n) *Psal.* 54. 7. (o) *Tertullianus de Pallio.*

locutio. (a) Est animi extensio in Deum per amoris desiderium. (b) Est motio anagogica in Deum per purum & fervidum amorem. (c) Est cælestis quædam Dei notitia per unionem voluntatis Deo adhærentis elicita, vel lumine cœlitùs producta. (d) Est sapientia experimentalis, Dei affectiva divinitùs infusa, quæ mentem ab omni inordinatione puram per actus supernaturales fidei, spei, & charitatis cum Deo intimè conjungit. (e) Alias alii definitiones tradunt, quæ cum prædictis coincidunt. Res enim abstrusa & difficilis, ac prorsus divina certis finibus circumscribi nequit, & Dialecticorum regulis concludi.

2. Liquet ex his, Theologiam mysticam non esse propriè scientiam, pro ut scientia est habitus acquisitus: sed si accipiatur pro actu, nihil aliud est, quam ipsa mentis in Deum defixio, admiratio majestatis, suspensio animi in lumen immensum ac æternale, ferventissima, quietissima, ac transformativa inspectio Deitatis; si verò sumatur pro habitu, realiter idem est ac præstantissimum donum Spiritus S. quod sapientia nuncupatur, secundùm altissimum ejus gradum. (f)

3. Differt à Theologiâ Scholasticâ, & symbolicâ, quia scholastica è caliginosis fidei orthodoxæ principiis sua deducit asserta: symbolica figuratas de Deo locutiones explanat: hæc puris quibusdam & tranquillis obtutibus sine rationis satagentis excursibus divinæ sapientiæ arcana dignoscit. Per scholasticam discit homo rectè uti intelligibilibus, per symbolicam sensibilibus, per hanc rapitur ad supernaturales excessus. Scientiæ humanæ in valle phantasiæ discuntur, hæc in apice mentis. Illæ multis egent discursibus, & erroribus subjectæ sunt: hæc unico & simplici verbo docetur & discitur, & est merè supernaturalis tam in substantiâ, quàm modo procedendi.

4. Multa quidem de Platonicis legimus, quæ primo aspectu persuadere videntur, eos mysticæ Theologiæ non omnino expertes fuisse: Eunapius enim in vitâ Jamblichi scribit, eum aliquando decem cubitis à terrâ elevatum fuisse: & Porphyrius in vitâ Plotini mira de ipsius contemplatione scribit: Proclus quoque in libris de Theologia Platonis, & ipse Plotinus passim multa tradunt de mentis excessu, & de abstractione à rebus sensibilibus sapientiæ nostræ placitis haud dissentanea. Auctor item divinæ sapientiæ secundum Agyptios sic de seipso loquitur: (g) *Ego sæpius animo contemplans relicto corpore visus sum perfrui summo bono cum voluptate incredibili.* Sed, ut Taulerus observat, (h) quidquid isti fecerint, vel dixerint, nunquam terminos naturæ transcenderunt. Magna enim & subtilissima ingenia ita phantasmata extenuare potuerunt, ut species intelligibiles, quæ inde abstrahebantur, vix cum aliquâ tenui umbrâ sensibilitatis sua objecta repræsentarent. Quod si acuto ipsorum intellectui in rerum sublimium contemplatione occupato phantasmata se ingerebant, ipse intellectus se altius elevabat, & phantasmatum nubes, ut ita dicam, infra se despiciebat. Hoc autem quomodo fiat, res admodum obscura est. Fromundus Libertus, (i) qui de hâc re acutè, ut solet, disputat in suâ Philosophiâ Christianâ, fieri hoc autumat beneficio cujusdam lucis interioris, de quâ Valerianus Magnus Fromundo non visus doctè sed obscurè disserit duplici libello de luce mentium. Verum de hâc quid sentiendum sit, alibi nos fusius Deo favente. Nam de Platonicis posterioris ævi certissimum est, quod Augustinus scribit, (k) eos rerum magicarum curiositate depravatos fuisse. Antiquiores autem spiritu superbiæ inflati, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, frigidi speculatores facti, sine fide & charitate.

5. Porrò mysticæ Theologiæ principium est ipsa essentia bonitatis, rerumque omnium causa supereſſentialis Trinitas, à quâ per bonitatis redundantiam in nos effluxit, cum inæquali tamen participatione ob diversam hominum aptitudinem, & multorum repugnantiam, cum divinis illustrationibus. Dicimus itaque cum sanctissimo Dionysio (l) *Dei principalem beatitudinem, naturam Divinitatis, principium Deificationis, ex quo Deificandi deificantur, mysticam Theologiam in salutem & Deificationem hominum concessisse, modo scilicet magis immateriato, & spiritaliori, non extrinsecus ad divina movendo, sed intelligibili ratione atque intrinsecus purâ liquidâque illustra-*

(a) *Dionys. Carthus. super Dionys. myst. Theolog.* (b) *Jo. Gerson. de myst. Theologia speculat. Consid.* 28. (c) *Idem Gerson. ibidem.* (d) *Joannes à Jesu Maria myst. Theologiæ cap.* 1. (e) *Balth. Corderius Isag. ad myst. Theologiam Dionysii Areopag. cap.* 2. (f) *Cartus. sup. myst. Theolog. Dionys. qu.* 5. *art.* 5.

(g) *Auct. div. sap. secund. Ægyptios lib.* 1. *c.* 4. (h) *Tauler serm.* 2. *de S. Joanne Baptista.* (i) *Fromund. philosophia christiana de Anima lib.* 4. *cap.* 4. *art.* 6. 7. *& seqq.* (k) *Augustinus epist.* 56. *& Confess. lib.* 10 *cap.* 42. (l) *Dionys. Eccles. Hierarchiæ cap.* 1.

*stratione divinissimam iis voluntatem irradiando.* Et hic scopus hujus sapientiæ est erga Deum & res divinas continua dilectio, cognitio Dei perfectissima, & simplicis perfectionis ejus divina participatio atque fruitio, quæ Dei contemplatorem spiritali modo reficit, ejusque animam modo prorsus ineffabili arctissimè cum Deo unit, & deificat. In ipso siquidem vis quædam superhumana reperitur & operatio Divinitatis, à quâ mens deificanda sacris mysticis initiatur, & theodidactis mystagogiis eruditur. Sed videndum, quomodo possit mortalis homo ad hæc sublimia & divina mysteria propriis actibus disponi.

## Caput IV.

*Quæ sint dispositiones ad mysticam Theologiam? Quæ ejus impedimenta? Qui ad ipsam discendam incapaces, qui magis idonei? Oratio, & gratiarum actio.*

1. Axioma certissimum est apud scholasticos, debere dispositionem ejusdem ordinis esse cum formâ, ad quam disponit: quare cum supra dictum sit, mysticam Theologiam esse omnino supernaturalem, hinc evidentissimâ consecutione deducitur, prærequiri ad ipsam statum quendam supernaturalem ipsi proportionatum. Neque enim fas est, teste Dionysio (a) mysticis Theologis quidquam operari, quod divinis inspirationibus vel minimùm repugnet, imò nec iisdem dissentire, si divinam appetant claritatem, & ad hanc sanctè, sicut decet, aspirent. Continuâ igitur in rebus omnibus mortificatione opus est, ut secum ipse non dissideat, nec divisus sit, qui ad unum colligi cupit. Propterea pauci sunt viri spirituales, & religiosi, qui hujus mysticæ sapientiæ notitiam habeant; quia, ut optimè observat Jacobus Alvarez (b) pauciissimi sunt, qui se ipsos fortiter abnegent, & perfectè mortificent.

2. Actus deinde supernaturales prærequiruntur fidei, spei, & charitatis, quibus mens immediatè Deum attingit: & fides quidem intellectum, spes memoriam, charitas voluntatem mysticè perficit & informat, uti pulchrè ac diffusè exponit Ven. Pater Joannes à cruce in suis divinissimis libris de Ascensu montis Carmeli, de nocte obscurâ, & de vivâ amoris flammâ. His accedat necesse est magnum, fervens, & insatiabile desiderium assequendæ perfectionis, sicut dicit Sapiens (c) *Hanc amavi & exquisivi à juventute meâ, & quæsivi sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius. Absque dubio enim*, ait Richardus (d) *sine ingenti exercitio, sine frequenti studio, sine ardenti desiderio ad perfectam scientiæ hujus altitudinem mens non sublevatur.*

3. Joannes Taulerus (e) rerum mysticarum expertissimus sex homini observanda præscribit, ut ad culmen perfectionis pertingat. Tria quò ad exteriora, totidem quò ad interiora: nempe ut vestes, & omnia exteriora illius simplicia sint, quibus nemini placere appetat, nisi Deo: ut verba illius sint succincta, necessaria, & de rebus divinis: ut in omni ejus externâ actione nihil appareat, quod possit offendere intuentes. Deinde quò ad interna necessarium est, ut Deum solum purissimâ intentione quærat: ut, quidquid illi eveniat, imperturbabilem animi pacem retineat. Antonius Monelia (f) Ordinis Minorum vir magnus inter Mysticos, sed ferè incognitus, sex esse catenas docet, quibus ligatur anima, ne ad mysticam Theologiam ascendat. Prima est negligentia circa spiritualia, quia homo non vult se exercere & mortificare: secunda, evagatio sensuum: tertia, curiositas intellectûs circa scientias: quarta, inordinatus amor erga temporalia: quinta, impuritas in operationibus: sexta, occupatio circa exteriora. D. Bernardus (g) quatuor enumerat hujus ascensûs impedimenta his verbis: *In hoc arcanum, in hoc sanctuarium Dei, si quem fortè vestrum aliquâ horâ sic rapi, & sic abscondi contigerit, ut minimè avocet, aut perturbet vel sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certè quæ difficilius amoventur irruentia imaginum corporearum phantasmata; poterit quidem hic, cum ad nos redierit, gloriari & dicere, Introduxit me Rex in cubiculum suum.* Est autem sensus egens nimis exigens sensualitas, quæ inordinatis affectuum motibus nos exagitat: cura pungens, rerum temporalium solicitudo: culpa mordens, pravæ conscientiæ stimulus: irruentia denique phantasmata sunt rerum sensibilium, & corporearum imagines, quas vocat Augustinus (h) animæ nostræ plagas per sen-

(a) *Dionys. cap. 3. cælestis Hierarchiæ.* (b) *Jacobi Alvarez tom. 2. de vita spirit. lib. 2. par. 1. c. 11.*

(c) *Sap. 8. 2.* (d) *Richard. de præparat. ad contempl. c. 79.* (e) *Taulerus epist. 29.* (f) *Anton. Monelia in myst. Theolog. Dionys. c. 1.* (g) *Bernardus serm. 23. in Cant.* (h) *August. epist. 72.*

sensus inflictas. Hæc omnia abdicanda, & extirpanda prorsùs sunt, ut Deum inveniamus. *Quamdiù enim*, ait Richardus (*i*) *consolationem ab aliquâ creaturâ accipimus, nondum Dilectum perfectè tenemus.* Quando autem tales fuerimus, ut nihil prorsùs terrenorum nos delectet, eodem momento, eodem puncto temporis videbimus quod cupimus, ut promittit Augustinus (*k*)

4. Cum tot igitur dispositiones ad mysticam Theologiam sint necessariæ, libet hîc vetere ritu proclamare, Procul hinc, procul este profani. Nam & Dionysius (*l*) monet Timotheum, ut caveat, ne quis eorum hæc audiat mysteria, qui rebus adhærescunt, & nihil ultra naturalia supernaturaliter esse imaginantur: qui materialibus rebus immersi nondum per studium mortificationis, & exercitium virtutum animi candorem acquisiverunt: qui ambulantes in mirabilibus super se arcana Dei sua cognitione se posse percipere arbitrantur. His meritò occinimus cum Christiano Poëta (*m*)

*En adest Deus, impios*
*Hinc procul procul arceo.*
*Invisum superis genus,*
*Hinc abite profani.*
*Fumus ut fugit: obvia*
*Cera cedit ut ignibus:*
*Sic, intrante Deo, procul!*
*Hinc abite profani.*

Cæterùm hæc sapientia citiùs ac sublimiùs Idiotis simplicibus, qui nihil aliud quam salutem in timore & tremore curant, quam magnis & eruditis Theologis conferri solet, nisi & ipsi toto mentis affectu studeant humilitati. Ita scribit vir eximius Bartholomæus de Martyribus Bracharensis Archiepiscopus (*n*) Et Bernardus de hâc re sermonem habens sic exclamat (*o*) O *quisquis curiosus es scire quid sit hoc Verbo frui, para illi non aurem, sed mentem: non docet hoc lingua, sed gratia: absconditur à sapientibus & prudentibus, & revelatur parvulis.* Similia docent alii plures sapientissimi viri (*p*) Bonaventura, Gerson, Victor Gelenius, Constantinus de Barbanson, Franciscus Suarez. Atque idem confirmant scriptis suis, & exemplo sanctæ ac Theodidactæ mulieres, tres Catharinæ Senensis, Genuensis, & Bononiensis; Angela de Fulgineo, Gertruda, Mechtildis, Brigidda, Baptista Vernacia, Teresia à Jesu, & aliæ plures.

5. Ita nimirum, æterne Deus, rex cœli, & terræ, ita fuit placitum ante te. Tu enim superbis resistis, & humilibus das gratiam, & cum simplicibus sermocinatio tua. Confiteor tibi, Domine, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Non sic illuxisti inflatis cordibus sapientum hujus sæculi, sicut luces in mente parvulorum, & humilium humum deferentium. Verè tu es Deus absconditus, & lucem habitas inaccessibilem, sed lucem tuam copiosè illis & amanter communicas, qui JESUM crucifixum corde & corpore exprimentes animam expurgârunt ab omni labe ac sorde voluptatum. Penetrâsti animam illorum profundiùs & vitaliùs quam soleas, cum solam mentem ignotus irradias, jejunâ voluntate. Penetrâsti intimè, & intelligibili tui contractu experti sunt quam suaviter mulces, & mirabiliter imples hanc immensam mentis nostræ capacitatem. Tum ex abundantiâ cordis eructârunt verba, verba utique bona, dulciora super mel & favum; ex quibus didici veram sapientiam, quæ non reperitur in siccis, & insulsis libris inanium Philosophorum, qui narrant mihi fabulationes, sed non ut lex tua. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.

(*i*) *Rich. lib. 4. de contempl. c. 16.* (*k*) *Aug. lib. 1. Soliloq. de cognit. Dei & animæ c. 14.* (*l*) *Dionys. c. 1. myst. Theologiæ.* (*m*) *Franc. Montmorentius in Paraphrasi psalmi 67.* (*n*) *Bart. de Martyrib. Compend. doc. spiritualis par. 2. c. 18 §. 3.* (*o*) *Bernard. serm. 85. in Cant.* (*p*) *Bonav. de processu Relig. Gerson. de myst. Theologia Specul. Gelenius in praxi myst. Theol. p. 1. decis. 1. art. 5. & dec. 10. art. 2. Barbanson in semitis occultis divini amoris. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 2. de orat. c. 10.*

## CAPUT V.

*Quid sit unio mystica? Quomodo fiat? Qui ejus effectus? Quid incapacibus, & ignaris conferat lectio mysticæ Theologiæ. Transitus ad Aspirationes.*

1. EO tendunt omnia, quæ de mysticâ Theologiâ scribuntur, ut animam perducant ad intimam cum Deo unionem, in quâ medulla hujus sapientiæ, & summum ejus arcanum consistit. Non est autem hæc unio localis, sive præsentiæ, quâ Deus ubique est, nihil se vacuum relinquens propter suam immensitatem. Non est unio per gratiam sanctificantem, quâ anima à peccatis emaculata in Dei amicitiam restituitur, fitque divinæ consors naturæ. Non est unio

unio per charitatem, de quâ scriptum est. (a) *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Prima enim harum unionum convenit etiam rebus inanimatis: secunda omnium justorum est, & puerorum ante usum rationis: fiuntque istæ in substantiâ animæ: Tertia communis est omnibus probis, qui Deum quidem ardentissimè diligunt, sed dono contemplationis, & mystica unione carent. Est igitur alia unio felicissima & arcana, inexpertis impervia, & difficilis explicatu, quæ fit in potentiis animæ, intellectu scilicet & voluntate; istæ enim Deum attingunt, & illi conjunguntur actionibus propriis vitalibus: atque in istâ unione summa felicitas vitæ hujus consistit, & quædam futuræ gloriæ prægustatio. De hac unione non est meæ imbecillitatis fusiùs differere: immundis enim & impuris divina attingere nefas. Legat, qui dignus fuerit, uberrimè de illa differentem virum doctissimum, & quasi alterum Hierotheum divina patientem, Thomam a Jesu (b) qui sanctorum Patrum de eâ, omniumque Mysticorum doctrinam affert, multa addens ex propriâ experientiâ.

2. In hâc unione clarissimâ luce sapientiæ perfusus intellectus Deum respicit; ut quoddam totum, in quo est omne bonum, ita ut ab eo in aliud diverti nequeat: voluntas autem ardentissimo amore constringitur, qui instar ignis erumpens omnia quodammodo absumit, ita ut anima jam in se non vivat, neque actionibus naturalibus intendat, sed toto affectu in eum transeat, cui arctissimo amplexu conjungitur. Ambæ verò potentiæ in vastissimam Divinitatis solitudinem, ut ita dicam, introducuntur, ubi Pater cunctis imaginibus nudans intellectum supra rationem nos evehit. Filius verò vacuum intellectum infinitâ claritate perfundit: sanctus autem spiritus immenso ardore inflammans voluntatem, omnes affectus nostros secum conglutinat, quia nimirum id, quod mortale in nobis est, à vitâ immortali absorbetur. Hîc dicit anima, *Bonum est nos hic esse*, hic introducitur in cellam vinariam, ubi læta bibit sobriam ebrietatem spiritus: hic canit epithalamium dicens (c) *Dilectus meus mihi, & ego illi. Vivo ego*, (d) *jam non ego, vivit verò in me Christus.* Defluit hic amans anima, deficitque à seipsâ, & velut ad nihilum redacta in abyssum æterni amoris collabitur: ubi sibi mortua vivit in Deo, nihil sciens, nihil sentiens præter amorem. Perdit enim se in divinâ caligine, sed sic se perdere invenire est.

3. O sanctam illam animam, quæ à Deo singulariter visitata, & supra omnia creata, supraque omnem operationem elevata, mediante mysticâ unione in Deum transformatur! Quàm benè illi conveniunt verba illa sapientis, (e) *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa?* Cùm enim felicissima unio sit amplexus, & degustatio summi boni; omnia bona ab ipsa, quasi rivuli à fonte, in animam derivantur. Hinc (f) decor, & pulchritudo, & Spiritus sancti charismata, quibus mirabiliter exornatur. Hinc splendor lucis, & præfulgida illustratio, ardorque amoris, & suavitas ineffabilis. Hinc contemptus rerum omnium terrenarum, & insatiabile cœlestium desiderium. Hinc perfecta Christi imitatio, & ex redundantia spiritus exultatio sensuum, & corporis admirabilis transmutatio. Hinc animæ annihilatio coram Deo, & mystica mors: hinc fervor, languor, liquefactio, ebrietas spiritualis, silentium internum, osculum Verbi, ecstasis, raptus, suspensio & alia multa, quæ libens prætermitto, quia de his sola unctio illos docet, qui digni sunt experiri.

4. Altissima quidem sunt hæc mysteria, & super communem hominum captum; sed ut optimè ait Plato, (g) *De rebus divinis credendum est filiis Dei, etiamsi nullas afferant rationes.* Res sublimes & arcanas, quod sibi notæ non sint, quasi falsas aspernari, fidemque abnegare spectatissimæ probitatis viris, cùm de divinis perceptionibus ex propriâ loquuntur experientiâ, stultorum est, & impiorum. Nec ideo inutiles æstimandi sunt, aut prorsus abjiciendi Mysticorum libri, quod sublimia tractent, & mirabilia super nos; nam hoc saltem ex illis discimus, quam longè adhuc versemur à culmine Christianæ perfectionis, nondum digni, qui cum Moyse in caliginem ingrediamur. Narrat Gulielmus Abbas S. Theodorici, (h) sibi infirmo in Monasterio Clarevallensi S. Bernardum etiam infirmum moraliter exposuisse Canticum Canticorum: *In quo*, inquit, *cum benignè & sine invidiâ exponeret mihi, & communicaret sententias intelligentiæ, &*



(a) *Joannis* 4. 16. (b) *Thomas à Jesu lib.* 4. *de divina oratione per totum.* (c) *Cantic.* 2. 16. (d) *Galat.* c. 2. v. 20.

(e) *Sap.* 7. 11. (f) *De his omnibus diffusè Harphius, Rusbrochius, Taulerus, Carthusianus, Ludovicus Blosius, & alii mystici.* (g) *Plato in Timæo.* (h) *Guliel. in vitâ S. Bern. l.* 1. c. 12.

*sensûs experientiæ suæ, & multa docere niteretur inexpertum, quæ non nisi experiendo discuntur; & si intelligere non poteram adhuc, quæ apponebantur mihi; plus tamen solitò intelligere me faciebat, quid ad ea intelligenda deesset mihi.*

5. Hîc fisto. Voces enim audio plenas querelarum, quibus à legentibus interpellor. Et ubi, [inquiunt] Via compendii ad Deum, quam te initio hujus tractatus ostensurum promisisti? Hactenus de mysticâ Theologiâ, & de unione cum Deo asseruisti, opus proponens difficillimum, iter arduum, & altissimum fastigium humanis viribus inaccessibile. Unde meritò illud Psalmographi (i) quisque nostrum usurpare potest, *Mirabilis facta est scientia tua ex mè, & non potero ad eam.* Quomodò enim terrenus homo terram despicere poterit, cœlum conscendere, Angelorum choros transcendere, ad Dei solium accedere, quidquid est humanum exuere, Deo intimè uniri? Libenter quidem ista legimus, & audimus; sed tam arduò operi nos accingere, humana fragilitate vires denegante, non audemus. Rectè ista; si sola hominum imbecillitas attendatur: malè, si divinæ gratiæ efficaciam adjuvantem respiciamus. Adest hæc omnibus, qui à Deo præventi iter ad ipsum aggrediuntur. Aderit & mihi viam docenti, datamque fidem liberanti.

6. Dico igitur, viam compendii ad Deum, ad culmen mysticæ Theologiæ, ad intimam cum Verbo unionem esse motus Anagogicos, & exercitium aspirationum. Testes hujus dicti affero omni exceptione majores. Primus est Joannes à Jesu Maria Carmelita excalceatus, qui ita scribit. (k) *Concors omnium, quos legerim, sententia est, ad altissimam Dei cognitionem & sensum, sive experimentum, aspirationum exercitio ita animam erigi, ut, si hoc Angelicum exercitium miris laudibus celebratum, cæteris omnibus antepositum frequentet, plurimùm proficiat. Habet enim tam egregiam vim excitandi, & divinis flammis urendi, ut hoc unum idoneis circumstantiis septum, & studio virtutum armatum, ad summam Christianæ vitæ perfectionem & puritatem corda nostra perducat. Quamvis enim dona Dei sint unio, raptus, fruitio, revelatio, & illa indulgentissimi Dei interna blandimenta, & solis conatibus nostris, quantumvis nervosis, illa non producamus; at certè animæ sese idoneè ad eas nuptias ornanti & comparanti munificentiùs, quàm cogitare valeat, indulgentur.* Hæc Joannes, cui alterum adjungo ejusdem instituti Thomam à Jesu (l) *Si Sanctorum Patrum*, inquit, *aliorumque Mysticorum, qui hanc viam experti sunt, sententiæ credendum est, nullam compendiosiorem viam, nullumve alium in Deum assurgendi modum facilioré ac nobiliorem eo invenies, quem sapientiam unitivam, sive amorem unitivum Mystici appellant, qui in motibus anagogicis sive aspirationibus, quibus cor enititur ad Deum assurgere, ac illi avidissimè adhærere, consistit.* Possem paginas latè implere aliorum testimoniis hanc veritatem confirmantium, præsertim Bonaventuræ, (m) Henrici Harphii, (n) Joannis Gersonis, (o) Dionysii Cartusiani, (p) Constantini de Barbanson; (q) sed pro indicta mihi brevitate duo proposita sufficient.

(h) *Guliel in vita S. Bern. lib. 1. c. 12.* (i) *Psal. 138: 6.* (k) *Joannes à Jesu Maria myst. Theolog. c. 9.*

(l) *Thomas à Jesu de div. orat. li. 4. c. 20.* (m) *Bonav. c. 3. myst. Theologiæ ipsi adscriptæ, qua est Henrici de Palmâ.* (n) *Harphius myst. Theolog. lib. 2. initio p. 5.* (o) *Gerson, in myst. Theologiâ.* (p) *Cartusian. lib. de fonte lucis.* (q) *Barbanson in semitis occultis par. 1. c. 5. & p. 2. c. 3. & Joannes Lanspergius initio pharetræ.* (a) *Jamblichus de vita Pythag. c. 28.* (b) *Antonius Abbas epist. 18.*

## CAPUT VI.

*Aspirationes, motus anagogici, Orationes jaculatoriæ quid sint? Sententiis, & exemplis Sanctorum Patrum approbantur. De illarum præstantiâ, & utilitate.*

1. ABaridem Hyperboreum Pythagoræ ævo nobilem, & famosum habuisse ferunt aureum telum, quo vectus, ut poetico Pegaso, celeriter per aerem volitabat, unde dictus est Æthrobates, scandens per æthera, ut refert Jamblicus in vitâ Pythagoræ. (a) Sed quod genus aurei teli potentius est, quam alatæ & ignitæ Aspirationes, quæ devotam animam momento in cœlum efferunt, & penetrant usque ad thronum Divinitatis? *Anima in qua habitavit ignis Dei*, ait Magnus Antonius Abbas, (b) *Similis est avi duabus præditæ alis, quibus volat, & sursum per cœli aera elevatur. Etenim avi præ omnibus creaturis alæ peculiares sunt: alæ verò animæ Domino obsequentis sunt virtus ignis Dei, quibus ad cœlum sursum volare valet. Si autem his caruerit alis, minimè sursum elevari in aera poterit,*

*poterit, cùm sit illius ignis expers; similisque erit avi suis spoliatæ alis, quæ volare nequit.* Hæc Antonius, qui suprà jam dixerat causam ascensionis Sanctorum ad Cœlum fuisse ignem invisibilem, calorem scilicet accensum in cordibus eorum. Hoc enim igne deficiente, nemo ad cœlum aspirare, necdum ascendere valet.

2. Sunt autem Aspirationes brevissimæ quædam Orationes, sive mente solâ, sive mente simul ac ore conceptæ, atque prolatæ, quibus debet fidelis anima in quovis loco & tempore assuescere, & frequenter incumbere, cor suum & voluntatem ad Deum erigens die ac nocte, domi & foris, sedens & ambulans, in quovis negotio, in quâvis actione, & occupatione. Scriptum est enim (c) oportere semper orare, & nunquam deficere, sed quia instabilitas naturæ nostræ, corporis cura, & aliæ occupationes sæpè nos distrahunt, hæc Angelica aspirationum exercitatio perpetuitatem orationis compensat. Fiunt quidem in momento, & transeunt, sed jugiter permanet earum fructus, & continuatur oratio continuatione boni desiderii in charitate fundati: bonum autem desiderium semper orat, quia semper clamat ante Deum sinceri amoris affectus. Beati in cœlô nunquam cessant ab actuali amore, & cognitione Dei: nos verò hanc felicitatem continuis aspirationibus æmulamur, dicentes cum Apostolo, (d) *Nostra conversatio in cœlis est.* Oratio enim est ascensus spiritus ad Deum; (e) *Per quem ascensum:* ait S. Joannes Chrysostomus, (f) *societatem effugimus, quam cum brutis animantibus habemus, & cum Angelis copulamur.* Vocantur aspirationes, quia illis aspiramus ad Deum; & per eas verò aspirat Deus conatibus nostris: dum verò ad Deum aspiramus, nil nisi Deum spiramus; & per easdem fervor charitatis, non minùs quam vita corporis aëris aspiratione, sustinetur. Motus quoque Anagogici, id est sursum ducentes, nuncupantur, quia illis à rebus terrenis abducimur, & ad superna levamur, ac tandem ad beatam cum Deo unionem evehimur. Dicuntur orationes jaculatoriæ, quia instar jaculorum & sagittarum velocissimè transeuntium in cor divinum tanquam in scopum jaciuntur, ut ab eo dona cœlestia obtineamus. Affectus denique appellantur, quia sunt affectiones cordis, & desideria, ac proposita voluntatis: nihilque aliud est Aspiratio, ut eam Gelenius (g) diffinit, præterquam expeditus affectus erga Deum, ut summum bonum.

3. De his plura Sanctorum Patrum documenta habemus, & exempla. Augustinus ad Probam. (h) *Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, & raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm necessaria est, per productiores mores evanescat, atque hebetetur intentio.* Cassianus instituta Monachorum describens (i) *Utilius censent breves orationes, sed creberrimas fieri. Non enim multitudine versuum, sed mentis intelligentiâ delectantur.* Et in collationibus (k) *Frequenter sed breviter orandum est, ne immorantibus nobis inferere aliquid cordi nostro insidiator possit inimicus.* Chrysostomus ad populum Antiochenum: (l) *Breves & frequentes orationes fieri Christus, & Paulus præceperunt parvis ex intervallis. Nam si sermonem in longum extenderis, in negligentiam frequenter lapsus multam diabolo subrependi facultatem dederis, & supplantandi, & abducendi cogitationem ab his quæ dicuntur. Si verò continuas & crebras orationes facias, totumque tempus interpolans frequentiâ, facile poteris modestiam exhibere, & ipsas orationes cum multâ facies solertiâ.* Ælredus Abbas: (m) *Hæc devota suspiria jam gratiosa sunt in oculis ejus, qui scrutatur renes & corda, ut non possit diù abscondere multitudinem dulcedinis suæ, quam abscondit timentibus, & diligentibus se.* Guilielmus Abbas S Theodorici: (n) *Hauriendus est sæpè de lectionis serie affectus, & formanda oratio, quæ lectionem interrumpat, & non tam impediat interrumpendo, quam puriorem continuò animum ad intelligentiam lectionis restituat.* Hujusmodi oratiunculas rectè appellat Tertullianus, (o) *Orationes sine agmine verborum:* & Abbas Isaac apud Cassianum (p) eas commendat tanquam verum sacrificium, pingues hostias, pura libamina, holocaustomata medullata. *Sunt enim,* teste B. Laurentio Justiniano, (q) *opus spiritualis arcus, sagittæ contra adversarios directæ, ignitæ*

(c) *Luc.* 18: 1. (d) *Ad Philip.* 3: 20. (e) *Damascen. lib.* 1. *de fide orth. c.* 14. (f) *Chrysostom. de orando Deum lib.* 1.

(g) *Gelenius parte.* 1. *decis.* 6. *art.* 1. (h) *August. epist.* 121. (i) *Cassian. lib.* 2. *Instit. c.* 10. & 11. (k) *Idem collat.* 9. *c. ult.* (l) *Chrysost. hom.* 79. *ad populum.* (m) *Ælredus homil. de duob. discipulis* (n) *Gulielmus Abbas S. Theodorici in ep. ad Fr. de monte Dei inter opera D. Bernardi cap.* 10. (o) *Tertullianus de orat. cap.* 1. (p) *Cassian. Collat.* 9. *cap. ult.* (q) *Laur. Justinian. de inter. conflictu c.* 10.

*ignita vota, quæ à Christi militibus in cœlum corde tacito destinantur; eminùs feriunt, celeriter emittuntur, hostem non sinunt propiùs accedere, & ascensorem frequenter unico prosternunt ictu.* Rursum Chrysostomus: (r) *Dic in mente misere mei Deus, & absolvisti precationem; qui enim dicit, Miserere, confessionem offert, & peccatum suum agnoscit, quia lapsorum est misericordiam requirere. Qui dicit, Miserere mei, remissionem delictorum accepit: qui enim misericordiam consecutus est, non punitur. Qui dicit, Miserere mei, regnum cœlorum obtinuit: quem enim Deus miseratur, non à pœnâ solùm liberat, sed futurorum etiam bonorum possessione dignatur.*

4. Porrò hunc orandi modum exemplo suo nos Christus Salvator edocuit. In horto enim iterabat hæc verba: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Et in Cruce magnos sustinens cruciatus aliquam interdum ex his aspirationibus ardentissimo fervore jaculabatur, dicens; *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Deinde *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Ac postea, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Nehemias (s) interrogatus à Rege, priusquam responderet, mentem ad Deum sustulit, ad solium Divinitatis animi sui nuntio celerrimè amandato. Judith (t) Holofernum percussura apprehendit comam capitis ejus, & ex corde ignitam protulit & brevissimam orationem dicens, *Confirma me Domine Deus in hâc hora.* Sancti in cœlo requiem non habent die ac nocte dicentes, (u) *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Basilius (x) suadet peccatori, ut ad imitationem Chananeæ identidem inclamet illud, *Miserere mei fili David.* De S. Marcella scribit Hieronymus, (y) eam semper cantâsse illud Psalmi, *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* S. Malachias, teste Bernardo in ejus vitâ, raptim quodammodo, & velut jaculum emittebat orationem. Thais olim meretrix edocta à Paphnutio Abbate sic orabat, *Qui plasmasti me miserere mei.* Cassianus (z) usum multiplicem hujus versiculi, *Deus in adjutorium meum intende*, elegantissimè commendat in collationibus. Ex vitis Patrum multa hic referri possunt. (1) Abbas Isaias vidit cujusdam Monachi orationem, dum manducaret, ascendere instar ignis in conspectu Dei. Alius quidam, dum colloqueretur cum aliis, fecit centum & tres orationes. Abbas Macarius de modo orandi à quibusdam interrogatus dixit, Non est opus multùm loqui in oratione, sed extendere manus frequenter, & dicere: Domine, sicut vis & scis, miserere mei. Moyses Æthiops (2) olim princeps latronum quinquaginta quotidie orationes peragebat: Paulus Monachus trecentas: quædam Virgo septingentas. Narrat Theodoretus (3) Simeonem Stylitam innumeras quotidie adorationes peregisse, adeò ut unus numeraverit aliquando mille ducentas quadraginta quatuor, alias omittens, quia lapsus destitit numerare. Quidam Christophorus Monachus (4) centies in nocte orabat. Beata Clara de Monte Falco millies quotidie Deum aborabat genua flectens, & totidem fundens jaculatorias orationes, ut testatur in ejus vita Baptista Pergilius. (5) S. Franciscus tota nocte orabat hæc sola verba repetens, *Deus meus & omnia.* Pater Didacus Martinez Pervani Regni dictus Apostolus dicebat sexcentis quandoque vicibus, *Deo gratias*; & ad hoc alios hortabatur dicens, nullam orationem breviorem esse, nullam Deo magis acceptam. (6) Alius quidam è Societate Jesu Jacobus Cerrutus nomine innumerabiles actus amoris, & gratiarum actionis singulis diebus eliciebat, qui pervenerunt aliquando ad viginti quatuor millia: vota verò ter millies quotidie renovabat. (7) Sub regimine P. Consalui Sylveriæ erant qui brevi oratiunculâ decies millies in die divinum auxilium invocarent. (8) Similem orandi frequentiam æmulabantur ex eâdem Societate suis scriptis novissimi viri Sebastianus Barrada, & Franciscus Suarez, (9) ut alios omittam. Non erit finis exemplorum, si omnium Religiosorum Ordinum percurrere historias velim, & gesta omnium Sanctorum. Recentiora quædam habet Joannes Rho in Historia Virtutum. (10)

5. Tanti momenti est ad assequendam brevi tempore perfectionem hoc exercitium, ut illud semper plurimi æstimârint quotquot fuerunt

(r) *Chrysost. hom. 4. de Anna t. 1.* (s) *2 Esdræ 2: 4.* (t) *Judith 13: 9.* (u) *Apoc. 4: 8.* (x) *Basilius exhort. ad Baptismum.* (y) *Hieron. epist. 16. ad Principium.* (z) *Cassianus coll. 10.* (1) *Vitæ Patrum Rosvuidi lib. 5. libello 12.*

(2) *Ibidem libello 8.* (3) *Ib. lib. 9.* (4) *Ibidem lib. 10.* (5) *Pergilius in vita B. Claræ p. 1. c. 6.* (6) *Nicolaus Lancicius opusc. spirituali undec. c. 30.* (7) *Ibid.* (8) *Nicol. Godignus in vita P. Consalvi l. 3. c. 10.* (9) *Joannes Rho in hist. virtutum lib. 3. c. 8.* (10) *Ibid.*

runt viri doctrinâ & sanctitate conspicui. Hoc enim tanquam igne in cordibus nostris accenso consumuntur omnia peccata, vitia omnia destruuntur. Tollit id à nobis quidquid est terrenæ adhæsionis, quidquid deformitatis, quidquid dissimiles nos facit Deo, & sanctam cum illo unionem impedit. Eo mediante vincuntur tentationes, acquiruntur virtutes, perficiuntur operationes, cœlesti lumine imbuitur intellectus, exercentur actus supernaturales, purificatur intentio, erigitur affectus, inflammatur voluntas, disponitur mens ad contemplationem, & totus homo in Deum transfunditur. *Preces tacitæ multùm habent acuminis*, ait Abbas Gillebertus, (11) *privatim fiunt, sed privata non petunt; submissior est vox, sed mens intensior. Verbis non eget, nec utitur oratio, quæ puro & pleno fertur affectu.* Divinus homo, & in scholâ amoris versatissimus Franciscus Salesius Episcopus Genevensis studium orationis, & usum aspirationum unum & idem esse cum mysticâ Theologiâ doctè, & luculenter ostendit. (12) Quia sicut Scholastica Theologia habet Deum pro objecto, mystica etiam non nisi de Deo loquitur, sed cum triplici discrimine. Illa disserit de Deo, ut Deus est: hæc ut summè amabilis est. Illa de Deo loquitur cum hominibus, & inter homines: hæc de Deo cum eodem Deo. Illa tendit ad Dei cognitionem, facitque nos doctos & Theologos: hæc tendit ad amorem, & nos ardentes reddit, ac Theophilos. Principale itaque hujus exercitium est cum Deo loqui, & ipsum Deum in fundo cordis loquentem audire secretis aspirationibus & alloquiis, quæ à nemine nisi ab ipso dicente & à Deo intelliguntur. Optimè de hac re pius Poeta. (13)

*Ille meos gemitus, mea scit suspiria solus,*
*Quem fugit humani nulla latebra sinus.*
*Quid clamem, mea dum sese suspiria rumpunt,*
*Non nisi nos soli novimus, ille, & ego.*
*Nemo meos gemitus, vota, aut suspiria novit,*
*Nemo, duo nisi nos, & duo sufficimus.*

(11) *Gilbert. serm. 23. in Cant.* (12) *Franc. Sales de amore Dei l. 6. c. 1.* (13) *Hermann. Hugo Piorum desid. elegia proemiali.*

## CAPUT VII.

### *Varia documenta pro usu, & praxi Aspirationum.*

1. UT qui domum moliuntur à fundamentis, ita nos documenta scripturi pro usu & praxi aspirationum à fulcro, & veluti basi ipsarum, à Dei scilicet præsentiâ, ordiri debemus. Ab hac omnino pendet hæc Angelica exercitatio, neque enim ad absentem aspiramus, aut preces fundimus; qui nos audire & exaudire non possit. Præsens est ille omnibus, & ubique: atque ut canit quidam Religiosus Poeta. (a)

*Cuncta Deus replet, Deus est suprà, Deus infrà.*
*Æthereos orbes habitat, sub Sole, sub aurâ,*
*Sub tellure latens, sub Dite, sub æquorn undâ.*
*Omnia plena Deo.*

Romanus sapiens ad suum Lucilium sic scribit. (b) *Non sunt ad cœlum elevandæ manus, neque exorandus ædituus, ut nos ad aures simulachri, quasi magis exaudiri possimus, admittat. Propè est à te Deus, tecum est, intus est. Ita dico (Lucilli) sacer intrà nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator, & custos: hic pro ut à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vir sine Deo nemo est.* Præsentia itaque divina per se considerata facillima est: nam quid facilius quam illum intueri, qui ubique est, in quo vivimus, movemur, & sumus? Sed attentâ naturæ nostræ corruptione, quæ per inepta & corpori jucunda vagari consuevit, cœcutimus plerique, & lucem ubique fulgentem non videmus. Sicut homini cœco præsens est sol, sed ipse soli absens est: sic omnis stultus & impius procul à Deo est, non quia Deus illi sit absens, sed quia ipse, utpotè cœcus, præsentem non videt. *Magna hæc miseria est*, ut scribit Augustinus, (c) *cum illo non esse hominem, sine quo non potest esse: in quo enim est, sine dubio sine illo non est, & tamen si ejus non meminit, eumque non intelligit, & diligit, cum illo non est.* Ut ergò cum illo simus, semper ad illum respiciamus, ejusque amorem assiduis aspirationibus excitemus, & augeamus. Amor enim oculum mentis ita afficit, ut non nisi amatum videre



(a) *Bapt. Mantuanus. 3. Sylvarum.* (b) *Seneca epist. 41.* (c) *Aug. lib. 14. de Trinit. c. 12.*

libeat. De illo quem amat, semper cogitat homo, semper loquitur, semper ad ipsum aspirat: & mutuò ista fiunt, præsentia Dei studium aspirandi gignit, ipsisque aspirationibus eadem fovetur, & nutritur.

2. Cum autem varii sint modi à diversis scriptoribus (d) traditi, quibus Deum præsentem habere & concipere possumus; ille cæteris præferendus, qui nec caput lædat, aut imaginationem, nec stolidos, & quasi abstractos in peragendis ordinariis actionibus nos reddat, sed potiùs adjuvet ad solita exercitia perfectiùs obeunda. Hic duplex est. Primus consistit in actuali fidei exercitio circà tria; circà ejus immensitatem, quâ cœlum & terram implet, circà scientiam infinitam, quâ omnia videt & penetrat, etiam intimas cogitationes; circà ejus concursum ad omnes nostras actiones. Per simplicem enim istarum veritatum apprehensionem Dei assiduè recordari facillimùm erit: cúmque hinc phantasmata absint, & actus imaginationis, non erit hic modus illusionibus subjectus, & capitis fatigationi. Secundus multò isto perfectior ille est, quo Deum non jam extrà nos, sed in abdito cordis, & in intimo spiritus nostri præsentem, & in nos sua bona effundentem purissimo mentis oculo intuemur. *Nescitis*, ait Apostolus (e) *quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis*? Magna cæcitas multorum est, & non modica ignorantia, Deum semper extrà se quærentium, ac si procul ab illis esset. Nam si est in omnibus rebus (ut fides docet) proculdubio etiam in nobis est, magis intimus nobis quàm anima corpori, quâ de causa à Platonicis (f) *Anima mundi* dicitur, non quasi pars, & forma ipsius, sed tanquam perfectissima causa tribuens omnibus esse & operari. Tutiùs est autem Deum intra nos ipsos, quàm in aliis creaturis quærere, & aspicere: species enim externa creaturarum ita nos sæpè detinet, & rapit, ut non sinat ad Creatorem in illis habitantem intrare. Ideò querebatur Augustinus, (g) se foris Deum quæsisse, qui intrà ipsum erat. *Mecum eras*, inquit, *& tecum non eram*. Hæc Dei præsentia Sanctæ Catharinæ Senensi usui erat, quæ (teste Raimundo) in ejus vitâ, cellulam sibi secretam intra se ipsam fabricavit, in quâ jugiter cum Deo morabatur. Felix planè cubiculum, in quo anima seipsam abscondit à tumultu creaturarum, & cum magnâ tranquillitate Deo creatori intendit. Sententia Salvatoris est (h) *Regnum Dei intrà nos esse*: Regnum verò Dei est ipsemet Deus cum universis divitiis suis. Ad ipsum igitur intra nos habitantem in fundo & essentiâ animæ ignitis aspirationibus introvertere nos debemus, semper de illo cogitando, ut ad ejus amplexum, & felicem cum eo unionem tandem pervenire, seu perduci mereamur.

3. Semper debet anima sancta, & veri sponsi amica (ut docet Richardus) (i) ad dilectum suum summo cum desiderio inhiare, parata semper & vocanti occurrere, & pulsanti aperire. Sed in hâc introversione & praxi aspirationum, sicut & in reliquis exercitiis, vulgatum illud attendere debet, *Ne quid nimis*: ne videlicet ultrà vires assumantur, ita ut caput gravetur ex nimiâ attentione, vel intensione affectus. Cavendum quoque, ne nimis extendat intellectum, ne si altius, quàm oporteat, volare tentaverit, à simplicitate aberrans internis tenebris involvatur: ex quibus intolerabiles miseriæ & anxietates oriri solent. Discretio hîc necessaria est, & simplicitas cum suavitate conjuncta, sicut dicit Scriptura, (k) *Mel invenisti, comede quantum sufficit*.

4. Eliciendæ sunt aspirationes non perfunctoriè, & festinanter, sed cum maturâ serenitate spiritus, & interiori harmoniâ; ita ut reverà sentiat anima se Deum quærere, & ipsum velle in mente suâ invenire, non aliâ de causâ, nisi ut ipsum diligat toto corde, totis viribus, totâ virtute. Proderit aliquando, ex doctrinâ Seraphici Bonaventuræ, (l) puras manus ad cœlum levare, & suam interdum audire vocem: proderit ad sublevandam intentionem in cœlum suspicere; sed cavendum ne extrà se vagetur spiritus, & ne ipsæ Aspirationes solâ voce prolatæ steriles fiant, & sine fructu. Spiritus enim fertur in Deum per anagogicos excessus, oculo intellectus ferè clauso, ac sopitis ejus discursibus, cum sancto silentio ac ferventissimo affectu. Quare minima

(d) *Scripserunt de præsentia Dei ex professo Virgilius Coparius, Joannes ab Angelis, Antonius Gaudier, Nicolaus Lancicius, Franciscus Arias, Alphonsus Rodriguez s. 1. Jacobus Alvarez s. 3. Ludov. de Ponte in Duce spirituali, Thomas Massutius lib. 2. de cœlesti conversat. Ludovic. Parisiensis Capucinus in Palatio divini Amoris c. 130. usque ad c. 159. & al. i passim.* (e) *1 Cor. 3: 16.* (f) *Variæ sunt Platonicorum sententiæ de Anima mundi. v. Proclum, & ex recentioribus Foxium in Timæum. Alcinoum c. 12. ac ib. Comment. Jac. Carpentarii. Plotinum lib. 2. 3. 9. cum 2. ac ibid. Ficinum, qui item legendus lib. 4. Platonicæ Theologiæ.*

(g) *Augustin. lib. 10. Confess. c. 27.* (h) *Luc. 17: 21.* (i) *Richard. lib. 4. de contempl. c. 13.* (k) *Prov. 25. 16.* (l) *Bonavent. Spec. discipl. p. 1. part. 2. c. 6.*

mina pars intellectui, maxima voluntati tribuenda est.

5. Convenit hoc exercitium illis præsertim, qui animam jam à vitiis expurgârunt, & aliqualiter in viâ illuminativâ, studioque virtutum, & exercitio meditationis profecerunt. Postquam enim anima ab effectu sæculi mentalis orationis exercitatione abducta fuerit, ita ut sentiat divinum in se ignem succensum, relicto statu meditationis ad statum transit aspirationis, post quem demum ad contemplationem, & ad mysticam Theologiam pertingit. Rectè S. Nilus, (m) *Si es Theologus, verè orabis; & si eris Theologus, & verè orabis; Theologus verè eris.* Et B. Joannes Climacus (n) *Statum tuum oratio tua manifestat tibi, hanc enim Monachi esse speculum, tradunt Theologi rectissimè.* Sententia hæc est omnium Mysticorum post orationem vocalem, & meditationem poni aspirationes, tanquam modum orandi perfectiorem, per quem fit transitus ad orationem internam, & divinitùs infusam. De quâ re legendi sunt duo viri eximii ex Ordine Capuccinorum: Benedictus Anglus in Regulâ perfectionis, (o) & Victor Gelenius (p) in Praxi mysticæ Theologiæ. An verò deferendus sit status meditationis, tribus indiciis cognosces, quæ tradit Joannes à Cruce (q) in ascensu montis Carmeli. Primum est, si jam non possis meditari, neque imaginationis operâ uti, nec ullam ab hâc re mentis refectionem, sed potius ariditatem percipias. Secundum, si nec placeat, nec gratum sit animæ tuæ ex industriâ occupare imaginationem, & defigere in aliquo objecto. Tertium, quando libet & placet animæ solam manere cum amorosa ad Deum attentione in quadam interiori pace, & quiete, absque actu saltem discursivo potentiarum. Tria hæc indicia simul sumpta in te animadvertere debes, quicumque optas à statu meditationis tutò ad alium sublimiorem progredi.

6. Requiruntur alia quædam ad hoc exercitium, puritas cordis, rectitudo intentionis; perfecta abnegatio & nuditas ab omnibus imaginibus, & idolis creaturarum; fuga curiositatum, inutilium sermonum, humanarum consolationum, & vanarum occupationum, desiderium semper proficiendi, humilitas, mens libera, & expedita ab omni terrenâ delectatione; lectio spiritualis, collocutio de rebus divinis; internum, externúmque silentium, sicut scriptum est, (r) *Qui minoratur actu percipiet sapientiam.* Quælibet vel minima inordinatio, quicumque tenuissimus affectus ergà aliquam creaturam, quævis levior offensa, aut exterior distractio, moram injiciunt animæ ad unionem cum Deo properanti. *Quantumcumque enim,* [ait quidem vir Sanctus] (s) *profeciisse videamur ad extrà in bonis spiritualibus, & apparentiis, seu in reputatione sanctitatis, totum inane, & parvum est; nisi interior homo fuerit reformatus, & Deo conformis.* Constat autem ex his, non exigi ad hanc sapientiam acumen ingenii, & multiplicem cognitionem; sed simplicitatem, & purum atque ardentem affectum, cum assistentiâ Spiritus Sancti, qui super humiles, & parvulos requiescit. Quare multùm lugendi sunt illi, qui solis externis exercitiis contenti, & interiorem animæ fundum negligunt, & sanctam cum Deo unionem. Numquam enim satiari anima poterit, & si omnibus spiritualibus divitiis abundet, nisi per amoris contactum, & intimam unionem Deum consequitur. *Fecisti nos Domine ad te,* inquit Augustinus, (t) *& inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*: donec scilicet arctissimo tecum amoris vinculo conjungatur.

7. Solet praxis aspirandi dura admodum, & difficilis nondum exercitatis apparere. Natura enim instabilis, & libera, variisque cogitationibus, & desideriis assueta, frenum divini amoris pertinaciter fugit: & quia statim fructum non videt, tanquam laborem nullius momenti contemnit. Sed hoc commune est omnibus exercitiis, quorum initia semper sunt difficilia: labor autem assiduus omnia vincit, & cùm laudabilis consuetudo firmiter in animâ stabilita fuerit, quasi in naturam transibit, rebúsque divinis tàm facilè intendet, quàm facilè spirat ac vivit. Accedit gratiæ auxilium, quod assiduè implorare oportet: nam, ut ait Chrysostomus, (u) *Supra vires hominis est serere cum Deo colloquium, nisi adsit vis, & actus Spiritus sancti.* Unde sicut ad calorem nulla propinquior dispositio invenitur, quàm ipsemet calor; ita nulla ad orationem convenientior præparatio ipsâ oratione. Quodsi anima interdum langueat, ita ut ægrè

(m) *Nilus de oratione c. 57.* n *Climacus gradu 28.*
(o) *Bened. Anglus. regul. perfect. 1. pag. c. 19.*
(p) *Gelen. 1. decis. 4. art. 10. & dec. 6. per totam.*
(q) *Joannes à Cruce Ascens. montis Carmeli l. 2. c. 13.*

(r) *Eccles. 38: 25.* (s) *Gerlacus in soliloquiis c. 25.*
(t) *August. lib. 1. Confess. c. 1.* (u) *Chrysost. lib. 2. de orat.*

ægrè aspirationes producat, aliquâ pia meditatione utendum est, donec cor meditando incalescat, & mox ad aspirationes redeundum. Docet Gelenius, (x) & addit, debere unumquemque in hunc finem sibi ipsi instituere colloquia plangentia sui ipsius vilitatem, & infidelitatem circà mortificationem, & virtutes: quæ si desint, petenda erunt ex meditationibus, & soliloquiis S. Augustini. Si verò nec meditatione, nec hujusmodi colloquiis cor excitetur, non propterea abjicienda spes est, sed constanter perseverandum difficulter agendo, & varias aspirationes quantumvis frigidè & aridè eliciendo, quoad usque probata fide victoria à Domino misericorditer concedatur. Tale est augmentum sanctarum exercitationum, quale est plantarum, quotidie crescunt, quamvis id non appareat: processu verò temporis crevisse videbis, licet ipsum non videris incrementum.

8. Cùm eliciuntur aspirationes, extendenda intentio est ad finem ipsarum, qui est animam purificare, & disponere, aptamque reddere ad contemplationem, & unionem cum Deo. Qui gressum mentis in ipsis figit, nihil agit; quia juxta Sanctorum Patrum vulgatissimum proloquium, non progredi in viâ Domini retrogredi est; & qui non ascendit, descendit. Omnis fructus & finis orationis, ex sententiâ Bonaventuræ, (y) est Deo adhærere, & unum cum eo spiritum fieri per liquefactionem purissimi amoris, & speculationem serenissimæ cognitionis, & absconsionem in Dei vultu ab omni mundanorum strepitu, per excessum quietissimæ fruitionis; vbi omnes vires animæ & potentiæ à suis dispersionibus simul collectæ, & in unum verum, & simplicissimum, ac summum bonum fixæ, in quandam divinæ confortationis, & æternæ stabilitatis similitudinem transformantur. Ad hunc finem datæ sunt nobis à creatore vires animæ nostræ, non ut eas rebus terrenis mergamus, sed ut sanctis aspirationibus ad ipsum Deum efferamus, ad quem possidendum conditi sumus, & his quasi brachiis bonum nostrum, nostramque felicitatem amplectamur.

9. Qui ex hâc salubérrimâ exercitatione uberes fructus percipere cupit, nullâ unquam die, imò nullâ horâ, si fieri possit, eam intermittere debet. Cùm enim non sit opus continuum, sed morulis discretum, omnibus ferè actibus interseri potest, seu quis mente perspicax, seu tardus ingenio sit. Præclarè S. Ephrem. (z) *Bonum fuerit semper orare, & nunquam desicere, quemadmodùm ait Dominus, Quare sive opereris, sive dormias, sive iter facias, sive comedas, sive bibas, sive decumbas, cave orationem tuam intermiseris. Sive in Ecclesiâ fueris, sive domi tuæ, sive in agro: & si oves pascas, & ædificia construas, & si in symposio verseris, ab oratione cave desistas.* Olim præcepit Deus, (1) ut ignis in altari suo semper arderet, quem nutriet, inquit, Sacerdos subjiciens ligna manè per singulos dies. Altare autem Dei, ut magnus Gregorius interpretatur, (2) est cor nostrum, in quo jubetur ignis semper ardere, quia necesse est ex illo ad Dominum charitatis flammam indesinenter accendere. Sunt qui certum quotidie pensum aspirationum à se exigunt, quod vix probârim, nisi discretio adsit, & magistri spiritualis consilium: affectum enim sequi in his oportet, & impulsum Spiritus sancti, qui certæ regulæ non subjicitur. Quidam cum legisset, S. Bartholomæum Apostolum centies in die orasse, ut eum imitaretur, centies quotidie aspirabat ad Deum factis sibi quibusdam Litaniis ex Dei nominibus & attributis: quod qualiter fieri debeat, scribit Jacobus Alvarez, (3) Usus & unctio plura docebunt.

10. Concludo hoc caput aliquot documentis, ab his specialiter observandis, quibus gratia aspirationum à Deo concessa est. Et primò quidem ne hujus doni jacturam faciant, se illo prorsùs indignos fateantur, nec propterea insolescant, sed vilius de se sentiant, & gratiam Dei humilitatis velo occultent. Secundò caveant, ne eos contemnant, qui ejusmodi dono carent, fieri enim potest ut majorem illi charitatem habeant, & gratiores Deo sint in suâ simplicitate. Tertiò advertant, ne aliquâ præventi consolatione, ac dulcedine spirituali, nimiùm erga illam afficiantur, sicut ait Psalmista, (4) *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Satiùs enim, & tutius est gloriari cum Apostolo in cruce Domini nostri JESU Christi, quàm in sensibili devotione, & delitiis spiritualibus. Cessante autem operatione divinâ, recurrant ad propriam, & gratiæ subtractionem patienter ferant: Quartò ita influxui divinæ gratiæ satisfacere curent, ut vires corporales minimè lædantur: magno etenim periculo subjecta est spiritualis ingluvies, quâ quis percepta gratiæ suavitate spiritum urget indiscretè ad majorem fervorem, quàm corpus

(x) *Gelenius 1. p. decis. 6. art. 5.* (y) *Bonav. de proces. Relig. proc. 7. c. 14.*

(2) *Ephrem. c. 1. hom. de orando Deum.* (1) *Levit. 6: 16.* (2) *Gregor. lib. 25. moral. c. 7. 3.* (3) *Alvar. t. 3. lib. 4. p. 3. c. 10.* (4) *Psal. 61: 11.*

corpus ferat. Quintò divinæ gratiæ abundantiam ad sui mortificationem dirigant, & ad virtutum exercitationem; nec ita sinant se devotione absorberi, ut opera misericordiæ, & vitæ activæ officia negligant. Hæc monita Thomas à Jesu in libris de divinâ oratione tradit; exercitatis autem plura suggeret Spiritus sanctus.

## CAPUT VIII.

*Qui sint fontes aspirationum, quæ materia, quis ordo? De triplici statu Incipientium, Proficientium, & Perfectorum.*

1. FOntes copiosissimi, è quibus elici & hauriri possunt quàm plurimæ aspirationes, hi ferè sunt. Consideratio cœlestis patriæ, tædium hujus miseræ vitæ, desiderium videndi Deum, divinæ bonitatis, & misericordiæ magnitudo, Dei sapientia, potentia, justitia, & cætera attributa, dolor de peccatis, affectus gratitudinis ergà Deum, amor in Deum, zelus animarum, passio Salvatoris, amor Dei ergà nos, divinæ providentiæ admiratio, & desiderium patiendi pro Christo. His accedunt actus abnegationis, pœnitentiæ, charitatis, humilitatis, & cæterarum omnium virtutum. Quorum omnium materia desumi potest vel ex proprio cujusque affectu & devotione; vel ex verbis sacræ Scripturæ, vel ex Sanctis Patribus, aliisque piis Scriptoribus. Sacra Scriptura, maximè verò in Psalmis, hujusmodi affectuum feracissima est: & hi cæteris præferendi, quia nihil Deo gratiùs esse potest, quàm si verbis à Spiritu sancto dictatis eum alloquamur. Sequuntur opuscula Sanctorum Patrum, & mysticorum Theologorum, quæ uberrimam aspirationum materiam suppeditant; præsertim confessiones S. Augustini, & ejusdem soliloquia, Manuale, & Meditationes: opera item S. Laurentii Justiniani, Dionysii Cartusiani, Johannis Lanspergii, Thomæ à Kempis, & Ludovici Blosii, aliorumque recentiorum. (a)

2. Thomas Massutius (b) triplicem librum describit, unde materia aspirationum desumi potest. Primus liber magnus est valdè, semper apertus, omnibus visibilis. Secundus parvus, occultus, omnino invisibilis, & à paucis tantummodò intelligibilis. Tertius magnus, & parvus; apertus, & clausus; visibilis, & invisibilis, & ex se intelligibilis. Primus est Mundus, qui, ut ait Basilius, (c) perinde est ac liber literis exaratus, palam contestans & prædicans gloriam Dei. Hujus quatuor sunt paginæ evolvendæ, à quo factus sit, ad quid, quâ ratione, & quantâ rerum varietate exornatus. Hunc verò nonnulli inutiliter legunt, vani scilicet & curiosi mundi sapientes, quales fuerunt infideles, qui, cùm Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis: alii perniciosè, qui tanquam pueri analphabeti solam externam speciem creaturarum respicientes, indè sumunt occasionem recedendi à Creatore, ut adhæreant creaturæ: quidam utiliter & cum fructu spirituali, qui Deum in creaturis contemplantur, & in singulis operibus conditoris sapientiam, bonitatem, potentiam, & reliqua attributa laudant, prædicant, admirantur. Secundus est conscientia, sive cor nostrum pravum, profundum, & inscrutabile. In eo legere oportet, quid fuit homo, quid est, quid erit: quid potuit, quid possit, quid poterit: quid fecit: quid nunc faciat, quid facturus sit. Deinde observandum, à quo sit scriptus, quæ sint in eo scripta, & ad quem finem. Scriptus est autem à Deo, & à nobis, sed stylo valdè diverso: à Deo literis aureis inspirationum, admonitionum, legum, & dictaminis rectæ rationis: à nobis atramento culparum, & imperfectionum. Tertius est sacra Scriptura, cujus sunt libri historici, prophetici, morales, & mixti: in quibus quot apices, tot mysteria; quot verba, tot sunt incentiva nostri ergà Deum amoris: si tamen legatur eo spiritu, quo scripta est.

3. Quod verò spectat ad ordinem aspirationum, ille in praxi omninò promiscuus est. Nimia enim amoris fœcunditas est, nec attendit quo ordine, quâ lege, quavè serie erumpat. Interdum nec verba requirit, nec voces omninò ullas, solis ad hoc contentus suspiriis: tunc præcipuè, quando voluntas accensa est, quia tunc, ut monet Seraphica Virgo Teresia, (d) tollendi sunt discursus intellectus, & strepitus verborum, nè his tanquam lignis amoris scintilla opprimatur & suffocetur. Aliæ quidem aspirationes incipientibus, aliæ perfectis conveniunt: sed quandoque incipiens proficientium & perfectorum orationes assumit, ut discat ad altiora



(a) *Vide Jacobum Alvarez. & viam vitæ æternæ Antonii Sucquet.* (b) *Massutius initio lib. 2. de cæl. conversat.* (c) *Basil. hom. 11. exam.* (d) *Teresia vitæ suæ c. 15.*

cor suum erigere : & isti vice versâ incipientium aliquandò induunt affectus, ne perdant humilitatem, dum semper habitant in excelsis. Porrò affectus incipientium sunt horror inferni, detestatio peccati, timor judiciorum & justitiæ Dei, contritio, petitio veniæ, odium & contemptus sui, suæ vilitatis cognitio & erubescentia. Proficientium, imitatio Christi, & Sanctorum, gratitudo, perfecta abnegatio, amor virtutum, & desiderium eas acquirendi. Perfectorum, gaudium spirituale, admiratio divinæ majestatis, amor Dei, ingens desiderium sanctificationis nominis ejus, & adventus regni ipsius.

4. Triplex igitur est status vitæ spiritualis : quia ut dicit D. Gregorius, (e) aliud sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. In primo statu sunt Incipientes, quasi tyronum agmen ; in secundo proficientes, quasi tyrocinium prætergressi ; in tertio perfecti, quasi milites veterani. Sanctus Maximus martyr (f) primos Servis, medios mercenariis, postremos filiis comparat. Angelicus Doctor (g) tribus ætatibus hunc triplicem statum assimilat, infantiæ, juventuti, & virilitati : ut enim docet Augustinus, (h) *Nascitur charitas divinâ operante misericordiâ, cùm nata fuerit, crescit, & roboratur, roborata denique perficitur.* Primus status purgat, secundus illuminat, tertius perficit : qui sunt tres actus Angelicæ & humanæ Hierarchiæ à Dionysio Areopagitâ descripti. S. Bonaventura (i) tres assignat operationes, quas juxta hanc triplicem viam charitas in anima exercet. Primam vocat virtutis vigorem, quia mediante vigore gratiæ anima purgatur à peccatis : secundam veritatis splendorem, quia studio mortificationis divinorum cognitione anima illustratur : tertiam charitatis ardorem, quia vi amoris anima in Deum transformatur. Via purgativa purgat ac perficit sensus, illuminativa rationem, unitiva spiritum sive mentem, quæ est animæ superior pars. Purgativa Deo Patri appropriatur, cui potentia attribui solet : illuminativa Deo Filio, tum quia est sapientia Patris, tùm quia hæc via in Christi imitatione consistit : unitiva Spiritui sancto, cujus proprius effectus est unio per amorem. In primâ cognoscit homo seipsum, in secundâ Deum, in tertiâ studet unioni, & transformationi in ipsum : quia omnis vitæ spiritualis substantia ad hæc tria puncta refertur, quid sit homo, quid sit Deus, & qualiter hæc duo unum per amorem efficiantur. Sicut ignis cùm in lignum viride operatur, primò frigus & humiditatem tanquam obstacula sua expellit ; deinde calorem & siccitatem immittit, veluti qualitates ad aditum suum necessarias ; ac tandem intimè illi unitur : sic ad unionem animæ cum Deo primùm amoliri oportet omnia impedimenta, posteà requisitas dispositiones adferre : quibus peractis infallibiliter unio subsequetur.

5. In primo purgantium statu sunt peccatores post conversionem, qui præterita peccata puniunt, & pugnant ne iterum labantur in ea ; qui pravos habitus exsecant, & passiones interimunt. Et ideò carnem castigant jejuniis, vigiliis, laboribus, aliisque austeritatibus ; lacrymisque, & contritioni operam dant : In secundo proficientium illi degunt, qui terrenorum affectum deponentes puritati student, & virtutum acquisitioni : virtus enim est proprium ac verum animæ lumen. Crebris idcircò meditationibus de Christi virtutibus & doctrinâ urgent semetipsos, & accendunt ad imitationem. In tertio demùm illi quiescunt, qui purgatâ jam mentis acie arcano nexu Deo uniri merentur, & eâ pace fruuntur, quæ exsuperat omnem sensum. Una sanè est charitas, cui omnes isti incumbunt, sed gradus & incrementa diversa sunt. Contingit autem nonnunquam, Deo sic disponente, ut tyrones perfectorum prærogativis locupletentur, & ad divinæ contemplationis altitudinem, [quàmvis brevi morâ] eleventur : ne fortè objectâ virtutis difficultate, ac tentationum pressurâ territi, ab inceepto itinere resiliant. Sicut è contrario acerrimis tentationibus perfectiores animæ aliquandò infestantur, Deo permittente ; ne, sicut de se ipso testatur Apostolus, magnitudine revelationum extollantur. Gustatâ enim à pœnitentibus suavitate spiritus, desipiunt illis mundus & caro : & cùm perfectus incipientium molestias patitur, despicit se ipsum, & impensius laborat, ac si ab apice perfectionis longo admodùm itinere distaret.

6. Sunt autem hîc tria advertenda, quæ ex dictis colliguntur. Primum, quod, cùm vita spiritualis duplex sit, activa, ac contemplativa ; ad activam duo priores status pertinent, tertius ad contemplativam. Secundum, quod amor, de quo loquimur, & in quo sita est Chri-

(e) *Greg. hom. 15. in Ezech.* (f) *Maximus Mart. de eccl. mystagogia c. 24.* (g) *D. Thom. 2. 2. q. 24. a. 9.* (h) *Aug. tract. 5. in epist. Johannis.* (i) *Bonav. p. 5. brevilogii c. 10.*

Christiana perfectio, non est amor afficiens, sive affectuosus, ut ajunt; sed efficiens, practicus, & obedientalis, qui à proprio bono voluntatem omninò abducit, Deoque subjicit, ejusque voluntati tàm imperanti, quàm consulenti conformem facit. Affectus quidam teneri & molles, ignavi sunt, & otiosi, & lacrymâ nihil citiùs arescit. Si quis Dominus servum habeat, qui domi otiosus sedeat, magnificentiam ejus & opes semper contemplans, & nihil aliud obsequii præstet, is certè hunc servum tanquam muneri suo ineptum arguet, & à servitio amovebit. Ideò Christus observantiam mandatorum præcipit, & Sancti Patres studium bonorum operum super omnia commendant. Ad hunc amorem practicum omnes aspirationes dirigi debent, ex illo quippe oritur vera & solida devotio, purum gaudium, atque acquisitio virtutum. Tertium, quod licèt distinxerimus tres supradictos status penès tria officia & exercitia, puritatis scilicet, lucis, & amoris; non id tamen eò sensu intelligendum est, ac si purgatio ad cæteros status, illuminatio ad primum & tertium, & perfectio ad duos priores non extendatur. In unoquoque enim omnes actus hierarchici reperiuntur; & in purgativâ non solum emundatio à peccatis, sed etiam notitia veritatis, & Dei amor vigens, & sic de reliquis; tantóque excellentiùs isti actus fiunt, quantò status est sublimior. Idcircò tamen unicuique statui proprium destinatur officium, quia illi congruentius, magisque essentiale est, & ad ipsum duo reliqua dirigere oportet: in primo nimirum; lucem & amorem ad purgationem, in secundo purgationem & amorem ad illuminationem, in tertio puritatem & lucem ad amorem. Hâc (k) autem actuum communicatione fit, ut & dolor ex amore dulcior sit, & amor ex causis ritè perpensis justi doloris securior, & incitatior: cumque commiscentur actus unius viæ cum actibus & exercitiis alterius; incipientes ad majora jugiter aspirant: proficientes verò & perfecti memoriam retinent & affectum earum rerum, quæ sunt fundamenta perfectionis, & prima principia sanctitatis.

(k) *Henric. Morus in Methodo exercitiorum S. Ignatii §. 1.*

## Caput IX.

*Transitus ab Aspirationibus ad contemplationem. Addita quædam de Aspiratione passivâ. Quid sit contemplatio. Ejus objectum & causæ?*

1. Aspirationibus tanquam alis evehitur Anima ad felicissimas cum Deo nuptias; earum enim mediante usu id evenire potest, quod dixit Abbas Alois, (a) *Quia si vult homo, in unâ die usque ad Vesperam pervenit ad mensuram Divinitatis.* Sed hoc rarum, difficillimum, & vix intelligibile est: & nos infrà de duratione statûs aspirationum differemus. Nunc videndum, quo pacto ab illis ad contemplationem fiat transitus. Revocatâ siquidem ad interiora sua, mediante aspirationum activitate, inferioris hominis capacitate, & elevatâ ad Deum mente motibus anagogicis, affectuque succenso, spiritus rationalis à vinculis passionum, & fallaciis sæculi expeditus ad cœlestia perlustranda lumen internum dirigit, & ad statum transit altissimæ ac divinæ contemplationis. *Illuxerunt*, inquit Psalmographus; (b) *coruscationes tuæ orbi terræ; vidit, & commota est terra.* Sunt enim aspirationes quasi subitaneæ illustrationes, quibus subinde coruscantibus, terra humani cordis admiratione cœlestium excitata, terrena relinquens ad superna elevatur. Quia verò celerrimè motiones istæ anagogicæ peraguntur, nisi aspirans cogitationes impertinentes, quæ animo sese ingerunt, rejiciat, aliamque protinùs substituat aspirationem, cujus additione distractio cohibeatur, haud fieri poterit, quin mens prona ad evagationem statim ad externa dilabatur, quæ sensibus objiciuntur. Hanc calamitatem in seipso experiebatur, & sic deplorabat Augustinus (c) *Aliquando intromittis me in affectum multùm inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem: quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor, & multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina digna est. Hic esse valeo, nec volo; illic volo, nec valeo, miser utrobique.* Satagendum est itaque, ut spiritus in se ipso conclusus,



(a) *Vitæ Patrum lib. 5. libello 11.* (b) *Psal. 76. & 96.* (c) *August. lib. 10. confess. c. 40.*

atque à distractionibus, affectuque inordinato liber exardescat sicut ignis; & suspiriis ac desideriis piè scintillantibus seipsum benè afficiat, & Deo conjungat.

2. In hoc statu respirationis vix ultrà annum devotus exercitator detinebitur, ut Gelenius observat: (d) solet enim eo spatio emenso ad firmum intuitum contemplationis transire, ut ignem amoris intus clausum ab instantaneo motu anagogico ad ampliora spiritualis magnitudinis spatia extendat. Si quis tamen gratia abundantiori à Deo præventus & illustratus fuerit, brevissimo tempore, & ut Mystici nonnulli asseverant, intra duos menses ad magnam perveniet contemplationem. Utrum verò transire quis debeat ab aspiratione ad contemplationem, hoc inditio cognoscet: si constet experientiâ, orationes jaculatorias solito ardore destitui, & internam dispositionem ad intuitus & inhæsiones spirituales inclinare, quasi ad quietem mentalem, non per gustum & intuitum transeuntem sed qui permanens sit, & perseverans. Sunt quidam spiritu uteri sui coarctati, quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit, qui parùm memores vicissitudinis humanæ, ac inconstantis naturæ, impatientissimo desiderio ad Deum feruntur, quasi velint omnia divina quodammodò deglutire: Hi miserè decipiunt se ipsos, quia mox fatigati deficiunt, & internam animi serenitatem adeò necessariam ad contemplationem obscurant, & perdunt. Alii inconsultò statum aspirationum deserunt, ne minùs proficere videantur, quam cæteri, quos legunt, vel audiunt in altiori statu versari: & hi consilio ac humilitate carentes præcipitio proximi sunt & ruinæ, quia fine duce viæ, sine ope scilicet divinæ gratiæ, per ignotas sibi semitas iter difficillimum arripiunt. Alii denique subtilioris ingenii nudis discursibus & speculationibus intellectûs contenti, posse se illis Deum possidere existimant sine amore, qui nos similes Deo facit: & hi similes sunt antiquis Philosophis, evanescentes in cogitationibus suis, & colentes pro Deo suo phantasmata sua. Quælibet enim speculatio intellectûs est quid humanum, quod nos in proprio carcere vinctos detinet: amor autem est quid divinum, quod nos elevat, & rapit extra nos, atque in Deum transformat. Quare Dionysius (e) Timotheum monet, ut omnia intelligibilia transcendat, & ad Cajum scribens ait: *Divinæ tenebræ omnem abscondunt cognitionem, & si quis viso Deo, cognovit id quod vidit, nequaquam ipsum vidit, sed aliquid è rebus ejus, quæ existunt & cognoscuntur.* Cui consonans Maximus Martyr (f) *Unus*, inquit, *Deus sine principio, incomprehensibilis, totam vim ut sit habens per totum, notionem quando & quomodò sit penitùs repellens, utpotè nulli eorum qui sunt ex repræsentatione naturali cognitus.* Qui putant aliter se posse Deum intelligere, & contemplari, parum tutâ gradiuntur viâ; solido enim fundamento pietatis destituti, cùm naturalis de Deo oblectatio disparuerit, ad fallaces sæculi voluptates, miserando lapsu, revertentur.

3. Non est hoc loco omittendum, quod Joannes à Cruce in Flammâ Amoris vivâ (g) scriptum reliquit, præter aspirationes, de quibus hactenus disseruimus, esse aliam aspirationem arcanam, occultam, & passivam, quam Deus in animâ mirabiliter producit, aspirans illi Spiritum sanctum, qui profundissimè illam absorbet, & amore sui inflammat super omnem gloriam & sensum. In centro enim animæ, quæcumque illa sit, latenter moratur Deus, sed cum discrimine. In quibusdam manet velut extraneus in alienâ domo, nihil imperans, aut efficiens. In aliis libenter habitat, quasi in propriâ domo, regens illam, & gubernans. Talis est anima, in quâ nullus jam appetitus, nullæ imagines, aut formæ creaturarum reperiuntur: huic enim se intimè Deus communicat, hanc amplectitur, in eâ quiescit, eique se ipsum revelat, eam excitando, & ad proportionem notitiæ Divinitatis ipsi concessæ eidem aspirat, illam replens Spiritu sancto, ejusque gloriâ & bonitate. Cæterùm hæc Aspiratio passiva ineffabilis est, & ab illis vix intelligitur, qui eâ felicissimè perfruuntur. Hac igitur prætermissa, quædam breviter de Contemplatione, quæ statum aspirationis subsequitur, pertractanda sunt.

4. Contemplatio propria Mysticorum functio, & optima pars humanæ vitæ, habet pro scopo suo & objecto ipsummet Deum, ut D. Thomas (h) testatur: consistit autem in visione quadam suavi, quieta, & amabili veritatis æternæ, quam

(d) *Gelenius p. 1. dec. 6. art. 7. & Candelt de voluntate Dei p. 1. c. 18.*

(e) *Dionys. c. 1. myst. Theologiæ, & ep. 1. ad Cajum.* (f) *Maxim. mart. com. 1. cap. 1.* (g) *Joann. à Cruce in flamma amoris cantu 4.* (h) *D. Th. 2. 2. q. 180. art. 3. & 4.*

quam sine discursuum varietate sincerè aspicit, & penetrat, ingenti amore atque admiratione, tantâque certitudine & claritate, ut faciem, sicut de Moyse dicit Scriptura, (i) Deum intueri dicatur: non quemadmodum Beati in gloriâ, sed minori quodam lumine, caliginoso, & fidei innixo, quæ ab eo valdè perficitur, & clarificatur. Ex cognitione verò accenditur amor, & vicissim ex amore ipsa crescit cognitio. Amor enim ignis est ardens, & lucens, & ardens in voluntate illuminat intellectum; impellitq; nos ad ibi figendos oculos, ubi est thesaurus, quem diligit cor nostrum, cujus bonitas & pulchritudo, cum sit immensa & infinita, acriores iterum amoris flammas in corde succendit, ex quibus crescit videndi desiderium; nec ullus est finis, donec anima Dilecto adhæreat, & unus fiat cum eo spiritus in æternum. Optimè Clemens Alexandrinus, (k) *Non cessabit qui quærit, donec inveniat; cùm autem invenerit, admirabitur, admirans regnabit, regnans conquiescet.* Est igitur contemplatio, si latinæ vocis notionem respiciamus, (l) rerum occultarum consideratio, seu veritatis investigatio; Theologicè verò accepta, est terminus meditationis, sive considerationis, qui est veritatis quæsitæ, & inventæ intuitio. Auctor libri de spiritû & animâ inter opera D. Augustini, (m) sic eam definit: *Contemplatio est perspicuæ veritatis jucunda admiratio.* Consonat Bernardus (n) *Contemplatio est verus, certusque intuitus animi de quacunque re; sive Apprehensio veri non dubia.* Aliter Richardus, (o) aliter alii (p) Brevissime D. Thomas (q) *Contemplatio est divinæ veritatis simplex intuitus.* Fusiùs & clariùs Jacobus Alvarez, (r) *Est liber perspicax, & certus intuitus Dei, ac rerum cælestium admirationem inferens, in amorem desinens, & ex amore procedens.* Dicitur intuitus, quia non est opus rationis discurrentis, & inquirentis veritatem, sicut Meditatio, sed opus intelligentiæ veritatem simpliciter absque discursu inspicientis. Liber autem vocatur ex parte hominis, quia liber esse debet à peccatis, ab affectibus inordinatis, & à curis superfluis: ex parte actus, quia animus à rebus terrenis expeditus, quasi avis in aere, libertimo motû vagatur, quocumque Deus illum fert: ex parte objecti, quia illud nudum ab imaginibus sensibilibus, vel in ipsis sibi patefactum contemplatur. Est etiam perspicax, id est clarus, apertus, & conspicuus, non in lumine gloriæ, sicut in patriâ; sed in lumine fidei, quam lux sapientiæ perficit & exacuit. Certus præterea est, licet non excludat fidei obscuritatem, quia de rebus divinis eò certiores reddimur, quò clarius eas perspicimus. Hic verò intuitus admirationem maximam infert, quia licet objecta, quæ contemplamur, jam nobis cognita & perspecta sint, tam novo tamen & insolito modo proponuntur, ut stupenda & mirabilia videantur. Tandem contemplatio ab amore Dei incipit, & in amorem desinit: tametsi enim essentialiter sit actus intellectus, principium nihilominus habet in voluntate, quia ex charitate Dei ad ejus contemplationem incitamur, & quia finis correspondet principio, finis quoque ejus est in affectu, dum in visione rei amatæ delectamur, & ipsa delectatio magis excitat amorem.

5. Multiplex est objectum, circa quod versatur contemplatio, Deus inprimis optimus maximus, ut jam supra dictum est, ejusque infinitæ perfectiones. Deinde Christus Redemptor noster, & quidquid ad illum spectat: B. Virgo, Angeli, & Sancti, eorumque dotes, & beatitudo: status Ecclesiæ militantis, & ejusdem persecutiones & triumphi: mundus iste visibilis; & omnes creaturæ, quatenus perducunt nos ad Dei cogitationem & amorem: atque ut uno verbo omnia complectar, quidquid ad meditandum assumitur, materia est quoque contemplationis, nisi quod meditatio investigat, contemplatio degustat: illa discurrit circà objectum, hæc simpliciter intuetur. Causa proxima, unde oritur, est Spiritus sanctus mediantibus donis suis, sapientiâ præsertim & intellectu. Sapientia enim confert intellectui cognitionem altissimam & simplicissimam rerum divinarum, cum quâdam mirabili suavitate, sapore, atque dulcedine. Intellectus intellectui nostro superadditur, ut res fidei intimiùs penetret, & subtilius apprehendat. Scientia fidei veritates manifestat rationibus capacitati nostræ accommodatis, elevatque spiritum nostrum à creaturis ad creatorem, & ab eis cor nostrum avellit, docens nos aspicere ea, quæ habent à Deo, & bonum quod per illas nobis confert. Consilium perficit mentem nostram, ut se mobilem præbeat ad dictamina Dei,

(i) *Exod.* 33. 11. (k) *Clem. Alexandr.* 5. *strom.* (l) *Cicero* 1. *Acad.* & 4. *de finibus.* (m) *Auctor libri de spiritu & anima apud August. c.* 32. (n) *Bern. lib.* 2. *de Consid. cap.* 2. (o) *Richard. lib.* 1. *de Contempl. cap.* 4. (p) *V. Maximil. Sandæum myst. Theolog. lib.* 1. *comment.* 8. *Suarez tom. de Relig. l.* 2. *c.* 9. (q) *D. Tho.* 2. 2. *q.* 180. *art.* 1. & 3. (r) *Alvarez to.* 3. *lib.* 5. *p.* 2. *c.* 1.

& ut discernat in quâvis occasione quid faciendum aut fugiendum sit. Pietas voluntatem exornat, & excitat in eâ piam affectionem ad opera divini cultus, & misericordiæ erga proximos. Neque enim otiosa est contemplatio, sed practica esse debet, & dirigere non solùm ad cognitionem & amorem, verùm etiam ad operandum & exequendum, quod Deus jubet. Fortitudo corroborat ad opera difficillima, vires naturæ excedentia, ita ut exeamus ab ipsâ contemplatione quasi leones Dæmoni formidabiles. Timor denique imprimit cordi magnam erga DEUM reverentiam, & in prosperis atque adversis nos divinæ voluntati perfectissimè subdit. Plura de his Scriptores Mystici. (*f*) Dionysius Richelius (*t*) post dona Spiritus sancti tres adhuc causas contemplationis enumerat: fervidum scilicet amorem Dei, abstractionem mentis ab omni operatione circâ res creatas, & conatum mentis ad extensionem, ac defectionem suam in Deo. Et amor quidem admirabili circulo causa simul est & effectus contemplationis, ut suprâ in ejus definitione notatum est. Abstractio autem pertinet ad præparationem ipsius, ut idem Dionysius alibi (*u*) scribit. Quod verò de conatu dicit, prudenter intelligendum est: nam contemplatio donum Dei est, quæ neque industriâ nostrâ, neque labore comparari potest; quia tamen dispositivè (ut ajunt) nos circà eam aliquid agimus, ad hoc applicare conatum nostrum debemus, ut præviis dispositionibus ad eam præparemur; abnegatione nimirum, mortificatione, puritate vitæ, meditatione, jugi præsentia Dei, & exercitio Aspirationum. *Status enim divinus*, teste Hesychio, (*x*) *nascitur in animo nostro, ex continuâ Dei memoriâ, & assiduâ ejus invocatione.* Per vitam verò practicam, sive activam, ut ait Olympiodorus, (*y*) quæ est veluti prævia introductio ad theoricam, pervenimus ad contemplandam divinarum rerum sublimitatem. Ut enim tutum non est cum veste natare, ita nec cum passione aliquâ Theologiam attingere, ut sapienter Climacus (*z*) scribit. His igitur præparationibus ritè præmissis, ad fores divinæ sapientiæ cum magnâ longanimitate & constantiâ pulsare oportet, quousque ad contemplationem ipsius, ipsâ auspicè, introducamur; ac tandem ad arcanam cum Deo unionem elevemur, quæ est finis contemplationis, & hujus mortalis vitæ suprema beatitudo.

(*f*) *Agunt de donis Spiritus Sancti Rusbrochius in Regno Deum amantium. Harphius lib. 3. p. 1. c. 10. & 11. Massut. de cœl. conu. lib. 4. Alvarez to. 3. lib. 5. p. 2. c. 4. Ponte in Duce spirit. tr. 3. c. 3. §. Bonavent. in tract. de ipsis.* (*t*) *Dionys. Cartus. tr. de contemplatione.* (*u*) *Idem de fonte lucis c. 9. inf.* (*x*) *Hesichius Centur. 1. c. 96.* (*y*) *Olympiodor. in eccles. c. 7. v. 12.* (*z*) *Joann. Climacus gr. 27.*

## CAPUT X.

*Indicantur Auctores, qui de contemplatione scripserunt. Quotuplex ea sit. Qui ejus gradus & status? Exempla diutinæ probationis, & patientiæ in desolatione. Divisio Animæ, & potentiarum ejus secundum Mysticos. Hymnus ad Deum.*

1. QUæ de contemplatione dicenda forent, paucis verbis perstringo. Quid enim opus pluribus? Patent fontes. Omnes Mystici Scriptores, & qui de eâ ex professo agunt, Richardus Victorinus libris quinque, Dionysius Cartusianus libris tribus, & aliis opusculis, Jacobus Alvarez libro quinto tertii tomi de viâ spirituali, Ludovicus à Ponte in suo Duce spirituali, & optimè libris sex Thomas à JESU; quibus addo eximiam Christi Heroinam S. Teresiam. Ab his petenda quæ hic desunt. Quòd si aliquis cupit Mysticorum effata scholastico rigore examinare, Franciscum Suares consulat, in utrâque Theologiâ versatissimum, libro secundo de oratione; & Maximilianum Sandæum in suâ Mysticâ Theologiâ, & in ejusdem Clavi sive Onomastico.

2. Inter Ethnicos sapientes plures fuisse divinorum contemplationi intentos, ex scriptis Platonicorum liquet, & ex historiis. Sed, ut notat Albertus verè Magnus, (*a*) illorum contemplatio ob contemplantium perfectionem erat, & ideò extrà intellectum minimè procedebat, cujus solius illustratione posse se ad unionem cum summo bono pervenire, neglectâ curâ voluntatis, falsò existimabant. Nostra verò propter amorem Dei est, & idcircò ab intellectu transit ad effectum per amorem. Hæc dividitur in acquisitam & infusam. Acquisitam voco, quam propriâ industriâ & exercitatione, sed non sine divinâ cooperatione & gratiâ, acquirimus: Infusam, quæ ex solâ gratiâ sive inspiratione divinâ pro-

(a) *Albert. Magn. lib. de adhærendo Deo c. 1.*

promanat. Illa ab habitu fidei, aliisque virtutibus Theologicis & moralibus procedit: hæc à dono Spiritus sancti. Illa longa, & difficilis: hæc facilis, prompta, & suavis. Illa ratiocinativa dicitur, ista experimentalis. Qui primam habent, optimè de eâ, ejusque regulis discurrunt, experientiâ destituti: qui secundam, minus periti in sermone sunt; sed in usu & experientiâ excellentissimi.

Dividitur hæc etiam in puram, & mixtam. Mixta nuncupatur, quando intellectus contemplans ab operatione phantasiæ dependet. Pura, cum sine interventu phantasmatum exercetur. Hæc difficilis est, & admodum rara, & communiter à Scholasticis negatur; admittitur tamen à Sanctis & Mysticis Scriptoribus, ut diffusissimè probant Sandæus, (b) & Thomas à Jesu. (c)

Alia divisio est in affirmativam & negativam. Approbant hanc duplicem viam Deum contemplandi plerique veterum, (d) & Scholastici (e) docentes alia nomina dici de Deo negativè, alia affirmativè. Cùm enim Deus sit infinitus, illi attribuimus quidquid perfectionis reperitur in creaturis, sed quia creatis perfectionibus aliqua semper adhæret imperfectio, hanc removentes in Dei notitiam per negationes assurgimus. Uterque hic modus aptè explicatur duplici symbolo, pictoris & sculptoris. Qui enim imaginem pingit, eam in tabula multorum colorum adjectione delineat: qui sculpit, segmenta marmoris aut ligni paulatim demit, donec simulachrum perfectum reddat. Sic cùm asserimus, Deum esse sapientem, bonum, potentem, justum, misericordem; perfectiones ei creaturarum, velut colores iconi, adjicimus. Cum verò dicimus Deum non esse ens, neque vitam, neque sapientiam, neque potentiam, neque aliquid cæterorum, eo scilicet modo, quo à nobis concipiuntur, quasi statuam dedolamus: & hoc est Deum per nescientiam scire, ut S. Maximus observat, (f) quod est proprium Mysticæ Theologiæ. Utitur prædictâ similitudine S. Dionysius, (g) cui aliam non dissimilem corporis vestiti & spolitai affert Maximus Tyrius (h) Philosophus Platonicus.

(b) *Sandæus Theol. myst. l. 1. comm. 12.* (c) *Thomas à Jesu de Contempl. l. 5. c. 1. & seqq.* (d) *Dionys. Basil. Magn. Joan. Cyparissiot. August. Bonav. & alii relati à Sandæo lib. cit. comment. 11.* (e) *Scholastici 1. p. qu. 13. & ubi agunt de attributis in genere.* (f) *S. Maximus in c. 3. myst. Theolog. Dionysii.* (g) *Dionysius ibidem.* (h) *Maximus Tyrius serm. 1.*

Rursum dividitur contemplatio in claram, & caliginosam. Clara est Beatorum in patriâ. Caliginosa Viatorum, quæ sublimior est, quam contemplatio pura, & ab eâ differt per majorem approximationem ad divinam unionem. (i) Caligo autem divina, ut scribit primus Mysticorum magister, (k) est lumen inaccessibile, in quo Deus habitare dicitur, quod nec cerni potest propter excellentem claritatem, & inaccessibile est ob excedentem supersubstantialis lucis effusionem. Quare hæc contemplatio nihil aliud esse videtur, quam defixio mentis in hujusmodi lucem intelligentiæ oculum reverberantem, & suâ immensitate seipsam abscondentem.

Alia denique est contemplatio supereminens, altior quàm caliginosa, in quâ Deus, non per dona Spiritus sancti, sed per se solus rapit, ac elevat mentem ad divina, quæ sic elevata Deum attingit, & non per ænigmata similitudinum corporalium, sed altiori, atque ineffabili modo. Talem fuisse existimo Sanctissimi Patris nostri Benedicti raptum, (l) quando extrà mundum elevatus, quasi sub uno Solis radio, universum mundum collectum conspexit. Differunt de hâc profundissimè Thomas à Jesu, (m) & latè Sandæus (n) atque hanc existimo elegantissimè describi ab Augustino libro nono suarum confessionum, in colloquio habito cum Matre de Regno cœlorum.

3. Plures itaque, & diversi sunt gradus contemplationis, quamvis ipsa una sit, nec facilè possunt certo numero comprehendi. Multis enim modis animæ contemplanti se communicat Deus, & spiritus ejus ubi vult spirat, & quandò vult, & quomodò vult. Et quis poterit sensum ejus assequi, aut quis audebit terminum ponere ejus admirandis operationibus? Ideo à viris Theodidactis horum sublimium mysteriorum explicatio petenda est, quibus Deus, mirabilis in Sanctis suis, incerta & occulta sapientiæ suæ manifestavit.

Richardus Victorinus (o) sex genera contemplationis enumerat, quæ doctè, copiosè, & eleganter explanat toto opere de gratiâ Contemplationis. Primum, inquit, est in imaginatione, secundùm solam imaginationem. Secundum in imagi-

(i) *Th. à Jesu de Contempl. l. 5. c. 4.* (k) *Dionys. epist. 5. ad Dorotheum.* (l) *Gregor. 2. Dialog. c. 35.* (m) *Th. à Jesu de contempl. 6.* (n) *Sandæus myst. Th. l. 1. comm. 14.* (o) *Richard lib. 1. de gratia contempl. cap. 6.*

imaginatione, secundùm rationem. Tertium in ratione, secundùm imaginationem. Quartum in ratione, secundùm rationem. Quintum est suprà, sed non præter rationem. Sextum suprà rationem; & præter rationem. Duo itaque sunt in imaginatione, duo in ratione, duo in intelligentiâ. Ubi notandum, rationem distingui ab intelligentiâ, quod, qualiter intelligendum sit, infrà explicabitur. Hos gradus aliter ordinat Auctor libri de spiritu & animâ, & post eum Seraphicus Bonaventura. (p)

D. Thomas (q) secutus Dionysium (r) tres gradus contemplationis distinguit juxta triplicem differentiam motûs localis, circularis scilicet, recti, & obliqui. Anima enim quasi circulariter movetur contemplando sensibilia, & ex his ad seipsam perveniendo. Movetur rectè, ascendendo à se ad substantiam separatam. Obliquè, cum ad divinam veritatem contemplandam elevatur.

Jacobus Alvarez (f) omnia complectens, quæ Sancti Patres, & viri spirituales de hâc re tradiderunt, quindecim nomina ad contemplationem pertinentia, quasi totidem ejus gradus explanat, & Sanctorum sententiis confirmat. Nominatò, explicatio apud ipsum utiliùs legetur. Sunt autem ista. Intuitio veritatis, secessus animæ ad interiora, silentium spirituale, quies, unio, auditio loquelæ Dei, somnus spiritualis, ecstasis, raptus, Christi & Sanctorum apparitio corporalis, eorumdem apparitio imaginaria, visio intellectualis, visio Dei in caligine, admirabilis visio Dei disjectâ caligine, visio clara & intuitiva Dei, quæ licet propria sit Beatorum in cœlo; fuit tamen, ut probabiliter quidam Theologi docent, quibusdam sanctissimis viris etiam in hâc vitâ concessa.

Thomas à Jesu, Angelorum immixtus choris, tres eorum Hierarchias & cujusque Hierarchiæ triplicem ordinem menti humanæ applicans, tres contemplantium Hierarchias in novem gradus distinctas constituit. Prima in imaginatione potissimum residet, secunda in intellectu, tertia in apice mentis. Prima à rerum sensibilium cognitione ad invisibilium contemplationem nos ducit. Primus ejus gradus in mundi hujus visibilis speculatione & admiratione consistit. Secundus Scripturæ sacræ intimos sensus profundè scrutatur. Tertius circà Verbi incarnationem & omnia Christi mysteria occupatur; in ipso enim sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi. Secunda Hierarchia rerum invisibilium intuitu ad superna elevat mentem, ipsumque Deum ut unum, & trinum intuetur. Primus gradus docet nos ad Deum ascendere per suæ imaginis, animæ scilicet rationalis, contemplationem, secundùm dona naturalia & gratuita, & finem ejus, qui est gloria cœlestis, ac felicitas Beatorum. Secundus relictis creaturis ipsum Deum ejusque attributa contemplatur. Tertius transit ab unitate Dei ad sanctissimam Trinitatem. Tertia Hierarchia per negationes ad Deum assurgit, & divinam caliginem ingreditur. Primus ipsius gradus est pura contemplatio sine phantasmatum admixtione. Secundus contemplatio Dei in caligine. Tertius unio mystica cum Deo.

Victor Gelenius Trevirensis summam practicam mysticæ Theologiæ in duas partes digestam conscripsit, ediditque Coloniæ anno hujus sæculi quadragesimo sexto: in quâ septem mysticos status accuratissimè describit, per quos successivè transit anima, antequàm perveniat ad culmen sanctitatis. Primus est status meditationis. Secundus aspirationis. Tertius contemplationis modi affirmativi & negativi. Et hi tres modo activo, humano, & naturali procedunt; quamvis principio supernaturali innitantur, nec careant aliquando divinis perceptionibus. Reliqui verò status ad modum operandi supernaturalem spectant, nec debet aliquis à Deo non vocatus temerè ad eos transire: sunt enim hæc mystica & secretissima Dei dona, quæ nemo novit, nisi qui accipit; nec accipit, nisi qui desiderat, nec desiderat, nisi quem ignis Spiritus sancti inflammat. Est igitur quartus status privationis rigorosæ, quo disponitur anima ad status supernaturales, & ideò medius censetur esse inter status naturales, & supernaturales, tanquam dispositio necessaria ad modum operandi supernaturaliter. In eo cessant discursus & conversio ad phantasmata: anima omnino expeditur, & depuratur à modo operandi humano & naturali: spoliatur omni solatio, omnibus externis exercitiis, omni sensibili consolatione: omnes potentiæ in fundo animæ commorantur languentes, ac desolatæ: deficit & obscuratur vivacitas intellectus: actus virtutum essentiali modo exercentur: nulla hic lætitia, sed tormentum inexplicabile. Dicant quid sit, qui experti sunt. Doctor melli-

(p) *Bonav. itin. 3. æternit. dist. 4. art. 3.* (q) *D. Thom. 2. 2. qu. 180. art. 6.* (r) *Dion. c. 4. de div. nominib.* (f) *Alvarez to. 3. lib. 5. p. 3.*

mellifluus (t) comparat hunc statum morti spirituali, quam vocat mortem Angelorum. Rusbrochius (u) divini spiritus & nostri concertationem appellat, & quandam desperationem: Taulerus (x) pressuram internam: Harphius (y) languorem infernalem, & divisionem animæ ac spiritus: Barbansonius (z) item divisionem naturæ ac spiritus: Maria Vela sanctimonialis Cisterciensis (1) terribile martyrium: B. Catharina Genuensis (2) horribile & indicibile tormentum. Johannes à Cruce (3) sub noctis obscuræ symbolo eum pingit, & purgatorio assimilat. Thomas à Jesu (4) purgatorium quoque esse dicit in viâ contingens. B. Angela de Fulgineo (5) maluisset in inferno esse, quàm talem privationem sustinere, quæ in ipsa mirabilis fuit. Seraphica Virgo Teresia (6) quid pateretur in hâc pressurâ constituta, ipsa enarrat in vitâ, & scriptis suis. Alia aliorum effata prætermitto, & transeo ad alium statum. Hic est quintus, & dicitur status mysticæ unionis, quandò à pressurâ rigidæ privationis respirans anima incipit revivisscere, & spe interioris perceptionis erecta lumen & amorem suscipit, in libertatem spiritus paulatim transit; & quantò ampliùs ascendit, tantò facilius capacitatem spiritus erigit ad superiora, donec à Deo sursum tracta perveniat ad felicissimam cum ipso unionem. Sextus est status Transformationis per donum Sapientiæ, per quam intelligimus, non substantialem Transformationem. Absit, ut consentiamus errori jam pridem damnato, quòd quidam opinati sunt, animam hominis à proprio esse desinere, & in ipsam Dei essentiam transire: sed arctissimam unionem cum summo bono, qua Mysticus divinæ consors naturæ factus modo perfectissimo, in eamdem imaginem transformatur de claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu, ita ut in ejusmodi felicitate perfecta ratio mysticæ possessionis inveniatur. Hujus Transformationis duplex est modus: unus quo ex alto ad inferiora descendere dicitur; alter, quo ab inferioribus ad superiora ascendit. *Charitas enim*, ut verbis utar S. Bonaventuræ, (7) *ad superiora ascendit, ut in eis requiescat; ad inferiora tendit, ut ea ad se reducat: sursum movetur, ut illic maneat; deorsum, ut redeat.* Porrò hic anima silentii mystici quietam fruitionem adipiscitur, quousque spiritum suum supra se in alto videat. Licet enim in statu unionis supremas spiritus fruitiones experiatur, nondum tamen plenam requiem & appetitus satietatem consecuta est; quia frequenter reincidit in carentiam & cessationem unionis: in hoc autem statu nullam patitur distractionum molestiam; nullam passionum inordinationem, nullam gaudii spiritualis interruptionem. Septimus denique status est Sanctorum militantis Ecclesiæ, quandò anima abundantiori gratiâ, vitæ eximiâ sanctitate, dono miraculorum, aliisque gratiis, quas gratis datas vocant, à Deo illustratur. Hujus autem status ecstases, raptus, & alias mirabiles operationes revereri oportet & admirari, non æmulari.

4. Hi sunt gradus & status vitæ contemplativæ, quos, Deo auspice, majori quâ potui claritate & brevitate explicare conatus sum: à suis enim Auctoribus fusius & obscurius describuntur. Quæ verò ex præfatis divisionibus præferri debeat, non est meum definire. Hoc solum admoneo, quod Richardus gradus distinxit in ordine ad potentias; quarum ministerio Anima contemplatur. Angelicus doctor modum respexit operandi. Jacobus Alvarez non tam gradus recensct, quàm effectus & proprietates contemplationis. Thomas à Jesu in primâ & mediâ Hierarchiâ omnia objecta complectitur, circa quæ versatur contemplatio: in tertiâ modum tradit, quo anima suum primarium objectum perfectius contemplando attingere potest. Tandem Victor Gelenius non gradus contemplationis, sed vitæ mysticæ & contemplativæ varios status sibi invicem succedentes describit, methodum servans & ordinem, quo solet Anima ab infimis ad suprema per media progredi. Legimus quidem, aliquem nonnunquam extitisse, qui ab infimo statu ad supremum sine medio pertractus fuit: sed hæc privilegia singularia sunt, quæ Deus omnipotens, quandò vult, operatur: quæ nec trahere in consequentiam licet, nec curiosè perscrutari. Sapientia Dei infinita est, justissima providentia, judicia ejus abyssus multa. Aliquando imperfectis gratiam contemplationis largitur, quam perfectis



(t) *Bern. serm. 52. in Cant.* (u) *Rusbroch de orn. spirit. nuptiar. l. 2. c. 59. & seq.* (x) *Tauler. serm. 1. Domin. 15. post Pentec.* (y) *Harpius l. 3. c. 13.* (z) *Barbanson. semit. occult. p. 2. c. 10. & 11.* (1) *Vita Mariæ Velæ p. 2. c. 43.* (2) *Catharina Genuen. Dialogi c. 2.* (3) *Johan. à Cruce passim in Ascen. mont. Carm.* (4) *Th. à Jesu de orat. inf. l. 4. c. 19.* (5) *Angela de Fulgineo vitæ c. 19.* (6) *Teresia vitæ c. 25. & mansione 6. c. 1.*

(7) *Bonav. 4. itin. æter. dist. 5. art. 3.*

negat: & uni dedit quinque talenta, alii unum. Dicam cum Augustino: (8) *Nemo venit ad Deum, nisi tractus. Non traheris? ora ut traharis. Quare autem illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare.* Si Dei beneficio ad sublimiora evectus es, custodi thesaurum tuum cum humilitate, & gratiarum actione: si relictus es in gradu inferiori, cave tepiditatem, & negligentiam; & te perfectiùs semper exerce in meditatione & aspirationibus; nam ut docet Johannes Abbas apud Cassianum: (9) *Melius est devotum in minoribus, quàm indevotum in majoribus professionibus inveniri.*

5. Libet autem hic quærere, & obstupescere, unde proveniat, tam exiguum esse numerum incumbentium mysticæ Theologiæ & contemplationi cùm sint tamen innumeri viri pii & religiosi, divinæ gratiæ consortes, & donis Spiritus sancti præditi: crescitque admiratio expensa ratione habitus, qui quò nobilior est, eò majorem confert potentiæ operandi facilitatem. Cum sit ergò in omnibus justis habitus sapientiæ, quæ est donum Spiritus sancti, cur è tot millibus vix unus reperitur rerum divinarum contemplator? Profectò mirum est hoc, & possumus cum Propheta (10) plorare & dicere, *Viæ Sion lugent, eò quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem.* Hujus rei causas subtilius indagare, majoris otii, & voluminis foret. Nonnullas breviter attingam. Calaguritanus, (11) qui hoc dubium proponit, causam potissimam esse putat, non seriò vitare leviores culpas, nec perennem cordis alere puritatem: si enim hæc exquireretur, in cordibus puris facilè divina cerneretur imago. Hæc ille verissimè, nam & sapientes Ethnici hanc veritatem cognoverunt. Hierocles (12) tunc hominem posse fieri divinum ait, cùm exuerit quidquid humanum est. Musonius apud Aristidem, (13) *Ejice*, inquit, *quod est in animâ mortuum, & Deum agnoscet.* Plato mentem à corpore separandam asserit, ut Deo jungatur. Alii causam rejiciunt in naturalem corporis, & temperamenti dispositionem, ratione cujus nonnulli ad mysticas functiones inepti sunt: nam teste Magno Gregorio (14) sunt quidam ita inquieti, ut sedere cum Maria ad pedes Christi minimè valeant. Sed ut observat sanctæ memoriæ Episcopus Genevensis (15) debent, qui sunt hujusmodi, naturam vincere ope divinæ gratiæ, quæ omnibus invocantibus adest, & volenti nihil difficile. Ludovicus à Ponte (16) aliam assignat rationem, singularem Dei providentiam in Ecclesiæ gubernatione, in quâ diversa officia & gradus sunt. Quare debet unusquisque suam attendere vocationem, & invitantis vocem sequi, omnia removendo impedimenta. Præclarè Bernardus, (17) *Omnes nobis causamur deesse gratiam, sed justius forsitan ipsa sibi queritur gratia deesse nonnullos. Nempè res cordis est gratia devotionis ista quam quærimus, & hoc munere ipse se fraudat, qui internum ei dissimulat receptaculum exhibere.*

6. Quòd si loquamur non simpliciter de contemplatione, sed de transitu à modo operandi humano, & naturali ad divinum & supernaturalem; advertendum est, non nisi post longam & durissimam probationem, quam in statu privationis suprà descripto anima experitur, à Deo concedi, quâ de re mysticum admonere placuit, ne diutino labore pertæsus animum despondeat, & à cœpto itinere retrocedat. Et ne videat temerè loqui, adfero exempla. Ubertinus de Casali (18) quatuordecim annis laboravit, priusquam introduci ad intimam perfectionem mereretur. S. Teresia (19) octodecim annis intolerabiles angustias passa est. S. Franciscus (20) per biennium gravissimo mœrore tabescebat. B. Clara de Monte Falco (21) quindecim annos huic privationi impendit. B. Catharina Genuensis martyrium suum in suo dialogo ipsa describit. Altera Catharina Bononiensis (22) per quinque annos valdè desolata fuit, & à Dæmonibus exagitata. Maria Ægyptiaca (23) septemdecim annis afflicta ad purum decoxit scoriam suam. B. Maria Magdalena de Pazis (24) per annos quinque, & deinde per alios sexdecim tantam ariditatem passa est, ut videretur à Deo derelicta. B. Henricus Suso (25) per decennium divinâ caruit consolatione. Balthasar Alvarez (26) vir eximiæ sanctitatis è Societate Jesu

(8) *August. tr. 26. in Johan.* (9) *Cassianus coll. 19. c. 3.* (10) *Thren. 1. 4.* (11) *Johann. à Jesu Maria myst. Theol. c. 3.* (12) *Hierocles initio Carminum Pythag.* (13) *Aristides 6. sacrorum sermonum to. 1.* (14) *Greg 6. moral. c. 17.*

(15) *Sales de div. amore lib. 12. c. 1.* (16) *Ponte Ducis spirit. tr. 3. cap. 2.* (17) *Bern. initio serm. de triplici custodia.* (18) *Ubertinus de Casali Arb. vitæ prolog. 1.* (19) *Teresia vitæ suæ cap. 30.* (20) *Chronic. Minor p. lib. 1. c. 59.* (21) *Harpius lib. 2. p. 5. collat. 3. in fine.* (22) *Cathar. Bononien. l. de 7. armis.* (23) *In vitis Patrum lib. 1.* (24) *In vita ipsius.* (25) *Henr. Suso vitæ suæ cap. 23. & 32.* (26) *Lud. Ponte in vita Balth. Alvar. c. 2. & 13.*

Jesu non nisi post sexdecim annos in vitâ mysticâ cum tenebris & labore decursos divinæ lucis adeptus est illustrationem. Thomas à Jesu (27) annis pluspuam viginti laborans percipere non potuit, quid sit unio animæ cum Deo, donec tandem divina bonitas ei revelavit. Quòd si in viridi hæc facta sunt, in arido quid fiet? Animo igitur infracto in viâ Domini perseverare oportet, & ab ejus disciplinâ non deficere, quia ut ait B. Laurentius Justinianus, (28) in bono occupatos non derelinquit, illosque ex insperato, & in nesciente caligine visitare consuevit. D. Bernardus (29) usque ad finem vitæ hanc spem, & patientiam extendit, sic enim ait: *Multi totâ vitâ suâ ad hoc tendunt, & numquam pertendunt: quibus tamen, si piè, & perseveranter conati sunt, statim ut de corpore exeunt, redditur quod in hâc vitâ dispensatoriè est negatum: illuc perducente eos solâ gratia, quo prius tendebant ipsi cum gratia, ut consummati in brevi, expleant tempora multa.*

7. Desino, si prius explicavero, quod ante promisi, animæ scilicet & potentiarum ejus divisionem secundùm Mysticos. Marius Victorinus Afer (30) duas distinguit animas in homine, duas mentes, duplicem rationem cœlestem & hylicam. Constat enim homo duplici naturâ corporali & spirituali, & ideò duplices debet habere operationes corporales, & spirituales; quarum ordinem & directionem in proprium finem respicientes Mystici hominem animalem & spiritualem distinguunt, non per substantiam, sed per meriti qualitatem, ut loquitur Paulinus Aquilensis. (31) Animæ autem vires sive potentias in Ordine ad contemplationem sex esse statuit Seraphicus Bonaventura, (32) nempe sensum, imaginationem, rationem, intellectum, intelligentiam, & apicem mentis, sive synderesis scintillam. Asserunt quidem Philosophi, rationem, intellectum, & intelligentiem non esse diversas potentias; non tamen negant esse diversos actus, sive gradus intellectus. Nam vis intellectiva, in quantum est discursiva, dicitur ratio: in quantum est simpliciter intuitiva, dicitur intellectus: in quantum est Divinitatis contemplativa per simplicem apprehensionem, dicitur intelligentia, quod optimè Richardus (33) observat. Synderesis verò, quæ est habitus rationis practicæ animæ concreatus, quo prima principia in operabilibus naturaliter cognoscit, meritò à Mysticis apex mentis nuncupatur, & scintilla rationis sive intelligentiæ, quia per eam sortitur anima quendam respectum ad Deum immediatum, quo capax est ab ipso immediatè tangi & irradiari: & quia semper nata est in superioribus figi, & ad divina elevari: illustratque animam splendore cognitionis, & ardore inclinationis ad bonum eam succendit. Hæc ad mentem Bonaventuræ. Alii aliter procedunt. Animam vocant secundùm operationes partis sensitivæ & appetitivæ: spiritum quoad vires rationales. Mens vel apex spiritus est nudus ac Deiformis animæ fundus, id est simplex animæ essentia imagine Dei insignita. Per fundum autem intelligo animæ nostræ *higemonicum*, seu principem partem, ut voce utar Stoicorum, aliter tamen quàm ipsi intelligant. Concipio enim animam tanquam vas quoddam lucidum, capax omnium illuminationum, & umbrarum à rebus quibuscunque provenientium. Sicut autem infimum vasis fundus vocatur omnia superinfusa sustentans ac retinens: ita princeps nostri pars, seu apex mentis idem sortitur nomen. Et sicut fundus eò magis absconditur, quò magis repletur corporibus densis: ita anima eò minùs divinam percipit irradiationem, quò crassiores species rerum terrenarum Dei illustrationi superinfundit. Cunctis verò imaginibus creaturarum evacuatis, simplex dumtaxat, & amabilis Dei vultus in fundo animæ apparebit. De hoc fundo plura Taulerus, & alii Mystici passim. Ejus quoque mentionem facit S. Diadochus Photicensis Episcopus, (34) qui vixisse creditur circà finem quarti sæculi, quod notare volui, ne quis hanc vocem novitatis incuset.

8. Quoniam autem huc perveni, & hanc brevem Isagogem mysticæ Theologiæ, Deo duce, conscripsi; jam ad praxim Aspirationum descendendum est, si priùs hymnum cecinero, quo & gratias primæ omnium causæ agam, & vires postulem ad ea quæ desunt perficienda.



(27) *Th. à Jesu in præf. lib. de orat. infusa.* (28) *Laur. Justinianus de triumphali Christi agone c.* 17. (29) *Bern. ser.* 3. *de Circumcis.* (30) *Mar. Victor. in fi. lib.* 1. *adv. Arium.* (31) *Paulinus Aquileien. in libello adv. Felicem Urgelitanum, & Elipantum Toloſanum episcopos.* (32) *Bonav. itinerar. mentis in Deum c.* 1.

(33) *Richard.* 1. *de Contempl. c.* 9. (34) *Diadoc. de perfect. c.* 26. & 33.

*O Fons decori luminis, (35)*
*O lux serena siderum,*
*Ignis Deus purissime,*
*Vigor perennis cordium.*
*Te voce semper, te prece,*
*Te mente gratâ, vindicem*
*Meæ salutis concinam,*
*A Sole Eoo ad Hesperum.*
*Tu spes mihi, tu præmium,*
*Tu portus es fiduciæ:*
*Te fretus uno pertuli*
*Sortis procellam turbidæ.*
*Inter labores asperos*
*Lumen tuæ clementiæ,*
*Repentè fulgens, vim procul*
*Abesse jussit Tartari.*
*Salve supernum incendium,*
*Clarumque mentium jubar:*
*Ad te revertor, supplicem*
*Voca per ignes mysticos.*
*Descende flamma, illabere*
*Cœlorum ab arce fulgida,*
*Infunde cœno pectori*
*De fonte lucis lumina.*
*Cor, ossa, fibras concrema,*
*Venas, medullas, viscera,*
*Ipsamque mentem, ac spiritum,*
*Ut totus ardeam tibi.*
*O sors beata, ó gaudium,*
*Conjuncta cum mens Numini,*
*Et immemor rerum omnium,*
*Te diliget perenniter.*
*Summo Parenti Cœlitûm,*
*Natoque, & almo Flamini*
*Sit laus, decusque perpetim*
*Nunc & per omne sæculum.*

## CAPUT XI.

*Gemitus animæ pœnitentis pro Incipientibus.*

QUàmvis expertis difficilè non sit, propriis motibus ad Deum assurgere, possitque unusquisque ex pharetrâ sui cordis sagittas orationum depromere; ne his tamen deficientibus pius Asceta aridus reperiatur, defectuve lignorum mysticus ignis in arâ cordis extinguatur: ex scripturâ, & Sanctis Patribus sylvulam Aspirationum collegi, pro triplici statu Incipientium, Proficientium, & perfectorum; in quarum usu & praxi quid servandum sit, jam supra explicatum est. Habes hîc eas in varias decades distributas, quò faciliùs valeant memoriæ mandari: cui studio aliquot dies tribuendi sunt. Quid enim prodest multas Aspirationes in libello descriptas habere, nisi etiam memoriæ inscripta, imò & insculpta sint, ut in promptu habeantur omni horâ, & memento? Propono autem primo loco gemitus animæ pœnitentis, naturæ, & doctrinæ ordinem sequutus: quia, ut perveniamus ad id quod nondum sumus, purgare primò id quod sumus, & lacrymis eluere debemus.

(35) *Ex libello meorum Carminum nondum impresso.*

## DECAS. I.

1. DOmine Deus meus, ego vilissimus sum peccator; indignus planè, quem terra sustineat. Miserere mei, & salva me.

2. Domine, qui es summum bonum meum, quàm longè per peccatum recessi à te, & habito in regione hâc longinquâ miseriarum, ubi perdidi me.

3. Pater amantissime, peccavi in cœlum & coram te, verè non sum dignus vocari filius tuus, fac me obsecro sicut unum de mercenariis tuis.

4. O quàm pœnitet me peccâsse, dulcissime Deus, quàm pœnitet me, quòd legem tuam transgressus sum: ampliùs lava me ab iniquitate meâ, & à peccato meo munda me.

5. Domine Deus meus detestor peccata mea, abominor universa flagitia mea, confiteor ingratitudinem meam, & confugio ad aram misericordiæ tuæ.

6. Ablue me Christe Jesu pretioso sanguine tuo, & munda me ab omni peccato.

7. Sana Domine animam meam peccatis vulneratam, unge oleo gratiæ tuæ cicatrices delictorum meorum, ne quæso despicias me.

8. Domine Deus piissime, ab hâc horâ nunquam transgrediar legem tuam, nunquam ampliùs consentire volo in aliquod peccatum: malo incurrere omnem pœnam, omnem infamiam, atque ipsam mortem, quàm deinceps peccare.

9. O Pater amantissime, da mihi ut faciam fructus dignos pœnitentiæ, & puniam delicta mea debitâ castigatione.

10. Erravi sicut ovis quæ perierat, audio tamen

tamen dulcissimam vocem tuam: Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen ad me revertere & ego suscipiam te.

## DECAS II.

1. NUnc cœpi, Domine, nunc vivere incipio, non in fortitudine meâ, neque in virtute brachii mei, sed in multitudine miserationum tuarum: confirma hoc tu, quod operatus es in me.

2. Tu, Domine, integros sensus & cor docile tribuisti mihi: sed heu me miserum & infelicem, quia omnibus bonis tuis abusus sum! Tu verò Pater misericors peccantem revocâsti, & à pœnis inferni liberasti.

3. Doleo & angor vehementer ob innumera peccata mea, quibus te benignissimum Redemptorem offendi, diaboli servum me feci, indignationem tuam provocavi.

4. O si nunquam, Amantissime Pater, præcepta tua transgressus essem! ô si nunquam in tantam miseriam, & calamitatem incidissem! ô si nunquam peccassem! ô illos felices, qui innocentiam non perdiderunt, qui baptismatis gratiam illibatam custodierunt.

5. Statuo, summe Deus, imposterum non peccare: firmissimè propono tua sanctissima præcepta non transgredi; verè & ex corde decerno cum adjutorio gratiæ tuæ universam legem implere.

6. Respice in me, Domine, oculis misericordiæ tuæ, dele præterita peccata mea, concede mihi per bonitatem tuam gratiam emendationis.

7. O quanta fuit hactenus ignavia mea! tempus ad pœnitentiam concessum perdidi, gratiam & auxilia rejeci, vocibus tuis, quibus me vocabas, obsurdui: & nunc, Domine, quid faciam? Pœnitet me peccâsse, miserere mei.

8. Eheu Domine Deus, quanta sunt vulnera mea, quanta infirmitas, & pravitas mea, pro quibus sanandis crucifixus es & occisus.

9. Deus propitius esto mihi peccatori: Jesu filii Dei vivi miserere mei.

10. Dominator vitæ meæ, ecce vides, quia non est in me bonum, nec sanitas animæ meæ: miser & cœcus sum, nihil possum, nihil sum sine te.

## DECAS III.

1. O Salvator piissime, tu scis quot mala commisi, quot bona omisi: propitius esto mihi, & salva me.

2. O magna domus Dei, quàm vilis mihi fuisti, & quàm turpiter te pro nihilo contempsi?

3. O quàm justè me in infernum detrudere poteras, justissime judex, & mihi clementer pepercisti.

4. Confiteor, Domine, me omnium quos mundus habet vitiosissimum esse; sed nihilominus in immensâ confido bonitate tuâ. Et si sunt super numerum peccata mea, non est etiam numerus misericordiæ tuæ.

5. Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.

6. Deus meus, misericordia mea, oro te per dilectum filium tuum, da mihi virtutes amplecti, vitia rejicere, terrena calcare, cœlestia sitire.

7. Væ tempori illi, quando te non cognoscebam summum bonum animæ meæ: væ cœcitati illi, quando te non videbam.

8. Domine Deus meus, quando plenè mihi moriar, & tibi vivam? quando me ab omnibus rebus terrenis expediam? quando sensus meos & affectus plenè cohibebo, & quidquid est in me vitiosum frænabo?

9. O si jam mundum contemnerem! ô si terrena calcarem! ô si quod amant mundani pro nihilo ducerem!

10. Utinam ab omni vitio purgatus, & ab omni inordinatâ affectione emundatus divino illapsu dignus essem, & cœlestium charismatibus gratiarum.

## DECAS IV.

1. MOrtifica, Domine, passiones meas, cohibe illas, & moderare amore & præsentiâ tuâ, ne me perturbent; sed magis ad id juvent, cujus gratiâ eas dedisti, ad bonas scilicet operationes.

2. Amove à corde meo inanes cogitationes, & verear illud evolvere in conclavi animæ meæ, ubi tu habitas, quod, si ad notitiam hominum venturum esset, cogitare erubescerem.

3. Vilescat mihi, Domine, omnis creatura, & nihil mihi placeat, nisi tu.

4. Dulcis Jesu, quàm amabilis est gratia tua, quàm suavis amicitia tua? ne quæso abjicias me propter peccata mea.

5. Ne projicias me Deus à facie tuâ, accelera precor, & sensus meos erue citò de luto fœcis.

6. Ablue me, Domine, pretioso sanguine tuo, sana me vulneribus tuis, sanctifica me amarissimâ passione & morte tuâ.

7. Qui plasmâsti me, & per crucem tuam redemisti mundum, adjuva me, & miserere mei.

8. Aperi mihi viscera benignitatis tuæ, clementissime Pater, recipe me in gratiam tuam, & dimitte omnia peccata mea.

9. Da mihi Domine fortis, & patiens tantam contritionem, quantam scis deberi peccatis meis. Peccavi, miserere mei.

10. Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas: hic me castiga, & noli in futurum reservare mala mea.

## DECAS V.

1. PEccavi super numerum arenæ maris; indignus sum, Domine, miserationibus tuis, sed misericordia tua superat scelera mea.

2. Nonnè dixisti, Domine, gaudium esse in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente? exple igitur hoc gaudium in cœlis de me.

3. Tu Domine, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, largire mihi vitam, quâ destituor.

4. Venistine Domine, ut justos traheres ad te, an ut peccatores? Si peccatores? ecce me maximum omnium, trahe me ad te.

5. Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam: & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

6. Asperge me Domine sanguine tuo, & super nivem dealbabor.

7. Cor mundum crea in me Deus, detersis sordibus animæ meæ.

8. Redemptor animæ meæ, quamdiù avertis faciem tuam à me, & non succurris gementi?

9. Ecce me filium prodigum, & prodigo deteriorem: miserere Pater, & dona me annulo, & veste, & dignum fac amplexu tuo.

10. Non sit fruſtrà pro me fusus sanguis tuus, dulcissime Salvator, sed in salutem, & vitam æternam.

## DECAS VI.

1. QUousque non mederis vulneribus meis medicorum peritissime, & clementissime Jesu Christe? Ecce cœcus sum ad videnda, quæ recta sunt, claudus ad preces, paralyticus ad opera bona: miserere, & sana me.

2. Sanguine tuo medere mihi Domine, & cura vulneribus tuis vulnera mea.

3. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me.

4. Ecce ego servus tuus sum, & filius ancillæ tuæ, lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

5. Non mereor filii nomen, & tamen tu pater es: semper sis, ut semper sim filius.

6. Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Utinam non peream in insipientiâ meâ.

7. Dixi, confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.

8. Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me.

9. Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo.

10. Memento quæso quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.

## DECAS VII.

1. NOn intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Misericordiâ indigeo, pacem quæro, non judicium.

2. Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte universa delicta mea.

3. Ostendo tibi Pater immania delicta mea, quæ libentiùs occultarem, si possem, & oblitterarem sanguine cordis mei. Atque utinam aboleantur unâ guttâ sanguinis dilectissimi Filii tui, Redemptoris mei, ne appareat coram te fœditas mea.

4. Heu me, Domine, quia pejor Dæmonibus sum; & in naturâ quidem manifestum est, in moribus etiam fateor, nam video plura in me peccata, quàm in illis.

5. Confiteor tibi, Deus meus, dedecora mea in laude tuâ: recolo coram te scelera mea, non quòd ea amem, sed ut amem te lumen oculorum meorum, & fontem misericordiarum.

6. Pu-

6. Puriſſime & ſanctiſſime Deus, malo millies mori, quam te vel leviſſimè offendere.

7. A nullo hoſte magis timeo, quàm à meipſo. Quis me cuſtodiet à meipſo? Non utique ego. Niſi enim tu cuſtodieris me, fuſtra ego vigilo ad mei cuſtodiam.

8. Veni Domine ad me, quia longè receſſi à te. Doce me venire ad te, non enim poſſum, niſi tu, qui es via, doceas me.

9. Deteſtor peccata mea, Deus meus, corde ſalvatoris mei: Sicut cor Jeſu ea flevit, ita ea ploro & abominor.

10. Quis mihi det, ut ſit magna velut mare contritio mea, ex quo lachrymarum flumina exeant, & in illud intrent, ut iterum ac perenniter fluant?

## DECAS VIII.

1. O Ubi eſtis lacrymæ, ubi dolores? Deſerite omnes, & in me tot ſcelerum reum agminatim irruite.

2. O quàm bonum erat mihi, ſi natus non fuiſſem: neque enim vitam mihi dediſti; ut te offenderem Deus meus.

3. O Sol mundi ocule, qui me toties peccantem aſpexiſti, utinam me deinceps non niſi dolentem, & lugentem aſpicias.

4. Contremiſcite omnes artus mei ad horrificum nomen peccati. Et vos omnes creaturæ vindicate in me creatoris offenſam.

5. O qualem Deum offendi, quàm amabilem, quàm amantem mei, Deum dilectionis, beneficentiæ, & bonitatis?

6. Quid iniquitatis inveni in te, ò bone Jeſu, ut tam crudeliter, tam impiè agerem tecum?

7. O ſi quod factum eſt, poſſem infectum reddere! ò ſi tempus præteritum revocare! quàm libenter cum perditâ innocentiâ vitam commutarem!

8. Pœnitet me peccaſſe Deus meus, ſemperque pœnitebit: & ſi poſſem, infinito dolore dolerem, quòd offenderim te.

9. Convertere Domine, & eripe animam meam, ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

10. Vide Domine afflictionem meam amaram nimis, quia non eſt qui auxilietur mihi, niſi tu Deus meus.

## DECAS. IX.

1. S Iccine permittis, Domine, me indigniſſimam creaturam tuam à terrâ ſuſtentari? ò quanta eſt bonitas, & miſericordia tua!

2. Placare, Domine, & oſtende mihi ſerenum vultum tuum.

3. Ecce Deus tuus, anima mea, ecce qui delet peccata tua: vide quanta pro te pertulit, quantâ charitate te diligit: cave nè unquam ab eo diſcedas.

4. Hoc unum à te peto Domine mi, exaudi me, ut non peccem, ut cognoſcam, & faciam voluntatem tuam.

5. Veni Domine in cor meum, fac flagellum de funiculis, & ejice ab eo omnes profanantes domum tuam.

6. Da mihi, Jeſu benigniſſime, unam ex tuis lacrymis, quas pro me uberrimè effudiſti, ut eam offeram Patri tuo in ſatisfactionem pro peccatis meis.

7. Recipe fugitivum tuum, Clementiſſime Pater, pateat mihi pulſanti janua tua, accipe me fugientem ab inimicis.

8. Mortifica & avelle à me quidquid diſplicet tibi: vivifica, & auge in me, quod tibi placet, tu qui mortificas, & vivificas.

9. O Pater amantiſſime, ſi vis potes me mundare. Sana animam meam, quia fateor me peccâſſe.

10. O ſi omni vitio carerem! ò ſi ſenſus ab illicitis objectis chiberem! ò ſi totus compoſitus intus & foris eſſem! Quando, quando ab omni labe purus ero? Quando ita expurgatus, & ordinatus, ut nihil appareat in me, quod intuentium oculos poſſit offendere? Adjuva me Domine Deus meus, & peccatricis animæ meæ ablue ſordes.

---

## CAPUT XII.

*Pia deſideria ad uſum Proficientium.*

ANima, quæ à Deo aberraverat, poſtquam rediit in viam bonam, ſimilis eſt filiis Iſraël, quos Dominus in manu forti de ſervitute Ægyptiacâ liberavit. Sicut enim illi egreſſi de Ægypto in terram fluentem lac & mel, duce Moſe, progreſſi ſunt: ita anima ad ulteriora procedere debet; contemptis hoſtium tentationibus ad reditum in Ægyptum ſolicitantibus, quia Dominus pro nobis pugnat, & adjutor noſter eſt;

est; virtus nostra, & tutissimum refugium? ad quem fervidis motibus cor erigere, ejusque opem jugiter implorare debemus piis desideriis & aspirationibus, quæ statui Proficientium specialiter conveniant. Harum decades aliquot subjicio in usum, & exemplum.

## DECAS I.

1. ILlumina, Domine, oculos mentis meæ lumine fidei, & sapientiæ, ut te semper respiciam tanquam exemplum mihi datum ad vitam sanctè instituendam.

2. O si vires animæ, Christe dulcissime, per vires sanctissimæ animæ tuæ perficeres, & reformares! Utinam imaginem tuam in meo animo & corpore effingam!

3. Deus meus, & vita animæ meæ, quis ego sum, & quæ domus patris mei, ut præstares mihi tot beneficia? A te Domine, & ad te creatus sum: tu requies mea, tu centrum animæ meæ.

4. Bone JESU, spes mea, & refugium meum, saluto & veneror suavissima vulnera tua: immerge me, & absconde in illis: imprime illa cordi meo, ut tui amore totus ardeam, & medullitus tibi compatiar.

5. Da mihi, Domine, intentionem rectam, ut ex filiali amore tuum honorem & beneplacitum in cunctis quæram. Da intentionem perfectam, ut nec spiritualem consolationem exquiram, sed in omni desolatione tibi adhærere concupiscam.

6. Tolle Domine à corde meo nimium amorem mei, & infunde perfectum tui amorem: tolle cor servi pigri, & minùs fidelis, & da cor filii per sanctam fiduciam in te sperantis.

7. O si tui dumtaxat recordarer, te solum cogitarem, te solum diligerem!

8. O si januas sensuum meorum rebus mundanis occluderem, cunctisque virtutibus ornarer, ut tibi per omnia placerem!

9. O si mentem meam ab omni multiplicitate expedires, ò si eam penitus in te colligeres!

10. Quæram te diligenter summum bonum meum, te solicitè cupiam immensa pulchritudo mea, ad te velociter curram, vera requies animæ meæ.

## DCAS II.

1. DIscedite à me creaturæ omnes, vestrarum curarum me expertem relinquite, nè impediatis salutem animæ meæ, nec me ab assiduâ Dei memoriâ interpellatis.

2. Ne me permittas, Domine, in salebrâ tepiditatis hærere, & caligine ignorationis obvolvi; sed expedi vires meas, ut ad perfectionem velociter curram.

3. In tuum pretiosum sanguinem me totum projicio; ut universa delicta mea & imperfectiones absorbeat, ac in humilitate, patientiâ, cæterisque virtutibus contineat.

4. Hoc unum volo, Domine, hoc unum desidero, hoc unum peto, ut benignis oculis respicias me.

5. Illumina cor meum, accende affectum, robora manus, ut eum virtutis gradum, ad quem sum destinatus, per tuam misericordiam adipiscar.

6. Præsta Domine, ut per mei perfectam abnegationem ad perfectum tui amorem perveniam. Tu jussisti ut diligam te, da quod jubes, & jube quod vis.

7. Seda precor tentationum procellis agitatam animam meam, tu qui mari terminos ponis, & dicis: Huc usque venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos.

8. Adorna Rex Sion thalamum animæ meæ, sponsæ tuæ, ut nihil admittat, quod non sit honestum & decorum, nihilque in eâ appareat, quod displiceat oculis tuis.

9. Utinam, Domine Deus meus, verè mitis essem, & humilis corde; verè pauper, & nudus spiritu.

10. Ecce, Domine, constituo me in infimo solo, infra omnem creaturam, quia peccator sum, & omnium indignissimus.

## DECAS. III.

1. OMnem voluntatem meam in tuam, Domine, transfundo: fiat voluntas tua de me & per me in tempore, & in æternitate.

2. Conforma me, suavissime JESU, sanctissimæ humanitati tuæ, & da mihi liberam ad te introversionem.

3. Instrue, dirige, & adjuva me in omnibus, ut nihil agam, nihil loquar, nihil cogitem, nihil velim, nisi quod tibi sit acceptum.

4. Benedico, & gratias ago omnipotenti clementiæ tuæ, Domine Deus meus, nam quidquid mihi impendi potuit à largitate tuâ, recepi semper inæstimabiliter supra condignum.

5. Domine quid me vis facere? fac ut vivam in beneplacito tuo.

6. Da mihi, Domine, mentem tranquillam, & excita in me castæ dilectionis ardorem.

7. Illu-

7. Illucesce mihi anhelanti ad te, ne tenebræ mortis me comprehendant.

8. Quàm bonum est pati pro Christo, pro Christo affligi, contemni, & mori?

9. Ave dulcis Jesu, qui pro me mori dignatus es, ne permittas me damnari, quem tuo pretioso sanguine redemisti.

10. O dulcis Societas, semper esse cum Christo: ô dulcis vita cum Christo vivere, cum Christo pati, & mori!

## DECAS IV.

1. SErviat tibi, Domine Deus, quidquid ago, quidquid loquor, quidquid cogito: omne opus à te incipiat, in te finiatur.

2. Servus tuus ego sum, da mihi intellectum Domine, ut discam mandata tua: nolo mei ipsius esse, tu libera me ab omni proprietate.

3. O quàm suave est sedere in solitudine, & tacere, cum solo Jesu loqui, solum Jesum meditari, in quo sunt omnia bona!

4. Planta in me, Domine, radices solidarum virtutum, & fac excrescere cum viriditate boni operis, ne velut arbor infructuosa otiosus sim in domo tuâ.

5. O dulcis Jesu, fons omnium bonorum, fons vitæ & gratiæ, dirige gressus meos in semitis tuis, & doce me facere voluntatem tuam.

6. Cor meum evacua ab omni creaturâ, & ab omni impedimento: fac ut sim purus & simplex, ac totus in te defixus: ut nihil respiciam, nihil amem in creaturis, nisi quod tuum est, & propter quod creatæ sunt.

7. Da mihi fervorem spiritus tui, Jesu amantissime, accende in me ignem, quem venisti mittere in terram, ut tibi soli placere studeam, & ab omnibus propter te despici exoptem.

8. O unice dilecte Jesu, ne derelinquas me desolatum in hoc exilio! sed sicut promisisti, ita mecum age, ut vadas, & venias iterum ad me tempore opportuno, donec finito probationis certamine assumas me ad te ipsum.

9. Domine, virtus mea, sis in omnibus benedictus, in quibus me affligis; voluntatem tuam adimple in me, scio enim, quod nihil potes agere injustè.

10. Oro te, Deus meus, eripe distractum, & captivum animum meum ab omnibus concupiscentiis, & corporalibus imaginibus, ut teipsum in me illuminatâ ratione inveniam, qui me ad tuam pretiosam, & incorruptibilem imaginem fecisti.

## DECAS V.

1. DEus meus, omne bonum meum, quando replebis me gratiâ & charitate tuâ, ut cognoscam quòd tu sis mihi omnia, quòdque verè extrà te nihil sint omnia?

2. Orere mihi lux sempiterna, & inclinentur umbræ vanitatis meæ, ut ne atomus quidem me separet à te, aut obumbret mihi.

3. O quàm suavis est, Domine, spiritus tuus, & quam dulcia faucibus meis eloquia tua? utinam semper eorum memor sim ad faciendum ea.

4. Domine Deus, desidero laudare te pro omnibus qui te ignorant, vel blasphemant sive in terris, sive in inferno.

5. Intuere me oculis misericordiæ tuæ, & justitiam tuam longè fac à me, Deus meus, amor meus.

6. Tu scis, Domine, quia amo te: repelle à me quidquid displicet tibi.

7. Nihil habeo, quod offeram tibi, præter lacrymas contriti & amantis cordis; suscipe eas, & misce sanguini tuo, benignissime Jesu.

8. Tibi, Domine, hoc corpus nutrio, tibi conservo hanc vitam: vires mihi largire, ut serviam tibi.

9. Utinam efficere possem, dulcissime Deus, ut omnia gaudia, quæ sunt & erunt in mundo, non sint nisi de te. In te enim verum gaudium, in te vera consolatio.

10. Posside, bone Jesu, cor meum, & reple illud gratiâ tuâ.

## DECAS VI.

1. IN te vivam, in te moriar, suavissime Jesu, & tam in vitâ, quàm in morte cantabo tibi quia bonus es, & in æternum misericordia tua.

2. Absorbe, Domine, concupiscentiam meam dulcedine tuâ, quam abscondisti timentibus te, nè interior gustus vanis illectus, & deceptus, ponat amarum dulce, & dulce amarum.

3. Confugiat, Domine, mens mea sub umbrâ alarum tuarum ab æstibus cogitationum hujus sæculi, ut in te abscondita cantet. In pace, in idipsum dormiam, & requiescam.

4. Da quæso, Domine, cordi meo te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo amare.

5. Fac me funditùs mori huic mundo, & transeuntium rerum obliviscì præ magnitudine timoris, & amoris tui, ut nihil temporale diligam, aut metuam.

6. Deduc me, Domine, in justitiâ tuâ propter inimicos meos, dirige in conspectu tuo viam meam.

7. Salvum me fac, Domine, quoniam defecit Sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum.

8. Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.

9. Tu qui dixisti, si quis sitit veniat ad me, & bibat, da sitienti animæ meæ semper bibere ex te, ut secundùm promissionem tuam fluant aquæ vivæ de ventre meo.

10. Expelle à me, omnipotens Deus, jactantiam mentis; & auge cordis compunctionem: minue superbiam meam, & perfice in me veram humilitatem: libera me ab insidiis inimici, & conserva in tuâ voluntate.

## DECAS VII.

1. COgnoscam te, Domine, virtus mea, inveniam te desiderium cordis mei, diligam te vita animæ meæ.

2. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in sæcula sempiterna, ô beata Trinitas, pro omnibus contumeliis, quæ tibi ab impiis inferuntur.

3. Laudo te, Amor dulcissime, & glorifico te pro omnibus, & in omnibus bonis, quæ tua glorioſissima Divinitas, & beatissima Humanitas operata est in nobis per nobilissimum instrumentum cordis tui, & operabitur in sæcula sæculorum.

4. In te projectus sum ex utero, de ventre matris meæ, Deus meus es tu, ne discesseris à me.

5. Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

6. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum; redemisti me Domine Deus veritatis.

7. Complaceat tibi, Domine, ut eruas me; Domine ad adjuvandum me respice.

8. Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi; dic animæ meæ, salus tua ego sum.

9. Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.

10. Sitivit in te, Deus, anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.

## DECAS VIII.

1. MIserere mei Deus omnium, & ostende mihi lucem miserationum tuarum.

2. Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, & superexaltate eum in sæcula.

3. Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.

4. Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.

5. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, totâ die magnitudinem tuam.

6. Domine Deus virtutum quis similis tibi? potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.

7. Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me; quia mandatis tuis credidi: Doce me justificationes tuas.

8. Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tuâ fugiam? Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum, ades.

9. Ad te, Domine, levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam.

10. Vidi prævaricantes, & tabescebam; quia eloquia tua non custodierunt.

## DECAS IX.

1. QUis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia.

2. Opto, Domine, patiens esse, & humilis, & resignatus: tu pro me supplere digneris, quidquid mihi deest in his virtutibus.

3. O quàm desidero humilitatem habere! Da mihi thesaurum humilitatis tuæ, humillime Jesu Christe.

4. O quantùm desidero pati pro te, amantissime Jesu! Tametsi induxeris omnes fluctus tuos super me, lætus omnia tolerabo per gratiam tuam ob amorem tui.

5. Recordare, Domine, quia Pater meus es: ecce Anima mea nuda est, indue eam virtutibus tuis: ad patrem enim pertinet, nudam & pauperculam filiam vestire.

6. Quid volo præter te, Domine, aut quid mihi prodessent omnia sine te? Tu solus sufficis animæ meæ.

7. Quam vani sunt homines: qui te non quærunt; quàm miseri, & avari, quibus tu non sufficis?

8. O si omnium hominum quotquot fuerunt, sunt, & erunt, corda & voluntates solus haberem, ut iis te summè diligerem, unicum bonum meum?

9. In

9. In te, Domine speravi, non confundar in æternum. Et si Angelus de cœlo assereret mihi, me projectum esse à facie tuâ, non crederem illi. Et si tu ipse, summe Deus, diceres mihi, ego in æternum te damnavi, nolo audire preces tuas. Ignosce, Domine, in hâc re non crederem tibi; sed etiam si occidas me, & in inferno demergas me, semper in te sperabo.

10. Da mihi, Domine, vulnera tua: abhorreo enim videre cor meum, nisi vulneribus plenum, cùm te adeò crudeliter pro me videam crucifixum. Non possum vivere sine vulnere, cùm te undique videam vulneratum.

## CAPUT XIII.

### *Suspiria amantis animæ pro Perfectis.*

PErfectos appello, non ex omni parte: quis enim in hoc mundo? Imò, ut verissimè scribit Bernardus Drogoni Monacho, *Nemo perfectus est, qui perfectior esse non appetit; & in eo quisque perfectiorem se probat, quòd ad majorem tendit perfectionem.* Perfectos igitur voco, expurgatos à peccatis, ornatos virtutibus, qui in humilitate & charitate magnos jam progressus fecerunt, & ad intimam cum Deo unionem ferventi affectu aspirant. Quia verò perfectio in amore Dei consistit, motus anagogici ad Perfectorum statum pertinentes, ex amore potissimum desumuntur, ut ex subjectis formulis apparet.

### DECAS I.

1. O Dulcedo cordis mei, ô vita animæ meæ, ô essentia essentiæ meæ, & jucunda requies spiritus mei, abstrahe me ab omnibus creaturis, ut solùm requiescam in te.

2. O Domine Deus meus, spes mea & refugium meum, ô dilecte votorum meorum, quandò omnem dissimilitudinem & imperfectionem absumes in me?

3. O charorum omnium charissime, ô sponse floride, sponse mellislue, quando me ornabis illis monilibus, quibus tibi placebo?

4. Trahe me post te, sponse dulcissime, ut alacriter, purè, perseveranter curram in odorem unguentorum tuorum.

5. Effice me hominem secundùm cor tuum, præpara tibi in me gratam habitationem, ut ad me venias, & mansionem apud me facias.

6. Inebria me vino charitatis tuæ, ô pulcherrime amator meus, uni me tibi intimè, & me totum transmuta in te.

7. O ignis increate, quando me totum incremabis flammâ ardentissimâ amoris tui? quando peremptâ in me omni proprietate totus tuus ero?

8. O dilecte mi, quem solum quæro, quando mihi pulsanti, & gementi aperies? quando teipsum mihi manifestabis, & dices, salus tua ego sum?

9. O immensa dulcedo mea, quando me totum in te rapiens, absorbebis, & abscondes? Quod enim est mari absorbere unam guttam, hoc tibi est absorbere me.

10. O felicitas mea, ô totum & solum gaudium meum, quando sublatis omnibus impedimentis introduces me in cubiculum gloriæ tuæ, & me tibi inseparabiliter agglutinabis?

### DECAS II.

1. QUæsivi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram: frustrà enim laboro, quamdiu te non quæro.

2. Nolo te sequi, Domine, per viam consolationum, & delectationum; sed veri & puri amoris. Nolo id quod egreditur à te, sed te ipsum solum. Te solum volo, te solum desidero: nihil mihi extrà te.

3. In te, Domine, est omne esse meum, omnis delectatio mea, omne bonum meum: Si quid meum dico, si meipsum nomino, te solum intelligo, qui solus meus es, & omnis essentia mea in te est.

4. Anima mea sicut terra sine aquâ tibi: effunde ergò, clementissime Deus, largam super me benedictionem de rore cœli, & de pinguedine terræ viventium.

5. Utinam dirumperes cœlos, & ad me descenderes, ut durities mea liquefacta defluereret, & amore tuo totus ignitus inenarrabilibus te gemitibus invocarem.

6. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, & cogor ibi vivere, unde mallem abesse: cogor abesse à te, cum quo tantoperè cupio permanere.

7. O Amor quàm absconditus, quàm ignotus es? Te cupio, Domine, nihil aliud. Præbe mihi cor tuum, & accipe meum.

8. O si possem velocissimè totam terram peragrare, & clamore valido ubique vociferari, vivat amor Jesu Christi: Vivat amor Jesu Christi!

9. O superlucida, & delitiosa Trinitas unus Deus, pasce me tuis influxibus. O simplicissimum, & jucundissimum bonum, ô bonum incommutabile, imple me te ipso: transfer in te originem meam: introduc me in fundum animæ meæ.

10. O charum principium meum, quando te feliciter inveniam? quando te ardentissimè diligam? quando me totum in te rapies? quando me totum absorbebis, & sine medio tibi unies?

## DECAS III.

1. QUando obdormiam, & requiescam in te, pax mea dulcissima? quando plenè aspirabit mihi Divinitatis tuæ fragrantia? quando mihi exorietur dies sempiterna tuæ manifestæ visionis.

2. Per tuum cor transverberatum transfige, amantissime Jesu, cor meum jaculo amoris tui, ita ut nihil terreni continere possit, sed à solâ efficaciâ tuæ Divinitatis contineatur.

3. Ave JESU, sponse melliflue, saluto & veneror te omnium electorum tuorum affectu. Excita & rege spiritu tuo vivifico omnes motus cordis mei.

4. O amor meus & omne gaudium meum, quando inclinabitur umbra mortalitatis, & aspirabit dies æternitatis? quando depositâ sarcina corporis hujus cum Sanctis tuis te perenniter laudabo?

5. Recipe me, ô floride sponse, inter suavissimos amplexus amoris tui, quibus constrictus spiritus meus totus ardeat, & comburatur.

6. O bonum super omne bonum, ô finis sine fine, quando fruar te sine modo, & sine fine?

7. Pulcher es, dilecte mi, & amabilis valdè, non carni & sensui; sed animæ credenti, mundum cor habenti, & ad invisibilia se transferenti.

8. Dominus meus, & Deus meus, amem te solum propter te, & nihil amem nisi in te.

9. O suavissime Cœli splendor, adure cor meum potentissimo charitatis incendio: tibi viscera mea sacrifico, ut ea æternis flammis comburas.

10. Cupio, Domine Jesu, ut, quoties aërem ad me attraho, te ipsum cordiali affectu intra me attraham, quatenus omnes cogitationes, verba, & opera mea tuis cogitationibus, verbis, & operibus uniantur, & sic unita Deo Patri ad majorem ejus gloriam repræsententur.

## DECAS IV.

1. DA mihi, Domine, ut te videam sine formâ corporeâ, sine specie imaginariâ, sine luce creatâ. Trahe me post te extra omnes creaturas.

2. Malo, Domine, ex voluntate tuâ acerbissimas inferni pœnas sine fine tolerare, quàm sine te gaudiis perfrui sempiternis.

3. Demerge, dilectissime mi, parvulam guttam spiritus mei in immenso pelago bonitatis tuæ, demerge & absorbe me totum in abyssо infinitæ misericordiæ tuæ.

4. Veni suspirata quies amantis animæ meæ, ut nulli mihi dies, nullæ noctes eant sine te, nullus mihi somnus sine te: tibi soli vivam, & moriar.

5. Quis ego sum, & quis es tu amor meus? Numquid non multum esset, si te permitteres à me amari? sed & insuper te amari præcipis, & mihi mortem sempiternam minaris, si te non amo.

6. Clementissime Pater, sicut tu ab omni æternitate voluisti, antequàm ego essem, ita fiat: chârior est enim mihi tua gravissima voluntas, quàm operandi libertas.

7. Quando me lætificabis in regno tuo, Domine Deus meus, clarissimo vultu tuo? Quando omnia, quæ credo, lego, & audio de te, & gloriâ tuâ clarè, & intuitivè videbo?

9. Sileat ante te omnis creatura, Deus meus: Tu solus mihi loquaris, adsis, & illumines, qui es omnia in omnibus, & super omnia amabilis, & glorioſus.

9. Vulnera cor meum tam potenti jaculo dilectionis tuæ, ut omnis terrena consolatio amara mihi reddatur, & omni solatio creaturarum libenter caream.

10. Extingue, Domine, omnes extraneas imagines in corde meo, ut pacem nullibi, sive delectationem vel quæram, vel inveniam, nisi in te dulcissime Deus meus.

## DECAS V.

1. O Charitas, Deus meus, fac me obsecro unum tecum, sicut tu, & Pater unum estis, & sufficit mihi.

2. Utinam, suavissime Jesu, eâ flammâ amoris ârderem, quâ ardent Seraphim, quâ ardet Mater tua, quâ ardes tu.

3. O si possem ab omnium cordibus amorem, qui non est tuus, evellere, & tuum inserere.

rere, ut amore tuo omnes arderent, & languerent!

4. Amo te Deus meus, quia æternus es. Amo te immensitas mea, quia immensus es.

5. In amoris signum gratulor tibi, Deus meus, divinitatem tuam, simplicitatem tuam, æternitatem tuam, omnesque tuas perfectiones, quæ ita sunt in te, ut idem sint, quod tu.

6. Utinam omnia, quæ cogitavi, quæ sum loquutus, & operatus, ex puro tui amore semper fuissent! Utinam te semper amassem!

7. O si possem, Deus meus, retrovertere annos meos, & peractæ ætatis spatia amoris tui actibus replere! ô si te semper dilexissem, cùm alia extra te dilexi!

8. Nihilum mei præcessit me à diebus æternitatis tuæ, Deus æterne! nunc verò exulto tibi factori meo, & cupio annihilari, quidquid in me terrenum est, ut tu solus vivas in me.

9. O æternitas quàm clarè luces, quàm blandè, quàm præcisè, quàm in puncto! Ad te secedo à mundo isto sensibili: in te meum solatium, & recreatio est post negotia vitæ humanæ, post tædium vitæ labentis.

10. Tu desiderium collium æternorum, dulcissime Jesu: tu desideratus cunctis gentibus; tu sponsus, tu rex cordium: tu amor meus, & omne bonum meum.

## DECAS VI.

1. TU scis Domine, quia, si possem, omnem tibi laudem, gloriam, & honorem tribuerem, quibus te laudant, glorificant, & honorant omnes Angeli, & Electi tui; sed quia impotens ad hoc sum, suscipe saltem desiderium meum, & bonam voluntatem.

2. Exclude à me, Deus, omnia impedimenta gloriæ tuæ, & in eo statu me constitue, quem aptiorem fore nosti, ut major tibi gloria ex me proveniat.

3. Possideam te in medio cordis mei, beatitudo sempiterna! possideam te, summa dulcedo animæ meæ!

4. Me tibi resigno, creator meus, purè propter te ad omnia officia, loca, casus, eventus, statumque animæ, & corporis, qui tibi placuerit.

5. Nihil à te peto, Domine, nihil volo, nisi pro majori gloriâ tuâ. Quòd si per ignorantiam, vel errorem aliud peterem, nolo exaudiri.

6. Si tibi æquale præstatur obsequium; malo, Domine, desolationem, quàm consolationem, ut pro tui amore aliquid patiar internæ afflictionis.

7. Quia sine te nihil possum pati pro te, da mihi multam & magnam gratiam, ut multa & magna patiar pro amore tuo.

8. Major es omni laude, Deus meus; & ob id gaudeo, quia, quidquid obsequii omnes puræ creaturæ præstare tibi quocumque modo conantur, longissimè impar est dignitati & magnitudini tuæ.

9. Quidquid virtutum, piorum actuum, & affectuum in libris editis, & edendis describitur, quidquid fieri potest tibi gratum, & acceptum, id omne approbo, & volo, & cum gratiâ tuâ perficere cupio.

10. Utinam possem, Deus meus, aliquid hoc momento efficere, quòd summè tibi placeat. En hoc, quod nunc aggredior, purè ad hoc dirigo, ut maximam in eo habeas complacentiam.

## DECAS VII.

1. QUæso te, Domine, ne patiaris quidquam in me, quod non sit usquequaque tuum, & divinum; & si quid est, illud protinus evelle.

2. Si scirem, Deus meus, me fore annihilandum, adhuc tibi omni studio servirem; non enim tibi servio propter me, sed propter te.

3. Da, bone Jesu, ut oratio illa tua suam vim in me habeat, ut sicut tu in Patre, & Pater in te est; ita ego tecum unus sim voluntate, amore, opere, moribus, & vitâ.

4. Extingue me, Domine, in corde omnium hominum; & cunctos homines in corde meo occide, ut mihi mundus crucifixus sit, & ego mundo.

5. Mitte mihi Deus, quamcunque vulneris afflictionem, & crucem; & in omni tribulatione præsta, ut reum me fatear, & cognoscam, & ut meipsum contemnam.

6. Hactenus quosdam amavi, qui me non amabant; jam te amabo, amator æterne, qui me amâsti, antequàm te novissem; quem amare virtus summa est, à quo amari felicitas.

7. De profundis cordis mei clamo ad te, suavissime Deus, ut auferas à me vanissimum amorem corporeæ pulchritudinis, & me totum transferas ad purissimum amorem decoris tui.

8. Illabere, precor te, in penetralia cordis mei, & imprime mihi servo tuo dulcissimam, & admirabilem speciem tuam, ut quiescam in suavitate præsentiæ tuæ.

9. Veni Domine, amor meus, gaudium meum, & corona mea: veni & noli ampliùs tardare, ne ex nimio desiderio sine sensu efficiar.

10. Scribe, dulcis Jesu, nomen tuum in corde meo, & amorem tuum mellifluum per jugem memoriam pectori meo inscribe.

## DECAS VIII.

1. VIncat nequitiam meam, Domine, immensa bonitas tua, & imaginem tuam in me recognosce, quàmvis deturpatam.

2. Revertor ad te felicissimum principium meum, dulcis origo & finis meus: esto deinceps totum, ac solum cogitationum mearum objectum.

3. O unum divinum, te solum desiderat cor meum, libera me ab omni multiplicitate.

4. Diligam te, Deus, pro dono tuo, & pro modo meo, exiguo quidem, & minus justo; sed non possum ultrà quàm possum: potero autem plus, cum plus donare dignaberis, nunquam tamen pro ut dignus haberis.

5. O quam beati sunt illi, qui edunt, & bibunt ad mensam tuam in regno tuo, quoniam te ardenter diligunt, & te fruuntur in lætitiâ & exultatione. Ego autem hic fame pereo, & projectus in cinere & caligine, lumen cœli non video.

6. Sitio te clarè cognoscere, esurio te perfectè diligere, nec desiderium meum adipsci valeo. Obsecro, Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.

7. Fac mihi, Domine, quodcunque placitum fuerit in conspectu tuo: in manibus tuis ego sum, & corpus meum, & spiritus meus: quocunque pervenero laudabo te, & exultabo vehementer.

8. Satia animam meam ad te suspirantem, felicitas mea, & reple esurientem bonis tuis.

9. Dejiciantur, quæso, omnia simulacra de throno gloriæ tuæ, ut tu sis solus regnans in corde meo, nec sim ego amplius miserabiliter instabilis, & fugitivus à te.

10. Uniat me sibi verbum Dei, gignat seipsam in me sine intermissione æterna sapientia, & pro minimo mihi erit, si me despiciant cœlum & terra, & omnia quæ in eis sunt. Quod si me repuleris ab osculo tuo, non poterunt me omnia, quæ infra te sunt, consolari.

## DECAS IX.

1. VEni gaudium meum, lumen oculorum meorum: veni amor meus, lux incomprehensibilis, imple omnes potentias animæ meæ intus, & foris, ut nihil nisi te videam, cogitem, amem, desiderem.

2. Tu dixisti Domine, Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus. Et quid aliud est solitudo, nisi te solum amare, in te solo quiescere?

3. O divina solitudo tam concupiscenti animo desiderata, quando fiet istud, ut in te omninò quiescam?

4. Heu me, quia non diligo te, vita animæ meæ, nam si verè te diligerem, semper te in corde haberem; scriptum est enim, Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

5. Congrega nos in unum, potentissime amator; data est enim tibi omnis potestas in cœlo, & in terrâ.

6. Trahe me post te, suavissime Redemptor, qui dixisti, si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipsum.

7. Accende cor meum igne tuo, Deus meus; tu enim ignis comburens es, & facis ministros tuos ignem urentem.

8. Deus meus es tu, qui infinitâ tuâ bonitate locupletissimus, nec bonorum meorum, nec alterius cujusque rei indigentiam habere potes. Et in hoc gaudeo & exulto, quod nulla tibi perfectio, nec quidem per imaginationem adjungi possit.

9. Domine Jesu, quantùm te diligunt, qui te noverunt; Pater tuus te diligit, Spiritus sanctus te diligit; omnes Angeli, omnes Electi, & amici tui amore tuo exardescunt; & ego solus frigidus ero?

10. Libera me Deus à multiloquio, quod patior intus in animâ meâ: non enim cogitationibus taceo, etiamsi vocibus taceam. Multæ sunt cogitationes meæ quales tu nosti, cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Da mihi eis non consentire, nec immorari, ne me impediant ab amore tuo.

## DECAS X.

1. OAmor, quàm parum cognosceris, & amaris? Accede ad me, ô Amor, & si nullibi requiem invenis, te totum transfunde in me, æterne & suavissime Amor.

2. Semper ardeat ignis amoris tui in altari cordis

cordis mei, & in tantum crescat incendium, ut non solùm sacrificium, sed & ipsum altare comburat, & consumat.

3. Nihil me lætificet, Domine Jesu Christe, nisi tu: nihil me contristet, nisi culpa mea, & offensio tuæ Majestatis.

4. Tu es unicum desiderium meum, æterna Sapientia, tu thesaurus quem quæro, tu beatitudo ad quam suspiro.

5. Quàm pulcher es, dilecte mi, quàm speciosus in deliciis tuis! Utinam potentissimus amor tuus omnem extraneum amorem in me occidat. Quidquid videro, quidquid audiero, quidquid sensero; tu solus intres, & possideas cor meum.

6. O Amor potentissime, qui lutum transfiguras in Deum, transforma me totum in te. Nimis saxeum est cor meum, nisi molliatur sanguine tuo: nimis distractum est, nisi colligatur in latere tuo.

7. O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas. Tu es Deus meus, ad te suspiro die ac nocte. Te amo, te diligo & magis amare desidero: percussisti enim cor meum verbo tuo, ut amarem te.

8. Quid amore dulcius? quid securius? quid suavius? Quare sagittis ejus non est tranfixum cor meum? Ergò ne amor tuus circumdat me undique, & nescio quid sit amor? cur sic maneo insensibilis? cur me magis attraxit creatura, quàm creator?

9. Venustissime Jesu, vita mea perennis, per quam vivo, & sine quâ morior, vita dulcis, & amabilis; concede ut tibi jungar, te complectar, & suavi charitate soporatus in te obdormiam.

10. Quando te videbo, dulcissime Deus? quando transibo in admirabilem domum tuam? quando apparebo ante faciem tuam? quando videbo te in terrâ viventium? In istâ enim terrâ jumentorum mortalibus oculis videri non potes, ed in regione Angelorum videbimus te, sicuti es.

## CAPUT XIV.

*Laudem virtutis in actione consistere. Actus diversarum virtutum.*

NOrunt omnes, qui vel primis Philosophiæ rudimentis imbuti sunt, omnem vim, & laudem virtutis in actione sitam esse. Habitus enim virtutum, sive à Deo infundantur, sive acquirantur à nobis, datâ opportunitate in opus exire debent: & hoc est primarium eorum munus, bonæ actionis principium, & fontem esse; & potentiam, quam imbuunt, disponere ad hoc, ut certiùs, & faciliùs operetur. Causa exigui profectus in vitâ spirituali, non defectus cognitionis aut desiderii, sed defectus executionis esse solet. Aliud est scire multas divitias, aliud possidere: nec notitia divitem facit, sed possessio Actiones autem, quibus unaquæque virtus aut generatur, aut crescit, duplices sunt: internæ, & externæ. De externis non est hic differendi locus, nec earum usus semper occurrit. Internæ perfectiores sunt, solaque mente & voluntate perficiuntur, & ideò his incumbere possumus omni loco, omni tempore, & in qualibet occasione. Sunt qui unam virtutem singulis mensibus seligunt, cui ex professo incumbant, instituto eâ de re examine particulari, quæ res necessaria omnino est proficere in studio perfectionis desiderantibus, ut fusiùs explicavi in meo Horologio christianæ diei. (a) Scripsit etiam de virtutis actionibus luculentissimum tractatum ex Scripturis & Patribus Bernardinus Rossignolius, quem Lectori meo enixè commendo. Ego interim in exemplum actus subjicio præcipuarum virtutum per breves Aspirationes ferventissimè eliciendos: qui modus servari quoque potest in reliquarum actibus, ad usum & praxim quotidianam describendis.

## *ACTUS FIDEI.*

1. AUctor fidei, Jesu Christe, firmissimè credo vera esse omnia, quæ te revelante credit, & docet sancta mater Ecclesia, & pro hac assertione & veritate millies mori paratus sum.

2. Auge in me fidem à te semel infusam, vitamque fidei consonam concede, ut, quod mente credo, moribus exprimam.

3. Testimonia tua, Domine, credibilia facta sunt nimis, utinam secundùm ea semper vixissem.

4. Verissima sunt omnia, quæ in sacris libris, & Apostolicis traditionibus, ac decretis Ecclesiæ continentur: pro quâ veritate tuendâ vitam meam libentissimè offero.

5. Omninò verum est, te Deum meum unum esse in substantiâ, & Trinitatem in personis: quod ego per medios gladios, & ignes profitebor.

6. Utinam fides tua integra semper, & sincera

(a) *In meo Horologio Christianæ diei sectione 2. 27. & sect. 3. 2.*

cera conservetur, qualem tu Domine, tradidisti, qualem Apostoli prædicaverunt.

7. Credo tibi, ô summa veritas, & quia fides sine operibus mortua est, da mihi, ut fidem meam patientiâ & charitate, aliisque virtutibus vivam esse demonstrem.

8. Gratias ago tibi, Domine, quòd mihi fidem dederis, quâ te cognoscerem, quod me Christianum feceris, & Catholicæ Ecclesiæ membrum. In hâc fide vixi, in eâdem mori volo, atque utinam pro eâdem.

9. Credo te Deum ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum Sanctum ab utroque procedentem. O credam, & fruar semper, quia tu Deus meus es, principium meum, & finis ultimus, & mea æterna beatitudo.

10. Credo te Dei Filium pro meâ salute carnem humanam induisse. Credo te passum pro me, & mortuum in cruce. Credo te Deum, & hominem in sacramento mirabiliter existere. Credo hæc omnia, & alia, quæ de te docet Ecclesia, & credens adoro, & amo te.

11. Revela, Domine, oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tuâ. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua: semper mel ori meo.

12. O si fidem possem annunciare in universo mundo, & omnes infideles ad Deum convertere! quàm libenter id facerem, etsi propterea omnia tormenta sustinere deberem.

13. Utinam possem, Deus meus, omnium infidelium intellectibus in te credere, omnium affectu te amare, omnium viribus tibi servire!

14. Discedite à me omnes pessimi hæretici, filii diaboli, & pestes animarum: vos detestor, & abominor, & cum Ecclesia Dei anathematizo.

15. Quæcumque docet fides, adeò firmiter credo, ac si oculis ea viderem. Adauge, Domine, & confirma fidem meam: hâc enim duce securus ibo ad tribunal tuum, quâcunque horâ me vocaveris, quia credo & spero videre bona tua in terrâ viventium.

## *ACTUS SPEI.*

1. CLementissime Deus, tametsi multa & gravissima peccata commiserim, spero tamen ex tuâ misericordiâ, & ex bonis operibus gratiæ tuæ adjutorio præstitis me gloriâ sempiternâ fruiturum.

2. Et si reus essem omnium peccatorum mundi, tamen in te sperabo, major est enim misericordia tua, quàm iniquitas mea.

3. Gaudeo Domine, nihil in me esse, in quo confidere possim: lætor quòd nullibi spes mea consistere queat, nisi in te, qui solus es refugium meum, & firmamentum meum.

4. Dixisti, Domine, & ita est; Sine me nihil potestis facere: quid ergò residui habeo, nisi ut oculos ad te dirigam, & tu, ô bonitas, adjuves me?

5. Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus. Tanquam prodigium factus sum multis, & tu adjutor fortis.

6. Ad te confugio, Domine, ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeam, & in te sperans non confundar.

7. Omnis spes mea, optime Jesu, & totius fiduciæ certitudo in pretioso sanguine tuo mihi est. In ipso respiro, & in ipso confisus ad te pervenire desidero, non habens meam justitiam, sed eam, quæ est ex te.

8. Quidquid asperum & molestum mihi evenire permiserit divina providentia tua, benignissime pater, semper in te sperabo: certus enim sum, quia si in inferno demersus fuero, inde me liberabis.

9. Magna valdè est misericordia tua, Domine, & in eâ solâ posita est tota spes, & consolatio mea.

10. Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te: custodi me ut pupillam oculi, sub umbrâ alarum tuarum protege me.

11. Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine: bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus.

12. Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te. In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.

13. Toto corde firmissimè spero, omnipotens Deus, me posse à te omnia obtinere, quæ mihi necessaria sunt ad salutem: & quia Filius tuus, Redemptor meus, omnia bona mihi promeruit, tantam in ejus meritis fiduciam habeo, ac si bonum, quod desidero, jam tenerem, & possiderem.

14. Ego autem in te speravi, Domine: dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.

15. O si citò adveniret regnum tuum, summum bonum meum, regnum quod spero, quod expecto, quod toto corde concupisco! Utinam citò adveniat, quia regnum omnium sæculorum est, plena possessio totius felicitatis.

### *Actus Charitatis erga Deum.*

1. ORo te, dulcissime Deus, ut cordis mei principatum geras. Absit a me, optatissimum bonum meum, ut aliquid mem præter te.

2. Ure me incendio decoris tui, speciosissime princeps cordis mei: sacrifico tibi omnia viscera mea, & præcordia mea.

3. Vive, potentissime Imperator, cordis mei, & dominare, sicut decet te. O quàm mihi placet, ut regnes in æternum & ultrà.

4. Utinam tot millia cordium quot tibi placuerunt, vel placere possunt, ipse possiderem, ut te perfectissimè amarem.

5. Utinam subderè tibi possem, amabilissime Domine, omnia colla filiorum Adæ, ut te solum requirerent, & amarent.

6. O vince amor meus, & serena lux oculorum meorum, omnia mihi sordeant, & vilescant præter te.

7. O amabile principium meum, & tota sufficientia mea, nihil volo, nihil cupio præter te.

8. O quantùm gaudeo quod Deus sis, summè bonus & perfectus, immensus, infinitus, justissimus, sapientissimus, omnipotens, & incomprehensibilis? Amo te purè propter te ipsum, & gaudeo de bonis tuis ob hanc solam causam, quia bona tua sunt.

9. Ad te summum bonum toto cordis affectu feror, in immensâ bonitate tuâ exulto: gaudeo, quòd omnes Angeli & Sancti adorent & laudent te.

10. Utinam possem amare te, quantùm amabilis es! sed quia hoc excedit vires omnium creaturarum, utinam saltem amem te, quantùm possum, quantùm debeo.

11. Reple, Deus meus, animam meam amore tuo, ut amore totus ardeam, & amore æstuans amore moriar.

12. Quàm pœnitet me, quòd alia extrà te dilexi. Utinam possem transactos annos revocare, & amoris tui actibus replere!

13. O dulcissima vita animæ meæ, utinam deficiat in te cor meum. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?

14. Unam petii à te, Domine, hanc requiram, ut inhabitem in domo tuâ omnibus diebus vitæ meæ.

15. Utinam ultimus halitus, quo animam efflabo, halitus amoris sit, Moriar amore tuo, Deus meus, & quia vitam ab amore non inchoavi, da mihi vitam amando finire. Ultimus vitæ actus sit amare.

### *Actus Charitatis erga Proximum.*

1. INsere, Domine, pectoribus nostris tuæ dilectionis affectum, ut diligamus nos invicem, sicut tu diligis nos, & alter alterius onera portemus.

2. Da mihi, Domine, non diligere verbo, neque linguâ, sed opere & veritate, ut, quæcumque volo ut faciant mihi homines, id faciam illis.

3. Doleo, Deus meus, quòd ea hactenus non præstiti in obsequium proximi mei, quæ tuo auxilio adjutus poteram.

4. Detestor quidquid injuriæ & offensæ olim paravi verbo, opere, & cogitatione in proximum meum, paratus singulis satisfacere, si quid alicui debeo. Inspira tu Deus, ut sciam; & da, ut faciam.

5. Amator hominum Deus, oro te pro omnibus, qui persequuntur, & calumniantur me; & qui me quovis modo offenderunt. Da illis salutem mentis, & corporis.

6. Utinam, clementissime Deus, omnes peccatores resipiscant, & convertantur ad te.

7. Obsecro, Domine, ut omnes, qui oppugnant Ecclesiam tuam, dexteræ tuæ potentiâ conterantur, & agnoscant veritatem.

8. Propono, Domine, omnes injurias & offensas, te adjuvante, æquo animo tolerare: nec ullum unquam hominem, quantumvis mihi infestum, odio habebo.

9. O si possem pro fratribus meis, iis præsertim, qui me aliquâ injuriâ, aut molestiâ affecerunt, sanguinem fundere, quàm libenter id facerem. Confirma, Domine, in me hanc voluntatem.

10. Fac obsecro, Deus meus, per viscera misericordiæ tuæ, ut omnes ad te convertantur, qui rebus terrenis adhærent, & quos voluptas carnis illexit.

11. O si ego possem omnes peccatores ab erroribus vitæ suæ convertere, etiam cum vitæ dispendiò id præstarem.

12. Utinam totus mundus in te crederet, & te cognosceret. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Omnis terra adoret te, & psallat tibi.

13. Diligo te, Domine, toto corde, & proximum in te, & propter te.

14. De bonis omnium fratrum meorum gau-

deo, & de malis doleo, ac si mea forent: & mala quidem ab omnibus avertere efficaciter vellem, si possem, bona vero multiplicare.

15. Libenter, si possem, omnium indigentium necessitatibus subvenirem, esurientibus cibum, sitientibus potum darem; reliqua item opera misericordiæ spiritualia & corporalia exercerem.

## *Actus Patientiæ.*

1. SI oportuit te, Christe, pati, & ita intrare in gloriam tuam, quo pacto ego in illam intrabo, nisi viâ regiâ Sanctæ Crucis.

2. Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua, & in veritate tuâ humiliâsti me.

3. Opto potiùs cunctos inferni cruciatus tolerare, quàm tuam justitiam violare.

4. Iram tuam, Domine, portabo, quoniam peccavi tibi. Quòd si bona suscepi de manu tuâ, quare mala non sustinebo?

5. In omni adversitate te, bone Jesu, recogitabo, quia talem pro me sustinuisti adversus temetipsum contradictionem.

6. Utinam dignus sim gaudenter cum Apostolis tuis contumeliam, pauperiem, & quidquid volueris, pati pro nomine tuo.

7. Quidquid laboris mihi unquam acciderit, id propter te, Domine, patienter feram. Si tentationibus exercear; si mœror importunus ingruat, si morbi, si dolores, si quævis tormenta contingant, omnia te juvante fortiter tolerabo.

8. Absit à me, Domine, ut animum despondeam à christianâ perfectione comparandâ: omnes enim difficultates, te duce, superabo, & in Deo meo transgrediar murum.

9. Absit à me, ut amore vitæ, vel timore mortis à virtutis proposito desistam. Et si me oporteret universis mundi miseriis, & calamitatibus obrui, nunquam à te recedam.

10. Imprime, fortissime Deus, robur magnum cordi meo; cupio enim te sequi per omnem afflictionem, & desolationem internam, & externam.

11. Ut jumentum factus sum apud te Domine Deus meus: Tu nôsti onus meum, quale sit, dà mihi illud patienter ferre, ut per viam crucis extollar ad te.

12. Offero me tibi, Domine, paratum ad omnia mala æquanimiter, hilariter, ac sine ullâ prorsus querimoniâ sustinendâ.

13. O si patientiam Sancti Job assequi possem, & constantiam Sanctorum Martyrum!

14. Utinam dignus essem, martyrium pro te subire, Domine virtus mea, & firmamentum meum. Utinam pro te vivus comburerer: utinam assari cum Laurentio mererer!

15. Da mihi, Domine, disciplinam, ut non auferas misericordiam; cæde contumacem, ut reddas mihi promissam hæreditatem. Auge tormenta, sed auge patientiam.

## *Actus Humilitatis.*

1. O Gemma pretiosissima humilitas, quando te possidebo? quando tranquillitatem animorum tibi obsequentium habebo? quando tuo splendore, & pulchritudine ornatus ero?

2. Noverim te, noverim me, Deus meus: quoniam in te sunt omnia bona mea, & ex me nihil sum.

3. Hoc ex corde desidero, bone Jesu, hoc eligo, abjectus esse, & pusillus in domo meâ, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

4. Nolo, Domine, ut me homines laudent, & honorent, quia omni laude & honore indignissimus sum: volo autem ad gloriam tuam despici, conculcari, & tanquam canis mortuus vilissimus reputari.

5. Latrones ipsi & sacrilegi, ô misericordissime Domine, perfectiùs tibi famularentur, si tot beneficiis, ac donis eos cumulâsses, quibus me benignissimè affecisti.

6. Peccavi Domine, & non sum dignus aspicere altitudinem Cæli præ multitudine iniquitatum mearum.

7. Omnia animalia pro captu suo tibi, Domine, appropinquant, solus ego infinitâ vitæ meæ turpitudine à te recedo.

8. Unde mihi hæc insania, Deus meus, ut audeam gloriari tot peccatorum reus, ob quæ potes hoc momento mittere me in gehennam?

9. Abjicio me, Domine, propter te infrà homines universos, quia vilior, & contemptibilior omnibus sum, & pro tali haberi ac tractari desidero.

10. Nihil aliud volo, nihil opto, altissime Deus, nisi pati, & contemni pro te, da mihi claram & veram mei notitiam.

11. Indignus sum, Domine, omnibus donis tuis, ob vilitatem, & ingratitudinem meam: indignus consortio hominum, propter sordes cul-

culparum mearum, quarum pessima tabe ve xerem ipsum inficio.

12. Utinam universi homines, æquissime Deus, miseriam meam agnoscerent, & despicerent me, ac meam mihi indignitatem exprobrarent, ut spernerer propter te.

13. Domine, non sum dignus calcare hoc pavimentum, per quod transeunt tot servi tui, quibus comparatus vermis sum, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.

14. Absit â me, Domine, ut velim ambulare in magnis, & in mirabilibus super me. Magna enim est abyssus fragilitatis, & nihili mei: nihil sum, nihil possum sine te.

15. Fac me, Deus, tanquam pavimentum mundi, ut ab omnibus conculcer, & indignissimè tracter, quia sic exigunt peccata mea.

## CAPUT XV.

### *Fasciculus Aspirationum ad Jesum, ad B. Virginem, ad Cœlites universos.*

TAmetsi oratio, ut est actus Religionis, cultum latriæ continens, ad solum Deum fundenda sit, tanquam ad primarium auctorem boni, qui illud per seipsum nobis conferre potest, certum est tamen ex fide catholicâ, posse nos, & debere Angelos etiam, & sanctos homines cum Deo regnantes humiliter exorare, opemque illorum devotis aspirationibus implorare: Licet enim Christus sit principium universale totius meriti, mediator Dei & hominum, qui semper interpellat pro nobis; aliis tamen mediatoribus indigemus, qui pro nostris necessitatibus efficaciter intercedant. Notissima est sententia Eliphaz Themanitis ad patientissimum Job: *Voca si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* Ideo pretium me facturum existimavi, si huic lucubrationi caput istud attexerem, quo varias aspirationes breviter digessi ad Jesum Redemptorem, à quo primitus omnia bona speranda, tum ad Virginem Beatissimam ejus genitricem, deinde ad Angelos, & reliquos Cives cœlestis patriæ, ut ipsi nobis quidquid ad salutem, & perfectionem necessarium est, suis precibus obtineant, pro suâ in nos pietate, & apud Deum auctoritate.

### *Ad Jesum Redemtorem.*

1. JEsu sapientia Patris, da mihi quærere & sapere, quæ sursum sunt, ut gustem quam suavis es.

2. Jesu verbum Patris, utinam audiam quid loquaris in me.

3. Jesu Redemptor, esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii, ut salvum me facias.

4. Jesu frater primogenite, fac me tibi cohæredem in domo Patris nostri.

5. Jesu Fili Dei, qui pro me factus es homo, non sit mihi grave humiliari pro te.

6. Jesu creator meus, cor mundum in me crea, & spiritum rectum innova in visceribus meis.

7. Jesu vita mea, tibi soli vivat anima mea, nam mihi vivere tu es, & mori lucrum.

8. Jesu Domine mi, posside me servum tuum, & nemo præter te.

9. Jesu præceptor, doce me facere voluntatem tuam, ut discam à te quia mitis es, & humilis corde.

10. Jesu lux mundi, illumina oculos meos, & deduc me in semitam mandatorum tuorum.

11 Jesu fons vitæ, sitivit in te anima mea: fac me haurire aquas in gaudio de fontibus tuis.

12. Jesu pastor bone, propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

13. Jesu Salvator, salva me, qui venisti quærere, & salvum facere quod perierat.

14. Jesu sponse sanguinum, desponsa te mihi in misericordiâ, & miserationibus.

15. Jesu amator speciosissime, trahe me post te in funiculis charitatis.

16. Jesu zelator animarum, cujus delitiæ, esse cum filiis hominum, amem te ardentissimo amore, & cætera omnia propter te.

17. Jesu panis vitæ, anima mea sustinet te, ne dimitte eam jejunam, ut non deficiat in viâ.

18. Jesu Judex misericors, qui non venisti perdere quemquam, parce mihi, & responde pro me.

19. Jesu corona, & merces nostra magna nimis, jube me numerari inter electos tuos.

20. Jesu gloria mea, cupio dissolvi, & esse tecum: da mihi vivere in te, & in te mori.

### *Ad Beatam Virginem Mariam.*

1. PRotege me, dulciſſima Virgo MARIA, ſub umbrâ alarum tuarum, & non recedat in æternum melliſluum nomen tuum ab ore & corde meo.

2. Ne unquam elongeris à me, potentiſſima Mater Dei, quia circumdederunt me undique inimici mei.

3. Quid poſſum ſine te, Virgo beata, aut quid fiet de me, ſi averteris faciem tuam â me?

4. Quando venies, dulciſſima Virgo, quando apparebis indigniſſimo ſervulo tuo.

5. Spiritus tuus, ô Maria, ſuper mel dulcis, & poſſeſſio amoris tui ſuper aurum, & topazion.

6. Sentiat anima mea ſuavitatem amoris tui, & in tuis ſemper verſetur laudibus, quia unica poſt Deum conſolatio mea tu es.

7. Compatere, Domina animæ meæ, ad te ſuſpiranti, reſpice in me, & feſtina in adjutorium meum.

8. Da mihi gratiam tuam, ut ſemper de te gaudeam, & poſt illud exilium te contempler in gloriâ.

9. Sicut filius ad ſinum matris, ita ſuſpirat ad te anima mea, ne deſpicias me Mater miſericordiæ.

10. Quantùm deſidero videre vultum tuum, ſpecioſiſſima Virgo, aſſume me velociter ad te, & comple deſiderium meum.

11. Quis non diliget te, Regina cordium, & Mater ſancti Amoris, quis non diliget te? Utinam omnes creaturæ tibi ſerviant, & in amore tuo vivant, ac moriantur.

12. Suſcipe cor meum, dilectiſſima Mater mea, & offer illud puriſſimis manibus tuis, puriſſimo Filio tuo.

13. Gaudeo, & exulto, B. Virgo, quòd Deus te amet ſuper omnia opera ſua, & de hâc re ſuper omnia delector: magiſque optarem inferni pœnas, quàm ut momenti ſpatio quidquam de gloriâ & dignitate tuâ minuatur.

14. Sperent in te, qui noverunt nomen tuum, glorioſa Virgo, quoniam non derelinquis ſperantes in te.

15. Glorioſus vultus tuus mihi appareat in extremis, & conſolatio tua lætificet egredientem ſpiritum meum, clementiſſima Mater.

### *Ad Sanctos Angelos.*

1. ANgele Sancte, vitæ meæ gubernator, & cuſtos, apprehende arma & ſcutum, & exurge in adjutorium mihi.

2. Cuſtodi me ſub umbrâ alarum tuarum ab inſidiis inimici, & ab omni periculo, & tentatione.

3. Adeſto mihi, beatiſſime Spiritus, doce, dirige, & protege me: cumque finis vitæ meæ advenerit, in extremâ luctâ verſanti benignè ſuccurre.

4. Septem Spiritus, qui aſtatis ante Dominum, purgate, illuminate, & perficite me; & dirigite omnia ſtudia, & actiones meas ad gloriam Dei, & animæ meæ ſalutem.

5. Eſtote mihi ſingulare ſolatium in morte, Angeli Dei, potentes virtute, qui eſtis in vitâ ſalutare præſidium.

6. Infundite menti meæ deificum lumen, ut abſumptâ omni materiâ totus ardeam divino amore.

7. Venite in adjutorium meum cœleſtis militiæ exercitus innumerabiles, & defendite me ab incurſu malignorum ſpirituum.

8. O ſupremi amatores Dei, ſuccendite me illo igne, quem Dominus Jeſus miſit in terram, & voluit vehementer accendi.

9. Fontes ſapientiæ, paſcite me cœleſti doctrinâ, & docete me ſcientiam Sanctorum.

10. Facite me, mentes puriſſimæ, docilem Dei, ut diſcam juſtificationes ejus, & diſcuſſis tenebris divinum lumen inferite menti meæ.

### *Ad Omnes Sanctos.*

1. FElices Sancti, qui jam noſtræ mortalitatis pelagus pertranſiſtis, ſecuri de veſtrâ immarceſcibili gloriâ, ſoliciti eſtote de mea multiplici miſeriâ.

2. Date manus infirmo, cœleſtis patriæ Cives, & erigite jacentem, ut convaleſcens de infirmitate fortis efficiar in bello.

3. Eripite me de aquis multis, & de limo profundi fuſis precibus ad eum, qui dominatur poteſtati maris.

4. Impetrate mihi fidem, & perſeverantiam, ſervire Domino in timore, & ſervare mandata ejus.

5. Clamo ad vos, potentiſſimi protectores ſalutis meæ, mittite è patriâ felicitatis pauculas guttas

guttas pretiosissimi vini charitatis vestræ, quia aruit sicut testa virtus mea, & defecit præ siti anima mea.

6. Subvenite mihi misero peccatori sedenti in tenebris, & umbrâ mortis, & solvite vincula captivitatis meæ.

7. Liberate me à tumultuantium affectionum turbâ, ut sedeam solitarius, & taceam, & audiam vocem Domini loquentis in silentio ad cor meum.

8. Elevate me ab hâc sordidâ terrâ, ut mihi mundus crucifixus sit, & ego mundo.

9. Ad me respicite, gens illustrissima, & hæreditas summi Dei, adhuc peregrinantem in hoc exilio, & mittite de Cœlo opem & consolationem.

10. Circumdate me gaudentem, & exultantem de vestrâ beatitudine, & gratiam impetrate virtutes vestras imitandi, ut vestris adjutus suffragiis particeps fiam vestri gaudii & coronæ.

Hæc in exemplum. Plura suggerent usus & affectus. Sunt autem quatuor capita, ac veluti fontes uberrimi, è quibus aspirationes ad omnes & singulos æterni regni proceres peti possunt. Primò quidem ex titulis honoris, dignitatis, perfectionis, & diversarum virtutum, quæ in illis elucent. Secundò ex perceptis beneficiis, pro illis gratias agendo. Tertiò, invocando illos, ut propitientur peccatis nostris, eorumque remissionem nobis obtineant. Quartò, multiplicem miseriam nostram, & innumerabiles necessitates proponendo, ut à malis omnibus erui, cunctisque bonis imbui, ipsorum meritis & precibus mereamur.

## CAPUT XVI.

### *Aspirationes ex nominibus Dei, ejusque attributis, & perfectionibus.*

QUi magnâ mentis adeptâ puritate ad unionem cum Deo aspirare jam digni sunt, præter affectus, quos pro perfectis suprà descripsimus, alios elicere possunt ex divinorum attributorum contemplatione. Ad hos enim pertinent Dei verba per os Prophetæ dicentis. *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus.* Vacate, inquit, ab inutilibus cogitationibus, ab affectibus, & desideriis terrenis; & videte oculo fidei ac contemplationis, quoniam ego sum Deus omnipotens, immensus, infinitus. Rectè Sapiens: *Nôsse Deum consummata justitia est, & scire virtutem ejus, radix est immortalitatis.* Si tamen ad cognitionem accedat amor; parum enim prodesset nuda Dei speculatio, nisi simul voluntas ad eum assurgeret piis affectibus, & motibus anagogicis. Id qualiter fieri debeat, sequentibus aspirationibus breviter indicabo, ut, qui Theologicâ Dei notitiâ imbuti sunt, dicant cum Apostolo: *Conversatio nostra in Cœlis est.*

## DECAS I.

1. APeri, Domine, oculos animæ meæ, ut non contenti aspectu rerum temporalium, quas percipiunt sensus; ascendant ad æterna contemplanda, quæ non videntur, teque aspiciant Deum invisibilem, qui es in omnibus, & super omnia.

2. Deus immensæ majestatis, verè mirabilis facta est scientia tua ex me; omnia tamen ossa mea, omnia membra, sensus, & potentiæ dicunt, quia tu es Deus, & non alius similis tibi. Tu es meum esse, & mea vita, & gaudeo, quia te plusquam me diligere debeo.

3. O si omnia membra mea, omnes sensus, & fibræ verterentur in linguas, ut hoc prædicarent toti mundo, quia tu solus es, qui es, ac propterea omnes gentes te laudarent, & glorificarent! O si te omnes agnoscerent, & diligerent plusquàm vitam suam, quia in te omnes vivunt, moventur, & sunt.

4. O pelagus omnis essentiæ, & existentiæ, tu es ipsummet esse omne esse continens omnia: à te omnia pendent & effluunt, & in te refluunt, & eatenus sunt, quatenus aliquid tui esse participant. Me igitur despiciam, & omnia quæ non sunt: te autem amabo, & tibi adhærebo, qui solus es.

5. Deus perfectissime, & causa omnium entium, perfice gratiâ tuâ esse, quod mihi dedisti, ut perfectum sit, sicut & tuum perfectum est; quia ex me ipso nihil sum.

6. O substantia simplicissima, quæ omnia es, quàm intimè te diligere, & super omnia æstimare debeo! Tu nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahis. Non partibus constas, ut corpus: non affectibus distas,

ut anima: non formis subsistas, ut omne quod factum est. Fac me æmulari simplicitatem tuam, ut in omnibus simplex & purus sim, te solum quærens & desiderans.

7. Tu solus impeccabilis es, tu solus habes immortalitatem. Per hanc te oro, ut moriar morte justorum, & à morte peccati semper eripiar.

8. Clarifica, Domine, mentem meam, ut cognoscam illud esse, quod tu habes per tuam essentiam; & illud non esse, quod ego habeo ex me ipso; ut supra duplicem hanc cognitionem, tanquam supra duplicem polum, moveatur rota vitæ meæ, donec ad te perveniam.

9. Quam immensa & incomprehensibilis est perfectio tua, Domine, cui nihil deest, & à quo omnia perfectionem accipiunt? Sim & ego perfectus, sicut & tu perfectus es. Operare in me quod jussisti, & fac me ita perfectum, ut nihil mihi desit.

10. Deus meus & omnia, principium meum, & finis ultimus, tu es mihi omnia quæ concupiscere possum: tu meæ divitiæ, meæ delitiæ, mei honores, & dignitates, ac thesauri infiniti: in te solo omnia habeo, omnia autem sine te nihil sunt mihi. Quando veniam ad te, ut in te omnia habeam?

## DECAS II.

1. ILlumina intellectum meum, perfectissime Deus, ut in creaturis omnibus te respiciam earum creatorem, à quo illæ suam perfectionem accipiunt. Purifica affectum, ut in omnibus te amem, & quæram, qui es bonum & finis omnium.

2. O dilecte cordis mei, si ita me oblectat pulchritudo, & perfectio creaturarum, cur non potius pulchritudo, & perfectio tua, à quâ illæ processerunt? Diligam te præ omnibus qui omnium pulchritudinem & perfectionem excedis in infinitum, nec illas diligam, nisi in te, & propter te.

3. Tu solus, Domine, nullum terminum habes: omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram te. Tuam igitur infinitatem adoro, & absque ullotermino te amare desidero.

4. Deus immense, qui excelsior Cœlo es, profundior inferno, longior terrâ, latior mari; qui omnia reples, omnia contines, omnia penetras, clarifica internos oculos meos, ut certius te videam, quàm si te viderem oculo externo & corporeo.

5. Rex superne, qui in toto tuo regno ita es per essentiam, ut totus assistas cuilibet parti; concede mihi, ut totus coram te sim, tibique serviam ex toto corde, ex totâ mente, ex totâ virtute.

6. Domine Deus, qui in omni loco contemplaris bonos & malos; acue fidem meam, ut cùm solus sum, me solum non esse considerem, téque præsentem attendens, nihil faciam tuâ præsentiâ indignum.

7. Deus meus, qui realiter intrà me es, magis intimus mihi, quàm sim ego mihi ipsi; perfice in me hanc conjunctionem, quam mecum habes, addens perfectissimam unionem gratiæ, & charitatis tuæ, ut unus tecum spiritus efficiar in æternum.

8. Deus immutabilis, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, fac me immutabiliter tibi adhærere, ut, sicut tu idem ipse es, & anni tui non deficient, ita ego à viâ rectitudinis nunquam deficiam, & in amore tuo semper idem perseverem.

9. Æterne Deus, principio carens, & fine, fac me despicere temporalia, quæ caduca sunt, & transitoria, & diligere æterna, quæ semper tecum perdurabunt.

10. Omnes dii gentium dæmonia, tu autem, Domine, solus es Deus, & non est alius præter te. Propugna causam tuam, & destrue multitudinem idolorum, ut omnes homines in te unum sint, téque uno ore laudent, & glorificent. Da etiam mihi illud unum, quod solum est necessarium.

## DECAS III.

1. DEUS invisibilis, quando te videbo, non per speculum, & in ænigmate, sed facie ad faciem? O si te cognoscerem, sicut à te cognitus sum, ut, sicut tu me amas, ita te amarem! sed quia cognitio obscura & brevis est, te amabo quantùm possum, donec te videam sicut desidero.

2. Incomprehensibilis & ineffabilis Deus, gaudeo, quòd ipsi supremi spiritus in tuo conspectu quasi cœci sint: vincis enim omnen scientiam illorum, nec ulla creatura te nominare, sicuti es, aut comprehendere potest. Utinam saltem vires omnes intendam, & applicem ad te diligendum, quandoquidem ad comprehendendum non sufficio.

3. Deus vivens & verus, prima & summa veritas,

ritas, verax in sermonibus tuis, & fidelis in promissionibus: da mihi obsecro veritatem amare, in veritate ambulare, in te sperare & credere, & omnem hypocrisim ac duplicitatem detestari.

4. Sancte Sanctorum, Deus, exemplar & finis totius sanctitatis, fateor me nullam sanctitatem habere posse, nisi tu dederis, nec in eâ persistere, nisi tu conservaveris. Funda me in hâc profundâ humilitate, ut dignus sim ascendere ad altissimam sanctitatem.

5. O summa, suprema, & essentialis bonitas, Deus meus, quàm pœnitet me, quòd te derelicto fonte omnium bonorum, ad bona fucata & apparentia me converterim? Mirifica voluntatem meam, ut te unicum & summum bonum quæram & diligam.

6. Da mihi, ô summa bonitas, summum amorem mihi possibilem, ut toto illo te summè amabilem amem. Deberem sanè infinito amore te prosequi, quia infinitè bonus es, sed quia incapax infiniti amoris sum, opto saltem te amare summo conatu mihi possibili.

7. Totus mihi es amabilis, Dilecte mi, quia totum est bonum, quidquid est in te. Utinam sic tibi amabile esset, quidquid est in me. Aufer ab animâ meâ omne genus culpæ & maculæ, ut tota sit pulchra in oculis tuis, & amabilis cordi tuo.

8. Ne permittas, bonitas infinita, ullum esse hominem, qui te non amet: aperi oculos odientium te; si enim vivâ fide te cognoscerent, nunquam odissent.

9. Mirabilis es, Domine, in te ipso, mirabilis in operibus tuis, mirabilis in Sanctis tuis: Tu facis mirabilia magna solus. Te igitur intellectus meus rerum novarum & mirabilium indagator semper consideret, reliqua omnia tanquam vilia & communia rejiciat.

10. Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum: licèt enim horrendum sit, incidere in manus tuas, tamen es Deus vivens, & vita, ad misericordiam.

## DECAS IV.

1. DEus scientiarum, & totius sapientiæ fons, qui omnia nôsti, & nihil est absconditum ab oculis tuis: ecce collocо me in infimo loco mei nihili, & meæ omnimodæ ignorantiæ; precorque humiliter, ut tribuas mihi nôsse te ipsum, & voluntatem tuam, & hæc cognitio sufficit mihi, adjuvante me gratiâ tuâ, ut te cognitem diligam, & faciam quod à me requiris.

2. Domine discretor cogitationum & intentionum cordis, in cujus conspectu nulla est creatura invisibilis, utinam noscas me ex nomine, ut me cognitum & tuæ providentiæ subjectum sciens, omnem mei curam & solicitudinem in te projiciam.

3. O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia tua, & investigabiles viæ tuæ? Incerta & occulta hujus admirabilis sapientiæ veneror, & adoro, ejusque justissimæ dispositioni me prorsus committo.

4. Emitte, Domine, sapientiam tuam à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore: præcedat illa omnia opera mea, comitetur me in omnibus quæ fecero, ac eò deducat, ubi clarè te videam.

5. Rerum omnium summe Artifex Deus, qui omnia disposuisti in numero, pondere, & mensurâ, juxta exemplar in mente tuâ præexistens; fac me ita perfectum, ut ideam veræ perfectionis in te existentem, quantùm fieri potest, imiter, & exprimam in me ipso.

6. Lux beatissima Deus, & lumen cordium, qui lucem habitas inaccessibilem, & illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, emitte lucem tuam à montibus æternis, & splendoribus Sanctorum illumina cor meum, ut verbo & exemplo cunctis præluceam.

7. Deus, qui revelas abscondita, & vides in tenebris constituta, da mihi abyssum judiciorum tuorum timere & venerari, tuámque voluntatem in præceptis & consiliis tuis revelatam semper agnoscere, & strenuè perficere; cætera verò, quæ ad me non pertinent, nequaquam perscrutari.

8. Ostende mihi, Deus, magnitudinem amoris tui, ut eo cognito vehementer admirer, & secundum parvitatem meam tantæ dignationi vicem rependam.

9. Gratias tibi ago, Amantissime Deus, quia ab æterno dilexisti me, & ex merâ gratiâ tuâ voluisti ut essem, & talis essem. Fateor impossibile esse, ut eo modo te diligam, quo tu me: possum enim benè tibi velle, sed non aliquid dare tibi, quo tu careas. Deo nihilominus tibi, quod ipse mihi largitus es, serviens tibi

& pro

& pro omnibus gratias agens: quod verò tibi dare nequeo, debeo proximis meis, amore tui.

10. Quàm admirabilis est amor tuus erga hominem, Deus meus, propter quem tot creaturas in suâ naturâ perfectas condidisti? O si tot haberem corda, quot illæ sunt, ut illis omnibus earum nomine te diligerem & glorificarem, reddens tibi debitum quod illæ nequeunt; & cujus ego illarum causâ debitor sum.

## DECAS V.

1. AMator sempiterne, qui nunquam cessas amare, & cum amore operari, nam si cessares, omnia desinerent esse, concede mihi, ut nunquam cessem te amare, aut propter amorem tuum operari, si enim charitatem non habuero, nihil sum.

2. Diligam te toto corde, Deus meus, & omnem amorem meum in te uno collocabo, quia tu Pater meus es, tu frater, tu sponsus, tu amicus, & benefactor in æternum.

3. Dulcissime Deus, amabilis super omnia quæ cogitari possunt; magnum fuit beneficium, quòd me ad imaginem & similitudinem tuam condideris, sed infinita charitas tua adhuc me voluit ad altiorem similitudinem elevare per gratiam & charitatem, ut non solùm servus, sed amicus tuus essem. Utinam hæc amicitia ex parte meâ perfecta sit, sicut ex tuâ est perfectissima.

4. Utinam semper te dilexissem, superoptime Deus, ex quo sum homo, quia tu me dilexisti ex quo es Deus. Ne differas, anima mea, Deum diligere, ama Amorem ab æterno te amantem.

5. Quàm immensa est charitas tua, æternæ Deus, qui solem tuum oriri facis super bonos & malos? Occlude, si fieri potest, januas inferni, ut nemo eo descendat, ubi omnes te oderunt: aperi portas Cœli, ut omnes eò conscendant, ubi omnes te diligunt.

6. O altitudo bonitatis Dei, ô amor ineffabilis, qui, ut perfectam cum homine amicitiam contraheres, illum ad Dei æqualitatem sublimâsti! Quas tibi referam gratias pro tam eximio beneficio? laudet te ipsâmet charitas tua, & benedicant opera, quæ ab illâ proveniunt.

7. Exulto, Domine, cum lego in scripturis tuis, quia tu charitas es. Quid enim dulcius, quid lætiùs audiri potest? Da igitur mihi te ipsum, da charitatem tuam. Diligam te, sicut vis diligi, & da quod jubes, ut implere possim quod desideras.

8. Deus fortis, & Zelotes, æmulator, qui ob nimium erga me amorem zelo zelaris, ne amorem tibi debitum alteri tribuam: accendatur velut ignis zelus tuus, nec me unquam permittas ab amore tuo declinare.

9. Amator ardentissime, cujus amor transit in zelum, comedat me zelus gloriæ tuæ, & ad eam propagandam semper impellat.

10. Deus author pacis & amator, aufer à zelo meo omnem perturbationem, ut similis sit zelo tuo, pacificus, discretus, secundùm scientiam. Tu es enim princeps pacis: & Ecclesiam tuam fundâsti in pulchritudine pacis: omnia in pace & tranquillitate disponis, & factus est in pace locus tuus.

## DECAS VI.

1. MIserator, misericors Domine, longanimis & multùm misericors, cui proprium est misereri semper & parcere; mirifica super me misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele omnes iniquitates meas.

2. Præveniat me misericordia tua, Domine, subsequatur omnibus diebus vitæ meæ, ut liber sim ab omni miseriâ animæ, & corporis. Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam, & cantabo in æternum, quia tu es Deus vita mea, & misericordia mea.

3. Justus es, Domine, & rectum judicium tuum; justitiâ plena est dextera tua. Millies pro hac te laudo, precórque ut non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

4. Justissime Judex, qui scrutaris Hierusalem in lucernis, & judicas æquitatem, vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in viâ æterna. Ulciscere hic in æternitate. Libera me nunc ab omni peccato, ut in judicio tuo ab ultione liber evadam.

5. Fortissime Deus, in quo omnia, & sine quo nihil possum, vide infirmitatem meam, & laborem meum, & robora me virtute tua, ut meipsum vincam, & omnia quæ virtuti adversantur.

6. Scio, Domine, quia tu es Deus clemens, & benignus, & infinitæ patientiæ, qui dissimulas

mulas peccata hominum propter pœnitentiam : suscipe me itaque revertentem ad te, & præsta, ut patientiâ tuâ non abutar.

7. Vere tu, Domine, suavis & mitis es, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te: quareprecor, ut corripias me in mansuetudine, & suavitate tuâ, non autem in furore tuo; ne fortè ad nihilum redigas me.

8. Magnus es Domine, & laubabilis nimis, terribilis super omnes Deos: benedicant te omnia opera tua, cælum & terra, & quidquid in eis continetur.

9. Quidquid eveniat mihi, Domine, semper laus tua erit in ore meo. Linguâ autem deficiente, omnis respiratio mea sit laudis tuæ significatio. Corpore verò extincto, & in pulverem redacto, laudes tibi infinitas dicant minutissima quæque pulveris grana usque ad extremum judicii diem.

10. Universa propter temetipsum operatus es, Domine, tu finis omnium rerum, & non est alius ultimus finis præter te. Verè fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te: Tu es civitas, ad quam tendimus: tu portus, ad quem navigamus; tu magnes cordis nostri. Trahe nos igitur ad te ab hoc durissimo exilio, ab hoc mari procelloso.

## DECAS VII.

1. TErribilis es Domine, & magnus vehementer, & mirabilis potentia tua; fecisti enim omnia, quæ voluisti in cœlo & in terra, quia subest tibi cùm volueris posse: imò plura infinities facere potes, quàm vel cogitatione ego assequi valeam. Robora impotentiam meam omnipotentia tua, quia sine te nihil facere possum, & tu omnia operaris in me.

2. Deus liberalissime, gratias ago tibi ob tot insignia opera tuæ infinitæ liberalitatis: concede ut sim liberalis in reddendo tibi, quod à te accipio.

3. Offero tibi cor meum, suscipe illud, Domine, quia melius & securius apud te erit, quàm apud me.

4. O Deus omnipotens, qui totam terræ molem appendis, nulli rei extra innixus, oro ut mihi nihilum meum verè agnoscenti, tu solus mea sis firmitas, & in te secura sit virtus mea.

5. Benignissime Pater, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, dirige omnes actiones meas in finem à te destinatum, quia in manibus tuis sortes meæ, & iis me totaliter committo.

6. Amantissime creator, qui admiranda providentia singulis prospicis creaturis, & mihi ab æterno bona præparasti, quibus nunc fruor; fac me ita transire per bona temporalia, ut non amittam æterna.

7. Respexisti me, Deus, ante mundi constitutionem, & dilexisti me, antequam quidquam boni vel mali facerem, & ex mera tua bonitate elegisti me in Christo, ut essem sanctus & immaculatus. Et nunc, Domine, gratias ago pro tam insigni beneficio, precórque, ut des mihi per bona opera certam facere vocationem meam.

8. Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plasmaverunt me: da mihi intellectum, ut discam mandata tua. Et sicut esse quod habeo dedisti mihi, ita etiam da perfectionem, qua careo, ut opus tuum sit omni ex parte perfectum.

9. O sapientia Divina, quæ ex ore Altissimi prodiisti, primogenita ante omnem creaturam, quæ effecisti in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens, largire mihi partem aliquam tuæ lucis, quæ indeficiens in me permaneat.

10. Æterna Sapientia, cujus delitiæ creare filios hominum, & esse cum illis; quandoquidem me creasti conversationis tuæ & boni infiniti capacem, ne vacuam esse permittas hanc in me capacitatem, sed age mecum familiariter, & imple me teipsâ, quia tu sola sufficis mihi.

## DECAS VIII.

1. PAter misericordiarum, qui Electos tuos prædestinasti conformes fieri Imagini Filii tui, ita me illi conforma in sanctitate, ut, cum apparuerit, ei similis sim in gloria.

2. Benefactor immense, dator & conservatur omnium bonorum, qui omnia quæ fecisti continuata quadam creatione conservas, & ad omnes actiones nostras semper concurris; conserva me, quoniam in te speravi, & fac me semper operari, quod tibi placet, ut concursus tuus in meum commodum semper cedat, & ad majorem tui gloriam.

3. Rege me, Domine, & guberna me: ne quæso ego me ipsum regam, nec me gubernet mundus, aut caro: tu enim solicitus es de me,

meique curam sapientissimè geras, ac si ego solus essem in mundo, qui tamen omnium sum miserrimus.

4. Submitto me, Domine, providentiæ & dispositioni tuæ in tempore & in æternitate: in te projicio omnem solicitudinem meam; quia non derelinquis diligentes te: & si quæsiero regnum Dei, & justitiam ejus; cætera omnia adjicientur mihi.

5. Gratias tibi ago, bonum infinitum, quia ex malis nostris bona deducis, & permittis nostram miseriam, ut magis emineat misericordia tua: Ostende quæso in me hujusmodi providentiam, ut omnia mihi cooperentur in bonum.

6. O suavissima Dei providentia, quid ampliùs facere potuisti? Sic nimirum dilexisti mundum, ut Filium tuum Unigenitum dares: Filium inquam tuum, ut servum redimeres, tradidisti. Applica nunc mihi tam copiosæ redemptionis fructus, ut per gratiam tuam redemptus, te fruar semper in gloriâ.

7. Esto mihi, dulcissime Jesu, sapientia, justitia, sanctificatio, & redemptio, applicans mihi efficaciter pretium sanguinis tui, quem pro omnibus effudisti.

8. Tibi gratias ago, Amantissime Pater, quia me vocâsti vocatione tuâ sanctâ ad fidem tuam, & statim natum per Baptismum regenerâsti, à te autem aversum miris modis ad te pertraxisti, & gratiâ tuâ justificasti. Nisi enim tua inspiratio me prævenisset immeritum, jam meritis pro sceleribus pœnis afficerer.

9. Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universâ terrâ! Mirabilis enim fuisti in creatione, mirabilis in redemptione, sed multò mirabilior in convivio, quod parâsti nobis in dulcedine tuâ, in quo anima nostra Redemptoris nostri carnem manducat, & sanguinem bibit. Utinam mihi liceat hac salutari mensâ refecto dicere cum Apostolo: Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.

10. Pastor supreme, salva me ex ore leonum, & luporum infernalium, quia parasti in conspectu meo hanc mensam cœlestem adversus eos, qui tribulant me.

## DECAS IX.

1. OFons bonitatis, Deus animæ meæ, quis sum ego, & quæ domus mea, ut me vocare dignatus sis ad hunc sublimem statum Religionis? Nam cum essem in seculo sicut unus ex multis, claudicans in duas partes, intonuisti de cœlo, & dedisti vocem tuam, vocem magnam & efficacem, quâ de mundi deserto eduxisti me, & in paradisum transtulisti.

2. Gratias tibi, Magister supreme, ago, quòd me in discipulum tuum elegeris in hâc scholâ perfectionis, multis aliis relictis, qui me digniores erant. Da mihi sequi vestigia tua, & quod docuisti semper implere.

3. Adveniat regnum tuum, Rex sempiterne, regnum æternum, quod præparasti diligentibus te: Ostende mihi bona, quæ promisisti, & ita me excita ad illa procuranda, ut ea tandem obtineam.

4. Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit, & præ magnitudine desiderii deficit anima mea, dum cogitat de atriis tuis. O quando veniam, ut in eis habitem, & tantâ fruar pulchritudine?

5. Multa scio de te, Domine, sed nescio quid dicam. Quidquid enim dixero, quidquid cogitavero, finitum est; tu autem immensus es, & incomprehensibilis, & magnitudinis tuæ non est finis.

6. Deus infinite, qui es Trinus in personis, sed unus in essentiâ; & ita divinitatem communicas, ut Unitas non lædatur; communica mihi copiosam gratiam, ut sim tecum unus charitate perfectâ.

7. Sancte Sanctorum, Deus spirituum, & cunctæ carnis, â cujus conspectu tremit cœlum & terra, omni qua valeo virtute te benedico, quia per Ecclesiæ tuæ sanctæ documenta in fide tuâ confirmâsti me.

8. Te invoco, Beata Trinitas, ut venias in me, & templum dignum gloriæ tuæ efficias me. Perfice me Deus, qui plasmâsti me, usque ad plenam formam imaginis, & similitudinis tuæ, ad quam fecisti me.

9. Deus immense, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia facta sunt, custodi me opus manuum tuarum in te sperantem, & in tuâ solummodò misericordiâ confidentem.

10. Domine, qui dixisti: Non videbit me homo, & vivet, Moriar, ut te videam. Hæc est enim vita æterna, ut te Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, unum, verum, & solum Deum cognoscam, & amem in sæcula sæculorum.

DE-

## DECAS X.

1. PAter immensæ majestatis, principium absque principio, qui à nullo procedis, gaudeo quòd intrà te ipsum Verbum tuum æternum concipias, Filiumque generes adeò tibi similem, ut sit unum & idem tecum.

2. Pater cœlestis, à quo omnis Paternitas in cœlo, & in terrâ nominatur, obsecro te per Filium tuum Unigenitum, in quo tantoperè delectaris, ut multos alios gignas filios per gratiam adoptionis, ut Paternitas tua ubique dilatetur, & resplendeat.

3. Pater ingenite, innascibilis, improducibilis, fons Deitatis, ac totius entitatis origo, sanctifica me in veritate, ut qui à te processi, in te perpetuò maneam, nec unquam mens mea à te avertatur.

4. Fili Dei Unigenite, qui æternâ generatione à Patre procedis, ipsi coæqualis, & consubstantialis, fac me pro modulo meo hujus similitudinis & æqualitatis aliquâ ex parte participem.

5. Fili Dei, Deus de Deo, lumen de lumine, sapientia increata, candor lucis æternæ, fac me filium lucis in hâc vitâ, ut in æternâ lumine gloriæ illustratus, videam te glorioſum & benedictum in secula.

6. Splendor paternæ gloriæ, & figura substantiæ ejus, qui summè dilectus à Patre, ipsumque Patrem summè diligens, simul cum ipso unicâ spiratione producis Spiritum Sanctum: emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ut splendoribus tuis illustratus cognoscam te, & diligam, sicut tu diligis Patrem, & eum perfectè cognoscis.

7. Sancte Spiritus, consolator dulcissime, donum Altissimi, & unctio Electorum, da mihi teipsum donum infinitum, ut & ego spiritus sim sicut es tu, omnis terrenæ contagionis expers; & sanctus sicut tu, currens inoffenso pede viam mandatorum tuorum.

8. Spiritus Patris, à quo accipis divinitatem, & omnipotentiam: Spiritus Filii, à quo accipis ejusdem sapientiam: Spiritus utriusque, à quibus accipis infinitum amorem, quo se mutuo amant; illabere menti meæ, & fac concordiam in affectibus meis, ut conjungar tibi in uno spiritu, & totus convertar in spiritum amoris.

9. Sanctissime Spiritus, & amor suavissime, charitas essentialis, & totius charitatis principium, bonitas æterna, à qua omnia bona in nos descendunt; inflamma voluntatem meam ferventissimo tui amore, & adstringe me tibi, ac Patri, & Filio; ut nec intellectu, nec affectu à vobis divellar.

10. Sancta & adoranda Trinitas, Deus meus, & omne bonum meum, da teipsum mihi, & sufficit mihi. Quid enim ei sufficiet, cui tu non sufficis?

---

## CAPUT XVII.

*Vitam Christi esse Fontem omnium bonorum. Quomodo ex eâ pii affectus eliciantur.*

PRolixi voluminis opus foret bona omnia commemorare, quæ ex vitâ Christi velut ex fonte uberrimo, & nunquam deficiente scaturiunt, & perenniter fluunt. Ipse enim Salvator noster factus est nobis à Deo sapientia, justitia, redemptio, & sanctificatio. In ipso habemus divitias salutis, thesaurum meritorum, cumulum perfectionis. Sicut Sol aspectu suo lætificat, influit, illuminat, nec unquam cessat operari: ita verus Sol animarum Jesus Christus jugi influxu infundit in nos, & imprimit mores suos, virtutes suas, suam Divinitatem. Vitæ ejus consideratio erigit in adversis, in prosperis reprimit, tollit peccata, conciliat gratiam, excitat ad amorem, juvat incipientes, dirigit proficientes, edocet perfectos. Quemadmodùm unguentarii semper olent id quod attrectant; sic Christianus, qui assiduè cum Christo versatur, ejus redolet patientiam, charitatem, humilitatem, cæteraſque virtutes, quas vitæ suæ studioso sensim instillat idem Dominus virtutum, cujus doctrina seminarium justitiæ, vita speculum prudentiæ, & temperantiæ, mors exemplum est fortitudinis. Sed quia non sufficit Christi vitam meditari, nisi etiam ex ea pii, & devoti affectus eliciantur; hujus praxim in hoc capitulo breviter indicabo, ut auctorem fidei respicientes, eundem salutis nostræ atque perfectionis consummatorem habeamus.

## DECAS I.

1. DOmine Jesu Christe, concede mihi misero peccatori vitam & mores tuos præ oculis mentis semper habere, & pro viribus imitari.

2. O charitas infinita, ô admiranda dignatio tua, Domine, ut servum redimeres, Filium tradidisti.

3. Vidisti, suavissime Jesu, afflictionem populi tui, & grave onus filiorum Adam, & tactus stimulis charitatis intrinsecùs cogitasti super nos cogitationes pacis, & redemptionis. Nam tibi advenit plenitudo temporis, visitasti nos oriens ex alto.

4. Deus immensæ majestatis, quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Laudent te Angeli tui ob tantum amorem, quo nos miseros prosequeris.

5. Salve dies tot ætatibus optata, quâ Deus pro nobis factus est homo. Salve Gabriel Archangele tanti gaudii annunciator. Salve Virgo glorioſa, in cujus castissimo utero carnem assumpsit Deus.

6. O quàm potens es Amor, qui ad tam infima abjicis Deum! O quàm divino dissimilis est amor meus!

7. Princeps supreme, qui de Cœlo in terram pro meâ salute descendisti, tantò mihi charior es, quantò pro me factus es vilior.

8. Verbum incarnatum plenum gratiæ & veritatis, eâdem gratiâ imple animam meam, ut tibi placeat.

9. Verbum divinum, partem aliquam largire mihi lucis, & gratiarum, quas tribuisti assumptæ humanitati. Deprime cor meum humilitate usque ad infimum locum: erige gratitudine & amore ad altissimum gradum.

10. Christe Salvator, qui adhuc clausus maternis visceribus ad Præcursorem sanctificandum properâsti; da mihi peccatorum veniam, & spiritualem in tuo obsequio lætitiam.

## DECAS II.

1. JEsu ambilissime, qui pro me nasci in sordenti stabulo voluisti, illumina mentem meam, & voluntatem, quo tuam Nativitatem contemplari valeam, & elucentes in eâ virtutes imitari.

2. Cur non ardet cor meum tenerrimo tui amore, Infans formosissime; qui salutem meam in ipso tui ortu operari cœpisti?

3. Utinam Nativitati tuæ præsens fuissem dignusque habitus, qui te amplecterer, & mea tibi obsequia deferrem? Accepta, Domine, hanc voluntatẽ, & præstat, ut, quidquid possum, quicquid sum, tuo semper famulatui impendâ.

4. O inaudita amoris prodigia! Dilecti mei cubile stabulum est; desponsationis meæ thalamus præsepe, lectus sponsi mei fœnum, pulvillus stramen, aula vilis spelunca.

5. O sanctam Filii Dei paupertatem, omnibus mundi divitiis pretiosiorem! hanc mihi commendabilem tuo exemplo reddidisti, bone Jesu, natus in stabulo, pannis involutus, qui Cœlum stellis, terram floribus adornâsti. Infunde cordi meo ejus amorem, & da patienti animo ejus molestias perferre.

6. O quantum lugere debeo pro peccatis meis, piissime Jesu, quandoquidem tu pro eis ploras. Me enim abluunt vagientis tuæ infantiæ fletus, mea delicta tuæ deplorant lacrymæ.

7. JESU sapientissime, qui tacendo doces, & vagiendo prædicas; doce me in silentio humilitatem tuam sequi, tibique conformem fieri infantili simplicitate & innocentiâ.

8. Fortunati Pastores, quibus ante omnes lapsus è Cœlo Deus, stabuloque reconditus angelicâ voce nuntiatur.

9. Verè gloria in excelsis Deo: nam cui gloria, nisi tibi Rex gloriæ? Trahe cor meum in excelsa, ut nunquam degenerem ab excelsis cogitationibus filiorum tuorum.

10. Da mihi, Salvator dulcissime, quam omnibus offers bonam voluntatem, pacemque divinam, ut abjectâ mundi inconstantiâ & discordiâ, in beneplacito tuo stabilis perseverem.

## DECAS III.

1. LAudo te, Redemptor mundi, pro primâ sanguinis tui in tenerrimâ ætate effusione, cum tua caro immaculata pœnam circumcisionis, quam non meruit, sustinuit.

2. O lapsus Adæ, quàm es amarus Domino meo! ego peccavi, & tu, Domine, pœnam exsolvis, ego in concupiscentiâ conceptus & natus sum, & tu suscipis in te ultionem.

3. Sponsus sanguinis tu mihi es, qui cum voce nondum possis, ipso cruore tuo clamas pro me ad Patrem: mihique tribuis arrham desponsationis sanguinem tuum pretiosum super aurum & topazion.

4 Circumcide, Domine, omnia membra & sensus meos spirituali petrâ, quæ tu ipse es, & quidquid in me repereris carnale, & superfluum, abscinde, & extirpa; vitamque meam disciplinæ tuæ rigore coerce.

5. O dul-

5. O dulcissimum nomen Jesu, super omne nomen in cœlo & in terrâ benedictum, esto mihi salus & redemptio: non enim est aliud nomen hominibus datum, in quo oporteat nos salvos fieri.

6. Esto mihi, JESU, id quod diceris. Esto mihi turris fortitudinis à facie inimici. Scribe nomen tuum salutiferum in corde meo, ut tibi maneat semper impressum, donec perducat ad æternam salutem.

7. Glorifico te Deus, pro primitiis gentium, & earum admirabili illuminatione; cùm eas ab oriente in personâ trium Magorum ad fidem tuam secretâ inspiratione traxisti.

8. Adoro te, Rex Regum, cum sanctis Magis, & pro illorum muneribus offero tibi aurum paupertatis, thus obedientiæ, myrrham castitatis.

9. Utinam omnes gentes te fide vivâ cognoscerent, & adorarent, & tibi fideliter servirent.

10. Da mihi, Domine, horum virorum fidem & constantiam, ut eâdem, quâ illi, perseverantiâ te quæram, donec inveniam.

## DECAS IV.

1. VOluisti, Domine, præsentari in templo, & more servorum quinque siclis redimi: sit benedicta immensa charitas tua: & quia Pater tuus te mihi tradidit quinque siclorum pretio, ego vicissim trado me tibi in servum perpetuum. Fiat per gratiam tuam, ut nec tu me unquam deseras, nec ego te.

2. Benedico te, sanctissime Redemptor, quia, ut nobis verę obedientiæ exemplum relinqueres, te legalibus institutis, tanquam unus de populo, subdidisti. Da mihi in omnibus perfectissimam obedientiam.

3. Offero tibi, Domine, par turturum, geminam scilicet compunctionem; primò quidem pro peccatis, & negligentiis meis, deinde verò pro æternâ felicitate, ad quam jugiter suspiro.

4. Da mihi, bone JESU, radium aliquem illius lucis, quam Sancto seni Simeoni tribuisti, cum te infantem in ulnas suas suscepit, ut te agnoscam, & amem; sicut ille te novit & amavit.

5. Sapientissime Jesu, qui Sanctæ Genitrici tuæ doloris gladium, quo transfigenda erat, revelari voluisti; transfige animam meam gladio compunctionis, ne me dissolvant vanæ mundi consolationes.

6. Vix natus eras, Rex amantissime, cùm subitò mundus te persequitur, & Rex Herodes statim te quærit, ut perdat te: sicut autem te caput bonorum persecuti sunt impii, ita & membra tua. Da mihi igitur hanc veritatem agnoscere, & malorum persecutiones patienter ferre.

7. Tecum fugere, Iesu dulcissime, & omnia quæ mundi hujus sunt relinquere, grave mihi non erit: nam si tu mecum fueris, quid poterit mihi deesse?

8. Comitare fugientem Deum, anima mea, nec erubesce ad hanc fugam. Gloriosum est & dulce pro Deo abjici & contemni.

9. Adesto mihi, Deus, gratiâ tuâ, ut in hujus vitæ exilio, voluntati tuæ subjectus vivam, semper bonum exemplum illis præbens, cum quibus vixero.

10. Dulcis Iesu, qui revocatus ab Ægypto, ubi exul diù fuisti, in Nazareth secessisti, & Nazaræus vocatus es: da mihi leges Nazaræorum spiritualiter observare: abstinere nimirum ab omni amore inordinato, & nihil tangere, quod possit maculare animam meam.

## DECAS V.

1. NIhil scimus de te, ô Sapientia incarnata, usque ad annum duodecimum ætatis tuæ, & multa scimus. Ipsa enim taciturnitas tua clamat in cordibus nostris; ut silentium tuum & humilitatem admiremur, & imitemur.

2. Sedisti in medio Doctorum, sapientissime puer, interrogans prudenter, & respondens modestè, ita ut omnes mirarentur. Utinam illic adfuissem, & sermones tuos audire licuisset. Repete eos, Domine, in corde meo, ut fructu eorum perfruar in æternum.

3. O quam dolenter quæsivit te amissum mater tua, quam lætanter te invenit! Da mihi exemplo tuo in his semper esse, quæ Dei sunt, nullâ habitâ ratione cognationis, & sanguinis: & fac, ut te absentem solicitè semper quæram, donec inveniam.

4. Congratulor tibi, Beatissima Virgo, quòd dilectissimum tuum inveneris: ora pro me, ne unquam illum amittam, aut ab eo discedam.

5. Proficiebas, dulcissime puer, sapientiâ, ætate, & gratiâ apud Deum, & homines: quia majora quotidie edebas virtutis indicia, ego autem proficere opto à remissiori vitâ ad ferventem & perfectam. Da tu mihi benedictionem tuam, ut juxta desiderium meum crescam

de virtute in virtutem, donec ad gradum supremum perveniam.

6. O humilitas Christi quantum confundis superbiam & vanitatem meam! Tu latuisti, Domine, & tacuisti usque ad trigesimum annum, cum esses sapientia æterna: ego verò stultissimus cum sim, inaniter loqui præsumo, & apparere. Doce me viam solidioris humilitatis, & tuis semper inhærere vestigiis.

7. Domine Jesu, fons bonitatis & origo virtutum, qui à Baptismo Joannis prædicationem tuam auspicatus es, quid tibi & Baptismo isti, cum sis innocentissimus? Utinam superbia mea hoc tam mirabili humilitatis exemplo exterminetur.

8. Rex altissime, qui omnem justitiam sic implere voluisti, baptiza me in igne & spiritu, & ablue animam meam ab omni sorde iniquitatum.

9. Imple me, Domine, Spiritu Sancto, ut eo inspirante sequar te in desertum, & secedam ab hominibus, orationi, jejunio, & pœnitentiæ incumbens.

10. Fortissime athleta, Jesu Christe, qui strenuè contrà diabolum dimicasti, & eum gloriosè superasti; da mihi viriliter contrà ipsum decertare; & mitte sanctos Angelos tuos, qui me fideliter custodiant, potenter adjuvent, & benignè consolentur.

## DECAS VI.

1. COnfiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia Redemptionis nostræ mysteria abscondisti à sapientibus, & prudentibus hujus sæculi, & parvulis piscatoribus revelasti, ut mundi sapientiam destrueres. Fac me parvulum in oculis meis, ut magnus fiam in tuis.

2. Dux supreme, qui omnes ad te vocas per viam crucis & abnegationis, gratiam tuam largire mihi, ut crucem meam indefessus portem usque ad mortem.

3. Aliam viam, Domine, tenere nolo, quàm tuam: nec aliam, quàm tuam veritatem amplecti: nec aliam vitam ducere, præter eam, quam tu docuisti. Tu es enim via, veritas, & vita.

4. Gratias ago tibi, æterne Pater, quòd talem mihi magistrum, legislatorem, & consiliarium dederis, cujus præcepta & monita via tutissima salutis sunt.

5. Aperi os tuum, Salvator mundi, & loquere ad cor meum, quia audit servus tuus, desiderans id exequi, quod audierit.

6. Illumina me splendoribus tuis, superne Magister, ut perfectionem agnoscam, quam mihi commendas: igne tuo accende, ut eam amem: potentiâ corrobora, ut eam quæram & assequar.

7. Salvator potentissime, qui tot miracula verbo virtutis tuæ patrare dignatus es; innova signa, immuta mirabilia, & animæ meæ languores sana, eamque resuscita à morte vitiorum.

8. Inclite Jesu, lux mundi, salus populi, & gloria nostra, respice propitius infirmitatem meam: nemo enim potest spiritualia vulnera curare, nisi tu qui solus es Deus.

9. Circuisti vicos & plateas, dulcissime Jesu, ut peccatores converteres, & pœnitentibus indulgentiam conferres: fac me hujus charitatis tuæ participem, & miserere mei, quoniam iniquitatem meam cognosco.

10. Millies te laudo, & benedico, Jesu sanctissime, exemplar omnium virtutum pro vitâ tuâ pauperrimâ, humillimâ, purissimâ, patientissima: tribue mihi miserrimo servo tuo mores tuos sedulò meditari, & ad eorum normam omnes actus, sermones, & gestus meos efformare.

## DECAS VII.

1. QUàm immensa fuit charitas tua, benignissime Redemptor, quia non solùm pro salute mea vitam ærumnosam ducere, sed eam insuper acerbissima passione & morte claudere voluisti. O quàm gravia sunt peccata mea, quæ talem poscebant satisfactionem!

2. Clementissime Pater, per passionem & mortem Unigeniti tui ignosce peccatis famuli tui. Suscipe sacrificium filii tui & obliviscere injuriarum nequissimi servi tui. Multò enim plura ille solvit, quàm sit debitum meum.

3. O passio Christi desiderabilis, ô amabilis mors, sana vulnera mea, & vivifica me: inflamma pectus meum, ut præ amore liquescat.

4. Non peto mundi divitias, sed tuas angustias, Domine Jesu: non carnis delitias, sed tua flagella.

5. Rogo te dulcis Iesu, ne sinas unquam me obliviscì mortis & passionis tuæ; sed præsta, ut in ea mihi sit requies & accessus ad Divinitatem.

6. Omnia vulnera tua, Domine, inscribe cordi meo, ut tu solus, tuaque passio in eo legantur. Intrà vulnera tua absconde me.

7. Do-

7. Domine Jesu, qui nos sic amasti, ut tibi non parceres; veni, & ne differas vulnerare cor meum, ut solùm tua vulnera sentiam, & in iis jugiter maneam, & requiescam.

8. Tui dolores semper occupent pectus meum, ut eorum memor dicam cum sponsa: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

9. Dulcis Jesu, qui tanto fervore & festinatione in Hierusalem ascendisti, ut durissimam mortem pro me patereris, fac me alacrem & ferventem ad omnia, quęcunque volueris pro te sustinenda.

10. Salvator mundi, qui à perdito discipulo venditus fuisti; ne quæso permittas, ut pro vili pretio rerum terrenarum te summum bonum meum vendam & derelinquam.

## DECAS VIII.

1. HUmillime Jesu, qui servile obsequio lavisti pedes discipulorum tuorum, ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à spiritu superbiæ libera me.

2. O dilecte cordis mei, qui imminente passione tua perpetui amoris tui pignus immensum reliquisti nobis, corpus tuum scilicet in cibum, & sanguinem in potum; præpara me ad hoc convivium, & orna animam meam virtutibus tuis.

3. O Rex supreme, qui nutris sanguine tuo populum tuum, ut simus omnes de regio tuo sanguine genus electum, regale sacerdotium, gens sancta: fac me agnoscere genus meum, & de eo gloriari, & à moribus tuis nunquam degenerem esse.

4. Ut passio tua esset acerbior, amabilissime Jesu, omnem lætitiam à te procul abjecisti, incipiens pavere, contristari, & mœstus esse, & ubi dolor meus, in causa tua & mea? Fac me semper memorem tristitiæ tuę, ut omnem angustiam quacumque ex causa mihi advenientem pro tui nominis gloria libenter patiar.

5. O lætitia Angelorum, qui in tristitia tua ad orationis remedium confugisti, concede mihi misero, ut ablacter à lacte, & avellar ab uberibus humanarum consolationum, meque totum orationi applicem, in qua sanctissimam voluntatem tuam & cognoscam, & exequar.

6. Transeat à te, Domine, ad me calix tuus: omnis enim amaritudo pro te degustata erit mihi jucundissima.

7. Quis mihi det dolores tuos ita sentire, afflictissime Jesu, ut vel eorum cogitatio sanguineum à me sudorem eliciat? Adjuva me gratia tua, ut voti hujus compos efficiar.

8. Laudo & glorifico te, mitissime Jesu, pro tua ineffabili mansuetudine, quam ostendisti à perfido discipulo osculo traditus, & ab impiis comprehensus, atque ligatus: da mihi hunc spiritum lenitatis, quo erga meipsum severus sim, & erga proximum mansuetus.

9. Quàm celeriter ire cogeris à tuis hostibus raptatus, dulcissime Jesu, sed multò magis à tua charitate: ne quæso patiaris, ut à te alacriter sequendo desistam, etiamsi multi labores, & dolores subeundi sint.

10. Jesu inocentissime, qui per diversa tribunalia crudeliter trahi voluisti, victima meorum criminum; dirige gressus meos in viam pacis, & jube me venire ad te; nam etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.

## DECAS IX.

1. OBone JESU, virtus & fortitudo animæ meæ, qui tot irrisiones, percussiones, & contumelias admirabili patientiâ tolerâsti, doce me omnia mihi adversantia miti silentio vincere, & tranquillo corde suscipere.

2. Piissime Jesu, qui nequissimo latrone & homicidâ nocentior proclamatus fuisti, fac me vana hominum judicia contemnere, & opprobrium tuum semper præ oculis habere, falsisque mundi honoribus præponere.

3. Mitissime Iesu, qui nudus ad columnam alligatus, & durissimè propter scelera mea flagellatus fuisti, concede animæ meæ, ut diuturnis criminum tempestatibus jactata in hac columnâ portum inveniat. Liga me ad eam in funiculis Adam, in vinculis charitatis.

4. Rex Christe, corona Sanctorum omnium, qui inaudito supplicio spinis coronatus fuisti, & joculari purpura indutus; fac me omnem contemptum patienter ferre, atque inglorium omnibus apparere, tuasque spinas semper amare.

5. Benignissime amator hominum, qui ab iniquo judice morte turpissima damnatus fuisti, cùm sis speculum innocentiæ, & sanctitatis: quantò magis me pati oportebit sinistra hominum judicia, qui in multis tam sæpè deliqui?

6. Pro

6. Proficiscere, bone Jesu, ligno crucis onustus, sed multò magis amoris pendere pressus, & qui dolori tuo non parcis, parce peccatis meis.

7. Jugum tuum, Domine, suave est, & onus tuum leve, fac utillud gaudenter portem, abnegans memetipsum, & crucem meam bajulans post te.

8. Suavissime Jesu, qui tam inhumaniter in cruce extendi voluisti, ut numerari possent omnia ossa tua; præsta ut omnia membra, sensus, & potentias ad te semper erectas tibi amanter uniam, & clavis timoris tui cruci tuæ perpetuò affixus maneam.

9. Ad te, Domine, clamantem exaudi, & qui dixisti Apostolis tuis, cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum; trahe me ad te, & excipe animam meam in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ.

10. Agnosco, glorioſissime Fili Dei, titulum tuum; tu es enim Jesus Nazarenus Rex Iudæorum. Utinam orbis universus hunc titulum legat & admittat, teque omnes confiteantur Regem suum & Salvatorem.

## DECAS X.

1. JESU vita morientium, qui, cum jam mortuus esses pro nobis, latus tuum lanceâ aperiri voluisti, ut accedentibus ad te facilis pateret aditus ad cor; admitte me in latus tuum, ut in eo sit requies mea in sæculum sæculi.

2. O quinque Christi pretiosa vulnera, divinâ dulcedine plena, saluto & veneror vos: in vobis enim medicina vitæ, copia gratiæ, plenitudo indulgentiæ.

3. In latere tuo latere volo, Jesu mi crucifixe, ibi orare, ibi tractare negotia mea: quia ibi quidquid voluero obtinebo.

4. Gratias ago tibi, Salvator mundi, quia opus Redemptionis nostræ perfectissimè peregisti: perfice & in me opus quod incœpisti, ut plena in me, & consummata justitia reperiatur.

5. Quanta duritia cordis mei! concutitur terra, dissiliunt saxa, obtenebrantur cœli, moriente Domino: solum cor meum immotum erit, qui tantæ necis causa fui; Scinde illud, Domine, & frange sanguine tuo.

6. Sepeli cor meum tecum, & absconde me intra vulnera tua, dilectissime Iesu, ut extrà te nusquam reperiar.

7. Obsigna cor meum, Domine, & sensus ac facultates sigillo charitatis tuæ, ut sic obsignatus tecum maneam in æternum.

8. O Rex gloriæ, Domine virtutum, qui post mortem descendisti ad inferos, & justos è carcere eduxisti, gaudeo de hoc tuo triumpho, & precor, ut omnem tartaream potestatem virtute tuâ vincere me facias.

9. O Triumphator glorioſissime, fac me participem passionis tuæ, ut sim etiam resurrectionis: tecum moriar, ut tecum resurgam & tecum tandemascendam in cœlum.

10. Rex sempiterne, qui sedes ad dexteram Patris, trahe me post te, ut illic semper fixum sit cor meum, ubi tu es thesaurus meus, & gloria mea, Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.

---

## CAPUT XVIII.

*Ex qualibet re, quæ occurrit, motus anagogicos elici posse. Scalæ à visibili creaturâ ad invisibilem Creatorem.*

1. OPtimè dictum est à Redemptore nostro (*a*) filios hujus sæculi prudentiores esse filiis lucis in genere suo. Nam quis ex nobis, qui filiorum lucis nomine censemur, tantam adhibet industriam in spiritualibus bonis procurandis, quantam mundani homines in terreno lucro ex omni re solertissimè captando? Languet nimirum spiritus, & vigent sensus: & quia cœlestia ab oculis corporalibus remota sunt, mentem humanam vix percellunt: atque ideò plerumque fit, ut in temporalibus lynces, in æternis talpæ simus. Ne igitur sæculo addicti homines surgant contrà nos in judicium, quòd vivaciores fuerint & diligentiores in perituris divitiis, quam nos in veris & perpetuis congregandis; varias artes excogitare debemus, opes quamplurimas spirituales accumulandi, in omni opere ac negotio lucrum spirituale sectando, & ad Deum aspirando, qui omnium actionum nostrarum finis est & principium. Id quâ ratione fieri possit, non meis, sed Sanctorum Patrum verbis indicabo, quò majorem huic doctrinæ conciliem auctoritatem.

2. Divinus Ephrem (*b*) hoc lucrum in oratione potissimum consistere docet, & ait: *Bonum fuerit semper orare, & nunquam deficere, quemad-*

(*a*) *Luc.* 16, 8. (*b*) *Ephrem, t.* 1, *hom. de orando Deum.*

*quemadmodum ait Dominus. Quare sive operaris, sive dormias, sive iter facias, sive comedas, sive bibas, sive decumbas, cave orationem tuam intermiseris. Sive in Ecclesiâ fueris, sive domi tuæ, sivo in agro: & si oves pascas, & si ædificia construas, & si in sympostio verseris, ab oratione cave desistas, & quandocumque potueris, genua flecte; quando non potueris, mente Deum invoca. Quod si orationem operi præmiseris, & surgens è lecto primorum motuum tuorum initia ab oratione duxeris, aditus peccato in animam non patebit.* Consonat Chrysostomus (c) dicens. *Accedamus ad Deum, orantes omni tempore, quia nunquam contingit importunè accedere. Eum quippe, qui cupit largiri semper opportunè oramus. Sicut enim respirare importunum omninò nunquam est; ita etiam non quidem petere, sed non petere potius importunum est. Sicut enim respiratione hoc jugiter indigemus, ita etiam eo, quod à Deo præstatur, auxilio.* Idem Chrysostomus, (d) alibi explicans Apostoli sententiam dicentis: Omnia in gloriam Dei facite, varios proponit modos Deum glorificandi in omni actione & omissione, scalamque nobis de singulis creaturis faciendi, quâ ad Deum ascendamus. De quâ re cum prolixum habuerit sermonem, sic concludit. *Si valuerimus, per omnem vitam hanc spiritualem mercaturam faciemus & ex omni re lucrum capiemus. Sive ergo precemur, sive jejunemus, sive accusemus, sive condonemus, sive laudemus, sive vituperemus, sive ingrediamur, sive exeamus, sive vendamus, sive emamus, sive taceamus, sive disputemus, sive aliud quid faciamus, omnia referamus ad Deum.* Hæc ille docens quomodo ex omni re motus anagogici elici possint, quibus ad Deum assurgamus. Similia tradit Magnus Basilius. (e) *Accumbens mensæ, ora; esitans panem, largitori gratiam rependito; bibis vinum, memento ejus qui illud tibi dedit ad lætitiam & infirmitatum solamen; tunicam indueris, gratias agito benigno datori; suspicis in cœlum, & siderum pulchritudinem intueris, procide Deo, & colo eum, qui omnia hæc in sapientia creavit.* Omitto reliqua. Nam ut alterius Basilii Seleuciæ Episcopi (f) verba usurpem: *Cum Deus res creatas in morem scalæ adaptaverit, per eas sui amantibus ascensum ad se extruxit.*

3. Quidquid igitur occurrit increaturis, ad laudem reducere oportet creatoris, ut piè admonet Seraphicus Bonaventura. (g) *Cum videris aliquos*, inquit, *in prælatione temporali, vel in dignitate constitutos, cogita ibi hoc esse factum ad divinam magnificentiam ostendendam, & sic in eis Dei potentiam collaudabis. Cùm autem videris alios scientiæ insistentes, & non solùm creatoris, sed etiam creaturarum occultissima inquirentes, & quemlibet versiculum curiosiùs ordinantes, hoc esse factum ad manifestandam divinam sapientiam non ignores, & sic in eis Dei sapientiam commendabis. Cùm verò videris alios temporalibus negotiis insistentes, in eis divinam laudabis providentiam per tales quiescentibus providentem. Si aliquos videris cæteros judicantes, divinum judicium time: Si pœnas inferentes, divinam justitiam cogita: si rigidos, divinæ justitiæ expavesce rigorem: si reprehensores, & causarum discussores, futuri judicii recordare. Si verò videris prælatos circà punitionem malorum remissos, in eis divinam misericordiam commendabis. Si videris aliquos insistere operibus charitatis & pietatis, in ipsis laudabis divinam bonitatem, & suam clementiam infinitam se breviter ad omnia diffundentem. Si calorem habueris, recogita erga nos Dei Patris nimiam charitatem, quâ suum filium voluit incarnari, & pro nobis omnibus crucifigi. Si frigus habueris, ab omni æstu miseriæ refrigerium ambelabis: & sic per singula discurrendo omnia potes & debes reducere in laudem & magnificentiam Creatoris.* Hoc sancti viri documento quasi acuto ferro medulla spiritus eruitur ex omnibus rebus, quæ sensibus percipiuntur. In promptuenim est, juxta Apostolum, (h) Omni utenti ratione invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspicere. Quòd si accesserit moralis intelligentia rerum omnium, quæ præ manibus versantur, jam ingens sylva unicuique aperitur, quamplurimos affectus erga Deum ex quâlibet re eliciendi. Hanc autem intelligentiam curioso Lectori suppeditabunt ex antiquis Patribus Clemens Alexandrinus, Origenes, Gregorius Magnus, Rupertus Abbas, Bernardus, Eucherius, & alii: ex recentioribus Sanctus Pagninus in Isagoge ad mysticos scripturæ sensus, Joannes à S. Geminiano in summâ de exemplis & similitudinibus, Hieronymus Lauretus in Sylva Allegoriarum, Petrus Berchorius in Reductorio, & Repertorio morali, & omnes fere Interpretes Sacræ Scripturæ.

4. Philo dissertissimus Judæorum (i) scalas ad Deum esse creata omnia asseverat. Via enim patet nobis, ut dixi, ab his quæ videmus



(c) *Chrys. hom. 23. in Matth.* (d) *Idem orat. Kalendis habita t. 5.* (e) *Basilius Magn. hom. in S. Iulittam. mart.* (f) *Basilius Seleuc. orat. 1.* (g) *Bonav. in stimulo amoris c. 10.*

(h) *ad Roman. c. 1.* (i) *Philo lib. de præmiis.*

& contrectamus, ad Opificem Deum, quem non videmus. Nemo est, si internas aures admovere voluerit, qui vocem naturæ non audiat ingenti clamore conditorem suum prædicantis. *Cœlum, mare, terra, & omnia quæ in eis sunt*, ait S. Prosper, (k) *consono speciei suæ, ordinationisque concentu gloriam Dei protestantur, & prædicatione perpetuâ majestatem sui loquuntur auctoris.* Magnus est liber creaturarum, in quo non solùm vir incomparabilis Antonius Abbas, ut de eo Athanasius refert, (l) sed etiam mundi sapientes studuerunt. Trismegistus dixit, mundum esse librum Divinitatis, & speculum divinorum, in quo Deus seipsum clarè expressit. Orpheus in hymnis mundum esse ait musicam admirabilem, quæ prædicat, & laudat Deum: quod etiam noster hymnographus cecinit dicens; *Cœli enarrant gloriam Dei.* Sunt Creaturæ nutus, quibus Deus se nobis manifestat, ex sententiâ Augustini, (m) & Gregorii, Papæ, (n) Sunt venæ divini susurrii, ut idem Gregorius (o) testatur. Sunt Choreæ, quas mater natura Numini statuit, ut canit Synesius. (p) Sunt fontes divini amoris, ut docet Angelicus Doctor. (q) Nulli ergo dubium, quin facillimè possit, quicumque huic studio animum applicaverit, ex aspectu cujuslibet creaturæ in Deum assurgere, & piis affectibus ad Creatorem aspirare. Praxim hujus exercitii mox tradam, si priùs monuero, fuisse quemdam virum sanctum, qui omnia quæcumque audiebat, & videbat, ad Christi passionem referebat. Si clamor occurreret, aut tumultus, vel ictus malleorum: Si scalas aspiceret, aut ligna, aut lanceas, aut clavos, aut aliud quidpiam, ex omnibus occasionem captabat Christi passionem grato animo recolendi. Poterit autem hujusmodi exercitatio ad totam Domini vitam extendi, adhibitis Aspirationibus, quæ superiori capite descriptæ sunt.

(k) *Prosper lib. 2. de vocat. Gentium. c. 1.* (l) *Athanasius in vita S. Antonii.* (m) *August. lib. 2. de libero. arb. c. 17.* (n) *Greg. lib. 26. moral. c. 8.* (o) *Idem ib. lib. 5. c. 20.* (p) *Synesius hymno 3.* (q) *D. Thom. opusc. 61.*

## CAPUT. XIX.

### *Diarium, & Sylvula aspirationum pro omni actione diei & pro qualibet occasione.*

EX uberrima messe spicilegium faciam, cuncta enim percurrere, ex quibus elici Aspirationes possint, immensi voluminis foret: sed sicut scriptum est: *Da occasionem sapienti, & addetur sapientia.* Primò autem præcipuas diei actiones, & exercitia proponam; tum pleraque alia, quæ frequentiùs occurrere solent, ut in quolibet actu, & occasione piorum affectuum sylva semper in promptu habeatur.

### *Cum quis noctu expergiscitur.*

1. DEUS propitius esto mihi peccatori: educ me de tenebris & umbrâ mortis, & dic de tenebris lucem splendescere.

2. Voca me, Domine, in admirabile lumen tuum; & illumina tenebras meas, tu lux filiorum lucis, tu dies, qui nescis occasum.

3. Tuere me, Domine, ne tenebricosâ peccati caligine involvar: eripe me ab omni inquinamento carnis, & spiritus.

4. Fiat mihi nox ista illuminatio mea in delitiis meis, quoniam memor fui nocte nominis tui Domine.

5. In lectulo meo quæsivi per noctem quem diligit anima mea. Doce me, Domine, quærere te, & ostende te quærenti.

6. Anima mea desideravit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis; de manè vigilabo ad te, splendor paternæ gloriæ.

7. Nox est, & alta rerum quies, ac profundum silentium. Amemus Deum nostrum, anima: nam amor secretum optat.

8. Ardeant tibi, & luceant, Deus meus, sidera tua, & tot accende tædas amoris in corde meo, quot in cœlo splendent stellæ.

9. O si animus ad amoris lucernam vigil hæreret, dum somnum corpus capit, ita ut dicere possem cum sponsâ, ego dormio, & cor meum vigilat! Da mihi Domine, cum necessaria somni quiete perpetuam amoris vigilantiam.

10. Gratias ago tibi, Deus meus, quia dum nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus è regalibus sedibus venit, ut eos illuminaret, qui sedebant in tenebris, & umbrâ mortis.

### *Manè cum surgis.*

1. BEnedicta sit Sancta Trinitas, atque indivisa Unitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

2. In nomine Domini nostri Jesu Christi crucifixi

crucifixi surgo: ipse, qui me redemit, me custodiat, protegat, atque defendat ab omni malo hodie, semper, & in horâ mortis meæ.

3. Credo tibi, Domine mi, in te spero, ac toto corde te diligo: ex te enim, & in te, ac pro te sunt omnia, Deus meus, & omnia.

4. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo: Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.

5. Pater sancte, in unione amoris dilectissimi Filii tui commendo tibi hodie spiritum meum.

6. Offero tibi cor meum, & oro te, ut omnis cogitatio, locutio, & operatio, ac voluntas mea secundum beneplacitum tuum hodie dirigatur.

7. Laudo, glorifico, & saluto cor tuum, dulcissime Jesu Christe, gratias agens pro fideli custodiâ, quâ me hâc nocte protexisti: & quia laudes pro me, & gratiarum actiones, atque omnia, quæ ego debeo Deo Patri incessanter persolvis.

8. Commendo, Domine, divinæ sapientiæ tuæ visum meum interiorem, & exteriorem, ut lumen cogitationis mihi largiaris, quo voluntatem tuam agnoscere valeam, visumque cohibeam ab omni vano, & illicito objecto.

9. Commendo auditum meum misericordiæ tuæ, ut ab auditione malâ me protegas, & intellectum tribuas ad omnia, quæ hodie auditurus sum.

10. Commendo benignitati tuæ os meum & vocem, ut gustum divini spiritus infundas mihi, & ab omni lapsû linguæ me custodias.

11. Commendo pietati tuæ manus meas, ut opera mea tuis apponas operibus, & in eis omnia mea sanctifices, & perficias, & ab omni pravo opere me retrahas.

12. Commendo cor meum divino amori tuo, ut illud cordi tuo unias, tuoque amore ita succendas, ut nunquam deinceps de re aliquâ terrenâ delectetur.

### *Dum indueris.*

1. EXue me, Domine, veterem hominem cum actibus suis, & indue me novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitiâ, & sanctitate veritatis.

2. Indue, Domine, animam meam cyclade auro textâ, vesteque nuptiali charitatis, quæ operiat multitudinem peccatorum meorum; & immensis monilibus virtutum exorna me.

3. Largire quæso animæ meæ vestes, & ornamenta, quæ eam maximè deceant, nè deformitas mea appareat coram te, & Sanctis Angelis tuis.

4. Præcinge lumbos meos, purissime Jesu, cingulo castitatis & pudicitiæ, ut viam mandatorum tuorum expeditè currere possim.

5. Fac, pie Domine, mecum quod solent mundi proceres; vestes patientiæ & humilitatis, quæ tibi regnanti in gloriâ non sunt amplius necessariæ, largire mihi pauperculo servo tuo, qui eis maximè indigeo.

6. Te sic præcipiente, Deus meus, corpus terrenum terrenis vestibus induo: non propter ornatum, & superbiam, sed propter necessarium operimentum, & ut ex habitu status meus discernatur.

7. Dum ego corpori suas vestes tribuo, tu Deus indue animam veste innocentiæ, ut habitus ejus laudabilis appareat coram te.

### *Cum manus abluis.*

1. DA virtutem, Domine, manibus meis ad abstergendam omnem maculam, ut sine pollutione mentis & corporis valeam tibi servire.

2. Amplius lava me, Domine, ab iniquitate meâ, & à peccato meo munda me.

3. Domine Jesu, qui lavisti nos à peccatis in sanguine tuo, lava omnes animæ meæ sordes, & super nivem dealbabor.

### *In ortu Solis.*

1. EXorere, exorere Sol justitiæ, & illustra splendoribus tuis animam meam.

2. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt, in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

3. O lux, quæ illuminas omnia, absorbe me in charitatis abyssum, ut videam semper te in te, & me in te, & cuncta sub te: nam sine te omnia mihi sunt tenebræ, & nox obscura.

4. O sol animæ meæ Deus meus, quam amabilis est pulchritudo tua? Amo te lumen æternum, & ardentiùs amare desidero.

*Ante Divinum Officium.*

1. VOcabis me, Domine, & ego respondebo tibi, operi manuum tuarum porrige dexteram tuam.

2. Domine, in unione illius intentionis, quâ ipse in terris laudes Deo Patri persolvisti, hoc tibi officium persolvere intendo.

3. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

4. Ergone ranuncula vilis de cœno iniquitatum egressa, coram Domino majestatis perstrepere audebo? Et quis sum ego pulvis & cinis, ut loquar ad Dominum meum?

5. Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. In conspectu Angelorum psallam tibi.

6. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi. Psallite Domino Sancti ejus, & confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

7. Summè desidero laudare te Domine Deus meus, & sic honorem afferre tibi, quoniam tu dixisti, Sacrificium laudis honorificabit me.

8. Accipe laudationem meam, Domine, vitulos labiorum meorum, & quia vir pollutus labiis ego sum, sanctifica me, & mitte Angelum tuum, qui calculo ignito emundet os meum, & faciat me dignum laudibus tuis.

9. Illumina intellectum meum, Domine, ut corde percipiam, quod ore pronuncio: transforma in te sensus, & cogitationes meas, ut nihil præter te cogitem: affectus purifica, & voluntatem inflamma, ut te solum amem, & desiderem.

10. Te laudare volo, bone Jesu; tu supple pro me, quidquid minus est in me.

*Post officium.*

1. GRatias tibi ago, Domine Deus, quòd meas indignas orationes audire dignatus sis, & de manu meâ laudum tuarum sacrificium suscipere.

2. Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, Domine mi, qui consolatus es me, & fiduciam præbuisti orandi te?

3. Dimitte, Domine, secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ, quidquid in tuo servitio scienter, vel ignoranter peccavi; & admitti jubeas ante conspectum majestatis tuæ deprecationem servi tui.

4. Recordare fragilitatis meæ, & ignoscens distractionibus meis, miserere mei Deus, & omnium, pro quibus oravi.

5. Suscipe, benignissime Jesu, obsequium servitutis meæ in piissimum cor tuum, & illud tuis, atque Sanctorum precibus adjungens purifica, supple, perfice, & offer Deo Patri ad tuam, & Sanctorum gloriam, ad meam, & omnium salutem.

*Ante Missam, vel Communionem.*

1. DOmine Jesu, in memoriam tuæ passionis & mortis offero tibi hujus Missæ, & omnium Missarum, quæ in toto mundo celebrantur, hostiam immaculatam sacrosancti corporis & sanguinis tui.

2. Suscipe me, Domine, cum oblatione hujus hostiæ immaculatæ in laudem, gloriam, & beneplacitum tuum in unione illius oblationis, quâ temetipsum in arâ crucis obtulisti.

3. Memoriam fecisti mirabilium tuorum, dulcissime Deus animæ meæ, & in escam unam omnes amoris vires contraxisti. Utinam hic cibus me transformet in te, & lapideum pectus meum igne tui amoris accendat, & disrumpat.

4. Veni, Domine, & noli tardare; reple bonis tuis esurientem animam meam, & calice suavitatis tuæ inebria sitientem.

5. Melior est panis tuus, quàm omnes delitiæ mundi, quas ideò respuo, & abominor: & calix tuus inebrians quàm præclarus est?

6. Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana me ab omni languore, ut nullam præter te amem pulchritudinem.

7. Ignis qui semper luces, amor qui semper ardes, illumina & accende me, ut citra condemnationem assistam metuendo altari tuo.

8. Ne projicias me à facie tuâ cum divinissimis donis tuis venientem ad te: neque me aversëris propter nimiam indignitatem meam.

9. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Domine Jesu, Salvator meus.

10. O manna suavissimum, omnem habens saporis suavitatem pro cujusque desiderio, recrea hodie, ac suaviter affice aridum palatum animæ meæ.

11. Veni

11. Veni obsecro, æterna sapientia, tam potenter hodie in animam meam, ut cunctos profliges hostes meos, cuncta vitia consumas, cuncta peccata remittas.

12. Ignem venisti mittere in terram, benignissime Jesu, accende illum in me, & eventila gratiâ tuâ, ut semper crescat.

*Ad elevationem Hostiæ, & Calicis.*

1. PRotector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.

2. Amo te, & adoro toto corde & affectu. Lava me in tuo sanguine, & da mihi pati pro amore tuo.

3. Tu Rex gloriæ Christe: tu Patris sempiternus es filius.

4. Amantissime Jesu, per effusionem sanguinis tui fac ut mundo mortuus tibi soli vivam, à meipso penitùs deficiens.

*Post Missam, vel Communionem.*

1. GRatias ago tibi, Domine JESU, quia me vilissimum peccatorem admittere dignatus es ad vivificum tuæ mensæ convivium. Ignosce vilitati meæ, & fac me hominem secundùm cor tuum.

2. Saucia, Domine, cor meum vulneribus tuis, mentem meam inebria sanguine tuo, ut quocumque me vertam, semper te videam crucifixum, & quidquid aspexero tuo sanguine tinctum appareat mihi.

3. Sanctifica, Domine, animam meam, & benedictionem tuam in eâ relinque. Ingredere cubiculum cordis mei, & illud posside in sempiternum.

4. Respice in me, Pater æterne, quia Unigenitus filius tuus intrà viscera mea clamat ad te.

5. Penetret amor tuus, clementissime Jesu, intima mea, & omnem alium amorem expellat.

6. Transforma me totum in te, ut omnis substantia mea pereat in te, nec me amplius inveniam nisi in te.

7. Recedo modicum à te, sed non sine te, Domine mi, consolatio mea, & omne bonum meum. Da mihi vivere semper in te, & tibi jugiter adhærere.

*Ante mensam, & dum reficeris.*

1. DA mihi, Domine, operari non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.

2. Ecce, Domine, ad mensam accedo, da mihi congruam servare moderationem, ne ex indiscretâ parsimoniâ deficiat corpus, aut ex nimietate gravetur, & insolescat.

3. O quanti pauperes fame pereunt? mihi autem nihil deest. Gratias ago tibi Deus, qui pascis me à juventute meâ, & usque nunc.

4. Quàm suavis es Domine, animæ quærenti te; Utinam nihil sapiat, nihil dulcescat mihi, nisi tu. Tu cibus meus, tu potus suavissimus, tu omnis delectatio mea.

5. O si deterior ferculorum pars mihi semper contingeret, sicut decet me? Indignus enim sum rationalis creaturæ cibis, & pane filiorum, qui jumentis insipientibus similis factus sum propter innumerabilia & execranda peccata mea.

6. Fac me semper, Domine, esurire, & sitire justitiam. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quoniam apud te est fons vitæ.

7. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua; super mel ori meo.

8. Dederunt in escam meam fel, & in siti meâ potaverunt me aceto.

9. Præsta mihi, Domine, ut sicut corpus terreno cibo, ita cœlesti alimoniâ mentem reficiam.

*Post mensam.*

1. GLoria tibi Domine, qui me cibo ac potu necessario refecisti: fac me semper abundare in omni opere bono.

2. Singulas buccellas, & guttas, quas sumpsi, offero tibi in laudem æternam, in unione illius amoris, quo tu Deus meus pro me factus homo cibum & potum sumpsisti in terris ad honorem Patris tui.

3. Parce mihi, Domine, quia temperantiæ limites transgressus sum: da ut deinceps omnem concupiscentiam superem, & omnia gulæ irritamenta.

*Ante quodlibet opus.*

1. DOmine Jesu, da ut peragam opus istud ad gloriam tuam, & salutem meam, sicut tibi placitum est.

2. Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit, mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore.

3. Da mihi, Domine, spiritum discretionis, ut verà à falsis discernere queam; ut sciam eligere bonum, & reprobare malum.

4. Fac ut optimum finem semper intendam, & omnia prævideam, quæ accidere mihi possunt.

5. Adjuva, dirige, & conforma me, ut secundùm te, tecum, & propter te hoc opus perficiam, quia sine te nihil sum, nihil possum.

*Opere peracto.*

1. DOmine JESU, hoc opus, quod peregi, commendo mellifluo cordi tuo emendandum ac perficiendum, tibique illud offero in unione operum tuorum.

2. Domine, si quid unquam tibi gratum feci ex gratiâ tuâ, id omne approbo & ratifico, id renovo & confirmo.

3. Quidquid neglexi offerre tibi ex actionibus meis, id hoc momento quantùm possum compenso, & tibi omnia propter te offero omnium Angelorum, & Sanctorum affectu.

*Cùm è domo, vel cellâ egrederis.*

1. VIas tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.

2. ô Quanti sunt infirmi & claudi, quibus ambulare concessum non est? Gratias tibi ago, Domine, quia corpus integrum dedisti mihi, & me hactenus incolumem conservâsti.

3. Sequar te, Domine, quocumque ieris, quia verba vitæ æternæ tu habes.

*Cùm regrederis.*

1. APerite mihi portas justitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino. Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.

2. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam.

3. Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

*Ad sonitum Horologii.*

1. BEnedicta sit illa hora, quâ Dominus noster Jesus Christus incarnari voluit; & pati pro nobis.

2. Respice in me, Domine, & miserere mei, præsertim in horâ mortis meæ: & fac me talem in hâc horâ, qualem me desideras in æternitate.

3. O Deus infinitè amabilis, quàm parum hactenus dilexi te? Dixi, nunc cæpi, Da quod jubes, & jube quod vis.

4. Quàm pœnitet me temporis, cujus inutiliter jacturam feci? Utinam illud possem revocare, ut in rebus tibi placitis totum insumerem.

5. Ecce lapsa est hora, Deus meus, & nullum in me sentio amoris incrementum. Utinam geminatis ignibus hanc jacturam resarciam.

6. Quanta est misericordia tua, Domine, quia me usque ad hanc horam tolerâsti? Gratias ago, & doleo, quòd tàm ingratus fuerim.

7. Offero tibi, æterne Pater, quidquid dixero, fecero, cogitavero hâc horâ. Utinam eam utiliter transigam ad majorem tui gloriam.

*In dolore, & quâcumque tribulatione.*

1. FAsciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Auge, Domine, dolores, auge afflictiones; sed auge etiam patientiam. Hîc ure, hîc seca, ut in æternum parcas.

2. Recordare, Domine, fragilitatis meæ, & dic Angelo percutienti, cesset jam manus tua. Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat.

3. Tu es refugium meum, Jesu crucifixe, in tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me à circumdantibus me.

4. Si vis, Domine, omnia mala pœnæ libenter patiar pro te, sine ullâ consolatione. Omnia volo, nihil volo.

5. Bonum mihi, Domine, quia humiliâsti me. Propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.

6. Gratias ago tibi Deus, quia voluntas tua in me adimpletur, quâ voluisti ab æterno, ut hæc mihi evenirent. Offero ea tibi ad gloriam tuam, in unione passionis Christi.

7. Tuus sum ego, Domine, tu scis quid mihi expediat. Offero me tibi in omne beneplacitum tuum.

8. Gra-

8. Gratias tibi ago, quia nos etiam invitos rectè fingis, & per externum hominem internum purgas.

9. O Amor, eâ intentione, quâ pœnam istam de corde Dei mihi attulisti, tibi committo; ut eam in summâ gratitudine ibidem reconsignes.

10. Tibi, Domine, hæc omnia patior. Sit nomen tuum benedictum in sæcula, qui voluisti hanc tribulationem venire super me. Sicut placuit tibi, ita factum est.

### *In prospero successu.*

1. NOn nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam. Fallax est honor mundi, fallaces hujus vitæ consolationes: Satiabor cùm apparuerit gloria tua.

2. Valdè quidem me consolatur res ista, Domine Jesu; eam tamen nolo, nisi à te, in te, & propter te, paratus eâ carere, quoties volueris.

3. Nolo, Domine, hîc consolari & felix esse; sed afflige me in præsenti, ut misericordiam in fine consequi valeam.

4. Benedictus es Domine, qui adjuvisti me, & consolatus es me; cùm mihi minimo, & infelici nulla debeatur consolatio, nulla prosperitas.

5. Refulge cordi meo, veritas summa, ut mihi ipsi vilescam, ac omni humanâ consolatione me indignum existimem.

### *In omni tentatione.*

1. SAlvator mundi salva nos, qui per crucem & sanguinem tuum redemisti nos, auxiliare nobis, te deprecamur Deus noster.

2. Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.

3. Tu Domine, qui ad exercitium facis, ut sentiam, adjuva me, ne consentiam.

4. Excita Domine, potentiam tuam & veni, & exurge in adjutorium mihi.

5. Da mihi, Domine, patientiam & pacem, ne perdam coronam in cœlo. Tu enim dixisti: In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras.

6. Inclina cor meum in testimonia tua, & esto mihi turris fortitudinis à facie inimici.

7 Tu scis, Domine, quàm libenter puram animam tibi exhiberem: sed quia immundum vas habeo, plenum tentationibus, ipsum tibi offero quale est. Munda illud sanctissimo sanguine tuo, ut divini influxus capax efficiatur, tibique in gratiâ acceptum fiat.

### *Cùm te allici sentis ad complacentiam ex pulchritudine, vel aliâ perfectione creaturarum.*

1. ECce isti sunt rivuli, Domine Deus meus, qui ex te vero & increato fonte omnium bonorum dimanant: hæ sunt guttæ inexhausti maris tuæ ineffabilis bonitatis.

2. Averte oculos meos, ne videant vanitatem, ne per fenestras oculorum intret mors in animam meam.

3. Resisto, Domine, seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam: & erigo ad te invisibilem oculos, ut evellas de laqueo pedes meos.

4. Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua, sed tu omnium pulcherrimus & perfectissimus es. Quando veniet dies, ut in te solo delecter.

5. Quàm callidè hic latet absconditus maledicte serpens, ut me tuo veneno inficias! Benedicta sit bonitas Dei in æternum, qui mihi hostem hîc latentem, & animæ dolosè insidiantem tam benignè detexit.

### *In transitu ante Ecclesiam, & in ejus ingressu.*

1. ERgone putandum est, quòd verè Deus habitet super terram? Si cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quantò minùs hæc domus?

2. Tu Domine, qui pollicitus es, ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, exaudi orationem servorum tuorum orantium in templo isto.

3. Domine in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

4 Omnes Sancti & Sanctæ Dei, quorum Reliquiæ, & imagines hîc sunt, saluto & veneror vos, intercedite pro me.

5. Salvete Christi fideles animæ, quæ hîc & ubique requiescitis, requiem æternam vobis donet, qui pro vobis passus est.

*Ante Crucifixum.*

1. DOmine Jesu Christe, per illam amaritudinem, quam sustinuisti propter me in cruce, maximè in illâ horâ, quando anima tua egressa est de corpore suo, miserere animæ meæ in egressu suo.

2. Suscipe me, Domine, in ulnas tuas, quas in cruce expandisti, protege me ab hoste maligno, & fac me participem crucis tuæ.

3. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum.

*Cùm aridus es.*

PAter cœlestis, pro frigidâ & miserâ cordis mei ariditate offero tibi fervida desideria, & ardentissimum amorem dilectissimi filii tui, Beatæ Virginis, & omnium electorum tuorum.

*Cùm loquendum est.*

IEsu fili Dei, qui coram Judice tacuisti, tene linguam meam, donec cogitem qualiter & quid loquar. Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.

*Ante studium.*

DOmine Jesu, æterna sapientia, purga animam meam igne amoris tui, illumina intellectum, memoriam confirma, ut bonas literas discam, quibus te unum sapiam, & diligam; quia extra te quisquis sapit, desipit.

*Cùm audis Confessiones.*

AD singulos pœnitentes hâc oratiunculâ uti poteris. Sana, Domine, per me hanc animam in omne peccatum lapsuram sine te. En pretium sanguinis tui, sponsa tua ab hoste vulnerata. Doce me, ut prudenter cœcam, & ægram ad te adducam, pro tuâ unius gloriâ. Angele sancte, adjuva me.

*In aspectu horti amœni.*

EXorna, dilecte mi, virtutum floribus animam meam. Utinam in me floreat lilium castitatis, humilitatis viola, rosa charitatis.

*In aspectu pulchræ domus.*

QUàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Melior est dies una in atriis tuis super millia. Beati qui habitant in domo tuâ, Domine, in secula sæculorum laudabunt te.

*Dum grata quælibet, & pulchra vides.*

ECce tu pulcher es, dilecte mi, ecce tu pulcher es, fons pulchritudinis: exorna splendore gratiæ animam meam, quoniam denigrata est super carbone facies mea, propter multitudinem iniquitatum mearum. Ne finas me donis tuis abuti contrà te.

*In aspectu rei deformis.*

FActi sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt; tolle à me Domine peccati deformitatem.

*Cùm pluit.*

IRriga, Domine arentem animam meam, ut fructum boni operis reddat temporibus suis.

*Cùm sudum est.*

DIssipa, Domine, à corde meo nubeculas terrenorum affectuum, & lucis tuæ radiis illustra animam meam. Refulge super me sol justitiæ; & splendoribus Sanctorum illumina cor meum.

*Cùm oculis occurrunt vana.*

QUid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Averte oculos meos, ne videant vanitatem, in viâ tuâ vivifica me.

*Cùm vaniloquia auribus insonant.*

NArraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.

*Cùm occurrit peccandi occasio.*

QUi elongant se à te, Domine, peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.

*Ad*

*Ad nomen JESUS.*

UTinam poteſtatem haberem cælum & terram, & infernum cum omni creaturâ tibi dulciſſimo, & fideliſſimo amatori inclinandi, ac ſubjiciendi.

*In aſpectu arborum.*

LAudate Dominum lingua fructifera, & omnes cedri. Ah bone JESU, quàm adhuc imperfectè tibi ſervio, & tamen plantatus ſum ſecus decurſus aquarum gratiæ tuæ. Adjuva me, ut fructum afferam in patientiâ.

*In aſpectu volucrum.*

BEnedicite omnes volucres cœli Domino. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Eleva me, Domine, à terrâ, ut alis amoris ad te volem.

*In aſpectu beſtiarum.*

BEſtiæ & univerſa pecora laudate nomen Domini. Da mihi, Domine, cognoſcere dignitatem meam, ne fiam ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.

*In aſpectu ignis.*

IGnem veniſti mittere in terram, Deus meus, & ſuades mihi, ut emam à te aurum ignitum: accende tu illum in me, ut liqueſcam amore tuo.

*In aſpectu aquæ.*

ANima mea ſicut terra ſine aquâ tibi, ſitit ad te fontem vivum. Irriga me, & potum da mihi in lacrymis in menſurâ.

*In aſpectu Cœli.*

OMagna domus Dei, quàm vilis mihi fuiſti? Pœnitet me Domine, da mihi conſtantiam in ſervitio tuo. Cœli Cœlorum laudate Deum. Quando aperiemini mihi, ut inveniam eum, quem diligit anima mea?

*In aliâ quâcumque occaſione.*

NIhil prorſus homini occurrit, ex quo non poſſit varias ad Deum aſpirandi occaſiones elicere, quicumque ſtudet Chriſtianæ perfectioni. Nam ut ſupraſcriptis oratiunculis, & exercitiis alia quædam in exemplum adjiciam; ſi tibi occurrat aliquis infidelis, orabis pro illo, & actum fidei elicies. Si cœcus, claudus, vel aliquâ ægritudine affectus; eorum miſereberis, & Deo gratias ages, qui membra integra tibi, corpuſque validum dedit. Tranſiens Xenodochia, ora Dominum, ut det omnibus patientiam, & conſolationem. Cùm legis, audis, aut vides aliquid ad laudem Dei pertinens; gaude multò magis, quàm ſi laudes tuas audires. Cùm videris aliquem peccantem, vel blaſphemantem audieris, ſtatim in ſpiritu contriſtare, & Deum pro illo precare. Si angit te deſiderium placendi hominibus, cogitâ, quòd, qui hominibus placent, Chriſti ſervi non ſunt; & opta Deo ſoli placere. Cùm recordaris alicujus peccati, elice actum contritionis. Si muſicam, & concentum audis, ora cum Cæcilia, ut fiat cor tuum immaculatum, Deóque pſalle in citharâ cordis, & ad gaudia Angelorum ſuſpira. Si mundi pompam vides, & hominum ſuperbiam, eam deteſtare, & dic: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Ex aſpectu judicum, principum, & prælatorum, timorem concipe divinæ juſtitiæ, & ora pro illis, actumque elice obedientiæ. In introitû alicujus oppidi vel civitatis, Angelos & Sanctos tutelares, quorumque imagines & reliquiæ ibi ſunt, venerare, & ora pro habitantibus. Ad imaginem quoque Angelorum & Sanctorum actum Duliæ exerce, & opem eorum efflagita. Cùm ſe offert imago Euangeliſtarum, vel Doctorum ſcribentium, ora & dic: *Scribite me Sancti Dei in libro afflictorum, quia affligi ſemper deſidero propter Deum: Scribite me cum Sanctis Martyribus: Scribite me in corde Jeſu, & in corde Mariæ, ut nunquam obliviſcantur animæ meæ.* Si apparet arcus cæleſtis, benedic eum qui fecit illum, & ora pro pace. Si terram excoli cernis, conſidera quâ diligentiâ agrum animæ tuæ colere debes, & roga pro fructibus terræ. Si benè operantes conſpicis, congaude, & opta fieri eorum particeps, & ora pro tuâ, & ipſorum perſeverantiâ. Plura ſuggerent uſus, & unctio.

*Cùm veſpere accenduntur lucernæ.*

1. TUa nos, Domine, Veritas ſemper illuminet, & ab omni pravitate defendat.

2. Domine apud quem nihil eſt obſcurum, nihil tenebroſum; emitte lucem tuam cordibus noſtris, ut in viâ tuâ ambulantes nihil patiamur erroris.

3. Te lucem veram, & lucis auctorem deprecor, ut digneris à me tenebras depellere vitiorum, & clarificare me luce virtutum.

4. Veni cæleſtis amor, & fulgidiſſimâ face tuâ diſcute noctem ignorantiæ meæ.

5. O amor, decus, & lux virtutum omnium, explica pompam radiorum tuorum in domo cordis mei, ut in lumine tuo te videam lumen æternum.

*Ante somnum.*

1. FAc me, Jesu dulcissime, super pectus tuum requiescere: da mihi trahere anhelitum de mellifluo corde tuo: influat spiritus tuus suavissimus in animam meam, qui eam absorbeat, & inseparabiliter sibi uniat.

2. Tu quæso mecum maneas, mecumque dormias hâc nocte, ut dormiente corpore mens semper ad te vigilet, & te præsentem videat.

3. Deus creator corporis mei, & animæ, respice me misericordiâ tuâ, ne tenebricosâ peccati caligine involvar.

4. Modera somnum meum, Deus meus, quem sumi præcepisti ad corporis alleviationem; pervigiles concede cogitationes, & mentem sobriam, ne me gravis opprimat sopor.

5. Peto, Domine, & desidero, ut singulæ respirationes meæ hâc nocte laudem & honorem tibi exhibeant.

6. In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me, Domine Deus veritatis.

7. Veni, Divine Amor, & tu mihi somnia dispone, ut in tuum amorem tanquam in somnum suum incumbat cor meum, & in te solo requiescam nunc, & in æternum, Amen.

---

## Caput. XX.

*De Amore Dei, quid sit Amor? Ejus origo, prærogativæ, & proprietates. Amoris Philosophia à quibus discenda? Posse Deum facilius amari, quàm cognosci.*

1. IAm quod initiò pollicitus fueram, pro virium tenuitate, & ingenii captu executus sum: nunc consentaneum arbitror, nonnulla de divino amore veluti corollarium appingere huic libello; via enim mystica, cujus semitæ, sicut hactenus docui, brevi compendio perducunt ad Deum, ab amore principium sumit, & finem habet in amore. Est autem Amor complacentia boni, sive propensio appetitus in bonum. Est primus motus voluntatis, omnium reliquorum affectuum principium, & radix, omnibus ad omnia ingenitus, ut Platonicus Phædrus (*a*) ait. Est vehemens, & benè ordinata voluntas, ut docet Guilielmus Abbas. (*b*) Est vis animæ naturali quodam pondere ferens eam in finem suum; juxta illud: (*c*) *Amor meus pondus meum, illo feror quocumque feror.* Est connexio & vinculum, quo rerum universitas ineffabili amicitiâ, & insolubili unione copulatur, ut ex hymnis Hierothei Magnus Dionysius Areopagita (*d*) commemorat. Est circulus sempiternus fine & principio carens, propter bonum, ex bono, in bonum, & ad bonum indeclinabili conversione circumiens, in eodem, & secundùm idem, & procedens semper, & manens, & remeans. Quidquid in sacris literis, quidquid in libris Sanctorum continetur, aut amor est, aut pertinet ad amorem.

2. Si ejus originem quæris, non te ad symposium Platonis, non ad doctas Poëtarum fabulas mittam: firmiorem enim doctrinam ab eo habemus, qui dixit, (*e*) *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* In ipso puro & summo bono ab æterno Amor fuit, quasi ignis semper ardens, omnia accendens, & in se transmutans. Ex eo enim, quod Deus suam infinitam pulchritudinem, & excellentiam intuetur, oritur in ipso infinitum amoris incendium, quo Pater seipsum, & Filium à se genitum diligit: rursumque Filius eamdem in Patrem reciprocat dilectionem, quâ tantùm illum amat, quantùm amari dignus est, hoc est infinities infinitè. Hic autem mutuus amor Spiritus Sanctus est, æternus, immensus, Patri & Filio coæqualis, à Deo prodiens, in Deo manens: à quo, sicut radius à Sole, omnis amor dimanat, propter bonitatem suam infinitam extendens se, & descendens ad creaturas pro cujusque captû & meritis; & omnia denuò ad se reducens; quia ut à Deo exivimus omnes, & venimus in mundum, ita mundum iterum relinquere debemus, & ad Deum redire. Nulla vox est, quæ Amoris dignitatem non dicam explicare, sed nec leviter adumbrare valeat. Nam Amor increatus ipse Deus est, ineffabilis, incomprehensibilis, cujus magnitudinis non est finis. Amor autem creatus donum Dei est altissimum, nobilissimum, inenarrabile, termino carens, ac modo; quia, ut ait mellifluus Bernardus (*f*) *Modus diligendi Deum est, diligere sine modo.*

3. Quòd

(a) *Plato in Phædro.* (b) *Guilliel. Ab. S. Theodorici l. de Amore cap. 7.* (c) *August. lib. 13. confess. c. 9.* (d) *Dionys. de div. nominibus. c. 4.* (e) *1 Ioan. 4: 16.* (f) *Bernard. initio lib. de diligendo Deum.*

3. Quòd si libeat ejus effectus intueri, ut saltem ex illis, quanta sit ejus vis & potentia dignoscamus, jam propheticum (g) torrentem ingredimur, qui pertransiri non potest. Cancellarius Parisiensis (h) ex cantico amoris quinquaginta ejus descripsit proprietates eroticè, & divinè; sed hanc lucubrationem amoris sagittâ vulneratus corporali morte conclusit, ut in patriâ amantium disceret, quàm imperfectè in viâ de Amore scripsisset. Et quomodo ausim ego in amore rudis & inexpertus ejus prærogativas enarrare? *Quomodo*, inquit Richardus, (i) *de amore loquetur homo, qui non amat, qui vim non sentit amoris? De aliis nempè copiosa in libris occurrit materia, hujus verò aut tota intùs est, aut nusquam est.* Dicam tamen balbutiendo nonnulla, quæ in eximiis amatoribus ipse amor operatur. Amor participatio Dei est, in ipsius pulchritudine & bonitate tanquam in suâ causâ conquiescens, Deum movet, ut descendat ad creaturas, quia summè sui diffusivus est: tum vicissim creaturas sursum trahit ad pulchrum & bonum. Simplex est, & multiplex; æqualis, & inæqualis: actus enim Dei simplicissimus est, quàmvis ad infinita se extendat. Amantes Deo assimilat, ipsique jungit inseparabiliter, & admirabili quâdam Apotheosi divinæ naturæ consortes efficit; quia sibi similes semper quærit, aut efficit; & qui amat, manet in Deo, & Deus in eo. Terrenum & falsum amorem dixit Plato, esse animi ardorem in proprio corpore mortui, in alieno viventis: quem effectum operari in animâ divinum amorem testatur Dionysius (k) dicens; Amantes sui juris non esse, quia Amor ecstasim facit. Ad ipsum omnia consilia reducuntur: neque musicam solùm docet, ut quidam asserit, (l) sed omnium scientiarum, omnium virtutum actor, magister, principium, & finis est. Unit, & refrigerat; exaltat, & humiliat; vulnerat, & sanat; occidit, & vivificat. Leges præscribit amantibus ipse legis expers: modum rebus statuit modi nescius; finis est omnium fine carens: omnia rapit neminem spolians: omnibus dominatur cunctis subjectus: semper quiescit nunquam otiosus. Non deficit in adversis, quia non vincitur: injurias non rependit, quia non sentit: morte non terretur, quia fortior illâ est. Nullam quærit sui causam, non fructum, non mercedem, sciptò contentus. Amat qui verè amat, quia amat: amat ut amet, & ad suum recurrens principium semper ex eo sumit, unde jugiter amet. Virtutes omnes nihil aliud esse, quàm ordinem amoris asseruit Augustinus, (m) nam si amor desit, quid est spes, quid fides, quid religio, quid fortitudo? Tabescunt omnia instar cadaveris, quæ hoc igne non animantur. Si habuero prophetiam, & omnem fidem, & tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

4. Quid ergo amore jucundius, quid securius, quid nobilius? Quanta ejus dignitas, & sublimitas, quot tituli, & excellentiæ! Dicant qui experti sunt, quid sit amorem incomparabilem esse, insuperabilem, superfervidum, semper mobilem; incessabilem, activum, zelotem, officiosum, omnipotentem. Dicant quæ sint ejus causæ, quæ natura, quis ordo, qui effectus, quæ exercitia, qui gradus, quæ leges, quod initium, qui progressus, qui finis, quæ perfectio. Ego enim conscius infirmitatis meæ, & imperitiæ, tantæ rei majestatem & violare timeo, & assequi despondeo. Legendi sunt eximii viri, Bernardus, & Richardus, ille in tractatu de diligendo Deo, hic de gradibus charitatis. Legendus Harphius in fine suæ mysticæ Theologiæ Addo recentiores Didacum Stellam, Jacobum Salianum, Antonium Gaudier, Laurentium Parisiensem Capuccinum, Ludovicum Granatensem, Christophorum Fonsecam, Joannem Calaguritanum Carmelitanum, & alios qui de arte amandi Deum, & de amore Dei doctissima nobis scripta reliquerunt. Addo singulariter nominandum, Franciscum Salesium, Episcopum Genevensem, omni encomio superiorem, cujus libri duodecim de hâc re omne ferunt punctum miscentes utile dulci. Nec desunt ex sequiori sexu in amoris philosophia supra communem captum excellentiss: Theresia, Gertrudis, Magdalena de Pazzis, tres Catharinæ, Senensis, Genuensis, & Bononiensis, & aliæ; ex quibus plenior de Amore cognitio petenda est.

5. Discet autem amare Deum, qui frequenter ad eum aspiraverit. His enim piis affectibus ignis amoris accenditur, nutritur & in magnum crescit incendium. Dictum est supra, viam scholasticam longam & difficilem esse, mysticam verò brevem & felicem: quia nimirum multò facilius est Deum amare, quàm cognoscere. *Facilius*, ait Richardus, (n) *ad Deum patet ingressus piè pulsantibus, quàm subtiliter perscrutantibus. Pulsat*



(g) *Ezech. 47: 5.* (h) *Joann. Gerson. super Cantic.* (i) *Richard. de grad. charit. c. 1.* (k) *Dion. c. 4. div. nom.* (l) *Plutarchus in opusculis.*

(m) *Aug. lib. de morib. Eccles.* (n) *Richard. l. c. 3.*

*autem qui amat, qui orat, & pulsanti aperitur.* Cui consonans Angelicus Doctor (o) apertè fatetur Deum in hâc vitâ plus amari, quam cognosci: quia plus requiritur ad perfectionem cognitionis, quam ad perfectionem amoris. Ad hanc enim sufficit, quod res ametur, prout in se apprehenditur; ad illam verò necesse est sigillatim cognoscere, quidquid est in re, partes nimirum, virtutes, & proprietates. Probatur hoc exemplo scientiarum, quas aliqui amant ob confusam & imperfectam, quam de eis habent, cognitionem; & hoc amore ad eas perfectè discendas incitentur. Eidem sententiæ subscribunt Abbas Vercellensis, & alii Mystici, quos refert, & sequitur Seraphicus Bonaventura, (p) Nec obstat illud Augustini, (q) incognita non amari, quia non amat voluntas omninò incognitum, imò ut ait Gregorius, (r) *Amor ipse notitia est.* Et sic debet intelligi commune illud Mysticorum dictum: *Voluntas intrat, ubi intellectus foris stat:* quia amor mensuram cognitionis excedit, & ex tenuissimâ, atque obscurissimâ cognitione ingens amoris flamma accenditur in voluntate, quæ eò penetrare dicitur suo acumine, quò non intrat intellectus. Non disputo, an possit Deus de potentiâ absolutâ efficere, ut voluntas amet nullâ prorsùs cognitione præcedente: hoc enim controversum est, nec desunt qui partem affirmativam tenent: (s) sed dico de lege saltem ordinariâ, non magis posse hominem incognitum amare, quàm pingere super inane. Talis quippe est natura voluntatis, ut aliquâ semper cognitione indigeat, quæ facem illi præferat, & ostendat quid appetendum. Ex his autem colligi potest, quanta sit mortalium insania. (t) Amare Deum, dum sumus in corpore, plus possumus, quàm vel eloqui, vel cognoscere. Amando plus proficimus, minus laboramus, illi magis obsequimur. Malumus tamen semper quærendo per cognitionem nunquam invenire, quod quærimus, quàm amando possidere. Bona quidem est scientia, sed multò melior dilectio: utilis cognitio, sed utilior amor. Scientia sine charitate inflat, & nihil prodest; amor verò sine scientia sufficit ad salutem. Potest homo scientiam habere sine amore; at verò qui amat, quàmvis scientiis careat humanitatis acquisitis, plura tamen discet, quàm doceat humana sapientia, quia illum intùs magistrum habet, qui docet hominem scientiam. Optimè Rogerius vir extaticus ex ordine Minorum apud Alvarum Pelagium: (u) *Quid*, inquit, *putas erit, si in intimo tuo intimus sit Deus? A quantis tenebris ad quantas duceris claritates per spiritum ejus? Si illas, quæ in intimis illis sive internis secretis sunt, nosses intimas contemplationes, si illas lucidas illuminationes, si illos fervidos splendores, si illos simplices radios, si illos puros fulgores, si illos vivificos ardores, si illos pacificos saporos, si illos delitiosos, imò delitiosissimos dulcores, si res incognitas & innominabiles, res tamen experimentales perfectè possideres. Ah homo, si hæc experimento nosses, puta quia, ut ego, tenebras ferres graviter vitæ tuæ. Quando autem erit? Putas ne videbo? Quando, quando, quando? Omnia in mora: nimium fienda hæc dilatio. Ah, ah, ah! Quid tibi sum ego, aut quid tu mihi, Deus meus? Sed quid non mihi es? Hæc verba silentii sunt, nec extrà silentium, & Deum in venire possunt, quia alibi non sunt. Vis hæc sentire? Attende quoniam nullus sic intrat, nisi priùs excesserit; nec deficit nisi prius introierit, nec transit, nisi priùs defecerit, nec apprehendit, nisi priùs transierit: nec transformatur, nisi prius apprehenderit, nec instruetur, nisi transformatio præcesserit; nec sic in illum amorem movetur, nisi qui intus, & valdè intùs fuerit; nec in beato illo silentio quietatur, nisi qui illum beatum amorem noverit.* Hæc Rogerius. Beatus vir, qui sic sentit, sic amat, sic afficitur. Verè dici potest de divinâ dilectione, quod olim de Sapientia, *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, quia amor omnium bonorum fons est, & origo. Quis igitur me separabit ab amore? Tribulatio, angustia, fames, nuditas, periculum, gladius, persecutio? Dicam audacter cum Apostolo (x) me certum esse, certam scilicet in Domino spem habere, quòd nulla creatura poterit me separare à charitate Dei, quæ est in Christo JESU Domino nostro, cui cum Patre, & Spiritu Sancto honor est, & gloria in cœlo & in terrâ, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

(o) *D. Thom. 1. 2. q. 27. art. 2. ad 2.* (p) *Bonav. itiner. 3. æter. diff. 5.* (q) *Aug. de Trinit. lib. 8. c. 4. & l. 10. c. 2.* (r) *Gregor. hom. 27. in Evangelia.* (s) *Paludanus, Ochamus, Thomas de Argentina, & alii citati à Sandæo lib. 2. mysl. Theolog. ubi hanc quæstionem diffusè tractat. comment. 6. exercitat. 25. usque ad 30. Vide etiam Alvarez. to. 3. de orat. lib. 4. c. 8.* (t) *Picus Mirandul. lib. de ente & uno c. 5.*

(u) *Alvarus Pelagius de planctu Ecclesiæ lib. 2. cap. penultimo.* (x) *ad Roman. 8.*

Ordo,

# Ordo, & Index Capitum.


## CAPUT. I.

*Scopus, & usus libri. Pro scriptione, & fine ad Deum oratio. Duplex via, quâ itur ad Deum. Utriusque discrimina.* Pag. 107

## CAP. II.

*Viam mysticam duplicem esse, activam, & Passivam. Quid utraque sit? Cupienti ad apicem mysticæ Theologiæ pervenire omnia relinquenda.* 108

## CAP. III.

*Mystica Theologia quid sit? Quomodò differat ab aliis scientiis? An cognita fuerit antiquis Platonicis? Ejus principium, & scopus.* 109

## CAP. IV.

*Quæ sint dispositiones ad mysticam Theologiam? Quæ ejus impedimenta? Qui ad ipsam discendam incapaces, qui magis idonei? Oratio & gratiarum actio.* 111

## CAP. V.

*Quid sit unio mystica? Quomodò fiat? Quid ejus effectus? Quid incapacibus & ignaris conferat lectio mysticæ Theologiæ? Transitus ad Aspirationes.* 112

## CAP VI.

*Aspirationes, motus Anagogici, orationes jaculatoriæ quid sint? Sententiis, & exemplis Sanctorum Patrum approbantur: De illarum præstantiâ, & utilitate.* 114

## CAP. VII.

*Varia documenta pro usû, & praxi Aspirationum.* 117

## CAP. VIII.

*Qui sint fontes Aspirationum, quæ materiæ, quis ordo? De triplici statu Incipientium, Proficientium, & Perfectorum.* 121

## CAP IX.

*Transitus ab Aspirationibus ad Contemplationem: Addita quædam de Aspiratione passivâ? Quid sit Contemplatio? Ejus objectum, & causæ.* 123

## CAP. X.

*Indicantur auctores, qui de Contemplatione scripserunt: Quotuplex ea sit? Qui ejus gradus, & status? Exempla Divinæ probationis, & patientiæ in desolatione, Divisio animæ, & potentiarum ejus secundum mysticos. Hymnus ad Deum.* 126

## CAP XI.

*Gemitus animæ pœnitentis pro incipientibus.* 132

## CAP. XII.

*Pia desideria ad usum proficientium.* 135

## CAP. XIII.

*Suspiria amantis animæ pro perfectis.* 139

## CAP. XIV.

*Laudem virtutis in actione consistere: Actus diversarum virtutum.* 143

CAP. XV.

*Fasciculus Aspirationum ad Iesum, ad Beatam Virginem, ad Cœlites universos.* 147

CAP. XVI.

*Aspirationes ex Nominibus Dei, ejusque attributis, & perfectionibus.* 149

CAP. XVII.

*Vitam Christi esse fontem omnium bonorum: Quomodò ex eâ pii affectus eliciantur.* 155

CAP. XVIII.

*Ex quâlibet re, quæ occurrit, motus anagogicos elici posse: Scalæ à visibili creaturâ ad invisibilem creatorem.* 160

CAP. XIX.

*Diarium & Sylvula aspirationum pro omni actione diei, & pro quâlibet occasione.* 162

CAP. XX.

*De Amore Dei: Quid sit Amor? Ejus origo, prærogativæ, & proprietates? Amoris Philosophia à quibus discenda? Posse Deum facilius amari, quam cognosci.* 170

FINIS.

DE

# DE SACRIFICIO MISSÆ

## TRACTATUS ASCETICUS,

Continens Praxim attentè, devotè & reverenter celebrandi.

---

## AD SACERDOTES

De usu & scopo hujus Libelli

### PRÆMONITIO.

Paucis te in hoc vestibulo sistam, quisquis es Christi Sacerdos, qui hanc meam lucubrationem evolvere dignaberis, ut in ea edenda propositum meum, ejusque scopum & usum noscas. Cum primùm Sacerdotio initiatus fui, illud protinùs animo versare cœpi, quam ardua res esset suscepto ministerio ritè fungi, & ipsum Dei Filium pro meis & aliorum peccatis incruento Sacrificio quotidie immolare. Actus igitur conscientiæ stimulis Sanctorum Patrum, & Recentiorum ferè omnium, qui de Missa sanctè celebranda aliquid ediderunt, scripta percurrens, plura ex illis documenta excerpsi, quibus in unum congestis, pauciſquè de meo additis, hoc Opusculum composui, quod amicis impellentibus multos post annos publici juris facio. Et primò quidem de ipso Sacrificio, ejusque valore & fructibus quædam generaliter præmitto. Secundò de his ago, quæ ad ritè & piè celebrandum Sacerdoti necessaria sunt. Tertiò de antecedentibus Missæ celebrationem, & de proxima ad eam præparatione. Quartò de ipsa celebratione. Demum de his, quæ Sacro absoluto facienda sunt.

Inserui aliquot orationes & exercitia pro me, meique similibus adhuc in limine perfectionis hærentibus, quibus si quis assueverit, à distractionibus præservari, Deique

què amore ſuccendi facilè poterit. Alios autem, qui in altiori gradu ſunt conſtituti, ſublimiores exercitationes Spiritûs Sancti unctio docebit.

Porrò hæc exercitia non eo conſilio deſcripta ſunt, ut ſingulis diebus à Sacerdote rem divinam acturo peragantur : ſed legendus aliquoties libellus eſt, donec documenta in eo tradita benè animo percipiantur, & voluntas piis affectibus imbuatur: tum ea quiſque ſeliget, quibus ſe magis affici ſenſerit; & quoties celebrare voluerit, aliqua ex illis pro ſuo arbitrio, & devotione aſſumet.

Terret quoſdam prolixitas, ſed inexpertos, qui tandem uſu & exercitatione edocti, quæ prius ardua & operoſa putabant, expeditiſſima eſſe, minimique negotii experiuntur. Velociùs enim mens operatur quàm lingua ; & quæ non niſi longo ſermone explicari poſſunt, unico mentis actu concipiuntur. Plura docebit uſus, Deo juvante, cujus gratia ut mihi & omnibus, qui hoc meo labore uti voluerint, uberrimè aſpiret, enixè deprecor; ſed mihi præcipuè, ne fortè, cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.

---

## IMPRIMATUR.

*Si videbitur Reverendiſſ. Patri Magiſtro Sac. Palat. Apoſt.*
M. Epiſc. ARIMIN. *Viceſgerens.*

Fr. HYACINTHUS Libellus Sac. Fac. Apoſt. Magiſt.

DE

# DE SACRIFICIO MISSÆ.

## TRACTATUS ASCETICUS.

### CAPUT. I.

### Quædam præmittuntur de ipso Missæ Sacrificio.

#### §. I.

*Quale Sacrificium sit Missa.*

QUamvis in Lege veteri plura fuerint Sacrificia, in nova tamen unicum est, quod omnium legalium hostiarum differentiam tantò perfectiùs complectitur, quantò excellentior, Deoque acceptabilior est victima, quæ in eo immolatur. Est igitur Missa Sacrificium Latreuticum, sivè honorarium, oblatum Deo ad summum & supremum cultum, atque honorem ipsi exhibendum, tanquàm primo principio & ultimo fini nostro, in protestationem infinitæ ejus excellentiæ, Dominii & Majestatis; nostræquè ab eo dependentiæ, servitutis & subjectionis. Est Eucharisticum in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis naturæ, gratiæ, & gloriæ collatis & conferendis ab ipso Deo, ut summo benefactore. Est Propitiatorium & Satisfactorium pro peccatis & pœnis debitis; applicat enim omnibus, pro quibus offertur, vim & virtutem Sacrificii Crucis; imò est idem Sacrificium quoad substantiam, eadem Hostia, idem principalis offerens, licèt diverso modo offeratur. Ideò verò Propitiatorium dicitur, quia hâc oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ peccatoribus non ponentibus obicem concedit: Pœnas item peccatis debitas relaxat, quia per ipsum applicatur Sacrificium Christi, qui pro peccatis totius mundi in Cruce satisfecit. Easdem pœnas remittit Defunctis existentibus in Purgatorio, quia ad eum quoque finem à Christo institutum est; ut constat ex potestate, quæ confertur Sacerdotibus in ordinatione, offerendi pro Vivis & Defunctis: nec potest hoc effectu carere, quia ex parte ipsorum nullus obex esse potest. Porrò in illis, pro quibus tantùm offertur, sivè vivis, sivè defunctis, tanta erit pœnæ remissio, quantam Christus ex sua misericordia taxavit. Licèt enim res, quæ offertur, sit infiniti valoris, nostra tamen obligatio nonnisi finitum habet effectum, ut communiter docent Theologi. In iis verò, qui simul etiam offerunt, augetur pro cujusque affectu & devotione. Denique quia Christus non solùm nobis remissionem peccatorum, sed alia quæcumque beneficia promeruit: Idcircò hoc Sacrificium est etiam omnium bonorum impetratorium, spiritualium quidem primò, & per se, temporalium verò secundariò, & quatenùs ad spiritualia conducunt. Sed quia ex se vim habet dumtaxàt impetrandi in genere, ut aliquid determinatum impetretur, debet ad illud offerentis intentio specialiter applicari. Ad impetrandum autem pro Ecclesia, semper intervenit ejusdem Ecclesiæ intentio, præsertim quoad ea, quæ in Orationibus Missæ à Deo petuntur: nam ipsa quoque Ecclesia est offerens in persona sui Ministri.

#### §. II.

*De his qui offerunt hoc Sacrificium.*

PRimum & præcipuum inter offerentes locum obtinet Christus, qui solus potuit acceptabile Sacrificium offerre Patri, quod quia quotidie offert per Sacerdotes Ministros suos, ideò dicitur Sacerdotium habere sempiternum, sicut scriptum est: *Tu es Sacerdos in æternùm secundùm ordinem Melchisedech.* Non solùm autem ex eo est offerens, quòd illud instituerit, quodque ei vim totam ex meritis suis contulerit; sed ex eo præcipuè quòd Sacerdos in persona

ejus, & tanquam Minister ac Legatus ipsum repræsentans sacrificat, ut constat ex verbis Consecrationis: non enim dicit: Hoc est Corpus, vel hic est Sanguis Christi; sed, Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus. Christus igitur simul cum Sacerdote idem Sacrificium Deo Patri pro hominibus offert: & ex ejus persona, cujus purissima sanctitas & dignitas infinita est, semper hoc sacrificium mundum est & gratum Deo, quamvis à Ministro peccatore offeratur.

Alter offerens est ipsa Catholica Ecclesia, cujus Sacerdos Minister est, & in ea omnes fideles non excommunicati, qui etiam aliquâ ratione sunt offerentes per Sacerdotem, non tanquam per Ministrum sed tanquam per Legatum seu Mediatorem. Nam sicut tota Respublica dicitur agere quidquid ejus nomine Legatus suus agit: sic omnes Catholici dicuntur sacrificare, quia ipsorum nomine in persona totius Ecclesiæ Sacerdos sacrificat. Non tamen omnes eodem modo: sed quidam habitualiter tantùm, illi nimirum qui nec adsunt Sacrificio, nec cogitant de illo; quia tamen uniti sunt toti Ecclesiæ per charitatem, censentur habitualiter idem facere quod illa facit. Alii causaliter, jubendo & curando ut quis sacrificet, quod maximè contingit in dantibus ad hoc eleëmosinam. Alii demum actualiter, qui Sacrificio actu intersunt.

Tertius offerens & proprius Minister hujus sacrificii est Sacerdos legitimè ordinatus, cujus tam firma & immobilis potestas est, ut etiam in hæresim lapsus, suspensus, depositus, degradatus sive excommunicatus validè hoc Sacramentum conficiat, & offerat, licèt illicitè, dummodò legitimam materiam & formam adhibeat. Nec valor Sacrificii minuitur, etsi Sacerdos pessimus, aut ab Ecclesia præcisus sit: non enim fructus ex qualitate Ministri, sed ex Christi institutione dependet.

## §. III.

### *De vi effectiva hujus Sacrificii.*

Duplex spectari potest in hoc Sacrificio vis effectiva, una quam dicunt Theologi ex opere operato, independenter à merito & dignitate Ministri: altera quam vocant ex opere operantis, dependenter nimirum ab ipso operante, ejusque merito & bonitate, atquè ab ipso pretium, & virtutem accipiens. Primum effectum ex opere operato plures Theologi docent, nec Sacerdotem percipere ut offerens est, nec fideles quatenùs sunt offerentes, sed quatenùs pro ipsis offertur: hunc enim effectum Sacrificium istud non habet, nisi pro iis pro quibus est institutum, & eo modo quo institutum fuit: est autem institutum, ut pro hominibus offerant, & ut illis dumtaxat prosit, pro quibus offertur: cùmque sit applicativum virtutis Sacrificii Crucis, non causat nisi in subjecto, cui talis virtus applicatur; id autem fit ab offerente, qui determinat oblationem pro tali persona. Constans semper fuit Catholicorum sententia, habere hoc infallibiles & determinatos effectus ex opere operato, nisi ille pro quo offertur obicem ponat, remissionem videlicet alicujus pœnæ peccatis jam remissis debitæ, vel donum alicujus gratiæ prævenientis ad obtinendam commissorum remissionem. Quod verò attinet ad vim impetrativam, eam non esse infallibilem quotidianâ probamus experientiâ, non enim omnia, quæ petimus, & propter quæ Sacrificium offertur, semper impetramus. Provenit hoc ex natura impetrationis, quæ requirit libertatem in dante, adeò ut possit pro suo arbitrio negare vel concedere quæ petuntur. Petimus enim proposito aliquo motivo, quo putamus posse Deum moveri ad aliquid faciendum, sed ex eo non arctatur, vel propter pactum, vel propter institutionem ad concedendum. Deindè non impetramus, nisi voluntas nostra, respectu rei, quam petimus, sit conformis voluntati Christi, quæ cùm nobis ignota sit, ei non possumus nos conformare. Certum nihilominùs est, non carere Sacrificium hoc effectu, quia, tametsi id præcisè Deus non concedat quod postulamus; aliud tamen tribuit, quod hîc & nunc magis judicat expedire.

Quoad alterum effectum ex opere operantis duo sunt capita, ex quibus augeri potest. Primum est bonitas & dignitas operantis, procedens ex habitu gratiæ sanctificantis & virtutum, quæ gratiæ annexæ sunt: nam quò sanctior est Sacerdos, & gratior Deo, eò magis acceptabiles erunt ejus preces, & oblationes. Secundum est actualis devotio, quâ sacrificium offertur: nam quò major illa est, eò ampliùs ipsi prodest. Sicut enim alia opera bona à justo facta eò magis sunt meritoria & impetratoria, plusquè valent ad satisfactionem & remissionem pœnæ, quò perfectiùs & ferventiùs fiunt: ita hoc sacrificium sive spectetur ut est sacrificium, sive ut est Sacramentum, quò ferventiùs peragitur & suscipitur, eò magis augetur meritum,

tum, magisquè prodest pro se offerentibus & susciplentibus, & illis pro quibus offertur. Ideò satagere debet Sacerdos, ut sit Deo valdè gratus, & continuâ virtutum heroicarum exercitatione crescat apud illum in gratia & sanctitate, semperque celebret cum ingenti fervore & devotione: sic enim fiet, ut tam ipse, quàm alii pro quibus offert, plures & efficaciores Sacrificii effectus ex opere operantis consequantur.

## §. IV.

### *De valore & fructibus Sacrificii.*

QUamvis nonnulli ex Theologis existimârint, hoc Sacrificium ex opere operato valorem sive efficaciam intensivè infinitam habere, eò quod sit idem quoad substantiam cum sacrificio crucis, resquè oblata corpus scilicèt & sanguis Christi, sit infiniti pretii, & ipse Christus principalis offerens sit persona infinita; certior tamen & communior sententia est non nisi finiti valoris esse. Potissima hujus assertionis ratio ex Christi Domini voluntate desumitur, qui noluit hoc sacrificium ordinare ad fructum intensivè infinitum conferendum, sicut de facto rebelles Angeli non sunt redempti, quia Christus merita suæ passionis noluit illis applicare. Alia ratio est, quia ad infinitam sacrificii efficaciam, præter hostiæ & principalis offerentis infinitatem, requiritur etiam ejus infinitas à quo immediatè offertur. Cum igitur Sacerdos immediatus offerens sit finitæ dignitatis, valor etiam sacrificii quoad actualem influxum & efficientiam finitus erit, quia actio illa à supposito finito immediatè producitur: & in hoc differt à sacrificio crucis sacrificium nostrum, quia illud fuit immediatè à supposito infinito; ideòque fuit actio secundùm esse morale infinita, & Deo Patri infinitè grata. Favet huic doctrinæ communis fidelium sensus, qui plura pro se & suis Sacrificia offerri curant, quod certè non facerent, si infinitam in singulis efficaciam agnoscerent. Possent etiam Sacerdotes unico sacrificio sexcentis obligationibus satisfacere, quod Ecclesiastica vetant Decreta. Frustra pro uno defuncto tot multiplicarentur Sacrificia, quia unum sufficiens esset ad omnes animas liberandas. Missa denique cujuslibet Sacerdotis Sacrificium Christi in Cruce æquaret, quod ideò unicum fuit, quia valoris infiniti: neque considerandum est id, quod in Sacrificio continetur tanquam ens quoddam naturale agens secundùm summum gradum virtutis suæ, sed ut ens liberum, cujus operatio tantam habet efficaciam, quantam habere vult ipsum agens principale Christus Redemptor noster, qui hoc incruento Sacrificio vult nobis applicari finitum tantùm & limitatum fructum suæ passionis. Habet igitur Sacrificium efficaciam finitam in ordine ad omnes suos effectus, exceptâ vi impetrativâ, quam ideò infinitam esse omnes fatentur, quia non consistit in aliquo quod producatur à Sacrificio, sed in excellentia & intrinsecâ dignitate ipsius, quatenùs objectivè movet Deum ad id quod petitur concedendum, quamvis semper non concedat, nisi cùm judicat saluti nostræ expedire ut concedatur.

Si verò loquamur de infinitate extensiva, an scilicet Sacrificium pro multis oblatum æquè singulis prosit, sicut uni prodesset, si pro eo tantummodo offerretur, gravis quæstio est præmissâ distinctione fructuum Missæ diffiniendâ. Est igitur triplex portio valoris Missæ, seu triplex fructus, generalis, specialis, & medius. Primus pertinet ad omnes fideles, secundus est proprius celebrantis, tertius subest dispositioni Sacerdotis, ut applicet cui voluerit. Primus ex eo provenit, quod generaliter pro omnibus fidelibus vivis & defunctis offertur, est enim idem quoad substantiam cum Sacrificio Crucis, quod pro omnibus oblatum est, & ex Canone constat, debere Sacerdotem pro omnibus applicare, pro papa, pro Episcopo, pro Rege, totâque Ecclesiâ militante & purgandâ, & non potest non applicare, cum sit ab ipsa Ecclesiè ad hoc specialiter deputatus. Quo circa hic fructus ad omnes fideles extenditur, qui ab Ecclesiæ unitate non sunt præcisi, & non ponunt obicem, & sic potest esse quodammodo extensivè infinitus, omnesquè & singuli, si per ipsos non stet, integrum fructum percipere possunt, ac si unus tantùm esset. An autem hic fructus non solum impetrationem, sed etiam satisfactionem includat, controversum est. Secundum hoc fundatur, quia Sacerdos offert etiam pro seipso, *offero*, inquit, *pro innumerabilibus peccatis, & offensionibus, & negligentiis meis*. Debet enim, ut ait Apostolus, *quemadmodùm pro populo, ita etiam pro semet ipso offerre pro peccatis*. Provenit autem Sacerdoti fructus, quatenùs ab ipso ut publico Ministro offertur; & ideò non est alteri applicabilis, nam dum offert pro se illis verbis, *pro peccatis &*

*offensionibus meis*, eo ipso sibi applicat: sibi verò applicatum non est alteri applicabile. Tertius colligitur ex natura sacrificii, quod ita institutum est, ut pro hominibus offeratur, ac propterea illis prodesse debet pro quibus offertur. De hoc fructu medio communis sententia est, non esse infinitum extensivè, sed eò magis in singulis minui, quò magis extenditur. Debet autem Sacerdos hunc fructum illi applicare, pro quo specialiter celebrare tenetur ratione beneficii, eleëmosinæ, præcepti superioris, vel alio quòcunque titulo; idque ante Missam, vel saltem in Missa ante consecrationem; nam si essentia Missæ in sola consecratione consisteret, ut plerique sentiunt, applicatio post illam facta nihil valeret, Sacrificio quoad substantiam jam consummato.

## §. V.

### *Quæ praxis servanda in applicatione Missæ.*

QUia diximus, sacrificii fructum debere à Sacerdotibus applicari, operæ pretium, erit ex communi & magis recepta Theologorum sententia praxim aliquam sive methodum hujus applicationis præscribere, quæ ipsis Sacerdotibus usui sit, ne eos labi in re tanti momenti & muneri suo deesse contingat. Et primò quidem observandum est, Sacerdotem multiplici nomine hoc sacrificium offerre, nomine Christi primi & præcipui offerentis, ex cujus meritis Sacrificii valor emanat, & ex cujus voluntate maximè pendet ejusdem applicatio: nomine item Ecclesiæ, cui meritorum suorum & satisfactionum dispensationem Christus commisit: deinde nomine proprio, quatenus liberâ suâ voluntate offert, sibique aut aliis pro suo arbitrio applicat: nomine tandem aliorum fidelium, qui simul cum ipso, sivè per ipsum interno affectu offerre dicuntur, illorum videlicet, qui Missæ inserviunt & assistunt, vel pro ea celebranda eleëmosinam largiti sunt. Porrò Christus & Ecclesia Sacrificii fructuum, quoties offertur, participes esse volunt omnes fideles, dummodo capaces sint & nullus in eis obex reperiatur: nec ulla requiritur ex parte Sacerdotis celebrantis applicatio, ut communis hic fructus in omnes diffundatur. Omnium autem fructuum pars quædam notabilis, Christo sic volente & disponente, relicta est liberæ applicationi, & determinationi tam ipsius Sacerdotis celebrantis, tamquàm Ministri & mysteriorum ejus dispensatoris, quàm aliorum simul cum eo offerentium, quod ex communi Ecclesiæ consensu morem fidelium approbantis, quo expetunt hoc Sacrificium pro se peculiariter offerri, manifestum est; frustra enim id facerent, si omnis ejus fructus jam applicatus esset, nec ullus per Sacerdotis intentionem applicandus supereset. Sacerdos verò in hujus Sacrificii actione aliis cum ipso offerentibus superior est, & ideò fructuum applicatio ab ejus intentione præcipuè pendet, nam cum sit actus potestatis ordinis, ejus subjacet voluntati. Sed quanta & qualis sit portio fructus, quam Christus Dominus voluit sive generatim ad omnes fideles, sive speciatim ad hos vel illos secundum intentionem particularem Sacerdotis celebrantis derivari, incertum omninò est: neque enim sacra Scriptura, nec Ecclesiæ traditio, nec Concilia, aut Patres quidquam de hac re tradiderunt aut diffinierunt. Ideò satis est, quod Sacerdos tantum de fructu Sacrificii juxta devotionem, sive obligationem suam his aut illis applicare velit, quantum Christus Dominus ipsi applicandum concessit.

Observandum secundò, quod, ut Sacerdos Sacrificii fructum validè applicet, necessaria est ejus intentio, qualem requiri ajunt Theologi, ut aliquod Sacramentum validè conficiatur. Quapropter habitualis sufficiens non est; actualis optima atque laudabilis; sed non necessaria: sufficit enim virtualis, illa nimirum quæ ab actuali proveniens & non revocata adhuc remanet secundùm suam virtutem. Debet autem hæc intentio ipsam Sacrificii actionem concomitari, & esse certa, & determinata, nec effectum Sacrificii suspensum relinquere, quia non potest à futura conditione pendere. Quod si Sacerdos fructum Sacrificii nemini applicet, vel ille pro quo offert ejus capax non est, aut eo non indiget, manet fructus in Thesauro Ecclesiæ. Unde in tali casu optimum fore censent Theologi, conditionatam habere voluntatem, & alium substituere, qui eo fructu potiatur. Optimum quoque aliquibus visum est, quod Sacerdos, qui pro pluribus offerre intendit, eos specialiter & nominatim exprimat, non generaliter & in confuso, quia singulis minus prodesset; suum enim effectum producit secundùm modum quo applicatur, perfectior autem applicatio est, cum omnes sigillatim nominantur. Ad scrupulos denique evitandos, qui circa applicationem oriri possunt, debet Sacerdos rejectis incertis opinionibus Sacrificii

crificii fructus primò & principaliter illi applicare, pro quo celebrare tenetur ratione beneficii, eleëmosinæ, promissionis, aut specialis obligationis. Tum sine ejus præjudicio, & in quantum licitè potest, aliis item applicare poterit sibi charitate aut aliâ quavis ratione peculiariter conjunctis, seu commendatis, suam intentionem intentioni Christi summi Sacerdotis perfectè conformando & submittendo: sic enim poterit tutâ conscientiâ ex infinito & nunquam exhauriendo thesauro meritorum & satisfactionum Christi, cujus dispensator est constitutus, partem aliquam in plures derivare, quæ ex summa & ineffabili Dei misericordia non nisi uberrima sperari potest.

## Caput II.

### De requisitis in Sacerdote ad ritè & piè celebrandum.

### §. I.

### *De puritate vitæ.*

Quod olim David de Templi ædificatione, id sibi Sacerdos de Divini Sacrificii oblatione, & sumptione dictum putet: *Opus grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* Ad Deum igitur accessurus, ut ipsius Dei unigenitum Filium incruentè sacrificet, cum timore & tremore tantum opus aggrediatur, probetquè seipsum, & præviis dispositionibus præparet ad uberrimos Sacrificii fructus percipiendos. Sunt autem tres præcipuæ dispositiones, quæ in Sacerdote requiruntur, puritas vitæ, rectitudo intentionis, & actualis devotio. Puritas vitæ in duobus consistit: Primùm ut sit mundus ab omni peccato, non solùm mortali, sed etiam veniali deliberato & scienter admisso, atque ab omni affectu erga ipsa peccata venialia. Levia siquidem peccata omninò vitare nequimus; at ipsorum affectum penitùs ex animo evellere & possumus & debemus; adeò ut nulli voluntate & affectu inhæreamus. Alterum ut conetur omni studio esse purus & sanctus, & ornatus omni virtute, sibiquè propterea illud peculiariter dictum existimet: *Qui justus est, justificetur adhuc, & Sanctus sanctificetur adhuc.* Rectè Chrysostomus: *Quo non oportet esse puriorem tali fruentem Sacrificio? Quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem? os quod igne spirituali repletur: linguam quæ tremendo nimis Sanguine rubescit? Cogita quali sis insignitus honore, quali mensâ fruaris: quod Angeli videntes horrescunt, neque liberè audent intueri, propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur, & facti sumus unum Christi corpus & una caro.* Docet S. Thomas, proprium effectum hujus Sacramenti esse, hominem in Deum transformare, & ipsi per amorem assimilare. Quâ ergò fide debet esse imbutus, quâ spe roboratus, quâ succensus charitate, quâ præditus innocentiâ, qui talem victimam quotidie immolat, Deumque suscipit, & in ipsum mysticè transformatur? Quod si dispositio, ut aiunt Philosophi, ejusdem rationis esse debet cum forma, ad quam disponit: divina procul dubio dispositio necessaria erit, ut recipiatur cibus divinus; vita sic instituta, ut divina sit & superhumana, & mundanæ atque carnali prorsùs opposita. Qui sic vivit, secedit à creaturis, & soli Deo adhæret: solus Deus in intellectu ejus est, solus in voluntate, solus in colloquiis, solus in operibus. Nihil in illo, quod sapiat mundum, quod carnem redoleat & sensum: seipsum odio habet, corpus suum jugi mortificatione crucifigit, divitias spernit, honores fugit, amat nesciri, & pro nihilo reputari. Discutiat ergò vitam suam Sacerdos, & si talem nequaquam esse, sed adhuc terrenam deprehenderit, in divinam transferre satagat sedulâ virtutum exercitatione. Huc etiam pertinet externa corporis & vestium mundities, gravitas & maturitas, quæ Presbyterum, hoc est, seniorem deceat; talisquè compositio totius hominis, ut omnes ex solo ipsius aspectu ædificentur.

### §. II.

### *De rectitudine intentionis.*

Secunda Sacerdotis dispositio ad celebrandum, est rectitudo intentionis, virtutus enim laudem, vel vitii notam à fine, quem intendimus, actiones nostræ sortiuntur. Intentio autem ut recta sit, non solùm excludit omnem finem malum, & alienum ab ipsa Sacrificii institutione, sed etiam vetat ad ipsum accedere ex sola consuetudine, sinè actuali tanti mysterii consideratione, & prævia præparatione. Sacerdos itaque

celebraturus, diligenter attendat, quo fine moveatur, an propter damnabile lucrum, aut aliquod temporale motivum, non cæleſtem Panem, ſed terrenum quærens; non animæ ſalutem, ſed corporis emolumentum: ne Sacrificio pro mundi vita inſtituto, in ſui perniciem abutatur. Finem ſibi præfigat excelſum, cæleſtem, ſupernaturalem, qui Dei gloriam reſpiciat, propriam ſalutem & perfectionem, ac proximi utilitatem. Huc dirigat ſuam intentionem, ut per hanc victimam ſalutarem purgetur à peccatis, à languoribus animæ curetur, & ab ingruentibus malis protegatur: ut ab aliqua tentatione, & adverſitate eripiatur: ut aliquod beneficium impetret, & de perceptis gratias agat: ut virtutes, augmentum gratiæ, & donum perſeverantiæ obtineat; ut pro variis proximorum neceſſitatibus, & pro requie defunctorum Deum interpellet; & univerſam Eccleſiam ei commendet: ut cultum latriæ Deo exhibeat, Sanctiſquè honorem & venerationem: ut Chriſti Paſſionem & mortem commemoret, ſicut ipſe præcipit, dicens: *Hoc facite in mei commemorationem*: ut emendatus ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, ſeipſum Deo conjungat, & inſeparabiliter uniat, cum ipſo conſummatus in unum. Ex his & aliis hujuſmodi motivis intentionem ante Miſſam dirigere oportet juxtam formulam infra tradendam. Non eſt autem hoc loco prætermittendum, quoſdam eximiæ ſanctitatis & doctrinæ viros ſemper memores incertitudinis vitæ, quotidie hâc intentione Corpus & Sanguinem Chriſti in Miſſæ Sacrificio ſuſcepiſſe, ut ſi eos contingeret eâ die mori, Viaticum illis foret ad vitam æternam: Multùm verò hoc proderit Sacerdoti ad mortis & æternitatis memoriam ſedulò renovandum.

## §. III.

### *De actuali devotione.*

TErtia diſpoſitio in actuali devotione conſiſtit, quam ut in ſe excitet Sacerdos, fatagere debet primò, ut quidquid de hoc ineffabili myſterio, cæleſtiumque chariſmatum theſauris in eo reconditis, Sacroſancta docet Eccleſia, firmâ fide apprehendat cum ſublimiſſima eorundem æſtimatione. Verbis enim conſecrationis ab eo prolatis, panis in Corpus, & vinum in Sanguinem Chriſti tranſubſtantiatur, atquè ibi adeſt ſub ſpecierum velamine illud puriſſimum Chriſti Corpus, quod pro ſalute noſtra Cruci affixum fuit: adeſt Sanguis, qui pro nobis effuſus eſt: adeſt anima glorioſa, in qua ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei: adeſt Chriſtus verus Deus & verus homo, mirabilis in majeſtate ſua, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Neceſſaria ſecundò eſt ad excitandam devotionem humilitas, quæ præ cæteris virtutibus in hujus Sacramenti inſtitutione maximè enituit. Chriſtus enim cùm in forma Dei eſſet, exinanivit ſemetipſum, & ſub exiguis ſpeciebus panis & vini, Corpus ſuum & Sanguinem, atquè Divinitatem concluſit, ſeipſum exponens ſceleratorum hominum injuriis, qui pleni immunditiis ad ipſum accedere, eumquè pollutis manibus contrectare præſumunt. Par igitur eſt, Sacerdotem tantam humilitatem imitari, & in ſuum nihilum reſilire, ac nihil de ſe præſumere. Sola humilitas eſt, quæ dignè nos præparat ad tantum hoſpitem ſuſcipiendum. Nulla noſtra diſpoſitio, nulla induſtria, nulla virtus; ſed ſola Dei gratia nos dignos reddit: quare noſtram debemus indignitatem agnoſcere, & ſoli divinæ miſericordiæ inniti. Tertiò, quia Chriſtus hujus menſæ delicias acerbiſſimâ ſuâ Paſſione nobis promeruit, ſanctos Sacerdotes legimus ignem devotionis in ſe ſolitos ſuccendere, jejuniis, flagellationibus, ciliciis, & aliis hujuſmodi cruciatibus; quos imitari & nos debemus, Agno pro nobis occiſo noſmetipſos immolantes, ſilentio, ſolitudine, abſtinentiâ, ſenſuum cuſtodiâ, non omiſſis exterioribus caſtigationibus, juxta cujuſque vires & conditionem. Multum deniquè prodeſt ad devotionem ingens fames, fervens deſiderium, atquè ardentiſſimus amor hujus Angelici Panis, ad quem ſumendum nos amantiſſimè invitat Dominus, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Quod ſi deſit hoc deſiderium, illud ſaltem deſiderare, & à Domino petere debemus ferventiſſimis amoris actibus; *deſiderium enim pauperum exaudiet, & animam eſurientem ſatiabit bonis.*

CA-

## CAPUT III.

### Variæ considerationes ante Missam.

### §. I.

*Quanta sit Sacerdotum dignitas, & quanta debeat esse sanctitas.*

NUlla est inter homines dignitas, nulla excellentia, cui possit Sacerdotalis sublimitas comparari. Omnium Principum fulgorem superat, omnium Regum potestatem excedit; illorum enim auctoritas circa temporalia & terrenea versatur, Sacerdotis autem potentia etiam ad æterna & cælestia extenditur, pro quibus comparandis omnes Principes & Reges ad Sacerdotes confugere, opem eorum implorare, seque illis subjicere non erubescunt. Ideò ab Apostolo dictus est Sacerdos ab hominibus assumi, *ut offerat dona & Sacrificia*; acsi super alios elevatus communem hominum conditionem anteeellat, quasi mediator Dei & hominum *in his quæ sunt ad Deum* constitutus. A Malachia item Propheta Angelis æquiparatur his verbis: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, Angelus enim Domini exercituum est.* Imò ex potestate quam habet absolvendi à peccatis, & conficiendi corpus & sanguinem Christi, etiam Angelis superior est; & ut ait Nazianzenus *Orat.* 1. quædam illi divinitas inest, aliosque efficit Deos. Hæc te sedulò considerare oportet, quicunque es Christi Sacerdos, ne ad te pertineat Psalmographi sententia dicentis; *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Nihil in te terrenum sit, nihil commune cum populo. Sit Angelica conversatio tua, vita Divina, mores illibati. Quid turpius quàm honor sublimis, & vita deformis; sancta professio & illicita actio? Vide igitur quàm dignè actio respondeat nomini, mores dignitati. Quod si Sacerdotes antiquæ legis jussit Deus Sanctos esse, ut incensum & panes propositionis convenienter offerrent; quantò majorem sanctitatem inesse tibi oportet, qui Filium Dei quotidie offers & suscipis? Et si solet corpus ciborum quibus nutritur qualitatibus imbui, æquum sanè est, ut Christi in Eucharistia existentis, quo singulis diebus vesceris, conditiones imiteris, & virtutes perfectè exprimas. Latet Christus sub exiguis speciebus, nec ullo se specioso indicio manifestat; tu quoque Dei dona absconde, & ama nesciri, ac pro nihilo reputari. Ille ibi manet peccatorum, infidelium, ac etiam bestiarum injuriis expositus; tu similiter cunctis subjectus esto, atque in omni contemptu & opprobrio patientiam serva. Ille omnes seipso pascit sine ulla personarum exceptione: & tu erga omnes liberalis esto, sitque sincerus in te animarum zelus sine ullo humano respectu. Ille divisis speciebus nec læditur nec dividitur: tu etiam peccatum animum ac omninò imperturbabilem in omni difficultate conserva. Ille nullum detrectat locum, & in eo stat, in quo collocatur à quovis Sacerdote quantumvis scelerato; tu pari ratione ad omnia loca & officia indifferens esto, nec ullum onus recuses quod tibi à superioribus imponatur. In hoc denique Sacramento substantia panis & vini desinit esse, & sola remanent accidentia: & tu eodem modo in te debes annihilare omnem terrenam substantiam, omnes scilicet affectus inordinatos, gloriæ appetitum, prava desideria, dictamina hujus mundi, & quicquid perfectioni contrarium est.

### §. II.

*De excellentia hujus Sacrificii.*

CUm Sacrificium sit primarium Religionis munus; planè decebat, ut Christiana Religio, quâ nulla perfectior & sublimior esse potest, nobilissimum haberet Sacrificium, cujus excellentia ex multis capitibus colligi potest. Primò ex eo, quod in illo offertur, qui est Christus Dominus, verus Deus & verus homo: & quia nihil excelsius illo est, ideò ratione ipsius actio ipsa sacrificandi omnes humanas actiones excedit, etiam actus Sanctorum in Cælis Deum amantium. Cavendum ergò, ne nostrâ irreverentiâ & indevotione tam magnæ rei oblationem dehonestemus. Et si Deus olim Sacerdotibus præcepit, *Mundamini qui fertis vasa Domini*, quantò majori puritate nos enitere debemus, qui purissimum Christi Corpus, & pretiosissimum Sanguinem Deo offerimus? Secundò ex persona cui offertur, qui est solus Deus. Nulli enim Sanctorum, necipsi B. Virgini offerri potest, sed ex ipsa intrinseca rei natura convenit soli Deo, quia per Sacrificium testificamur Deum esse primum principium & ultimum finem nostrum & supremum Dominum omnium rerum, cui in

signum

signum nostræ subjectionis aliquod sensibile offerimus, ad significandum per rem sensibilem oblatam sacrificium internum, quo anima se offert Deo, sicut principio suæ creationis, & sicut fini suæ beatificationis. Hoc autem nec ipse Deus per absolutam suam potentiam efficere potest, ut alicui creaturæ conveniat. Tertiò ex ipsa consecratione, quâ panis & vinum in corpus & sanguinem Christi transubstantiantur, manentibus accidentibus sine subjecto. Est autem hæc actio omninò supernaturalis, quæ nullo modo pendere potest ab aliqua potentia creata tanquam à causa principali, quia solus Deus efficit transubstantiationem. Quartò ex valore ipsius Sacrificii, qui est infinitus, sicut merita & passio Christi, ac proindè æquè placet Deo, ac mors ejus in Cruce, licet effectus finitus sit. Quintò ex fine propter quem, cæteris omnibus abolitis, institutum fuit, ut nimirum per ipsum Deo creatori nostro cultum latriæ tribuamus, nostramque servitutem & subjectionem humillimè testificemur: ut dignas ei gratias perpetuò agamus pro universis beneficiis ejus: ad auxilia divinæ gratiæ, ejusque protectionis, excitationis & directionis impetranda: ad obtinendam peccatorum veniam: ad iram Dei placandam, & imminentia flagella avertenda, ad succurrendum omnium vivorum & defunctorum necessitatibus, quæ sunt penè infinitæ. Porrò ex his clarissimè constat, nullam posse majorem in hac vita, aut præstabiliorem actionem à mortalibus exerceri, quàm offerre Deo hoc sacrificium. Ideò nullus seu Rex seu Pontifex esset, qui Sacerdotem celebrantem quacumque ex causa accersere, cœptumquè sacrificium interrumpere auderet. Quia verò Sacerdos hoc sacrificium peragit in persona Christi, ita se gerere debet, nè quid in ipso sit quod Christi personam dedeceat: sicut legatus Regis personam sustinens summoperè cavet, ne quid indecorum, & suo munere indignum committat.

## §. III.

### *De ejusdem necessitate.*

DEbet Sacerdos solicitè considerare, quam sit necessarium hoc Sacrificium, quo summoperè indigent & qui sunt in hoc mundo & qui in purgatorio; hi ut citius liberentur, & ad perennem felicitatem perveniant: illi ut continuis Dei præsidiis adjuventur. Ad ipsum enim spectat, tanquam ad legatum totius orbis, omnium petitiones ad Deum ferre, omnium necessitates spirituales & corporales eidem exponere, & singulis obtinere quod singulis profit ad salutem. Sunt autem necessitates spirituales primùm peccata, quibus plenissima sunt omnia regna mundi in quovis feré hominum statu & conditione. Deinde sunt tentationes internæ & externæ à corrupta natura, à sensibus & membris, ab extrinsecis objectis rerum & personarum, à volubilitate liberi arbitrii, à dæmonibus oriri solitæ, eæque innumeræ & superatu difficiles. Sunt denique occasiones extrinsecæ malorum ad peccata allicientes domi & foris, & hinc perpetua pericula æternæ damnationis. Necessitates corporales sunt etiam innumerabiles, quibus omnes vel premuntur, vel sunt obnoxii: morbi videlicet, bella, persecutiones, lites injustæ, inimicitiæ, odia, calumniæ, contumeliæ, paupertas, mendicitas, amissiones bonorum, exilia, carceres, insidiæ, doli, fraudes, pugnæ civiles & domesticæ, jurgia, detractiones, & multiplices injuriæ dominorum, servorum, vicinorum, æqualium, quæ passim inferri solent manifestè vel occultè. Sunt igitur in magna necessitate Catholici malè viventes, qui peccati mortalis nexibus irretiti computrescunt in fœcibus suis, omnes quoque infideles, Hæretici, Schismatici, Judæi, Pagani, & Turcæ, qui veri Dei cognitione carentes in tenebris vivunt: neque hi omnes à statu adeò infelici naturæ viribus emergere possunt, nisi respiciens desuper Pater misericordiarum potenti virtute eos excitet & præveniat. Justi item tepidi, & imperfecti & alii etiam ferventes, quibus continuum imminet periculum cadendi in peccatum mortale & gratiam divinam amittendi, cum sit tanta depravatæ naturæ fragilitas, tanta carnis rebellio, tanta dæmonis rabies, tanta vis pravorum habituum, tanta mundi corruptela. Sunt & alii sine numero supra scriptis calamitatibus pressi: Quidam enim ope divinâ indigent ad aliquam tentationem superandam, alii ad aliquam virtutem acquirendam, sive ad aliquem actum supernaturalem eliciendum. Quidam in mari sunt, alii in via non satis tuta. Hic vexatur inimicitiis, ille calumniam patitur: nonnulli paupertate, alii morbis, scrupulis, litibus, ære alieno, aliisque calamitatibus affliguntur. Multi sunt in periculo mortis constituti, à qua pendet æternitas, quos modo prorsus inexplicabili torquent & cruciant

cruciant peccata commissa, bona omissa, temporalia quæ relinquunt, æterna ad quæ properant. Gravissimam denique necessitatem patiuntur animæ defunctorum in carcere Purgatorii detentæ, quarum tota spes in suffragiis nostris sita est, cùm ipsæ pro se nec satisfacere, nec quidquam possint impetrare. Horum omnium infinita multitudo supplices manus extendit ad Sacerdotem miserabili ejulatu clamans & deprecans, ut partem aliquam divini auxilii singulis impetret, porrectis in Missa supplicibus eorum libellis, quos seriò & ferventer, magnoque affectu æterno Patri commendare debet. Turpe enim esset, in conspectu tantæ majestatis distractione vel hæsitatione insulsam reddere legationem, & tanti ponderis negotiá frigidè ac perfunctoriè pertractare.

## §. IV.

### *Quâ reverentiâ celebrandum sit.*

DUplex est reverentia, interna & externa. Interna in timore & tremore, in humilitate & compunctione cordis consistit. Ad externam pertinent totius hominis compositio & gravitas, omniumque cæremoniarum ac præscriptorum rituum observantia. Quanta verò cura adhibenda sit, ut hoc augustissimum Sacrificium omni veneratione ac reverentia celebretur, facile intelliget Sacerdos, si ex una parte consideraverit, nullum opus sanctius ac divinius à Christi cultoribus tractari posse, quàm hoc ipsum tremendum mysterium: ex altera verò perpendat, maledictum vocari in sacris Litteris, qui facit opus Dei negligenter. Quod si Regem alloquuturus magno metu stat coram illo, nec audet oculos ab eo divertere: quantò majori trepidatione, humilitate, ac solicitudine, in conspectu divinæ majestatis astare oportet, totâ mente in ipsum Deum intentâ, qui non solùm externum aspectum, sed intima etiam animi penetralia intuetur? Quid turpius & pœnâ dignius, quàm quod peccator Sacro Altari irreverenter assistat, ubi Sancti metuunt, pavent Angeli, tremunt Potestates, & supremi Spiritus faciem suam velant præ verecundia & confusione? accedit nox ad lucem, infirmus ad Omnipotentem, servus ad Dominum, creatura ad Creatorem, & non formidat, non contremiscit? Proderit etiam ad excitandum reverentiæ affectum consideratio gaudii, quod S. Trinitas & omnes Cælites ex devota & reverenti Missæ celebratione percipiunt: tum quia id Sacrificium testamenti loco à Christo relictum est, in pignus amoris, quo suos in finem dilexit: tum quia est mortis illius commemoratio, quâ intercedente peccata nostra deleta sunt, homines redempti, Sancti salvati, & nos, qui vivimus, innumeris beneficiis cumulamur. Cavendum ergò, ne quid sacrificans admittat, quod istam minuat lætitiam Dei & Sanctorum, quæ ex hujus Sacrificii suavissimo odore promanat. Ad eandem denique reverentiam comparandam debet Sacerdos solerter præmeditari, quàm sapienter & exactè S. Ecclesia divinitùs edocta totius Sacrificii ordinem, modum, & apparatum præscripserit & instituerit. Nam primò culpas veniam precando confitetur: tum Deum laudat & adorat, eique de acceptis beneficiis gratias agit: opem divinam sibi & aliis implorat, nec ullum officii genus prætermittit, quod possint mortales sanctè cum Deo exercere. Jungit autem cum his externam conformationem, habitumque corporis maximè decentem & religiosum, vel stat vel flectit genua, aperto semper capite, manibus modò junctis, modò protensis, & in cælum sublatis, quæ omnia aptissima sunt ad reverentiam in ipso celebrante & in astantibus conciliandum. Nec quocunque modo, sed præstantissimo Deum alloquitur: secretò enim loquitur & veluti ad aurem, sicut amicus cum amico. Loquitur non suo sed totius Ecclesiæ nomine, & à Deo auditur, tanquàm gerens personam publicam, nullâ habitâ sui ratione, sivè bonus, sivè malus sit. Loquitur in publica celebritate coram universaCæli curia, & hominibus qui adstant: atquè ideò in solemni confessione, quæ Missæ præmittitur, & sanctos & populum appellat; & in Præfatione Deum precatur, ut voces suas cum Angelorum vocibus admitti jubeat. Loquitur cum Christo Domino, qui in Sacramento præsens est, ejusque preces simul cum ipso æterno Patri præsentat. Verba tandem, quæ loquitur, non ipse suo ingenio composuit; sed vel à Christo tradita sunt, vel in Sacris Litteris à Spiritu Sancto dictata, vel Sanctorum Patrum & Conciliorum auctoritate approbata: quare nihil proferre potest, quod non sit Deo gratissimum, & summè acceptum. Totis itaque viribus conari debet, ut tam sanctum ministerium quàm maximâ fieri potest reverentia & sanctitate exequatur: & depositis terræ sordibus, Angelicâ puritate eluceſcat.

## §. V.

### *Aliæ considerationes ad pios affectus in celebrante excitandos,*

VIx fieri poterit, ut non attentè, devotè, & reverenter celebres, quisquis es Christi Sacerdos, si fide vivâ hanc veritatem perceperis, & intimo sensu apprehenderis, te ipsum Christum offerre, unigenitum Dei Filium, Salvatorem & Judicem tuum. Sed huic veritati magnum momentum ex hoc accedit, quod perfectiorem Christi humanitatem nunc in Missa Deo offers, quàm ipse obtulerit in ultima Cæna. Nam primò Christus mortalem obtulit, tu immortalem: ille passibilem, tu impassibilem. Secundò nunc eadem offertur cum plenâ pro nobis satisfactione, omnia siquidem ipsius merita ejusdem morte completa sunt. Tertiò quia humanitas Christi, etsi à principio sanctificata fuit in unione hypostatica, cum tamen in Passione oblata est Deo, novam acquisivit sanctificationem, ut Hostia scilicet tunc actualiter exhibita, & nunc offertur in Missa hâc novâ sanctificatione exornata. Adde quod Christus mirabiliori modo in Sacramento existit quàm in Cælo. Totum enim ejus corpus in totis speciebus est, & totum in qualibet minima earum parte; sine quantitate coëxtensa ad locum; ita ut ejus præsentia ne quidem à supremis spiritibus per principia naturalia naturaliter videri possit. Sunt & alia innumera mirabilia, quæ satius est venerari quàm enarrare. Nam ut reliqua prætermittam, quis dignè poterit explicare, vel saltem animo concipere, quam magnum beneficium sit, quod, mediante hoc Sacrificio, Cælum in terris quâdam anticipatione possident homines, dum ante oculos habent, manibusque contrectant ipsum Cæli & terræ conditorem? Hoc sedulò contemplare & erubesce, quod adeò tepidè, & irreverenter hæc tremenda mysteria audeas celebrare.

Extende cogitationem tuam per universum mundum, quàm malè ubiquè Deo serviant homines, quot peccata committant: quàm pauci sint Religiosi, qui perfectioni sedulo incumbant: quàm multi qui in rebus vanis & otiosis jugiter occupati vix unquam de Deo cogitant & loquuntur. Ideò tactus dolore cordis intrinsecus, ardorem & affectum vehementissimum in te excita erga Dominum Deum, quem plerique mortalium vel non agnoscunt, vel spernunt: tum Sacrificium ea devotione offerre satagas, ut Dominus, si fieri possit, ejus suavitate, quam habet etiam ex opere operantis, quoddammodo recreatus, eorum omnium obliviscatur, quæ contra sanctissimam ipsius voluntatem ab hominibus perpetrantur. Ex altera verò parte in Cælum animo ascende, & considera, quanto fervore Cælites universi Deum ament, & quàm suavi harmoniâ ipsius laudes uno ore decantent. Junge te illis, & similes elice amoris ac laudum affectus: sed cave, ne vocis tuæ ac morum cacophoniâ Beatorum dulcissimè concinentium concentum perturbes.

Cùm hoc Sacrificium Christi passionem & mortem repræsentet, veluti quædam imago & actio tragica est, non verbalis, quales sunt Poëtarum Tragœdiæ, sed realis & substantialis, exprimens incruentè Passionem illam & mortem cruentam, ex qua omnia bona tua & aliorum, omnesquè thesauri divinæ gratiæ profluxerunt. Solerter itaquè adverte, quàm fervidâ devotione tanti boni repræsentatio à te fieri debeat. Sunt spectatores hujus Tragœdiæ SS. Trinitas, Humanitas Christi in Cælo, Angeli, & Animæ beatæ: cave ne quid ineptum vel indecens in te appareat; quod Dei ac Cælestium Civium purissimos oculos possit offendere. Id verò assequeris, si perpetuam in te ipso corporis afflictionem, & passionum mortificationem expresseris, vivamquè memoriam in te conservaveris acerbissimorum Christi cruciatuum, quos hoc Sacrificio commemoras & repræsentas; & eosdem aliis proposueris morum ac vitæ severitate.

---

## Caput IV.

### De his quæ Missæ celebrationem proximè antecedunt.

## §. I.

### *De necessitate Præparationis.*

*Ante orationem*, ait Sapiens, *præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Quod si Deum tentare atque ad iracundiam provocare dicitur, qui ipsum audet in oratione interpellare, non præmissâ diligenti & accuratâ præparatione, quantò magis eundem suâ temeritate & audaciâ irritabit, qui Unigenitum

nitum suum illi offerre, ipsumque suscipere imparatus præsumet? Et si Rex aut Princeps magnæ potentiæ tibi, ô Sacerdos, significasset, ut illi hospitium crastina die pararet, quantâ solicitudine expurgare domum & ornare satageres, totam etiam noctem ducens insomnem, ne quid ille veniens incompositum & indecorum reperiret? Nunc verò Rex regum, & Dominus dominantium mandat tibi per Prophetam dicens, *Præparare Israël in occursum Dei tui*, quia ecce egò veniam, & manebo in medio tui. Vide ergò & considera, quantâ diligentiâ thalami tui tergere sordes debeas, quali apparatu ipsum ornare, quo dignus fias à tanto hospite visitari. Talem se Deus exhibebit animæ tuæ, qualem se illa præparaverit ei: quantumque tu apposueris ad diligentiam, tantum ille adjiciet ad gratiam. Vetus parœmia est, *Adoraturi sedeant*, quâ paratum purgatumque animum ad Deum afferre monemur. Quidam etiam Ethnicus ait; *Dimidium facti, qui benè cœpit, habet*: in singulis enim actionibus id imprimis curandum est, ut rectè ordiamur. Omnium autem optima præparatio, & magis necessaria illa est, quæ in puritate & sanctitate vitæ consistit; cùm quidquid agis, quidquid cogitas, quidquid moliris, ad hunc scopum refers, ut vivas vitâ divinâ, teque dignum reddas hoc cælesti convivio. Sicut enim fructus frequentis celebrationis in hoc præcipuè attenditur, ut quotidie crescas in humilitate, patientia, mundi contemptu, & charitate: ita vera præparatio in hoc sita est, ut quotidie aliquid vitii deponas, aliquid virtutis acquiras, donec possis cum Apostolo dicere: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Et illis quidem, qui Deo jugiter adhærentes mentem habent rebus divinis exercitatam, non erit difficile sanctioris vitæ incremento se ad dignè celebrandum rectè disponere: aliis verò, quorum major numerus est, qui minus idonei sunt ad animum sursum erigendum, varia Sancti Patres documenta præscribunt, quibus adjuti ad Deum accedant tali curâ, & dispositione, quæ tanto mysterio digna sit. Quædam ex his jam supra à nobis tradita sunt: alia infra explicabuntur.

## §. II.

### *De præmittenda confessione Sacramentali.*

FOrmidabilis est, & non sine horrore audienda Apostoli comminatio dicentis; *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Quare celebrare volenti revocandum est in memoriam ejusdem præceptum, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.* Et quidem probatio omninò necessaria est, ut nullus sibi conscius mortiferæ labis ad sacrificandum præsumat accedere non præmissâ sacramentali confessione, quantumvis sibi contritus videatur; alioquin Panem vitæ in mortem & condemnationem accipiet. Ut verò ex hoc divino convivio, quod sanctis animabus inexplicabiles præbet delicias, mens abundantius reficiatur, non solùm à mortalibus, sed etiam à venialibus culpis, & ab omni terreno affectu eam expurgare oportet, & puram ac vacuam Deo exhibere gratiæ suæ donis implendam, & exornandam. Hac de causa boni Sacerdotes, quos te imitari par est, vel quotidiè, vel alternis diebus, vel bis saltem in hebdomada animo verè contrito ad confessionem solent accedere, omnesque malorum radices evellere conantur, atque omnem vel levissimam maculam abstergere. Quod si nihil Sacramento pœnitentiæ expiandum occurrat, intensum nihilominus contritionis actum de totius vitæ delictis elicere non omittes, quia cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.

In ipsa autem confessione vitanda prolixitas, & nimia diligentia in levioribus culpis recensendis: satius enim est intimè de iis dolere, & per devotam cordis ad Deum conversionem eas expiare, quàm in iis ad instar historiæ sine proposito emendationis, sicut ut plurimum contingit, enarrandis immorari. An verò expediat quotidianas imperfectiones in confessione explicare, ut status pœnitentis notior sit Confessario, non est una Magistrorum spiritualium sententia; tutior tamen & communior est oportere eas extra Sacramentum manifestare. Cavendus item multorum error, qui se prolixè de iis accusant, quæ peccata non sunt, ut de pravis habitibus, & passionibus, & de circumstantiis impertinentibus; quod sint superbi, iracundi, & proni ad malum; quod Deum non amaverint ex tota cordis intentione, & alia ejusdem generis multa, de quibus & aliis ad confessionem pertinentibus suadeo ut omninò legatur tractatus S. Bonaventuræ de modo confitendi, & puritate conscientiæ. Confessioni autem duplex præparatio

præmittenda, remota & proxima. Remota in hoc consistit, ut per vigilem cordis custodiam, profundam tui cognitionem & exactam discussionem, eam comparare studeas conscientiæ teneritudinem & puritatem, quæ commissos defectus statim sentiat, & fideliter memoriæ suggerat. Deindè assuescès actum contritionis frequentare, & quotidianum examen sic instituere, ac sic statim confiteri deberes. Proxima aliquot actus complectitur: nam primò gratiam efficacem petere debes omnia peccata agnoscendi, detestandi, & emendandi: tum in memoriam revocanda quæcunque ab ultima confessione commissa sunt: Demum de singulis actum doloris elicies cum firmo constantique proposito ab his deinceps abstinendi, & satisfaciendi. Quod si peccata leviora sint, quia omnia corrigere propter humanam fragilitatem difficile est, propones saltem & conaberis, quoties ad confessionem accedis, aliquod ex eis deponere, in quod frequentius labi soles.

## §. III.

### *Modus confitendi.*

QUandoquidem hujus Sacramenti pars essentialis, eaque præcipua est dolor & contritio ob admissa facinora, huic maximè insistes, præmissâ brevi consideratione alicujus motivi ejusdem contritionis, qualia hæc sunt: 1. Gravitas peccatorum, quibus offenditur Deus, cujus bonitas infinita nec levissimè quidem lædenda foret, etiam ob salutem totius mundi. 2. Atrocissima damna, quæ tàm in ista, quàm in altera vita ex peccato oriuntur. 3. Inscrutabilitas judiciorum Dei sæpè ingratos deserentis, & tepidos evomentis. 4. Brevitas & incertitudo temporis gratiæ, quo potest offensa Dei expiari. 5. Memoria æternitatis, ejusque interminabilis durationis. 6. Inæstimabilis dignatio Dei, qui tanta passus est, ut te à peccatis liberaret. 7. Magnitudo beneficiorum tibi à Domino collatorum, pro quibus turpissimum est non te gratum benè vivendo exhibere. 8. Sublimitas æterni præmii, & facilitas mediorum ad illud acquirendum. 9. Infinita amabilitas Dei infinito obsequio propter se dignissimi, quia ipse est summum bonum, qui te amore incomprehensibili prosequitur.

Hæc motiva si attentè consideraveris, facilè poteris summam in te contritionem excitare. Sic autem dispositus ad pedes Confessarii accedes, quasi ad lavacrum sanguinis Jesu Christi, in quo te ab omnibus inquinamentis tuis dealbandum fore confides. Duos ibi Sacerdotes adesse putabis, visibilem unum, alterum invisibilem, qui penetralia cordis intuetur. Ideò humillimè quasi filius prodigus resipiscens benedictionem petes, & gratiam benè confitendi, præmissâque generali confessione actum contritionis renovabis. Tum magnâ interiori & exteriori reverentiâ, quanta Judici solet à reo exhiberi, peccata tua Sacerdoti, qui Christum Judicem repræsentat, confiteberis nudè, sincerè, humiliter, non ex habitu & consuetudine, plorans coram Deo flagitia tua cum rubore & confusione. Dum verò Sacerdos profert verba Absolutionis, iterum actum contritionis elicies, teque à Christo ceu filium prodigum osculo excipi, novâ stolâ ornari, amplexu constringi putabis, additis ab eodem illis verbis, *Remissa sunt tibi peccata tua, jam amplius noli peccare.* Quare gratias ei ages dicens cum Propheta: *Nunc cœpi*, & incipies ab illa hora vitam sanctius instituere.

Post confessionem id quod impositum tibi fuerit pro satisfactione statim persolves, Deoque offeres in unione passionis Christi, & satisfactionem omnium Sanctorum. Deindè examinabis an vera fuerit contritio elicita, an intima cordis penetraverit, an diligentem discussionem præmiseris, an culparum gravitatem agnoscas, an aliquid prætermiseris, an tibi ex ignavia ignoscas, an teipsum arguas, & ad seriò pœnitendum impellas.

## §. IV.

### *Oratio ante Confessionem, & actus contritionis.*

AD te, piissime Jesu, refugium meum & consolatio mea, ad te mœrens & tristis venio recogitans tibi annos meos & delicta mea in amaritudine animæ meæ. Ad te verba doloris effundo misericordiam tuam implorans, ut facias opus tuum, quod est misereri & parcere, tollens peccata mea, quæ sunt maxima miseria mea. Nec despicias voces & singultus ovis perditæ & filii prodigi ad tuam pietatem redeuntis de regione longinqua, non enim lætaris in perditione morientium, qui ut ego non morerer, mortem subire dignatus es. Vermis terræ retribuit tibi mala pro bonis; & heu quot mala & quàm gravia pec-

peccata pro tantis & tam eximiis bonis. Et tamen loqueris ad Sponsam tuam prævaricatricem animam meam, postquam fornicata est cum amatoribus multis, ut revertatur ad te, & suscipies eam, quia misericordia tua super omnia opera tua; & major est bonitas tua, quàm iniquitas mea. Surgo igitur, & venio ad te corde contrito & humiliato; venio ut laver, ô fons æternæ vitæ, ad quem sitio sicut Cervus ad fontes aquarum: venio ut illuminer, ô lux mea, & amem te, & confitear adversum me injustitiam meam. Emitte lucem tuam & veritatem tuam, & illumina mentem meam, ut omnia mala mea, quæ commisi, & bona quæ omisi distinctè cognoscam, & integrè confitear; nec me permittas computrescere in sordibus meis, tu qui omnium misereris, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Fac me assueta mala relinquere, & tibi placitis operibus occupari, ut ubi abundavit delictum, tua gratia superabundet: & sicut fuit sensus meus ut errarem à te, decies tantùm iterum conversus requiram te. Doleo benignissime Jesu, de omnibus & singulis peccatis meis, eaque detestor super omnia mala, non solum arido & imperfecto corde meo, sed corde etiam & affectu omnium verè pœnitentium, ex gratuito tui amore, quia Deus es infinito amore dignissimus, firmiterque propono quælibet potius subire mala, quàm iterùm peccato consentire. Exactissimè item confiteri volo, tibique & proximo integrè satisfacere, atque omnes peccandi occasiones deinceps evitare. Quidquid verò mihi deest, suppleat mors tua, sanguis tuus, & superabundantia merita tua, quibus fretus veniam obtinere spero, & gratiam mores meos corrigendi, & in bono usque ad finem perseverandi. Et nunc, Domine, qui dedisti mihi cognoscere flagitia mea, perfice contritionem meam, & perduc ad finem satisfactionem meam. Ure me igne amoris tui, & separa à me quidquid displicet Majestati tuæ. Purifica omne quod tibi placet in me, ut in te vivam non in me; & in te moriar ac propter te, Salvator meus. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

## §. V.

### *Oratio post Confessionem.*

GRatias ago tibi Domine Pater & dux vitæ meæ, quia non secundùm peccata mea fecisti mihi, sed superexaltasti misericordiam judicio, & projecisti in profundum maris omnia delicta mea. Atque utinam possem tantam in me contritionem excitare, quantam habuerunt pro peccatis suis Sanctus Propheta David vir secundùm cor tuum, S. Petrus Princeps Apostolorum, ac reliqui pœnitentes: quàm libenter totus in lacrymas diffluerem, donec lavarentur iniquitates meæ, & ostenderes mihi placatum vultum tuum! Sed facta est anima mea sicut terra sine aqua tibi; & aruit sicut testa virtus mea: cumque omni virtute destitutus sim, hoc solum habeo residui, ut oculos meos extollam ad Redemptorem meum, ejusdem lacrymas offeram tibi, quas ille pro me uberrimè effudit, ut iis placatus aperias mihi januas misericordiæ tuæ, & suscipias me servum fugitivum venientem ad te, & ab inimicis fugientem. Respice in me, & miserere mei, Domine patiens & misericors, loquere ad petram cordis mei, & percute virgâ virtutis tuæ, ut fluant aquæ compunctionis, aquæ salutares, quibus sanabitur & dealbabitur anima mea. Confirma hoc quod operatus es in me, tibique grata & accepta sit confessio mea, atque omnem ejus defectum suppleat pietas & misericordia tua. Misericordiam tuam imploro, & veniam postulo cum inviolabili proposito deinceps non peccandi, & studio virtutum sedulò incumbendi, te mihi vires subministrante, qui non deseris sperantes in te. Ne patiaris me diutiùs vagari post vanitatem vitæ hujus, transeunt enim dies & dies, anni & anni, & ecce nihil proficio. Convertere ergò & deprecabilis esto super me indignissimum servum tuum, & noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum: nam si ego commisi, unde me damnare potes, tu non amisisti unde me salves, & recipias in gratiam tuam, Deus meus, adjutor meus. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

## §. VI.

### *Directio intentionis ante Missam.*

DEus Cæli & terræ infinitè amabilis, & omnium bonorum fons indeficiens, ego N. omnium notarum miserrimus peccator, Ecclesiæ tuæ Minister indignissimus, ante thronum

gloriæ tuæ humi provolutus, quàm maximo possum amoris, reverentiæ, & devotionis affectu, volo & intendo hodie Sacrosanctum Missæ Sacrificium altissimæ Majestati tuæ, cui soli debetur, juxtà ritum S. Romanæ Ecclesiæ offerre, & ex nunc offero, unà cum omnibus sacrificiis tibi placitis, quotquot à principio mundi oblata sunt, & usque ad finem offerentur: simulquè pretium sanguinis, & cunctos labores ac cruciatus Redemptoris nostri, omnia merita Sanctissimæ & immaculatæ Genetricis ejus; omnium Sanctorum virtutes, totiusque militantis Ecclesiæ laudes & preces. In unione illius admirabilis sacrificii, quod idem Unigenitus tuus ultimâ Cœnâ instituit, & in Cruce consummavit factus Sacerdos suæ victimæ, & victima sui Sacerdotii: affectu ac nomine ejusdem, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ, & omnium mecum quocunque modo offerentium: ex puro tui amore ac desiderio tui beneplaciti semper & in omnibus perficiendi. Ad tuam maximam laudem, & cultum, & gloriam: in protestationem supremæ tuæ excellentiæ, Dominii tui in omnes creaturas, & nostræ subjectionis & dependentiæ à te: in cultum latriæ tibi soli debitum, simul cum adorationibus tibi gratissimis ejusdem Christi Filii tui, B. Virginis omniumquè Angelorum & Sanctorum. In memoriam vitæ, passionis, & mortis præfati Domini nostri, & in obedientiam ejusdem mandati, quo præcepit, ut idem in ejus commemorationem faceremus. Ad honorem & augmentum gloriæ Deiparæ Virginis, omnium Angelorum & Sanctorum, eorum præsertim quorum hodie festivitas celebratur. In gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis, quæ mihi indignissimo peccatori, cunctisque hominibus, & omni creaturæ conferre dignatus es. In propitiationem & satisfactionem pro peccatis totius mundi, & pro meis specialiter, de quibus doleo, quæque detestor & abominor super omne detestabile, quia tibi maximoperè displicent cum firmo proposito emendationis. Et quia hoc sacrificium vim impetratoriam infinitam habet, offero illud pro meis, & omnium viventium, ac defunctorum necessitatibus: & primò quidem fructum quem possum & debeo illi principaliter applico; pro quo celebrare intendo, & si fortè contingat eum non indigere, vel non esse capacem, opto & volo hunc fructum ad N. derivari: cum applicatione Indulgentiarum mihi vel tali defuncto. Secundariò autem sine ejus præjudicio, pro quo offerre primariò teneor vel intendo, offero pro omnibus mihi peculiariter commendatis, pro N. & N. pro tali gratia obtinenda, & pro cunctis viventibus atque defunctis, pro quibus me indignum famulum tuum legatione apud te fungi voluisti, ut defunctis requiem indulgeas vivisque gratiam concedas tibi serviendi, & in amore tuo usquè in finem perseverandi. Amen.

## §. VII.

### *Deprecatio pro omnium necessitatibus.*

MEmento Domine per viscera misericordiæ tuæ, per merita Filii tui, quem pro nobis oblatum nunc denuò offero, per merita B. Virginis, & omnium Sanctorum, memento Ecclesiæ tuæ, Sponsæ tuæ, auge in ea puritatem fidei, & munditiem sanctitatis, & labore virorum Apostolicorum dilata eam toto orbe terrarum. Conserva eam quietam & tranquillam, & portæ inferi non prævaleant adversus eam. Hostium ejus elide superbiam; & gentes à fide alienas veritatis tuæ spendore collustra, ne pereant tot imagines tuæ, pro quibus pretiosus Filii tui sanguis effusus est. Da summo Pontifici nostro N. cor docile, da Spiritus Sancti abundantiam, ut populo sibi commisso verbo & exemplo præluceat. Intende oculos pietatis tuæ in universos Ecclesiæ Præsules & Pastores, & fac eos super gregem sibi commissum fideliter excubare. Adesto Parochis & Presbyteris, & omni Clero, ut nulli præbeant scandali occasionem, diligant puritatem, & ea sequantur quæ pacis sunt. Esto propitius omnibus Religiosis, quos separasti tibi in hæreditatem de universis populis terræ: da illis continuum in virtute profectum, votorumque ac regularum exactissimam observantiam. Da huic domui bonorum temporalium sufficientiam, & spiritum excita in Prælatis nostris, & in cunctis fervorem accende. Suscita in Ecclesia tua strenuos operarios, qui eam verbo fideliter pascant, & exemplo confirment. Da eis rectam mentis intentionem, zeli sinceritatem, contemptum sui, animi robur, virtutis constantiam. Effunde miserationes tuas, Domine Princeps Regum terræ, in omnes Reges & Catholicos Principes, eisque tribue in obedientia Fidei & Ecclesiæ perseverantem fa-

famulatum, subditorum curam, justitiæ zelum, mutuam pacem, & observantiam mandatorum tuorum. Tuum etiam auxilium cunctis Magistratibus præbe, ut pacatâ gubernatione subjectos regant, te in omnibus judiciis suis timeant, tibique jugiter placere contendant. Da omni statui Ecclesiæ abundantiam gratiæ tuæ, ut unusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, tibi dignè & laudabiliter famuletur. Da Virginibus castitatem, Deo dicatis continentiam, conjugatis sanctimoniam, pœnitentibus indulgentiam, viduis & orphanis sustentationem, pauperibus protectionem, peregrinantibus reditum, navigantibus portum: justis perseverantiam, bonis ut meliores fiant, tepidis ut ferveſcant, malis & peccatoribus, qualem me dolens esse confiteor, ut convertantur. Conserva Cælum in salubritate, terram in fertilitate, fructus in maturitate, mundum in providentia omni ex parte sufficienti. Respice omnes ægrotos, afflictos, tentatos, agonizantes, & in aliquo periculo vel necessitate constitutos, & da illis auxilium, remedium, consolationem, prout expedit ad gloriam tuam, & illorum salutem. Supplex item oro te, benignissime Deus, pro omnibus inimicis meis, quos intimè diligo: pro iis, qui me offenderunt, vel quos ego offendi aut scandalisavi, ut eis in omnibus benefacias, & pectora eorum sancto igne tuæ charitatis succendas. Miserere omnium pro quibus orare debeo, vel qui se commendaverunt indignis orationibus meis, omnium præcipuè consanguineorum, affinium, amicorum, & benefactorum meorum N. & N. Exaudi preces & vota ipsorum, & subveni eorundem ad te clamantium necessitatibus. Oro te quoquè pro tali re & negotio N. N. ut felicem exitum sortiatur, si saluti nostræ profuturum esse cognoscis. Memento etiam Domine Rex æterne, cui omnia vivunt, animarum omnium fidelium defunctorum, præsertim N. & N. super quas invocatum est nomen tuum. Extingue earum ardorem optato rore misericordiæ tuæ, & citò purgatas in conspectu tuo admitte. Pro meipso tandem infelicissimo peccatore clementiam tuam humillimè imploro, ut per virtutem hujus Sacrificii universa peccata mea dimittas mihi, quæ multiplicata sunt super numerum arenæ maris. Audi sanguinem Filii tui altius clamantem quàm sanguis Abel, & in virtute hujus oblationis miserere servi tui, secundùm magnam misericordiam tuam. Dirige me in via tua, & doce me facere voluntatem tuam. Auge in me fidem, spem, charitatem, & reliquas virtutes statui meo necessarias. Da terrena despicere, & amare cælestia. Posside me jugiter secundùm beneplacitum tuum, ut te in omnibus & ubique inveniam, donec per felicem mortem ad te merear pervenire. Amen.

## §. VIII.

### *Specialis oblatio Sacrificii quatenus est Latreuticum.*

SAncta Trinitas unus Deus, rerum omnium principium & finis, cujus potentia, sapientia, bonitas, & magnitudo incomprehensibilis est, toto corde & corpore prostratus adoro te; tibiquè hodie sacrificium offerri intendo Corporis & Sanguinis Domini mei Jesu Christi purè propter te, ad majorem tui gloriam, in protestationem supremi dominii tui in omnes creaturas, & nostræ subjectionis ac omnimodæ dependentiæ à te: in recognitionem infinitæ tuæ perfectionis, beatitudinis & gloriæ, omniumquè operum tuorum, quæ summoperè gaudeo à nulla creatura dignè posse æstimari, nisi à te Pater omnipotens, æterne Deus, & ab Ungenito tuo Salvatore nostro, qui tecum & cum Spiritu Sancto unus est Deus, unus est Dominus: quem ideò tibi in Sacrificium laudis offero tuâ infinitâ majestate dignissimum, in cultum latriæ tibi soli debitum, cum omnibus obsequiis, laudibus & adorationibus, quibus te olim glorificavit in terris: unà cum meritis, laudibus, & adorationibus Beatissimæ Virginis Mariæ, omniumquè Angelorum, & Sanctorum. Quis enim ego sum vermiculus terræ, & opprobrium hominum, ut audeam faciem meam levare ad te, & aspicere altitudinem Cæli? Christi igitur Filii tui, & omnium electorum meritis onustus accedo ad te, eorumquè nomine & affectu abjicio me corpore & spiritu ante thronum Divinitatis tuæ, ut intelligat universus orbis, me esse opus manuum tuarum, & tanquam nihilum ante te. O quàm gratum & jucundum mihi foret, per omnes undique regiones omnes homines videre in genua provolutos te adorare! Sed quia plerique te non cognoscunt, vel cognitum non venerantur, pro his quoque te adoro, tequè humillimè deprecor, ut hanc oblationem Filii tui suscipere digneris in supplementum peccatorum & blaspheſ-

blaſphemiarum, quibus perditi mortales te offendunt, ſive in terra, ſive in inferno. Tibi gloria in ſecula. Amen.

## §. IX.

*Oblatio Sacrificii quatenus eſt Euchariſticum.*

GRatias ago tibi Domine Deus omnium bonorum fons & origo, pro maximis & innumerabilibus beneficiis tuis, pro quibus omnibus & ſingulis infinita tibi & interminabilis gratiarum actio ſingulis momentis temporis & æternitatis deberetur; ſed quia minor ſum ſine ulla comparatione minimo beneficiorum tuorum, nec ulla creatura reperiri poteſt, quæ tuæ inexhauſtæ bonitati dignas valeat referre gratias: Unigenitum Filium tuum tibi unicè dilectum divinæ majeſtati tuæ in ſacrificium euchariſticum humillimè offero, unà cum omnibus obſequiis, laudibus, & gratiarum actionibus ipſius ac Beatiſſimæ Matris ejus, omniumque Sanctorum & electorum tuorum. Specialiter autem gratias tibi hoc ſacrificio perſolvere intendo ex totis præcordiis meis propter magnam gloriam tuam, proque omni gaudio quod tu teipſo beatus intra te percipis perenni & interminabili fruitione ex æterna generatione Filii tui; & à te atque ab eo proceſſione Spiritus Sancti, & ex perfectionibus tuis, quarum non eſt numerus, & quas nemo comprehendere poteſt. Pro omnibus item miſericordiis & mirabilibus tuis, quæ per Filium tuum extra te operatus es, & ſemper operaberis. Pro ejuſdem Incarnatione, & pro inexhauſtis ſapientiæ, ſcientiæ, meritorum, & gloriæ theſauris, quos in ſanctiſſima ejus Humanitate abſcondiſti: proque illa ſingulari pietate, quâ eum mihi in Patrem, ac Doctorem; in Ducem ac Redemptorem conceſſiſti; & pro omni fructu vitæ, paſſionis & mortis ejus. Pro immenſis gratiarum opibus, quas Beatiſſimæ ejuſdem Genitrici Virgini Mariæ contuliſti, quam mihi quoque in parentem, advocatam, & protectricem largiri dignatus es: pro ejus electione, immaculata conceptione, admirabili maternitate, glorioſa in cælum aſſumptione, omnique gratia, & gloria, quâ illam in terra & in cœlo honorificaſti: & pro omnibus beneficiis, quæ ipſâ intercedente toti terrarum orbi, ejuſque devotis clientibus contuliſti & conferes in perpetuum. Pro innumerabilibus Angelorum exercitibus, quorum numerum tu ſolus noſti, qui eos creaſti prærogativis ſingularibus exornatos ad tui gloriam & noſtrum ſubſidium. Pro eximiis donis, quibus Sanctos & electos tuos cumulaſti, illos præſertim quos hodie S. Eccleſia veneratur, quorum meritis & doctrinâ ipſam Eccleſiam ædificaſti, hæreſes & ſchiſmata contriviſti, & omnes fideles illuminaſti. Pro maximo gratiarum munere, quibus eos reples, quos ad apicem perfectionis efficaciter trahis, & ad dulciſſimam familiaritatem tuam admittis, pro inexplicabili patientia, quâ peccatores toleras, ad te invitas, & auxilia illis neceſſaria ſuppeditas ut convertantur. Pro ſingulis beneficiis, quæ omnibus viatoribus, amicis & inimicis meis, fidelibus & infidelibus, cunctiſque creaturis ſenſibilibus & inſenſibilibus contuliſti. Pro gratiis datis ad Eccleſiæ utilitatem, quas licèt non omnes ſingulis dederis, dediſti tamen ut ſint in omnibus, ut quod ſinguli in ſe non habent, in aliis habeant; ſpiritus enim tuus dividit ſingulis prout vult. Pro infinito amore, quo me proſequutus es, eligens me ante mundi conſtitutionem, ut ſim ſanctus & immaculatus in conſpectu tuo: quodque tempore præfinito ex abyſſo nihili eduxeris me, & naſci feceris in Eccleſia tua, extra quam non eſt ſalus. Quod me dono tuæ gratiæ per baptiſma ditaveris, & animam meam præclariſſimis virtutum habitibus exornaveris: quod perpetuò aſtitiſti mihi conſervans me, & præſervans à multis periculis & adverſitatibus admirabili tuâ providentia: quod Angelum ad mei cuſtodiam deputaveris, qui perpetuus cogitationum, & operationum mearum inſpector eſt, dirigens me occultis inſpirationibus ad ſalutem. Pro maxima miſericordia, quâ me redemptum pretioſo Sanguine Filii tui è ſæculo nequam eripuiſti, & cùm in peccatis jacerem, excitaſti illuſtratione tuâ, & vocaſti in admirabile lumen tuum in locum ſanctificationis, diſſimulans peccata mea propter pœnitentiam. Pro ſublimiſſima Sacerdotii dignitate, ad quam me prorſùs immerentem evexiſti: & pro multis præclariſſimis donis naturæ & gratiæ, quæ mihi ſingulariter contuliſti. Quod mihi tot media ad ſalutem, torque virtutis inſtrumenta ſuppeditaveris, quod toties me cuſtodieris ne peccarem, occaſiones ſubtrahens, & pravas ſanans affectiones: quod, cum aliquando me tentari permiſiſti, vim tamen & fortitudinem reſiſtendi miſericorditer tribuere dignatus ſis, præveniens

veniens me in miserationibus tuis. Quòd victum & vestitum, & alia necessaria ad decentiam status mihi copiosè præbueris: quòdque omnia propter me regere & conservare non desinas. Quod, ut validius me traheres ad te, aliquot mihi corporales ægritudines, angustias animi, & adversitates immisisti, ac mirabili vicissitudine consolationum & desolationum erudis me, ne in prosperis extollar, aut in adversis deficiam. Quod per viam mandatorum tuorum deduxeris me, dans scire, velle, & operari quod bonum est; ut per bona opera certam faciens, te adjuvante, vocationem meam præparatâ electis tuis gloriâ perfruar in æternum. Hæc & alia multa fecisti mihi Domine Deus meus, vita & dulcedo animæ meæ, de quibus optabile mihi foret semper loqui, semper cogitare, semper tibi gratias agere, sed imperfectum meum viderunt oculi tui. Quis enim ego sum filius iræ, & abyssus tenebrosa, ut tantis beneficiis par esse possim? Calicem igitur salutaris accipiam, & hoc tibi sacrificium pro me & omnibus immolabo, ut de perceptis hâc dignissimâ victimâ gratias exhibentes beneficia potiora sumamus. Amen.

## §. X.

### *Oblatio Sacrificii quatenùs est propitiatorium.*

PRocido coram te, Domine, cum tremore & rubore gravissimâ onustus flagitiorum meorum sarcinâ: nec mea solùm, sed & totius populi peccata coram te porto, quia me pro omnibus legatione fungi jussisti, ut, quod illi pro se non possunt, ipse tanquam mediator merear impetrare. Sed quâ fiduciâ pro culpis alienis intercessor veniam servus nequissimus innumerabilium scelerum reus, qui pro tot beneficiis à te susceptis, gravissimas tibi injurias & offensas retribui, bonitatem tuam contemnens, & justitiam vilipendens? Iniquitates meæ diviserunt inter me & te, & peccata mea absconderunt faciem tuam, ne exaudires. Verumtamen ecce revertor ad te dolens & mœrens quod offenderim te: & quia nullum extat pretium, quo infinitæ bonitati tuæ offensæ condignè satisfacere valeamus, nisi pretium Sanguinis dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi, ipsum tibi offero hostiam placationis sufficientissimam pro meis ac totius mundi peccatis, ut mihi, & N. N. atque omnibus peccatoribus veram contritionem concedas, meque & illos à reatu pœnarum misericorditer absolvas, per acerbissimam passionem & mortem ejusdem Filii tui, quem semel in Cruce oblatum nunc denuò offero. Ibi enim invenio meritorum ejus mare magnum & spatiosum, quo demergantur omnia peccata nostra: ibi infinitum satisfactionum thesaurum, quo omnia debita nostra remissione obtentâ expurgantur. Esto itaquè placabilis super multitudinem iniquitatum nostrarum, & audi Sanguinem Flii tui clamantem ad te non vindictam, sed veniam & misericordiam. Attende Domine, & ignosce dolentibus & pœnitentibus. Da gratiam emendationis, & in bono perseverantiam, & cantabimus laudes tuas in sæcula sæculorum. Amen.

## §. XI.

### *Oblatio Sacrificii quatenus est impetratorium.*

QUia inaccessibili tuâ pietate & misericordiâ, me indignissimum famulum tuum legatione fungi apud te voluisti pro omnibus hominibus, vivis & defunctis, offero tibi, clementissime Pater, hoc tremendum sacrificium, quod vim impetratoriam infinitam habet, pro singulorum necessitatibus & indigentiis, ut per passionem & mortem Jesu Christi Salvatoris nostri, eorum voces & singultus misericorditer audire, & partem aliquam auxilii tui singulis largiri digneris. Attende itaque, & exaudi pro singulis deprecantem, nec avertas faciem tuam à me propter innumerabilia peccata mea, non enim in justificationibus meis, sed in persona Ecclesiæ tuæ, & tibi unicè dilecti Filii tui ad te loqui præsumo. Miserere omnium quos fecisti, Domine, & reple eos scientiâ ac fide tua, ut laudent cum hæreditate tua. Da omnibus fidem vivam, & ardentissimum in te amorem, & ne claudas ora canentium te. Effunde misericordiam tuam in gentes quæ te non noverunt, Turcas, Mauros, Idololatras, Judæos, Hæreticos, Schismaticos, obscurâ nocte infidelitatis sepultos; vindica eos ab erroribus, & illumina corda illorum, ut te cognoscant, &

Jesum Christum, quem misisti. Dissipa consilia impiorum, ne quidquam officiant regno tuo, & propagationi gloriæ tuæ; & libera fideles tuos de manibus filiorum alienorum. Sanctifica Ecclesiam tuam, quam plantavit dextera tua: aufer ab ea omnia scandala, dissensiones & schismata; ut tandem aliquando fiat unum ovile, & unus Pastor. Da Summo Pontifici nostro, cunctisque Prælatis, ut oves sibi commissas fideliter pascant fructu orationis, exemplo bonæ conversationis, verbo prædicationis, subsidio charitatis. Sit perpetua in illis oneris sibi impositi consideratio, & Sacerdotio fungantur sine reprehensione. Reforma omnes Ecclesiasticos ordines, ut & ipsi luceant coram hominibus, sitque in eis virtutum decus, splendor sanctitatis. Reduc omnes Religiones ad fervorem & perfectionem, in qua fuerunt institutæ, da superioribus zolum disciplinæ, subditis obedientiam, ut professione suâ omnes digni inveniantur. Da prædicatoribus vocem virtutis, ut è cœno peccatorum quàm plurimos educant, & ad timorem & amorem tuum perducant. Illumina sapientiâ tuâ omnes Reges, & Principes, cunctosque Magistratus, ut subditis sibi populis justitiam fideliter administrent, pacem diligant, Ecclesiam venerentur, mandata tua custodiant, & de hostibus sanctæ fidei te protegente triumphent. Defende fideles tuos à fame, peste, & bello, à persecutionibus & calumniis, à cunctis periculis & adversitatibus, ab omni necessitate corporali & spirituali, ab omni angustia & calamitate: & illos adjuva quos affligi & tribulari permisisti, ut omnes sibi misericordiam tuam sentiant adfuisse. Ne sinas eos labi, qui in periculo & occasione peccandi versantur: eosque conserva quos gratiæ tuæ pretiosissimo munere locupletasti. Adesto agonizantibus, ut verâ contritione purgati & amore tuo succensi diaboli insidias evadant, & à damnatione perpetua liberentur. Memento tot miserabilium peccatorum, qui in foveam peccati mortalis infeliciter lapsi, sine ope tua inde emergere non possunt, & da illis auxilium efficax, ut surgant & resipiscant. Omnibus item inimicis nostris charitatem & dulcedinem tuam benignus infunde; & libera nos à malorum insidiis. Da illis, quos ego offendi aut scandalizavi, veniam peccatorum & veram emendationem. Omnes autem amicos & benefactores, consanguineos & affines nostros illustra gratiâ tuâ, succende amore tuo, ut te solum quærant, te solum diligant, omnique tempore opera illorum plena inveniantur in oculis tuis. Da huic Congregationi, ad quam me vocare dignatus es, bona spiritualia & temporalia, nosque & illa administra & dirige, ut cultus tuus & animarum salus hîc semper vigeat, crescat, & perseveret. Custodi omnes mihi commissos & commendatos, & pro quibus orare debeo, præcipuè verò N. & N. rege, & salva eos juxta beneplacitum tuum, ut nemo ex illis pereat. Succurre omnibus, pro quibus me orare tu vis, & ego nescio: protege servos tuos omnes, qui te maximè diligunt, quamvis eorum numerum & nomina ignorem; justis autem tepidis & imperfectis auge fidem, spem, charitatem, auge fervorem, ut ad culmen perfectionis citò perveniant. Respice benignis oculis animas in Purgatorio detentas, illas præsertim, quæ suffragiis nostris magis indigent, & da illis requiem sempiternam. Mei denique memento omnium miserrimi & indignissimi, qui gratiæ tuæ auxilio tantò majori præ cæteris egeo, quantò infirmior sum & impotentior. Extingue in me omnia terrena desideria, & ignem tui amoris accende. Dirige me in veritate tua, & da finalem perseverantiam, Per Christum Filium tuum, cui tecum & cum Spiritu Sancto est laus & honor in sæcula sæculorum. Amen.

## §. XII.

### *Actus diversarum virtutum ante Missam.*

### FIDEI.

QUis mihi det, suavissime Jesu, ut sub candido specierum Sacramentalium velamine vultum tuum intueri possim, in quem desiderant Angeli prospicere? Quis mihi det, ut pateant mihi fontes saluberrimi quinque vulnerum tuorum, quæ oculis fidei in tuo corpore cerno, fontes aquarum viventium in ablutionem peccatricis animæ meæ? O venæ salientes in vitam æternam, effundite super me aquam gratiæ, quæ sitim meam satiet, ut gaudio repletus, & fide vivâ imbutus exclamen cum Thoma Apostolo, *Deus meus & Dominus meus.* Credo enim firmissimâ fide te in augustissimo Sacramento corporis & sanguinis tui verè præsentem esse Deum meum, & Dominum meum; & pro hac

hac assertione millies mori paratus sum. Credo, inquam, quod in hoc Sacramento corpus tuum glorioſiſſimum verè adeſt, Sole ſplendidius, electum ex millibus, cum ea integritate, pulchritudine, majeſtate, quâ in Cælo exiſtit, & quâ nulla major concipi poteſt. Ibidem eſt ſanguis olim pro noſtra omniumque ſalute effuſus. Ibi eſt anima omni gratiâ & ſapientiâ plena, in qua ſunt omnes theſauri virtutum & ſcientiæ Dei. Ibi denique latet Divinitas tua, Verbum ſcilicet omnipotens, per quod Pater dicit omnia: & quia tu in Patre, & Pater in te eſt, adeſt etiam Pater te Verbum ſuum generans; adeſt & Spiritus Sanctus utriuſque nexus & amor. Hoc eſt compendium omnium mirabilium tuorum, hoc ſummum prodigium, omnium creatarum mentium captum excedens, hæc veritas infallibilis, quam te largiente per gladios & ignes profitebor.

## SPEI.

IN te ſolo ſpem meam colloco, dulciſſime Jeſu, quia tu ſalus & virtus mea, tu refugium & firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. Quomodo enim auderem hoc tremendum Sacrificium Deo Patri offerre, teque in eo ſuſcipere, niſi fiduciam tu mihi præberes, qui me tuo ſanguine redemiſti? De tua igitur benignitate confiſus accedo ad te, ut ovis morbida ad Paſtorem, ut infirmus ad Medicum, ut reus morti obnoxius ad Advocatum; ut tu me foveas, protegas, corrobores, & ſanes. Abyſſus nihili mei abyſſum invocat bonitatis tuæ, nam licèt peccata mea plurima & graviſſima ſint, ea tamen nihil ſunt, quamvis plura & graviora forent, ſi cum miſericordia tua, & pretio ſanguinis tui conferantur. In ipſo repoſita eſt tota fiducia mea, & gaudeo quod nihil in me ſit, in quo poſſim confidere. Miſerere mei, & ſalva me, qui nunquam deſeris ſperantes in te.

## CHARITATIS.

O Quanta vis amoris cor tuum ſuccendit, amantiſſime Jeſu, cum tranſiturus de hoc mundo ad Patrem menſam parâſti nobis habentem omne delectamentum, & omnem ſaporem ſuavitatis. Grande quidem fuit & admirabile opus amoris tui, quod naturam noſtram aſſumere dignatus ſis; ſed longè præſtantius & mirabilius eſt, quod corpus tuum in cibum, & ſanguinem in potum reliqueris: in illo ſiquidem noſtram ſuſcepiſti humanitatem, in hoc tuam largiris Divinitatem. Sic totum theſaurum gratiæ tuæ in nos effudiſti, ut immenſa hâc dilectione præventi amoris vicem tibi rependere totis viribus ſatagamus. Amo itaque te unicum meum ſolatium in hoc exilio, unica ſpes languentis animæ, unica mea felicitas, & ſummum bonum quo in terra frui licet. Amo te toto corde, totâ mente, totâ virtute: atque utinam omni momento te ferventius ſemper amarem! Hoc eſt ardens deſiderium meum, huc feruntur gemitus mei, & ſuſpiria cordis mei. Ad te enim trahis omnes vires animæ meæ, dum teipſum transfundis in me: dum, quantum fieri poteſt, me ſimilem tui facis: dum eſurientem animam meam non cibo aliquo terreno, ſed pretioſo corpore & ſanguine nutris, ſatias, & ſaginas. Pro hac tua ineffabili largitate amo te, Deus meus, & nunquam ceſſem amare te, amorem meum teipſo inflamma, qui eſca & pabulum amoris es. O ignis jugiter ardens, & nunquam deficiens, ure renes meos & cor meum, ut ardeant amore tui. Ignem veniſti mittere in terram, accende illum & eventila, ut ſemper creſcat. Te enim amabo, ſi amandi vires præbueris, & eò amplius amabo, quò uberiorem amandi gratiam infuderis: nunquam tamen te amabo, ut dignus es.

## DESIDERII.

QUemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te, Salvator meus Domine Jeſu: deſiderat, inquam, anima mea accedere ad te, teque offerre Deo Patri, ac de fontibus ſalvationis tuæ vinum lætificans in gaudio haurire. Sitio enim Domine, laſſatus in via iniquitatis, ſitio te Deum meum venam aquarum viventium, ſitio ſanguinem tuum, quem mihi in potum mirabiliter tribuiſti. Ad te venio, & clamo poſt te, liberator meus, eſuriens & ſitiens: miſerere mei Fili David, & da mihi panem tuum, da vinum quod miſcuiſti, ut refocilletur anima mea. Atque utinam poſſem omnium Sanctorum affectus & inflammata deſideria habere, teque ſemper ſitire fontem vitæ, fontem ſapientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis.

Utinam te semper esuriat cor meum panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum; & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Renuit consolari anima mea, donec suscipiam te omne bonum meum, Domine Jesu, quem solum ardentissimè concupisco cum omni affectu & devotione omnium electorum tuorum tecum epulantium in mensa tua, quorum divitias offero tibi in supplementum inopiæ meæ. Esto tu solus gaudium meum, tranquillitas mea, refectio mea, & thesaurus meus, in quo mens mea quiescat. Nihil desiderem extra te, & omnia mihi vilescant præter te, Deus meus dulcedo mea, & unicum centrum cordis mei!

## *GRATITUDINIS.*

Quis sum ego, bonitas infinita, ut me sacris altaribus astare volueris, tibique offerre de donis tuis sanctum sacrificium, hostiam immaculatam? Unde inveni hanc gratiam in oculis tuis, ut ostenderes in me divitias misericordiæ tuæ? Venite & audite omnes Angeli & Sancti Dei, & narrabo vobis, quanta fecit Dominus animæ meæ. Nam cum essem abjectus in domo mea, de pulvere erexit me, & constituit me cum Principibus populi sui ut comederem panem & biberem vinum in mensa sua omnibus diebus vitæ meæ. Quæs ergo tibi gratias agam, Clementissime Jesu, Salvator Mundi, aut quid retribuam tibi pro omnibus quæ tribuisti mihi? Verè enim de te sponso Ecclesiæ illud Canticorum intelligitur. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Tu omnia quæ habes mihi largitus es, corpus, sanguinem, animam, & divinitatem tuam: & si ego tribuam tibi omnem substantiam domus meæ, corpus, animam, & libertatem cum omnibus, quæ nunc habeo vel habere possum, hoc quasi nihilum reputabitur comparatione immensi, & inæstimabilis doni tui. Tantum tibi debeo, quantum ipse vales, qui infinitus es: quare debitum meum omnem meam facultatem excedit. Audeo tamen rogare te, quia benignus, & misericors es, & tu nosti paupertatem meam, audeo rogare te, ne despicias munusculum, quod tibi offero in simplicitate cordis mei dicens cum sponsa, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Nam sicut tu totum te mihi tradidisti in nutrimentum animæ meæ; ita ego me totum servituti tuæ consecro, & quidquid habeo, quidquid sum; quidquid possum, tibi penitus trado, ut me totum tibi vendices, nec quicquam mei mihi patiaris superesse.

## *TIMORIS.*

Ad mensam convivii tui à te vocatus & invitatus, Domine Jesu, summum bonum meum & felicitas sempiterna, parere quidem vocanti vellem, teque amanter & devotè suscipere; sed contremisco valdè, cum meam intueor fœditatem, contremisco à voce Apostoli tui dicentis: Si quis manducaverit panem hunc & biberit calicem Domini indignè; reus erit corporis & sanguinis Domini. Mira enim res est, & portento simillima. Pascor cælesti Pane, quo saturari possunt infiniti mundi: potor præclarissimo vino, quo ardentissima Angelorum sitis extinguitur; & fame ac siti aresco: omne Cæli gaudium intus fero, & terræ illecebris irretiri non desino, vanaque solatia à creaturis emendico: ad Deum excelsum, fontem omnium bonorum quotidiè accedo, & sub specie panis & vini ipsum quotidiè sumo; & non solùm non rapior cum Paulo in tertium Cælum, sed terræ totus adhæreo, omnisque mea solicitudo terræ famulatur & corpori, nulla Cælo. Hæ sunt angustiæ, quæ me undique premunt, hæc consternatio mea magna nimis. Vereor enim, ne, quod in salutem constituisti, in judicium & condemnationem accipiam. Nunquid ergò fugiam à facie tua cum impio Cain, aut abscondam me cum Adamo, eò quod nudus sim, & audierim vocem tuam? Absit. Scio enim, quia major est misericordia tua, quàm miseria mea: major est clementia tua, quàm iniquitas mea. Si fœdus, si infirmus, si nudus sum, tu me potes mundare, sanare, vestire. Ad te igitur cum timore & tremore confugio, ut me vestias, sanes, & purifices. Abstrahe cor meum à cæteris omnibus extra te, in quibus nihil est nisi vanitas & afflictio spiritus. Sentiat mens mea dulcedinem præsentiæ tuæ: gustet quàm suavis es, ut amore tuo capta nihil quærat extra te, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

*HUMI-*

## *HUMILITATIS.*

IMmense, tremende, potentissime, & incomprehensibilis Deus, quis es tu, & quis sum ego, ut digneris venire ad me, mecum epulari, & mansionem apud me facere? Heu quanta est dignatio tua, quanta miseria & ingratitudo mea? Tu Rex Regum, & Dominus dominantium, qui respicis terram, & facis eam tremere: tu fons sanctitatis, coram quo Angeli non sunt puri: tu Sol claritatis æternæ, qui lucem habitas inaccessibilem: ego verò animal immundum, omnium calamitatum ludibrio expositum, insanis perturbationum motibus agitatum: omni vanitati subjectum, vas contumeliæ, filius iræ, & tenebrarum. Et quomodo potest lucis tuæ ad tenebras meas esse conventio? Quomodo præsumam ad te accedere vermiculus terræ, in quo nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat? Quâ fiduciâ coram te apparebo, justissime Judex, ante cujus conspectum columnæ Cæli contremiscunt? Longè enim recessi à te, qui tamen ubique es, & miserabilis anima mea, quam tibi in baptismate desponsaveras, fornicata est cum amatoribus multis, te repudians Creatorem & Redemptorem, ut fallacibus creaturis adhæreret. Tu me segregasti ex utero matris meæ, & vocasti per gratiam tuam, ut lucerem coram hominibus doctrinæ & vitæ splendore: ego verò in tenebris vixi, non sapiens quæ tua sunt, sed quæ super terram. Tu parasti mihi mensam in dulcedine tua, & suspiravi ad ollas carnium Ægypti. Tu potasti me sanguine tuo, & converti me ad poculum Babylonis. Verumtamen ego loquar ad te, cùm sim pulvis & cinis. Respice servum tuum, & suscipe me, quem tam amanter invitas ad te. Jam enim cognovi, quia sine te nihil sum, nihil possum: & extra te non est salus nec vita. Projice ergò post tergum tuum omnia peccata mea, & amplectere me, quamvis indignissimum gratiâ tuâ, ad te revertentem, juxta verbum Prophetæ tui dicentis: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

## §. XIII.

### *Commemoratio Dominicæ Passionis ante Missam.*

SÆpè dictum est, in hoc incruento Sacrificio cruentum illud, quod semel in Cruce peractum est, non verbis, sed reipsâ repræsentari: una siquidem & eadem est hostia, idem qui per Sacerdotis ministerium offert, idem Christus qui immolatur. Sicut enim dicitur Agnus occisus ab origine mundi, eò quod mortuus censeatur in figuris animalium, quæ in ipsius memoriam mactabantur: ita non immeritò eundem vocare possumus Agnum, qui quotidiè occiditur usque ad finem mundi, in hac nimirùm suæ mortis repræsentatione, quæ duratura est, donec mundus durabit. Ideò Sancti Patres mortis Christi memoriam hoc Sacrificium celebranti super omnia necessariam esse affirmant, dicente Apostolo: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Hoc ipsum autem idem Salvator noster præcepit, cùm instituto hoc Sacramento ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quæ verba Seraphicus Doctor solicitè expendens libro de puritate conscientiæ, cap. 9. existimat Sacerdotem nullatenùs debere Missæ Sacrificium celebrare, quin priùs Passionem & mortem Domini commemoret. *Id*, inquit, *quod pro meipso retineo, est verbum illius, qui hoc Sacramentum instituit, quem non credo illud frustrà protulisse. Dixit enim; Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis. Ex quo quidem verbo arguo mihi ipsi, quod quoties volo id agere quod ipse instituit, & modo prædicto reliquit, timeo nequaquam sine remorsu conscientiæ ac præjudicio animæ ad illud posse accedere, nisi præmemoratâ ipsius instituentis charitate, ac ejus passione & morte, in cujus memoriam perpetuò recolendam, illud Sacramentum debere confici & percipi ipse præclarè asseruit & injunxit.* Sacerdos itaque, cùm ad Sacrum faciendum se præparat, fasciculum sibi colligat ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini, & inter ubera sua collocet, cordisque medullis inserat; mente & affectu sedulò revolvens omnia tormenta, quæ ille pro salute nostra perpessus est. Hæc frequenter in ore, hæc semper in corde habeat: & hæc sit ejus sublimior Philosophia, scire Christum, & hunc crucifixum. Cùm verò ad Altare accessurus est, sic oret ex toto corde.

## ORATIO.

MEmoriâ memor ero, clementissime Pater, & tabescet in me anima mea: omniumque dolorum & passionum, atque acerbissimæ mortis Filii tui Domini mei Jesu Christi cum gemitibus & lacrymis recordabor, quia ipse salus & vita mea ante oculos meos pependit in ligno, offerens se tibi in holocaustum pro mea & totius mundi salute. Hanc autem oblationem vivam, quam tu misisti in miseratione multa ad altare crucis immolandam pro nobis, hanc eandem tibi nunc offero, passionem ejus & mortem recolens ac repræsentans: sicut ipse præcepit, cùm dixit, ut idem in ejus commemorationem faceremus. Recordare itaque humilitatis ejus, patientiæ, charitatis, mansuetudinis, & obedientiæ. Respice labores ejus, jejunia, contemptus, contumelias, vincula, irrisiones, & iniquam condemnationem. Respice in faciem Christi tui, & intuere speciosum formâ præ filiis hominum, opprobriis, injuriis, verberibus, livoribus, contusionibus ita deformatum, ut non sit ei species, neque decor. Vide caput nobilissimum spinarum punctionibus transfossum, & percussionibus attritum. Vide genas modestissimas sputis fœdatas, alapis cæsas, sanguine cruentatas. Vide oculos benignissimos lacrymis perfusos, & ad ignominiam velatos. Vide os suavissimum siti ardentissimâ cruciatum, & felle atque aceto potatum. Vide dorsum, supra quod fabricaverunt peccatores, verberibus dilaniatum, & humeros Crucis pondere oppressos. Vide brachia amabilissima funibus devincta, & in Cruce crudeliter extensa. Vide manus innocentissimas durissimis clavis perforatas. Vide pedes delicatos tot itineribus defatigatos, ac Cruci tandem affixos. Vide corpus venerabile pro nobis in Cruce suspensum, vulneratum, mortuum, & sepultum. Vide sanguinem pretiosissimum usque ad minimam guttam pro nostra salute misericorditer effusum. Hæc enim tibi offero & repræsento, omni quo possum devotionis affectu supplicitèr orans, ut ipsa pietas, quâ Filium tuum pro nobis tradidisti, te omnibus misereri compellat, pro quibus ille factus obediens usque ad mortem, crucem subire dignatus est, Amen.

## §. XIV.

### *Oratio ante Missam ad Patrem.*

RESpice, Clementissime Pater, de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo, & intuere hanc immaculatam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster Jesus Christus, Filius tuus Salvator mundi pro peccatis fratrum suorum, & esto placabilis super multitudinem malitiæ nostræ, quia vox sanguinis Domini nostri clamat ad te de cruce. Hic est justitia mea, & sanctificatio, ac propitiatio mea. Averte faciem tuam à peccatis meis, & respice in faciem Christi tui: ejus enim meritum offero ad te, omnemque fiduciam in eo defixam habeo. Impellit ministrandi necessitas, terret conscientia indebiti Sacerdotii. Sed rogo te, ne despicias mihi creditæ dispensationis officium, licèt in me boni operis testimonium non agnoscas. Et quia me indignum mediatorem esse voluisti inter te & populum tuum, ne me repellas à tua pietate cum divinissimis donis tuis venientem ad te, ut inculpatè accedens ad gloriam tuam, dignus sim qui operiar protectione Unigeniti Filii tui, & illuminatione Spiritus Sancti tui, atque pro omnibus deprecans pro omnibus exaudiar, te præstante, Deus meus, Pater misericordiarum, qui cum eodem Filio tuo in unitate ejusdem Spiritus Sancti vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

## §. XV.

### *Oratio ante Missam ad Dominum Jesum Christum.*

GRatias ago tibi, Domine Jesu Christe, pro ineffabili tua charitate, quâ transiturus de hoc mundo ad Patrem mensam mihi parâsti in dulcedine tua, mensam prorsus regalem, omne delectamentum in se habentem; mensam pretiosissimam corporis & sanguinis tui, ut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & secreto illapsu nutritionis tuæ roboretur infirmitas mea. Et unde hoc mihi, Glorioſissime Fili Dei, ut me permittas venire ad te, & cum cæteris commensalibus tuis epulari? Atque utinam ab omni culpa liber, purus ab omni labe, ab omni vitio purgatus, & ab omni

mni inordinata affectione perfectè emèndatus essem, ut ad hanc mensam supercæleſtem accedere possem fervens charitate, niveus innocentiâ, & omnium virtutum decore exornatus. Sed quia miserrimus ego sum, & omni ornamento destitutus, obsecro te inprimis benignissime Salvator, cujus charitas immensa est, bonitas infinita, ut sanguine tuo animam meam lavare, & super nivem dealbare, meritis tuis induere, illoque igne ardentissimi amoris succendere digneris, qui te nobis discessurum compulit ad hoc vivificum convivium instituendum. Obsecro deinde Beatissimam Virginem Matrem tuam, & omnes electos tuos, ut tibi pro me offerant charitatem, fidem & devotionem, quâ hoc Sacramentum susceperunt ab initio institutionis ejus usque in præsentem diem. Et quia particeps ego sum omnium timentium te, offero tibi omnium Sacerdotum, omniumque fidelium hac die celebrantium & communicantium pietatem & puritatem. Offero omnium justorum ab origine mundi usque ad ejus consummationem virtutes & merita, ac pios affectus erga te, dulcissime Jesu, in Venerabili Sacramento existentem: firmissimæ nimirum fidei, & vivæ apprehensionis earum rerum, quæ de hoc maximo mysterio credendæ sunt: perfectissimæ charitatis, & intimæ tecum familiaritatis: famis & flagrantissimi desiderii te omne bonum suscipiendi; filialis fiduciæ & spei de tua misericordia tam mirabili modo declarata: zeli divinæ gloriæ & dilectionis proximi, pro cujus salute hoc sacrificium offertur: admirationis tantæ dignationis, & profundissimæ humilitatis: gaudii & jubili in te & de te: laudis, gratitudinis, adorationis, & devotionis. Hos inquam, alioſque affectus offero tibi in supplementum insufficientiæ meæ, & eos, si possem, elicerem cum maxima intentione ad laudem & gloriam tuam quia dignus es. Suscipe Domine, hoc desiderium meum, meritisque placatus electorum tuorum, ne à mensa tua repellas me, quatenus hoc cibo satiatus, hoc recreatus potu vitam habeam, & abundantiùs habeam, hic & in æternum, Amen.

## §. XVI.

### *Alia oratio ad eundem.*

VEni, domine Jesu, unica salus animæ meæ, & infunde pectori meo multitudinem dulcedinis tuæ, ut nihil amem, nihil desiderem præter te. Veni gaudium & felicitas mea, veni spes & robur meum, quia tecum sunt divitiæ & gloria, tu vita & consolatio mea, tu paradisus voluptatis. Atque utinam te veniente ad me, vertantur mihi in amaritudinem omnes mundi deliciæ, ut tibi unitus in hoc cæleſti convivio à te nunquam separer in æternum. Fruſtra expenderem argentum meum in panibus, & laborem meum in saturitate, licèt omnes Ægypti escas compararem, si carerem hoc pane, qui præbet delicias Regibus, & vino tuo destitutus essem, cujus suavitas in infinitum excedit omnia hujus sæculi oblectamenta. Et unde mihi tantum bonum, ut tecum epulari merear, Rex tremendæ Majestatis, ego indignissimus servus tuus, qui quotidie pecco & incorrigibilis persevero? Sed major est in infinitum misericordia tua, quàm miseria mea: & tu dulcissima refectio mea me in virum alterum transformas, & verbo virtutis tuæ sanas omnes languores meos. Ad te igitur venio de tua pietate confisus, & in te sperans non confundar. Lætifica animam servi tui, & supple quod mihi deest, tu benignissime Salvator, qui omnes ad te vocare dignatus es dicens, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Refice me teipso, quia in te sunt omnes cæli deliciæ ex copiosissimo flumine gaudiorum Dei cum tanta plenitudine emanantes, ut omnes dignè ad te accedentes inexplicabili lætitiâ replere possim. Uni intimè tecum animam meam, & fac me dignum, ut huic mensæ supercæleſti cum debito virtutum ornatu assideam, & dulcedine perfruar præsentis Divinitatis. Amen.

## §. XVII.

### *Oratio ad Spiritum Sanctum.*

VEni Sancte Spiritus, amor Patris & Filii, mundator scelerum, curator vulnerum, fortitudo fragilium, mœrentium consolator, fulgor intellectus, & vindex libertatis. Veni è patria fœlicitatis, & cordis mei penetralibus tam potenter illabere, ut vitia omnia & defectus tuo igne consumas, & omnia peccata mea remittas. Emitte in animam meam lucis tuæ radium, quo illuminante intellectum, quæ tibi sunt placita videam: quo affectum inflammante

te ad ea prosequenda totâ virtute incumbam. Fac me dignum sacris Altaribus Ministrum, meque torrente tuæ voluptatis inebria, ut cæleſti suavitate in hac diviniſſima mensa deguſtatâ, nihil venenatæ mundi dulcedinis libeat amplius deguſtare. Imbuat me, & perficiat septiformis Spiritus tuus, & ad illum scientiæ gradum fac me pertingere, ad quem pervenit Apoſtolus tuus, cùm dicebat se nihil scire, nisi Chriſtum, & hunc crucifixum. Roboretur infirmitas mea fortitudine tuâ, vincat bonitas tua malitiam meam, & deformitas mea tuâ pulchritudine decoretur. Surſum erige me per æternorum affectionem, copula tecum per amoris unitatem, conserva per finalem perſeverantiam; ut tuo ductu revolet anima mea ad te principium & finem ſuum, à quo nunquam ſeparetur. Amen.

## §. XVIII.

### *Oratio ad B. Virginem.*

GLorioſiſſima Mater Dei Virgo Maria, tota fiducia mea, & unicum ſolatium languentis animæ meæ, precor te, ut mihi miſerrimo peccatori aſſiſtere hâc horâ digneris, quia pretioſiſſimum Filii tui Corpus & ſanguinem æterno Patri oblaturus ſum, ſicut amans & dolens eidem Filio tuo in Cruce pendenti, & ſe pro noſtra ſalute offerenti aſtitiſti. Ne me deſpicias, Mater miſericordiæ, ob intolerabilem peccatorum meorum fœditatem; neque avertas faciem tuam à me, quem Filius tuus tanto amore dilexit, ut pro me mori dignatus ſit. Plena es gratiarum, plena rore cæleſti, innixa ſuper dilectum tuum, deliciis affluens. Ciba ergò pauperem tuum de ſupereffluenti menſa tua, tuarumque virtutum veſtibus indue me, ut his ornatus divino conſpectui gratus appaream. Memento illius charitatis, qua Verbum Dei ex te carnem aſſumpſit, ut tu fieres Mater noſtra. Aperi manum tuam, & imple me benedictionibus, quibus te Deus benedixit in æternum, ut te interveniente tremenda myſteria acceptabiliter perficere, & Sancta Sanctorum dignè merear deguſtare.

## §. XIX.

### *Oratio ad Sanctos Angelos.*

SAncti Angeli, puriſſimi ſpiritus, miniſtri Dei Altiſſimi, qui facitis voluntatem ejus & orantium preces in Cælum defertis: Tuque præcipuè fideliſſime Cuſtos meus, ſtate mecum juxta Aram, in qua Deo Patri totius mundi pretium oblaturus ſum, & in veſtris thuribulis incenſum orationum mearum ſuſcipite, ut fumus aromatum hujus divini Sacrificii aſcendat per manus veſtras in conſpectu Dei. Purgate, illuminate, perficite, & dirigite me, veſtramquè puritatem & innocentiam impetrate mihi, ut appaream coram Deo decenter ornatus.

Sancti Archangeli, Duces illuſtriſſimi militiæ cæleſtis, inſtruite me, ut hæc ſancta myſteria percipiam, fidemque vivam & efficacem hujus Sacramenti in me excitate.

Altiſſimi Principatus, terâ pace internâ animam meam componite, ut in ea jugiter commoretur Dominus, de quo ſcriptum eſt, *Et factus eſt in pace locus ejus.*

Sanctiſſimæ Virtutes aſſiſtite mihi, ut proficiens de virtute in virtutem Deum Deorum dignus ſim oculo fidei cernere, manibus contrectare, intus recipere, ac tandem in patria clarè vobiſcum intueri.

Invictiſſimæ Poteſtates dæmonum impetus cohibete, ne mihi appropinquent ſacrificanti, ut ſine impedimento dignè merear Deo ſervire, & miniſtrare. Potentiſſimæ Dominationes veram mihi & ſanctam libertatem obtinete, ut nec peccato ſerviam, nec corporis mei appetitui, & ſenſibus ſubdar. Throni ſtabiles & ſublimes, ſedes pulcherrimæ Dei, diſcam à vobis veram humilitatem & ſubjectionem, ut fiat anima mea gratiſſimum domicilium Deo, qui ſuperbis reſiſtit, & ſuper humilem & quietum requieſcit.

Clariſſima & nobiliſſima cæli lumina Cherubim, illuſtrate mentem meam plenitudine ſcientiæ, ut ſummam utilitatem meam, hujuſque ſacrificii infinitam excellentiam agnoſcam.

Supremi ſpiritus Seraphim, ardentiſſimi amatores Dei, ſolvite gelu cordis mei, & veſtrum in eo ignem ſuccendite, ut Deum vobiſcum ardenter amem, atque utinam ſicut vos.

## §. XX.

### *Invocatio omnium Sanctorum.*

SAncti Dei omnes, cives supernæ patriæ, inclinate aures vestras & demittite lumina ad me, meamque orationem exaudite. Ad vos clamo pauper, nudus, & infirmus, cui omnia desunt ornamenta virtutum: ad vos clamo, & vestram imploro benignitatem; succurrite infirmitati meæ, fidem meam & spem roborate, excitate in me igniculum amoris vestri, induite me veste nuptiali, ornate donis, quibus abundatis, ut sine rubore introire valeam in locum tabernaculi admirabilis, in aulam cælestis convivii, in conspectu divinæ majestatis.

Sancti Patriarchæ & Prophetæ, qui Christum Dominum nostrum dictis prophetastis, & ardentissimis desideriis è cælo ad terram traxistis, hujusque Sacramenti mysteria variis typis & umbris præfiguraſtis, preces fundite pro me, ut ipsum Dei Filium sanctè tractare possim, & puro corde complecti.

Sancti Apostoli, quos Christus in ultima cœna novi Testamenti Sacerdotes creavit, ac primum seipso cibavit, vos supplex exoro, ut vestrâ adjutus ope gratiam non negligam per manuum impositionem mihi collatam, sed magno quotidie augeam incremento.

Sancti Martyres, qui Christo Regi pro nobis crucifixo vicem, quam potuistis, vitæ oblatione per martyrium rependistis, ipsum pro me orate, ut ignem sui amoris accendat in corde meo, quo succensus & purificatus meipsum mactem Deo hostiam vivam & ei placentem; sicque paratus & probatus ad hoc divinum sacrificium accedam.

Sancti Pontifices & Confessores, mysteriorum Dei fidelissimi dispensatores, qui hostiam placationis frequenter pro populo obtulistis; pro me obsecro intercedite, ut meum quod oblaturus sum sacrificium Deo sit acceptabile, mihique & omnibus, pro quibus illud offeram, propitiabile.

Sancti Monachi & Eremitæ, qui cibo potuque cælesti sæpius refecti pravas concupiscentias, & vitæ hujus pericula superastis, adjuvate me orationibus vestris, ut sacris hisce mysteriis armatus meipsum vincam, & omnes inimicos animæ meæ conteram sub pedibus meis.

Sanctæ Virgines Deo amabiles, quæ studio castitatis dignum in vobis Filio Dei habitaculum præparastis, & nunc in cælo canticum novum concinitis, quod nemo potest dicere, nisi fuerit Virginitatis prærogativâ eximius, impetrate mihi perfectissimam castitatem, quâ corpus & animam in omni puritate contineam, ut Christo Domino, qui pascitur inter lilia, gratum in corde meo exhibeam domicilium.

Sancti mei tutelares N.N. & vos Sancti N.N. quorum hodie memoriam veneramur, vestro confisus patrocinio accedo nunc ad immolandum corpus & sanguinem Jesu Christi Domini nostri, comitamini me euntem ad altare, fulcite meritis vestris, ornate virtutibus, ut hoc sacrificium vivâ fide, ferventi charitate, & plenâ devotione perficiam, perque ejus continuum & salutiferum usum vestro dignus consortio tandem inveniar. Amen.

---

## Caput V.

### De Missæ celebratione.

### §. I.

### *De proxima dispositione ad Missam.*

PErvulgatum apud sanctos Patres axioma est, quod talem se animæ exhibet Deus, qualem se illa præparat Deo. Ideò Christus in Eucharistia aliis quidem est fructus vitæ, Panis Angelorum, Manna absconditum, Paradisus deliciarum, ignis consumens, & tertium Cælum, in quo audiuntur arcana verba, quæ non licet homini loqui. Aliis verò est panis insipidus, omni carens dulcedine, & vitali operatione, & nauseat anima eorum super cibo isto: quia nimirùm mors est malis, vita bonis; & sicut quisque erga Deum affectus est, talem ipsum erga se experitur. Pauci sunt, qui admirabiles hujus sacri convivii in se sentiant effectus, quia pauci sunt, qui se ad illos recipiendos ritè disponant; qui seriò cogitent, se ad Sancta Sanctorum accedere, ad Altare Dei, ad Deum ipsum. Ideò multi infirmi sunt & imbecilles, & dormiunt multi. Mortem olim summo Sacerdoti minabatur Deus, si ausus fuisset introire in Sancta Sanctorum sine strepitu tintinnabulorum, non radians gemmis, non fulgens auro, omniumque virtutum varietate circumamictus. Quam ergò pœnam merebitur novæ Legis Sacerdos, qui non ad Arcam typicam, sed ad Deum ipsum accedit, ut Filium ejus Dominum Jesum Christum immolet,

tangat, comédat; nisi id faciat eâ solicitudine, attentione, & apparatu, qui dignus sit tali convivio, dignus Deo? Instante itaque celebratione totis viribus curare debet, ut in ara cordis ignem divini amoris succendat, actusquè eliciat diversarum virtutum, qui heroïci sint, & tanto sacrificio, ejusque termino & objecto, quantùm fieri poterit, convenientes.

Quia verò in hoc Sacrificio non solùm animus, sed etiam corpus occupatur, ipsum quoque oportet ab omni sorde incontaminatum custodire. Si enim Sacerdos Mosaica sacrificia, quæ non nisi infirma & egena elementa fuerunt, ac umbra futurorum, oblaturus, ex Dei præscripto nitidis vestibus indui, corpusque lavare tenebatur: quantò magis decet à sordibus etiam corporeis Christianum Sacerdotem expurgari, qui Domini sui carnem & sanguinem offert, comedit, bibit? Et primò quidem necessariæ celebraturo sunt hæ corporis dispositiones, jejunium scilicet, castitas & carnis munditia, de quibus differere ad Scholasticos spectat: vestes item compositæ, & modestæ, quæ sordibus careant & pompâ, nec quidquam redoleant, quod à statu Sacerdotis alienum sit. Tum quia Christus ante hujus Sacramenti institutionem lavit pedes Discipulorum suorum, debet Sacerdos pedes animæ, qui sunt affectus, ab omni macula expurgare, cor lactymis abluere, & dum manus lavat actu ferventissimo contritionis omnem vel levissimam culpam expiare. Cùm verò lotis manibus Hostiam patinæ imponet, intentionem renovabit, considerans quod ille panis mox fiet Corpus Christi: tum ex suæ vilitatis & immensæ dignitatis hujus mysterii apprehensione actus eliciet timoris & confusionis.

## §. II.

### *De Sacris Vestibus, & earum significatione.*

Sicut Reges & Magistratus non vulgari & quotidiano vestitu in publicis functionibus uti solent, sed alio augustiore, quò potestas eorum appareat, & ipsis reverentia concilietur: ita Sacerdos celebraturus sacro & peculiari utitur habitu; amictu scilicet, albâ, cingulo, manipulo, stolâ, casulâ, sive planetâ, quibus & Passio Christi ante Sacrificium recolenda repræsentatur, & eiusdem virtutes exprimuntur, quibus ornari celebrantem par est, ut Sacerdotio fungatur in justitia & sanctitate veritatis. Cùm enim hoc Sacrificium incruentum idem sit cum sacrificio Crucis, ut supra explicavimus, congruum est, ut Sacerdos, qui Christi pro nobis morientis personam gerit, ejus quoque similitudinem habeat in vestimentis; idque ad decus & reverentiam Sacrificii adhibeatur, quod impius Judæorum furor ad contumeliam intulit Salvatori. Porrò Amictus velamen illud significat, quo facies Christi velata est, cùm percutiebant eum illudentes & dicentes: *Prophetiza nobis, quis est qui te percussit?* Alba vestem albam denotat, quâ ab Herode tanquam stultus indutus fuit. Cingulum funes, quibus in horto vinxerunt eum, sive flagella, quibus columnæ alligatum crudelissimè ceciderunt. Manipulus, vincula quibus adstrictæ sunt manus ejus tanquam hominis nefarii & scelerati. Stola funes collo ejus injectos, sivè Crucis patibulum humeris ejus impositum, & in quo pro nobis pependit. Planeta vestem purpuream, quam ei milites in domo Pilati tanquam ludicro Regi imposuerunt. Cum igitur hæc indumenta signa sint eorum, quæ Christus pro nobis perpessus est, varii actus à Sacerdote, dum illis induitur, elicendi sunt, amoris, doloris, gratitudinis, & intensissimi desiderii ejus patientiam & humilitatem imitandi in doloribus, afflictionibus, opprobriis, aliisque adversitatibus sustinendis.

Considerandæ sunt etiam virtutes, quæ per eadem indumenta mysticè designantur, ut discat Sacerdos, quâ vitæ sanctimoniâ & morum integritate præditus esse debeat: scriptum est enim: *Sacerdotes tui induantur justitiam*, omnibus scilicèt virtutibus ornati sint, quas justitiæ nomine passim Sacræ Litteræ comprehendunt.

Amictus itaque significat, oportere mentem in æternæ dumtaxat salutis rerumque cœlestium consideratione fixam habere, ab omnibus curis rerum caducarum amotam, & contra quoscumque hostium incursus spe & fiduciâ in Deum, tanquam galeâ salutari, communitam. Refert etiam Amictus Christi Domini humanitatem, cujus caput Divinitas est, quæ ab illa occultatur, sicut Amictus caput tegit Sacerdotis. Neque enim oculi nostri Solis justitiæ infinitum splendorem intueri potuissent, nisi carnis nube operiretur. Quare Sacerdos, cum illum accipiens osculatur & capiti imponit, se amoris osculo sacratissimam Christi Humanitatem tangere, & capiti imponere putet, ut eâ se protegat & tueatur, dicens cum Propheta, *Domine virtus salutis meæ obum-*

*obumbrasti caput meum in die belli.* Obiter quoque per Amictum monetur Sacerdos, maximam servare oculorum modestiam, cum pergit ad Altare, & ibi manet, & ab eo redit, nihil prorsus aspiciendo, nisi quod necessarium est, ut videat quod facit.

Alba totum corpus tegens innocentiam, simplicitatem, puritatem, animique candorem & pulchritudinem indicat, quæ totum Sacerdotem complecti & exornare intus & extra debet, atque in omnibus operibus ejus splendere, ut sit sanctus & immaculatus in conspectu Dei, seque talem semper exhibeat divinis mysteriis celebrandis.

Cingulum indicium est Castitatis, quæ in Sacerdote ita splendere debet, ut nullam prorsus tam in corpore quàm in corde admittat labem. In cujus rei typum jussit olim Deus, ut comedentes Agnum accingerent renes suos: & ipse Christus ait, *Sint lumbi vestri præcincti.* Idem quoque B. Joanni apparuit in Apocalypsi præcinctus zonâ aureâ, ut nimirum intelligamus oportere nos omnes affectus purificare, amorem carnalem vincere spirituali, quod est aurum charitatis.

Manipulus præmisso crucis osculo sinistro brachio insertus ostendit lacrymas, dolorem, & pœnitentiam, quibus lugere peccata ac perpetuò dolere Sacerdos debet; carnis item & Spiritûs mortificationem; & humilitatem, quâ accedendum est ad Altare; tum futuram bonorum operum retributionem, sicut Psalmographus cecinit: *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.*

Stola collo superposita, & in modum crucis per medium pectoris ducta demonstrat Sacerdotem teneri, se Deo unire & quodammodo colligare, suamque crucem Dei causâ patienter ferre, divinæ legi cum omni obedientia se subjicere, ejusque jugum alacriter portare, ac semper memorem esse mandatorum Dei ad faciendum ea.

Casula, quæ cæteris vestibus splendidior & pretiosior illis superinduitur, signum est Charitatis, quæ reliquis virtutibus excelsior omnibus supereminet tanquam illarum Regina, & vinculum perfectionis. Omnes enim sine ea sunt imperfectæ, ab ea pendent omnia mandata divinæ Legis, & omnia bona in ipsa continentur. Sicut autem Casula in duas partes dividitur, ita charitas duplex est, erga Deum & proximum: & sicut illa varios exigit colores juxta temporis aut festivitatis diversitatem; ita hæc varios affectus, nunc lætitiæ ob Dei magnalia, nunc gratitudinis ob ejus beneficia, nunc fortitudinis in adversis, nunc tristitiæ ob propria & aliena peccata.

Hæ sunt præcipuæ virtutes, quas vestes Sacerdotales significant, quarum actibus induere se debet Sacerdos, ut suum dignè offerat sacrificium. Consuetas autem Ecclesiæ preces singulis indumentis accommodatas attentè & devotè recitabit, & cùm indutus fuerit, seipsum considerabit tanquam Lupum in vestimentis Ovium, & rubore suffusus veniam à Deo flagitabit.

## §. III.

### *De accessu Sacerdotis ad Altare.*

SI ad omnes sacras functiones sanctè accedendum, & omnes sanctè peragendæ sunt: multò majori sanctitate hoc divinum Sacrificium offerendum est, quo nihil sanctius, nihil excellentius, nihil divinius esse potest. Ad hoc omni conatu niti debes, Christiane Sacerdos, si tam sublimi & tremendo ministerio ritè & perfectè fungi desideras. Qua in re ut tibi prosim, documenta quædam generalia præmittam: deindè sigillatim proponam aliquot considerationes pro singulis Sacrificii partibus, ex quibus pios elicere affectus possis, & mentem utiliter occupare, ne distrahatur. Nequè deterrearis, si hujusmodi considerationes & affectus aliquantò fusiùs explicavero: licèt enim multis verbis describantur, possunt tamen in momento elici, nec Missæ celebrationem solito prolixiorem reddent, ut reipsâ experieris; nam ipso usu memoriæ tenaciter infigentur, adeò ut eos quasi naturaliter eliciturus sis, absque ulla confusione, aut capitis fatigatione. Primum generale documentum est, ne toto Sacrificii tempore Deum offendas ullo peccato veniali: nec ullo defectu & imperfectione tam venerandi Sacrificii excellentiam contamines. Id verò assequeris, si eâ reverentiâ, attentione & devotione celebraveris, quæ omnem vel leviſſimam animi evagationem excludat: si exactissimè & scrupulosissimè observaveris, quidquid in Missali præscribitur circa ritus & cæremonias, eo modo, quo à viris seriò perfectioni incumbentibus observari solent.

Secundò, omnia verba, quæ sivè elata, sivè submissâ voce proferuntur, clarè, distinctè, ferventer, & absque ulla festinatione pro-

nunciabis, nihil interim mente revolvens, quantumvis bonum & sanctum videatur, quod à propria & litterali verborum significatione alienum sit, ut te menti Ecclesiæ conformes, quæ omnes Missæ preces, lectiones, & sententias magno cum delectu ad Sacerdotis & astantium institutionem & devotionem selegit. Ad hoc autem plurimum proderit, omnes Missæ ritus perspectos habere, eaquè omnia probè intelligere, quæ tum in Lectionibus, Collectis, Evangelio, Versibus, & cæteris hujusmodi, tum in Canone continentur, quæ facilè disces ex eorum lectione, qui de officiis Ecclesiasticis scripserunt, quales sunt Isidorus, Amalarius, Rabanus, Berno, Hugo Victorinus, Rupertus Abbas, Dionysius item in libro de Ecclesiastica Hierarchia, Germanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum; & ex recentioribus Gabriël Biel in Canonem, Durandus in Rationali, Joannes Baptista Scortia de Sacrificio Missæ, & alii plures. Affectus verò elicies, quales infra proponam, eorum quæ recitas & agis sensui & significationi convenientes.

Tertiò, sicut in Missali præcipitur, antequam sacris te vestibus induas, Missam celebrandam perquires, perleges, & ad ea quæ dicturus es signacula ordinabis, ne te posteà contingat aut in verbis hæsitare, aut in cæremoniis deficere, & perturbari.

Quartò, processurus ad Altare, Crucifixum vel aliam imaginem humillimâ inclinatione salutabis, te tanto ministerio indignum reputans, atquè ideò ipsius Christi, Sanctorumque opem implorabis. Tum ipsum Christum mente intuere, quasi Cruce onustum, & ad Calvariæ montem iturum, ante te incedentem. Sequere ipsum primarium offerentem, cujus passio & mors à te debet repræsentari: sequere, inquam, cum modestia & gravitate, & agmina Angelorum te undique stipantia venerare, teque existima ex hoc mundo in Cælum transferri.

Quintò, Cùm perveneris ad Altare, Cælum tibi desuper veluti apertum contemplare, & Curiam cæleſtem, Deumque ipsum spectantem te pro universa Ecclesia hostiam litantem immaculatam. Memineris, pœnam mortis olim indictam bestiæ quæ montem tetigisset, idque tibi applica hominum pessimo, & timorem concipe. Mox in Deum assurgens, satage quantum potes ferventissimos actus charitatis elicere, cupiens in Christum totus converti, eique simillimus fieri virtutum imitatione. Cùm denique librum aperis, memor esto libri, quem aperuit Agnus, & septem signaculorum ejus; & desidera Christi fidem in universum orbem propagari.

## §. IV.

### *De initio Missæ usque ad Introitum.*

CAlice ritè collocato & Missali aperto stans pauliſper in medio Altaris, & factâ cruci inclinatione te cum Abrahamo quasi pulverem & cinerem ante conspectum Domini confiteberis, imitans Christum, qui cœlos inclinavit & descendit formam servi accipiens: quò enim humilior fueris, eò gratior & acceptior erit Deo oblatio tua. Mox descendens ad crepidinem Altaris, Verbi æterni Incarnationem recole, ejusque dilectionem & admirabilem promptitudinem ad opus nostræ Redemptionis susciendum. Iteratâ autem inclinatione te intimè humilia, & Deum adora pro omni creatura. Dum signo Crucis te signans dicis, *In nomine Patris & Filii, & Spiritûs Sancti*; animadverte, quale & quantum sit nomen, à quo sacrificium auspicaris, & sic te gere, ut tantam decet Majestatem. Magni momenti est, Sanctissimæ Trinitatis præsentiam initio concipere, & ab ea nunquam deflectere; ad ipsam enim & ad ejus gloriam oblatio dirigitur, ejusque memoria robur tribuit ad improbos hostium conatus elidendos, qui semper tentant variis & inutilibus curis, atque imaginationibus mentem à sacrificio avocare. Sic conceptâ Dei præsentiâ, duos affectus raptim elicies, Fidei contra infideles Trinitatem negantes, & recordationis Crucis Christi, atque passionis in ea completæ, ex qua fluxerunt omnia bona. Hos autem affectus ad omne signum crucis renovabis.

Sequitur antiphona, *Introibo ad altare Dei*, quæ ter repetitur ante psalmum, in ipso, & post ipsum; ut intelligas spirituali impulsu & alacritate, ac summâ veneratione totam Missæ actionem peragendam esse, omni abjectâ tepiditate. Admirare Dei bonitatem, qui te vocavit ad Altare suum: quis enim es tu, ut audeas ad ipsum introire? Ora abscondi in abscondito faciei Domini à conturbatione malorum spirituum; ne immittentes tetra phantasmata divinum perturbent ministerium. Ora etiam renovari in te animæ juventutem, quæ est fervor spiritûs, ex quo vera & solida lætitia procedit.

Ad primum versiculum psalmi, *Judica me Deus*, considera, eâ præparatione & dispositione ad altare accedendum esse, ut Dei judicium non per-

pertimescas, ut discernaris à gente non sancta & iniqua, sisque purus & sine macula ante Deum, quantum fert humana fragilitas. Hanc autem puritatem humiliter petes, cum certa fiducia eam meritis Christi obtinendi.

Ad 2. *Quia tu es Deus fortitudo mea.* Erubesce quod toties tanti Sacramenti divino alimento confortatus adhuc imbecillis es, adhuc tristis incedis, & cuicumque levissimæ tentationi turpiter succumbis. Meritò ergò repellit te Deus; meritò te affligit inimicus, nisi ipse vires suppeditet, qui est fortitudo tua & robur tuum.

Ad 3. *Emitte lucem tuam.* Pete divinum lumen, ut veritatem à vanitate discernens, ipsam veritatem sequaris, cujus splendoribus interior sensus illustratus, cum externo sacrificio concordet. Mons verò sanctus, qui in hoc versiculo commemoratur, Altare est Calvariæ montem indicans, quia in eo Christi Passio & mors repræsentanda est.

Ad 4. *Et introibo.* Magnum renova in te reverentiæ affectum erga Altare & Sacrificium.

Ad 5. *Confitebor tibi in cythara.* Excita in te cordis lætitiam, quæ per cytharam significatur: sed statim oculos ad tuam imperfectionem reflectens, ingemisce & dic: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?*

Ad 6. *Spera in Deo.* Ne despondeas animum, restat enim spes in salutari tuo, in quo tota fiducia collocanda est, quoniam ipse dabit, ut obtentâ culparum veniâ in ipso gaudeas, & in ejus laudibus perseveres.

Hâc spe excitatus dices cum ingenti fervore, *Gloria Patri & Filio*, caput inclinans & te offerens ad omnia adversa, & ad mortem pro Deo sustinendam. Tum repetitâ Antiphonâ *Introibo*, ut benè memineris, quò ingrederis, & quid aggrederis, dices, *Adjutorium nostrum*, ut discas non ponere fiduciam in tuis viribus & industria, sed in eo *qui fecit cœlum & terram*, à quo duplex adjutorium postulabis, pro consequenda æterna salute, & mediis ad eam necessariis, & pro illa peculiari necessitate, pro qua offers Sacrificium.

Subditur statim generalis confessio, quia *justus prior accusator est sui*, quam humiliter recitabis, actum eliciens contritionis, ut est distincta ab attritione; dolens scilicet de peccatis tuis, & totius mundi super omnia mala, idque purè propter Deum super omnia bona dilectum: dabisque operam, ut verba illa, *meâ culpâ*, cum magno doloris sensu proferas, & cum bona spe divinæ misericordiæ pro tuis & aliorum peccatis. Confiteris autem non solùm Deo Creatori, Redemptori, & Judici tuo; sed etiam B. Virgini, cujus innocentem filium sceleribus tuis interfecisti: B. Michaëli Archangelo, cujus obsequiis te ingratum exhibuisti: B. Joanni Baptistæ & aliis Sanctis, quorum monita & exempla contempsisti: fratribus quoque, quibus scandalo fuisti. Agnoscens autem fragilitatem tuam & necessitatem, auxilium eorum imploras, quibus confessus es, ut pro te orent, quod humiliter facies: & cùm astantes preces pro te fundunt dicentes, *Misereatur*, dum etiam ipsi confitentur, dum sequentes versiculos recitas, illum in te spiritum excitabis, quem verba sonant, magno animi ardore & devotione.

Osculum altari semper figes tenero amoris affectu erga Dominum Jesum Christum, cum intenso desiderio semper ei adhærendi, & ideò brevem sed ferventissimum amoris actum elicies.

## §. V.

### *De Introitu usque ad Epistolam.*

INtroitum, & ea quæ sequuntur, sedatè, attentè, & devotè recitabis, adhibitis magna cum honestate præscriptis cæremoniis, ut spiritualem ac divinam rem agi omnes intelligant. Attendes autem ad sensum verborum, & cum dicis, *Gloria Patri*, Sanctissimam Trinitatem adorabis optando ut omnes illi serviant. *Kyrie eleyson* ad singulas tres personas mente in cœlum erectus diriges petens remissionem peccatorum cordis, oris, & operis pro te & aliis: & quia novies repetitur quot sunt Angelorum chori, ipsorum vocibus tuam conjunges, & cor ad illos elevabis. Ad *Gloria in excelsis* miraberis quomodo peccator in terra aliena canticum Angelorum canere præsumas: tum alios affectus adjunges laudis, adorationis, gratiarum actionis, fidei, spei, amoris, zeli gloriæ Dei, petitionis & obsecrationis, juxta sensum verborum. Hæc autem verba, *Tu solus sanctus*, *Tu solus Dominus*, *Tu solus Altissimus Jesu Christe*, intensiori affectu charitatis & reverentiæ erga Christum Dominum pronunciabis, desiderans, ut ab omnibus ametur, honoretur, glorificetur.

Hymno absoluto sequitur salutatio populi per hæc verba, *Dominus vobiscum*. Quoties autem ea dices, optabis intimo affectu Ecclesiæ

Dei & toti mundo omnem Dei benedictionem, per quam singulis animabus id, quod maximè indigent, conferatur. Dicturus Collectas erubescès, quod mediator inter Deum & populum esse audeas, qui toties alios ad malum pertraxisti. Cum dicis, *Per Dominum*, offeres Deo omnia merita Christi cum magna fiducia, quia scriptum est, *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Expendes autem verba Orationum, quæ & per se magni ponderis & efficaciæ sunt, & cum in persona Ecclesiæ à celebrante recitantur, facilius postulata impetrant ob sacrificii præstantiam.

## §. V.

### *De Epistola, Evangelio, & Symbolo.*

ABsoluto Introitu, sequitur instructio populi in fide, per doctrinam Prophetarum & Apostolorum in Epistola, per verba Christi in Evangelio, per articulos fidei in Symbolo; quæ omnia mysteriorum sanctificationi, ut nos purgent & præparent, præmittuntur.

Ipsam verò Epistolam & Evangelium lecturus, mente elice hunc actum humilitatis: Egone in Ecclesia divina depromam oracula, qui tamdiu sedi in Cathedra pestilentiæ? Ego Evangelium promulgabo, qui factis & exemplis Evangelium impugnavi? Deindè considera, beatos nos esse, quia, ut ait Baruch Propheta, quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. Deus enim voluntatem suam nobis revelavit per Prophetas & Apostolos in eorum libris & epistolis, & per Filium suum in Evangelio. Ideò hæc omnia magna cum attentione & reverentia legenda sunt tanquam sermones Dei, gratias ei agendo, quod mundum doctrinâ suâ illuminare & instruere dignatus sit: promptumque animum offerendo ad servanda ipsius mandata tam in prosperis, quàm in adversis. De hoc autem nos monent in Epistolæ lectione manus super librum positæ, & veluti operi admotæ.

Graduale etiam, & cætera quæ sequuntur, exequendi desiderium significant, & ascensum ad apicem Christianæ perfectionis, qui sunt fructus Propheticæ & Apostolicæ prædicationis. Quidam devotus Sacerdos dicebat, se quotidie duabus concionibus interesse elegantissimis & efficacissimis, lectioni nimirùm Epistolæ, & Evangelii: quas sic audiendas asserebat, acsi Apostolus & Christus præsentes forent, & loquerentur, cum firmissimo proposito exequendi quod docent. Turpissima enim esset ejus præcepti transgressio, quod ab Apostolo & à Christo eâ die auditum fuit, nam videretur Verbi Divini statim oblitus esse, & tantos Concionatores neglexisse.

Initio Evangelii librum & teipsum signabis signo Crucis cum tenero affectu erga Christi Passionem & mortem. Fit autem ipsum signum in fronte sede pudoris, ne Evangelium erubescas: in ore, ut palam annuncies & confitearis: in pectore, ut illud in corde semper conserves, nec ulla diaboli suggestio fructum ejus implere queat. In fine librum ibi osculaberis, ubi prius crucem formaveris, ad significandum amorem, quo ea doctrina amplectenda & executioni mandanda est: ideòque propones factor verbi esse, & non tantùm auditor; actu ferventissimo amoris elicito erga Deum ejusque legem.

Certis diebus lectionem Evangelii excipit Symbolum, ut fides excitetur, & sicut corde ad justitiam creditur, sic ore confessio fiat ad salutem. Actus igitur fidei exercebis verbis correspondentes, & contrarias hæreses detestaberis. Christo item gratulaberis ob ejus gloriam, dum ipsius Resurrectio, Ascensio, & judiciaria potestas commemoratur, & gaudebis, quia regni ejus non erit finis. In illis verbis, *Qui cum Patre & Filio simul adoratur*, Spiritum Sanctum adorabis, & intimo animi sensu sanctissimam Trinitatem glorificabis ob singula beneficia naturæ, gratiæ, & gloriæ omnibus creaturis concessa & concedenda. Demum cum dicis, *Et vitam venturi sæculi*, spem firmam concipies vitam æternam meritis Christi obtinendi.

## §. VII.

### *De Offertorio usque ad Canonem.*

HActenus instructio fidelium & Missa Catechumenorum, qui deinceps adesse non poterant, indicente eis Diacono ut exirent. Jam sequitur Missa fidelium, & quia hîc inchoatur actio sacrificii incruenti, majori fervore & igneo pietatis sensu singula verba proferenda sunt. Exordiris autem ab osculo altaris, in quo divinum Sacramentum perfici debet, ut hac amoris & honoris exhibitione Dei quodammodo captes benevolentiam. Sed quia Dei amor annexam habet erga Proximum charitatem, sequitur populi salutatio tanquam commune amicitiæ signum,

signum, quo ostendis, te omni odio & dissensione carere, præcepit enim Dominus non esse offerendum munus, nisi prævia cum fratribus, qui aliquid habent contra offerentem, reconciliatione. Astantes etiam mones, ut simul tecum orent, dicens, *Oremus*, & hoc ferventer facies respiciens in cœlum ad Deum Patrem, deinde ad teipsum, tuumque nihilum, qui, peccator cum sis omnium notarum, æterno Patri Filium suum offerre debes.

Quando patenam cum hostia in manibus accipies, pones in ea cor tuum, & omnium circumstantium, omniumque fidelium, ut ea quoque Deo offeras hac intentione, quod sicut panis, quem offers, mox convertetur in corpus Christi; ita cor tuum & omnium fidelium, in ipsum Christum per amorem & imitationem transformentur, adeò ut dicere omnes possint, *vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus*. Idem repetere poteris in calicis oblatione.

Dum vinum calici infundis, gratias ages Deo, quod sub his speciebus se occultare voluerit pro amore tuo: & cùm misces aquam, desiderium excitabis, te totum immergendi in abyssum meritorum Christi; atque ad intimam cum Deo unionem suspirabis. In oratione autem, *Deus qui humanæ substantiæ dignitatem*, tres veluti mixtiones seu conjunctiones prorsus admirabiles celebrari observabis, primam in humanæ naturæ creatione, cum mortali corpori immortalis anima copulata est; alteram in ejusdem à Verbo facta assumptione, cùm duo extrema infinitè distantia in unitate personæ conjuncta sunt; tertiam in ejus elevatione ad gratiam & gloriam, ad consortium scilicet & participationem Divinitatis, quam ardentissimè concupisces.

Quamvis hoc sacrificium unicum sit, duabus tamen partibus constat, corpore videlicet Christi, sub speciebus panis, ejusque sanguine sub speciebus vini. Ideò pane jam oblato, seorsum procedis ad vini oblationem. Utramque verò extendes ad omnes fines, propter quos hoc sacrificium institutum fuit, qui cum sint maximi momenti, cum summo devotionis fervore hæc oblationes fieri debent, ac si tu solus esses in toto mundo Sacerdos, & ab hoc sacrificio omnium hominum salus penderet.

Subditur brevis precatio, *in spiritu humilitatis* ex longiori decerpta, quam Azarias unus ex tribus pueris inter flammas fornacis Babilonicæ concepit, animo verè contrito & summæ humilitatis affectu recitanda. Sequitur alia oratio, *Veni sanctificator*, quâ Deum invocas omnis sanctificationis auctorem, ut non solùm sacrificium jam præparatum perficere, sed suâ etiam benedictione complere dignetur.

Dum manus lavas, protestaberis, te velle purè ac mundè vivere, & à minimis etiam defectibus emundari: tum gratias ages, quod Christi sanguine lotus sis, aliosque affectus elicies verborum sensui conformes.

In oratione, *Suscipe Sancta Trinitas*, non nudam & aridam beneficiorum Redemptionis nostræ, quæ ibi commemorantur, memoriam facies, sed quæ intimæ gratitudinis affectum includat. Quare totus in demississimam gratiarum actionem effusus hanc hostiam infinitæ dignitatis te posse offerre gaudebis ad Dei gloriam, & ad honorem B. Virginis, & omnium Sanctorum, ut ipsi in cælis ante thronum Dei incensum orationum tuarum pro tua aliorumque salute repræsentent.

Postea memor imbecillitatis tuæ & considerans, quanti momenti sit, tantum sacrificium divinæ majestati offerre, ad circumstantium confugiens suffragia ipsos admones, ut pro te orent. Manus autem extendis, ac si omnibus viscera pandas: & rursum jungis, quasi intra pectus receptos complectaris. Ipse verò, qui alios ad orandum hortatus es, secreto quoque oras, ut tuum à Deo sacrificium acceptetur. Porrò inter hæc congruos his considerationibus affectus excitabis.

Secretis orationibus absolutis, statim clarâ voce dicis, *Per omnia sæcula sæculorum*, nihil sonans temporale, sed sublime & æternum. Tum populum salutans non te ad eum pro more convertis, quia jam debes à terrenis abductus totus Deo intentus esse. Jubes autem *Sursum corda* attolli, ac si diceres, Elevamini omnes creaturæ ad Deum, emergite è fæce terræ, & quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Corda verò ad superna subvecta ad gratias Deo agendas hortaris, quia nihil dignius, nihil magis æquum & salutare, quàm beneficiorum memorem esse. Ideò cor tuum expandes ad omnes creaturas, & ad omnia beneficia illis collata, gratiarum enim actio potissima est ad ampliorem gratiam dispositio. Succedit Præfatio, quasi proloquium, seu præparatio quædam ad eam actionem, quæ propriè sacrificium continet, in qua Deum impensiùs laudas, advocatis etiam cælestibus spiritibus, ut tecum

cum concinant. Ne tamen temerè in Angelorum choros te ingeras, facultatem à Deo petis humili supplicatione, dicens: *Cum quibus & nostras voces ut admitti jubeas deprecamur.* Ita Angelicis junctus agminibus, sacrum Trisagion psalles cum summa reverentia & fervore, qui tantus sit, ut quantum fieri potest, supernorum spirituum affectui correspondeat & adæquetur. Si enim *tremunt Potestates*, quæ sunt veluti Cæli columnæ, quanto debes horrore ac tremore concuti tu vilissimus terræ vermiculus, qui Deum toties & tam enormiter offendisti? Porrò continet hic hymnus tres laudes, & duas petitiones. Nam primò laudas sanctitatem, potentiam, ac supremum Dei dominium, cùm dicis *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaot.* Secundò celebras gloriam ejus, quæ in tot creaturis in Cælo & in terra tam mirabiliter elucet, his verbis: *Pleni sunt Cæli & terra gloriâ tuâ.* Tertiò magnificas Christum Dominum, dicens: *Benedictus qui venit in nomine Domini*: & cùm hoc dicis, ipsum invitabis in animam tuam affectu omnium Sanctorum. Duæ verò petitiones insunt verbis istis, *Hosanna in excelsis*, quæ bis repetuntur, & illis salutem postulas, & quæ ad eam sunt necessaria, primò à Deo, deinde à Christo. Hic autem hymnus ideò Canoni præmittitur, ut ex ipso admonearis te in maximi momenti negotio coram throno divinæ Majestatis consistere, ac veluti in Sancta Sanctorum introire: & si hactenus oportuit te purum & ferventem esse, jam memineris, te deinceps debere tanto ardore inflammari, ut eo possis omnes circumstantes, imò universum terrarum orbem succendere.

## §. VIII.

### *De Canone usque ad Consecrationem.*

HÆc pars Missæ Canon dicitur, id est Regula, quæ in sacrificii oblatione servanda est. Constat autem, ut testatur Tridentinum Concilium, ex ipsis verbis Domini, ex Apostolorum traditionibus, ac Summorum Pontificum institutionibus; nihilque continet quod non maximam redoleat pietatem & sanctitatem, atque offerentium mentes in Deum erigat, ut cum eo conjungantur. Submissâ voce recitatur, ut per silentium tum gravitas negotii, quod quasi secretò cum Deo tractatur; tum compositus, pacatusque animi status, qui ad hanc functionem ritè peragendam necessarius est, intelligatur. Ejus verba attentè & devotè prolata, ipsâ litterali significatione pios affectus suppeditabunt. Per particulam *igitur* connectitur cum præcedentibus: cum enim tibi Angelorum ministerio, quorum vocibus tuas adjungi in Præfatione rogasti, jam quasi pateat ad cælum via; statim fiducialiter ad thronum Dei accedis, & elevatis sursum oculis, expansisque manibus, preces tuas ad Deum effundis, per Christum eum rogans, ut accepta habeat *hæc dona* ab ipso nobis collata, *hæc munera* à nobis ipsi oblata, *hæc sancta Sacrificia*, quæ pro peccatis nostris offeruntur. Et primò quidem personam commemoras, cui oblatio dirigitur, nempè Deum Patrem: secundò, Mediatorem Christum Jesum: tertiò, offerentes, eorumque affectum: quartò, res oblatas, quas petis ut Deus acceptet & benedicat: quintò, eos pro quibus offertur, Ecclesiam scilicet; summum Pontificem, & alios: sextò, ea omnia, quæ consequi hâc oblatione desideras, redemptionem, salutem, incolumitatem: septimò, Beatam Virginem, & præcipuos Principes Curiæ cælestis, quorum suffragia memor tuæ imbecillitatis imploras, ut Deum tibi propitium reddant.

Ut omnium recordari possis, pro quibus orare debes, postquam dixisti, *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum*: utque ipsæ preces vim habeant efficaciorem, multùm proderit cum Christi Domini cruciatibus illas sociare, hunc ferè in modum. Primò, pro teipso orabis per sanguinem pro nobis effusum, ut per illum expieris à peccatis, & eas virtutes obtineas, quæ tibi maximè sunt necessariæ, & finalem perseverantiam. 2. Per latus transfixum Ecclesiam commendabis, quæ ex eo orta est. 3. Per caput spinis coronatum, Summum Pontificem, omnesque Principes, & Antistites. 4. Per vulnus dexteræ manûs, amicos, consanguineos, & benefactores. 5. Per vulnus sinistræ, omnes qui te oderunt, vel aliquâ molestiâ aut scandalo affecerunt. 6. Per dextrum pedem transforatum, personas, & negotia à superioribus commendata. 7. Per sinistrum, omnes qui sunt in peccato mortali, ut in dexteram partem transferantur. 8. Per flagella, sputa, & alapas, Ethnicos, Hæreticos, cæterosque infideles, qui Deum contumeliis afficiunt. 9. Per crucifixionem, Religiosos omnium ordinum, ut crucem voluntariæ asperitatis libenter ferant. 10. Per sitim, eos omnes, qui tuas preces expetunt.

runt. 11. Per angorem, quem in horto pati voluit, omnes qui in aliqua calamitate, periculo, necessitate, tentatione, aut molestia versantur. 12. Per mortem & sepulturam, justos omnes, ut cum ipso sepulti semper in justitia perseverent. Speciatim verò pro illis orabis, quorum te Deus meminisse vult, tu nescis: pro his quos Deus maximè diligit, licèt eorum numerum, & nomina ignores; id enim gratissimum illi est, ut amicorum ejus memor sis. Ab his autem orationibus te brevissimè expedies, imitatus Ecclesiam, quæ pauciss imis verbis seipsam, Summum Pontificem, & Antistitem, omnesque orthodoxos commendat. Neque enim decet, privatas causas prolixiùs quàm publicas tractare, præsertim apud eum Principem, qui omnia scit, & nos admonuit, ne orantes multùm loquamur. Consultius itaque erit, pro omnibus ante Missam fusiùs orare, ut in ipsa brevior sis.

Postquam verò privatæ devotioni satisfeciss i, rursum publicas Ecclesiæ preces assumis pro circumstantibus & pro offerentibus, sive præsentes sint, sive absentes: & quia Sacrificium jam oblatum fuit in expiationem culparum, in gratiarum actionem, & impetrationem omnium beneficiorum, jam primarius ejus finis exprimitur hâc oratione: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ*, quâ protestaris & agnoscis supremum Dei dominium, & infimam nostram servitutem ac subjectionem; expansis manibus super oblata veteri ritu, ut ea transferas in Dei potestatem, ipsum exorans, ut *ab æterna damnatione nos eripi jubeat, & in electorum suorum grege numerari.* Tum ipsi commendas sacrificii oblationem, ut eam *in omnibus benedictam*, & inter dona sibi grata *adscriptam & ratam*, sivè approbatam, & confirmatam: atque *rationabilem*, divinis scilicet rationibus congruentem; ac tandem *acceptabilem*, id est dignam, quæ non solùm ex parte doni, sed etiam ex parte Ministri offerentis à Deo accepte ur, non quidem ex nostris meritis habere, sed suâ gratiâ *facere* dignetur. Porrò ad illa verba, *ut nobis Corpus & Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi*; actualem & expressam intentionem renovabis consecrandi corpus & sanguinem Christi per transsubstantiationem panis & vini Christi verbis conficiendam.

## §. IX.

### *De Consecratione usque ad Orationem Dominicam.*

POst multas oblationes verbis hactenus expressas, sequitur tandem realis oblatio, quâ idem Christus incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruentè obtulit. Quod si hactenùs necessaria fuit puritas, humilitas & reverentia; multò major nunc requiritur, cum ad tremendum mysterium non sine timore & horrore perficiendum appropinquas. Humilia te igitur quantum potes, & recordare quid acciderit Ozæ: tum ea Christi verba tibi ad aurem dici existima, *ecce appropinquat hora & filius hominis tradetur in manus peccatoris.* Considera, te hîc Christi personam gerere, totumque hominem internum & externum ad ejus Majestatem & sanctitatem compone: & cura, ne quid sit in te dissonum à persona quam sustines.

Hæc verba, *Qui pridie quàm pateretur*, proferuntur historicè, & recitativè, ut inspicias & facias secundùm exemplar, quod tibi à Christo Domino monstratum est. Cum dicis, *Accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas*, considerabis, quàm puræ debeant esse manus, quæ tantum pignus attrectant, & hinc disces, hoc opus esse divinæ omnipotentiæ. Cùm oculos in Cælum elevas, illuc transferes universas animæ vires & cogitationes. Cùm dicis *gratias agens*, gratias item ages ob hujus sanctissimi Sacramenti institutionem. Verba consecrationis prolaturus, considera, te ea formaliter & enunciativè proferre in persona Christi. Ipsis autem prolatis, penetra oculis fidei id, quod latet sub speciebus sacramentalibus: tum genua flectens aspice iisdem oculis fidei exercitum Angelorum te circumdantem, & cum illis adeò profundâ reverentiâ Christum adora, ut cor tuum usque ad abyssum humilies. Ad elevationem, Christum in Cruce exaltatum contemplare, & ora, ut omnia trahat ad seipsum. Varios etiam virtutum actus, eosque intensissimos elicies, nunc hos, nunc illos, fidei, spei, amoris, adorationis, humilitatis, & similium, mente dicendo, *Jesu fili Dei miserere mei. Dominus meus & Deus meus. Amo te Deus meus, & adoro toto corde & affectu.* Poteris etiam renovare intentionem pro qua celebras, & Sacrum offerre secundùm quatuor fines. Specialiter verò cùm Calicem elevas, memor eris cum sensu doloris & lacrymis sanguinem Christi pro

te effusum fuisse, & à te sæpè contemptum: ipsumque adorabis veluti in compensationem præteritorum contemptuum. S. Petrus Martyr in Calicis elevatione gratiam petebat martyrii & obtinuit: tu adversitatum incruentum martyrium postulabis.

Ad illa verba, *Hæc quotiescumque feceritis*, passionis & mortis Christi recordaberis, quam consecratio panis à consecratione vini sejuncta repræsentat. Et quia peractâ consecratione statim adsunt sancti Angeli, & perseverant venerabundi, donec Sacrificium sit consummatum; tu horum reverentiam æmulare. Nam si Cælum est, ubi est Deus, Cælum sine dubio efficitur sacrum Altare, in quo tantum peragis mysterium, tuque admirabili summi boni participatione quodammodò deificaris. Quoties verò Hostiam tanges aut Calicem, Christum complectere, & cordi tuo adstringe omni possibili amoris affectu.

Post consecrationem sequitur Oratio, *Undè & memores*, quâ Christi passionem, resurrectionem, & gloriosam ascensionem commemoras, quibus mysteriis excitatur fides, spes roboratur. Sperare enim debes per merita tam beatæ passionis, è qua omnis beatitudo nostra promanat, te aliquandò participem futurum resurrectionis, & ascensionis in Cælum, ac gloriæ sempiternæ. Nec nudam solummodò adfers mysteriorum commemorationem, sed simul cum hostia pura, sancta, & immaculata, corpore scilicet & sanguine Christi: licèt enim propter species sacramentales panem adhuc nomines, non tamen panem qui priùs erat, sed *panem vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ*. Elicies autem actus gaudii propter Christi glorificationem, & cùm dicis, *suprà quæ propitio ac sereno vultu*, offeres Deo omnia antiqua sacrificia.

Cùm inclinatus Deum rogas, ut Sacrificium perferri jubeat in sublime altare suum per manus sancti Angeli sui, ad summam interiorem humilitatem te excitabis, & ipsos beatissimos Spiritus orabis, ac nominatim S. Michaëlem, ut opem tibi ferant. Cùm dicis, *Omni benedictione & gratiâ repleamur*, ingens desiderium elicies consequendi ex meritis Christi omnia possibilia dona, quibus maximè possis Deum glorificare. In *Memento* mortuorum orabis primò pro consanguineis: tum pro iis, qui tibi causa fuerunt alicujus crucis, seu molestiæ: deindè pro benefactoribus, postèà pro aliquo recenter mortuo; aut specialiter commendato: demùm pro iis, qui neminem habent, cujus suffragiis nominatim juventur.

In illa oratione, *Nobis quoque peccatoribus*, agnosce te peccatorem esse, circumdatum infirmitate, & time: licèt enim nihili tibi conscius sis, non tamen in hoc justificatus es. Spem igitur erige ob multitudinem miserationum Dei; & magno animi ardore partem aliquam & societatem cum Sanctis tibi donari humillimè pete, atque in eorum consortium admitti, optando eximiam vitæ sanctitatem pro majori Dei gloria in Christo Jesu Domino nostro. *Per quem*, ais consequenter, *hæc omnia, Domine, semper bona*, panem scilicet & vinum *creas*, quia per ipsum omnia facta sunt: *sanctificas*, cum in prima oblatione sacrificio sunt destinata: *vivificas* mediante transsubstantiatione: *benedicis*, quia per hæc Sacramenta copiosam acquirimus gratiam: *& præstas nobis* in cibum & redemptionem. Porrò hæc verba valdè ferventer pronunciabis, itemque sequentia, quia per Christum, cum Christo, & in Christo est, *Deo Patri omnipotenti omnis honor & gloria*. Hic autem gratulari poteris toti sanctissimæ Trinitati ob gloriam quam habet per Christum: & dum tenes hostiam super calicem, offeres SS. Eucharistiam, quam sub utraque specie in manibus habes, in laudem & gloriam Dei, pro omnibus beneficiis, in expiationem culparum, & pro omnium bonorum impetratione.

## §. X.

### *De Oratione Dominica usque ad Communionem.*

ABsoluto Canone jam te ad communionem præparare debes facto initio ab oratione Dominica, quam cum tremore, & filiali erga Deum affectu recitabis oculis in Sacramentum intentis, quia Christus simul cum Patre preces tuas audit & exaudit. Septem sunt ejus petitiones, in quibus summatim continentur res omnes à Deo petendæ, & pro quarum impetratione hoc sacrificium offertur. In prima petitione desiderium excitabis eximiæ tuæ & aliorum sanctitatis, ut gloria Dei augeatur, ut ab omnibus ametur & timeatur, ejusque sanctitas, bonitas, sapientia ubiquè innotescat. In secunda optabis Deum in tua, & cæterorum voluntate regnare, simulque petes ad regnum suum feliciter

citer pervenire. In tertia rogabis, ut omnes homines sic Deo serviant & obediant in terris, sicut ei ab Angelis servitur in cœlis, nunquam peccando, & quæ illi grata sunt semper ferventissimè faciendo. In quarta omnia necessaria pro victu, vestitu, cæterisque temporalibus postulabis. In quinta, imploratâ Dei liberalitate pro alimentis, ejusdem clementiam pro remissione peccatorum deprecaberis, elicito actu contritionis, & sinceræ dilectionis omnium inimicorum, & aliorum, qui tibi causa fuerunt alicujus molestiæ, purè illos amando propter Deum. In sexta diffidens de propriis viribus, & timens malitiam & inconstantiam tuam, petes à Deo, ut te præservet à tentationibus, ne fortè in eas inductus ab ejus gratia & amicitia excidas. In septima à malis culpæ & pœnæ liberari precaberis, atque ab omnibus adversitatibus, quas diabolus & mundus contra te moliuntur.

Hæc postrema petitio fusius explicatur in sequenti oratione, *Libera nos quæsumus Domine*, in qua mala enumerantur, à quibus postulas liberari, præterita scilicet, præsentia, & futura. Mala autem præterita sunt peccata, de quibus scriptum est, *Fili peccasti, ne adjicias iterum, sed de præteritis deprecare ut tibi dimittantur.* Præsentia sunt quotidiana peccata, & aliæ calamitates. Futura sunt tentationes, & aliæ imminentes miseriæ, quæ sine speciali Dei adjutorio evitari non possunt. Ad hæc impetranda opem flagitas B. Virginis, Sanctorumque Apostolorum Petri, Pauli & Andreæ, & omnium Sanctorum: & signans te signo crucis pacem petimus, quam Christus nobis suâ Passione promeruit.

Sequitur fractio Hostiæ in tres partes, quarum unam dum Calici immittis, intimam cum Deo unionem postulabis. Pacem populo annuncians, triplicem cunctis pacem desiderabis: pacem scilicet uniuscujusque cum Deo, quæ in ejus gratia & amicitia consistit: pacem cum seipso, quæ in concordia appetitûs cum recta ratione sita est, ut quod ista dictat, ille exequatur; pacem cum proximo suo, ut nemo alteri præbeat offensæ occasionem, sed omnes potiùs Christianæ charitatis officiis sibi devinciat.

Ad primum *Agnus Dei* elicito actu fidei erga Christum ibi præsentem, qui est verè Agnus Dei pro nobis in Cruce immolatus, liberari & præservari petes ab omnibus miseriis spiritualibus, quales sunt habitus pravi, tepiditas in obsequio Dei, inconstantia in benè cœptis. Ad secundum liberari item & præservari petes à miseriis temporalibus, à peste, fame, bello, morbis, & persecutionibus, quatenùs à servitio & cultu pacifico Dei nos impediunt. Ad tertium pacem postulabis, quam parit bona conscientia, dominium sui, omniumque rerum creatarum contemptus.

## §. XI.

### *De Communione.*

REctè Psalmographus de Domino loquens dixit, *& factus est in pacem locus ejus*: & Apostolus etiam ait, *Pacem habete & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.* Non ergò mirari debes, si sæpius repetitâ imploratione docet Ecclesia proximè ante communionem pacem à Deo petere, quæ & omnia bona in se complectitur, & dignum Altissimo præparat habitaculum. Hanc petitionem continet prima ex tribus orationibus, quæ communioni præmittuntur; postquam in secunda remissionem postulas peccatorum, & donum perseverantiæ. Tertia verò timorem in te excitat, ne panis vitæ & potus æternæ salutis *proveniat tibi in judicium & condemnationem*: sed mox fiduciam concipies sperans ut meritis Christi tibi *prosit ad tutamentum mentis & corporis, & ad medelam percipiendam.* Tum genuflexus Deum adorabis ardentissimum concipiens desiderium ipsum in Sacramento suscipiendi, cum versiculum illum profers: *Panem cælestem accipiam & nomen Domini invocabo.*

Cum dicis; *Domine non sum dignus*, confitere indignitatem tuam, sed simul agnosce Dei omnipotentiam & misericordiam sequentibus verbis, *sed tantum dic verbum & sanabitur anima mea.* Te autem indignum fateberis, primò propter peccata tua, secundò ob vilitatem naturæ tuæ, tertiò quia ex te nihil es, nihil habes, nihil potes.

Ante communionem subsiste aliquantulum, & præcipuarum virtutum humilitatis, fidei, spei, charitatis, contritionis, abnegationis, & adorationis actus breviter elice, quos sequenti vel simili modo formabis. Quamvis autem longiusculi videantur, si tamen memoriæ benè impressos habebis, fient tibi ex ipso usu & agilitate à Deo tributa adeò familiares, ut quasi in instanti eos mente depromas.

*Ita est, Domine Jesu, indignissimus sum, quia omnibus peccatoribus, & ipsis damnatis deterior sum,*

*indignus omni bono, & dignus omni malo. Fretus tamen pietate & misericordiâ tuâ infinitâ, te sumere præsumo. Credo Domine, quidquid credit à te edocta S. Romana Ecclesia, & quidquid illa damnat ego pariter damno & anathematizo. Spero à te, & peto omnia auxilia necessaria pro consequenda mea perfectione & salute æterna tuis infinitis meritis, & Sanctorum tuorum opitulationi ac communioni innixus. Gaudeo & exulto de omni bono & gloria tua, ejusque propagationem quàm maximam desidero. Omnia peccata mea quantum possum detestor propter te, paratus pro in plenissimè in hac vita satisfacere, ut anima mea purissimum tuæ Majestati habitaculum semper sit. Parco omnibus qui me aliquâ molestiâ affecerunt, aut deinceps afficient, & eos propter te sincerè amo. Offero me ad omnia mala pœnæ juxta beneplacitum tuum toleranda, renuncians voluntati, judicio, amori proprio, ac libertati, meque tibi resignans cum omnimoda indifferentia. Te denique summum bonum meum supplicitèr adoro, & precor per illam amaritudinem, quam sustinuisti pro me in cruce, maximè in illa hora, quando anima tua egressa est de corpore tuo, ut miserearis animæ meæ in egressu suo.*

Hæc postrema verba addita sunt, ut impetres bonam mortem, & cum ea dicis, Christi corpus sumere intendes per modum Viatici, si ipsâ die te mori contingat.

Sumpturus sanguinem considera, te nihil habere, quo dignè possis pro Christi corpore, quod sumpsisti, gratias agere, & ideò paris valoris sanguinem offerens dices magno spiritu verba illa, *Quid retribuam Domino*, cum sequentibus orationibus, quæ sumpto sanguine dici debent.

Quia verò post Communionem aliqua mora intercedit, dum abluitur calix, complicatur corporale, extenditur velum; eâ durante eos affectus breviter & ferventer elicies, qui magnis Principibus exhiberi solent, cum alicujus domum dignantur invisere. Primò itaque tantum hospitem adorabis in ejus Divinitate & Humilitate. 2. Gratias ages, quod ad te tam indignum venire dignatus sit, & pro aliis beneficiis generalibus & particularibus. 3. Splendidè eum tractabis præbendo illa omnia, quæ à te desiderat, detestando scilicet omnia peccata; renovando vota, & bona proposita; proponendo ab iis abstinere, quæ illi displicent, & facere semper quod melius est, offerendo te paratum ad omnem crucem & molestiam. 4. Petes à tanto Rege qui omnia potest, quidquid tibi & aliis, vivis & defunctis, est necessarium.

## §. XII.

### *De Postrema parte Missæ usque ad finem.*

PEractâ communione sequitur gratiarum actio, quæ est ultima Missæ pars incipiens à Versiculo, qui communio dicitur, eò quod olim caneretur, dum populus communicabat. Sequentes autem orationes non solùm gratiarum actionem continent, sed etiam postulationem, ut dona accepta in te permaneant, & majus quotidie sumant incrementum. Tum dimittitur Populus, & dum ille respondet, *Deo gratias*, iterum gratias ages Deo. Ad orationem *Placeat tibi*, rursum offeres sacrificium purissimâ intentione, & cum omni desiderio triumphantis ac militantis Ecclesiæ, prout ipsa verba sonant. Deinde Populo benedicens uberem à Deo omnibus fidelibus benedictionem, omniumque cœlestium gratiarum abundantiam ex animo precaberis, ut nunc in via, postea in patria Sanctissimam Trinitatem omnes glorificent.

Leges demum in fine initium Evangelii secundum Joannem, cum reverentia & affectu gratitudinis pro beneficio Incarnationis, & vocationis ad fidem, & cum desiderio gloriæ Dei, ut ab omnibus agnoscatur, & glorificetur. S. Augustinus, ut gravissimi auctores testantur, hoc Evangelium aureis litteris conscribendum, & per omnes Ecclesias in loco eminenti proponendum esse dicebat. Idem antiqui Christiani tanti faciebant, ut plerique collo appensum ferrent, tanquam alterum Christianæ fidei Symbolum, ac veluti amuletum contra Dæmonum vexationes. In prima hujus Evangelii parte agnosces, quantus sit hospes, quem sub panis & vini velamine latentem suscepisti, nempè Verbum æternum, per quod omnia facta sunt, Filius Dei, Patri consubstantialis, hominum lux & vita, per quem, & in quo omnes vivunt & illuminantur. Expendes deindè, ne fortè ad te pertineant verba quæ sequuntur, *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Sicut enim homini cæco præsens est Sol, sed ipsi Soli absens est: sic homines terrenis affectibus, veluti tenebris obvoluti, intimam Dei lucem non vident, nec ab ea illuminantur. Hæc etiam verba ponderabis, *In mundo erat, & mundus eum*

*non cognovit*: *In propria venit, & sui eum non receperunt*: ne & hæc forsitan in te locum habeant, quod ne contingat, Deum precaberis & timebis. In ultimis denique verbis attendes, quod dicitur, *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri*, & hoc in te adimpleri rogabis: & quia verbum divinum plenum est gratiæ & veritatis, ex hac plenitudine ubertim haurire satages, quicquid tibi ad salutem & perfectionem est necessarium.

## CAPUT VI.

### Quid agendum post Missam.

### §. I.

### *Discessus Sacerdotis ab Altari, & quædam exercitia post Missam.*

QUia finis bonorum operum debet esse gratiarum actio, ab Altari post sacrum discessurus Canticum incipis trium puerorum, quo ad gratias pro tanto beneficio Deo agendas omnes creaturas invitas. Ipsum itaque recitabis dum pergis in sacristiam, dum te sacris vestibus exuis, omni possibili devotione atque ardentissimo affectu Deum benedicendi & superexaltandi propter ipsius infinitam bonitatem. Quo absoluto in persona Ecclesiæ, quæ illo concludi sacrificium præcepit, in locum te recipies ab omni strepitu & distractione remotum, in quo clauso ostio cordis tui, cæterisque cogitationibus exclusis, soli Deo vacabis, nec ab eo recedes, donec benedixerit tibi. Sunt quædam orationes variis affectibus plenæ, post Missam recitandæ, quas Sancti Doctores Thomas & Bonaventura composuerunt. Has si devotè & sedatè recitaveris, ponderatis verbis & sensibus, non erunt inutiles & infructuosæ. At si eas celeriter percurreris, ut nonnulli solent, statimque recesseris, nullâ protractâ cum Christo morâ, vide & considera, quàm plenè tuæ conscientiæ satisfacias. Nullum certè pietatis sensum habere convincitur, qui non libenter cum Deo manet. Nec valent prætextus negotiorum vel studii, quibus se tepidi excusant: quod enim gravius & utilius negotium, quàm de animæ salute cum Deo tractare? Vel quid possunt docere libri, quod non Deus præsens melius doceat? Sicut igitur post prandium necessaria est quies à negotiis & laboribus, ut nativus calor cibum subigat, & in substantiam alimenti convertat; ita post hoc convivium quies requiritur ab externis & humanis occupationibus, ut divinum Sacramentum vim suam & virtutem in animam diffundat.

Et primò quidem diversarum virtutum actus elicies: *Fidei*, confitendo Christum à te susceptum esse verè Deum & hominem, cujus divinitati & humanitati ea omnia conveniant, quæ credit & docet Ecclesia. *Spei*, sperando ab eo multa bona naturæ, gratiæ, & gloriæ. *Charitatis*, elicito erga illum ferventissimo amoris affectu: gaudendo quod ejus Divinitas tantæ sit eminentiæ, ut nullo modo comprehendi possit: dolendo quod tot peccata contra illum & tu olim commiseris, & passim committantur. *Humilitatis*, considerando quis venerit, & ad quem; ponderando magnitudinem hujus beneficii, attentis peccatis tuis præteritis, statu præsenti, & perfectissimo gradu vitæ spiritualis, ad quem tendere debes, & à quo adhuc longissimè distas. *Desiderii & Zeli*, optando ut cessent peccata, impii convertantur, justi multiplicentur & proficiant, & Deus ab omnibus glorificetur.

Deinde quinque sensus internos animæ circa Dominum præsentem exercebis. Et primo inspice illum in te, ejus majestatem, & splendorem, manusque, pedes, & latus cum quinque splendidissimis vulneribus: aspice quod ipse sit Deus, splendor paternæ gloriæ, & figura substantiæ ejus, tam excellentis pulchritudinis, ut omnes ipsum videntes beatos faciat. Concipe affectus nunc reverentiæ & humilitatis avertens oculos à conspectu tantæ Majestatis: mox gaudii & exultationis: tum laudis, & gratiarum actionis. 2. Audi quid loquatur in te, & disce ab eo veram morum emendationem, & veras virtutes. 3. Percipe odorem virtutum ejus & post eum curre, atque illum imitare: considera quoque, quanta sit fragrantia oblati Sacrificii, quod suavissimè olet æterno Patri. 4. Gusta quàm suavis sit Dominus, & dulcissimo convivio corporis & sanguinis ejus recreatus, propone mundi vilissimos cibos nunquam amplius degustare: cumque ipse sit summa jucunditas, statue de cætero non affici erga aliquam creaturam. 5. Tange eum, & ora ut perlustret cor tuum & omnia interiora tua, & virtus de ipso exeat ad sanandum & vivificandum quidquid morbidum & vitiosum in te repererit: Pete etiam humiliter osculum ejus & dic cum sponsa, *Osculetur me osculo oris sui*; & suspira ad intimam cum ipso unionem. Oscula

quoque spiritualia figes pedibus, manibusque transfixis, & cæteris membris, quæ gravioribus tui causâ doloribus & vulneribus excruciata fuerunt.

His demum alia exercitia adjunges, vel quæ infra describuntur, vel quæ tibi devotio suggesserit; quibus peractis, singulari curâ cor tuum & sensus custodire satages, tantam Dei dignationem crebrò per diem in memorium revocabis, piis affectibus & aspirationibus acceptam gratiam conservabis, atque in omnibus te ita geres, ut in Christum, quem suscepisti, omnino transformatus videaris, virtutum ipsius imitatione, morum gravitate, & rerum omnium abdicatione.

## § II.

### *Actus Amoris post Missam.*

AMo te, Domine Jesu, jucunditas mea & requies mea; amo te summum & unicum bonum meum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus meis: & si tu vides me in hoc deficere, saltem desidero amare te: & si satis id non opto, saltem desidero id multum desiderare. Succende, Domine, igne tuo ardentissimo viscera mea; & quandoquidem non nisi amorem petis à me, da quod jubes, & jube quod vis. Nisi enim dederis mihi velle & perficere, peribo utique in infirmitate mea. Sonet vox tua in auribus meis, vox illa dulcissima & efficacissima; Volo: nam si vis potes me mundare & illuminare; potes me ad supremum amoris gradum elevare. Sicut voluisti pro me pati & mori, ita etiam velis ut appareat in me fructus Passionis & mortis tuæ. Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti: Tu enim dixisti, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. O dulcissimum verbum, tu in me & ego in te! ô quantus amor, tu in me vilissimo peccatore, & ego in te, Deus meus, cujus Majestas incomprehensibilis est! Unum est mihi necessarium, & hoc solùm quæro, in te vivere, in te quiescere, à te nunquam separari. Felix est, qui te quærit, felicior qui te possidet; felicissimus, qui in hac possessione perseverat & moritur. O dies infelices, quos turpiter transegi diligens vanitatem, & recedens à te! Et nunc Domine, qui venisti in hunc mundum, ut peccatores salvos faceres, redime animam meam in fola fiducia miserationum tuarum respirantem, & aufer à me omnia amoris tui impedimenta. Procul sit à me omnis terrena delectatio, nihil sapiat mihi, nihil me alliciat nisi tu. Vive & regna semper in me, fidelissime amator animæ meæ, in te enim sunt omnia bona, & jam deinceps paratus sum omnia potius mala perpeti, quam ut unquam cessem amare te. O corpus sacratissimum quinque vulneribus sauciatum, pone te ut signaculum super cor meum, & imprime illi charitatem tuam. Obsigna pedes meos, ut sequar vestigia tua: obsigna manus, ut bona semper opera exerceam: obsigna latus, ut ferventissimos amoris tui actus proferam in æternum. O sanguis pretiosissime, qui omnem hominem abluis & purificas, lava animam meam, & pone signum in faciem meam, ut nullum præter te amatorem admittam. O dulcedo cordis mei, & vita animæ meæ, sicut tu in Patre, & Pater in te est; ita ego per gratiam tuam unus tecum sim amore & voluntate: mihique mundus crucifixus sit, & ego mundo. Amen.

## §. III.

### *Gratiarum Actio post Missam.*

GRatias tibi ago, benignissime Deus, quod me vilissimum peccatorem admittere dignatus sis ad vivificum tuæ mensæ convivium. Et quis sum ego pulvis & cinis, ut apponeres erga me cor tuum, inclinans Cælos tuos & descendens, ut sanguine tuo purissimo sordes meas lavares, & deficientem præ fame animam meam non Mannâ de Cælo, sed carne tuâ immaculatâ reficeres & satiares. Si Cæli Cælorum te capere non possunt, & Angeli non sunt mundi in conspectu tuo, quis ego sum, & quæ domus mea, ut ad me venire, & indignis manibus meis contrectari, ac in me commorari volueris? Quid in me inveniſti, Rex tremendæ majestatis, quod à Templo gloriæ tuæ traheret te, & descendere faceret in abyssum miseriarum? Vos Angeli sancti, Vos omnes electi Dei, venite, audite, & narrabo vobis, quanta fecit Deus animæ meæ: cùm enim essem pauper & abominabilis, nec auderem oculos meos levare ad Cœlum præ multitudine iniquitatum mearum, ille me de pulvere suscitavit, erexit de stercore, ut sederem cum Principibus & de mensa ejus comederem omnibus diebus vitæ meæ. Gratias illi agite ex me vos amici mei fidelissimi: ego enim puer sum non annis sed sensu; & nescio loqui, nec verba invenio, quibus possim, ut par est,

est, tam copiosum munus gratiæ extollere & prædicare. Quis enim amor infinitæ charitati ejus à me reddi potest, qui frigus & gelu dici, non autem amor mereatur? Quæ laus, quæ adoratio, quale obsequium meum erit, quod nullum non reddat infinita ejus perfectio & dignitas; & ima ac summa indignitas mea? Sed tu Domine miserator & clemens, & immensæ bonitatis, tu nosti figmentum meum, nec despicies humillimam gratiarum actionem, quam tibi offero de paupertate mea, & sacrificium laudis meæ honorificabit te. Tua est magnificentia, tua est gloria, & tibi laus in perpetuas æternitates pro tam excelso & incomparabili beneficio. Tibi laudes concinant, tibi mecum gratias agant universi populi, tribus & linguæ; omnes Angeli & Sancti tui, quoniam misericordia tua magnificata est super me, & miserationes tuæ super omnia opera tua. Jubilent tibi omnes creaturæ, quæcunque Cæli, terræ, & abyssi ambitu continentur, & laudem tibi perpetuam dicant, quæ à te exiens in te refluat omnium rerum principium & finem. Jubilent tibi & gratias agant cor meum & anima mea, vires, sensus, potentiæ, & omnia membra corporis mei: tibique soli sit honor & gloria, à quo, per quem, & in quo omnia: qui es Deus benedictus & laudabilis in sæcula sæculorum. Amen.

## §. IV.

### *Oblatio post Missam.*

SErvus tuus ego sum, Domine Deus meus, & pro tributo servitutis meæ aliquid tibi offerre vellem, quod Majestate tuâ dignum & acceptabile foret: sed excedit omnem facultatem meam debitum meum, quia tantum tibi debeo, quanti tu vales, qui infinitus es. Et ex me quidem nihil possum, nihil sum: habeo tamen ex gratia tua donum præclarissimum, quod nullo modo recusare potes: habeo dilectissimum Filium tuum Dominum meum Jesum Christum, qui ita se mihi communicavit, ut ego in illo & ille in me sit. Quare verba Prophetæ tui aptissimè usurpabo & dicam: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, Nomini sancto ejus.* Ipse enim Filius tuus dignè pro me nomini tuo benedicet, teque amabit & glorificabit, nam intra me sacramentaliter existens factus est unum mecum, & ego unum cum illo. Illum igitur offero tibi velut thymiama suavissimi odoris ad maximam tui gloriam & honorem, in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis; in remissionem peccatorum meorum & totius mundi, ad impetrandum mihi & omnibus, pro quibus oravi & orare debeo, omnia subsidia vitæ temporalis & æternæ, & pro animabus omnium Fidelium defunctorum. Suscipe, Domine, cum hac sacratissima oblatione animam meam, & corpus meum, omnes vires & affectus meos, ut sim perpetuum holocaustum jugiter ardens Majestatis tuæ. Præsta, ut deinceps nec membra, nec sensus, nec potentias, nec vitam habeam, nisi ut te amem, & serviam tibi. Tu sapientia mea; tu lux mea; tu fortitudo mea, & robur meum: doce me, illumina me, corrobora me, ut cognoscam & faciam voluntatem tuam. Offero me tibi in servum perpetuum, meque totum resigno in beneplacitum tuum, abjectâ de me omni curâ & solicitudine. Quidquid mihi evenire permiseris, à Divina manu tua amantissimè suscipiam. In tempore & in æternitate id volo, quod tu ab æterno de me decrevisti, sive prosperum illud sit, sive adversum. Vivat semper, & regnet super me beneplacitum tuum, quod in omni verbo, actione, cogitatione, & levissimo quoque motu implere desidero. Domine ante te omne desiderium meum, & genitus meus à te non est absconditus. Desunt enim mihi verba, quibus explicem affectum meum, sed projicio me in ardentissimam fornacem amoris tui, quo succensus ad me venire dignatus es, & mansionem apud me facere. Succende me Domine, inflamma cor meum, viscera combure, ut jugiter tibi ardeam, in te vivam, & in te moriar. Amen.

## §. V.

### *Petitiones post Missam.*

DUlcissime amator, Domine Jesu Christe, qui me corpore tuo immaculato, & pretiosissimo sanguine refecisti, ignosce obsecro indignitati meæ, & quidquid deliqui in hujus Missæ celebratione, misericorditer indulge. Agnosco enim & confiteor præsumptionem meam, quia ad hoc tremendum mysterium accedere ausus sum sine debita præparatione, reverentia, humilitate, & charitate. Respice in me oculis misericordiæ tuæ, & supple excessu meritorum tuorum meam nimiam imperfectionem. Heu quoties venisti ad me, ut pauperrimam animam meam donis tuis locupletares? Ego autem contempsi te, & abii in regionem dissimilitudinis post prava desideria cordis mei. Cumque inutiliter

liter dissipatâ omni substantiâ ad te nudus & fame consumptus reversus sum, tu suscepisti me, & omnium iniquitatum mearum oblitus es. Bonum mihi quod amasti me amore æterno & infinito: nisi enim infinita esset bonitas tua, nullo modo posses tolerare miseriam meam. Vincat igitur & absorbeat bonitas tua malitiam meam. Riga me lacrymis, quas fudisti pro me; unge me myrrhâ doloris tui, astringe vinculis, ablue sanguine, cruce erige, morte vivifica. Penetret amor tuus viscera mea, & omnem alienum amorem expellat. Abscedat phantasmatum multitudo, meque totum in te transforma, ut in te pereat omnis substantia mea, meque amplius non inveniam nisi in te. Imprime cordi meo amorem crucis & humiliationis, qui, ut me redimeres, nec uno quidem momento sine cruce esse voluisti. Ne patiaris me sine fructu à te recedere, sed operare mecum mirabilia tua, sicut cum sanctis tuis operatus es: & fac me ambulare in fortitudine cibi istius usque ad montem perfectionis. Succende me ignitâ vi amoris tui, ut sim tecum consummatus in unum, omninò abstractus à me ipso, & ab omni creatura. Omnibus quoque famulis tuis, pro quibus obtuli hoc Sacrificium, & pro quibus orare debeo, seu tu rogari vis, da pacem, salutem, & tuam benedictionem. Converte miseros peccatores ad te, revoca hæreticos atque Schismaticos, illumina infideles te ignorantes. Adesto omnibus, qui in aliqua necessitate, & tribulatione constituti sunt. Esto propitius propinquis & benefactoribus meis. Miserere omnium adversantium mihi, vel qui me aliquâ molestiâ affecerunt. Succurre eis, qui se meis precibus commendârunt. Da vivis veniam & gratiam: Da Fidelibus Defunctis lucem & requiem sempiternam. Amen.

## §. VI.

### *Aspirationes post Missam ad B. Virginem, Angelos, & Sanctos.*

REspice in me, Gloriosissima Virgo Maria, quia dignum objectum oculorum tuorum nunc factus sum. Loquere pro me bona dilectissimo Filio tuo, qui me Corpore & Sanguine suo suavissimè refecit, & offer ei merita tua in supplementum imperfectionis meæ. Gratias age ei pro me, & impetra mihi ut Sacramentali suâ præsentiâ non discedat à me, nisi relinquat post se animæ meæ largissimam benedictionem.

Angeli sancti, ministri Dei altissimi, facientes verbum illius, aspicite Primogenitum Patris æterni, quem introeuntem in orbem terrarum jussu Patris adorastis, & facite me in eo spiritu & veritate illi servire, quâ vos eidem in hac vita ministrastis, & nunc in cælesti patria servitis.

Sancti Patriarchæ & Prophetæ, viri desideriorum, conscii secretorum Dei, intuemini promissum ab initio mundi Redemptorem, quem tam ardenter desideràstis, & tanto tempore expectastis, nec videre potuistis: facite me toto affectu ad ipsum suspirare, ut reliquæ promissiones ejus fideles inveniantur, & sentiam promissos hujus Sacramenti effectus.

Apostoli Jesu Christi, ejusque Evangelii clarissimi Prædicatores, aspicite in me ipsum dilectissimum magistrum vestrum quem tantoperè dilexistis: & impetrate mihi, ut intimis visceribus ipsum super omnia amem, ejusque fervoris particeps fiam, quem tunc experimentaliter gustastis, quando hoc cibo de manu ejus refecti fuistis.

Invictissimi Martyres, Christum respicite crucifixum, pro cujus amore sanguinem vestrum tam libenter fudistis, ipsumque orate, ut me semper in cruce vivere & mori faciat, quatenus vicem quam possum ejus dilectioni rependam.

Beati Pontifices, dominici gregis pastores, Agnum cernite immaculatum, quem omnipotenti Deo in sacro altari toties immolastis; & vestris precibus facite me tanti sacrificii dignum ministrum, ut meipsum bonis operibus perpetuò immolem tam sacræ oblationi associatum.

Servi fideles Christi, Sancti Monachi & Eremitæ, videte dulcissimum Dominum vestrum, pro quo omnia hujus mundi oblectamenta, & affectu & re ipsa reliquistis; & facite me pro ejusdem amore prospera mundi despicere, nulla ejus adversa formidare, & ad fastigium sanctitatis quantocius pervenire.

Purissimæ Virgines, sponsum vestrum intuemini, cui cum summa exaltatione Virginitatem vestram consecrastis, illibatam mihi mentis & corporis puritatem obtinete, ut hujus vitæ cursu peracto mundus ab omni labe in conspectu Domini merear præsentari.

Omnes Sancti & Sanctæ Dei, consolatio pauperculæ animæ meæ, vos præsertim patroni & protectores mei, aspicite magistrum, auctorem, & præmium sanctitatis vestræ, ac universam vestram felicitatem intra viscera mea manentem, mihique ab ipso, cui vos tantopere verbo & exem-

exemplo in hac vita conformastis, vestris intercessionibus impetrate, ut vestra semper vestigia sequar, & ut ad scopum mihi propositæ perfectionis, ac tandem plenus meritis ad vestrum merear consortium pervenire.

## CONCLUSIO

### *Exercitiorum post Missam.*

ANima Christi sanctifica me: Corpus Christi salva me: Sanguis Christi inebria me: Aqua lateris Christi lava me: Passio Christi conforta me: O bone Jesu exaudi me: Intra tua vulnera absconde me: Ne permittas me separari à te: Ab hoste maligno defende me: In hora mortis meæ voca me: & jube me venire ad te: ut cum Sanctis tuis laudem te; In sæcula sæculorum. Amen.

Recedo à te modicum, Domine Jesu, sed non sine te, consolatio, felicitas, & omne bonum animæ meæ, & me amplissimæ dilectioni tuæ cum omnibus fratribus, amicis & inimicis meis humillimè commendo. Ama nos, Domine, & transforma quàm simillimè in te. Totus occuper in te, & propter te, nihilque sit objectum verborum actionumque mearum internarum & externarum, nisi tu amor meus. Qui vivis & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## §. VII.

### *Cur multi ex frequenti celebratione non proficiant.*

CUm multi sint Sacerdotes, qui frequenter, multi etiam qui quotidiè celebrant; & nihilominùs hujus vivifici ac divini Sacramenti admirabiles fructus non percipiunt, necessarium procul dubio est tanti mali causas investigare. Unde enim in cura salutis tanta tepiditas, tanta in studio perfectionis negligentia; cùm dicat Chrysostomus, oportere nos ab hac mensa recedere Dæmonibus terribiles, & ignem omni ex parte spirantes? Si Deus noster ignis consumens est, venitque in terras suum ignem ferens, qui ardeat & omnium corda comburat, cur ipso intra nos recepto, nec frigus à nobis expellitur, nec ardorem ejus sentimus? Nonne mortis indicium est, vel gravissimæ ægritudinis ignem habere in sinu, & omni calore destitui? Si olim non potuit coram Arca Domini statua Dagon subsistere, sed statim corruit & contrita est: cur Christi præsentia amoris proprii tyrannicè in anima dominantis Idolum non atterit & confringit? Cur tanta Christi demissio superbiæ spiritum non elidit? Cur tanta ejus mansuetudo iram non compescit? Cur tantus amor ad ejus sequenda vestigia non impellit? Effectus Eucharistiæ sunt præservare à peccatis, augere gratiam, terrenorum odium infundere, ad æternorum amorem mentem elevare, illuminare intellectum, succendere affectum, conferre animæ & corpori puritatem, conscientiæ pacem & lætitiam, atque inseparabilem cum Deo unionem. Plerique tamen post frequentem celebrationem his effectibus non fruuntur, ad quos nimirum spectat Aggæi Prophetæ objurgatio dicentis, *Comedistis & non estis satiati: bibistis & non estis inebriati.* Defectus autem non in cibo & potu est, sed in prava edentis & bibentis dispositione. Et hæc prima tanti mali causa est, quia aliud comedimus, aliud esurimus: comedimus panem Angelorum, & immundorum animalium siliquas esurimus, deteriores Israëlitis, qui, dum manna comederent in deserto, ad ollas Ægypti suspirabant. Quid igitur miramur, si fauces amaritudine infectæ mellis dulcedinem non percipiunt? Purganda est anima à delectationibus carnis & sensuum, à tepiditate, ab omni affectu ad creaturas, ut possit divinum Sacramentum suos in ea effectus operari. Nam cor terrenis occupatum delectatio Sancta declinat, nec datur divina consolatio admittentibus alienam.

Altera causa est omissio necessariæ præparationis: plerique enim ad tantum ministerium accedere non verentur perfunctoriè, ex consuetudine, ex motivo humano, lucri potius quàm devotionis causâ, non considerantes, quanti oneris sit vel semel celebrare. Cum vir Apostolici spiritus Johannes Avila quemdam Sacerdotio paulò ante initiatum immaturâ morte decessisse audisset, statim quæsivit, num aliquando celebrasset: respondenti verò semel dumtaxat; Multum, inquit, deferet ante Judicem. Timere itaque oportet, quia nemo dignè Sacerdotio fungi, nemo hujus Sacramenti fructus percipere potest, nisi, quantum fert humana fragilitas, se ad illud disponat eâ puritate, amore, & devotione, quæ supra à nobis explicatæ sunt.

Tertia demum causa est, quia multi sacro peracto ad exteriora statim divertunt, nec sinunt ut Sacramentum suam in eis virtutem exerceat.

Isti revera gratiam Dei in vacuum recipiunt, nec de mensa cœlesti fructum reportant: quia tantum Dominum ad se venientem indignè excipiunt, nec reverentur, aut gratias agunt, imò protinus ab eo recedunt ipsumque contristant, Majestatem ejus, & incomprehensibilem dignitatem parvi pendentes, nec advertentes quanta sit fœditas, vilitas, & miseria ipsorum, ad quos venire dignatus est. Quod si adhibitâ omni diligentiâ ad dignè & devotè celebrandum contingat, aliquem hujus convivii fructibus minimè perfrui, id admirabili sapientiæ Dei adscribendum est, qui hoc permittit, ut suæ industriæ non tribuat homo hoc gratiæ donum, sed cautè illud custodiat, & se illo semper indignum profiteatur.

## CAPUT VII.

### Praxis celebrandi, cum quis prolixiùs orare non potest.

### §. I.

### *De Præparatione.*

QUamvis humana negotia divinis functionibus nullo modo æquari, necdum præferri debeant: quia tamen sunt aliqui Sacerdotes publicis utilitatibus inservientes, qui necessariis & inevitabilibus occupationibus ita aliquando detinentur, ut prolixiùs orare nequeant; brevem illis & expeditam praxim proponere necessarium duxi, quâ uti possint, cùm celebrare voluerint, ne minùs dignè divinum sacrificium offerentes, ejus fructibus priventur. Hæc autem tria tempora complectitur, id quod Missam antecedit, id quo perficitur, & quod proximè subsequitur.

Ante Missam præmittenda præparatio duplex, remota & proxima. Pro remota hæc servanda. Vespere præcedenti cogitet, se die crastinâ hostiam salutarem omnipotenti Deo oblaturum, eique cogitationi indormiat. Addat brevem aliquem affectum reverentiæ, amoris, & desiderii. Sequenti die in eadem cogitatione & affectu evigilet; caveatque diligenter, ne animus ita se negotiis immergat, & ad externa dilabatur, ut, cum tempus celebrandi advenerit, ad se revocari & recolligi non possit. Proximè ante sacrum terrenis omnibus cogitationibus abjectis, omnique sepositâ rerum agendarum solicitudine, mentem erigat ad cælestia. Perpendat quâ devotione se sentiat ad celebrandum incitari, quo fine moveatur. Conscientiam excutiat, & si aliquam ei maculam inesse deprehenderit, Sacramentali confessione eluat cum intimo doloris sensu, & firmo proposito emendationis. Tum breve aliquod tempus sumat, quo fidem mysterii excitet, charitatem accendat, passionem Domini commemoret, dirigat intentionem, & Dei opem sibi & aliis flagitet. Auxilium quoque B. Virginis & Sanctorum ferventer & humiliter implorabit. Horum actuum & affectuum formulas supra descripsimus c. 4. quas sibi quisque in brevissimas aspirationes redigere poterit pro suo captu & devotione.

### §. II.

### *De Celebratione.*

MIssæ celebrationi tres comites adjunges, reverentiam, attentionem, & devotionem. Reverentia omnes motus exteriores componit, ut modestè graviterque fiant, præscriptis cæremoniis exactissimè servatis, summâque adhibitâ humilitate, quæ omninò necessaria est Hostiam immaculatam offerenti in conspectu Dei & Angelorum. Attentio mentem coërcet, & iis quæ aguntur affigit, ne ad alia defluat & evagetur. Devotio voluntatem inflammat, ne languidè & ex consuetudine sacra operetur, sed cum ingenti fervore, solertique studio Deum placandi & colendi. Quia verò animus parùm tenax recti facilè distrahitur, quibusdam quasi vinculis adstringi debet, & in se retineri, qualia sunt à me suprà proposita capite quinto, quæ ut ibidem notavi, brevitati Missæ nullum afferunt impedimentum. Sunt etiam aliqui, qui in septem veluti stationes Missam partiuntur, ut in singulis congruos excitent affectus, & renovent attentionem. Prima dicitur *Contritionis*, quæ ante gradus Altaris peragitur, ubi Sacerdos tanquam reus se summi Judicis tribunali corde contrito præsentat, & generali confessione noxas expiat. Secunda *Glorificationis*, quæ Missæ introitu, Angelorum cantico, & reliquis usque ad Epistolam continetur. Tertia *Doctrinæ* sive instructionis, quæ Epistolam & Evangelium complectitur, monita scilicet salutis à Prophetis, ab Apostolis & ab ipso Christo nobis tradita, & cum ingenti reverentia suscipienda. Quarta *Fidei*, quæ Symbolo absolvitur. Quinta *Oblationis*, Hostiæ salutaris oblationem continens, omniumque fidelium, pro quibus oramus & offerimus commemorationem.

Sexta

Sexta *Communionis* ab illis verbis *Communicantes* usque ad post Communionem, quâ Sacerdotis animus in sublime erigitur, variisque affectibus ad divinam unionem, quæ communione peragitur, se disponit. Septima *Gratiarum actionis* à post communione usque ad finem. Porrò in singulis stationibus varii affectus excitari possunt, raptim quidem & breviter, sed brevitatem intensio affectuum, atque ordo devotionis compensabunt.

## §. III.

### *De gratiarum actione.*

QUatuor post Missam præstanda sunt, quorum primum & præcipuum est Gratiarum actio, secundum Oblatio, tertium Petitio, quartum Propositum dignè coram Deo ambulandi. Gratiarum actio quantò exactiùs fiet, tantò erit copiosior oblati Sacrificii fructus. Sicut enim ingratitudo fontem divinæ largitatis exsiccat, ita gratitudo torrentem aperit cælestium benedictionum. Potest autem hic affectus multis & variis modis excitari, quos unctio suggeret, & ingeniosa pietas excogitabit. Hoc unum est, quod à nobis expectat Deus, ut grati simus, & memores beneficiorum ejus. Sequitur oblatio, quâ par pari Deo reddere Sacerdos potest, Filium ejus Unigenitum & consubstantialem ei offerendo. Se ipsum quoque offeret Patri & Christo holocaustum acceptabile in odorem suavitatis: & quò gratior sit oblatio, merita ei addet B. Virginis & omnium Sanctorum, ac ipsius Christi, qui est salus, redemptio, & tota fiducia nostra. Quia verò cum Filio omnia nobis Pater donavit, ipsum pro suis & aliorum necessitatibus humiliter & ferventer deprecabitur. Horum actuum formula in promptu habenda erit, potestque ex his excerpi, quæ superiori capite descripta sunt. Tandem concludet efficaci proposito eundi de virtute in virtutem in conspectu Dei, donec ad apicem Christianæ perfectionis perveniat.

## §. IV.

### *Aspirationes post Missam sæpè per diem repetendæ.*

QUis me separabit à charitate tua Domine Deus meus? Non timor mortis, quia tu es vita mea: non amor mundi, quia ipsum sperno & omnes pompas ejus: non tribulatio, quia tu dum tribulor mecum es: non fames, non nuditas, non paupertas, quia tu es cibus meus, operimentum meum, & divitiæ meæ: non persecutio, non gladius, quia hæc dulcia mihi sunt propter te: non creaturæ, quia ante te nihil sunt.

Quandò educes me de isto carcere, cui te relicto adhæsit anima mea? quandò trahes me post te captum specie tuâ & pulchritudine tuâ? Quandò mihi & toti mundo mortuus ero, ut in te solo vivam, & tu vivas in me? O si semper te amarem, te semper possiderem, à tè nunquam discederem, in te prorsùs converterer?

Quid possum extra te desiderare, cùm in te sint omnia bona? Nimis avarus est, cui tu non sufficis.

O amor, qui omnia potes, quando facies ut diligam te toto corde, totâ animâ, totis viribus?

Quid mihi est in Cælo, & à te quid volui super terram? Jam plenum est desiderium meum, plenum gaudium cordis mei, quia tu es plenitudo mea, omne bonum & desiderium meum.

Refice Domine esurientem animam meam: accende frigiditatem meam igne amoris tui, illumina cæcitatem meam claritate præsentiæ tuæ.

Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia infima & creata in contemptum & oblivionem.

Erige cor meum ad te in Cælum, & ne permittas me vagari super terram.

Penetret quæso hujus Sacramenti virtus omnia intima mea, & quidquid in me pravum, quidquid vitiosum est, mortificet & eradicet.

In te Jesu suavissime, sit omnis delectatio mea: tædeat me gaudii quod est sine te, amara mihi sit omnis quies, quæ non est in te.

Emitte ex te, benignissime Jesu, amoris tui radios, qui me succendant, & quidquid terrenum in me est, comburant & consumant, ut igne inextinguibili charitatis tuæ ardeam, & vetus in me homo totus deficiat.

Utinam me rapiat ignita vis amoris tui, quæ me transformet in te, & in te absorbeat, ac me tecum unum efficiat!

# INDEX CAPITUM

## Et Paragraphorum.

### CAPUT PRIMUM.
Quædam præmittuntur de ipso Missæ Sacrificio.


§. 1. Quale Sacrificium sit Missa. Pag. 177
§. 2. De his qui offerunt hoc sacrificium. ibid.
§. 3. De vi effectiva hujus sacrificii. 178
§. 4. De valore & fructibus sacrificii. 179
§. 5. Quæ praxis servanda in applicatione Missæ. 180


### CAPUT II.
De requisitis in Sacerdote ad ritè & piè celebrandum.


§. 1. De puritate vitæ. 181
§. 2. De rectitudine intentionis. 182
§. 3. De actuali devotione. ibid.


### CAPUT III.
Variæ considerationes ante Missam.


§. 1. Quanta sit Sacerdotum dignitas, & quanta debeat esse sanctitas. 183
§. 2. De excellentia hujus Sacrificii. ibid.
§. 3. De ejusdem necessitate. 184
§. 4. Quâ reverentiâ celebrandum sit. 185
§. 5. Aliæ considerationes ad pios affectus in celebrante excitandos. 186


### CAPUT IV.
De his quæ Missæ celebrationem proximè antecedunt.


§. 1. De necessitate præparationis. ibid.
§. 2. De præmittenda Confessione Sacramentali. 187
§. 3. Modus confitendi. 188
§. 4. Oratio ante Confessionem & actus contritionis. ibid.
§. 5. Oratio post Confessionem. 189
§. 6. Directio intentionis ante Missam. ibid.
§. 7. Deprecatio pro omnium necessitatibus. 190
§. 8. Specialis oblatio sacrificii quatenùs est latreuticum. 191
§. 9. Oblatio sacrificii quatenùs est Eucharisticum. 192
§. 10. Oblatio sacrificii quatenùs est propitiatorium. 193
§. 11. Oblatio sacrificii quatenùs est impetratorium. ib.
§. 12. Actus diversarum virtutum ante Missam. 194
Fidei. ibid.
Spei. 195
Charitatis. ibid.
Desiderii. ibid.
Gratitudinis. 196
Timoris. ibid.
Humilitatis. 197
§. 13. Commemoratio Dominicæ Passionis ante Missam. ibid.
§. 14. Oratio ante Missam ad Patrem. 198
§. 15. Oratio ante Missam ad Dominum Jesum Christum. ibid.
§. 16. Alia Oratio ad eundem. 199
§. 17. Oratio ad Spiritum Sanctum. ibid.
§. 18. Oratio ad B. Virginem. 200
§. 19. Oratio ad Sanctos Angelos, ibid.
§. 20. Invocatio omnium Sanctorum. 201


### CAPUT V.
De Missæ celebratione.


§. 1. De proxima dispositione ad Missam. ibid.
§. 2. De sacris vestibus, & earum significatione. 202
§. 3. De accessu Sacerdotis ad Altare. ibid.
§. 4. De initio Missæ usque ad Introitum. 204
§. 5. De Introitu usque ad Epistolam. 205
§. 6. De Epistola, Evangelio, & Symbolo. 206
§. 7. De Offertorio usque ad Canonem. ibid.
§. 8. De Canone usque ad Consecrationem. 208
§. 9. De Consecratione usque ad Orationem Dominicam. 209
§. 10. De Oratione Dominica usque ad Communionem. 210
§. 11. De Communione. 211
§. 12. De postrema parte Missæ usque ad finem. ibid.


### CAPUT VI.
Quid agendum post Missam.


§. 1. Discessus Sacerdotis ab altari & quædam exercitia post Missam. 213
§. 2. Actus Amoris post Missam. 214
§. 3. Gratiarum Actio post Missam. ibid.
§. 4. Oblatio post Missam. 215.
§. 5. Petitiones post Missam. ibid.
§. 6. Aspirationes post Missam ad B. Virginem, Angelos, & Sanctos. 216
Conclusio exercitiorum post Missam. 217
§. 7. Cur multi ex frequenti celebratione non proficiant. ibid.


### CAPUT VII.
Praxis celebrandi, cùm quis prolixiùs orare non potest.


§. 1. De præparatione. 218
§. 2. De celebratione. ibid.
§. 3. De gratiarum actione. 219
§. 4. Aspirationes post Missam. ibid.


DE

# DE DISCRETIONE SPIRITUUM

## *LIBER UNUS.*

SANCTISSIMO PATRI

## BERNARDO ABBATI

DOCTORI MELLIFLUO

*Joannes S. R. E. Presb. Cardinalis Bona Indignus Servus & Filius.*

NOn diu mihi quærendum fuit, cujus potissimùm nomine hanc exiguam de discernendis spiritibus lucubrationem inscriberem, quemve illi Patronum accerserem: nam Tu statim occurristi, dulcissime Pater BERNARDE, cujus erga me officia & beneficia multò majora sunt, quàm ut possint paucis perstringi. Ut enim hoc solùm commemorem, quod præcipuum est, Tibi tuæque opi ac tuitioni debeo, quòd à teneris annis ab hoc seculo nequam ereptus totum cum pompis ac divitiis suis mundum despicere didici, filiorumque tuorum cœtui aggregatus melioris vitæ vias eorum exemplo & institutione ingressus sum. Cumque meritò formidarem, ne fructus à me exigens tam grandi culturâ dignos, & non inveniens, tanquam arborem infœcundam me succidi, & flammis tradi juberes; Tu, Clementissime Pater, degenerem filium non abjecisti, sed rorem divinæ gratiæ à fonte omnium bonorum impetrasti mihi, lumenque admovisti, ut discussâ caligine, in qua volutabar, errores meos discernerem & detestarer. Et hoc paternæ protectioni tuæ deputo, quòd inhæserunt præcordiis meis præclara monita & documenta salutis, quibus discipulos tuos in diebus vitæ tuæ potenter instruxisti, & delectabar in eis; & hoc indicium divinæ erga me misericordiæ agnosco & gratias ago, quòd verba tua non sicut verba hominis, sed sicut Dei, ut revera sunt, libenter audiebam: à vera siquidem sapientia, quæ Deus est, illa profluxit, quæ in libris tuis mirabiliter elucet. Sive enim Monachos erudis, sive vitia redarguis, sive hæreticos conteris & schisma-

ſchiſmaticos expugnas, ſive abdita myſteria pandis, ſive gratiam Dei extollis, ſive Pontifices inſtruis, ſive Dei dilectionem doces, ſive Sanctorum merita celebras, ſive negotia pertractas; nihil certè legi poteſt aut diſertius, aut excellentius, aut efficacius ad perſuadendum. Urit, afficit, penetrat mellifluus ſermo tuus: & nardus tua dedit odorem ſuavitatis, odorem vitæ in vitam, ab illis dumtaxat percipiendum, quibus datum eſt à Patre, teſtante Filio & dicente; *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Hæc ſunt nimirum incerta & occulta increatæ Sapientiæ, quæ non niſi ab illis cognoſci poſſunt, qui ſpiritum ipſius habent; de quo ſcriptum eſt; *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* Atque utinam hùnc ipſe ſpiritum habuiſſem, cùm animum appuli ad hæc ſcribenda; certas etenim & infallibiles regulas tradidiſſem, quibus boni inſtinctus à malis, verum lumen à falſo, & ſibilus ſerpentis à voce ſponſi loquentis in ſilentio ad cor Hieruſalem dignoſcerentur. Et quidem ſi Tu hîc eſſes, tenerem Te & rogarem, ut panderes mihi ſecretum tuum, & penderem ex ore tuo, ſicut olim diſcipuli tui: nec dubitarem Te verum dicere, quia ſumma Veritas mihi intus diceret te verum dicere. Nunc verò etſi audio te mutis vocibus loquentem & docentem, vereor ne peccatis meis exigentibus eloquia oris tui non percipiam; nec doceas me, etiam ſi loquaris; neque enim doces non intelligentem. Et ſi quid intelligo, vix me idoneum exiſtimo ad hoc ipſum rudi meo ſermone explicandum. Quæ eſt igitur ſcientia mea, ſi neſcio utrum aliquid ſciam? Idcircò verbis tuis in hoc Tractatu uſus ſum, aliorumque Patrum qui Te præceſſerunt, nihil auſus aſſerere, quod firmiſſimâ eorum auctoritate, ſacrarumque Literarum irrefragabili teſtimonio, aut certâ experientiâ non roboretur. Sed Te præ cæteris magiſtrum, Te doctorem ſequutus ſum, cui ſublimioris hujus Theologiæ magiſterium divinitùs traditum eſt; adeò ut Tibi diſplicere non poſſit hoc qualecunque munuſculum, quod in perenne humillimi mei obſequii & grati erga Te animi monumentum offero, quia Tuum eſt, ex tuæ videlicet ſapientiæ ditiſſimis theſauris depromptum. Illud igitur excipe & protege paternâ benignitate, illorumque mentibus, qui in hunc librum inciderint, divini luminis obtine claritatem, quâ deſuper imbuti æternis rationibus inhæreant, & mundi ac dæmonis inſidioſis ſuſurrationibus deſpectis in ſempiternæ Veritatis amore, ejuſque beata poſſeſſione conquieſcant. Hoc votum meum eſt, hæc merces operi meo. Romæ, die feſto Natalis Tui. M. DC. LXXII.

---

*Imprimatur*,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*I. de Angelis Archiep. Urbinaten. Viceſg.*

*Imprimatur.*

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Palatii Apoſt. Mag.

DE

# DE DISCRETIONE SPIRITUUM

## *LIBER UNUS.*

### CAPUT I.

*Scopus hujus libri. Quanta sit hujus Discretionis difficultas; & unde oriatur. Ejusdem necessitas. Ejus defectu plures & horribiles lapsus. Ad eam impetrandam oratio.*

I. QUæ à sanctis Patribus, aliisque probatis Scriptoribus de DISCRETIONE SPIRITUUM tradita sunt, & quæ ipse tum propriâ tum alienâ experientiâ percepi, in unum colligere proposui stylo facili, &, quantum argumenti natura patitur, claro, ad Dei gloriam & eorum instructionem, qui animas regendas susceperunt. Qua in re utrum aliquid præstiterim, Lectori benè attendenti ipsa tractatio; me nihil temerè affirmante, indicabit. Opus enim aggressus sum difficile, multâ obsitum caligine, casuum varietate perplexum, & quibusdam quasi cavernosis anfractibus impeditum, quod omnem quærentis diligentiam occurrentibus sæpè insolubilibus nodis ita eludit, ut modò elabatur è manibus quod inventum est, modò rursus appareat, & iterum absorbeatur. Hæc nimirum sapientia est omnium hominum intelligentiam excedens, quantumvis doctissimi sint, & in spirituali palæstra longo certamine probati. (a) *Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque cœli latet. Deus* solus *intelligit viam ejus, & ipse novit locum illius.* (b) *Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terrâ mensura ejus, & latior mari.* Vita enim spiritualis plena latibulis est, diversæ sunt & admirabiles Dei vocationes: nec potest homo discernere sine lumine supernaturali ab eo infuso, qui veritas est, an quis ambulet in spiritu veritatis. Et si nemo novit quæ Dei sunt, nisi spiritus ipsius Dei, ut docet Apostolus, (c) quis hominum poterit divinum instinctum cognoscere, ejusque vocem percipere loquentis in silentio ad cor Jerusalem? Quis etiam valeat humani cordis secreta penetrare, ad quæ nulli aditus patet, nisi soli Creatori? *Pravum est cor omnium & inscrutabile*, teste Prophetâ, (d) *quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Diaboli verò multiplices fraudes, innumeras nocendi artes, ac penè inextricabiles laqueos, quis detegere, quis evitare queat? Cùm præsertim ipse malignus hostis quandoque se in Angelum lucis transfiguret. Monet Scriptura (e) sathanæ cibum electum esse, quia illos præcipuè decipere ac devorare conatur, qui sanctiores sunt, quare cautiùs cavere debent, ne ab ipso circumveniantur. Proprii denique spiritus diversos instinctus inter tot affectionum tumultuantium procellas, inter tot errorum tenebras quis accuratè discernet? Quis iter arduum & tenebrosum inoffenso pede conficiet, nemine facem præferente.

II. *Spirituum ponderator est Dominus*, ait Sapiens, (f) *& omnes viæ hominis patent oculis ejus.* Ipse librat, ponderat, dijudicat omnia, *qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura.* (g) Sermo ejus *vivus est & efficax*, inquit Apostolus, (h) *penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritûs, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.* Hic prohibemur de inte-

(a) *Job.* 28. 21. (b) *Idem* 11. 8. (c) 1 *Cor.* 2. 11. (d) *Jerem.* 17. 9. (e) *Habac* 1. 16. (f) *Prov.* 16. 2. (g) *Job.* 28. 25. (h) *Hebr.* 4. 12.

interioribus & incognitis humanâ prudentiâ judicare, eodem Apostolo contestante, (i) ne ante tempus judicemus, quousque veniat Dominus, qui illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet consilia cordium. Nam teste Gregorio (k) *qui lucem videt, scit quid de tenebris æstimet. Qui verò lucis candorem ignorat, etiam obscura pro lucidis approbat.* Sæpè virtutum aditus vitiorum foribus vicini sunt, magnoque lumine indiget homo, ne in vitium inconsideratè labatur, dum se putat virtutem amplecti. Qua in re maxima circumspectio adhibenda, tum quia obtusior est intellectus ad res internas pernoscendas, rerumque terrenarum amor captivat & obcæcat nos; tum quia falsæ virtutum similitudines aciem mentis quibusdam quàsi præstigiis ita perstringunt, ut species boni appareat in re non bonâ, & species mali in re non malâ.

III. Clamat Apostolus (l) quem diligebat Jesus, ne credamus omni spiritui, omnibus scilicet internis motibus, impulsibus, suggestionibus, desideriis, inspirationibus; sed *probate*, inquit, *spiritus, si ex Deo sunt. Unde probo?* ait Augustinus (m) *Probare vellem, si errare non possem. Certè nisi probavero spiritus qui ex Deo sunt, incurram necesse est in spiritus, qui ex Deo non sunt, & ex hoc seducar à pseudopropheta. Quid agam? Quomodo observem? O si S. Joannes quo modo nobis dixit*, Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt; *dicere dignaretur, quomodò probentur spiritus, qui ex Deo sunt?* Sed ne solliciti simus. Monet nos Spiritus Sanctus probare spiritus, & quia superat hæc probatio quicquid viribus naturæ aut assequi aut indagare possimus, ipse idem Spiritus spirans ubi vult, postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, facit nimirum nos summis precibus à Deo postulare quod non possumus, ut Pater luminum, qui dicit de tenebris lucem splendescere, illuminet nos mirabiliter à montibus æternis, docens nos juxta propheticum sermonem (n) eligere bonum & reprobare malum, & separare pretiosum à vili. (o) Filii quidem tenebrarum sumus ob peccatum primi parentis opacâ nocte circumsepti; ac cùm radius effulget divinæ gratiæ, tunc caligo dissipatur, tunc supernâ luce perfusi ambulamus sicut in die, tunc videmus quid agendum sit, & mortalitatem nostram transilientes in meliorem sortem transcribimur. Cumque ad unam & eandem rem modò diabolus, modò natura, modò Deus impellant; necessaria prorsus est lux Discretionis, ut sciamus, quæ suggestiones, à quo principio sint, quibus aditum aperire, quibus obstruere debeamus. Ipsa nos docet in singulis actibus circuire conscientiam nostram, & nosmetipsos deprehendere, hostisque dolos & versutias eludere. Quod si scientia curandorum corporum ideò difficillima dicitur esse, quia pendet à conjecturis & signis externis, quæ ambigua & æquivoca sunt, adeò ut his decepti etiam peritissimi Medici noxia quandoque morbis remedia præscribant: quantò difficilius erit internos motus dijudicare, qui à sensibus remoti, & densis tenebris sepulti sunt? *Animalis homo*, ait Apostolus (p), *non percipit quæ sunt spiritus Dei*; ea enim videt & examinat crassâ & animali imaginatione, quæ rebus sensibilibus mentem affigit: *spiritualis autem judicat omnia*, quia ad divinum & incommutabile lumen elevatus, radium ejus excipit, & in eamdem imaginem à claritate in claritatem transformatus omnia videt quæ in animo sunt, & in eis ac per ea illa quoque circumspicit, quæ in mundo sunt, & de omnibus judicat; quia nihil ab ejus judicio subtrahitur, à cujus cognitione nihil occultatur. Veruntamen *rari sunt*, ut B. Laurentius Justinianus scribit, (q) *qui spirituales re & nomine censendi sint. Vocabulum hoc denuntiatione sortiuntur multi, effectum verò ipsius pauci.* Nomen plerique sanctitatis habent, sed non opera: vocem Jacob, manus Esau: & in Apocalypsi (r), qui viventis speciem gerebat, tanquàm mortuus conclamatur. Ideò veteri ritu hinc procul arcendi omnes profani, quorum immensa turba est; oculos enim ad hæc intuenda non habent, quorum fides opifex est. Similes sunt de tenebris ad solem repentè prodeuntibus, qui à luce abhorrent, donec sensim assuescant ejus fulgorem sustinere.

IV. Hinc fraudes, hinc doli, hinc illusiones, hinc pericula, & lapsus: hinc horrenda magnorum virorum præcipitia, quorum cùm plurima proferre valeam exempla, duo tamen præ cæteris notanda sufficient, ut discant fideles non altum sapere, nec sibi temerè spirituum discretionem arrogare. Quis inter Ecclesiæ proceres sapientior & nobilior Origene? cujus tanta vis ingenii, tanta doctrinæ profunditas, tanta eruditionis ac eloquentiæ ubertas, tanta vitæ sanctimonia fuit, ut apud omnes admirationi esset. Et hic tantus ac

(i) 1 *Cor.* 4: 5. (k) *Greg. 5. moral. c.* 27. (l) 1 *Joan.* 4: 1. (m) *Aug. ser.* 30. *de verbis Ap.* (n) *Isa.* 7: 15. (o) *Jer.* 15: 19.

(p) 1 *Cor.* 2: 14. (q) *Lib. de obed. c.* 16. (r) *Apoc.* 3: 1.

ac talis vir dum ingenio suo nimium indulget, dum proprio spiritu inflatus veterum traditiones contemnit, in absurdos errores lapsus est. Tertulliani quoque par casus fuit. Hic enim mirâ ingenii capacitate omnes Philosophorum sectas, omnes disciplinas complexus, vetustæ fidei parùm tenax, dum specie deceptus castitatis & abstinentiæ falsa Montani dogmata, & insanarum mulierum deliramenta tanquam veras prophetias præcipiti judicio suscipit, ex Ecclesiæ magistro orthodoxæ fidei hostis acerrimus factus est. Quæ cum ità sint, ne nobis diabolus vitrum pro margarita, falsum pro vero obtrudat, illa Domini nostri sententia, quam sancti Patres (*f*) sæpè commemorant, sequenda est, ut simus probabiles trapezitæ, probos nummos ab adulterinis subtilissimè discernentes. Sicut enim trapezita non ea solùm numismata examinat, quæ faciem tyrannorum exprimunt, sed illa etiam, quæ veri Regis imagine, sed non legitimè figurata sunt: tum inquirit ad trutinam, an quidpiam illis justi ponderis desit. Ita nos debemus internos animi motus, & omnes cordis recessus sagacissimâ indagatione perscrutari, & non humanâ statera, sed justissimâ sanctuarii lance perpendere, & ad Christi Sanctorumque doctrinam, & exempla veluti ad lydium lapidem examinare. Hoc mihi in hoc tractatu propositum est, in quo nullam necessariæ institutionis partem defuturam confido: nam in his quæ cunctis patent satis esse credo excellentiora notare: in his verò quæ latent, magna pars doctrinæ est nosse quid quæras. Sed satius est divinam opem in hoc ipso introitu implorare, sine qua inanes sunt omnes conatus nostri, omnis providentia timida & incerta, stulta & vana omnis sapientia.

V. Veni igitur Lux splendidissima increatæ sapientiæ, & illumina tenebras meas, quia nox perpetua incubuit mihi, & horribilis malorum cohors. Doce me cognoscere veritatem tuam, ut tuâ efficaci inspiratione imbutus è fæce terræ emergens divinis inhæream rationibus. Perlustra vitali tuo fulgore intima cordis, ne tenebras, in quibus natus sum, infeliciter amans longè abeam à te in regionem dissimilitudinis. Fac me gustare per affectum, quod te donante percipio per intellectum, quo te purè purum attingens pravas opiniones, mundique hujus simulacra per inane volantia ex animo expellam. Da legi tuæ consona scribere despectis iniquorum fabulationibus, tu qui occulta sapientiæ tuæ non prudentibus hujus seculi, sed parvulis & humilibus revelare dignaris. Excita me, & accende illo igne, quem misisti in terram, & insinua nutus tuos. Pande sinus secreti tui, & immitte cogitationes hâc sublimiori sapientiâ dignas, cujus explicationem in te confisus aggressus sum. A te enim summo bono, creatore & artifice meo omnia bona sunt, quæ in vita, sensibus, & mente habeo. Sine te labitur memoria, errat judicium: nec idoneus sum ad bonum eligendum, quo per peccatum me sponte privavi. Te deserui, à quo factus sum, & duo mala contraxi ignorantiam & infirmitatem: atque in his manebo, & in his peribo, nisi tu me reficias, qui de nihilo me fecisti. Sine luce & ope tuâ non est veritas, sed vanitas: non est scientia, sed error: non est discretio, sed confusio. Ideò clamo ad te cum Propheta (*t*), *Dominus illuminatio mea, & salus mea*; ut illuminatio detrahat ignorantiam, salus infirmitatem. Clamo, inquam ad te, ut ea quæ nescio doceas me, in his quæ novi custodias me, in quibus fallor corrigas me, in quibus labor confirmes me: à falsis & noxiis eripias me. Et velle quidem ex tuo munere adjacet mihi, perficere autem non invenio, nec aliquando me inventurum confido, nisi tu qui velle dedisti, des & perficere. Non enim est volentis neque currentis, sed tui miserentis, Salvator mundi, sine quo nihil possum, nihil habeo, nihil sum.

(*f*) *Clem. Alex. lib. 1. strom. Origen. in Joan. tom. 19. Epiph. har. 44. Hieron. Ep. ad Min. & Alexan. Cassian. collat. 1. cap. 20. Cyrill. Alex. lib. 1. adv. Nestorium.*

## CAPUT II.

*Duplicem esse gratiam, quarum una justificans & gratum faciens, altera gratis data. Quid utraque sit. Discretionem spirituum inter gratis datas potissimum locum habere. Quid sit Discretio. An detur per modum habitûs. Quid ad eam requiratur. Duo ejus modi, unus à Deo infusus, alter per modum artis.*

I. GRatia Dei, quâ nihil excellentius hominibus tributum est, duplex ab Angelico Doctore dicitur esse; una per quam homo justificatus ad Deum reducitur, & divinæ naturæ consors efficitur: altera per quam aliis cooperatur, ut justificentur, & ad Deum reducantur. Illa

(*t*) *Psal. 26.*

*gratum faciens*, hæc *gratis data* nuncupatur. (a) Quamvis enim omnis gratia à Deo gratis donetur supra meritum personæ, & supra debitum naturæ; ex fine tamen, propter quem datur, orta est hæc distinctio: nam prima ad sanctificationem ejus, cui datur, altera ad aliorum salutem ordinatur. Illa justorum propria est, hæc justis & peccatoribus communis. Ideò illa gratum faciens dicitur, quia supra rationem gratiæ gratis datæ hoc addit, quod hominem Deo gratum & amabilem reddit: hæc autem antonomasticè gratis data vocatur, quia hanc solam gratiæ proprietatem habet, quod gratis detur; per se verò, & ex primario ac intrinseco fine non sanctificat hominem, cui datur. Illa unius rationis & speciei est, quia unica est recipientis perfectio: hæc in plures dividitur species, quia diversæ sunt operationes sive energemata ad multiplicem aliorum utilitatem. Hæ gratiæ sic ab Apostolo (b) enumerantur. *Divisiones gratiarum sunt, & divisiones operationum. Unicuique autem datur manifestatio spiritûs ad utilitatem. Alii per spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundùm eumdem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alli gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult.* Et hæ quidem sunt species gratiarum, quas divina providentia illis hominibus conferre solet, quibus utitur tamquam instrumentis, ut quosdam per eos ad fidem vocet, & ad salutem promoveat. Eminet autem inter cæteras tam dignitate, quàm necessitate Discretio spirituum, de qua aliis omissis sermo nobis futurus est. Sed quia, ut diximus superiori Capite, ea obscura, & valdè perplexa est, ne Lector statim in limine impingat, & se laqueis involvat, paulò fusiùs explicare oportet, quid hujus gratiæ nomine intelligatur.

II. Quidam cum S. Thoma (c) Discretionem spirituum nihil aliud esse arbitrantur, quàm cognitionem cogitationum cordis, & eam sicut & prophetiam ordinari ajunt ad confirmandam fidei doctrinam. Confirmatio enim in his quæ sunt supra rationem per ea fit, quæ propriè pertinent ad divinam virtutem; cujusmodi est earum rerum manifestatio, quas solius Dei est scire; futura scilicet contingentia, pro quibus datur prophetia; & occulta cordium, ad quæ penetranda datur Discretio spirituum. Sic autem accepta Discretio, quamvis sub prophetia comprehendi, & vix ab ea distingui videatur, notabile tamen inter utramque discrimen intercedit. Nam prophetia per se est obscura, nec potest evidens esse nisi in attestante: Discretio verò evidentiam habere potest non solùm in attestante, sed etiam ex clarâ intuitione internarum cogitationum, quæ revelantur. Istæ enim actu existunt, suntque occultæ, vel ex defectu principii cognoscendi, specierum nempe & luminis, vel ex dependentia cognitionis nostræ à phantasmatibus: at verò hæc impotentia facilè à Deo suppleri potest vel per infusionem specierum & luminis, vel per speciale auxilium, quo intellectus elevetur ad operandum sine dependentia à phantasmatibus. Alii rectiùs docent, Discretionem spirituum in peculiari motione Spiritûs Sancti consistere, ad discernendum inter varios motus, à quo spiritu proveniant bono an malo, sive ad mores spectent, sive ad doctrinam: sive quis interiùs & invisibiliter moveatur, & excitetur, sive exteriùs per homines docentes & consulentes, aut per Angelos sensibiliter loquentes, vel apparentes. Et hæc est gratia Discretionis, quam inter gratis datas septimo loco recenset Apostolus, quæ à Spiritu Sancto non omnibus datur, sed quibus, & quando vult ad discernendos spiritus non solùm in seipsis, sed etiam in aliis ad communem Ecclesiæ utilitatem. Hæc autem nihil aliud est quàm illustratio mentis, quâ perfusus homo facilè, & sine errore dijudicat, à quo principio tum proprii, tum alieni motus & cogitationes ad electionem pertinentes excitentur: quid scilicet à bono, quidve à malo spiritu suggeratur.

III. Sunt qui putent, hanc gratiam infundi per modum habitûs; nam de aliquibus Sanctis legimus, virtute quâdam habituali aliorum cogitationes pro suo arbitratu perspexisse, imò etiam cognovisse quasi ex ipso aspectu, an quis esset in statu gratiæ, vel damnationis, quæ gratia major est, quàm occultas cogitationes inspicere. S. Anselmus Cantuariensis, ut in ejus vita refert Edinerus, divinâ luce perfusus mores omnis sexûs & ætatis ità discretionis ratione monstrante penetravit, ut cuique posset sui cordis arcana revelare. Origines etiam, semina, & radices omnium virtutum, ac vitiorum detegebat, & quomodo illæ acquiri, & ista vinci, & evitari possent, luce clariùs edocebat. Alii plures occurrunt Sanctorum acta legentibus hoc eodem dono præditi; non tamen credo, in eorum potestate fuisse, omnes om-

(a) *S. Tho. 1. 2. q. 111 art. 1.* (b) *1 Cor. 12.* (c) *S. Th. 1. 2. q. 111 art. 4.*

omnium cogitationes videre quoties vellent : hæc enim gratia, sicut & reliquæ gratis datæ, in Christo solo per modum habitûs fuerunt, ut concors Theologorum sententia docet; cæteris datur per modum actûs sive motionis transeuntis, aliis quidem rariùs, aliis frequentiùs, aspirante divinâ gratiâ, quando & quomodo vult. Optimè de hac re Gregorius Magnus. (d) *In cunctis fidelibus spiritus venit, sed in solo mediatore semper singulariter permanet, quia ejus humanitatem nunquam deseruit, ex cujus divinitate procedit. In illo igitur manet, qui solus & omnia & semper potest. Nam fideles, qui hunc accipiunt, cùm signorum dona semper habere, ut volunt, non possunt, hunc se accepisse quasi in transitus ostensione testantur.* Idem alibi. (e) *Prophetiæ spiritus Prophetarum mentes non semper irradiat: quia, sicut de sancto Spiritu scriptum est,* Ubi vult spirat; *ita sciendum est, quia & quando vult aspirat. Quod omnipotens Deus ex magnæ pietatis dispensatione disponit, quia dum spiritum prophetiæ aliquando dat, & aliquando subtrahit, & mentes elevat in celsitudine, & custodit in humilitate, ut & accipientes spiritum inveniant quid de Deo sint, & rursum non habentes cognoscant quid de semetipsis.*

IV. Varios Discretionis modos Joannes Climacus (f) ita describit. „ Discretio in tyronibus, seu rudibus est perfecta, & vera status sui „ interioris cognitio. In mediis seu proficientibus est sensus quidam animi, qui bonum pro„ priè dictum à Physico, & ejus contrario sine „ errore dijudicat. In perfectis est cognitio ex „ divina illustratione orta, quæ obscura quæque „ in se, & in aliis suo lumine illustrare potest. „ Generatim verò & omnia complectendo hoc „ est, & intelligitur esse Discretio, divinæ nimi„ rum voluntatis certa & firma comprehensio, „ quovis tempore, quocumque in loco, & nego„ tio, quam tantùm possident mundi corde, cor„ pore, & ore. Hæc ille, qui dum hanc gratiam solis justis, & mundis inesse affirmat, communi Theologorum sententiæ non adversatur. Licet enim hi doceant, omnem gratiam gratis datam etiam in malis reperiri posse, quia ex primario, & intrinseco fine non ad propriam sanctificationem, sed ad aliorum ædificationem tribuitur; si tamen consideremus bonitatem morum secundùm passiones animi, & actiones externas, ex doctrina S. Thomæ (g) certum est; per morum malitiam donum Discretionis impediri. Infusio etenim luminis supernaturalis ad hoc necessaria mentis tranquilitatem, & internam pacem requirit, quæ in animo vitiis obnoxio, ac terrenis affectionibus perturbato locum non habet. Ideò ut plurimùm solis justis, & mundis corde lux ista infunditur, quibus visio Dei rerumque divinarum promissa est dicente Domino: (h) *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Hæc est sapientia, quæ in malevolam animam non intrat, nec habitat in corpore subdito peccatis, (i) sed in sola anima justi requiescit. Quicquid Dei est, illi protinus percipiunt, qui spiritu Dei pleni sunt. Et si gratia Dei bonus odor est, ut testatur Apostolus, (k) anima Deo plena, ejus suavitate perceptâ, post eam currit, & internâ quâdam motione animam item cognoscit, in qua Deus inhabitat. Quòd verò oporteat perturbationibus carere ad discernendas cogitationes, S. Diadochus Photicensis Episcopus his verbis docet. (l) „ Oportet eos, qui certant, animum sem„ per extra perturbationum fluctus conservare, „ ut mens cogitationes incurrentes discernens, „ bonas quidem, & à Deo missas in penu memo„ riæ recondat, malas verò, & dæmoniacas ex „ apothecis naturæ ejiciat. Mare enim cum „ tranquillum est, usque ad fundum est piscatori„ bus perspicuum, ita ut tunc nihil ferè ibi pi„ scium eos lateat; cùm verò ventis agitatur, te„ git tempestate turbidâ, quæ in placida tran„ quillitate largiter facit perspici. Et infra, (m) „ Quemadmodum gustu, qui est sensus corporis, „ bona à malis sine errore, cum rectè valemus, „ discernentes, ea quæ sunt suavia appetimus: sic „ mens nostra cum cœperit integrâ sanitate, & in „ multa curarum vacuitate moveri, potest etiam „ divinam consolationem affatim sentire, & à „ contraria nunquam rapi. Concinit scholiastes Climaci dicens: (n) „ Modestia animi, simpli„ citasque cordis discretionis gratiâ illuminata, „ discrimina spirituum ostendit, & secernere fa„ cit. Et ipse Climacus, (o) „ Mare, inquit, „ est parens & causa fontis, humilitas autem „ fons, & mater Discretionis. Laurentius item Justinianus de discernendis spiritibus agens, hanc raram esse gratiam ait, & paucissimis collatam, illis videlicet, qui sunt corde humiles, mente puri ac tentationibus variis diutissimè probati. *Qui non est tentatus,* ait Sapiens, (p) *quid scit? vir in multis expertus cogitabit multa.* Nihil enim sa-

(d) *Greg. l. 2. mor. c. 27.* (e) *Lib. 2. Dialog. cap. 21.* (f) *Clim. grad. 26.* (g) *2. 2. qu. 172. art. 4.*



(h) *Matth. 5: 8.* (i) *Sap. 1: 4.* (k) *2 Cor. 2: 14.* (l) *Diad. c. 26.* (m) *Idem c. 30.* (n) *Ad grad. 21.* (o) *In fine gr. 25, Lib. de obed. c. 26.* (p) *Eccl. 34: 9.*

pientius experientiâ, nec facilè quis poteſt eâ deſtitutus myſticas Spiritûs Sancti operationes ejuſque occultas ſemitas, & diverſas vocationes, diaboli verſutias, & intima cordis penetralia, atque alia ejuſdem generis dignoſcere, quorum diſcretio non in ſimplici notitia, ſed in opere & exercitatione conſiſtit.

V. Huc pertinet quod ait Job, (q) *Nonne auris verba dijudicat & fauces comedentis ſaporem?* Quæ verba explicans B. Gregorius, (r) *Aliud eſt*, inquit, *nominatum cibum audire ſolummodo, aliud etiam guſtare. Electi cibum ſapientiæ ſic audiunt, ut deguſtent, quia hoc quod audiunt, ex per amorem medullitus ſapit.* De quo ſapore idem alibi hæc habet. (ſ) *Sancti viri, inter illuſiones atque revelationes, ipſas viſionum voces aut imagines quodam intimo ſapore diſcernunt, ut ſciant vel quid à bono ſpiritu percipiant, vel quid ab illuſore patiantur.* Hunc autem ſaporem Cancellarius Pariſienſis (t) intimam inſpirationem eſſe docet, & experimentalem dulcedinem, ſive illuſtrationem à montibus æternis omnes tenebras effugantem, & manna abſconditum ac nomen novum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Inerat hæc gratia S. Monicæ magni Auguſtini optimæ matri, quæ, ut ipſe teſtatur (u), dicebat, ſe diſcernere neſcio quo ſapore, quem verbis explicare non poterat, quid intereſſet inter Deum revelantem & animam ſuam ſomniantem. Iterum Gregorius audiendus eſt: (x) *Cum per ſemetipſum Dominus loquitur, de verbo ejus ſine verbis ac ſyllabis cor docetur, quia virtus ejus intimâ quâdam ſublevatione cognoſcitur.* Joannes Ruſbrochius (y) in regno amantium Deum hunc ſaporem immenſum, inexhauſtum, & incomprehenſibilem vocat: additque Harphius (z) totam animam eo perfundi. Differt hic ſapor à Diſcretione propriè dicta, quia hæc ad vim intellectivam, ille ad affectivam ſpectat. Deinde hoc ſapore proprii tantùm inſtinctus, & ea quæ quiſque patitur & percipit, diſcerni poſſunt, in alienis autem motionibus judicandis locum non habet.

VI. Quia verò Diſcretio ex lumine cœlitùs infuſo paucorum eſt, ſicut pauci item ſunt, quibus datum ſit prophetare, patrare miracula, loqui variis linguis, & ſermones interpretari; ideò alia via diſcernendi ſpiritus inquirenda eſt, quæ communior ſit & facilior, illa nimirum quæ per modum artis & doctrinæ fit, examinatis motionum principiis & effectibus, perpenſis item regulis, quæ à Spiritu ſancto præſcriptæ ſunt in ſacris Scripturis, & quas ſancti Patres à Deo inſpirati, aliique Doctores ab experientia inſtructi tradiderunt. Hæc autem Diſcretio, licèt directè & immediatè ad gratiam gratis datam non ſpectet, ad eam tamen reducitur, quatenus præceptis utitur, quæ viri ſapientiſſimi præter ſcientiam & naturale judicium ſpiritu etiam veritatis imbuti, & æqui ſpirituum ex principiis ſupernaturalibus ponderatores in ſuis lucubrationibus reliquerunt. Ex his multa longo ſtudio excerpſi, quæ ad certa veluti axiomata ſive aphoriſmos redigam, ut quæ in pluribus libris diſperſa ſunt, hîc in unum collecta, brevique ſermone perſtricta habeantur. Moneo tamen, ne quis facilè ſibi perſuadeat, ſe ex iſtis inſtructionibus poſſe certum & irrefragabile judicium ferre, niſi accedat experientia, quæ omninò neceſſaria eſt ad varias motiones, deique diverſas operationes in anima percipiendas. Nam ut ſcribit Richardus lib. de præparatione animi ad contemplationem, (a) *Multa quidem de Diſcretione legendo, multa diſcimus audiendo, multa ex inſito nobis rationis judicio, veruntamen nunquam de hac ad plenum erudimur ſine experientiæ magiſterio.* Debet quoque diſcretor in ſimplicitate cordis, & in ſpititu humilitatis Deum ſolum reſpicere, ipſi ſoli inniti, & ab eo lumen petere; quia ut ait Seraphica Virgo Thereſia, (b) *Parum ex libris diſcitur, niſi Deus intus doceat.*

(q) *Job* 12: 11. (r) *Gregor. lib.* 11: *cap.* 4. (ſ) *Idem l.* 4. *Dialog. cap.* 48. (t) *Gerſon tract. de prob. ſpirituum.* (u) *Aug. l.* 6. *confeſſ. cap.* 13. (x) *Gregor.* 28. *mor. cap.* 2. (y) *Ruſbr. c.* 33. (z) *Harph. l.* 3. *myſt. Theolog. cap.* 18.

## CAPUT III.

*Ad quid ſe extendat Diſcretio ſpirituum. Varii hominum motus & affectiones. Vox ſpiritus quid ſignificet. Quid & quotuplex ſit ſpiritus. Omnes ſpiritus ad tres revocari, quorum unus intra nos, duo extra ſunt.*

I. CUm duplex facultas in homine reperiatur, una viribus ad agnoſcendum, altera ad appetendum inſtructa; utramque autem varii ſpiritus moveant & excitent, quicquid ad eas pertinet, accuratè debet examinari, ne ſub ſpecie veri aut boni quidpiam ad malum aut ad errorem inducens diabolicâ fraude irrepat, & humanis actionibus permiſceatur. Spectat igitur ad diſcretionem

(a) *Rich. c.* 67. (b) *Thereſ. vitæ ſuæ c.* 22.

tionem quælibet mentis excitatio, sive impulsus ad aliquid credendum vel agendum inducens, quod ita verum & bonum appareat, ut tamen veritas & bonitas non sit manifesta; vel periculum saltem immineat, ne ad falsum & malum viam sternat. Sub his comprehenduntur privatæ revelationes, visiones & apparitiones; internæ item motiones & inspirationes ad aliquid extraordinarium vel superstitiosum incitantes: vel ad aliquid aggrediendum supra vires sub fiducia specialis auxilii seu miraculi, sive etiam ad boni statûs semel suscepti mutationem, sub prætextu majoris perfectionis impellentes; & aliæ ejusdem generis, quæ probis viris Deo in veritate servientibus contingentes, eos anxios ac solicitos reddere solent.

II. Facultas quæ cognitioni deservit duas habet potentias phantasiam & intellectum, quibus potest aut cœlestia lumina Deus immittere, aut diabolus errores inserere, sive id immediatè fiat, sive hominum ministerio. Quare solerter disquirendum est primò, qui & quales sint homines, cum quibus loquimur & conversamur. *Discretio spirituum*, ait Chrysostomus (a), *significat cognitionem, quisnam spiritualis sit, quis non: quis propheta, & quis deceptor.* De qua re Christus etiam nos monuit dicens (b), *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos.* Secundò cavendum est, ne omni vento doctrinæ circumferamur, neque sinamus nos abduci doctrinis variis & peregrinis, sicut monet Apostolus (c), sed constantes in vera fide Novatorum impulsus, & falsa dogmata despiciamus. At verò in appetitu, qui duplex est, concupiscibilis & irascibilis, magna est series affectionum, quæ ex cupiditate & ira tanquam ex duobus fontibus promanantes in plures rivos deducuntur. Plato (d) considerat hominem, quasi monstrum & sphingem ex diversorum animalium partibus conflatam, cupiditatem verò latissimam esse ait, multarumque bestiarum capita, innumeras scilicet affectiones continentem. Alibi etiam docet (e) hujusmodi affectiones plures esse sine nomine, itemque plures quæ nominantur. Scholastici verò cum Aristotele (f) & S. Thoma undecim enumerant, sub quibus reliquæ, si quæ sunt, comprehenduntur. Cùm enim species boni aut veri aut apparentis sese offert, statim oritur in parte concupiscibili amor, qui si augetur, dicitur zelus. Sequitur desiderium, quod cùm est vehemens, vocatur concupiscentia. Si bonum est præsens, nascitur delectatio; quæ si exteriùs exprimitur, hilaritas, exultatio, jubilus dici solet. At si objicitur imago mali, adversus illud insurgit odium. Si præsens adest, tristitia existit; quæ si est nimia, vocatur tædium: si retardat ab opere, acedia: si est de malo alterius tanquam ad nos spectante, misericordia: si est de bono alieno tanquam minuente excellentiam nostram, invidia: si de malorum prosperitate, quâ putantur indigni, nemesis. In parte verò irascibili ex apprehensione boni ardui absentis procedunt spes, & desperatio: ex opinione mali ardui absentis, audacia & timor. Spes nimia in præsumptionem, audacia in temeritatem degenerant. Si timor oritur ex novitate rei, fit admiratio: si ex vehementi apprehensione imminentis adversitatis, fit perturbatio, quæ postea definit in stuporem, angorem, & anxietatem. Si res quæ timetur superat vires, fit ignavia & segnities: si habet adjunctam in se turpitudinem nascitur verecundia; si in aliorum opinione, erubescentia. Si culpa metuitur, ubi non est, scrupulus nuncupatur. Cum verò malum arduum jam instat, ira erumpit, quæ si crescit, in furorem & rabiem transit. Hæc animi pathemata, hæc perturbationes, hi motus sunt, quos in nobis excitant vel Deus, vel Sathan, vel ipsa natura nostra. Pertinet autem ad Discretionem quibusdam notis indicare, à quonam principio oriantur.

III. Ad alia plura Discretionem extendit Richardus à S. Victore: (g) *Pertinet enim ad eam*, inquit, *quodlibet insidians malum & adhuc latens providè circumspicere, callidè deprehendere, citius detegere, acerbiùs arguere. Ad officium ejus spectat diligenter attendere, frequenter discutere, quantum animus quotidie proficiat, vel quantum sorte deficiat, quibus cogitationibus magis incurretur, quibus affectibus frequentius tangatur. Debet non solùm vitia sua, sed & gratiarum munera, & virtutum merita nosse: & quæ sint bona naturæ, vel quæ dona gratiæ subtiliter pensare. Promptum habere debet, quibus tentationum machinis malignus eam spiritus impugnet, quantis spiritualium gratiarum consolationibus abundet, quàm frequenter divinus eum spiritus visitet; quomodo ab ipso, cum sit unus, non tamen uniformiter, eodemque modo semper tangitur, sed nunc spiritu sapientiæ, nunc spiritu intellectûs, nunc spiritu consilii, vel aliis quibuslibet ejus affectibus repletur. Et ut totum breviter concludam, debet totum interioris & exterioris hominis statum & habitum, in*



(a) *Chrys. hom. 29. in 1. ad Cor.* (b) *Matt. 7: 15.* (c) *Ephes. 4: 14. Hebr. 13: 9.* (d) *Lib. 9. de Rep.* (e) *In Theat.* (f) *Arist. 2. Ethic. 1. 2. qu. 23.*

(g) *De præp. animi ad cont. empl. c. 70.*

*quantum possibile est, plenè cognoscere, nec solùm qualis sit, verùm etiam qualis esse debeat, subtiliter quærere, diligenter investigare.* Hæc Richardus. Unum addo, quò clarior evadat hujus rei explicatio, non solùm inter bonum & malum, sed etiam inter bonum & melius discretionem adhibendam esse. Ita docet Albertus magnus in Paradiso animæ, (h) *Discretio vera est prudenter judicare quid sit bonum, quid melius, quid optimum.* Hæc omnia in toto suo ambitu Discretio spirituum complectitur, sed jam videndum est, quid nomine spiritus intelligatur, quidvè spiritus sit, & quotuplex.

IV. Nomen spiritus plura significare & Grammaticis notum est & Philosophis, quibus Theologi consentiunt, & sancti Patres (i). Sumitur enim pro halitu, sive respiratione (k); *Non habebat ultra spiritum*: pro vita, (l) *revixit spiritus ejus*: pro aëre moto & impulso, (m) *adduxit spiritum super terram & imminutæ sunt aquæ*: pro anima rationali, (n) *spiritus redeat ad Deum qui fecit illum*; pro potentiis animæ, (o) *& exultavit Spiritus meus*: pro Angelis bonis & malis, *qui facis Angelos tuos spiritus (p)*: pro Deo optimo maximo, *spiritus est Deus*: (q) pro tertia persona sanctissimæ Trinitatis, *accipite Spiritum sanctum*: (r) pro cognitione intellectiva supernaturali, *verba quæ loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt*: (s) pro iracundia, *requievit spiritus eorum, quo tumebant*: (t) pro dono Spiritûs Sancti, *spiritus sapientiæ & intellectus* (u): pro intimo ac vehementi animi sensu, *infremuit spiritu, & turbatus est spiritu.* (x) Medici verò cum tria genera spirituum tradunt, vitalem, animalem, & naturalem, sumunt spiritum pro substantia quadam subtili, aëreâ, dilucidâ, & tenuissimâ, quâ defertur virtus à præcipuis membris ad reliqua, ut suas valeant operationes exercere. Istæ verò acceptiones alienæ sunt à nostro instituto. Significat tandem spiritus internam inspirationem, sive impulsum, instinctum, & motionem, quâ quis seipsum sentit ad aliquid agendum vel non agendum incitari, ut cum dicit Scriptura, *Nolite omni spiritui credere*: (y) itemque, *Nescitis cujus spiritûs sitis* (z): & alibi, *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est* (a). Hoc sensu nomen spiritus in hoc tractatu accipitur ab halitu respirationis ductâ analogiâ: nam quia halitus ex corde procedit, & illius dispositionem ac motum indicat, inde translatus est spiritus ad quoslibet animi motus & impulsus, quo homo interiùs ad aliquem actum humanum incitatur; qui nihil aliud est, quàm apprehensio sive judicium intellectûs, & inclinatio voluntatis ad opus vel omissionem operis, sive à principio intrinseco, sive ab extrinseco moveatur.

V. Aliquando nomine spiritus non ipsos afflatus & inspirationes, sed earum auctores intelligimus, quâ ratione spiritus bonus, spiritus nequam, spiritus hominis, qui est in homine sæpè in Scripturis nominantur. Sive autem spiritus ipsos afflatus & motus animi, sive principia eorum significet, sex illos esse auctor est Bernardus in eo sermone, qui de septem spiritibus titulum præfert, cùm de sex inscribi debeat. Primus est divinus, de quo Psalmista ait, *Audiam quid loquatur in me dominus Deus* (b). Secundus angelicus, quem Zacharias Propheta commemorat dicens (c), *Angelus qui loquebatur in me.* Tertius diabolicus, *immissiones* scilicet *per Angelos malos*; ut in Psalmo scriptum est (d). Quartus est spiritus carnis, cujus meminit Apostolus, cùm Colossensibus scribens quosdam *spiritu carnis suæ inflatos* esse testatur (e). Quintus est spiritus hujus mundi; quem idem negat Apostolos accepisse, sed spiritum qui ex Deo est. Sextus est spiritus humanus, de quo ibidem legimus (f). *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in ipso* (g)? Ex his spiritibus tres semper mali & falsi sunt, diabolicus, carnalis, & mundanus: duo semper boni & veraces, divinus, & angelicus: unus indifferens & medius, nempè humanus, quia tam bono, quàm malo indifferenter adhæret & servit. Rectè Hugo in Miscellaneis: (h) *Spiritus Dei & spiritus diaboli immobiles sunt, alter in bono, alter in malo. Spiritus hominis nunc huc, nunc illuc flectitur.* Possunt igitur omnes spiritus ternario numero comprehendi, & ad divinum, diabolicum, & humanum contrahi, si angelicum divino, carnalem

(h) *Albert. cap.* 34. (i) *Athanas. ad Serap. de sp. sancto. Didym l.* 3. *de sp. sancto. Epiph. hær.* 74. *num.* 9. *Aug.* 14. *de Trinit. c.* 14. & 12. *de Gen. ad lit. c.* 7. *Chrys. hom.* 5. *contra Anomæos. Bonav.* 1. *sent. dist.* 10. *q.* 3. (k) *Reg.* 10: 5. (l) *Gen.* 45: 27. (m) *Gen.* 8: 1. (n) *Eccles.* 12: 7. (o) *Luc.* 1: 47. (p) *Psalm.* 103. (q) *Johan.* 4: 24. (r) *Jo.* 20: 23. (s) *Johan.* 6: 64. (t) *Jud.* 8: 3. (u) *Esai.* 11: 2. (x) *Jo.* 11: 33. & 13: 21.

(y) 1 *Johan.* 4: 1. (z) *Luc.* 9: 55. (a) 1 *Cor.* 2: 12. (b) *Psal.* 84. (c) *Zach.* 1: 14. (d) *Ps.* 77. (e) *Coloss.* 2: 18. (f) 2 *Cor.* 2: 12. (g) *Ibidem v.* 11. (h) *Lib.* 1. *tit.* 130.

nalem & mundanum diabolico conjungamus. Angelus enim bonus ex semetipso non loquitur. Carnis verò & mundi spiritus satellites sunt magni principis tenebrarum, & quæ ex parte illius sunt, suggerunt nobis.

VI. Horum spirituum unus intra nos est, ipsa nimirum unicuique insita natura, quæ spiritus humanus dicitur: duo extra nos sunt, divinus, & diabolicus. Licèt enim motiones ab his excitatæ, si considerentur ut actiones, vitales sunt, à principio intrinseco oriri dicantur, ab his tamen distinguuntur, quas per se natura excitat sine ullo externo agente, à quo primùm moveatur, & hoc sensu principia extrinseca nuncupantur. Magni autem momenti est, clarè dignoscere, à quonam principio omnis motio procedat. Certum quippe est, per unum & eundem impulsum ad contrarios fines Deum & diabolum tendere, unde magna ambiguitas est in omni motione discernenda. Quod si principium cognoscamus à quo procedit, nulla ampliùs hæsitatio remanebit; Deus enim semper ad bonum, semper diabolus ad malum impellit. Deinde si quis intelligat se à Deo moveri, multò alacriùs exiliet ad opus: & si diaboli vestigia in aliqua re deprehendat, multò citiùs ab ea recedet. Alia denique remedia adhibenda sunt homini qui ad aliquod malum à propria natura impellitur: alia illi, qui cùm naturaliter ab aliquo vitio abhorreat, ad id nonnunquam diabolicâ suggestione incitatur.

## CAPUT IV.

*Difficile esse discernere à quonam principio sint instinctus & motus nostri, ab intrinseco, an ab extrinseco. Notæ aliquot & regulæ ad id traduntur.*

CUm duplex sit principium omnium motuum animæ nostræ, ut supra dictum est, intrinsecum unum, nempè ipsa natura nostra sive spiritus humanus; alterum extrinsecum, Deus scilicet, vel diabolus: magnique momenti sit posse discernere, à quo ipsi motus, impulsus, instinctus, cogitationes, & affectiones nostræ oriantur, priusquam ulteriùs progrediamur, aliquot regulæ ad id necessariæ præmittendæ sunt, quas sancti Patres divinitus inspirati tradiderunt. Difficilis enim est hæc Discretio & vix paucis concessa, quibus Deus uberiorem spiritus sui gratiam conferre dignatus est. Nec mirari quisquam de hoc debet, ut ait Gerson, (a) „ cùm pauciſſimos inveniamus qui plenè sciant „ secernere cogitationes & affectiones suæ rationalis animæ, ut rationalis est, ab illis, quæ sunt „ animales, videlicet in sensu communi, vel in „ organo phantasiæ. Quem invenies precor ex „ timentibus Deum, & peccata fugientibus, „ qui semper & in omnibus ad liquidum prospiciat, dum tentationes vigent, si sensus eorum „ sit tantummodò in imaginatione, vel consensus in ratione? Adeò non facile est discernere „ sensum à consensu. Quantò plus habet difficultatis probatio spiritus, dum videlicet instinctus „ unus vel inspiratio vehemens tangit mentem, „ si sit à Deo, vel ab Angelo bono aut malo, „ vel à proprio spiritu humano? cujus rursus „ sensus portio duplex superior & inferior adscripta est: cujus sentire divisionem perfectè „ dat illud verbum Dei, quod pertingit usque „ ad divisionem spiritus & animæ. Hæc Gerson. Sed præstat audire Bernardum ex altâ suâ sapientiâ de hac re disserentem: (b) „ Quis ita vigilet „ diligens observator motionum internarum suarum sive in se, sive ex se factarum, ut liquidò „ ad quæque illicita sensu cordis sui discernat inter morbum mentis, & morsum serpentis? „ Quantumlibet enim quis omni custodiâ servet „ cor suum, & omnia quæ intra se moventur vigilantissimâ intentione observet, etiam si diuturnum fortè in his habuerit exercitium & „ frequens experimentum, non poterit tamen „ ad purum in se dignoscere discernerevè ab invicem malum innatum & malum seminatum. „ Nam delicta quis intelligit? & ego non possum tradere vobis, quod non accepi. Non autem accepi fateor, unde assignem certam notionem inter partum cordis & seminarium hostis. Quippe utrumque malum, utrumque à „ malo, utrumque in corde, sed non utrumque „ de corde. Hoc totum certum mihi in me, & „ si incertum quid cordi, quid hosti tribuam. Hactenus Doctor mellifluus, qui priùs distinxit duplex genus cogitationum: quasdam enim cor intus parit, quasdam audit. Illæ à principio intrinseco, hæ ab extrinseco sunt. Tunc certam notam & criterion tradidit, quo discernantur quæ à Deo sunt ab his, quæ intus à nobis producuntur. *Nam cùm mala*, inquit, (c) „ in corde „ versamus, nostra cogitatio est; si bona, Dei „ ser-

(a) *Gerson. de probat. spirituum.* (b) *Ser. 32. in Cant.* (c) *Ibid.*

» sermo est. Illa cor nostrum dicit, hæc audit. » Ideaque pacem, pietatem, justitiam Deus in no» bis loquitur: nec talia nos cogitamus ex nobis, » sed in nobis audimus. Cæterùm homicidia, » adulteria, furta, blasphemiæ, & his similia de » corde exeunt, nec audimus ea, sed dicimus.

1. Est igitur, teste Bernardo, prima & infallibilis regula, quòd omnis bona cogitatio, omnis ad bonum instinctus à Deo est: nam ut ait Augustinus (d), *Quicquid bonum est, non nisi ab illo nobis est, qui summè & incommutabiliter bonus est.* Rationem affert Prosper dicens (e), *quia enim nemo sit bonus, nisi solus Deus, quale erit bonum, quod auctorem non habet bonum?* ex nobis verò, teste Apostolo (f), non sumus sufficientes aliquid cogitare tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui omnem boni sufficientiam benignè nobis subministrat. Sicut enim subsistere non possumus sine illius operatione qui fecit nos; ita nec bonum velle aut cogitare valemus, nisi munere gratuito divinæ opitulationis adjuvemur.

2. Mala cogitatio ex nobis est, sed non semper. Est enim aliquod malum, quod corde quidem sentitur, non tamen exit de corde, sicut nostra cogitatio; sed immittitur à contrariis potestatibus, quale fuit quod diabolus in cor Judæ misisse legitur, ut traderet Dominum, clandestinis avaritiæ facibus miserum accendendo. Quamvis autem immissiones istas per angelos malos à cogitationibus sive affectionibus, quæ ex nobis oriuntur, indubitanter discernere non valeamus, ut ex allatâ Bernardi sententiâ constat; non desunt tamen probabilia quædam signa & conjecturæ, quibus illæ ab istis secernuntur.

3. Illa, ad quæ movemur à principio intrinseco, liberè inchoamus, prosequimur, perficimus; liberè intermittimus & abjicimus; & cùm status præsens exigit, ad eâ nos excitari experimur. Illorum verò, quæ ab extrinseco adveniunt, nec initium est in nostra potestate, nec facilè possumus progressum impedire: animum etiam ex improviso plerumque præoccupant, nullâ præsenti causâ præexistente. Idcirco quæ ab intrinseco sunt, certis notis & indiciis à Philosophis moralibus traditis dignosci queunt: quæ autem ab extrinseco procedunt, nullam certam rationem, nullam regulam nobis notam habent. Etenim si bona sunt, à Deo pendent, cujus spiritus ubi vult spirat, & nescimus unde veniat, aut quò vadat: Si mala, à dæmone suggeruntur, cujus perversa voluntas, & mille nocendi artes nulli mortalium satis perspectæ.

4. Principio extrinseco tribuendi sunt motus, qui vires naturales superant, quia natura seipsam non excedit. Illi quoque forinsecus immitti censentur, quos impetu quodam quasi aliunde immissos patimur, nam motus naturæ placidiores esse solent. A foris item sunt, cum nulla in nobis dispositio, nulla præcedens occasio, nullus humorum excessus, nulla perturbatio inveniri potest, cui adscribantur.

5. Cùm malæ cogitationes excitantur in mente, hinc agnoscere possumus unde trahant originem. Si enim incipiunt in imaginatione ex turpium rerum repræsentatione, postquam in carne pravus motus exurgat, ejus solet esse suggestio, cujus halitus prunas ardere facit. Si verò motus primitus excitatur in carne, & inde turpes subsequuntur cogitationes, mali initium à pravitate naturæ est, & à concupiscentia quæ regnat in mortali corpore. Hoc indicio vir sanctus & Sanctorum prudentiâ plenus Philippus Nerius non à carne, sed à diabolo emanasse cognovit impuram quamdam tentationem, quæ in ipso exorta est ad aspectum cujusdam pauperis, quem nudo corpore obvium habuit Romæ prope Amphitheatrum: erat enim malignus hostis, qui hominis specie se illi objecerat, ut refert Gallonius in ejus vita. Quia verò in omni tentatione potentissima orationis arma arripere oportet, quibus sathan vincitur & in fugam vertitur: si post longam & ferventem orationem pravi motus perseverant, non à dæmone eos esse, sed à natura probabile est.

6. Hoc item observandum, sæpè multa diabolo tribui, quæ depravatæ ac perturbatæ naturæ germina sunt. Corporum enim constitutio, & humorum, præsertim melancholici, exuperantia; pravæque consuetudines, ac subitaneæ perturbationes gravissimas efficiunt commotiones, adeò ut multi à malo spiritu obsessi & possessi perperam existimentur, qui nonnisi naturali morbo exagitantur. Idem accidit in bonis motibus. Nam fervor ætatis & complexionis, ingenii acumen, & vehemens apprehensio varios affectus aliquando excitant, lacrymas & suspiria, altissimos animi sensus & cogitationes, ecstases quoque & alienationes, quæ cùm à causis naturalibus oriantur, ab ignaris tamen divino spiritui adscribuntur.

7. In-

(d) *Lib. 2. ad Bonif. cap. 9.* (e) *Adv. collatorem cap. 26.* (f) *2 Cor. 3: 5.*

(g) *Lib. 3. c. 54.*

7. Instinctus gratiæ ab instinctu naturæ his notis dignoscitur, quas auctor libelli de Imitatione Christi (g) fusiùs prosequitur, & quia liber vulgatissimus est, hîc prætermitto. Illud autem maximè notandum, quod fervor procedens ex naturali temperamento, gravi aliquâ difficultate superveniente, statim languet & evanescit: at qui ex Deo provenit, superato omni impedimento, ex periculis vires, & ex adversitatibus incrementum sumit; illa enim virtute roboratur, de qua scriptum est (h), *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.*

8. Divinæ inspirationis initium semper est à gratia, quæ voluntatem nostram prævenit, adjuvat, perficit. Unde est illa Domini sententia (i), *Sine me nihil potestis facere.* Nullum enim bonum in nobis est, nisi à summo bono nobis donetur. Cumque nos ea delectant, quibus excitamur ad Deum, non nutu nostro ac industriâ hoc fit, sed qui seminat in corde bonum semen, ipse idem rigat & dat incrementum, ut possit voluntas nostra ab eo sanata, quod per se vitiata non potest. Quia verò natura sibi relicta semper ad malum prona est, hinc fit, ut nonnunquam diabolici instinctus ab ipsa natura initium sumant, à qua exilientes scintillas pravis suggestionibus dæmon eventilat & accendit. Optimè ille novit, quæ sint vires humanæ naturæ post lapsum primi parentis, & quàm vehementer ipsa se suæ corruptionis pondere ad peccatum impellat, *Homo*, inquit Bernardus (k), *impulsor sibi est & sumet præcipitator, ut non sit quod ab altero impulsore formidet: nam suo sine alieno impulsu cadere potest, alieno absque suo cadere non potest.* Sponte igitur in lubrico constitutos sæpè hostis impellit, conatus suos validiores fore confidens, si cum naturæ motu consenserint. Liquet ex his, initia bonorum semper à Deo esse, malorum autem instinctus vel à diaboli suggestione in nobis oriri, vel ab ipsa naturæ ad malum inclinatione absque opera extrinseci impulsoris.

9. Quando internæ motiones à nobis ipsis oriuntur, suaviter ut plurimùm ac leniter exurgunt, motumque ac vires naturæ ferè sequuntur: at cùm veniunt ab extrinseco, duplex in iis modus observatur. Unus est, cùm placidè incipientes ità se naturæ accommodant, ut omninò naturales existimentur: alter, cùm violentiùs irruunt, nosque adeò vehementer concitant, ut agi potiùs quàm agere videamur. Manet tamen in his motibus illæsa semper & inconcussa humana libertas: nam diabolus, licèt impellat, non nisi consentientes & non resistentes evertit. Deus verò, cùm ad bonum nos incitat, dat simul velle & consentire; & tunc verè liberi sumus, cùm nos liberat à servitute peccati, & transfert in libertatem filiorum Dei.

10. Si motus pravus est, nihil prorsus refert discutere & scire, sitnè à proprio, an à maligno spiritu: vigilandum potiùs & orandum, ne consensum illi præbeamus, undecunque proveniat. Bono autem instinctui, qui Dei solius est, obedire statim oportet, satagendo ne in vacuum gratiam Dei recipiamus.

11. Cæterùm nulla regula excogitari potest, quæ in aliquo singulari casu aut non fallat, aut fallere non possit; præter eam quæ desursum est à Patre luminum descendens. Sed neque certâ demonstratione constare nobis potest, quòd sancti Spiritûs magisterio edocti bonum à malo, proprium ab alieno discernamus; quia *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quò vadat* (l). Et Job ait (m), *quasi furtivè suscepit auris mea venas susurri ejus:* & iterum (n), *si venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam.* Servanda itaque præscripta ab Apostolo documenta (o), *Spiritum nolite extinguere: prophetiam nolite spernere: omnia autem probate, quod bonum est tenete.* Hæc autem probatio tunc legitima esse censetur, cùm sedulum de re proposita examen instituitur; atque omnis motio ad superiorum ac peritiorum judicium refertur. Sic cùm Joseph narrasset patri somnia sua, increpavit eum pater, sed rem tacitus considerabat (p). Sic Helias, non in turbine adesse Dominum, non in commotione, non in igne, sed in sibilo auræ tenuis, rem seriò examinans cognovit (q). Sic Beata Virgo ab Angelo salutata cogitabat qualis esset ista salutatio (r). Sic Samuel voce Domini auditâ ad Heli protinus cucurrit, ejusque monitis obedivit (s). Sunt qui dicunt se alieno judicio noncredere, quia de suo certi sunt per occultam Dei revelationem. Sed his respondendum est, posse hominem decipi, cum sibi credit: si autem credit superiori, aut consulit peritiores, errare non potest: respicit enim Deus animam humilem, & si revelatio vera est, nunquam permittet ut alterius judicio eludatur.



(g) *Lib. 3. c. 54.* (h) *Cant. 8: 7.* (i) *Joan. 15: 5.* (k) *Ser. 85. in Cant.*

(l) *Joan. 3: 8.* (m) *Job. 4: 12.* (n) *Idem. 9: 11.* (o) *1 Thess. 5: 19.* (p) *Gen. 37.* (q) *3 Reg. 19.* (r) *Luc. 1.* (s) *1 Reg. 3.*

## Caput V.

*Judicium quo fit Discretio, non esse certum & infallibile, nisi adsit expressa revelatio. Ad rectè discernendum inter varios spiritus per modum artis multa requiri. Quædam ad id regulæ præscribuntur.*

I. Quod in fine præcedentis Capitis diximus, nullam certam & evidentem regulam dari, quâ discerni spiritus possint, id paulò fusius & distinctius tractandum est, antequam de singulis spiritibus disseramus, ut è salebris, in quas multi impingere & labi solent, initio operis Deo juvante evadamus. Norunt omnes in hac palæstra exercitati dubiæ quæstionis esse, sitnè evidens vel obscurum, certum vel incertum illud judicium, per quod spiritus discernuntur, sive dono specialis gratiæ id fiat, sive per modum artis & doctrinæ. In cujus rei explicatione ut ordinatim procedamus, de illo primùm, quod fit per gratiam Spiritus sancti, agendum est, quod sanè certum & infallibile videtur esse, sicut est prima & summa veritas, quæ ipsum suggerit & inspirat. Nihilominùs dicendum est, hoc judicium non esse evidens per evidentiam rei in se, sive in causa; quia causa est occulta, & non conceditur judicanti visio perspicua & intuitiva illius spiritûs, cujus instinctum dijudicat, sive bonus sive malus ille sit: neque per evidentiam ab effectu, quia si posset ab effectibus evidenter cognosci, non esset ad tale judicium gratia specialis necessaria. Asserendum item est, non esse propriè & formaliter certum, quia esset assensus fidei, cui proprium est, certitudinem habere cum inevidentia; vel esset assensus propheticus per expressam revelationem, de cujus ratione est divinæ auctoritati & veritati inniti. At hoc judicium fit per instinctum Spiritûs sancti sine expressa revelatione, & qui hoc modo discernit spiritus, non est certus Deum esse, qui ipsum movet ad ita judicandum, nec id alteri proponit, ut de fide credendum: ex quo fit, ut judicium certum non proferat, atque interdum decipi possit, quod aliquando prophetis contigisse magnus Gregorius testatur. (a) Quia verò Spiritus sanctus non movet speciali instinctu, nisi ad id quod reipsâ verum & certum est, potest hoc judicium infallibile dici ex parte principii moventis, ac proinde materialiter certum: quamvis in eo qui judicat nulla sit certitudo, quia prorsus ignorat, aut saltem dubitat, an illud judicium ex motione & directione Spiritûs sancti procedat.

II. Quod si adsit expressa revelatio cogitationum cordis, cujuscunque modi illa sit, aderit proculdubiò certitudo, firmus scilicet assensus & firma adhæsio intellectûs ad objectum; ut enim docet Angelicus Doctor (b) agens de prophetia, duplici modo mens prophetæ à Deo instruitur, vel per expressam revelationem, vel per occultum instinctum, quem interdum humanæ mentes etiam nescientes patiuntur, ut scribit Augustinus (c): & in hoc nulla est certitudo. Quæ verò expressè revelata sunt, maximam habent certitudinem, & quoad revelata, & quoad ipsam revelationem. Hinc Abraham paratus fuit ad filium suum unigenitum immolandum (d), quod nullatenus fecisset, nisi certè & evidenter cognovisset, id sibi à Deo revelatum & imperatum fuisse. Jeremias quoque cùm sanctæ civitatis excidium prædixisset, & hac de causa addictus morti prosè deprecaretur, *Scitote*, inquit, (e) *& cognoscite quòd si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis: in veritate enim misit me Dominus ad vos, ut loquerer in auribus vestris omnia verba hæc.* Erat ergo Propheta persuasissimus, se Deo revelante accepisse verba, quæ populo locutus est, cujus certitudinis rationem reddens Bernardus ait: (f) *Pessimæ matris ignorantiæ pessimæ itidem filiæ duæ sunt, falsitas & dubietas, illa miserior, ista miserabilior; pernicioſior illa, ista molestior. Cùm loquitur spiritus, cedit utraque: & est non solùm veritas, sed & certa veritas. Est quippe veritatis ille spiritus, cui contraria falsitas est. Est & sapientiæ, quæ cùm sit candor vitæ æternæ, & ubique attingat propter munditiam suam, obscurum ambigui non admittit.* Hoc donum quosdam eximiæ sanctitatis viros à Deo percepisse manifestum est. Sancti Patres veteris Testamenti à Deo illustrati facilè cognoverunt Angelos sibi apparentes à Deo esse: imò Hieronymus in cap. 3. Isaiæ constitutos asserit in populo Judæorum sacerdotales gradus, qui prophetias & pseudoprophetias discernerent, & intelligerent, quinam de spiritu Dei, qui de contrario loquerentur. Sub lege autem Evangelica innumerabiles proferre possem, qui hâc gratiâ singulariter prædili intimos cordis recessus penetrabant, omnes diaboli insidias detegebant, cunctosque in-

(a) *Hom. 1. in Ezec.*

(b) *2. 2. qu. 171. a. 5.* (c) *Lib. 2. de Gen. ad lit. c. 17.*
(d) *Gen. 22.* (e) *Jer. 26: 15.* (f) *Ser. 17. in Cant.*

instinctus accuratissimè discernebant. Euthymius Abbas (g) internos Monachorum suorum motus ex externo aspectu veluti per speculum cognoscebat, clarè perspiciens, cum quibus quisque cogitationibus decertaret, quas superaret, & à quibus diabolico instinctu superaretur. Theodorus Archimandrita (h) oblatum sibi argenteum calicem affabre elaboratum noluit accipere, quia Discretionis spiritu etiam ad insensibilia se extendente cognovit fabricatum fuisse ex situla argentea mulieris peccatricis. Eodem spiritu imbutus Ven. Alphonsus de Orosco ordinis S. Augustini (i) nunquam induci potuit, ut Magdalenam à Cruce Cordubensem, cujus vitæ singularis fama totum repleverat orbem, alloqueretur; tandemque innotuit, eam spiritu superbiæ delusam fuisse. Idem ei accidit cum Moniali Lusitana, quæ stigmata in manibus, pedibus, & latere ficta ostentabat. Petrum quoque de Pedrola, quem tanquam prophetam omnes colebant, ad suum colloquium admittere noluit, cùm alioquin benignissimus esset: & hic posteà à supremo fidei tribunali extremo supplicio punitus fuit. Joannes à Cruce magnus Carmeli restaurator (k), cujusdam Monialis, quæ scientiam scholasticam pacto cum dæmone inito assecuta cum peritioribus magistris disputabat, fraudem & impostaram detexit. In Catharina Senensi (l) cognitio prophetica & discretio mirabilis fuit, nihil enim eâ absente agebant domestici, quod illi cælaretur: secretas etiam cordium cogitationes ità ipsis indicabat, ac si eas in proprio corde versaret. Fatetur de se ingenuè P. Raimundus, quòd cùm sancta Virgo aliquid in illo reprehenderet, ipsa se excusare conanti dixit: *cur mihi negas pater, quod evidentiùs cerno quàm tu ipse qui id cogitas?* In Seraphica ac verè Theodidacta Virgine Theresia tanta erat certitudo, quòd ejus revelationes à Deo essent, ut in relatione suæ conscientiæ Confessario suo scripserit (m): „ Diebus „ quibus quieta sum & mente in Deum fixa, „ quamvis in unum coirent quotquot sunt literati „ & sancti, meque omni tormentorum genere af„ ficerent, nunquam induci potero ut credam dæ„ monem auctorem revelationum mearum esse, „ neque possem hoc credere, etsi maximè id vel„ lem. Subdit post hæc: „ Tametsi certò credam „ hujusmodi visiones à Deo esse, nihil tamen om„ nino agerem, nisi eorum jussu, qui mei curam „ habent. Omitto plura his similia, quæ in gestis Sanctorum adeò frequenter occurrunt, ut ex iis prolixus liber confici possit.

III. Si autem Discretio fiat per modum doctrinæ ex regulis & conjecturis prudenter applicatis, atque omnibus circumstantiis accuratè perpensis, cùm signis & præceptionibus innitatur non excedentibus probabilitatem, hinc manifestè infertur, semper judicium fieri cum formidine & incertitudine. Porrò si regulis & signis, quæ per discursum ad ferendum judicium adhibentur, judicantis peritia, rerumque usus, & longa experientia accesserint, haberi profectò poterit moralis quædam certitudo; sed non adeò firma, ut omnem excludat dubitationem. Illud verò advertendum, quòd, licèt Discretio in ferendo judicio de his quæ in alio fiunt, minùs certa videatur, quàm de his quæ judicans in seipso experitur; quia tamen affectus ad res proprias mentem à recto facilè abducit, tutius est ab alio potiùs quàm à se probari spiritus, omnemque instinctum ad prudentem directorem referre. In tanta denique judicii incertitudine & obscuritate ne rector animarum in sathanæ laqueos impingat, seque & alios temerè prolatâ sententiâ in discrimen salutis conjiciat, præscribendæ quædam regulæ sunt ab eo diligenter servandæ, ut cautè & prudenter in re tanti momenti procedat.

1. Quia omne bonum desursum est, & sine Dei gratia omnes conatus nostri inutiles sunt, ipsius auxilium humili prece ante omnia implorare oportet, ut mittat desuper spiritum sapientiæ & intellectus, qui depulsâ caligine mentem illustret, æternæque veritati faciat semper inhærere, quæ nec fallere nec falli potest.

2. Cùm scriptum sit (n), *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*: sitque sacra Scriptura, sicut ait Apostolus (o), *divinitùs inspirata utilis ad docendum, & ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*; sufficiens apparatus ad spirituum discretionem in ea proculdubiò reperitur, atque ideò regulæ in ea contentæ expendi debent. Nam ut optimè observat auctor commentariorum in Epistolas Pauli apud Ambrosium (p), *Quæcumque Apostolorum & Domini dictis congruunt, ea benè dicta habenda sunt & retinenda: ab his autem, quæ inimica fidei videntur, abstinendum. Solent enim spiritus immundi fallaciter*



(g) *Cyrillus Mon. in ejus vita.* (h) *Apud Surium. 22. Apr.* (i) *Jo. Marquez vitæ ejus c. 23.* (k) *Lib. 2. vitæ ejus cap. 33.* (l) *Apud Surium Apr. 29.* (m) *Ribera vitæ ejus lib. 4. c. 26.*

(n) *Psal. 118.* (o) *2 ad Timot. 3: 16.* (p) *In ep. 1. ad Thes. c. 5.*

*quasi per imitationem dicere bona, & inter hæc subinducere prava, ut per hæc quæ bonæ sunt, accepto ferantur & mala: ut quia unius spiritûs dicta putantur, non discernantur ab invicem: sed per id quod licitum est, commendetur illicitum, auctoritate nominis, non ratione virtutis.* Eamdem regulam tradidit Aelredus Abbas S. Bernardi discipulus. (q) *Ut error humanus, ait ille, vel dæmonum suggestio certo examine, ac sancti Spiritûs possit revelatione discerni; præfixa est fidei regula, præscripta spei promissa, promulgata charitatis præcepta, ut quæcumque sententia occurrens animo his non convenire probetur, eam aut fallaciæ dæmonum, aut humano errori incunctanter adscribas: quæcunque verò à sacris paginis convenienter elicita vel ad fidem erudit, vel ad spem erigit, vel ad charitatem accendit, ipsam & à sancto Spiritu sacris literis insertam, & ab eo tibi revelatam non dubites.* Quamvis autem in sacris literis optima ad discernendos spiritus institutio contineatur; non sunt tamen omittenda sanctorum Patrum documenta, quæ solida & utilia sunt; & nos multa in hoc tractatu dabimus ab his studiosè collecta.

3. Considerare attento animo oportet, quid fiat in proprio corde, ut ex illo aliorum cordium motus utcunque cognoscantur, sicut scriptum est (r), „ Intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso. Nam sicut Gerson præclarè scribit (s), „ probare spiritus per modum artis & doctrinæ „ nemo perfectè potest per solam sacræ Scriptu„ ræ eruditionem, qui non etiam expertus sit in „ semetipso variam affectionum spiritualium „ pugnam, tanquam ascenderit nunc in cœlos, „ nunc descenderit in abyssos, & viderit mirabi„ lia Dei in profundo. Nam qui navigant mare „ hoc mysticum diversarum affectionum quasi „ collidentium se fluctuum, enarrant mirabilia „ ejus. Inexpertus autem talium quid novit eo„ rum? Hæc Gersonis consideratio prudentissima est; cùm enim sacra Scriptura, & sancti Patres singulares eventus non attingant, experientia rerum magistra certiùs docebit, quâ ratione regulæ generales casibus particularibus sint applicandæ.

4. Ad hanc experientiam accedere necessariò debet omnium virtutum usus & praxis, sine quibus nemo potest ad Discretionis perfectionem pervenire. Quid enim facto opus sit in quolibet instinctu, nemo meliùs scire potest, quàm qui dicit ex his quæ passus est experientiam. Hujus regulæ auctor est Richardus Victorinus. „ Prius, inquit (t), „ nos oportet in singulis virtutibus „ exerceri, & quid in unaquaque possimus, expe„ riri, quam possimus de omnibus plenam scien„ tiam percipere, & de singulis sufficienter judi„ care. Multa quidem de discretione legendo, „ multa discimus andiendo, multa ex insito nobis „ rationis judicio; veruntamen nunquam de hac „ ad plenum erudimur sine experientiæ magiste„ rio. Post omnes sequi oportet, qui de omni„ bus judicare debet. Primum ergò est, ut fataga„ mus singulis virtutibus studium frequens im„ pendere, quod dum facimus, necesse est nos sæ„ pius cadere: oportet ergò nos sæpè resurgere, „ & per frequentem lapsum addiscere quâ vigi„ lantiâ, quâ cautelâ oporteat virtutum bona ac„ quirere, vel custodire. Sic sic dùm longo usu „ virtutum diciplina addiscitur, quandoque mens „ diù exercitata ad plenam morum discretionem „ perducitur.

5. Cognitio, ut docet S. Thomas (u), aliter invenitur in homine, quàm in Deo & in Angelis: homo enim obtenebrato intellectu veritatis notitiam per discursum habet, undè accidit ei dubitatio & difficultas in discernendo & judicando. In Deo autem & in Angelis nulla hujusmodi difficultas reperitur, quia in eis est simplex notitia veritatis absque discursu & inquisitione. Cùm igitur homo hac simplici cognitione careat, propriam imbecillitatem præ oculis semper habere, & quacunque polleat experientiâ, prudentiâ, ac naturali capacitate, non ei inniti debet, sed soli Christo, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Si in spiritu gratiæ ejus spirituum examen cum cordis humilitate instituatur, rectum erit judicium, ipse enim dixit (x), *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris*, ipse discretor est cogitationum & intentionum cordis: ipse via, veritas, & vita.

6. Humilitas necessaria est, ne quis decipiatur, & ut omnia ad prudentem directorem deferantur. Ideò Christus admonuit nos (y), ut caveamus, ne lumen quod in nobis est, tenebræ fiant; hoc est, ne mens quæ obedientiâ & humilitate comitantibus pro lumine nobis est, superbiæ, propriique judicii tenebris, veluti caligine, offundatur. Monitum quoque sapientis est (z), *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Cassianus vitæ spiritualis magister eximius, *Nullo*, inquit (a), *alio vitio tam præcipitem diabolus Monachum pertrahit ac perducit ad mor-*

(q) *Serm. 1. inc. 13. Isai.* (r) *Eccl. 31. 18.* (s) *De prob. Spirituum.*

(t) *De præp. ad contempl. c. 67.* (u) *De verit. q. 24. artic. 3.* (x) *Joan. 8. 2.* (y) *Luc. 11. 35.* (z) *Prov. 3. 5.* (a) *Collat. 2. cap. 11.*

*mortem, quàm eùm neglectis consiliis seniorum in suo judicio persuaserit ac definitione, doctrinavè confidere.* Hoc documentum exactissimè observabat S. Abbas Dorotheus, qui de seipso sic scribit. „Quando eram in cœnobio, exponebam „omnia seni Abbati Joanni. Nunquam enim „præsumebam facere quidpiam absque illius sen„tentia. Accidit aliquando, ut cogitatio mea mi„hi suggereret: nunquid hoc tibi dicturus est se„nex? quid vis ipsi molestus esse? & reponebam „cogitationi: Anathema tibi, & judicio tuo, & „intelligentiæ tuæ, & prudentiæ tuæ, & scien„tiæ tuæ, quia id quod nosti, à dæmonibus no„sti: Abibam igitur & senem interrogabam, ac„ciditque nonnunquam, ut id ipsum mihi quod „cogitaveram, responderet. Tum mihi mea sug„gerebat cogitatio. Quid ergò? ecce id ipsum „est quod dixi: & reponebam isti cogitationi: „sed nunc bonum est, nunc à Spiritu sancto est. „Nam quod tuum est, id malum est, à dæmoni„bus est, à statu passionibus obnoxio est. S. Tere„sia, ut Luisius Legionensis in præfatione operum ejus testatur, timida & maximè circumspecta in suis revelationibus esse solebat, vitamque suam non ex his solis, sed ex directione superiorum, ne deciperetur, instituebat. *Et meritò*, ut mellifluus Doctor ad Ogerium scribit (b) *quia qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.*

7. Cùm aliqua suggestio mentem perturbat, labor inutilis est, in eâ discutiendâ tunc immorari, multis enim & inextricabilibus difficultatibus involutus animus, vix se poterit ab earum molestia expedire. Pravis item affectibus carere debet, Deumque solum, non suum commodum, suamvè inclinationem respicere, qui cupit cogitationes & instinctus absque errore discernere. Neque enim potest rectum judicium ferre, qui suis sensibus & cupiditatibus adhæret. Audiendus hac de re optimus præceptor Gregorius Magnus. (c) „Hâc sapientiâ, inquit, non turbulenta atque „confusa, sed tranquilla corda replentur. Benè „ergo de ea dicitur, quia abyssus dicit, Non est „in me: & mare loquitur, Non est mecum. Ac „si apertè diceretur, perturbatæ mentes eò ipso „clamant, quoniam à verâ sapientiâ longè divisæ „sunt, quo quietæ non sunt. *Supercecidit ignis*, ait Propheta (d) passionum scilicet animum incendentium, *& non viderunt solem*; mens etenim cupiditatibus cæcata præsentem lucem veritatis non intuetur.

8. Simplicitas rectè discernere cupienti necessaria item est, & ut abhorreat à multis & superfluis considerationibus, objectionibus, ratiocinationibus: solaque regula æternæ veritatis sit mensura judicii sui, non proprium institutum, non principia naturalia, non aliorum exempla: alioquin semper confusus & perplexus erit, & novæ semper emergent difficultates. *Nihil pejus*, inquit Chrysostomus, (e) *quàm humanis rationibus spiritualia subjicere.* Et alius quidam dixit. (f) *non regnat spiritus Christi, ubi dominatur spiritus Aristotelis.*

9. Non solùm respicere sedulò oportet, an actiones, ad quas homo impellitur, sint in se bonæ & conformes Præceptis Dei & Ecclesiæ; sed etiam an sint conformes gratiæ & lumini, aliisque divinis perceptionibus, quibus ille à Spiritu S. agitur & pertrahitur. An ordinem divinæ circa se providentiæ, viamque sibi præfixam constanter ac fideliter sequatur, sine ullo respectu ad seipsum. An gratiæ à Deo acceptæ, atque ejusdem efficaciæ actiones ejus consentiant, sitque stabilis & immobilis in sua vocatione. Diversæ enim sunt viæ, per quas Deus non tam ducit, quàm trahit animas ad se: si quis verò à semita sua aberrat, in infinitos errores incidit. Perversi spiritus indicium est, cùm mens infirma & invalida ad ardua & excelsa Deo non trahente conscendere nititur, cùm vix in imo consistat. Ideò Apostolus ad Corinthios scribit, (g) *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, & ad Ephesios, (h) *Obsecro vos ut dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis cum omni humilitate, & mansuetudine, & patientia.* Quòd si quis ad statum sublimiorem vocari se sentiat, non desit gratiæ Dei; sed caveat illusiones.

10. Quia latentes cogitationes, cordisque secreta scrutari non possumus, certius ac præcipuum internæ motionis principium ab operibus desumendum est dicente Domino, (i) *à fructibus eorum cognoscetis eos*, cujus dicti rationem reddens ait, *non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere.* Igitur ex fructibus arbor, ex operibus homo cognoscitur. *Indicium mentis*, inquit Chrysostomus, (k) *operatio est hominis, quoniam factis ostenditur, quicquid cordis secreto concipitur.* Hoc signum Judæis calumniantibus pro seipso proposuit Redemptor noster dicens, (l) *Ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Rursum Chry-

(b) *Bern. ep.* 87. (c) *Lib.* 18. *mor. c.* 25. (d) *Ps.* 57.

(e) *Hom.* 24. *in Joan.* (f) *Absalon Abb. ser.* 4. *de Advent.* (g) 1 *Cor.* 7: 20. (h) *Eph.* 4: 1. (i) *Matt.* 7. (k) *Hom.* 12. *in varia Matthæi loca.* (l) *Joan.* 5: 36.

Chrysostomus: (m) „ A facie nemo videt, quis „ habeat spiritum immundum, vel quis habeat „ Spiritum sanctum. Nam si visibilis esset, non „ decepisset. Venit Montanus dicens, Spiritum „ sanctum habeo. Venit Manichæus dicens, „ Spiritum sanctum habeo, non fuit autem ma„ nifestum. Ne igitur plures seducerentur, dicit: „ quando venerit Paraclitus Spiritus veritatis, „ qui à Patre procedit, ille inducet nos in „ omnem veritatem. Si quem igitur videritis di„ centem, Spiritum Sanctum habeo, & non lo„ quentem Evangelica, sed propria, is à se ipso „ loquitur, & non est Spiritus Sanctus in ipso. Eleganter, ut solet, Augustinus: (n) „ Quid „ enim attendo quid sonet, cum video quid co„ gitet? & tu, inquis, vides quid cogitet? Facta „ indicant. Nam oculus in conscientiam non pe„ netrat. Attendo quid agat, & ibi intelligo „ quid cogitet. Non enim fructus ostenditur nisi „ in factis. Unde dictum est. Ex fructibus eorum cognoscetis eos.

Libet autem in fine hujus Capitis ad traditas regulas hoc documentum attexere, quòd quamvis singulæ pro discernendis spiritibus peculiarem institutionem contineant, singulæ tamen per se non sufficiunt, nisi aliæ simul adhibeantur. Notavit hoc Gerson dicens, *Fallit unum signum vel pauca, si non in unum plura conglobaverimus. Ita enim tradit Tullius, ita Boëthius, ita Aristoteles in conjecturali causa faciendum.* Omnium quoque circumstantiarum connexio attendenda, ex qua rerum exacta cognitio plurimùm pendet.

## Caput VI.

*Spiritus sive instinctus Divinus quid sit. Quot & quibus modis animam excitet & moveat. Traduntur regulæ, & indicia, quibus à diabolico discerni possit.*

I. Sex esse spiritus, atque hos ad tres arctari, divinum scilicet, diabolicum, & humanum, & nos supra conclusimus, & Cassianus affirmat dicens: (a) *Illud sanè præ omnibus nosse debemus, tria cogitationum nostrarum esse principia, id est ex Deo, ex diabolo, & ex nobis.* Postquam igitur de Discretione spirituum quædam generaliter prænotavimus, de singulis spiritibus singillatim, & primùm de Divino tractandum est.

Spiritus Divinus est motio interior animæ sive inspiratio, quæ à Deo procedit, & ad virtutem ac sanctitatem impellit. Est locutio interna Dei, de qua sic differit S. Bernardus. (b) *Felix & beata anima quæ venas susurri divini percipit in silentio, frequenter iterans illud Samuelis, Loquere Domine, quia audit servus tuus. Ergo tacentibus nobis Deum tutus audiamus loquentem, & suadentem de regno suo, tanto utilius, quanto subtilius per internam inspirationem.* Dicitur etiam adventus sponsi & visitatio Verbi, eodem mellifluo Doctore hoc docente ex propria experientia. (c) *Da mihi animam quam frequenter Verbum sponsus invisere soleat, cui familiaritas ausum, cui gustus famem, cui contemptus omnium otium dederit: & ego huic incunctanter assigno vocem pariter & nomen sponsæ.* Et post pauca. *Fateor & mihi adventasse Verbum, in insipientia dico, & pluries. Cumque sæpius intraverit ad me, non sensi aliquoties cum intravit. Adesse sensi, affluisse recordor, interdum & præsentire potui introitum ejus, sentire nunquam, sed ne exitum quidem. Nam unde in animam meam venerit, quovè abierit denno eam dimittens: sed & qua vel introierit vel exierit, etiam nunc ignorare me fateor, secundum illud,* Nescis unde veniat, aut quò vadat. *Nec mirum tamen, quia ipse est, cui dictum est;* Et vestigia tua non cognoscentur. *Sanè per oculos non intravit, quia non est coloratum: sed neque per aures, quia non sonuit: neque per nares, quia non aëri miscetur, sed menti; nec infecit aërem, sed fecit: neque verò per fauces, quia non est mansum vel haustum: nec tactu comperi illud, quia palpabile non est. Qua igitur introivit? An forte nec introivit quidem, quia non deforis venit? Neque enim est unum aliquid ex iis, quæ foris sunt. Porrò nec de intra me venit quoniam bonum est, & scio quoniam non est in me bonum. Ascendi etiam superius meum, & ecce supra hoc Verbum eminens. Ad interius quoque meum curiosus explorator descendi, & nihilominus infra inventum est. Si foras aspexi, extra omne exterius meum comperi illud esse: si verò intus, & ipsum interius erat. Et cognovi verum quidem esse quod legeram,* Quia in ipso vivimus, movemur & sumus: *sed ille beatus est, in quo est ipsum, qui illi vivit, qui eo movetur.* Hæc Bernardus, à quo si quæras, unde ergò verbum adesse cognoverit, si omnino investigabiles sunt viæ ejus: respondebit tibi signa præsentiæ ejus ex his, quæ operatur in anima, clarissimè manifestari. Sed de his mox sermo erit.

II. Motio autem sive inspiratio divina multipliciter fit, quia multifariè multisque modis loquitur Deus servis suis. Aliquando per seipsum immediatè, cùm sine alicujus ministerio ipse cor nostrum movet excitans in eo bonas cogitationes

(m) *Hom. de Spiritu Sancto.* (n) *In Psal.* 149.
(a) *Cass. col.* 1. *c.* 19.
(b) *Serm. de sex Spiritibus.* (c) *Ser.* 74. *in Cant.*

nes, & sancta desideria, ad quæ concipienda idonei non sumus sine ejus illuminatione, & inspiratione, qui omnem nobis sufficientiam boni gratuito munere subministrat. Aliquando per Angelum suum à malo nos revocat, excessus nostros increpat, provocat ad emendationem, bona suggerit, quæ ipso adjuvante faciamus, gressusque nostros dirigit in viam pacis, salutis, & perfectionis. Aliquando nos excitat mediante conscientiâ nostrâ stimulante nos & incitante, ut secundùm rationem, & virtutem vivamus: aliquando per fidem, & charitatem; fide enim purificat corda nostra, & charitas Christi urget nos: aliquando per scripturas, per exempla, per exhortationes, per varias afflictiones, cùm nimirum his pulsantibus ad ostium sensuum, ipse intus percellit mentem, & internâ inspiratione loquitur ad cor, atque animam dormitantem è somno suscitat, suam illi voluntatem insinuans, quæ est salus & sanctificatio nostra. Quæ omnia sagaci indagatione discutiens Cassianus (d) „ Ex Deo, in„ quit, sunt cogitationes nostræ, cùm Spiritûs „ Sancti illustratione nos visitare dignatur, eri„ gens nos ad sublimiorem profectum: & in qui„ bus, vel minus acquisivimus, vel desidiosè „ agentes superati sumus, saluberrima compuncti„ one castigat: vel cùm referat nobis cœlestia sa„ cramenta, & propositum nostrum ad meliores „ actus, voluntatemque convertit; ut ibi cùm Rex „ Assuerus castigatus à Domino libros annales „ instigatur inquirere, quibus Mardochæi bene„ ficia recordatus, summi eum gradu honoris ex„ altat, ac protinus crudelissimam super nece gen„ tis Judææ sententiam revocat. Vel cum Pro„ pheta commemorat, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. *Alius quoque*, & dixit, *inquit*, Angelus, qui loquebatur in me. *Vel cùm filius Dei venturum se unà cum Patre, & mansionem apud nos facturum esse promittit. Et*, Non estis vos, *inquit*, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. An verò Deus per se solum loquatur, an Angelos tanquam administros adhibeat, cognitu difficillimum est. Verùm hoc aut parvi, aut nullius momenti est, nihil enim refert loquentis nosse personam, quando constat bonum esse quod loquitur. *Nec facile est*, ait Bernadus, (e) *quis loquatur discernere, nec ignorare periculosum: præsertim cùm certum sit, Angelum bonum nunquam loqui ex semetipso, sed Deum esse, qui loquitur in ipso.* Satagendum potiùs, idque humili oratione à Deo petendum, ut bonum instinctum agnoscamus, & ei fideliter obediamus.

III. Pessima foret ignorantia, & quæ summo nos periculo exponeret, si tenebris peccatorum nostrorum obcæcati, Angelum bonum à malo, instinctum Dei à diaboli suggestione distinguere, & discernere nesciremus. Ideò timebat Apostolus, (f) ne sicut serpens Evam seduxit astutiâ suâ; ita & corda nostra decipiantur, ab eo utique, cujus ipse Paulus (g) cogitationes non ignorat. Id verò ne contingat, docet magnus Antonius apud Athanasium, omni motioni, impulsui, apparitioni audacter illis verbis occurrendum esse, quibus Josuæ Angelum sibi in specie hominis apparentem interrogavit, *Noster es, an adversariorum? Solet enim sæpiùs*, ait Petrus Damianus, (h) „ intervenire tentatio, dum non„ nunquam spiritus iniquitatis transfigurat se in „ angelum lucis. Et ideò subtiliter est agendum, „ ut discernantur genera visionum. Sicut & Je„ su Nave, cùm Angelum cerneret, & tentati„ ones aliquando hujusmodi visionibus inesse nul„ latenus dubitaret, protinus ab eo qui appare„ bat, requisivit dicens; Noster es, an adversariorum? Hoc documentum eodem exemplo Josuæ suggerit Gregorius Magnus, ejusque rationem reddit dicens: (i) *Quia sæpè* adversarius *specie sanctitatis induitur, & nisi per divinam gratiam simulationis ejus detegi indumenta non possunt, benè dicitur*; Quis revelabit faciem indumenti ejus? (k) „ Subaudis, nisi ego, qui servorum „ meorum mentibus gratiam subtilissimæ discre„ tionis inspiro, ut revelatâ malitiâ faciem ejus „ nudam videant, quam coopertam ille sub habi„ tu sanctitatis occultat. Et quia aliquando fide„ lium mentes corrumpere ostensione suâ, ali„ quando suggestione conatur; agit enim modò „ opere, modò persuasione, rectè subjungitur; & in medium oris ejus quis intrabit? „ Subau„ dis, nisi ego, qui per discretas electorum men„ tes suggestionum ejus verba discutio, & non ita „ hæc esse ut sonuerunt, manifesto. Bonum „ namque videntur promittere, sed ad perditum „ finem trahunt. Bonum ergò spiritum à malo distinguere docet divina gratia, quâ illustrati sancti Patres & viri religiosi quædam signa tradiderunt, quibus possint internosci.

1. Occurrit autem primum indicium ex Bernardo. *Quoniam spiritualis omnium spirituum natura*

(d) *Cassian. coll.* 1. *cap.* 19. (e) *Serm.* 23. *de diversis.* (f) 2 *Cor.* 11. 3. (g) 2 *Cor.* 2. 11. (h) *Opusc.* 32. *cap.* 4. (i) *Lib.* 33. *Mor. cap.* 22. (k) *Job.* 41. 4.

*tura est, à sermonibus eorum cognoscemus eos, & quis spiritus sit qui loquatur, ipsa suggestio declarabit.* Si enim ad id quod bonum, quod sanctum, quod perfectum est, incitamur; ille spiritus est, de quo psallit Propheta (*m*), *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Si verò movemur ad seculi vanitatem, ad illecebras carnis, ad inutilia desideria, certum est, spiritum malum esse qui loquitur, quem repellere debemus cum indignatione dicentes ei, vade retrò Sathana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, & sapientia tua inimica est Deo. Idem mellifluus Pater, quibus signis adesse sibi Verbum cognoverit, & quid ejus instinctus in ipso operaretur, sic alibi sapienter edisserit (*n*), „ Vivum & efficax est, moxque ut intus venit, ex„ pergefecit dormitantem animam meam, movit „ & mollivit, & vulneravit cor meum, quoniam „ durum lapideumque erat, & malè sanum. Cœpit quoque evellere & destruere, & ædificare & „ plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, nec non & mitere prava in directa, & aspera in vias planas, ita „ ut benediceret anima mea Domino, & omnia „ quæ intra me sunt nomini sancto ejus. Ex motu „ cordis intellexi præsentiam ejus: & ex fugatiorum, carnaliumque compressione affectuum „ adverti potentiam virtutis ejus: & ex discussione sive redargutione occultorum meorum „ admiratus sum profunditatem sapientiæ ejus: „ & ex quantulacunque emendatione morum „ meorum expertus sum bonitatem mansuetudinis ejus: & ex renovatione ac reformatione „ spiritûs mentis meæ, id est, interioris hominis „ mei, percepi utcumque speciem decoris ejus: „ & ex contuitu horum omnium simul expavi „ multitudinem magnitudinis ejus.

2. Deus paulatim ab imo ad summum, ab imperfecto ad perfectum perducit: soletque ætatis & personarum habere rationem; atque aliam seni, aliam adolescenti; aliam incipientibus, aliam perfectis sapientiam infundit. Dæmon è diverso nullum ordinem servat, intempestivos fervores immittit, statim suggerit mentis excessus, miracula, prophetias, ut hâc fraude illaqueatas, rerumque novarum studio illectas animas in superbiæ barathrum secum præcipitet. His quoque suadet nimiâ abstinentiâ ac immoderatis vigiliis, aliisque cruciatibus corpus penè conficere; & quia modum non habent, onera sibi imponunt, quæ ferre non possunt. Viribus autem fractis, mentisque vigore enervato, in tantam postea relaxationem labuntur, ut meritò de illis propheticum illud usurpari possit (*o*), *Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos.*

3. Solet Deus initio conversionis lacte consolationis animam reficere, ut gustans quàm suavis est Dominus eo crescat in salutem: cum verò jam adulta fuerit, solidiorem porrigit cibum, quam normam sequutus Apostolus Corinthiis lac potum dedit tamquam parvulis in Christo, non escam, quia solidi cibi nondum erant capaces. Diabolus verò difficillima quæque initio proponit, Dei severitatem exaggerat, judiciorum ejus abyssum cum horrore ingerit, ut in foveam desperationis inducat. Ille laboranti in comparandis virtutibus paternâ pietate tranquillitatem immittit: hic hostili nequitiâ molestias infert, & anxietates.

4. Spiritu Dei agi creditur, qui cœlestes susurros internâ cordis aure excipere sibi videtur: vocem verò quasi de foris venientem & strepitum quemdam audire, indicium est maligni spiritûs. Proprium est enim Dei in animum intimè illabi, diaboli extrinsecus advenire.

5. Qui à Deo movetur, si quid in seipso mirabile & præter consuetum ordinem accidit, non id pro certo habet, sed timet, se donis Dei indignum æstimat, & ne diaboli insidiis decipiatur, quicquid illud est superiori revelat. Qui verò proclivis est ad complacentiam in hujusmodi rebus, qui sine delectu fidem illis præstare solet, ab eo spiritu agi videtur, qui per superbiam primum hominem seduxit. Sancta virgo Teresia (*p*), cùm Deus inciperet mirabilia in ea operari, hostis illusiones formidans, multis lacrymis à Deo petiit, ut eam ad perfectionem viâ consuetâ perduceret, tum examini diversorum se subjecit, qui tunc doctrinæ & sanctitatis laude in Hispania florebant; & cum his libentiùs tractabat, qui magis timebant. Hanc regulam qui sequitur, falli non potest.

6. Signum notabile divini spiritûs est misericordia, & pietas erga proximum, eo etiam tempore quo justitia in illum exercenda est; quia teste Gregorio (*q*), *Vera justitia compassionem habet, falsa dedignationem. Justi siquidem etsi foris increpationes per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per charitatem servant. Præponunt sibi in animo ipsos plerumque, quos corrigunt, meliores existimant eos quoque, quos judicant. Quod videlicet agentes, & per disciplinam subditos,*

(*m*) *Ps.* 142. (*n*) *Ser.* 74. *in cant.*

(*o*) *Ps.* 106. (*p*) *Ribera vitæ ejus lib.* 4. *c.* 7. (*q*) *Lib.* 34. *in Evang.*

*ditos, & per humilitatem custodiunt semetipsos.* Malus verò spiritus semper ad iram, ad impatientiam, ad amaritudinem animi provocat, semperque ferociam ingenerat. Proprium quoque est spiritûs boni ad regenda & excusanda, quantùm fieri potest, aliorum vitia, impellere; at qui illis irascitur, qui ea extollit, qui de illis passim loquitur, à spiritu superbiæ incitatur; propriam enim virtutem ostentare convincitur, dum publicat aliorum defectus.

7. Boni spiritûs nota est Sanctos cum Deo regnantes, Deique servos adhuc viventes sincero pietatis ac reverentiæ affectu prosequi, res eorum & gesta frequenter legere, & venerari; ipsorum vestigiis insistere, & interno quodam sensu erga eorum reliquias commoveri. Ille verò qui ab aquilone flat spiritus protervum facit hominem & refractarium, Sanctorum contemptorem, eorumque res gestas tanquam fabulas irridentem.

8. Quæ à nobis remota sunt & longiùs dissita, occulta item & arcana cognoscere, tunc signum est divini spiritûs, cùm de hominis charitate & humilitate certum habetur experimentum. Quod si eâ cognitione foveri inanem gloriam & curiositatem videamus, nulli dubium erit à diabolo ea pandi. Internas autem cogitationes & cordis secreta nullo exteriori indicio manifestata intelligere & pandere, opus est divini spiritûs, qui solus penetrat corda hominum, & quæ in ipsis latent, servis suis revelat.

9. Miracula etiam ab impiis fieri posse Scriptura nos docet, (r) cùm refert Magos Ægyptios eadem, quæ Moyses operatus est, portenta edidisse, & Dominus in Evangelio de peccatoribus damnandis in die judicii ait, (s) *Multi dicent mihi in illa die: Domine, domine, nonnè in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Faciunt enim miracula, teste Augustino, (t) Magi per privatos contractus cum dæmonibus, boni Christiani per publicam justitiam, mali per signa publicæ justitiæ. Et illa quidem quæ à Magis fiunt, dæmonis invocatione & illusione fiunt: à malis autem Christianis atque etiam ab infidelibus, & multò magis à justis virtute divina fieri possunt, vel ad demonstrandam fidei veritatem, vel ad honorem Christi propagandum, cujus nomen invocatur, ut docet S. Thomas (u) & hæc nota sanctitatis non sunt, nisi attentis omnibus circumstantiis evidenter constet, Deo operante à viro probatæ virtutis fieri, ut per hujusmodi signa ejus sanctitas eluceseat. Quæ verò in animis patrantur, verè & absolutè nota sanctitatis censenda sunt: non enim solet Deus ad tantum opus, cujusmodi est perfecta ad Deum conversio, quempiam assumere, qui sibi gratus non sit. Unde usu compertum est, neminem unquam hypocritæ suasu verè conversum fuisse: & licet aliqua virtutis argumenta protulerit, ea tamen successu temporis emarcuerunt, & ad nihilum redacta sunt.

10. Instinctus ad bonum, in quo nihil mali appareat, nec quod majus bonum impediat, aut agenti ejusque statui non conveniat, bonus est. Sed subtilissimum examen hîc necessarium est, quia bonum est ex integra causa, nec facilè comprehendere possumus, quæ sit exacta, & perfecta operis rectitudo. Deindè motus ab initio boni in ipso progressu, vel naturæ corruptæ vitio, vel dæmonis impulsu in malum sæpè degenerant. Videndum igitur an principium, medium, & finis eodem tenore procedant: an omnes circumstantiæ in ipsum bonum consentiant.

11. Spiritum bonum semper comitatur Discretio, & si aliquem introducit in cellam vinariam, statim ordinat in eo charitatem. *Omnino necessariè*, ait Bernardus, (x) „quia ubi fervidior „& vehementior est spiritus, profusiorque charitas, eò vigilantiori opus scientiâ est, quæ spiritum temperet, ordinet charitatem. Discretio „quippè omni virtuti ordinem ponit, ordo modũ „tribuit, & decorem, etiam & perpetuitatem. Est „ergo Discretio non tam virtus, quàm quædam „moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixque „affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc & „virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis „in perturbationem magis convertetur, ex„terminiumque naturæ. Omnia ligat charitas, & contemperat in unitatem spiritus, si tamen ipsa fuerit discretione ordinata. Nam qui modum non servat in affectibus suis, qui ad excessum impellitur, ab eo utique spiritu incitatur, in quo nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Dicebat quædam devota mulier apud Gersonem. (y) *Nihil mihi magis suspectum quàm amor, etiam erga Deum.* Quo enim amor vehementior est, eo facilius præcipitat, & difficilius regitur: solentque amantes impetu potiùs quàm rationis judicio



(r) *Exod.* 7. (s) *Matth.* 7; 22. (t) *Lib.* 83. *quæst. qu.* 79. (u) 2. 2. *qu.* 178. *art.* 2.

(x) *Ser.* 49. *in Cant.* (y) *De simplific. cordis not.* 19.

ferri in objectum amatum, nisi fræno discretionis coërceantur. Et quia ex amore suavitas quædam & dulcedo promanat, solicitè cavendum est, ne amor, qui à spiritu incœpit, in carnem desinat, sicut sæpiùs contingit etiam in personis probatæ sanctitatis, quos in præceps dejecit impetus, & defectus circumspectionis in moderandis affectibus. Nulla quippe virtus esse potest, ubi vehementia & ardor spiritus dominatur.

12. Impulsus Dei, cùm ad opera grandia & mirabilia movet, à spiritu interno incipit, replendo illum præclaris donis, quæ deinde posito solidæ humilitatis fundamento, extra prodeunt ad aliorum ædificationem. Suggestio autem diabolica ad res tantùm externas impellit, quæ videantur ab hominibus, internâ reformatione neglectâ.

13. Bonus spiritus bonos suaviter, malos asperè movet: malus autem spiritus malos fovet, bonos terret. Ideò observanda est hominis & spiritus similitudo, vel dissimilitudo: agunt enim contrario modo cum his qui sibi contrarii sunt. Dæmon peccatoribus illecebras seculi proponit, & sensuum delectationes: inanem spem divinæ misericordiæ ingerit, ut differatur pœnitentia, & peccatorum cumulus augeatur. Justos verò tanquam dissimiles scrupulis divexat, vanoque metu & variis angoribus cruciat, ut cum tædio quæ Dei sunt operentur. At Dei spiritus malos, quia dissimiles, duriùs pulsat, conscientiæ stimulis pungit, & mortis ac inferni timore concutit, nullamque sinit in rebus seculi habere quietem: bonos autem mulcet, adjuvat, exhilarat. Huc respexit Augustinus, cùm in suis confessionibus dicebat Deo(z), *Quid est illud quod interlucet mihi, & percutit cor meum sine læsione, & inhorresco & inardesco? Inhorresco in quantum dissimilis ei sum, inardesco, in quantum similis ei sum.*

14. Divini instinctûs signum est excitatio animæ ad pœnitentiam, & ad veram contritionem; quando anima repentè succenditur, atque adeò mutatur, ut dici possit, *Hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Quando, inquam, torpor, pusillanimitas, perplexitas subitò repelluntur; & alacritas, promptitudo, & jucunditas oriuntur. Hæc enim omnia non nisi à Spiritu sancto esse possunt. Appositè Bernardus (a), *Quæ Spiritus sanctus operatur in nobis, testimonium perhibent de eo. Initium revertendi ad Deum pœnitentia est, quam sine dubio spiritus operatur, non noster, sed Dei: idque & certa ratio docet & confirmat auctoritas. Quis enim cùm ad ignem venerit algens, & fuerit calefactus, dubitabit ei ab igne venisse calorem, quem habere non poterat sine illo? Sic ergò qui priùs iniquitate erat frigidus, si postmodum fervore quodam pœnitentiæ accendatur, alium sibi spiritum, qui suum arguit & dijudicat, non dubitet advenisse.*

15. Cùm ex peccato originali ad sensuum delectationem proni simus, ille bonus censetur instinctus, qui à voluptatibus retrahit, & ad laborem ac crucem trahit. Vox Apostolica est perfecti Christi amatoris (b), *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Grata ignominia crucis ei, qui Crucifixo ingratus non est,* inquit Bernardus. (c)

16. Nulla certior nota divini spiritûs, quàm dilectio, ut rectè docet Augustinus. *Cognoscimus,* inquit (d), *quia habitat in nobis. Et hoc ipsum undè cognoscimus? quia de spiritu suo dedit nobis? Undè scimus quia de spiritu suo dedit nobis? Interroga viscera tua. Si plena sunt charitate, habes spiritum Dei.* Idem alibi. (e) *Qui non diligunt, si linguis hominum loquantur & Angelorum, fiunt æramentum sonans & cymbalum tinniens. Et si habuerint prophetiam, & scierint omnia Sacramenta & omnem scientiam, & habuerint omnem fidem, ut montes transferant, nihil sunt. Etsi distribuerint omnem substantiam suam, & tradiderint corpus suum, ut ardeant, nihil eis prodest* (f). *Dilectio sanctos discernit à mundo.*

(z) *Lib.* 11: *cap.* 9. (a) *Serm.* 1. *Pentec.*

## CAPUT VII.

*Dari quandoque instinctus obscuros, & suspectos, de quibus dubium est à quo spiritu sint. Quæ cautio in his adhibenda. Quædam pro illorum examine documenta. Agitur obiter de singulari quorundam vita, & de dono lacrymarum.*

1. TOtius doctrinæ de Discretione spirituum caput est ac veluti fundamentum, quo uno hujus lucubrationis structura nititur, non solùm bonos instinctus à malis distinguere, quod supra notatum est; sed dubios quoque & incertos

(b) 2 *Cor.* 12: 10. (c) *Serm.* 25. *in cant.* (d) *Tract.* 8. *in Ep.* 1. *Joan.* (e) *Tr.* 76. *in Joan.* (f) 1 *Cor.* 13.

tos dignoscere, & unamquamque motionem illi, à quo provenit, spiritu assignare. Celebris est Salomonis sententia (a): *Est via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Multorum enim mentes ita excæcat amor sui, ut falsâ persuasione existiment, se per viam salutis tutò incedere, cùm celeri cursu iter perditionis arripuerint. Ea item affinitas inter quosdam affectus virtutis & vitii quandoque intercedit, ut sæpè contingat nos iram pro zelo, pertinaciam pro constantia, & pro Dei amore philautiam amplecti. Fovent hunc errorem carnis nostræ sagacitas, perturbationum commotio, imbecillitas intellectus: quibus fit, ut ponamus tenebras lucem, lucem tenebras; amarum vertamus in dulce, dulce in amarum. Alta est hæc profunditas, quam nemo potest sine Dei gratia penetrare. Necessarium igitur est, ut semper consideremus, qui nos impetus ducat. Quia in re docet Gregorius duplicem nobis curam incumbere (b): *Prima est, ne ad ea, quæ agimus, per apertum carnis impetum ducamur, nec pravis cogitationibus animus seductus mala esse cognoscat, & tamen faciat. Secunda, ne se impetus carnis, quasi impetus spiritus latenter subjiciat, & culpas, quas agimus, nobis virtutes fingat. Scrutandum verò est, quia graviores culpæ sunt, quæ superducta specie virtutes imitantur, quia illæ in aperto cognitæ animum in confusionem dejiciunt, atque ad pœnitentiam trahunt: istæ verò non solùm in pœnitentiam non humiliant, sed etiam mentem operantis elevant, dum virtutes putantur.* Ex hoc Gregorii monito patenter deducitur, omnes impulsus foleri inquisitione discutiendos esse, ne malum pro bono amplectamur, aut bonum pro malo repudiemus. Utrumque extremum æquè pernicioſum est, tam Deo pulsanti ostium cordis claudere, putando dæmonem esse; quàm hosti aperire, si Dei spiritum esse credamus. Quicunque verò sit ille qui pulsat, non ei facilis tribuatur ingressus, sed prudentiam justorum imitemur, omnes instinctus solicitè explorantes, obscuros præsertim, de quibus dubium est, à quo procedant. Ad hos autem discernendos, & ad omnem errorem præcavendum, usui erunt hæc documenta.

1. Quicquid naturam sapit, tametsi bonum in se sit, suspectum est. Cùm ergò impellimur ad aliquod bonum, si pars inferior illud appetit, ejus impetum coercere debemus, eoque cohibito ipsum bonum prius actibus intellectus & voluntatis aggredi, gratiâ præcedente & dominante. Nam si aliquo naturæ sensu bonum à Deo inspiratum permiscetur, puræ virtutis claritas eâ complacentiâ tanquam cœno coinquinatur.

2. Securior cæteris est ille instinctus, quo voluntas movetur, nullâ præcedente imaginationis vel intellectûs operatione. Id autem fit, quando intellectum eo ipso in puncto Deus illuminat, quo voluntatem intus impellit. Movere autem, & immutare ab interiori voluntatem solius Dei est, qui potest eam efficaciter inclinare quocunque voluerit, ut docet S. Thomas (c): ab exteriori verò & inefficaciter moveri potest ab Angelo, vel proponendo objectum, vel concitando passiones. Non dico voluntatem moveri posse sine ulla prorsus intellectûs operatione, sed tantùm sine ea, quæ modo naturali & consueto fieri solet. An verò possit in sublimiori raptu, aut voluntas sine prævia cognitione actum amoris exercere, aut intellectus sine ulla conversione ad phantasmata in objectum suum ferri, quæstio celebris est; quæ ad hunc tractatum non pertinet.

3. Anceps est omnis impulsus, & non nisi cum timore & tremore admittendus, quo quis ad regimen animarum incitatur. Ut verò periculum evadat, & introitus ad dignitates securus sit, acceptandæ illæ non sunt, nisi ex speciali Dei revelatione, aut ex obedientia, cui resisti non possit, aut ex consilio viri sancti & prudentis, cui benè perspecta sint illius statûs discrimina.

4. Aliquando contingit, ut gratiæ & consolationes spirituales ad corpus & ad sensus redundent, sicut scriptum est (d), *cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Sicut enim tabescit corpus, cùm tristatur anima: ita etiam interiori dulcedine per redundantiam sensus afficiuntur, hoc Deo concedente iis præsertim, qui imperfectiores sunt, ut eâ dulcedine perfusi à terrenis delectationibus abstrahantur. Sunt tamen subjectæ hujusmodi suavitates illusionibus, & seductionibus malignorum spirituum, atque hinc sordes Illuminatorum, hinc Begardorum turpitudines prodierunt. Docet seraphicus Doctor (e), *quod quidam decepti à seductoriis spiritibus, vel propriis falsis opinionibus putant sibi apparere Christum, vel ejus gloriosam Genetricem, & non solùm amplexibus & osculis, sed etiam aliis inde-*



(a) *Prov.* 14: 12. (b) *Hom.* 5. *in Ezech.* (c) 1. *p. qu.* 111. *a.* 2. (d) *Ps.* 83. (e) *de processu Relig. tr.* 7. *cap.* 18.

*indecentioribus gestibus, & actibus ab eis demulceri, ut sicut spiritus ipsorum interiùs ab ipsis consolatur spiritualiter, ita & caro exteriùs sibi congruo oblectationis sensu consoletur; quod non solùm est falsum, sed etiam blasphemia gravis esse comprobatur.* Tum subdit, *De his verò, qui cum aliquando dulcedinem spiritualem sentiunt, continuò etiam carnalis delectationis pruritu illecti fœdantur, nescio quid judicem, nisi quod potiùs eligo illis carere floribus, quos de luti sordibus legere deberem. Et sicut illos damnare non audeo, qui inviti quandoque in hujusmodi spiritualibus affectionibus carnalis fluxûs liquore maculantur; ita excusare eos nescio, qui tali fluxu ex consensu delectantur, cùm qualiscumque eorum intentio videatur.* Hactenùs Bonaventura.

5. Cùm quis ad aliquid operandum intus movetur, non solùm examinandæ sunt actiones illæ ad quas incitatur, utrum sint bonæ, & conformes mandatis Dei, & Ecclesiæ; sed etiam utrum conveniant statui ipsius & ordini, in quo positus à Deo est: an aliquam redoleant singularitatem, superstitionem, vel levitatem. Spiritus enim Dei solidus est, ejusque operatio lumini & gratiæ commensuratur, quibus anima prædita est. Qui hunc ordinem temerè transgreditur, infinitis se periculis exponit. Actiones item & verba, non in seipsis consideranda sunt, nec referenda ad Sanctorum exempla; sed ad principium sive motivum, propter quod sic operatur, & loquitur. Nam S. Martinus morti proximus dixit, *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*: At hæc eadem verba proferre noluerunt sancti viri Philippus Nerius, & Franciscus Salesius: ille motus charitate, iste humilitate. S. Franciscus stultum aliquando se finxit, ut sperneretur: aliquando vestem osculandam porrexit, ut honoraretur, non ipse quidem, sed Deus in ipso. S. Hilarion munditiem in cilicio non requirebat, quam S. Bernardus optavit & commendavit. Ut rectum igitur judicium feratur, disquirere oportet, quo spiritu quisque ducatur: quo principio innitatur, quodnam verborum & actionum proximum ac proprium motivum sit.

6. Suspectus est impulsus, quo quis movetur ad vitam singularem, & ad actiones insolitas & inusitatas. Nihil enim frequentiùs damnant sancti Patres, in his præsertim, qui vitam religiosam profitentur, quàm singularitatem. Pater Monachorum, (f) octavum humilitatis gradum in hoc constituit, *si nihil agat Monachus, nisi quod communis Monasterii regula, vel majorum cohortantur exempla.* Antiquorum item Monachorum unanimi consensu apud Cassianum (g) sancitum fuit: Vitam singularem noxiam esse, magisque speciem vanitatis, quàm virtutis ostentare. Ratio autem desumitur primò à suavitate divinæ providentiæ, quæ viam communem instituit pro salute omnium, quos salvare decrevit, ducitque omnes, ut plurimùm per iter planum, rectum, & usitatum. Secundò à malitia diaboli, qui ad res novas, curiosas, & inusitatas instigat, quæ admirationem afferant, & sanctitatis opinionem concilient; facitque transgredi terminos quos posuerunt Patres nostri, ut à solidis virtutibus removeat, & inducat in vanitatem. Tertiò ex pravitate naturæ nostræ, quæ peculiaribus exercitiis supra reliquos appetit apparere, & non esse sicut cæteri hominum. Quartò ex conditione ipsarum rerum singularium, quæ cùm raræ sint, minùs cognoscuntur, & illusionibus, ac deceptionibus subjectæ sunt. Sed quia ex sacris literis & experientia constat, spiritum Dei movere nonnunquam ad hujusmodi res mirabiles, quæ communem operandi rationem excedunt, non statim talis instinctus damnandus est. Sic præcepit Abrahæ, ut filium immolaret: Isaiæ, ut nudus per vicos & plateas civitatis ambularet. Eliæ inspiravit, ut ignem è cœlo peteret, quo quinquaginta viri consumpti sunt. Quosdam martyres impulit, ut pro fide tuenda se in ardentem rogum conjicerent. Danielem & Simeonem Stylites ad vitam in columna degendam, & alios multos ad singularia quædam patranda incitavit, quæ admirari oportet, non imitari. Talem verò impulsum ad opera mirabilia & non consueta tunc esse à Deo cognoscemus, si vocatus ad illa excellenti sanctitate emineat; semper enim tendit hujusmodi motio ad raram sanctitatem efficiendam, & ad virtutes internas in gradu heroïco. Si omnia adversa patientissimè toleret, quia in patientia, & tolerantia verus Christianitatis spiritus consistit, & præcipuus ejus actus est veterem hominem crucifigere, & ad nihilum redigere. Modus item examinandus est, quo quis impellitur ad opera grandia & excelsa: est enim aliquando ita vehemens & efficax, ut cor & mentem fortiter trahat, & rapiat, cujus rei luculentum extat exemplum in Apostoli

(f) Bened. *regula c. 7.*

(g) *Lib. 1. instit. c. 3.*

Apostoli Pauli conversione. Deindè cùm impulsus à Deo est, pacem & tranquillitatem cordis conservat, quia factus est in pace locus ejus. Nemini autem ad hæc opera eximia, & inusitata aspirare licet, nisi sentiat in se testimonium Spiritûs sancti vocantis, & trahentis, atque intus docentis, quòd à Deo certissime incitetur. Ut tandem de anima sic mota rectum feratur judicium, cognoscere oportet ubi habitet lux gratiæ, ut ait Job, (*b*) & per quam viam spargitur; quod sine spiritu Dei fieri nequit, quem nemo habet, nisi Deum possideat, & à Deo possideatur. Quia verò hoc donum in paucis reperitur, cavendum est, ne quis temerè sententiam proferat de via peculiari, per quam Spiritus sanctus aliquem singulariter dilectum trahit ad se. Adoranda potiùs judicia Dei, quorum abyssus immensa est: summisque precibus ab eo petendum, ut det spiritum bonum, nam spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei. Rectè Gregorius (*i*), „ Lux in hac vita spargitur, quia ad omnis rei „ intelligentiam continua non habetur. Dum „ enim aliud sicut est comprehendimus, & aliud „ ignoramus, quasi sparsâ luce & ex parte cerni „ mus, & in obscuritate ex parte remanemus. „ Tunc verò lux nobis sparsa jam non erit, quan„ do mens nostra ad Deum funditùs rapta ful„ gescet.

7. Qui spiritu Dei aguntur, quoddam habent experimentum divinæ erga se providentiæ, sibique à Deo tantum imponi pondus intelligunt, quantum est virium ad perferendum. At qui spem collocant in suis viribus, quod proculdubiò vel à proprio, vel à maligno spiritu procedit, majorem viribus conflictum experiuntur. Fidelis siquidem Deus est, qui non patitur nos tentari supra id quod possumus; sed facit cum tentatione proventum, ut possimus sustinere (*k*). Explicat hoc aptissimâ similitudine S. Ephrem (*l*). „ Si homines exiguo intellectu ac mente præditi „ probare, & discernere nôrunt, quantum pon„ dus, atque onus singula ferre queant animalia, „ veluti mulus, aut camelus, tantumque addunt „ oneris, quantum vires animalis tolerent: quan„ tò magis Deus, qui incomprehensibilis est & „ ineffabilis scientiâ & intellectu, totusque sa„ pientiâ plenus, novit quantis probationibus & „ tentationibus indigeant animæ ipsi placere vo„ lentes? Qui verò nimis in se confidunt, cedere, & vinci permittuntur, ut discant non altùm sapere, sed timere.

8. Divinæ operationes in anima, & interna jucunditas ex illis procedens diuturnæ non sunt, quia mens luminis claritate reverberata ad semetipsam revocatur, & ad infirmitatis suæ tenebras tracta relabitur. Idcircò suspectus est illorum spiritus, qui actualem Dei unionem semper se habere gloriantur. Legimus in Apocalypsi (*m*) factum esse silentium in cœlo quasi media horâ, per quod Haymo & Anspertus significari ajunt brevitatem quietis in rerum cœlestium contemplatione, quam Deus sanctis in hac vita concedit. Sic docet Gregorius in illa verba Job, (*n*) *& cùm spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Non stat*, inquit, (*o*) *sed transit spiritus, quia supernam lucem nostra nobis contemplatio & inhiantibus aperit, & mox infirmantibus abscondit. In hac siquidem vita quantâlibet virtute quis profecerit, adhuc tamen corruptionis suæ stimulum sentit.* Legimus quidem, fuisse nonnullos eximiæ sanctitatis viros, qui per plures horas aut etiam dies ex speciali Dei gratia intimam cum ipso unionem habuêre, sed hoc rarissimum est & paucissimis concessum. Alii quoque reperiuntur, qui quoties introsè vertunt, facillimè cum Deo uniuntur: at hoc differt à continua unione; sicut diversum est posse Principem alloqui quoties libuerit, & reipsa semper cum eo loqui. It & redit Verbum divinum pro suo beneplacito, quasi visitans diluculo & subitò probans, ut dicat anima ipsius fervens desiderio, (*p*) *Revertere, revertere dilecte mi.* Has vicissitudines euntis & redeuntis Verbi diffusè explicat, eas in se expertus, amicus Sponsi mellifluus Doctor: (*q*) *Et nunc*, inquit, *da mihi animam, quam frequenter Verbum sponsus invisere soleat, cui familiaritas ausum, cui gustus famem, cui contemptus omnium otium dederit: & ego huic incunctanter assigno vocem pariter & nomen sponsæ, nec ab ea penitus locum qui in manibus est*, scilicèt revertere, *censuerim alienum. Quem enim revocat, ejus absque dubio probat se meruisse præsentiam, etsi non copiam. Alioquin non revocasset illum, sed vocasset. Porrò revocationis verbum* revertere *est, & fortè ideò subtraxit se, quo avidiùs revocaretur, teneretur fortiùs. Nam & aliquando simulabat se longiùs ire, non quia hoc volebat, sed vole-*



(h) *Job.* 38. (i) *Lib.* 29. *mor. cap.* 12. (k) 1 *Cor.* 10: 13. (l) *Tract. de Patient. tom.* 1.

(m) *Apoc.* 8. 1. (n) *Job.* 4: 15. (o) *Lib.* 5. *mor. cap.* 23. (p) *Cant.* 2. (q) *Serm.* 74. *in cant.*

*bat audire*, Mane nobiscum Domine quoniam adveſperaſcit. *Ergo iſtiuſmodi piam ſimulationem, imò ſalutarem diſpenſationem non ceſſat identidem Verbum cum devota ſibi anima ſedulò agitare. Præteriens teneri vult, abiens revocari. Neque enim hoc irrevocabile verbum.* Ipſius ſiquidem hæ voces ſunt; (r) *Vado, & venio ad vos*: & alio loco, (ſ) *Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.*

9. Accidit aliquando, ut ſanctis & divinis inſpirationibus vel vitio naturæ, vel fraude dæmonis errores & vitia immiſceantur, ſicut ratio ſub veris principiis efformat nonnunquam falſas aſſumptiones. Hujus rei exemplum habemus in ſacris literis: Fidem enim & devotionem Jephte (t) ex impulſu Spiritûs ſancti fuiſſe aſſerit Auguſtinus, (u) non autem votum de filiæ immolatione. Veram quoque fuiſſe Eliphas Themanitis, (x) revelationem, Gregorius Papa & alii teſtantur, ſed eâ abuſus eſt adverſùs Job arguens eum iniquitatis. Multorum quoque deplorandos caſus narrat Caſſianus, (y) qui poſt longam & laboriosam eremi exercitationem ob fervorem indiſcretum miſerrimè lapſi ſunt. Ex quibus ſapientiſſimè infert, cunctas animi cogitationes ſeniorum examini atque judicio ſubjiciendas eſſe, illorumque definitionibus acquieſcendum.

10. Non videtur illorum ſpiritus à Deo eſſe, qui ſe jugiter in delitiis ſpiritualibus verſari autumant; iſta enim non interrupta gaudiorum fruitio patriæ eſt, non exilii. Quapropter in eorum mores & vitam diligentiùs inquirendum eſt, an diù fuerint variis tribulationibus quaſi aurum in fornaci probati: num illæ delitiæ eò referantur, ut magis earum ope in virtute proficiant: num altiùs exindè in humilitatis ſtudio firmentur. Quod ſi ex illis nullus aut exiguus percipitur fructus, proculdubiò ſuſpicione non carent. Ille item ſuſpectus eſt, qui ſibi revelari ait alterius ſtatum, niſi ſit probatæ virtutis, atque ipſa notitia ſterilis non ſit, ſed ad proximi ſalutem, Deique gloriam tendat.

11. Qui ſe per viſum roſeo ſerto redimitos à Chriſto, vel ab Angelo, ſive à Beata Virgine; aut annulo vel torque inſignitos credunt & prædicant, rejcii debent tanquam propriæ imaginationis figmento, aut diaboli fraude decepti, niſi perfectiſſimæ vitæ ſint, & eximiâ prædîti ſanctitate, atque ab omni terrena labe purgati. Idem de ſtigmatibus aſſerendum, quæ arte dæmonis fingi poſſe aliquot exemplis manifeſtum eſt. Facilitas quoque ad ecſtaſim ſuſpecta eſt, ſi præſertim contingat in locis publicis, & qui rapiuntur naturæ ſint vehementioris. Quid verò de illis cenſendum ſit, qui quemdam Dei illapſum in animæ eſſentiam prædicant, in qua Deum operari ajunt ceſſante prorſus omni operatione intellectus & voluntatis; & quid ſit hujuſmodi illapſus, deque aliis ejuſdem generis inuſitatis locutionibus & operationibus, alibi forſitan ſermo erit, Deo vitam & vires largiente.

12. Cùm varia ſint genera lacrymarum, variique fontes undè promuntur, ſicut Caſſianus, (z) & Climacus, aliique Patres aſſeverant, non exigua pars prudentiæ ſpiritualis eſt ſcire & diſcernere, quodnam ſit earum principium, quis finis; & à quo ſpiritu excitentur. Primò enim ex tenera & molli natura profluere poſſunt, quæ cùm facilè moveatur ad commiſerationem, ſtatim in lacrymas ſolvitur, quoties ſibi aliquid triſte aut miſerabile occurrit. Naſci poſſunt ſecundò aſtu dæmonis, qui commovet humores, & cor eorum emollit, qui teneræ complexionis ſunt, tametſi peccatores ſint, ut ſpecie ſanctitatis alios decipiant, & ipſimet decipiantur: licet eorum fletum non ſcelerum deteſtatio, ſed damna temporalia, & ignominia, quæ ex iis oriuntur, extorqueant. Talis fuit planctus & ejulatus Eſau, de quo ait Apoſtolus, (a) quod non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam: non enim flebat peccata ſua, qui necem fratri moliebatur; ſed quia jus primogenitorum ignominioſâ venditione prodegerat, nec potuit recuperare. Tertiò movet ad lacrymas Spiritus ſanctus, qui ſollicitare nos facit gemitibus inenarrabilibus, & hoc eſt donum lacrymarum à ſanctis Patribus tantoperè commendatum, quod à Deo petendum eſt, ut virgâ virtutis ſuæ percutiat ſilicem cordis noſtri, & educat ex eo aquas, quibus mergantur delicta noſtra. Hujus fletûs ſalutaris Gregorius Magnus (b) duo tantum genera ſtatuit, unum ex timore, alterum ex amore procedens. At Bernardus (c) tria genera recenſet, devotionis, pœnitentiæ, & fraternæ compaſſionis. Lacrymarum quæ à natura procedunt nulla ratio habenda eſt, nam ut plurimùm ſteriles ſunt & citò areſcunt. Quæ verò à Dæmone excitantur, eò tendunt, ut ad hypocriſim & ſuperbiam, ac tandem ad extremam perniciem inducant.

(r) *Joan.* 14. 28. (ſ) *Ibid.* 16. 17. (t) *Judic.* 11. (u) *Qu.* 49. *in Judic.* (x) *Job.* 4. 12. (y) *Collat.* 2.

(z) *Coll.* 9. *c.* 28, *ſerm.* 7. (a) *Hebr.* 12. 17. (b) *Lib.* 3. *dialog. c.* 34. (c) *Serm.* 3. *de Epiph.*

ducant. Peccatoribus autem fiendi facilitate illudunt, ut indè noxio errore inferant, non defuturam sibi in postrema vitæ clausula contritionem. Vidi aliquando hominem in malo obduratum, è cujus oculis copiosissimæ lacrymæ effluebant, cùm de eminente sibi æternæ damnationis periculo differentem audiret, ob apprehensionem videlicet sui pessimi statûs, in quo tamen nullum erat propositum abstinendi à malis, quæ deflebat. Cavendum igitur est, ne plus momenti in ipsis lacrymis ponatur, quàm in earum motivo, quod præcipuè attendi debet. Et si quidem Deus hoc irriguum alicui dederit, segregans pluviam voluntariam hæreditati suæ, utatur sanè Dei dono cum gratiarum actione, sed meminerit, omne sacrificium sale discretionis condiendum esse, vitetque duo extrema, alterum complacentiæ & arrogantiæ, ne sibi in lacrymis nimis complaceat aut extollatur, nevè illis sanctitatem suam & profectum spiritualem metiatur: alterum pusillanimitatis & diffidentiæ, nè fortè putet, actum esse de salute & perfectione sua, si illæ desint. Ubertas lacrymarum neminem sanctum facit, nec inopia peccatorem.

## CAPUT. VIII.

*Diversas esse motiones divini spiritûs. Ad eas dignoscendas multæ regulæ assignantur. De multiplici loquela Dei, ejusque discretione. Quibus signis vera locutio à falsa internoscatur.*

I. O Altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus in electis suis! Hos enim variis & miris modis vocat & movet, & quæ ad salutem illorum pertinent, diversimodè operatur. Ascendens Christus in altum dona dedisse hominibus dicitur, dona, inquam, & non donum: quia ut explicat Augustinus, (a) *per donum, quod est Spiritus sanctus, omnibus membris Christi multa dona, quæ sunt quibusque propria, dividuntur. Non enim singuli quique habent omnia, sed hi illa, & alii alia: quamvis ipsum donum, à quo cuique propria dividuntur, omnes habeant, id est Spiritum sanctum.* Ideò ipse spiritus unus dicitur & multiplex, quia cùm unus sit, multipliciter filiis hominum inspiratur, ut non sit qui se abscondat, à calore ejus. Diversa quidem sunt munera, sed charitas una: variæ semitæ, sed finis unus. Præclarè Bernardinus Senensis hac de re loquitur in tractatu de divinis inspirationibus (b) *Multifariè multisque modis consuevit Deus devotas mentes dirigere, erudire, & inspirare; quandoque revelationibus manifestis, quandoque infundendo imperceptibiliter ipsis animæ viribus fidem, spem, & charitatem: quandoque acuendo intrinsecùs intellectum, memoriam, & voluntatem respectu aliquorum objectorum, quæ utilia sunt ad salutem. Quandoque insuper flectit hominis intellectum ad aliquem servum Dei, qui potest illum dirigere & juvare. Quandoque etiam hominem devotum & zelo accensum dirigit ad aliquem textum Scripturæ sacræ, vel ipsi occurrere facit aliquam historiam, in cujus consideratione anima ejus dirigitur, & in eo quod desiderat, consolatur.* Eamdem modorum varietatem, quibus Spiritus Sanctus ad nos venire solet, sic explicat Gregorius in Moralibus. (c) *Quasi venas susurri sui aperit Deus, cùm nobis latenter insinuat, quibus modis ad nostræ intelligentiæ aurem venit. Aliquando enim nos amore, aliquando terrore compungit. Aliquando præsentia, quàm nulla sint, ostendit, & ad æterna diligenda desiderium erigit: aliquando priùs æterna indicat, ut post temporalia vilescant. Aliquando nostra nobis mala aperit: & ad hoc nos usque, ut alienis etiam malis condoleamus, extendit: aliquando mala aliena nostris obtutibus objicit, & compunctos mirabiliter à nostra pravitate nos corrigit.*

II. Quamvis autem spiritus Dei semper doceat veritatem, semper alliciat ad virtutem; nonnunquam tamen docet & non allicit, nonnunquam allicit & non docet; quæ diversitas duplici ex causa procedit. Primò quidem ex culpa & ignorantia nostra, quia nimirum Dei gratiâ intellectum nostrum illuminante bonum cognoscimus, sed peccatis exigentibus in nostra infirmitate derelicti bonum cognitum non operamur: vel certè quia ad opus bonum excitati à necessaria cognitione mentis hebetudine impedimur. Testatur hoc Bernardus his verbis, (d) *Multi monentur ut benefaciant, sed minimè sciunt, quid agendum sit, nisi adsit denuò gratia Spiritus sancti, & quam inspirat cogitationem, doceat in opus proferre, ne vacua in nobis sit gratia Dei. Propterea non solùm moneri & doceri,*

(a) *Lib. 15. De Trinit. cap. 19.*

(b) *Serm. 1. art. 1. c. 8. to. 3.* (c) *Lib. 5. c. 20.* (d) *Serm. 1. Pentec.*

*docèri, verùm etiam moveri & affici ad bonum necesse est, ab eo utique spiritu, qui adjuvat infirmitatem nostram.* Idem asserit Gregorius magnus dicens : (e) *Vocat* nos Dominus, *sed non erigit, quando per ejus gratiam illuminamur, sed exigentibus nostris meritis adjuvari non possumus. Plerumque enim videmus quæ agenda sunt, sed opere non implemus. Nitimur & infirmamur. Mentis judicium rectitudinem conspicit, sed ad hanc operis fortitudo succumbit.* Altera causa sumitur ex infallibili divinæ providentiæ dispensatione, quæ suaviter cuncta disponens ab infimis ad altiora nos erigit, & ex uno ad aliud promovet, prout exigunt vires & conditio nostra. Quorundam mentes lumine scientiæ irradiat, & prævia cognitione voluntatem accendit : quorundam voluntates piis affectionibus excitat, & deinde intellectum illustrat. Nonnullos intus docet quicquid singillatim agendum est : alios actibus similis ad perfectionem incitat, quibus tamen nulla via specialis ostenditur. Alii divino instinctu ad operâ excelsa & desideranda & adimplenda moventur : alii magnarum virtutum ardentia concipiunt desideria, quæ nunquam tamen adimplenda sunt. Sic David impulit, ut desideraret templum ædificare, non ut reipsa ædificaret, sed ut structuræ præpararet expensas. Sic degentibus in pace Ecclesiæ martyrii desiderium, imbecillibus asperitates, conjugatis statum religiosum, occupatis ex officio amorem solitudinis interdum inspirat, non ut reverâ hæc opere compleant ; sed ut his desideriis succensi mundum cum pompis suis execrentur, & in Dei amore ac perfectione proficiant. Omnia itaque desideria Deo inspirante concepta plurimi quidem facienda, sed non statim adimplenda sunt, quia non semper ad hunc finem immittuntur. Ideò, præmissâ rei inspiratæ maturâ consideratione, ferventer orandum cum Apostolo, *Domine quid me vis facere ?* Tum prudens conscientiæ director consulendus, ejusque monitis acquiescendum est. Quomodo autem divinus instinctus dignosci & certò distingui queat, sancti viri desuper infuso lumine ac proprio experimento instructi nos docuerunt, à quibus traditas regulas hîc fideliter describam ita brevitati studens, ut necessariæ cognitioni nihil subducam.

1. Spiritus Dei ad Christi sequelam excitat, & ad virtutum ejus imitationem. Cùm enim Christus non solum redemptor noster, sed & doctor ac dux sit, vita ejus & virtutes propositæ nobis sunt, veluti exemplar & idea totius perfectionis & sanctitatis. *Discite à me,* ait ille, (f) *quia mitis sum & humilis corde.* Et iterum. (g) *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Ipse est *via, veritas, & vita :* (h) & *qui dicit, se in illo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* (i) Non ergo dubitandum est, quin à divino spiritu excitetur, qui ad sectanda Christi vestigia impellitur.

2. Cùm divinus spiritus bona nobis inspirat ad faciendum ea, tria in nobis operatur, ut Bernardus ait : (k) *Monet, docet, & movet. Monet memoriam, rationem docet, movet voluntatem. In his enim tribus tota consistit anima nostra.* Memoriæ suggerit bona in cogitationibus sanctis, atque ita ignaviam nostram torporemque repellit. Rationem illuminat, ut videat quæ agenda sunt, & sic tenebras dissipat ignorantiæ. Movet denique & afficit voluntatem, & sic adjuvat infirmitatem nostram. Tria hæc operatur in anima per gratiam suam, tribuens nobis cogitare, velle & perficere quod bonum est. Et primum quidem operatur in nobis, secundum nobiscum, tertium per nos.

3. Solius Dei est ex suo instinctu consolationem in anima relinquere, nullâ præcedente consolationis causâ, ut S. Ignatius observat in libello exercitiorum ; proprium est enim creatoris suam ingredi creaturam, & illam in amorem sui totam convertere, trahere, & mutare. Nullam verò causam præcedere tunc dicimus, quando nec sensibus, nec intellectui, neque voluntati nostræ quidpiam objectum est, quod hujusmodi consolationem ex se causare possit. Inter justos autem & peccatores hoc interest, quod justis tanquam similibus placidè illabitur, statimque discusso timore sequitur consolatio. Peccatores verò, tepidos, & minus spirituales gravius conturbat, quia sibi dissimiles reperit, ut supra notatum est, terrore autem concussos gratiâ compunctionis recreat, quâ eos excitat ad propriam cognitionem, & ad desiderium perfectionis. *Primùm quidem,* ait Bernardus, (l) *sonans in auribus animæ vox divina conturbat, terret, dijudicatque : sed continuò, si bene adverteris, vivificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat.* Hinc agnoscimus, verissimam esse magni

(c) *Hom.* 31. *in Evang.*

(f) *Matt.* 11: 29. (g) *Joan.* 13:15. (h) *Joan.* 14:6. (i) 1 *Joan.* 2:6. (k) *Serm.* 1. *Pentec.* (l) *Serm. de utilit. verb. Dei.*

magni Antonii apud Athanasium (*m*) sententiam non esse difficilem beatorum spirituum malorumque discretionem. *Si enim*, inquit, *post timorem successerit gaudium, à Domino venisse sciamus auxilium, quia securitas animæ præsentis majestatis indicium est. Si autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur.* Refert & laudat hanc sententiam Angelicus Doctor, (*n*) quæ licet de visionibus & apparitionibus à S. Antonio prolata sit, in occultis tamen instinctibus locum etiam habet. Ratio autem est, *quia ex hoc ipso quòd homo supra seipsum elevatur, pars ejus inferior debilitatur, ex quo provenit perturbatio: sicut etiam calore naturali ad interiora reducto, exteriora tremunt.* Sic Daniel consternatus est initio visionis: sic B. Virgo ad Angeli salutationem turbata est: sic commotus est Zacharias viso Angelo, & timor irruit super eum: sic Joannes initio revelationum cecidit tanquam mortuus, ex ingenti pavore veluti exanimatus: sic Apostoli in transfiguratione Domini ceciderunt in faciē suam, & timuerunt valdè.

4. Mens, quæ habet Deum sui motûs auctorem, rectissimum in omnibus sibi finem proponit: ille enim semper excitat ad majorem sui gloriam quærendam, qui omnia propter semetipsum operatus est; neque potest à Deo moveri, qui ad aliud quærendum incitatur. Notissima est Augustini doctrina (*o*) Deo solo, quia finis est, debere nos frui, cæteris rebus uti. Neque est alia vita hominum vitiosa atque culpabilis, quàm quæ malè utitur, & malè fruitur. Verè etiam dixit Bernardus (*p*) non esse Deo gratam obedientiam sive patientiam nostram, nisi omnium, quæ agimus vel patimur, ipse sit causa.

5. Instinctus Dei animam docilem facit, aliorumque sententiæ & consiliis, seniorum præsertim & superiorum acquiescentem; sicut legimus apud Isaiam, (*q*) *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii.* In qua sententia, juxta Bernardi (*r*) expositionem, voluntariæ habemus obedientiæ formam, & longanimitatis exemplum. Qui enim non contradicit, spontaneus est; & qui retrò non abit, perseverat. Neque obstat, quòd qui docent & dirigunt, aliquando minus docti & imprudentes sint; nam sicut ait Climacus; (*s*) *Deus non est iniquus, ut animas, quæ per fidem & simplicitatem alterius se consilio & judicio humiliter subjiciunt, decipi patiatur.*

(m) *In vita S. Ant.* (n) 3. *p. qu.* 30. *a.* 3. *ad* 3. (o) *Lib.* 1. *de doct. chr. cap.* 35. *lib.* 10. *de Trin. cap.* 10. (p) *Serm. de obed. & patient.* (q) *Isai.* 50: 5. (r) *Serm.* 28. *in Cant.* (s) *Gradu* 26.

6. Quia patientia opus perfectum habet, & nos Christo, qui pro nobis crucem sustinuit, similes efficit; boni instinctûs indicium est, cupiditas multa patiendi, animusque paratus ad quæcumque mala fortiter toleranda. Hic impulsus nec à diabolo nec à propria natura esse potest. Acutè ut solet Tertullianus. (*t*) „ Patientia ita „ proposita Dei rebus est, ut nullum præceptum „ obire quis, nullum opus Domino complacitum „ perpetrare extraneus à patientia possit. *Et infra*. „ Christus saginari voluptate patientiæ discessu„ rus volebat. Despuitur, verberatur, deridetur, „ fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. Mira „ æquanimitatis fides. Qui in hominis figura pro„ posuerat latere, nihil de impatientia hominis „ imitatus est. Hinc vel maximè Pharisæi Do„ minum agnoscere debuistis. Patientiam hujus„ modi nemo hominum perpetraret. Adversitatibus veluti infallibili notâ boni à malis distinguuntur. Malorum enim perpessione malus homo deterior efficitur, bonus purgatur, excoquitur, perficitur. Et illi quidem, quorum virtus nondum robusta est, turbari animo & angi solent in primo occursu adversitatis, licèt postea divinæ dispositioni obtemperantes libenter patiantur: at vir perfectus ad tormenta, ad calamitates tamquam ad nuptias aspirat; sereno & exultanti animo advenientem crucem amplectitur, seque tanto Dei beneficio indignum putat. In his autem pœnis, quæ ad carnis castigationem voluntariè assumuntur, illud ante omnia servandum, quod ab antiquis dictum est, *Nè quid nimis*. Nam Dei spiritus modum servat, & Discretionis metas non excedit. *Sapientia est Deus*, ait Bernardus, (*u*) *& vult se amari non solùm dulciter, sed & sapienter. Undè Apostolus*, rationabile, *inquit*, obsequium vestrum: *alioquin facillimè zelo tuo spiritus illudet erroris. Si scientiam negligas.* Eandem moderationem commendat Gregorius dicens, (x) *sic necesse est, ut artem quisq; continentiæ teneat, quatenus non carnem, sed vitia carnis occidat: Nam plerumque dum plus justò caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur: ut ad orationem quoque vel prædicationem non sufficiat; dum incentiva vitiorum in se funditus suffocare festinat. Adjutorem quippe habemus intentionis internæ hunc hominem quem exteriùs gestamus, & ipsi insunt motus lasciviæ, ipsi affectus suppetunt operationis bonæ. Sæpe verò dum in illo hostem insequimur, etiam civem, quem diligimus, trucidamus:*



(t) *Lib. de Patient. c.* 1. & 3. (u) *Ser.* 20. *in Cant.* (x) *Lib.* 30. *mor. cap.* 14.

*& sæpe, dum concivi parcimus, ad prælium hostem nutrimus.*

7. Signum est evidens divini spiritus, eas potissimùm virtutes diligere & exercere, quæ Christi sectatoribus maximè conveniunt, quales sunt simplicitas, humilitas, veritas, atque sinceritas, quæ mundi amatoribus incognitæ sunt. Ego sum veritas, dixit Dominus, & cum simplicibus sermocinatio ejus, *quia*, ut exponit Gregorius (*y*), *de supernis mysteris illorum mentes radio suæ visitationis illuminat, quos nulla umbra duplicitatis obscurat.* Ideò scriptum est, (*z*) *abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Sunt hæ virtutes quasi lydius lapis, ad quem reliquæ probandæ sunt. Quâ cunque enim prærogativâ patientiæ, continentiæ, mansuetudinis, modestiæ, pietatis quispiam videatur excellere; si non est in eo veritas & simplicitas, si se profert, si sua extollit, si suo judicio pertinaciter adhæret, si quæ in verbis & factis ejus apparet duplicitas; reliquæ virtutes simulationes sunt & illusiones. Optimè iterum Gregorius (*a*). *Sapientia justorum est nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quàm facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc justorum simplicitas deridetur, quia ab hujus mundi sapientibus fatuitas æstimatur.* Si quis igitur erit, qui in omnibus justificationibus Dei corde simplici incedat, qui non ambulet in magnis neque in mirabilibus super se, neque sequatur adinventiones suas, hunc difficile est diabolicis illusionibus falli. Sicut enim rebellibus Angelis, & primis parentibus nostris causa lapsûs fuit superbia, ita humilitas & simplicitas tutissima ad Deum via est, divinique instinctûs certa probatio, quæ si in omni motione & operatione invenirentur, frustra, ut ait Gerson (*b*), alia signa multiplicarentur. Hâc nota Dominicus Bannez (*c*) insignis Theologus spiritum S. Teresiæ agnovit & approbavit. *Ego*, inquit, *per multos annos ejus confessiones excepi, eamque sæpiùs examinavi, semper me orga illam valdè asperum ac rigidum præbens: quò magis autem illam humiliabam & despiciebam, eò magis ipsa ad meum consilium petendum animabatur, ita se existimans tutiùs incedere. In nulla autem persona majorem animi sinceritatem, simplicitatem, & humilitatem observavi.*

(*y*) *Past. p. 3. adm. 12.* (*z*) *Matth. 11: 25.* (*a*) *Lib. 10. mor. cap. 16.* (*b*) *De dist. visionum signo 4.* (*c*) *Initio operum S. Teresiæ.*

8. Ubi spiritus Dei, ibi libertas spiritus à S. Francisco Salesio (*d*) tantoperè commendata reperitur. Hæc est autem libertas filiorum Dei, avulsio affectus à cunctis rebus, quatenus mens libera & expedita Dei voluntatem in omnibus sequi semper parata sit. Homo præditus hâc libertate non adhæret consolationibus, afflictiones autem eâ animi tranquillitate suffert, quam permittit mortalis infirmitas. Spiritualibus exercitiis non ita cor affigit, quin ea possit absque mœstitia & anxietate liberè intermittere, justâ causâ necessitatis, charitatis, vel obedientiæ interveniente. Gaudio suo interno nunquam privatur, nam cor avulsum ab omni creatura nullius rei privatione tristatur, sicut dicit Scriptura (*e*) *Non contristabit justum quicquid acciderit ei.* Recipit quidem spirituales consolationes, amat suas exercitationes; sed illis non servit, non hæret. Contristatur etiam aliquando, sed ad modicum tempus; nam statim se intro recipit, ubi omnia pacata sunt.

9. Non omnes servi Dei verum habent & purum lumen, nec semper qui illud habent, eo illustrati loquuntur aut operantur; sed tunc solummodò cùm Deus vult ejus largitor & dispensator. Quod si ea quæ vident divinâ claritate perfusi scribere & evulgare conentur, non eis pro voto succedit, nisi ad id speciali Dei instinctu moveantur. Quæ verò sic moti & illuminati loquuntur, nonnisi ab illis intelligi possunt, qui ejusdem lucis plus vel minus participes sunt. Sicut enim corporalem formam cernit oculos corporis corporeâ luce imbutus: ita oculis mentis divino lumine illustratus interni hominis speciem intuetur. Sed hoc lumen paucis conceditur, & idcircò exiguus numerus illorum est, qui verè interni sint; qui alios intimè possint agnoscere. Id magno suo incommodo S. Teresia experta est, cujus directores nec spiritum nec loquelam ejus percipere poterant, donec incidit in homines eodem, quo ipsa, lumine perfusos, quales fuêre S. Petrus de Alcantara, S. Franciscus Borgia, Balthasar Alvarez, & alii non dissimilis virtutis & sanctitatis. Sunt & alia multa ejusdem generis exempla, quæ prolixi operis foret recensere. Hinc voces & phrases mysticorum homines ignorantes, & carnales, qui non percipiunt quæ sunt spiritûs Dei, falsis interpretationibus in siniſtrum sensum detorquent. Nam ut ait sapientissimus Bernardus (*f*), *Frustra ad audiendum legendumvè amoris carmen,*

(*d*) *Lib. 1. Epist. 1.* (*e*) *Prov. 12: 21.* (*f*) *Ser. 79. in cant.*

*carmen, qui non amat, accedit, quoniam omninò non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quo modo enim græcè loquentem non intelligit qui Græcum non novit, nec latinè loquentem, qui Latinus non est, & ita de cæteris: sic lingua amoris ei qui non amat barbara, eritque sicut æs sonans, aut cimbalum tinniens.*

10. Gratia Dei ex se non destruit aut debilitat naturam, imò potiùs eam munit, confortat, & perficit: idem enim Deus auctor naturæ est, & dator gratiæ. Quando igitur ægritudo aliqua aut lassitudo provenit ex his, quæ homo instinctu divino operatur, non gratiæ effectus est, sed naturæ debilitas, quia corpus, quod corrumpitur, aggravat animam: neque ideò putandum, est motionem illam non esse à Spiritu sancto. Legimus enim, Danielem post visionem Angeli omni vigore destitutum fuisse. *Et non remansit*, ait ille, (g) *in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quicquam virium.* Nam ut observat Gregorius, (h) *cum mens humana ultra se ad videndum ducitur, necesse est, ut hoc carneum vasculum, quod ferre talenti pondus non valet, infirmetur.* Idque non solùm in visionibus beatorum spirituum, sed etiam in divinis consolationibus contingit, quas interdum viri sancti, cùm ex carnis infirmitate ferre non possent, clamabant, *satis est Domine, satis est.*

11. Ingens argumentum divini spiritûs, & non exigua pars spiritualis prudentiæ est, ea exercitia & opera communiter complecti, quæ huic ætati, in qua degimus, sunt peculiariter accommodata. Nullum verò temporum delectum habere, fraus est & deceptio maligni spiritus. Manifestum est, diversam à Deo in diversis ætatibus observatam esse rationem perducendi homines ad salutem. In mundi primordiis lumen naturale plurimum momenti habebat: secuta est Circumcisio, & ætas ceremoniarum: tùm affulsit lux Evangelii, & sub ea aliarum quasi minorum ætatum discrimina. Cùm primùm Ecclesia fundata est, palàm fidelibus Spiritus sanctus è cœlo mittebatur: postea hoc visibili munere subtracto martyrium successit: tum Doctorum hæreses confutantium, & Scripturas exponentium eluxit ingenium: floruit deinde innumerabilis Monachorum multitudo, qui se omni genere asperitatis afflixerunt: alia denique tempora inter se nexa præsentia induxerunt, quorum conditio senescente jam mundo xigere videtur, ut à miris & insolitis abhorreamus, vitæque internæ operam demus: ut arctiùs cum Deo jungamur. Quod verò aliqui scribunt, debiliora nunc corpora esse, nec ferre posse victûs & vitæ asperitatem, qualem in actis sanctorum legimus, id seraphica Virgo Theresia (i) intellexit, è contrario asserens, eò magis nunc oportere ea imitari, quæ Christus & sancti Martyres ac Confessores passi sunt, quò major est mundi improbitas, & ad carnis desideria perficienda effrænis licentia.

12. Indicium quoque est divini spiritûs, propriæ vocationi insistere, nec ad alia instituta divagari. Dicit enim Apostolus (k) debere unumquemque in ea vocatione manere, in qua vocatus est. Et Ephrem ait. (l) *In quo vocatus es opere, firma anchoras & funes, ne in pelagus tua navis impellatur.* Rursus Apostolus, (m) *obsecro vos*, inquit, *ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate, soliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis. Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.* Quod si quisque suo feratur impetu ad ea, quibus subinde afficitur, non planè unitas erit, sed confusio. Spiritus sanctus cuique statui suos limites præscripsit, quos transilire nefas est: & Christus Dominus ad sua sequenda vestigia invitans ait, *si quis vult venire post me, tollat crucem suam*: Suam inquit, non alienam: secularis suam, religiosus suam; suam Princeps, suam item subditus; suam robustus, infirmus suam. Sicut quæque arbor non alienum fructum, sed suum profert: ita clericus clericum agere debet, monachus monachum, nec unquam à proprio instituto deflectere, nisi fortè Spiritus sanctus ad altiorem perfectionem aliquem vocet. Hæc autem motio subtiliter examinanda est, nè sub prætextu majoris boni per diversa temerè vagantes omni vento circumferantur.

13. Pax & tranquillitas animi, pacisque comes lætitia, & interna jucunditas signa sunt divini instinctûs. Ubi tenebræ, ubi confusio, & perturbatio, ibi Deus non est, *quia factus est in pace locus ejus.* Veniens in mundum Salvator noster pacem nobis per Angelos nuntiavit: discessurus è mundo eandem nobis velut testamento reliquit dicens, *Pacem meam do vobis, pacem*



(g) *Dan.* 10. 8. (h) 3. *Dial. cap.* 24.

(i) *Vitæ suæ cap.* 27. (k) 1 *Cor.* 7. 20. (l) *Adhort.* 4. *to.* 2. (m) *Ephes.* 4. 1.

*relinquo vobis.* Fructus spiritûs, ait Apostolus, *Gaudium, Charitas, Pax.* David quoque canit, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem.*

14. Argumenta divini spiritûs sunt, nihil à Deo nominatim petere, nisi ejus impulsu ad illud petendum moveamur. Hoc autem postulare oportet, ut doceat nos petere quæ ipsi grata & nobis salubria sunt, voluntatem nostram divinæ subjicientes, quoniam ipsi cura est de nobis. Deinde in proposito virtutis constanter perseverare, propriam infirmitatem suspectam semper habere, & propter labendi periculum cum ingenti erga Deum fiducia continuo timore percelli, *nescit enim homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta* (n). Nullam item habere opinionem, quæ sacræ Scripturæ consentanea non sit, ipsa siquidem est regula certa divinorum instinctuum: & à placitis sanctorum Patrum, atque à communi Doctorum orthodoxorum sensu nusquam discedere, nam super illos extolli intolerabilis superbiæ foret. Sanctus Abbas Antiochus (o), „ Argumentum, *inquit*, evidens est, quòd quis spiritum sanctum „ habeat, si mansuetus & quietus sit, si de se quàm „ modestissimè sentiat, si sibi temperet ab omni „ vana cupiditate hujus seculi, seque ipsum cæteris hominibus multo æstimet inferiorem. Denique ut sapienter Tertullianus scribit (p), „ Ubi „ Deus est, ibi metus in Deum, qui est initium „ sapientiæ. Ubi metus in Deum, ibi gravitas „ honesta, & diligentia adtonita, & cura solicita, „ & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & subjectio religiosa, & apparitio devota, & processio modesta, & „ Ecclesia unita, & Dei omnia.

III. Pertinet ad divinum instinctum locutio Dei, quâ variis mirisque modis animam instruit & excitat omnipotentiâ suâ, & ineffabili sapientiâ. *Duobus modis*, ait Gregorius magnus (q), „ loquutio divina distinguitur. Aut per semetipsum, namque Dominus loquitur, aut per creaturam Angelicam ejus ad nos verba formantur. „ Sed cùm per semetipsum loquitur, virtus ejus „ intimâ quâdam sublevatione cognoscitur. Cùm „ verò per Angelum voluntatem suam Dominus „ indicat, aliquando eam verbis & rebus, aliquando imaginibus cordis oculis ostensis: aliquando imaginibus & ante corporeos oculos ad „ tempus ex aëre adsumptis: aliquando cœlestibus subsantiis, aliquando simul terrenis & cœlestibus. Nonnunquam verò etiam per Angelum humanis cordibus ita loquitur Deus, ut „ ipse quoque Angelus mentis obtutibus præsentetur. Sed fortè, *inquit Bernardus* (r), „ ascendunt cogitationes in corde tuo, & quæris dubius apud te dicens: Quâ ratione verba Verbi „ facta ad animam referuntur, & quomodo possunt hæc fieri? Nam verbo loquimur, non verbum loquitur. Bene quæris, sed attende spiritum loqui, & spiritualiter oportere intelligi „ quæ dicuntur. Quoties proindè audis vel legis „ Verbum atque Animam pariter colloqui & se „ invicem intueri, noli tibi imaginari quasi corporeas intercurrere voces, sicut nec corporeas colloquentium apparere imagines. Audi potiùs quid tibi sit in hujusmodi cogitandum. Spiritus est Verbum, spirituque anima, „ & habent linguas suas quibus se alterutrum alloquantur, præsentesque indicent. Et Verbi „ quidem lingua favor dignationis ejus, animæ „ verò devotionis fervor. Hæc Bernardus, qui licèt Gregorio adversari videatur, nullam tamen inter utrumque repugnantiam esse patebit, si triplicem loquutionis modum distinxerimus. Primus est per verba externa corporeis auribus ab homine vigilante percepta, Angelorum ministerio ut plurimùm formata, quibus audientis intellectus illustratur: Sic Moysi & Prophetis loquutus est Deus. Sic baptizato Christo, & in monte transfigurato audita est vox (s), *Hic est Filius meus dilectus.* Sic eodem orante vox è cælis insonuit (t), *& clarificavi & iterum clarificabo.* Sic sæpiùs legimus ex statuis & imaginibus Christi Domini & Sanctorum voces prodiisse viris sanctis antè ipsas orantibus. Secundus modus est per verba interna non aure corporis, sed imaginatione percepta, sicut somniantibus solet accidere. Hæc autem verba aliquando è supernis descendere, aliquando ex imo cordis prodire, aliquando juxta audientem, aliquando è loco remotiori proferri videntur. Interdum persona loquens, ut Christus aut B. Virgo, se manifestat, propriâ figurâ phantasiæ impressâ, ita ut audiens nullatenùs dubitare possit quis loquatur: interdum vox sola auditur, persona loquens ignoratur. Solet frequentiùs hæc mystica Dei loquela in somno audiri, quia tunc anima nullo tumultu, nullis curis exterioribus distrahitur. Hinc Deus ad Aaron dixit (u), *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar*

(n) *Eccl.* 9: 1. (o) *Hom.* 120. (p) *De præscript. c.* 43. (q) *Lib.* 28. *mor. c.* 2. (r) *Serm.* 45. *in cant.* (s) *Matt.* 3: 17. *Ibid.* 17: 5. (t) *Joa.* 12: 28. (u) *Num.* 12: 6. (x) *Job.* 33: 15.

*quar ad illum.* Et Job ait (x), *per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum & erudiens eos instruit disciplina.* Tertius modus sublimior est, cum vox Dei loquentis in silentio ad cor Hierusalem non aure, non imaginatione, sed solo intellectu spiritualiter percipitur. Loquitur enim Deus in apice mentis uno simplicissimo verbo, & anima audit simplicissimo mentis intuitu. Sicut Angelis, & Beatis loquitur, non aliquâ voce sensibili; sed imprimendo ipsorum intellectui veritatem quam illis manifestare decrevit: ita in parte superiori animæ verba sua profert, clarissimâ quâdam luce infusâ, in qua sine labore & fastidio, imò cum admirabili quiete & suavitate multò plura brevissimo tempore docetur anima, quàm posset proprio studio multis annis edisce re. Appositè Gregorius Magnus (y): „ Spiritum „ Dei quasi quædam nobis verba dicere, est oc„ cultâ vi quæ agenda sunt intimare; & cor ho„ minis ignarum, non adhibito strepitu & tardi„ tate sermonis, peritum repentè de absconditis „ reddere. Sed hæc gratia paucorum est, nec facilè explicari potest, quomodo hæc fiant. Sic fortassis loquutus est Paulo, cum audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Et Augustinus explicans verba illa Geneseos (z), *Cùm audivissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso, Fortassis*, ait (a), *Deus cum illis loquebatur, sicut cum Angelis loquitur, ipsâ incommutabili veritate illustrans mentes eorum.* Plura de hac triplici loquutione scriptores mystici disputant, sed his omissis, quia ad hunc tractatum non pertinent, jam regulæ tradendæ sunt, quibus veræ à falsis discerni queant.

1. Verba primo & secundo modo prolata & Dei & Dæmonis & propriæ imaginationis esse possunt. Facilè autem cognoscuntur, quæ à Deo non sunt, quia ariditatem, & inquietudinem post se relinquunt. Quod si aliquando fervidum quemdam affectum & falsam humilitatem instillant, & lacrymas excitant, hostis dolus est sub hac larva latentis, ut tandem animam in vanitatem & sui æstimationem præcipitet. Hujus verò mali remedium est, hujusmodi alloquia, etiam si à Deo sint, non magni facere, seque illis indignum judicare, ac solidis virtutibus incumbere.

2. Loquutio Dei efficacissima est, statimque effectum suum operatur in anima: *Vivus est enim sermo Dei*, inquit Apostolus, *& efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritûs, compagum quoque & medullarum.* Qua propter eodem momento & loquitur & operatur, statimque efficit in anima, quod enuntiat: ut afflictæ & anxiæ dicat, *Noli timere*; omnis protinus mœstitia, omnis perturbatio sedatur. Narrat Franciscus Ribera (b) in vita S. Theresiæ, quod cum initio suæ conversionis à secularium amicitiis difficilè se expediret, orans aliquando audivit in intimo animæ suæ hæc verba: *Jam nolo amplius te cum hominibus conversari, sed cum Angelis.* Quibus verbis ita repentè mutata est, ut deinceps non potuerit amicitiam habere & consolationem, nisi cum servis & amicis Dei, & cum iis qui de oratione tractabant.

3. Verba Dei tametsi vera & justificata in semetipsis, possunt tamen ab audiente sic intelligi, ut nec vera, nec certa videantur. Oritur hic defectus ex imbecillitate & imperfectione nostri intellectûs. Sicut enim exaltantur cœli à terra, ita sermo Dei à sermone hominum: cumque sapientia Dei incomprehensibilis sit, mirum non est, quod verba ejus sensum sæpè habeant ab eo diversum, qui juxta communem loquendi modum nihil ultra considerantibus occurrit. Patet hoc evidenter ex sacris literis. Abrahæ promisit Deus, se daturum terrum Chananæorum, *Omnem terram quam conspicis, tibi dabo.* (c) Cùmque jam senuisset, nec tamen regionem illam possideret, rursumque Deus dixisset illi, (d) *Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldeorum, ut darem tibi terram istam & possideres eam*: respondit Abraham, *Undè scire possum quòd possessurus sim eam?* & dixit ad eum Dominus, semini ejus daturum se illam post annos quadringentos servitutis in Ægypto, ex quibus constat, divinam promissionem non benè à S. viro intellectam fuisse. Credidit enim, se possessurum terram illam, quæ ipsius nepotibus post aliquot secula promissa & destinata erat. Jacobo quoque eunti in Ægyptum dixit Deus; (e) *Ego descendam tecum, & indè adducam te revertentem*: quod tamen non ita evenit, ut verba sonant: nam Jacob mortuus est in Ægypto, & in posteris ac nepotibus suis promissio adimpleta est. Legimus similiter in libro Judicum, (f) quod perpetrato à tribu Benjamin horrendo scelere, reliquæ Tribus filiorum Israël congregato exercitu quadringentorum millium perrexerunt adversus Benjamin, initoque certamine



(y) *Lib. 28. mor. c. 2.* (z) *Gen. 3: 8.* (a) *De Gen. ad lit. lib. 11. c. 33.*

(b) *Lib. 1. c. 9.* (c) *Gen. 15: 15.* (d) *Gen. 15: 7.* (e) *Gen. 46: 4.* (f) *Jud. 20.*

tamine jussu Dei, semel atque iterum profligati sunt: quia nimirum verba Domini perperam de victoria intellexerunt, cùm nonnisi de ineundo prælio loquutus fuerit. Abiit Jonas in Niniven & prædicavit in ea ex ore Domini, (g) *adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*: & tamen non est subversa, quia verba Dei comminatoria erant, & sub conditione prolata, nisi agerent pœnitentiam. Non ergo noster intelligendi modus in divinis loquutionibus & prædictionibus attendi debet, quia multùm discrepat à communi hominum sensu sermo divinus, nec ideò falsitatis argui debent quædam sanctorum revelationes, quas legimus, de reformatione Ecclesiæ, de mutatione regnorum, si statim non adimplentur, quia fortè latet sub verbis Domini occultus sensus hominibus ignotus: Et mille anni ante oculos Dei tanquam dies hesterna, quæ præteriit.

4. Cùm verba à Deo sunt, clariùs intelliguntur, quàm si auribus exciperentur; etsi quis ea audire recuset, & obluctetur, non tamen potest impedire, quin ipsa mente percipiat, & animam impellant, quo Deus vult. S. Teresia (h) integro ferè biennio his internis loquutionibus, omni quâ potuit contentione, restitit; sed irrito semper conatu.

5. Cùm Deus mandat aliquid fieri, dat etiam robur & vires adversùs impedimenta & contradictiones. Cavendum nihilominus est, ne statim hujusmodi mandata executioni mandentur, sed prudentis directoris adhibendum consilium, qui statuere possit quid agendum sit. Facilè diaboli se laqueis implicat, qui suo se arbitrio regens, quicquid mente percipit, temerè aggreditur.

6. Proprii intellectus, seu phantasiæ loquutiones his signis discernuntur à divinis, quia cùm potentiæ nostræ loquuntur, ipsæ ea, quæ dicunt, ordinant, & disponunt, situmque est in nostra potestate ab iis, cùm libuerit, divertere. Cùm verò Deus loquitur, potentiæ nostræ silent & audiunt, nec cogitationem ab auditis avertere, aut illa rejicere possunt. Deinde quæ à Deo dicuntur, procul ab humana intelligentia remotâ sunt, brevissimoque temporis spatio adeò multa audiuntur, ut nullo modo potuerint ab humano ingenio tam citò excogitari.

7. Indicia sunt divinæ loquutionis, si verba audita memoriâ non excidant, si nulla de iis præcesserit cogitatio; si audiens non solùm sententiæ, sed singulorum etiam verborum postea meminerit; si consona Sacræ Scripturæ, & Ecclesiæ doctrinæ sint; Si animam illuminent, corroborent, & ad perfectionem impellant. Exemplum internæ hujus loquelæ ex auctore vitæ Hieronymi Gratiani Carmelitæ (i) spectatissimæ virtutis hîc referre operæ pretium puto. Is cùm aliquando matutinum officium recitaret, radium fulgentissimæ lucis vidit figuræ pyramidalis, cujus apex ab oculo incipiens & paulatim extensus usque ad cœlum protendebatur; in eo lumine vidit perspicuè S. Matrem Theresiam miro splendore coruscantem, quæ dixit illi: *Nos & vos unum simus in puritate, & amore: nos fruendo, vos sustinendo: & quod nos agimus cum essentia divina, id vos agite cum sanctissimo Sacramento. Hoc dicito omnibus filiabus meis.* Hæc autem visio & ista loquutio in momento peracta sunt, ita ut alternatim cum aliis psallens ne unum quidem psalmi versiculum omiserit. Eam verò lucem puriorem & clariorem luce solis fuisse asseruit, quam & clausis & apertis oculis æqualiter & sine offensione videbat. Verborum, quæ audivit, nunquam potuit oblivisci eo idiomate quo prolata fuerunt. Transactâ visione nec minimâ quidem elatione tentatus fuit, imò statim cogitare cœpit, essetnè à Deo vel à dæmone. Sed protinus interno auditu vocem arguentis se audivit, quòd tempus inutiliter tereret in ea consideratione: verba potiùs quæ audierat meditaretur. Præclarè disserunt de his loquutionibus S. Theresia vitæ suæ c. 25. cum duobus sequentibus; & in Castro animæ mansione 6. cap. 3. & Joannes à Cruce lib. 2. ascens. Montis Carmeli cap. 28. & sequentibus.

(g) *Jonæ 3.* (h) *Vitæ c. 25.*

(i) *Parte 2. cap. 17.*

## Caput. IX.

*Quæ signa divinam inspirationem antecedant, comitentur, & subsequantur. Quomodo optanda & recipienda sit.*

1. Satis jam de indiciis, quibus divinus spiritus cognosci potest. Sed quò luculentior fiat iste tractatus, libet hîc cum Bernardo (a) subtiliùs indagare, quâ solertiâ, & quàm vigili oculo fidelis

(a) *Ser. 57. In Cant.*

fidelis anima tempus observet visitationis suæ, per singula momenta diligenter explorans adventum Sponsi, ut cùm venerit & pulsaverit, confestim aperiat ei. Felix anima, quam veniens Dominus invenerit vigilantem. Visitabitur frequenter, audietque ab eo vocem pacis & salutis, vocem amoris & exultationis. Signa autem adventus ejus, quæ mellifluus Pater tum proprio tum alieno experimento se didicisse fatetur, ista sunt.

1. Primum est suggestio bona. Ait enim: *Si admonitus fuero, vel foris ab homine, vel intus à spiritu de tuenda justitia & servanda æquitate, istiusmodi salutaris suasio erit mihi profectò prænuntia imminentis adventus Sponsi, & præparatio quædam ad dignè suscipiendum supernum visitatorem, Propheta id mihi indicante dicendo, quia* Justitia ante eum ambulabit; *& item loquitur Deo sic:* Justitia & judicium præparatio sedis tuæ. *Nihilominus verò spes eadem arridebit, si sermo insonuerit de humilitate, vel patientia, seu etiam de fraterna charitate & obedientia deferenda Prælatis: maximè autem de sectanda sanctimonia, & pace, & cordis puritate quærenda, quoniam quidem Scriptura ait,* Domum Domini decet sanctitudo, &, Factus est in pace locus ejus: & mundi corde Deum videbunt. *Quicquid itaque sive de his, sivè de aliis quibuslibet virtutibus suggestum animo fuerit, significatio erit mihi, visitationem Domini virtutum imminere animæ meæ.*

2. Correptio est, nam sequitur. *Sed etsi corripuerit me justus in misericordia, & increpaverit me, id ipsum sentiam, sciens quia æmulatio justi, & benevolentia iter faciunt ei qui ascendit super occasum. Bonus occasus, cùm ad correptionem justi stat homo, & corruit vitium, & Dominus ascendit super illud, conculcans hoc pedibus & conterens ne resurgat. Non ergò contemnenda increpatio justi, quæ ruina peccati, cordis sanitas est, nec non & Dei via ad animam.*

3. Exhortatio. *Nec ullus omnino sermo qui ædificat ad pietatem, ad virtutes, ad mores optimos, negligenter est audiendus, quoniam & illic iter quo ostenditur salutare Dei. Quòd si sermo gratus venit & placidus, quatenus pulso fastidio cum desiderio audiatur: jam non modò venire Sponsus, sed & accelerare, id est cum desiderio venire credendus est. Illius namque desiderium tuum creat, & quòd tu ejus properas sermonem admittere, inde est quòd ipse festinat intrare: non enim nos eum,* sed ipse prior dilexit nos.

4. Compunctio. *Si etiam ignitum eloquium sentis, atque ex eo conscientiam rari in recordatione peccati, recordare tunc de quo Scriptura dicit, quia ignis* ante ipsum præcedet, *& ipsum propè esse non dubites. Denique* juxta est Dominis his qui tribulato sunt corde.

5. Conversio. *Si verò non solùm compungeris in sermone illo, sed & converteris totus ad Dominum, jurans & statuens custodire judicia justitiæ ejus: etiam adesse ipsum jam noveris, præsertim si te inardescere sentias amore ejus. Etenim utrumque de illo legis; & ignem videlicet ante ipsum præcedere, & ipsum nihilominus ignem esse: Moyses siquidem de illo dicit, quia* ignis consumens est. *Differunt autem quòd is qui præmittitur ignis, ardorem habet, sed non amorem. Tantum ad excitandum præmittitur & præparandum, simulque ad commovendum quid ex te sis, quò dulciùs sapiat postmodùm quod ex Deo mox eris. At verò ignis qui Deus est, ardet suaviter, desolatur feliciter. Ergò in virtute qua immutaris, & in amore quo inflammaris, Dominum præsentem intellige.*

6. Dilatatio & illuminatio mentis. *Hoc igne consumptâ omni labe peccati, & rubigine vitiorum, si jam emundatâ & serenatâ conscientiâ, sequatur subita quædam atque insolita latitudo mentis & infusio luminis illuminantis intellectum vel ad scientiam Scripturarum, vel ad mysteriorum notitiam, quorum alterum propter nos oblectandos, alterum propter ædificandos proximos reor dari: oculus respicientis procul dubio est iste educens quasi lumen justitiam tuam & judicium tuum tamquam meridiem, juxta illud Isaiæ,* orietur tamquam Sol lux tua.

7. Insinuatio divinæ voluntatis. *Post hunc tantæ dignationis ac miserationis respectum sequitur vox blandè & leniter divinam insinuans voluntatem, quæ non est aliud quàm ipse amor, qui otiosus esse non potest, de his quæ Dei sunt solicitans & suadens. Denique audit sponsa ut surgat, & properet, haud dubium quin ad animarum lucra. Hoc siquidem vera & casta contemplatio habet, ut mentem quam divino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo & desiderio acquirendi Deo, qui eum similiter diligant, ut otium contemplationis pro studio prædicationis libentissimi intermittat: & rursum potita votis, aliquatenus in hac parte tantò ardentiùs redeat in sipsum, quantò se fructuosiùs intermisisse mine-*

*minerit; & item sumpto contemplationis gustu, valentiùs ad conquirenda lucra solitâ alacritate recurrat.* Hæc Bernardus, qui deinceps describit amantis animæ angorem inter actionis & contemplationis vicissitudinem æstuantis.

II. Quatuor priora signa divinam inspirationem antecedunt, tria posteriora concomitantur. Sed & alia quædam sunt, quæ ipsam subsequuntur. Veniens siquidem Sponsus in animam, tamquam in hortum suum, metit myrrham cum aromatibus suis, relinquens in ea ferventes affectus heroïcæ mortificationis, & omnium virtutum, quæ sicut aromata ex ipsa fluunt. „ Myrrham autem metit Christus, ait Richardus à S. Victore, (b) „ quando præmissos „ labores perficit in anima, quibus ad virtutem „ & perfectionem pertingit, & eam suaviter ro„ borat, ut delectabiliter agat, quæ priùs hor„ rebat. Dat ei etiam favum cum melle suo, lumen infundens veritatem fidei cum tenero sensu mysteriorum in eis latentium, & dulcedine suavissimâ imbuens illam, ut intellectus comedat, & delectetur, & voluntas recreetur. Porrigit eidem poculum vino plenum, sed mixtum cum lacte, quia inebriat eam ingenti fervore, quem deinde discretionis lacte moderatur, ne operatio vires, aut zelus scientiam excedat. Alia idem Bernardus signa ore mellifluo alibi recenset his verbis. „ Si sensero aperiri mihi sen„ sum, ut intelligam Scripturas, aut sermonem „ sapientiæ quasi ebullire ex intimis, aut infuso „ lumine desuper revelari mysteria, aut certè „ expandi mihi quasi quoddam largissimum cœli „ gremium, & uberiores desursum influere ani„ mo meditationum imbres, non ambigo Spon„ sum adesse. Quòd si se pariter infuderit humi„ lis quædam, sed pinguis intimæ aspersionis de„ votio, ut amor agnitæ veritatis necessarium „ quoddam odium vanitatis in me generet & „ contemptum, ne fortè aut scientia inflet, aut fre„ quentia visitationum extollat me: tunc prorsus „ paternè sentio agi mecum, & Patrem adesse non „ dubito. Si autem perseveravero huic dignatio„ ni dignis semper, quod in me est, affectibus & „ actibus respondere, & gratia Dei apud me va„ cua non fuerit: etiam mansionem apud me fa„ ciet tam Pater enutriens, quàm Verbum eru„ diens.

III. Hæc omnia operatur in anima divina inspiratio diversis occultisque modis, quos nemo novit, nec ipse quidem, qui accipit. *Nam unde in animam meam venerit,* inquit Bernardus; (c) *ignorare me fatcor, secundùm illud.* Nescis unde veniat, aut quò vadat. *Nec mirum tamen, quia ipse est, cui dictum est,* & vestigia tua non cognoscentur. Ex effectibus adesse cognoscitur, quia implet animam claritatis suæ splendoribus, elevat eam supra seipsam, terrenarum rerum fastidio afficit, cælestium amore succendit, pace & tranquillitate serenat, gratiæque fluentis irrigat, ut fructum plurimum afferat, & crescat, saliatque in vitam æternam. Quamvis autem hic spiritus ubi vult spiret, præveniens nos in benedictionibus suis, ardentibus tamen votis, summisque precibus expetendus est, ut descendat in hortum suum, & Aquilonem surgere jubeat, & Austrum flare. *Surge Aquilo,* ait sponsa, (d) *& veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Fuge, inquit, & recede Aquilo, Spiritus tristis & immunde, luce carens & calore, & veniat Auster à parte fervida ac luminosa: veniat Dei spiritus lucidus & inflammans, perflet hortum animæ sibi consecratæ, & fluant instar fluminis aromata virtutum suaveolentia, suumque in omnes effundant odorem. Præparandus insuper est animus ad recipiendum divinum instinctum, affectuum & sensuum mortificatione, nè, cùm venerit, distractum inveniat, & foris vagantem. Verissima est enim Bernardi sententia: (e) „ Im„ pleri visitationibus Domini anima non potest, „ quæ distractionibus subjacet, & quantò magis „ illis evacuabitur, tantò amplius istis implebi„ tur; si multum, multum; si parum, parum. Postquam autem adventum Domini, ejusque visitationem gratiæ splendoribus perfusa anima perceperit, eâdem precum instantiâ excipere illum & retinere debet, reddens gratiam pro gratia, & sollicitè cavens nè in superbiam elata tanto munere abutatur in sui perniciem, & in contumeliam largitoris. Ideò „ multis non profuit, ut Bernardus admonet, „ hanc gratiam percepis„ se, pro eo quòd temperamentum de veritate pa„ riter non accepetunt: *atque* inde factum est, ut „ in qua privatim exultare voluerunt, gratiâ pri„ varentur, quibus vel serò dici potuerit: euntes „ discite quid sit, servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. *Dixerat namque sancta anima quædam in abundantia sua,* Non movebor in æternum, *cùm subitò sensit aversam à se faciem Verbi, seque non modò motam, sed etiam conturbatam: & sic in tristitia didicit opus fuisse sibi cum munere quidem devotionis, etiam pondere veritatis.*

(b) *In cant. cap.* 32.

(c) *Ser.* 74. *in Cant.* (d) *Cant.* 4. 16. (e) *Ser.* 3. *de Ascens.*

*ritatis.* Ergò necessaria post divinam visitationem humilitas est, & illius vox assumenda qui dixit, *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Necessaria item gratitudo, & cognitâ propriâ indignitate in illum refundendum est munus, à quo donum omne procedit. Prudentia denique adhibenda est, & circumspectio, ut id fideliter impleatur, ad quod anima Dei motione inciatur.

## CAPUT X.

### *De motione quæ fit ministerio Angelorum. Quomodo loquantur & illuminent. An hominum mentibus illabi possint.*

I. DIvinam motionem vel ab ipso Deo immediatè procedere, vel ministerio Angelorum fieri, jam supra ex mellifluo Doctore constitutum est. Idem asserit gravissimus scriptor Dionysius de cœlesti Hierachia altissimè differens. *Angeli,* inquit (a), *primariò & multipliciter Deum participant, multisque modis arcanum Dei manifestant: quamobrem præ cæteris omnibus Angelicum cognomen meruerunt, quia ipsi primùm à Deo illuminantur, & per ipsos nobis nostræ revelationes transmittuntur. Sic igitur lex, ut divinus sermo testatur, per Angelos nobis data est: & illos celebres ante legem & post legem Patres nostros Angeli ad Deum adducebant, aut quod agendum erat exponentes, & ab errore & vita profana ad rectam viam veritatis traducentes: aut manifestantes sacros ordines, aut mysteriorum quæ supra mundum sunt abditas visiones, aut divinas quasdam prædictiones tamquam nuncii & ministri explanantes.* Et infra id sanxisse ait ordinem divinæ legis, ut per superiora ista, quæ inferiora sunt, ad divinum Numen adducantur: quod variis comprobat exemplis ex novo Testamento. Cùm enim debeat infimus ordo Angelorum actus hierarchicos exercere, idque non nisi respectu hominum præstare possit, constat manifestè, Angelos jussu Dei sæpè homines movere & excitare. Rectè Augustinus (b). *Deus per seipsum, quia lux est illuminat pias mentes, ut ea, quæ divina dicuntur vel ostenduntur, intelligant. Sed si ad hoc ministro utitur Angelo, potest quidem aliquid agere Angelus in mente hominis, ut capiat lucem Dei, & per hanc intelligat. Sed ita dicitur intellectum dare homini, & quasi, ut ita dicam, intellectuare hominem, quemadmodum quisquam dicitur lucem dare domui, vel illuminare domum, cui fenestram facit: cùm eam non suâ luce penetret & illustret, sed tantummodò aditum, quo penetretur atque illustretur, aperiat. Sed nec Sol, qui per fenestram illustrat domum, ipse creavit eandem domum, aut hominem qui fenestram fecit in domo, aut ipse illi jussit ut faceret, aut adjuvit ipse facientem, aut aliquid egit ut aperiretur, quà suum lumen infunderet. Deus autem & hominis mentem rationabilem atque intellectualem fecit, quæ posset capere lumen ejus, & Angelum talem fecit, qui operari posset aliquid, undè ad capiendum lumen Dei mens adjuvaretur humana, & eandem sic adjuvat mentem, ut Angelicam recipiat operationem.*

(a) *Cap.* 4. §. 2. (b) *Conc.* 18. *in Ps.* 118.

II. Sunt autem duo præcipui actus supernorum spirituum erga homines, loquutio & illuminatio. Et illos quidem modo quodam excellentissimo loqui sacræ literæ passim testantur; quæ ipsos inter se, & cum hominibus, atque etiam cum Deo colloquentes sæpè describunt. At de modo hujus loquutionis multa sunt & diversæ Theologorum opiniones, quarum discussio nec hujus loci nec nostri instituti est. Sufficit enim pro re præsenti scire, quòd multipliciter cum hominibus loquuntur, vel per voces sensibiles, quas in assumptis corporibus emittunt: vel easdem voces sensibiles efformando in aëre absque corporum assumptione: vel per signa sensibilia concutiendo, pungendo, infligendo alapam, ut passim in actis Sanctorum legimus: vel denique per somnia, aut movendo phantasmata. Ab iisdem verò hominum mentis illuminari constans est Patrum & Scholasticorum consensus: sed modum quoque hujus illuminationis valdè perplexum & difficilem reddunt variæ & obscuræ Doctorum sententiæ. Quidam aiunt, Angelum illuminantem confortare intellectum illuminati producendo in eo lumen quoddam intellectuale. Alii asserunt illuminantem imprimere illuminato sui luminis participationem. Alii docent, fieri illuminationem per modum speculi; sicut enim ex oppositione duorum speculorum similitudines rerum, quæ sunt in uno, resultant in altero; ita Angeli applicatio ad mentem hominis facit in ea apparere species, quæ sunt in illo. Aliorum opinio est, Angelos illuminare, non infundendo lumen, aut ipsum offerendo instar objecti, aut speculi; sed per modum linguæ sermonem exprimentis, sicut magister illuminat docendo. Illi qui putant intellectum nihil posse intelligere, nisi phantasmata intuendo, negant Angelum posse hominem illuminare, nisi illustrando phantasmata, & agendo super species, quæ in sensu interiori sunt,

eas diversimode dividendo & componendo. Qui verò concedunt, posse fieri intellectionem absque phantasmatum speculatione, dicunt Angelum posse intellectum purè & immediatè illuminare, radios suos emittendo super species intelligibiles, quemadmodum lux sensibilis emicat & splendorem causat in rebus corporeis. Nonnulli ita explicant illuminationem. Angelus primò dividit notitiam suam in plures conceptus, ut eam humano intellectui proportionatam efficiat, demittens se & accommodans captui nostro, sicut præceptor pluribus verbis & similitudinibus explicat discipulis doctrinam, quam ipse unico conceptu intelligit. Deindè confortat intellectum, ipsumque adjuvat & docilem reddit, ut ea percipere possit, quæ sibi revelantur. alii alios modos comminiscuntur, in quibus non est opus immorari, omnes enim obscuri sunt, & ob dissidentium Theologorum oppositiones nondum satis elucidati. Longa etiam digressio necessaria foret, & tota sensuum externorum & internorum œconomia enucleanda, ut hæc omnia dilucidè à me explicari, & facilè à legentibus intelligi ac introspici possent. Ne quid autem desit necessariæ cognitioni, quædam breviter adnotabo, quæ certissima sunt, & in quibus omnes conveniunt.

1. Certum est primò, Angelos docere, excitare, intus homines movere, veritates ignotas à Deo acceptas eisdem manifestare, purgare ipsos ab ignorantia, cognitione illuminare, & novâ aliquâ veritate ad statum gratiæ vel gloriæ pertinente perficere. Quo autem pacto id præcisè contingat, Scholasticis examinandum relinquo. Agit de loquutione Angelorum Doctor Angelicus 1. *p. quæst* 107. & de illuminatione *quæst.* 106. *&* 111. Itemque de veritate *quæst.* 9. *art.* 1. 2. *&* 3. *& quæst.* 11. *art.* 3.

2. Illuminatio species quædam loquutionis est, sed differt in multis una ab altera. Nam loquutio de quibuscumque rebus esse potest, illuminatio non nisi de revelatis à Deo: illa indifferenter à superioribus & inferioribus esse potest, hæc est tantùm à superioribus: illa per totam æternitatem durabit, hæc cessabit in fine mundi: illa bonis & malis, hæc solis convenit bonis; quamvis enim dæmon possit alium incognita docere, quia tamen non respicit moralem discentis perfectionem, nunquam dicitur illuminare.

3. Solus Deus humanæ menti illabi potest, ipse enim solus plenum in eam dominium exercet, & quicquid vult in ea operatur. Auctor libri de spiritu & anima inter opera Augustini, *solius* inquit (c), *Trinitatis est intrare, & implere naturam sive substantiam, quam creavit.* Bernardus item ait (d), *Illud Scitote, nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari, ut videlicet nullo mediante nostri suivè corporis instrumento, ita nobis immisceatur vel infundatur, quò ejus participatione docti sive doctiores, vel boni sive meliores efficiamur. Nullus Angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis est, nullius ego capax. Nec ipsi Angeli ita se alterutrum capiunt. Sequestretur proindè prærogativa hæc summo ac incircumscripto spiritui, qui, solus cum docet Angelum sive hominem scientiam, instrumentum non quærit nostræ corporeæ auris, sicut nec sibi oris. Per se infunditur, per se innotescit, purus capitur à puris.* Solus igitur Deus omnia cordis penetralia & recessus intimâ suâ virtute scrutatur, solus animæ inest, replens in bonis desiderium ejus. Illabi enim & inesse alicui, ut Seraphicus Doctor ait (e), importat quòd illud sit intimum illi, & intimè in eo operetur; nihil autem tale reperitur respectu animæ nisi solus Deus, ideò solus illabi animæ potest spiritus divinus, qui est finis ultimus & summum bonum ipsius. *Quod si dicas,* inquit Bernardus (f), *posse inesse & Angelum, non inficior. Memini scriptum;* Et Angelus qui loquebatur in me (g). *At qui differentia & in hoc. Inest Angelus suggerens bona, non ingerens: inest hortans ad bonum, non bonum creans. Deus sic inest ut afficiat, ut infundat, vel potius, ut infundatur & participetur. Angelus cum anima, Deus in anima. Ille contubernalis animæ inest, Deus ut vita.*

4. Dei solius est voluntatem efficaciter movere sive immutare, ut docet S. Thomas (h), quia ipse solus est ejus creator & Dominus. Hinc est illud Sapientis (i), *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud.* Et Apostolus ait (k), *Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere.* Quamvis enim Angelus possit movere voluntatem proponendo objectum, concitando passiones, suasionibus alliciendo; non tamen potest ita efficaciter movere, sive immutare ut ex invita volentem faciat. Ad solum Creatorem pertinet *ex nolentibus volentes facere*, ut ait Augustinus (l), *ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes.* Ipsi psallit Propheta (m) *Dominus*

(c) *Tom.* 3. *cap.* 27. (d) *Serm.* 5. *in cant.* (e) 2. *sent. dist.* 8. *p.* 2. *qu.* 2. (f) *Lib.* 5. *de consid. cap.* 5. (g) *Zach.* 1. (h) 1. 2. *qu.* 9. *art.* 6. (i) *Prov.* 21. 1. (k) *Philip.* 2. 13. (l) *Lib.* 4. *ad Bonif. cap.* 9. (m) *Ps.* 45.

*Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos.* Et apud Ezechielem ipsemet ait (n), *Spiritum novum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.* Hæc autem superant omnem Angelorum potentiam.

5. Idem de intellectu asserendum est, in quo realiter operari, aliquid ipsi immediatè imprimendo, soli convenit Deo, qui solus potest, ut dictum est, intra potentiam spiritualem illabi, ita ut ibi reverà sit, & intimus existat. Angelus verò, cùm ubi non est operari non possit, non imprimit intellectui, ut docet Angelicus Doctor, quasi interiùs aliquid in ipso agens, sed solùm ex parte objecti, in quantùm aliquid intelligibile proponit, quo intellectus noster confortatur, & convincitur ad assensum. Quòd si possent Angeli substantialiter adesse intellectui, occultas cordium cogitationes cognoscere, & quascumque vellent in nobis producere possent, quia operantur ubi sunt: hæc autem prærogativa & Scripturarum auctoritate, & unanimi Patrum consensu soli Deo reservatur. Ideò orantes Apostoli dixerunt (o), *Tu Domine, qui corda nosti omnium*: & Psalmista ait (p), *Ipse novit abscondita cordis.* Item in libro Regum orans Salomon dixit (q), *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Ex hoc Tertullianus Deum Marcionis ad sui faciendam fidem provocaturum se ait (r) *ut & futura præmoneret, & occulta cordis revelet.* Ambrosius, *Dominus*, ait (s), *occultorum cognitione Deum se esse demonstrat.* Augustinus (t), *cogitationes quas modò non videt nisi Deus, omnes invicem videbunt in illa societate Sanctorum.* Abbas Serenus apud Cassianum soli Deo penetrabiles esse omnes spiritales atque intellectuales substantias ex eo evincit (u), *quòd solus, totus, & ubique, & in omnibus sit, ita ut & cogitationes hominum, & internos motus, atque abdita mentis universa inspiciat, atque perlustret.*

6. Ex his facilè colligi potest, quâ ratione intelligenda sit Scriptura, cùm dicit (x), misisse diabolum in cor Judæ, ut traderet Dominum; vel intrasse sathanam in cor Judæ. *Considerandum est enim*, ut ait S. Thomas (y), *quòd dæmon dicitur ingredi posse mentem hominis, non secundum substantiam, sed secundum effectum, in quantum scilicèt instigat hominem ad aliquid cogitandum.*

(n) *Ezec.* 11. 19. (o) *Act.* 1. 24. (p) *Psalm.* 43. (q) 3. *Reg.* 8. 39. (r) *Lib.* 5. *in Marc. c.* 15. (s) Ambr. *in c.* 5. *Lucæ* (t) *Aug. ser.* 6. *de diver.* (u) *Coll.* 7. *Cap.* 13. (x) *Ioann.* 13. 2. 27. (y) *qu. ult. de malo art.* 12. *in fine.*

Possunt nimirum Angeli tam boni quàm mali extrinsecus mentè movere, objiciendo sensibus tam externis quàm internis earum rerum species, quæ ad bonum sive ad malum invitant & alliciunt: possunt educere species ex phantasia, ut excitent intellectum: & ideò dicuntur aliquando vel causare vel immittere cogitationes, quibus tamen non consentire, cùm ad malum provocant, & possumus & debemus. Quòd si quispiam eis præbet assensum, tunc dicitur sathanas cor ejus intrare vel implere, non per intimum illapsum, sed secundùm effectum pravarum suggestionum. *Non ergo*, ait Didymus (z), *participatione naturæ sive substantiæ implet quempiam diabolus, aut ejus habitator efficitur, sed per fraudulentiam & deceptionem & malitiam inhabitare in eo creditur, quem replevit.*

7. Instinctus Angelicus initio terrorem, in fine adfert consolationem, initio Angelus abscondit se, in fine se ostendit, & prodit. Patent hæc in historia Tobiæ, & in congressu Gabrielis cum beatissima Virgine Maria. Nam Raphael se in fine rerum gestarum Tobiæ manifestavit: & B. Virgo primùm turbata est in sermone Angeli, deindè confortata respondit, *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum.* De Angelica motione optimè Antiochus (aa). *Justitiæ Angelus verecundiæ atque intemerati pudoris cupientissimus, mansuetus insuper est & tranquillus. Hic ubi primùm ad cor hominis ascenderit, cum eo mox sermonem texit familiariter de justitia, de mundicia, & castitate, de probitate morum, de frugalitate sive parsimonia victûs, de operatione quæ justa sit, denique de omni virtute gloriæ cœlestis conciliatrice. Simul atque hæc cuncta ad cor hominis ascenderint, perspicuè sentitur præsentia Angeli justitiæ.* Cùm igitur Angeli boni semper ad bonum excitent, eorum instinctus iisdem signis dignoscitur, quibus divinum discerni ostensum est supra. Observat autem S. Thomas, eum qui illuminatur cognoscere quidem suam illuminationem ex parte rei quæ sibi manifestatur; sed non semper cognoscere se ab Angelo illuminari. Multa enim beneficia, quæ occulta sunt, conferunt nobis Angeli sancti, illi præsertim, quorum tutelæ commissi sumus.

(z) *Lib.* 3. *de Spiritu sancto.* (aa) *Ho.* 61.

## CAPUT XI.

*De spiritu diabolico, eiusque signis. Quæ sint diaboli artes & astutiæ. Variæ ejus illusiones. Quædam de Energumenis. De spiritu carnali, & mundano.*

I. Diabolici Spiritûs nomine ille notatur instinctus, quo menti nostræ suggeritur, quod malum & vitiosum est, quod virtuti contrarium, quod alienum ab exemplis & doctrina Christi: cùm videlicet mens nostra à concupiscentia abstracta & illecta ad inobedientiam & prævaricationem divinæ legis excitatur. Ideo timet Apostolus (a), *nè sicut serpens Evam subduxit astutiâ suâ, ita corrumpantur sensus nostri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo:* nè videlicet ab illo decipiamur, qui tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. Hujus fraude mors introivit in orbem terrarum: è cælo enim in gehennam propter superbiam justè depulsus, cùm ad illas beatas sedes, quæ sibi suisque sociis paratæ fuerant, destinatos homines vidit, hanc illis gloriam invidit, blandisque suasionibus primos parentes nostros ad esum vetiti cibi inducens, in corporis & animæ interitum cum omni futura sobole præcipitavit: tum nos paternæ labis hæredes non cessat quotidie occultis inspirationibus à virtutis semita avertere, & ad omne flagitium impellere, quo tandem incautos ad æternam secum perniciem perducat. *Studiosius igitur,* inquit Bernardus, (b), *consideremus, quonam modo malignorum illorum spirituum suggestiones audire: imò quantâ indignatione abjicere debeamus, avertentes aures nostras, nè audiamus sanguinem & sapientiam, quam revelat caro & sanguis: Parvulos quoque Babylonis, cogitatus scilicet mundanos, ab ipso initio tenentes & allidentes ad petram: ipsum etiam malignum cum tentationibus suis à conspectu cordis nostri abjicientes, & deducentes ad nihilum.* Cùm autem sathanæ spiritus Divino contrarius sit, facilè ex his, quæ de hoc dicta sunt, dignosci posset; est enim, ut ait Plato (c), optimi & pessimi eadem ratio: sed quia vaferrimi ac fallacissimi hostis tot sunt astutiæ, & stratagemata, quibus nos decipere & supplantare conatur, ut vix possint enumerari, de his per se agendum est, ut quantum fieri potest ab omnibus deprehendi, & evitari queant. Gravissimum sanè hoc onus est, mearumque virium mensuram excedens; sed vires ac fiduciam debili & ignaro præbuerunt sancti Patres, qui sathanæ astutias non ignorantes ad ejus laqueos discernendos sequentia nobis documenta reliquerunt.

1. Non semper diabolus apertè aggreditur hominem aut docens falsum, aut instigans ad malum: aliquando enim occultè insidiatur transfigurans se in Angelum lucis, & ad vitium sub specie boni fraudulenter impellit. Et ipsum quidem agnoscere, cùm nos palam aggreditur, non est difficile; cuique enim vel imperito manifestè se produnt falsæ atque iniquæ suggestiones. At ejus detegere imposturas, cùm sub specie boni insidias struit, cùm vitium pro virtute, malum pro bono dolosè ingerit, tunc enimverò difficillimum est. Multa & luctuosa quorumdam exempla legimus, qui hoc astu miserrimè decepti sunt. Heroni Monacho (d) persuasit, ut se in puteum præcipitem daret, affirmans eum pro merito virtutum & laborum suorum nulli posse discrimini subjacere. Alium induxit ad filium interficiendum, ut Abrahæ obedientiam æmularetur. Alius quoque ita diabolicis technis delusus est, ut ad Judaismum & circumcisionem lapsu miserabili fuerit devolutus. Valentem Eremitam (e) crebris apparitionibus tantâ inflavit superbiâ, ut crederet se cum Angelis versari, ipsumque sathanam sub Christi figura adoraverit. His autem malis nullum opportunius remedium, quàm quod præscribit Cassianus (f), & sæpè à nobis repetitum est, ut videlicet, *universa, non solùm quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur, seniorum reserventur examini, ut nihil quis suo judicio credens illorum per omnia definitionibus acquiescat, & quid bonum, vel malum debeat judicare, eorum traditione cognoscat. Quæ institutio non solùm per veram discretionis viam recto tramite docebit incedere, verùm etiam à cunctis fraudibus & insidiis inimici servabit illæsum. Illicò namque ut patefacta fuerit cogitatio maligna marcescit, & antequam discretionis judicium proferatur, serpens teterrimus velut è tenebroso ac subterraneo specu protractus ad lucem, & traductus quodammodo ac dehonestatus abscedit.*

2. Viros spirituales sic solet sathan à studio virtutis avertere. Persuadet illis ut minima negligant, atque ita paulatim decidant: tum variis occupationibus propriæ vocationi haud consentaneis

(a) 2 *Cor.* 11. 3. (b) *Serm. de discret. Spirituum.* (c) *In Phædone.* (d) *Cass. coll.* 2. *cap.* 5. 7. & 8. (e) *Pallad. cap.* 31. (f) *coll.* 2. *cap.* 10.

taneis incautos opprimit, & quasi à se ipsis exules sensim ad aliena perducit. Deinde animam undique circuit & perlustrat, ejusque propensiones observat, ut quâ parte debilior est, eam oppugnet. Rectè in hanc sententiam Leo Magnus (g): *Non definit hostis antiquus deceptionum laqueos ubique prætendere. Novit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ. Novit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus: & ibi causas quærit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari.* Sicut hostis, qui civitatem obsidet, minùs firmam murorum partem aggreditur; sic ille animam, qua parte debilior est, fraudulentus invadit.

3. Instinctus diaboli initio securitatem affert, in fine diffidentiam divini auxilii & desperationem. Quare oportet dolos ejus initio suggestionis deprehendere, & primis ejus conatibus forti animo resistere, ne socordiâ nostrâ audacior factus vincat & expugnet nos. Cùm sint autem duo genera hominum bonorum & malorum: bonis ea ingerit, quæ molestiam & scrupulos afferant; malis ea quæ desinant in sensuum delectationem. Ad illos asperè & turbulenter ingreditur: ad hos placidè, suaviter, & benignè. Ratio autem diversitatis ex diversa animæ dispositione colligitur. Animæ enim sibi contrariæ advenit spiritus cum strepitu, qui facilè cognosci potest: ad eam verò, quam sibi conformem reperit, placidè accedit, tanquam in propriam & apertam domum. Et hæc quidem initia pravarum suggestionum sunt, in progressu autem etiam iniquos, ad quos blandè ingressus est, turbat versutus hostis, ac veluti offusâ caligine obscurat, neque enim tranquillitas esse potest, ubi Deus non est. Sic Judam proditorem ad Christi venditionem impulit, tum patrato immani flagitio ad extremam salutis desperationem, ac tandem ad restim adegit. Principiis igitur obstandum est, ut docet Augustinus (h). *Venit tibi in mentem nescio quid illicitum, noli ibi tenere mentem tuam, noli consentire. hoc quod venit in mentem, caput serpentis est, caput calca, & evades cæteros motus. Quid est caput calca? Ipsam suggestionem contemne. Sed lucrum suggessit. Magnum ibi lucrum est, magnum ibi aurum est. Si hanc fraudem feceris, dives eris. Caput serpentis est, calca. Quid est calca? contemne quod suggessit. Sed magnum aurum suggessit.* Et quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? *Pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum. Hæc dicens observasti caput serpentis & calcasti. Ille autem diabolus calcaneum tuum observat. Quid est, observat calcaneum tuum? Quando labaris à via Dei. Tu observas primam suggestionem, ille observat lapsum tuum. Si enim lapsus fueris, cades: si cecideris, possidebit. Ut autem non cadas, noli exire de via. Angustam tibi semitam stravit Deus; quicquid extra illam est, lubricum est. Propterea lumen est Christus, & via est Christus. Si ab illo recesseris, nec in lumine eris, nec in via.*

4. De diabolo sermonem habens B. Job (i) sub nomine Leviathan ait, *Halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur.* Quæ verba Gregorius Magnus sic interpretatur (k). *Toties Leviathan prunas accendit, quoties ejus occulta suggestio humanas mentes ad delectationes illicitas pertrahit. Alias namque superbiæ, alias invidiæ, alias luxuriæ, alias avaritiæ facibus inflammat. Superbiæ quippe facem menti Evæ supposuit, cum hanc ad contemnenda verba Dominicæ jussionis instigavit; invidiæ flamma Cain animum succendit, cùm de accepto fratris sacrificio doluit, & per hoc usque ad fratricidii facinus pervenit. Luxuriæ facibus cor Salomonis exussit, quem tanto mulieribus amore subdidit, ut usque ad idolorum venerationem deductus, dum carnis delectationem sequeretur, conditoris reverentiæ obliviscceretur. Avaritiæ igne Achab animum concremavit, cum eum ad appetendam alienam vineam impatientibus desideriis impulit, & per hoc usque ad reatum homicidii pertraxit.* Et flamma de ore ejus egreditur. *Flamma oris ejus est ipsa instigatio occultæ locutionis: quia ardet in desideriis animus, cùm ejus suggestionibus instigatur.* Concludit demum Gregorius, ut qui oris ejus flammâ affici non vult, ad orationis opem confugiat. Nam flammam suggestionum illius extinguit citiùs unda lacrymarum.

5. Diabolus rex superborum, cùm Christi hostis & adversarius sit, ad ea semper instigat, quæ Christi exemplis & doctrinæ contraria sunt. Christus enim, ut Gregorius ait (l), *per Prophetam dicit*, vita mea inferno appropinquavit (m): *diabolus dicit* (n), super astra cœli exalbo solium meum, *Christus*, cùm in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens (o): *diabolus ait.* (p) Ascendam su-



(g) *Serm. 7. de Nativitate.* (h) *In Ps. 103. conc. 4.* (i) *Iob 41. 12.* (k) *Lib. 33. mor. cap. ult.* (l) *Greg. lib. 34. mor. c. ult.* (m) *Psal. 87.* (n) *Isa. 14. 13.* (o) *Phil. 2. 6.* (p) *Isa. 14. 14.*

per altitudinem nubium similis ero Altissimo. *Christus ad sputa, ad palmas, ad colaphos, ad spineam coronam, ad crucem, ad lanceam, atque ad mortem venientes membra sua admonet dicens*, si quis mihi ministrat, me sequatur (q): *diabolus verò nihil aliud mentes sibi subditas docet, quàm celsitudinis culmen appetere, cuncta æqualia mentis tumore transcendere, societatem omnium hominum altâ elatione transire, ac sese & contra potentiam Conditoris erigere, sicut de eisdem per Psalmistam dicit* (r), cogitaverunt & locuti sunt nequitias, iniquitatem in excelso locuti sunt. Hinc fit, ut, qui hujusmodi suggestionibus aures præbent, procaces sint & tumidi, socios spernant, reprehensiones ægrè ferant, mala sua non videant, curationem respuant, & facilè cum omnibus rixentur.

6. Aliquando Sathan aliquem ad virtutem hortatur, sed eum mox importunis suggestionibus adversùs illam excitat, multas difficultates objiciens, ut abjecta omni spe ejus consequendæ otio se tradat, suæque saluti diffidat. Sic sæpè evenit B. Catharinæ Bononiensi, cui multoties in forma Christi crucifixi & B. Virginis hostis apparuit, promptam & cæcam obedientiam valdè commendans: tum plurima judicia contra præceptum superioris, variasque tricas & nodos suggerens sub specie majoris boni. Illa autem à spiritu bono hæc esse, verasque visiones credens, in multos errores incidisset, nisi sui diffidentia, & humilitate, suisque cogitationibus Superiori semper patefactis, periculum evasisset. Hæc ipsamet de se narrat *lib. de septem armis*. Hanc diaboli fraudem sic describit Richardus (s). *Dæmones interdum mala sub specie boni occultant, & ad quædam bona incitant, ut ad malum perducant. Falsa etiam devotione decipiunt, quia quasdam orationes & meditationes, dulcem affectum & lacrymas in anima producunt, ut vel mentem in errorem vel elationem, vel corpus perducant ad debilitatem. Malè quosdam de salute aliorum solicitant, quos incitant & accendunt ad conversionem, vel ædificationem aliorum longè positorum, quatenus à quiete mentis & utilitate propria eos dejiciant. Cùm itaque aliquid nobis suggerit agendum, perpendere debemus, utrum aliqua sui parte indiscretio se misceat, vel dolus inimici se ingerat: si cum debito timore & cautela fiat, si humana laus vel ostentatio subrepat, si vanitas vel levitas aliqua impellat.*

7. Hunc morem servat spiritus malignus, ut cognitis animæ bonis sanctisque desideriis, eis assentiri, piasque cogitationes fovere videatur: sed mox hominem occultè aggreditur, suisque fallaciis miserrimè decipit; nam sensim venenum infundit, & quem falso lumine imbuerat, tandem in tenebras horribiles conjicit. Diadochi sententia est, dæmonem interdum lumine quodam falso & apparenti animam afficere: *quæ quidem res*, inquit (t), *multos fefellit*. Si quæ enim suavitas ex illo oritur, sensus non excedit, mentemque elevat in superbiam & sui æstimationem. Simili modo multa quandoque vera suggerit; ut unum saltem mendacium, quo decipiat, intermisceat. Hâc arte hæretici decepti sunt, & alios deceperunt, teste Athanasio: *Hæretici*, inquit (u), *sicut diabolus ipsorum pater, transformationem vultûs ad speciem Angeli conformant, eamq; verborum indolem præ se ferunt, ut rectum sensum habere videantur eumque ubi persuaserint, eò miseros deducunt, ut diversa & aliena à Scripturis sentiant.* Plurimùm ergo juvabit ex fine, ad quem tendit, pravam ejus suggestionem deprehendere. *Nam quando sensus corporis fallit*, ut docet Augustinus (x), *mentem verò non movet à vera rectaque sententia, quâ quisque vitam fidelem gerit, nullum est in religione periculum. Vel cum se bonum fingens ea facit, quæ bonis Angelis congruunt, etiamsi credatur bonus, non est error Christianæ fidei periculosus aut morbidus. Cùm verò per hæc aliena ad sua incipit ducere, tunc eum dignoscere, nec ire post eum, magna & necessaria vigilantia est.*

8. Qui spiritu malo aguntur, leves sunt, inconstantes, turbidi, inquieti, vehementes, sine maturitate, sine circumspectione. Nullius consilium admittunt, proprium judicium veterum Patrum institutis præponunt, diligunt laudantes se, increpantes odio habent, peccantibus indignantur, eosque corrigunt cum impatientia & contumeliis, in rem sibi propositam impetu quodam præcipites ruunt, & in omnibus seipsos quærunt. De propriis defectibus interdum gloriantur quasi à Deo missis ob custodiam humilitatis, negligentes interim eorum emendationem. Post peccatum vel sibi blandiuntur, quia humanum est peccare: vel sibi irascuntur & miserè contabescunt, opem Dei non implorantes.

9. Videns dæmon voluntatem servientium Deo fortem esse & constantem in bono, intellectum aggreditur, sublimes cogitationes, altosque sensus & curiosos suggerens, ut iis occupati falsò existiment se ad apicem perfectionis perveniisse, & in superbiam elati cordis puritatem

(q) *Ioan.* 12. 26. (r) *Ps.* 72. (s) *In cant. cap.* 17. (t) *Cap.* 36. (u) *Disput.* 1. *adv. Arianos.* (x) *Enchir. ad Laur. cap.* 60.

atque

atque studium mortificationis negligant, propriæque sapientiæ velut idolum sibi colendum proponant, in cujus consideratione se suis cogitationibus adeo involvunt, ut aliorum consilia spernant, se illis non indigere judicantes. Hi difficillimè curari possunt, nam si oculus animæ cœcus est, totus homo tenebrosus erit. Debet itaque, si quis sapiens videtur esse, stultus fieri, ut sapiens sit. Et quia diabolus mentem hominis sensim inficit, à minimis incipiens, & ad majora progrediens; solerter curandum est, nê vel minima rimula illi pateat, per quam ad animam accedere possit.

10. Impugnare non cessat hostis & ad vitia incitare quovis tempore & occasione: sed si pravas suggestiones animo proficientis ingerere nequit, eas saltem quæ à Deo sunt depravare conatur inanem gloriam & complacentiam excitando. Sæpè etiam commotis humoribus figuras horribiles excitat in imaginatione, & ad turpes actus inspiciendos compellit, sicut legimus contigisse S. Catharinæ Senensi, cui fœdos hominum mulierumque congressus spectandos objiciebat. Accidit item aliquibus, ut ad execranda blasphemiæ verba ipsis invitis linguam moveret, eosque quodam violento impetu ad desperationem provocaret. Aliquando autem à piis hominibus tentandis diù cessare consuevit, vel majus lucrum sperans ex tepiditate & ignavia, quam intermissa pugnæ exercitatione contrahunt: vel ut in otio securos & imparatos faciliùs aggrediatur & vincat, sicut docet Gregorius Magnus. *Sæpe*, inquit (y), *antiquus hostis postquam mentis nostræ tentationum certamen infixerit: ab ipso suo certamine ad tempus recedit, non ut illatæ malitiæ finem præbeat, sed ut corda, quæ per quietem secura reddiderit, repentè rediens faciliùs inopinatus irrumpat.*

11. Cùm callidus hostis animam subvertere aliâ ratione non potest, eam saltem conatur variis illusionibus decipere, sub specie virtutis & sanctitatis. Nam quia rebus spiritualibus honor, commodum, & delectatio annexa sunt, quosdam ita subvertit, ut per gratiæ motus quærant quæ sua sunt, non quæ Jesu-Christi. Alios metu laborum eò adducit, ut opera parvi faciant, satis esse dicentes promptum ac paratum animum habere; Deum non opus, sed voluntatem respicere, cùm revera vix languidum virtutis desiderium in illis sit. Alios è contrario in exterioribus exercitiis totos occupat, cum levi admodum studio interioris culturæ. Quosdam quos nequit à virtutibus avocare, à præcipuis saltem tanquam minùs necessariis avertit: vel certè contendit ut in his perfunctoriè exerceantur. Excitat etiam in aliquibus immoderati ac indiscreti fervoris æstum, ita ut nec consilium requirant, nec ferant: quæ perversitas in illis perniciosior est, qui alterius obedientiæ, ac directioni subditi sunt. Harum autem illusionum remedium est, singulos motus examinare, num quid lateat fraudis: tum omnes gratiæ instinctus in auctorem Deum statim referre, antequam proprii amoris labe inquinentur: sublimes demùm elevationes, insolita lumina, intimas suavitates nec petere nec desiderare; his enim aditus diabolicis fraudibus aperitur.

12. In his, qui Deo servire incipiunt, excitat dæmon ardens & indiscretum desiderium omnes ad Deum convertendi, quam tentationem communem esse, multisque causam irreparabilis ruinæ & experientia evincit, & docet S. Theresia. Nam cum par esset, ut eadem Magistra monet (z), eos posthabitâ aliorum curâ sibi dumtaxat incumbere, & sedulo attendere, quomodo oporteat ambulare & placere Deo; ipsi potiùs aliorum saluti procurandæ dant operam: cumque vix possint in via virtutis gressus figere, per difficiles semitas ignari viarum alios ducere audent; eosque in altum tollere, cùm vix in imo consistant. Certum quidem est, non esse malum errantium conversionem desiderare, sed illi incumbere & insistere potest malum esse, & ut plurimùm malum est, nisi magna cautio adhibeatur. *Stultus*, ait Sapiens (a), *profert totum spiritum suum, sapiens differt & reservat in posterum.* Doctrina Bernardi est (b), *Nullum ad salutem pietatis gradum illi gradui anteponendum, quem Sapiens posuit dicens*, Miserere animæ tuæ placens Deo. *Quod si non habeo*, inquit, *nisi parumper olei quo ungar, putas tibi debeo dare & remanere inanis? Servo illud mihi, & omninò nisi ad Prophetæ jussionem non profero. Si institerint rogitantes, respondebitur eis*: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes & emite vobis. Et paucis interjectis ait: *Cæterùm tu frater, cui firma satis propria salus nondum est; cui charitas adhuc aut nulla est, aut adeò tenera atque arundinea, quatenus omni flatui cedat, omni credat spiritui, omni vento circumferatur; tu inquam ita in proprii ipsius sentiens, quânam dementiâ, quæso, aliena curare aut ambis, aut acquiescis?*

Hæc

(y) *Lib. 3. mor. c. 16.*

(z) *Vitæ suæ cap. 23.* (a) *Proverb. 29. 11:* (b) *Serm. 18. in Cant. Eccl. 30. 24.*

Hæc & alia plura in hanc sententiam sanctus Doctor exhortans incipientem, ne festinet effundere nondum plenus, sed expectet donec impleatur, & sic communicet sine suo damno quod sibi superabundat; charitas enim si plena non est, perfecta non est. Aliâ fraude non minùs perniciosâ quosdam diabolus decipit, qui vix ingressi viam perfectionis, scientes eos, qui ad apicem pervenerunt, inexplicabili suavitate perfrui, ea illecti repentino ac temerario saltu ad altiora præsumunt ascendere, nondum eradicatis pravis habitibus, nondum in virtute probati. Ajunt ad intimam cum Deo unionem aspirandum esse, seque omnia peregisse arbitrantur, cùm de rebus sublimioribus grandiloquo sermone disserunt, ac si in verbis, non in operibus perfectio sita esset. Quod si repentè quidpiam molestum eis accidit, tunc serò cognoscunt, quàm remoti sint à soliditate virtutis, ad quam nondum purgati irrumpere ausi sunt, præscriptos à sanctis Patribus gradus transilientes.

13. Alii jam diù probati in spiritualibus exercitationibus, cùm cœperint gustare quàm dulcis sit Dominus, vanâ sui confidentiâ ac subtilissimâ diaboli illusione miserrimè decepti, se periculis temerè exponunt, & cum spiritu cœperint, neglectâ sensuum custodiâ, in carnem desinunt, dicentes, se omnia in Deo peragere, nec quidquam in rebus nisi Deum respicere, se ad omnia indifferentes esse, se nihil discernere; se divinâ dispensatione ab omni lege immunes esse: & sic præcipites ruunt in nefandos ac turpissimos errores Adamitarum, Gnosticorum, & illuminatorum. Atque utinam hoc seculum similibus careret exemplis. Oritur hoc malum ex occulta superbia, quâ inflati quidam ac velut ebrii ad primum gratiæ sensibilis gustum in sensus impingunt & dilatantur, nec se continent intra limites ab Ecclesia & à legibus præscriptos, ipsaque jura naturæ transgressi in peccata abominanda labuntur, eò etiam dementiæ diabolicâ fraude perducti, ut tegendis turpissimis flagitiis divinæ revelationis velamen obtendant. Justi autem in spiritu humilitatis ambulantes, ac fidei lumine imbuti, intra terminos legis & honestatis se continent, omni custodiâ servantes cor suum, justâque trutinâ probantes spiritus, utrum ex Deo sint.

14. Non solùm diabolus solertissimus & versutissimus humani generis hostis hominum mentes ad malum incitat occultis suggestionibus, sed interdum etiam corpus eorum obsidet, & ingreditur, ac in illis operatur; quos propterea energumenos, arreptitios, dæmoniacos, sive obsessos, aut possessos à dæmone nuncupamus. Fit autem energema sive operatio dæmonis in homine dupliciter, spiritualiter vel corporaliter. Energema spirituale tunc fit, cùm mentem & cor hominis diabolus possidet & in illis operatur, ut cùm dicitur in Evangelio intrasse in cor Judæ suggerens illi ut Christum traderet. Corporale autem vel fit extrinsecùs per vexationes & molestias, quæ homini forinsecùs inferuntur, vel fit intrinsecùs, quando hominem invadit, intusque vexat & exagitat. Ut ergò aliquis verè dicatur energumenus sive arreptitius, non satis est ut vexetur extrinsecùs sicut Iob, & Antonius Abbas, atque alii Sancti; sed requiritur ut diabolus sit in illo intimè præsens, sicut motor in mobili, & in eo aliquid operetur. Esse autem revera quosdam possessos à dæmone, præter sacras literas & Ecclesiasticam historiam omnium Doctorum consensus, ac ipsa experientia evincit. Signa verò indicantia dæmonem in aliquo habitare ex operationibus desumuntur; substantiæ enim spirituales, ut Theologi docent, in eo loco esse censentur, in quo operantur. Agrestes ac ferini mores, vultus truculentus, clamores & ululatus, stupor membrorum, privatio vitalium operationum, inquietudo, & alia ejusdem generis, sunt signa æquivoca inhabitantis dæmonis, quæ levem tantùm generant suspicionem. Vehementior oritur ex quibusdam insolitis actionibus, ut cùm quis in ignem dejicitur, vel in aquam: cùm laqueo vel præcipitio vitam sibi adimere tentat: cùm catenas præduras frangit, aut onera vires excedentia portat: cùm blasphemias profert, sacrarumque rerum contactum horret. Signa autem univoca ac ferè certa sunt, cùm quis linguâ peregrinâ loquitur, quam nunquam didicit: cùm literarum atque artium ignarus legit, scribit, pingit, & ex arte cantat; aut de rebus altissimis disserit, qui nunquam studuit: cùm occulta revelat adeò ignota, ut nulla industriâ vel ingenio humano sciri possint, sive præterita sint, sive præsentia, sive futura: cùm eodem temporis momento quo fiunt, enuntiat quæ facta sunt in remotissimis regionibus: cùm jussus recitare Symbolum Apostolorum vel petere veniam peccatorum omninò renuit: cum cessante vexatione eorum quæ dixit

non

non recordatur, aut de his interrogatus nescit respondere. Plura de his alii: hæc pro meo instituto satis sunt.

15. Quia diabolus carnis & mundi satellitio uti solet, ut suggestionibus suis hominem ad malum impellat, pauca huic Capiti de spiritu carnali & mundano adnectenda sunt. Caro domesticus hostis, quo carere non possumus, semper concupiscit adversùs spiritum: mundus in quo vivere nos oportet, nos undique obsidet, suisque principiis, quæ ex parte diaboli sunt, nos imbuere non cessat. Caro semper suggerit mollia, mundus vana. Sapientia carnis Deo inimica nihil sapit nisi delitias: prudentia mundi in quærendis divitiis & honoribus incessanter occupatur. Carnis desideria sunt infinita: mundi superbia immensa est. Spiritus carnis cogitationes suggerit de potu, de cibo, de somno, de sensuum voluptatibus: spiritus mundi de arrogantia, de jactantia, de opibus, de ambitione, de dignitatibus. Carnalis spiritus decipit interdum viros spirituales carnalem in eis amorem erga aliquam personam excitans sub specie pietatis & spiritualium institutionum. Hoc visco captæ animæ sanctæ, quæ jam libero volatu per alta cælorum discurrebant, in laqueum perditionis pudendo lapsu ceciderunt, quod sæpè vidimus cum multorum scandalo, & ipsarum deplorabili ruina. Facilè autem discernitur carnalis amor, neque enim ignis abscondi potest, lumine qui semper proditur ipse suo. Et primò quidem indicium est carnalis amoris pauca de Deo loqui, plura de se, & de mutua dilectione: se mutuò laudare, invicem adulari, vitia & defectus excusare. Sequitur in alterius absentia inquietudo, & ex ea molestæ cogitationes, ubi sit, quid agat, quando veniet, an alteri impendat affectum. His accedunt carnis blanditiæ, gestuum insolentia, solitarii secessus, occulta colloquia, atque alia ejusdem generis, quæ scribere superfluum est. Sanctus verò & spiritualis amor nihil horum novit, pudicus est, modestiam servat, nugas odit, oculos continet & manus, angulos non quærit, pacem sectatur, arguit quos amat, orat pro amico, ipsumque in Deo diligit sive præsens, sive absens sit, & se studet in omnibus irreprehensibilem exhibere. Spiritus verò hujus mundi ex suis etiam operibus manifestum se facit: nam ut ait Augustinus (c), *Spiritus hujus mundi facit superbos, spiritus hujus mundi facit inflatos, spiritus hujus mundi facit ut putet se quisque aliquid esse, cum nihil sit.*

(c) *Lib. 50. homil. hom. 14.*

## CAPUT XII.

*De spiritu humano. Mira ejus diversitas. Unde hæc oriatur. Quam difficilis ipsius cognitio. Quibus signis discerni possit.*

1. HUmani spiritus nomine, quo intrinsecus movemur & incitamur, illum intelligi, qui à natura nostra peccato originali infectâ emanat, ex his quæ supra diximus (a) satis comprobatum est; ubi etiam ostendimus, quibus indiciis à divino & diabolico discerni possit. His ergò positis, ea nunc solitâ brevitate tractanda sunt, quæ ad singularem ejus notitiam propriè spectant. Illud autem antè omnia considerandum, quòd hic instinctus ideò ad malum semper impellit, quia homo per peccatum primi parentis à Deo desertus & in seipsum relapsus, nisi divinâ gratiâ sublevetur, pravis subjacet concupiscentiæ motibus, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. *Humana natura*, ait Prosper (b), *in primi hominis prævaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter præcepta & auxilia Dei, semper in deteriorem est proclivior voluntatem, cui committi non est aliud quàm dimitti. Hæc itaque voluntas vaga, incerta, instabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audiendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, suspicionibus inquieta, gloriæ quàm virtutum avidior, famæ quàm conscientiæ diligentior, & per omnem sui experientiam miserior fruendo his quæ concupiverit, quàm carendo; nihil in suis habet viribus, nisi periculi facilitatem: quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citiùs propinquat iniquitati, quanto acriùs intenditur actioni.* Sic miserabilem ruinam nostram ille describit prorsùs ad mentem Augustini, qui ait (c): *Creatus est primus homo in natura sine vitio: creatus est rectus, non se fecit rectum. Quid se autem ipse fecerit, notum est: cadens à manu figuli fractus est. Regebat enim eum ipse qui fecerat; voluit deserere à quo factus erat: permisit Deus, tanquam dicens: deserat me, & inveniat se, & miseriâ suâ probet, quia nihil potest sine me. O malum liberum arbitrium sine Dre! Experti sumus quid valeat sine Deo, idcò infeliceri facti sumus.* Nulla est vis eloquentiæ, quæ satis valeat hominis lapsi infelicitatem explicare,



(a) *Cap. 3. & 4.* (b) *Lib. 1. de vocat. gentium cap. 6.*
(c) *Ser. 11. de verbis Apostoli.*

quam pronus ad malum sit, quàm inhabilis ad bonum, quot ærumnis expositus, quot morbis oppressus. Sicut veneno infecta potio totum corpus pervadit & inficit; ita magni illius peccati mortiferum virus totum genus humanum infecit, perdidit, destruxit. Indè tracta mortalitas, indè animi corporisque corruptio, indè cæcitas & ignorantia, hinc curæ inutiles, hinc noxiæ cupiditates, hinc lites, discordiæ, & bella; hinc vani timores & insana gaudia, & non minor miseriarum multitudo quàm criminum. Hinc densis tenebris offuscata mens evanescit in cogitationibus suis: voluntas languens ac viribus destituta concupiscentiæ & iniquitati turpissimâ servitute famulatur. Hinc homines quotquot sunt, nisi sanentur & liberentur gratiâ Christi, infixi in limo profundi oculos avertunt à summo bono, & in amorem sui convertunt, perpetuò effusi in sensuum voluptates, nihilque agentes nisi ut hominibus placeant, & gloriæ serviant. Hoc principium humanorum instinctuum est, ex infecta radice pessimus fructus. Humana quippè natura, ait Gregorius (d), *à statu conditionis sponte lapsa, & corruptioni suæ putredini subdita, dum sibi ex semetipsa molestias gignit, hoc est jam facta quod tolerat. Undè nunc etsi ad summa appetenda se erigit, mutabilitatis lubricæ impulsu protinus ad semetipsam cadit; Cogitationis suæ gressum figere nititur, sed infirmitatis suæ lapsibus enervatur. Quæ nimirum mutabilitatis suæ onera, quia volens expetiit, nolens portat.*

II. Juvat etiam ad humanorum instinctuum exactam cognitionem, ut hominum, ita & spirituum ac ingeniorum admirandam varietatem prænoscere; nam sicut vultu, ita & mente nemo alteri similis est. Uni dedit Dominus quinque talenta, alii duo, alii unum. Quidam sunt robusto corpore, sed ingenio difficili & obtuso: alii prompto subtilique ingenio pollent, sed ob continuas infirmitates omnis eorum vis languescit. Quidam solitudinis & contemplationis amantes, ad curam temporalium inepti sunt: alii ad actiones & negotia apti, ad contemplationem parum idonei reperiuntur. Quidam sinceri & aperti nullis animum involucris tegunt: alii suos conceptus intus premunt, nec nisi per ambages expromunt. Quidam spontaneis officiis, & jucunditate ac hilaritate omnium gratiam demerentur: alii severi & tristes ab omni hominum commercio abhorrent. Quidam nobili & erecto animo semper aliquid sublime & generosum meditantur: alii ad omnem sordem projecti nihil se indignum putant, dummodò quæ concupiscunt consequantur. Rursùm nonnulli sunt tardioris ingenii, qui nihilominùs nativam hebetudinem industriâ corrigunt. Alii excellentissimi sunt, Angeli potiùs, quàm homines, quorum quælibet secula vix unum, aut alterum protulerunt. Nihil est tàm arduum, quod non attingant, nihil tam implicatum, quod non evolvant, nihil tam difficile, quod non expediant. Constat autem experientiâ, quòd ingenia acutiora faciliùs errant, rebusque novandis quàm gerendis aptiora sunt, nam semper hærent, sibique fingunt obstacula, quæ nunquam erunt, & importunis subtilitatibus omnia turbant. Tutiora verò sunt & magis tractabilia, quæ intra mediocritatem se continent. Porrò hujus diversitatis multæ sunt causæ. Prima est animæ & corporis mutuus consensus & conspiratio; patitur enim anima ab affectionibus corporis, à temperie & conformatione membrorum, ab organorum prava dispositione; corpus verò animi perturbationibus quasi procellis agitatur & commovetur. Secunda est diversum cujusque temperamentum, variæ scilicet primarum qualitatum combinationes, quæ sunt innumerabiles: mores autem animi sequi corporis temperamentum & Philosophi docent & experientia confirmat. Tertia ex variis perturbationibus oritur, quæ animum captivum trahunt, turbidorumque motuum seminaria sunt. Quarta è cæli terræque natura ducitur, sive ex aëris dispositione, ex qua diversos populorum & gentium mores esse constat: quædam enim nationes naturaliter bellicosæ, quædam imbelles sunt: nonnullæ feroces, aliæ mites: quædam ingenia mollia ob cœli clementiam, alia aspera suoque simillima cœlo. His accedunt educatio, institutio, ætas, conditio, alimenta, leges majorum, conversatio, & alia ejusdem generis, quæ non solùm alios ab aliis, sed singulos à seipsis per intervalla distinguunt. Dignus est qui audiatur hac de re differens Tertullianus (e). *Ut frugum seminibus una generis cujusque forma est, processus tamen varii; alia integro statu evadunt, alia etiam meliora respondent, alia degenerant pro conditione cœli & soli, pro ratione operis & curæ; pro temporum eventu, pro licentia casuum: ita & animam licebit, semine uniformem, fœtu multiformem: nam & hic etiam de loco interest. Thebis hebetes & brutos nasci relatum est: Athenis sapiendi dicen-*

(d) *Lib. 8. mor. c. 3.*

(e) *De Anima cap. 20.*

*cendique acutissimos. Empedocles causam argutæ indolis & obtusæ in sanguinis qualitate constituit, perfectum ac profectum de doctrina disciplinâ que deducit. Tamen vulgata jam res est gentilium proprietatum. Comici Phrygas timidos illudunt; Sallustius vanos Mauros, & feroces Dalmatas pulsat: mendaces Cretas etiam Apostolus inurit. Fortasse an & de corpore & de valetudine aliquid accedat. Opimitas sapientiam impedit, exilitas expedit: paralysis mentem prodigit, phtisis servat. Quantò magis de accidentibus habebuntur, quæ citra corpulentiam & valentiam, vel acuunt, vel obtundunt. Acuunt doctrinæ, disciplinæ, artes, & experientia; negotia, studia: obtundunt insciitiæ, ignaviæ, desidiæ, libidines; inexperientiæ, otia, vitia.* Prout igitur hæ causæ diversimodè afficiunt homines, diversus quoque est eorum spiritus, diversi instinctus, diversæ motiones, & naturales impulsus, ut luce clariùs constat.

III. Ex his autem colligitur, quàm difficilis hujus instinctûs cognitio. Est enim spiritus hominis veluti abyssus profundissima plena latibulis & specubus, nemini pervia nisi Deo, & cui voluerit Deus revelare. *Grande profundum est homo,* inquit Augustinus (f), *cujus capillos tu Domine numeratos habes, & non minuuntur in te: & tamen capilli ejus magis numerabiles sunt, quàm affectus ejus & motus cordis ejus.* Nullus est hostis homini perniciosior, quàm proprius ipsius spiritus. Subdolus, fallax, captiosus est; volubilis, curiosus, quietis impatiens, amantissimus novitatum. Nihil est tam deforme ab imaginatione confictum, quo ille non occupetur; nihil tam absonum & inane, quod non amplectatur. Nunc divino spiritui famulari videtur, nunc diabolico servit; nec diù permanet in eodem statu. Callidissimus cùm sit, mirabili subtilitate, ac industriâ se ipsum versat, ut se suaque commoda sub prætextu divinæ gloriæ & perfectionis occultet. Reverà tamen procul ab illo Dei gloria est, procul amor perfectionis: nam seipsum in omnibus quærit, se colit, se diligit, & sanctissima quæque à vero fine abstracta in seipsum tanquam in finem horribili sacrilegio convertit. Quare debet unusquisque cautiùs sibi & diligentiùs à seipso quàm à diabolo cavere: quia nulla est extra nos potentia, quæ nobis nocere possit, nisi nos ipsi impugnantibus arma, manum, & consensum præbeamus. Multi sunt quidem, qui nos impellunt in ruinam, impellit mundus, impellit diabolus, impellit homo: sed nemo acriùs, nemo periculosiùs quàm homo. Quæris quis sit iste homo? respondet Bernardus (g). *Quisque sui. Noli mirari, usque adeò homo impulsor sui est, & suimet præcipitator, ut non sit quod ab altero impulsore formides, si ipse à te proprias contineas manus.* Quis enim, *inquis,* (h) vobis nocere poterit, si boni æmulatores fueritis? *Manus tua consensus tuus: si diabolo suggerente vel seculo suadente quod non oportet, assensum tuum tenueris, & non dederis membra tua arma iniquitati, nec permiseris regnare peccatum in tuo mortali corpore: bonum te æmulatorem probasti, cui malitia omnino nil nocuit. Impellit diabolus, sed non evertit, si quidem illi tuum negaveris assensum. Iste est, qui stantes in paradiso impulit invidus & evertit, sed consentientes, non resistentes. Est & Mundus impulsor, quia in maligno positus est: impellit omnes, sed & solos evertit amicos suos, id est consentaneos sibi. Ex quibus satis claret, quàm sit homo præcipuus impulsor sui, qui suo, sine alieno impulsu cadere potest, alieno absque suo cadere non potest. Cuinam horum præcipue resistendum? Nempè huic, qui eò molestior, quò interior solùs dejicere sufficit, cùm sine ipso alii possint facere nihil.*

IV. Hæc sunt quæ ad notitiam proprii & naturalis instinctûs generatim præmittenda fuerunt, nunc ad quædam singularia signa deveniendum est, quibus ejusdem malitia & nequitia evidentiùs innotescat.

1. Nonnulli memores peccatorum suorum, vel acerbissimæ Christi passionis imbre lacrymarum perfusi repentè compungi solent, adeò ut etiam in semetipsos flagellis animadvertant: nonnulli etiam supernæ patriæ felicitatem considerantes subitâ quâdam jucunditate affecti extra se rapiuntur: quæ omnia non Dei spiritus, sed amor sui & propriæ mentis acumen, ac præceps quædam naturæ commotio operatur. Quod facilè ex hoc dignoscitur, quia cessante illâ commotione, impetuque sedato frigidi remanent & aridi, ac in solita vitia relabuntur. Spititûs autem divini motio non est otiosa, sed magna operatur, ubi est. Undè sequitur, ex hac parte difficillimam esse spirituum cognitionem, multa enim quæ sunt naturalis instinctûs sæpè divino, sæpè etiam diabolico tribuuntur. Debet ergò unusquisque sedulò perscrutari cor suum, ne à proprio spiritu decipiatur, quem spiritum elationis Gregor. vocat (i). Hoc autem consequi nemo potest, nisi superbiâ è corde expulsâ, sedem Deo in se præparet sui diffidentiâ & humilitate. *Neque enim receptaculum*



(f) *Lib. 4. Confess. c. 14.*

(g) *Ser. 85. in Cant.* (h) *1. Pet. 3. 13.* (i) *Lib. 7. mor. c. 3.*

*spiritûs Dei quisquam efficitur*, ut idem Gregorius ait (k), *nisi spiritu suo primitùs evacuetur: nec requieſcit spiritus Dei, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones Dei.*

2. Contingit aliquando, ut opus aliquod quis incipiat verè propter Deum, ejusque gloriam & honorem, sed quia natura seipsam semper occultè quærit, sensim & non advertens divini beneplaciti in progressu obliviscitur, suumque commodum & delectationem quærit. Quod manifestè vel ex hoc apparet, quia si Deus successum operis infirmitate, vel alio casu impediat, statim in anima perturbatio, inquietudo, turbidique motus excitantur, adeò ut ægrè divinæ voluntati acquiescat. Pauci sunt, qui perspectam omninò habeant malitiam naturalis instinctûs in subtilissima & occultissima sui quæsitione. Cùm enim omne bonum appetitui consonum sit, facilè ad nos ipsos incurvamur, adeò ut etiam in intentionibus, quæ rectæ & divinæ nobis videntur, nos ipsos quæramus: quandoquidem id, quod placitum & commodum nobis est, magis allicit & afficit sensus & cor nostrum, idque potiùs respicimus in cunctis operationibus nostris, quàm quod Dei est. Idem quoque accidit in ipso studio mortificationis, cùm præsertim nimis anxium est: nam plerique sensus coërcent, affectus cohibent, carnem castigant, ab omni voluptate abstinent, specie quidem virtutis, sed reverà ut videantur ab hominibus, vel ut quâdam spirituali delectatione perfruantur. Qui gratiæ instinctu movetur, latere cupit: natura se prodit. Nec ipsi quidem ab hoc malo immunes sunt, qui lumine supernaturali abundant, ob frequentes considerationes, quibus ad seipsos insensibiliter convertuntur.

3. Ad orandum, ad bona opera exercenda sicut oportet, certissimum est nos indigere gratiâ Dei; sed certum quoque est, posse nos sine gratia actus virtutum exercere motivo humano, sive ex proprio amore, aut ex timore servili. Estque in nobis tàm exiguum lumen; ut certò distinguere non possimus, ex quo principio operemur, divinone an humano, ex charitate an ex cupiditate. Optamus quidem sursum elevare cor nostrum, & ab omni conversione ad nos ipsos emundare; sed hoc ipsum desiderium interdum provenit ex aliquo nostro subtiliori & secretiori emolumento. Possumus enim desiderare ab omni nostro privato amore exui ob alium proprium amorem, possumus propter superbiam amare & optare humilitatem. Fit nimirum in nostris internis actionibus circulus imperceptibilis à nobis ad nos ipsos, semperque manet subtilissima quædam nobisque ignota radix philautiæ in corde; ita ut nonnunquam tunc maximè à divinis rationibus remoti simus, cùm nos illis propiores arbitramur. Eliu Buzites apud Job (l) à spiritu Sancto se incitari credidit ad increpandum ipsum & amicos ejus, cùm tamen à solo impetu proprii cordis moveretur. Quare reprehensus à Deo fuit, cujus causam agere videbatur, his verbis (m): *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* Porrò huic similes multi sunt, qui credunt se obsequium præstare Deo, cùm eorum amor nihil aliud sit, quàm concupiscentia, privatique commodi studium.

4. Si homo spiritualis, ut interdum contingit, aliquo sublimi lumine imbuatur, non facilè credendum est ab infusione gratiæ ipsum oriri; potest enim procedere vel ex naturali mentis acumine, vel ex usu meditandi, vel ex nuda rerum supernaturalium speculatione, jejunâ & aridâ manente voluntate, & omni rore gratiæ destitutâ. Sicut arbor non ex ramis & floribus, sed ex fructibus æstimatur; ita lumen ex operibus pensari debet, si hæc cum illo consentiunt. Tum solerter indagandum, an quidpiàm lumini immisceatur obscurum, impertinens, & à principiis christianæ perfectionis alienum. Nam ut docet Richardus (n), *Cùm aliquis ad aliquod bonum movetur facilè & cum aliqua cordis levitate, timendum est, quòd hujusmodi levitas sit à carnalitate, maximè si aliquid ibi annexum sit, quod delectare humanitatem possit. Item suspecta est cordis alacritas, quando impellitur ad aliquid homo cum quadam vehementia & impatientia dilationis, quia Spiritus sanctus modestus est, & tranquillus, & temperati sunt motus ejus.* Rarus & difficilis est purus & verus amicitiæ amor erga Deum absque ulla sui consideratione. Si possent homines abscondi ab oculis Dei & Mundi, pauci bonum operarentur, pauci abstinerent à malo.

5. Post lapsum turbari, contristari, & quasi desperare se posse proficere, ex occulta superbia, suique confidentia procedit. Humilis enim non miratur se labi, novit enim quod sine Deo nihil potest mortalis infirmitas, & ideò gratiæ ejus auxilium petens culpam suam corde contrito & tranquillo detestatur, & velociùs surgens cursum suum majori fervore prosequitur. Signum quoque est humani spiritûs, cùm quis ita suis exercitiis, officiis, ministeriis, tametsi bonis & sanctis adhæret, ut, si indè avocetur, & aliis à superioribus applicetur, in querelas & gemitus erumpat,

(k) *In Psal. ult. pœnit.*

(l) *Iob* 23. (m) *Iob* 38. 2. (n) *In cant. cap.* 17.

pat, deque sua perfectione actum putet, ac si mediis ad eam requisitis privetur. Non quia revera ea magis idonea & efficacia ad ejus consecutionem sint, sed quia in his vitioso affectu quiescebat, in his seipsum oblectabat, privatum suum commodum non Dei gloriam intendens. Amat natura quæ pulchra, bona, & perfecta sunt, sibique complacet in illis, atque indè fit, ut in rebus, studiis & operationibus suis, etiam spiritualibus, omnem defectum oderit. Quod si hujusmodi defectus animum cruciat & torquet; evidens est rei pulchræ & bonæ amorem ex natura procedere.

6. Movet humanus spiritus homines doctos cupidosque scientiarum ad res divinas & supernaturales discendas & investigandas, ut super alios emineant, ut seipsos prædicent, ut curiositati satisfaciant. Hinc oriuntur verba magnifica, rara, & subtilia à multis prolata & scripta, quorum fructus est pruritus aurium, non salus aut conversio proximorum. Hinc libri Philosophorum stylo sublimi de virtute compositi, utpote spiritu & vitâ destituti, mentem distrahunt & spargunt per multa phantasmata; nec voluntatem accendere possunt ad pietatem, ad charitatē, ad unionem cum Deo. Sermo enim procedens ex instinctu naturæ, quamvis in se multa bona contineat, fructu tamen exiguus est, similis æri sonanti, & cymbalo tinnienti. Verba autem Dei spiritu animata, licèt in se exigua & simplicissima sint, uberes fructus parturiunt. Solet etiam humanus spiritus facilè distrahi & effundi ad exteriora, & bonarum cogitationum multitudine ac varietate delectari; atque ita avertitur ab unitate, quæ summoperè expetenda & sola necessaria est.

7. Habet humanus instinctus, in his quæ pertinent ad virtutem, comitem individuam prudentiam carnis; atque ideò plerique hominum vitæ mediocritate contenti ad gradum heroicum non aspirant; omnia enim seipsis metiuntur, non potentiâ & efficaciâ divinæ gratiæ: & quia pati, dejici, & contemni timent; divitias, honores, corporis incolumitatem, cunctaque bona temporalia impensiùs amant, atque huc dirigunt quicquid agunt, quicquid loquuntur, quicquid meditantur. Se videlicet frui optant tanquam ultimo fine, & se statuentes tanquam idolum sui intentionem à Deo ad seipsos deflectunt, quibusdam quasi præstigiis è sede mentis emoti, ut suis commodis obsequantur. Sicut charitas non quærit quæ sua sunt, ita noxius sui amor semper quærit quod suum est. Hic adeò pravæ ac penetrabilis potentiæ est, ut non solùm terrenis & temporalibus, sed cœlestibus etiam & spiritualibus, se immisceat, veneno suo inficiens studium orationis, usum sacramentorum, exercitationes virtutum: in quibus homines vel auram popularem captant, vel sanctitatis opinionem aucupantur, vel lumina à Deo obtinere, mollesque spiritûs delitias, atque animi jucunditatē intendunt. Ad ipsa quoque pœnitentiæ opera permanat hoc virus, nam sæpè post lapsum intimè dolet peccator, & vindice pœnâ carnem castigat, non propter Dei offensam uti par esset, sed ob notam infamiæ, vel ob jacturam existimationis, quam apud homines subire formidat: vel quia saltem coram se ipso vult innocens apparere: cùm autem in rebus caducis nulla requies inveniatur, tanta est in homine sui amante inconstantia, ut subinde studia & oblectamenta permutans, nec ipse quidem sciat quid velit, aut quid agat. Nunc in spem temerè erigitur, mox labitur in desperationem: nunc futili lætitiâ diffluit, mox mœrore conficitur. Modum scilicet non habet, nec medium tenet, semper in extremis. Simili is est navi, quæ vago cursu huc & illuc agitata sæpius ad saxa allidit ur ac tandem miserabili naufragio perit. Ut enim docuit nos Dominus, *Qui amat animam suam perdet eam.* Ad hunc unum perniciosissimum sui amorem dirigenda sunt quæcumque de humano instinctu dici possunt, quia ab illo omnis humana motio excitatur: quare ipsi eradicando omnis industria adhibenda, ut sint homines docibiles Deo, atque omnes humani affectus à Dei instinctu ad bonum impellantur.

## CAPUT XIII.

*De consolationibus, & desolationibus. Quot sint earum genera, quæ causæ. Illarum vicissitudo. Quæ in illis pericula, quæ damna cavenda. Quomodo anima graviori desolatione probari & purgari soleat.*

I. VArios esse spiritus, varias item eorum motiones, ex his quæ hactenùs dicta sunt, perspicuum est. Sed quia omnes illorum instinctus vel in gaudium sive consolationē desinunt, vel in tristitiam sive desolationem; doctrinæ ordo postulat, ut de consolationibus & desolationibus hoc Capite agamus. Est autem consolatio, si de Divina sermo sit, suavitas quædam & interna jucunditas ac delectatio, quæ animam diversi-

mode afficiens diversa quoque nomina sortita est. Dicitur enim unctio mystica, gustus sapientiæ, sapor intimus, fervor devotionis, gratia reficiens, vinum inebrians, gaudium Spiritus sancti, & prægustatio quædam cælestium delitiarum. Oritur ex speciali Dei munere, ex testimonio bonæ conscientiæ, ex voluptate & tranquillitate animæ in solo Dei beneplacito & amore quiescentis. Dicitur spiritualis, cùm solâ mente percipitur, non defluens in partem sensitivam; undè fit, ut nonnunquam pars inferior arida sit & desolata, dum superior pacatissimâ jucunditate perfruitur. Sensibilis auem nuncupatur, cùm solam partem inferiorem afficit. Cùm verò à spiritu in sensus, & in corpus redundat, utramque complectitur, sicut scriptum est, *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Quamvis enim plerumque contingat, ut ob mutuam concordiam, quâ pars una alteri consentit, gaudia sibi & dolores communicent; fieri tamen potest, ut ex una in alteram parum vel nihil effluat: sicut Christus in passione omni consolatione partis inferioris destitutus fuit. Sicut etiam æger amarum pharmacum hausturus, appetitu quidem inferiori horret, atque ipsum sumere nollet; quia tamen in eo agnoscit latens valetudinis bonum, non solùm illud vult, sed etiam gustat, & in ipso delectatur. Hâc autem delectatione, quam quidam substantialem, Augustinus victricem vocat, perfusa voluntas inferiorem appetitum etiam reluctantem ad bonum trahit. De hac scribens Dionysius Cartusianus eam non semper esse sensu perceptibilem asserit (a), *sed est*, inquit, *verum & spirituale gaudium, seu complacentia voluntatis, quâ in rebus spiritualibus atque in bonis operibus non aliter quàm in centro quiescit.* Eandem sic describit Bernardus (b), *Quid aliud est hæc consolatio, quàm procedens de spe venia gratia devotionis, & suavissima delectatio boni, & gustus sapientiæ licèt exiguus, quibus interim benignus Dominus afflictam refrigerat animam? sed gustus ille nihil aliud est, quàm irritamentum desiderii, & incentivum amoris, sicut scriptum est* (c) Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient. Richardus item à S. Victore de ea sic loquitur (d). *Absque dubio amor Dei quantò plenius omnem alium affectum vincit, tantò uberiùs animum internâ jucunditate reficit. Sub hoc itaque statu mens fluxit mel de petra, oleumque de saxo durissimo: sub hoc statu stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac & mel: sub hoc statu animam esurientem & sitientem sæpè Dominus visitat, sæpè internâ suavitate satiat, spiritusque sui dulcedine inebriat.*

II. Triplex igitur est consolatio, vel enim in solo sensu, vel in sola mente, vel in utroque percipitur. Primum genus aliquando à Deo, aliquando à dæmone, vel à natura procedit: ab effectibus autem ejus origo discernitur. Cùm à Deo est, mentem illustrat, patientiam corroborat, fiduciam erigit, voluntatem accendit, evagationem excludit, sensus reficit, & à rebus terrenis avellit, ac tandem definit in veram & solidam secundi vel tertii generis consolationem. *Hæc gratia*, ait Cassianus (e), *nonnunquam negligentes ac resolutos inspiratione sancta, & abundantiâ spiritualium cogitationum visitare non renuit, sed inspirat indignos, excitat dormientes, & illuminat obsessos ignorantiæ cæcitate, clementerque nos arguit atque castigat, infundens se cordibus nostris, ut vel sic de inertiæ somno, compunctione ipsius instigati consurgere provocemur.* Hi nimirum sunt effectus gratiæ sensibilis, cùm à Deo immittitur, quos etiam sic describit Richardus (f): *Visitatione gratiæ consolatur Deus pusillanimitatem nostram, juvat infirmitatem, excitat voluntatem. Et quid mirum, si infirmus ungatur gratiâ, cùm etiam malus confiteatur Domino, cùm benefecerit ei? Hujus ergo dulcis affectûs causa est interdum non gratiæ copia, sed mentis inopia.* Quæ verò à dæmone provenit, tenebras & caliginem ingerit menti, facitque hominem superbum, pervicacem, impatientem, indocilem, ac tandem in carnis illecebras impellit: nihil enim jucundi nobis objicit callidus hostis, nisi ut venenum melle illitum incautis propinet. Ejus dolos his verbis detegit Richardus (g): *Fit aliquoties affectus iste dulcis à malo spiritu, ut dum nimis ei creditur, eique dum valde delectat inhæretur, ad debilitatem cordis homo perducatur. Item ut per illius occupationem ab utiliori opere revocetur: & ut ejus abundantiâ fretus se perfectum credat, & ad profectum minus exerceatur.* Natura autem, cùm in omnibus sua commoda quærat, se semper pro fine habet, & in seipsa quiescit. Ideò tutissimum est, hanc sensibilem consolationem nunquam desiderare, nam vita Christiani est bene facere, & malè pati. Sæpè etiam decipimur, eam à Deo esse existimantes, cùm à natura vel à dæmone sit. *O quàm frequenter*, exclamat idem Richardus (h), *imperfecti & ignari*

(a) *Lib. 1. de contempl. art. 12.* (b) *Ser. 1. de omnibus Sanctis.* (c) *Ecc. 24. 29.* (d) *De grad. viol. charitatis.*

(e) *Coll. 4. Cap. 5.* (f) *In cant. cap. 6.* (g) *Ibid.* (h) *In cant. cap. 33.*

*ignari gratiæ moventur carnali gaudio, vel naturali alacritate, & moveri se arbitrantur spirituali consolatione?* Undecumque verò procedat, non debet homo è nihilo suo exire, neque ei adhærere, sed soli Deo, ut semper ei vertatur in bonum. Secundum genus non nisi à Deo esse potest, qui solus humanæ menti illabitur: ejus autem derivatio ad partem inferiorem, tametsi naturaliter fieri possit, divinæ tamen largitati ut plurimùm tribuitur, quæ nostram imbecillitatem dulcedine illâ allicit & confortat. Tunc verò à Deo esse evidens erit, si illâ præsente non extollimur, illâ abeunte non affligimur; sed cum humilitate & gratiarum actione eâdem utimur tanquam conditurâ, quâ inferior appetitus ad solidum cibum edendum excitetur. Primum genus incipientium, reliqua proficientium & perfectorum sunt. Consolatio perfecta quasi cœlum serenum nullâ nube obductum, nullo vento perturbatum, eâ pace & tranquillitate animam replet, quam mundus dare non potest. Pignus est felicitatis æternæ mentem à sensibus abstractam in Deum transferens, omni gaudio terreno procul expulso. Non enim datur cœlestis consolatio admittentibus alienam, nec simul esse possunt delitiæ spirituales cum gaudio iniquitatis & vanitatis. Præclarè Hugo in Miscellaneis (i): *Spiritus diaboli operatur gaudium iniquitatis, & spiritus mundi operatur gaudium vanitatis. Et sunt mala gaudia ista, quoniam alterum culpam habet, alterum occasionem culpæ. Venit autem spiritus Dei, cùm ejecti fuerint spiritus mali, & intrat habitaculum cordis, operatur gaudium suum, gaudium veritatis contra gaudium iniquitatis, gaudium felicitatis contra gaudium vanitatis. Et expellunt bona gaudia gaudia mala. Et cùm ipsa cor implere cœperint, tunc primùm agnoscit homo, quòd prima vera non fuerunt: quoniam nec plena esse potuerunt in gaudio iniquitatis, nec permanentia in gaudio vanitatis.*

III. Consolatio sensibilis, cùm non provenit à substantiali, impertitur à Deo incipientibus & imperfectis, ut illos ad serviendum sibi hâc quasi mercede alliciat, & ab amore seculi abducat: sunt enim velut infantes, quibus lacte opus est, non escâ: donec adolescant. Quia tamen ex se minimi momenti est, nec ullam gignit aut denotat sanctitatem, pericula ingentia in ejus usu occurrere solent. Nam quidam eâ abutuntur ad inanem fiduciam, ad jactantiam, ad externam ostentationem. *In quo plurimi fallumtur*, ut docet Guillelmus Abbas (k) verus auctor libelli ad Fratres de monte Dei inter opera „ Bernardi, qui cùm pascuntur pane filiorum, „ jam se esse filios arbitrantur, & deficientes „ undè proficere debebant, ex visitante gratia „ evanescunt à conscientia sua, arbitrantes se „ aliquid esse, cùm nihil sint. Pascuntur enim à „ patre Deo aliquando de pretiosiore gratiæ „ substantia servi ut affectent esse filii: ipsi verò „ gratiâ Dei abutentes efficiuntur inimici. In „ eandem sententiam sic differit Taulerus (l): „ Effectus amoris quandoque magnum aliquid „ esse videtur, ut est jubilatio, devotio, & alia „ hujusmodi; sed non semper potiora, meliora- „ que sunt, cùm & sine vera possint charitate „ subsistere, & natura sæpè hujusmodi saporem „ ac dulcedinem ministrare soleat: vel etiam „ Deo permittente malignus spiritus ea in ho- „ mine excitare queat, ut aliquo ille in pretio ab „ aliis habeatur. Falsam quoque consolationem in aliqua pia exercitatione interdum injicit dæmon, ut in recitandis precibus, in visitandis Ecclesiis, in legendis spiritualibus libris, ut eâ sanctitatis fictitiâ imagine tepidi homines decepti oblatranti conscientiæ satisfaciant, & quasi jam securi obdormiant in peccatis. *Nec mirandum*, inquit Aelredus Abbas, (m) *hanc gratiam reprobis & electis plerumque esse communem, cùm excellentiora illa charismata, sermo videlicet scientiæ, prophetia, genera linguarum, gratia miraculorum, etiam reprobis noverimus esse impertita. Nam & Saul inter Prophetas, & inter Apostolos Judas*, & infra (n). *Nemo ergò secundum primum illud visitationis genus suam metiatur sanctitatem, quod & reprobis nonnunquam accidere manifestum est.* Richardus etiam de hac rescribit (o): *Dulcis in Deum affectus quodammodo carnalis est & fallax, & humanitatis interdum potiùs, quàm gratiæ: cordis, quàm spiritûs, sensualitatis, quàm rationis.* Alii hâc ubertate sensibilis consolationis repleti adeò indiscretè se gerunt, ut nimium indulgentes affectui, vel seipsos ultra vires externis pœnitentiæ operibus excruciantes, saluti corporali plurimùm noceant. Alii æstu illo perciti multa temerè statuunt, & ad ea vota se obligât, quibus posteà natura succumbit, & illo impetu sedato omninò servari non possunt. Hi modum non habent, nec affluentiâ gratiæ uti sciunt, putantes sibi licere quicquid vehemens & immoderata devotio suggerit. Seraphicus Doctor (p) optimum istis consilium præbet, ut se interdum ab hujusmodi vehementia subtrahant, nec se totos illi immergant; sicut scriptum

(i) *Lib. 1. tit. 103.* (k) *Cap. 14.*

(l) *Instit. 2. cap. 18.* (m) *Lib. 2. speculi charit. c. 9.*
(n) *Cap. 10,* (o) *In Cap. 6,* 6. (p) *De proc. Rel. prog. c. 21*

scriptum est (q), *Mel invenisti, comede quantum sufficit. Utilius enim est*, ait ille, *ad horam habere temperantiùs gratiam devotionis, quàm omnino exhaustis viribus & destructâ virtute naturali totaliter eam perdere, & irrecuperabiliter eâ carere: quia sic destructi postea nimis incipiunt sibimet compati, & ut recuperent vires amissas per indiscretionem, non solùm delicatiùs, sed etiam dissolutiùs se habere.* Sunt etiam aliæ sensibiles oblectationes, quas aliquando imperfectis largitur Deus, quales sunt, teste eodem (r) Bonaventura, *mirabilis fragrantia odoris, ineffabilis suavitas saporis, & hymnidicæ melodiæ vocum & sonorum, & tactu perceptibiles experientiæ indicibilium suavitatum, quæ cùm veræ sunt & à Deo, possumus existimare, quòd aut dentur quibusdam novis & rudibus, qui spiritualia nondum intelligunt, ut saltem per sensibilia consolentur in Domino, qui veritatem purè spiritualium non cognoscunt: aut quòd ideò dentur etiam perfectioribus propter redundantiam interioris dulcedinis, ut, sicut anima communicat corpori suo, quasi comiti & socio viæ, passiones suas, ita & communicet consolationes.* Magnam tamen cautelam in his percipiendis adhibendam esse docet idem Sanctus, quia multi seducuntur in eis, *putantes esse à Deo, quod fortè est phantastica deceptio, & aliqui putant esse aliquid magni, quod in se nullius est meriti. Et aliqui extolluntur de talibus apud se, & jactant se quasi de singulari gratia sanctitatis.* Illi verò, qui carnalibus delectationibus assueti & nondum benè purgati sunt, solicitè cavere debent, ne abundantia cœlitùs immissæ consolationis ad corpus emanans in carnalem delectationem, ad quam propensi sunt, turpiter desinat: quod nonnunquam incipientibus, Deo permittente, contingere & Bonaventura testatur (s), & experientia demonstrat. Cæterùm spirituales consolationes, quæ in sola mente percipiuntur, solidiores sunt, & jam adultæ virtutis comites, atque charitati dant incrementum. Has viri sancti, cùm desunt, non optant; cùm adsunt, diligentissimè custodiunt; cùm auferuntur, patienter ferunt, Deum solum, non ejus dona quærentes, semperque parati illis carere. Docet Bernardus (t) nihil efficacius esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inveniamur non altùm sapere, sed timere. *Time*, inquit, *cùm arriserit gratia, time cùm abierit, time cùm denuò revertetur.* Cùm adest, timendum ne non dignè operemur ex ea: cùm recesserit, multò magis timendum, quia ubi deficit nobis gratia, & nos deficimus, quia reliquit nos custodia nostra.

IV. Ideò ille beatus dicitur (u), *qui semper est pavidus*: multæ siquidem sunt vicissitudines rerum, multa mentis humanæ instabilitas, multiplex divinæ providentiæ operatio. Sereno diei nox turbida succedit, & post maximam ubertatem rerum omnium egestas subsequitur. Sæpè vertitur cithara in luctum, gaudium in mœrorem; & vix gustata primoribus labiis divina dulcedo in amaritudinem amarissimam commutatur (x) Sic *transeunt suis spatiis universa sub cœlo*, & qui dixerat in abundantia sua, *Non movebor in æternum* (y); mox cum gemitu ait, *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Ex quo discimus, neminem securum esse in die virtutis suæ, ac propterea necessarium esse ad Deum jugiter clamare, *cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me* (z). Optimè Bernardus de plenitudine sua verbum bonum eructans (a): *Spiritus venit & vadit prout vult, & nemo facilè scit* undè veniat, aut quò vadat. *At istud sine damno fortasse salutis nescire licet. Cæterùm quando veniat, vel quando vadat, id planè periculosissimè ignoratur. cùm enim hæ Spiritûs sancti circa nos dispensatoriæ vicissitudines vigilantissimè observantur, sit ut nec absentem desideres, nec præsentem glorifices. Nempè qui idcirco recedit, ut avidiùs requiratur: quonam modo si abesse nescitur, requiritur? Et rursum, qui dignanter ad hoc redit ut consoletur: qualiter dignè pro sua majestate suscipitur, si nec adesse sentitur? Mens ergo quæ ignorat absceſſum, patet seductioni: & quæ reditum observat, erit ingrata visitationi. Vigilandum proinde omni horâ, quia nescimus quâ horâ spiritus venturus sit, seu iterum abiturus. It & redit spiritus, & has alternare vices non cessat in his, qui spirituales sunt, vel quos potiùs spirituales proinde ipse creare intendit, visitans diluculo, & subitò probans.* Harum autem vicissitudinum in spiritualibus hominibus hic ordo est, teste Gregorio (b). *In inchoatione inveniunt blandimenta dulcedinis, in medio certamina tentationis, ad extremum perfectionem plenitudinis. Priùs dulcia suscipiunt quæ consolentur, postmodum amara, quæ exerceant, & tunc demum suavia atque sublimia, quæ confirment.* Idem alibi (c). *Omnipotens Deus, quos in æternum diligit, aliquando ad tempus relinquit. Undè scriptum est* (d).

Ad

(q) *Prov.* 15. 16. (r) *Ibid. c.* 20. (s) *Ibid.* 18. (t) *In cant. serm.* 50.

(u) *Prov.* 28. 14. (x) *Eccl.* 3. 1. (y) *Psal.* 29. (z) *Psal.* 70. (a) *Ser.* 17. *in Cant.* (b) *Lib.* 24. *mor. c.* 7. (c) *Lib.* 20. *mor. c.* 19. (d) *Isaiæ* 54. 7.

Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui. „ Sanctos etenim suos Dominus veniendo „ adjuvat, relinquendo probat, donis firmat, „ tribulationibus tentat. Iterum Bernardus de Verbi visitationibus sermonem habens, *subitò*, ait (*e*), „ dum teneri putatur elabitur: & rursum „ lacrymanti & insectanti occurrens comprehendi patitur, sed minimè retineri, dum subitò iterum quasi è manibus evolat. Et si institerit precibus & fletibus devota anima, denuò revertetur, & voluntate labiorum ejus non fraudabit eam; sed rursum mox disparebit, & non videbitur; nisi iterum toto desiderio requiratur. „ Ita ergò & in hoc corpore potest esse de præsentia sponsi frequens lætitia, sed non copia: „ quia & visitatio lætificat, sed molestat vicissitudo. Sic prævenit Deus incipientes in benedictionibus dulcedinis, quibus deinde suavia subtrahit, ut ablactatos à delitiis ad solidiora & perfectiora per varias amaritudines & afflictiones perducat. Hæc autem omnia dura & amara, quæ Deo agente vel permittente patitur fidelis anima, desolationes nuncupari solent, quarum notitia licèt ex his, quæ de consolationibus dicta sunt, haberi possit, majoris tamen claritatis gratiâ de illis seorsum agendum est.

V. Et primò quidem observandum est, duplicem esse desolationem, sensibilem unam, alteram substantialem: illa manet in sola parte inferiori, hæc ita afficit sensus, ut etiam in voluntatem tristitiam derivet, eamque frangat & dejiciat, ut non nisi ægrè & cum maxima difficultate spirituales exercitationes aggrediatur. Illa nihil aliud est, quàm tædium, angor, & ægritudo partis inferioris nullum ex rebus spiritualibus gaudium sivè consolationem sensibilem percipientis: hæc mentis obtenebratio, & voluntatis ægritudo est adeò terribiliter excrucians animam, ut pœnis inferni similis esse videatur. Quæ sensibilis tantùm est, & à Deo, & à dæmone esse potest: à quo autem sit, effectus ostendunt. Potest etiam à natura provenire, quæ cùm seipsam in omnibus quærat, deficiente solatio contristatur, & ab operibus sanctis abhorret, fucata gaudia quærens in creaturis. Cùm à dæmone procedit, fit homo impatiens, tepidus, inconstans, plenus diffidentiâ & desperatione. Cùm audit mentionem fieri crucis, patientiæ, humilitatis, tædium & horrorem ostendit, & à proposito virtutis resiliens ad insana mundi carnisque solatia convertitur. Cùm autem à Deo est, ad creaturas non divertit, nec ullam in illis reperit consolationem: nullam obscuritatem, nullum virtutis horrorem sentit; sed fixus in Deo manens in piis exercitationibus perseverat: & quò gravior est sensibilis desolatio, eò magis in illo crescit substantialis consolatio, atque ampliùs lætatur, quòd Deo serviat propter ipsum solum, nullâ existente in sensibus suavitate, & nullo sibi proposito gaudio, nisi æterno. Sicut ægrotus, cui cibus omnis fastidio est, si crederet stomacho ad cujuscunque rei comestibilis aspectum nauseanti, nullum prorsus alimentum sumeret, nisi optimè nosset, neminem sine cibo vivere posse, ac propterea seipsum impellit ad comedendum, non obstante appetitûs repugnantiâ: ita desolatus spiritualibus exercitiis, licèt cum tristitia & difficultate, incumbit, non sensibili dulcedine illectus, sed eorum necessitate convictus.

VI. Observandum secundò est, sensibilem desolationem, cùm sola est & mentem non afficit, à viris probis & spiritualibus facilè tolerari, cùm præsertim experientiâ didicerint, auferri quidem ad tempus sensibile gaudium, sed cumulatiùs restitui, cùm quis ejus subtractionem excelso animo ferens divino beneplacito generosè acquiescit. Hujus vicissitudinis multæ sunt causæ, nam Deus homini consolationem largitur, ne deficiat; desolationem, ne superbiat: illa excitat spem, hæc audaciam reprimit: illa erigit pusillanimitatem, hæc parit humilitatem. Sivè autem accedat, sivè recedat gratiæ dulcedo, diligenti Deum cooperatur in bonum. Tribuit eam cui vult, & quando vult, eamque subtrahit tempore opportuno, ne magnitudo consolationis extollat, ne quasi jure hæreditario possideatur, ut sciat hoc donum non esse volentis neque currentis, sed Dei miserentis; ut profundiùs seipsum cognoscat, ut propriam fragilitatem vereatur, ut semper humilis perseveret; ut habitam gratiam diligentiùs custodiat, & amissam ardentiùs quærat; ut aliorum afflictionibus compati discat, ut patientiæ exhibitione pro peccatis satisfaciat, ne caro deficiat, quæ dulcedinem spiritûs diù sustinere non posset; ut nimia affectio ad Dei dona tollatur, ut gratis serviat Deo, nec sit veluti *amicus socius mensæ*, qui *non permanebit in die tribulationis* (*f*); ut probetur virtus, sicut scriptum est (g). *Quia acceptus*



(e) *Ser. 32. in Cant.*

(f) *Eccl. 6: 10.* (g) *Tob. 12: 13.*

*eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te*; ut ex momentanea hujus vitæ desolatione conjiciat, quàm malum & amarum futurum sit à facie Dei in æternum separari. Præcipua autem ejus subtractionis causa, si Bernardo credimus, superbia est; „Non sine causa, inquit, (*b*) invasit „me languor iste animi, & mentis hebetudo, in„solita quædam inertia spiritûs. Currebam be„nè: sed ecce lapis offensionis in via, impegi & „corrui: superbia inventa est in me, & Domi„nus declinavit in ira à servo suo. Hinc ista ste„rilitas animæ meæ, & devotionis inopia quam „patior. Quomodo ita exaruit cor meum, coa„gulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine „aqua? Nec compungi ad lachrymas queo, tan„ta est duritia cordis. Non sapit Psalmus, non „legere libet, non orare delectat, meditationes „solitas non invenio. Ubi illa inebriatio spiri„tus? Ubi mentis serenitas, & pax & gaudium „in Spiritu sancto? Ideò ad opus manuum pi„ger, ad vigilias somnolentus, ad iram præceps, „ad odium pertinax, linguæ & gulæ indulgen„tior, segnior obtusiorque ad prædicationem. „Heu! omnes montes in circuitu meo visitat „Dominus, ad me autem non appropinquat. Et post pauca hanc subtractionem superbiæ omninò adscribendam esse sic concludit. „Nec „dubites in causa esse superbiam, etiamsi non ap„pareat, etiamsi nihil tibi conscius sis; quod „enim tu nescis, scit Deus, & qui te judicat „ipse est. Numquid qui humilibus dat gratiam, „humili auferet datam? Ergò argumentum su„perbiæ privatio est gratiæ. Quanquam tamen „interdum subtrahitur gratia, sive retrahitur, „non pro superbia quæ jam est, sed quæ futura „est, nisi subtrahatur. Habes hujus rei evidens „documentum de Apostolo, qui stimulos car„nis suæ sustinebat invitus, non quia extollere„tur, sed ne extolleretur. Sed sive jam existens, „sive nondum; superbia tamen semper causa „erit subtractæ gratiæ. Non excludit alias cau„sas Bernardus, sed hæc potissima est, cui proba„tio & purgatio animæ ab omni adhæsione ad se „suaque commoda proximè accedit, ut ab omni„bus delitiis etiam spiritualibus avulsa, ad inti„mam cum Deo unionem disponatur.

VII. Perficitur hæc purgatio miris & acerbissimis modis; nam in parte inferiori privatur homo omni sensibili dulcedine, lachrymæ devotionis arescunt, fontes gratiarum exsiccantur. Vertitur æstas in hyemem, & qui potabatur fonte voluptatis, repletur amaritudine, dicens cum Tobia, (*i*) *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* & cum Isaia, (*k*) *Aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.* Quandoque etiam terrenis facultatibus spoliatur, deseritur ab amicis, traducitur per ora omnium tanquam illusus, despicitur tanquam insanus, vita moresque ejus ubique infamantur, gravibus morbis corripitur, à dæmonibus vexatur, & quocunque se vertit, nihil ei occurrit, nisi afflictiones, irrisiones, persecutiones, & plurima mortis imago. In parte verò superiori densissimâ caligine mens obscuratur, languet voluntas nusquam inveniens consolationem, nec in Deo, nec in creaturis: omnis æstus amoris refrigescit, & quod gravissimum est, tot tentationibus premitur, ut sibi sæpiùs videatur diffidentiæ, blasphemiis, ac desperationi consensum præbuisse. Hoc horribile tormentum pœnis inferni assimilant, qui experti sunt; ejus autem mirabile exemplum habemus in vita B. Angelæ de Fulgineo, quæ maluisset omne genus martyrii subire, quàm talem desolationem pati, ut ipsa de se scribit. Simili modo probata fuit per totum quinquennium in camino tribulationis S. Magdalena de Pazzis (*l*), arida, desolata, ab omnibus derelicta, à dæmonibus flagellata, blasphemiæ tentationibus vexata, ac usu rationis ferè destituta. Alia exempla prætermitto, & ad remedia accedo, quorum primum est causam desolationis accuratè investigare; nam si procedit ex culpa & negligentia nostra, ea deleri per pœnitentiam, & emendari debet. Si ex diaboli impugnatione, illi obsistendum est. Si ex divina dispositione, fortiter ferenda ejus animadversio, & patienter expectandum, donec discutiat caliginem, & suam iterum infundat suavitatem. Deinde fateri oportet, quòd nemo ex se aliquid habet, præter vitia & defectus: atque ideò bonum est præstolari cum patientia salutare Dei: nec deserendum aut minuendum est orationis studium, sed potiùs augendum exemplo Christi, qui factus in agonia prolixiùs orabat. Sicut autem ille non petiit à Patre ut à cruce liberaretur, sed ut fieret voluntas ejus: ita nos in omni pressura divino beneplacito nos offerre & subdere debemus, eique gratias agere, dicentes cum S. Job, (*m*) *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Tum cogitandum est, à Deo immitti vel permitti desolationes ad illud ipsum emolumentum,

(b) *Ser. 54. in Cant.*

(i) *Tob. 5:12.* (k) *Isa. 15:6.* (l) *Vita c. 2.* (m) *Job 2:21.*

tum, propter quod vir probus consolationes expetit, ad mentis scilicèt illustrationem, ad ampliorem rerum divinarum cognitionem, ad humilitatem, ad fortitudinem, & ad ardentissimam charitatem consequendam. Neque omittendæ tempore desolationis consuetæ exercitationes; neque mutanda quæ alio tempore constituta sunt: non enim potest sibi benè consulere animus æger. Nobis denique persuasissimum esse debet, desolationes munera singularia divinæ providentiæ, experimenta solidæ virtutis, & maximi erga nos amoris indicia esse, quæ nonnisi per fidem percipi possunt. Ideò in omni tribulatione vitam pacatam & quietam degere & conservare par est, *Justus* enim *ex fide vivit*, ut ait Propheta, (n) & confirmat Apostolus, vivit nimirum vitâ spirituali, quæ ex principiis fidei nata, iisdem regitur & roboratur. Fides autem docet, probari justos afflictionibus sicut aurum in fornace, momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus in nobis operari, Deum nobiscum esse in omni angustia, ejus nutu cuncta disponi, tristitiam tandem in gaudium mutari, sicut dicit Psalmus, (o) „ Cum „ ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glo„ rificabo eum, & ostendam illi salutare meum. Quæ verba exponens Bernardus (p) sic loquitur. „ Cum ipso sum in tribulatione, ait Deus: & ego „ aliud interim requiram quàm tribulationem? „ Mihi adhærere Deo bonum est, non solùm au„ tem; sed & ponere in Domino spem meam: „ quia eripiam eum, inquit, & glorificabo eum. „ Bonum mihi Domine tribulari, dummodo ipse „ sis mecum, quàm regnare sine te, epulari sine te, „ sine te gloriari. Bonum mihi Domine in tribu„ latione magis amplecti te, in camino habere te „ mecum, quàm esse sine te vel in cœlo.

## CAPUT XIV.

*De Ecstasi & Raptu. Quid & quotuplex sit Ecstasis. Quæ ejus causæ, qui effectus. In quo differat à raptu. Quibus signis Ecstases & raptus divini à naturalibus & dæmoniacis discernantur.*

I. DE triplici instinctu, divino, diabolico, & humano hactenus, sicut potui, disserui, asserendo quæ certa sunt, de incertis dubitando: reliquum est, ut de veris ac divinis revelationibus à falsis & diabolicis discernendis consequenter agam; quæ tractatio difficillima est, propter varias diaboli fraudes & illusiones. Quia verò ut plurimùm nihil homini revelatur, nisi priùs extra sensus raptus fuerit, & visio sive apparitio aliqua præcesserit; ideò priùs de Ecstasi & Raptu, deinde de visionibus & apparitionibus, demùm de revelationibus tractabo, ea breviter attingens, quæ ad meum propositum pertinent, curiosis & superfluis quæstionibus prætermissis. Ecstasis idem est ac mentis excessus, quando sensus externi ita sunt impediti, ut non solùm non operentur, sed nec operari possint, aut ab objectis exterioribus excitari. Augustinus describens Ecstasim ait, (a) *Ecstasis est mentis alienatio à sensibus corporis.* Et alio modo. *Ecstasis est mentis excessus, quod aliquando pavore contingit, nonnunquam verò per aliquam revelationem, & alienationem à sensibus corporis, ut spiritus, quod demonstrandum est, demonstretur.* Cùm enim sensus impediant mentem, ne divina percipiat, ideò Ecstasis necessaria est, ut occulta sapientiæ suæ manifestet homini Deus, & mirabilia sua in eo operetur. Seraphicus Doctor hanc Ecstasis definitionem laudat: (b) *Ecstasis est deserto exteriori homine sui ipsius supra se voluptuosa quædam elevatio ad superintellectualem divini amoris fontem.* In Ecstasi enim supernaturali, de qua nobis præcipuè sermo, rapitur anima extra sensus ad amandum Deum, vel ad ipsum audiendum cessante strepitu & inquietudine sensuum & creaturarum. Mystici verò magis propriè Ecstasim esse dicunt elevationem mentis in Deum cum abstractione à sensibus exterioribus ex magnitudine ipsius elevationis procedentem. Anima siquidem, cùm sit virtutis finitæ, quantò intensiùs & efficaciùs actui unius potentiæ attendit, tantò magis in actibus aliarum remittitur; & quò magis elevatur, eò ampliùs retrahitur; ita ut aliquando omni sensuum usu destituatur, nec præsentia cernens, nec voces loquentium percipiens, cùm videlicet divinis rebus inspiciendis ac diligendis, Deo illam trahente & illuminante, magnâ intensione incumbit. Sola potentia vegetativa, ut docet S. Thomas (c), ab actibus suis in Ecstasi non cessat, quia per modum naturæ solis actibus primarum qualitatum operatur, non autem ex intentione animæ, cùm non sit cognoscitiva: alioquin cessantibus ejus operationibus

(n) *Habac. 2. 4. Rom. 1. 17.* (o) *Ps. 90.* (p) *Ser. 17. in hunc Psal.*

(a) *Lib. 2. ad simplic. q. 1. in Psal. 67.* (b) *De gradib. contempl.* (c) *2. 2. q. 175. art. 5. & de Verit. q. 13. art. 4.*

ceſſaret nutritio, quæ ſemper animali eſt neceſſaria, ex quo ſequeretur actualis animæ à corpore ſeparatio, quæ ad Ecſtaſim non requiritur; ſed tantùm ne ad phantaſmata, & ad objecta ſenſibilia convertatur, ut poſſit ad divina elevari, quæ omnia phantaſmata, omnemque ſpeciem intelligibilem creatam excedunt. Quidam Philoſophi Ecſtaſim fieri exiſtimârunt, animâ à corpore re ipsâ ſeparatâ, & ad ipſum poſt raptum redeunte. Quam opinionem exemplo probant Eri Armenii, qui ut narrat Plato (*d*), pro mortuo habitus animâ redeunte revixit, & præmia ac pœnas alterius vitæ enarravit. Refert quoque Plinius (*e*) Hermotimi Clazomenii animam relicto corpore errare ſolitam vagamque è longinquo multa annunciaſſe, quæ niſi à præſente noſci non poſſent, donec ejus inimici corpore cremato remeanti animæ velut vaginam ademerunt. Sed hæc ad fabulas, vel ad ludibria dæmonum referenda ſunt, ut obſervant ex noſtris Origenes (*f*) & Tertullianus (*g*) An verò anima per divinam potentiam in altiori ac vehementiori raptu è corpore interdum abierit vel abire poſſit, quæſtio anceps & difficilis eſt: nam Apoſtolus (*h*) raptus ad tertium cœlum ſe neſcire profeſſus eſt an in corpore vel extra corpus id contigerit. Quod autem tantus vir ignoravit, noſtrum non eſt definire. *Quis* enim, inquit Auguſtinus de Pauli raptu doctiſſimè diſputans (*i*), *audeat dicere ſe ſcire, quod ſe neſcire Apoſtolus dixit?* Eadem ignoratio Thereſiæ mentem invaſit, raptûs enim effectus deſcribens in Caſtro animæ, ait (*k*), *An in corpore, vel extra corpus hæc gerantur dicere nequeo: certè jurejurando aſſeverare non auſim, animam in corpore tunc eſſe, uti nec corpus interrea ſine anima vivere.* Tum aliquâ adhibitâ ſimilitudine ad ejus rei explicationem concludit ſe neſcire quid dicat. At verò Catharina Senenſis (*l*) & ipſa divina patiens ulteriùs progredi non dubitavit pro certo aſſerens, animam ſuam aliquando è corpore diſceſſiſſe, & bona immortalia deguſtaſſe: quam animæ à corpore ſeparationem ad tempus fieri nonnunquam poſſe, non viribus naturæ, ſed divinæ virtutis omnipotentiâ, manifeſtum eſt.

II. Audiamus expertos, ipſi nos docebunt, quid anima agat, vel potiùs quid patiatur; cùm in ſublime rapta ſenſus & corpus deſerit, Deique præſentiâ fruitur in placida atque dulciſſima contemplatione. Auguſtinus humanam mentem poſſe divinitùs rapi ex hac ad Angelicam vitam, antequam per mortem carne ſolvatur, aſſerit his verbis. „Sic enim, inquit, (*m*) raptus eſt qui audivit illic ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui; ubi uſque adeò facta eſt ab hujus vitæ ſenſibus quædam intentionis averſio, „ut ſive in corpore, ſive extra corpus fuerit, id „eſt, utrum ſicut ſolet in vehementiori ecſtaſi „mens ab hac vita in illam vitam fuerit alienata „manente corporis vinculo, an omnino reſolutio „facta fuerit, qualis in plena morte contingit, „neſcire ſe diceret. Ita fit, ut & illud verum ſit „quod dictum eſt, *Nemo poteſt faciem meam „videre, & vivere*, quia neceſſe eſt abſtrahi ab „hac vita mentem, quando in illius ineffabilitatem viſionis aſſumitur; & non ſit incredibile „quibuſdam ſanctis nondum ita defunctis, ut ſe„pelienda cadavera remanerent, etiam iſtam ex„cellentiam revelationis ejus conceſſam fuiſſe. „Quod exiſtimo cogitaſſe illum, qui noluit di„cere. Idem explicans Pſalmiſtæ verba dicentis, (*n*) *ego dixi in exceſſu mentis meæ*, ubi ipſe legit *in ecſtaſi mea*, ſic loquitur: (*o*) „Videtur „mihi qui hoc dixit levaſſe ad Deum animam „ſuam, & perveniſſe ſpirituali quodam contactu „ad illam incommutabilem lucem, eamque in„firmitate conſpectûs ferre non valuiſſe: & in „ſuam quaſi ægritudinem atque languorem ite„rum recidiſſe, & comparaſſe ſe illi, & ſenſiſſe „adhuc contemperare non poſſe aciem mentis „ſuæ luci ſapientiæ Dei. Et quia hoc in ecſtaſi „fecerat, abreptus à ſenſibus corporis & ſub„reptus in Deum, ait: *Ego dixi in Ecſtaſi mea.* „Vidi neſcio quid in ecſtaſi, quod diu ferre non „potui: & redditus mortalibus membris & „multis mortalium cogitationibus à corpore, „quod aggravat animam, Dixi. Quid? *Proje„ctus ſum à facie oculorum tuorum.* Longè ſurſum „es, longè deorſum ſum. Abbas Joannes apud Caſſianum, quid ſibi in ecſtaſi contingeret, ſic enarrat. (*p*) „Memini me in hujuſmodi raptum „frequenter exceſſum, ut obliviſcerer me ſarci„nâ corporeæ fragilitatis indutum, mentemque „meam ita omnes exteriores ſenſus ſubitò re„ſpuiſſe, & à cunctis materialibus rebus omni„modis exulaſſe, ut neque oculi, neque aures „meæ proprio fungerentur officio, & ita divi„nis meditationibus ac ſpiritualibus theoriis „animus

(d) *Lib.* 10. *de Rep. Max. Tyrius ſerm.* 28. (e) *Lib.* 7. *hiſt. nat. c.* 52. (f) *Lib.* 3. *adv. Celſum.* (g) *Lib. de anima c.* 44. (h) 2 *Cor* 12. (i) *Lib.* 12. *de Gen. ad lit. c.* 1. (k) *Manſ.* 6. *c.* 5. (l) *Epiſt* 12, *ad P. Raym.*

(m) *Epiſt.* 102. (n) *Pſ.* 30. (o) *Ser.* 63. *de verbis Domini.* (p) *Collat.* 19. *c.* 4.

„animus replebatur, ut sæpè ad vesperam ci-
„bum me percepisse nescirem, ac sequen-
„te die de hesterna absolutione jejunii peni-
„tùs dubitarem. His Bernardus adstipulatur; quem ex propria experientia loqui nemo ambigere potest. *Ego*, inquit, (q) *non absurdè sponsæ ecstasim vocaverim mortem, quæ tamen non vitâ, sed vitæ eripiat laqueis: si tamen eò usque mente secedat & avolet, & hunc communem transcendat usum & consuetudinem cogitandi. Quid enim formidetur luxuria, ubi nec vitæ sentitur? Excedente quippe animâ, si non vitâ, certè vitæ sensu, necesse est etiam ut nec vitæ tentatio sentiatur. Utinam hâc morte ego frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis, ut non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta. Bona mors, quæ vitam non aufert sed transfert in melius: bona, quâ non corpus cadit, sed anima sublevatur. Verùm hæc hominum est. Sed moriatur anima mea morte etiam, si dici potest, Angelorum, ut præsentium memoriâ excedens, rerum se inferiorum corporearumque non modò cupiditatibus, sed & similitudinibus exuat, sitque ei pura cum illis conversatio, cum quibus est puritatis similitudo.* Idem alibi loquens de anima cui datum est excedere, & cum Verbo esse, eoque frui ad jucunditatem, ait: (r) *Pergat quis forsitan quærere à me Verbo frui quid sit? Respondeo: Quærat potiùs expertum à quo id quærat. Aut si & mihi experiri daretur, putas me posse eloqui quod ineffabile est? Aliud mihi cum Deo, solo arbitro Deo: aliud vobiscum mihi. Illud licuit experiri, sed minimè loqui. Non docet hoc lingua, sed docet gratia.* In raptu enim supernaturali non solùm loqui, sed etiam concipere non potest anima quod videt, eo ipso tempore quo videt: tum quia objectum cùm sit infinitum omnes conceptus, omniumque verborum vim & energiam excedit: tum etiam quia judicium ferri de eo non potest, nisi se mens ad actionem suam convertat; id verò, quamdiù divinis inspiciendis inhæret, non est in ejus potestate; nam adeò intimè unitur objecto, ut nullam vim habeat ad alteram actionem eliciendam. Reversa autem ab ecstasi felicitatem quâ potita est verbis exprimere nequit, eo tunc lumine deficiente, cujus splendore illustrata divinis gaudiis fruebatur. Confirmat hæc omnia mirabilis virgo Theresia verè Theodidacta, ecstases suas passim enarrans (s) Docet enim animam, cùm sibi post raptum reddita est, nihil eorum quæ vidit posse aliis referre, neque eorum recordari, nisi confusâ & generali quâdam cognitione: ut si quis intimum Regis cubiculum vasis, tabulis, statuis, aliisque pretiosissimis ac mirâ arte dispositis ornamentis refertum ingressus fuerit, eaque omnia sim in oculos incurrant, fieri non potest, ut de singulis postmodum in tanta rerum copia & varietate recordetur: ita anima ad Dei conspectum extra sensus admissa tot mirabilia in eo conspicit, ut ipsorum singillatim meminisse non possit. Hominis verò in ecstasim rapti pathemata describens ait: Videtur anima in raptu corpus non habere nec animare: deficit calor, intercipitur respiratio, adeò ut nec minimus halitus sive motus percipiatur: accedit membrorum omnium rigor & frigus, pallor in vultu, & omnia vel morientis vel mortui symptomta. Resistere raptui, aut reluctari non valet quâcumque adhibitâ contentione, nam impetus quidam vehementissimus ita repente animam abripit, ut sustolli se videat nesciens quo feratur. Videtur sibi in alia regione esse ab hac multùm dissimili, in qua alia lux fulget, alius est modus vivendi & intelligendi. Nec solùm anima, sed corpus quoque aliquando sursum fertur, & à terra elevatur. Hoc est autem discrimen, quo inter se distinguuntur raptus & Ecstasis (t), nam hæc suaviùs mentem à sensibus abstrahit, ille fortiùs & cum quadam violentia, ita quod raptus hoc Ecstasi addit, quod vim quodammodo affert animæ, eamque celerrimè ac potentissimè à sensibilibus avellit, & ad invisibilium intellectualem inspectionem & amorem impellit ac sursum tollit.

III. Ecstasim ergò sive raptum pati quis dicitur, cùm extra se ponitur. Hoc autem contingit & secundum vim apprehensivam, & secundùm vim appetitivam, ut docet Princeps Theologorum (u). In facultate, quæ cognitioni deservit, dicitur esse formaliter, quia ex intenta unius meditatione abstrahitur intellectus ab aliis: in potentia appetitiva causaliter, affectûs enim vehementia absorbet animam, nec finit sui juris esse. Celebris est Dionysii sententia (x) *Amor ecstasim facit*: licèt enim ad Deum duabus alis evolet anima, cognitione scilicèt & amore; amor tamen majorem vim & agilitatem ad volandum præbet: cognitio siquidem assimulatio quædam est, ad hoc tantum requisita, ut amorem accendat; amor autem vim habet unitivam transformans amantem in amatum, sicut dicebat Apostolus (y) *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.*

(q) *Serm. 52. in cant.* (r) *Serm. 85. in cant.* (s) *In Castro animæ mans. 6. cap. 4. & vitæ suæ cap. 20. & 21.*

(t) *Thom. 2. 2. q. 175. art. 2.* (u) *1. 2. qu. 28. art. 3.* (x) *De div. nomin. c. 4. §. 13.* (y) *Galat. 2. 20.*

Ideò Platonici perfectam Dei notitiam, quam scientiæ negant, tribuunt amori, quia per cognitionem Deum videmus, per amorem possidemus, & ipsâ possessione cognoscimus, nam ut ait Gregorius Magnus (z), *ipse amor notitia est.* Bernardus quoque, cùm duplicem causam excessus esse statuat (a), lucem nimirum & amorem; partem tamen potissimam amori tribuit, à quo anima introducitur in cellam vinariam, ita ut possit dicere, *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis* (b). *Cùm enim*, inquit, *duo & sint beatæ contemplationis excessus, in intellectu unus, & alter in affectu: unus in lumine, alter in fervore: unus in agnitione, alter in devotione: pius sanè affectus, & pectus amore calens, & sanctæ devotionis infusio, etiam & vehemens spiritus repletus zelo non planè aliunde quàm è cella vinaria reportantur.* Consentit Bernardo Richardus (c), qui tres causas assignans, quibus in mentis alienationem abducimur; duas affectui, unam applicat intellectui. Prima est magnitudo devotionis sive amoris, cùm mens humana tanto cœlestis desiderii igne succenditur, ut amoris intimi flamma ultrà humanum modum crescens animam instar ceræ liquefactam à pristino statu resolvat, & in superna attollat. Secunda est magnitudo admirationis, quâ anima suprà seipsam ducitur, cùm divino lumine irradiata, & in summæ pulchritudinis admiratione suspensa à suo statu excutitur, & in sublimia in modum fulguris coruscantis elevatur. Incipit autem hic excessus ab admiranda primæ veritatis contemplatione, veluti ab aurora, à qua paulatim procedens in diem desinit ferventissimi amoris. Tertia est magnitudo jucunditatis & exultationis, cùm mens hominis internæ suavitatis ubertate potata & inebriata, quid sit, quid fuerit penitùs obliviscitur, & in supermundanum quemdam affectum transformata à seipsa alienatur. His de causis accidere ecstasim docet Richardus, eamque ait in fine libri tribus gradibus progredi (d); „ Ascendit enim aliquando suprà „ sensum corporalem, aliquando etiam suprà imaginationem, aliquando verò suprà rationem. „ Quis autem illam, quæ suprà sensum corporeum, seu illam quæ suprà imaginationem est „ negare audeat, cùm illam etiam, quæ suprà rationem est, Apostolica auctoritas convincat? Scio, *inquit*, hominem sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum ejusmodi usque ad tertium cœlum. „ Ecce quia humanam „ rationem mentis alienatione transierat, quid „ circa se plenius ageretur, penitùs discernere ne„ quibat. Fit itaque ecstasis primo & imperfectiori modo, cùm anima contemplationi intenta totam suam vim ita actibus internis applicat, ut externis sensibus non attendat, quare cessat illorum usus, & ab externis objectis ad suas functiones exercendas non excitantur. Secundò fit, cùm etiam interni sensus in altissima contemplatione absorbentur, & Deo negante concursum suum impediuntur, ne ferantur in objecta, ad quæ naturaliter inclinantur. Tertius & supremus gradus est, cùm pars superior animæ ratio scilicet & voluntas suprà phantasmata & omnia sensibilia elevantur in Deum, modo supernaturali & occulto, quem illi dumtaxat nôrunt, qui experti sunt. In hoc gradu (e) „ est illa pax, in qua anima obdor„ mit, pax quæ mentem ad interiora rapit, pax „ quæ exteriorum omnium memoriam interci„ pit, quæ ingenii acumen exuperat, quæ ratio„ nis lumen reverberat, quæ desiderium cordis „ replet, quæ omnem intellectum absorbet. Si„ mul enim absorbet cogitationem, imaginatio„ nem, rationem, memoriam, intelligentiam, ut „ constat quod Apostolus scribit, quia exuperat „ omnem sensum.

IV. Alio modo Franciscus Salesius considerat ecstasim in divino tractatu de Amore Dei, ubi tres ejus species constituit, intellectûs, voluntatis, & actionis. *Una*, inquit (f), *in intellectu, alia in affectu, tertia in actione: una in splendore, alia in fervore, tertia in opere: una fit per admirationem, alia per devotionem, tertia per operationem.* Prima provenit ex speciali claritate, quâ cœlitùs imbuta mens novam aliquam veritatem percipit antea ignotam, ex cujus notitia miratur, & suprà se elevatur. Secunda oritur ex natura & conditione amoris, qui ecstaticus est; nam Deus, cùm sit immensæ bonitatis & pulchritudinis, trahit voluntatem ad amorem sui: quemadmodum acus tactu magnetis vitam, ut ita dicam, ac sensum adepta huc illuc circumvolvitur, nec quiescit donec ad Polum se convertat: ita anima divini amoris contactu à vinculis carnis soluta & à sensuum commercio libera sursum rapitur ad unionem cum summo bono. Splendor autem & fervor ut plurimùm connexi sunt, unusque ab altero dependet, sed non semper: sicut enim Philosophi plus notitiæ quàm amoris habuerunt, ita sæpè in Christianis plus amoris quàm cognitionis reperitur, imò ecstasis

(z) *Hom. 27. in Evang.* (a) *Ser. 49. in cant.* (b) *Ps. 38.* (c) *Lib. 5. de contempl. cap. 5. & seq.* (d) *Cap. 19.* (e) *Richar. in Ps. 4.* (f) *Lib. 7. cap. 4.*

ecstasis supernaturalis voluntatis potiùs est quàm intellectus, majoremque fervorem habet quàm claritatem. Tertia, quæ duas priores perficit, est ecstasis vitæ & actionum, cùm elevatur anima à terrenis affectionibus, & à vitiis depravatæ naturæ; Deique gratiâ aspirante ad observantiam mandatorum Dei, ad recipiendas supernas inspirationes, & ad actus virtutum perfectè exercendos supra communem hominum conditionem erigitur. Cùm quis ergò humilitatem superbiæ, paupertatem divitiis, honoribus contemptum, voluptatibus continentiam præfert, hic supra se in vita ecstatica versatur, continuoque raptu actionis & vitæ à Deo trahitur, & ultra naturæ vires sustollitur. Raptus iste potior est & securior quàm raptus intellectus & voluntatis, non est subjectus illusionibus, minus splendoris habet, plus sanctitatis. Agit in hoc homo, in illis agitur. Quod verò attinet ad causam efficientem ecstasis, à doctrina S. Thomæ (g) discedendum non est, qui ait, ex triplici causa posse contingere, ex causa corporali seu naturali, virtute dæmonis, & Dei operatione. Naturaliter quædam ecstasis & à sensibus alienatio fit ex morbo, quem *catochen* seu *catalepsin* vocant Medici, de quo Fernelius (h) & Sennertus (i) agunt: nam eo correpti omni sensu & motu destituuntur, ac in eo situ, quo deprehensi fuerint, rigidi & immobiles manent, apertis & immotis oculis, vigilantis figuram retinentes, licèt omnis sensuum functio consopita sit. Exemplum affert Galenus (k) cujusdam sui condiscipuli, qui cùm assiduo disciplinarum studio se fatigaret, hoc morbo correptus est. „ Jacebat, „ *ait*, velut lignum prorsus inflexus atque extensus, videbaturque oculis apertis nos intueri, „ ut ne conniveret quidem; nihil tamen loque„ batur. Is quoque tempore eodem quæ loque„ remur audire se dixit, quamquam non eviden„ ter clarèque: nonnulla item & memoriâ tenens „ referebat, præsentesque omnes sese conspicere „ dixit; sed neque loqui posse, neque membrum „ ullum movere. Alterius casum narrat Fernelius, qui neque audiebat, neque compunctus sentiebat, sed jacebat velut mortuus. Interdum etiam raptus creditur ab inexpertis quod est deliquium: de qua re diffusè tractat & profert exempla S. Theresia (l) in libro fundationum. Alii Lethargum inter morbos ecstasim causantes recensent; sed reverà Lethargo correpti profundo somno merguntur rerum omnium ignari, quod ad ecstasim non spectat. Vera item ecstasis sive à sensibus alienatio fieri potest ex vehementi imaginatione: tunc enim confluunt spiritus animales in cerebrum, & sensuum exteriorum functiones impediunt, manente homine abstracto & sine motu, eosque sibi præsentes fingente, & cum illis miscente colloquia, quibus hæret imaginatio: sicut accidit in somnio, à quo non differt ecstasis ista, nisi quod illud dormienti, hæc vigilanti contingit. Quò verò intensior imaginatio fuerit, eò major spirituum copia cerebrum obsidet, fitque fortior & longior abstractio, præsertim cùm spiritus crassiores sunt & melancholici, qui difficiliùs dissipantur. Platonem legimus Philosophicis speculationibus ita quandoque intentum, ut sensuum usu careret. Socrates, ipso Platone referente (m), integro die immobilis stetit cogitabundus & abstractus. Eumdem excessum contigisse Carneadi scribit Valerius Maximus (n), Plotino Porphyrius (o), Jamblicho Eunapius (p). Nota quoque est Thomæ Aquinatis abstractio, qui regiæ mensæ accumbens conclusum esse adversùs Manichæos exclamavit. Nemo item ignorat, quod narrat Augustinus de Restituto Presbytero Calamensi (q), *qui quando ei placebat, ita se auferebat à sensibus, & jacebat similimus mortuo, ut non solùm vellicantes atque pungentes minimè sentiret; sed aliquando etiam igne ureretur admoto sine ullo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere: hominum tamen voces, si clarius loquerentur, tanquam de longinquo se audivisse postea referebat.* Atqui hoc mirabile est, objectum enim vehementius est ignis admotus, quàm vox prolata. Quòd verò aliquis elevetur ad divina cum abstractione à sensibus, non est homini naturale, ut docet S. Thomas (r). Dæmon autem ecstasim facit ligando sensus, viasque obstruendo, per quas spiritus à cerebro in ipsos sensus exteriores diffunduntur. Tales fuisse ecstases Plotini, & aliorum illius ævi Platonicorum, credidit Augustinus. Ecstases item Montani hæresiarchæ, ejusque mulierculorum nulli dubium esse potest, quin à malis spiritibus orirentur. Non est autem hic omittenda descriptio ecstasis, quam sibi contigisse scribit auctor libri de secretiori Philosophia secundùm Ægyptios, qui perperam tribuitur Aristoteli, *Ego*, inquit (s), *sæpius animo contemplans relicto*

(g) 2. 2. *qu.* 175. *art.* 1. (h) *Fern. lib.* 5. *Patol. c.* 2. (i) *Sennert. Instit. med. lib.* 2. *part.* 3. *sec.* 1. *cap.* 9. (k) *Comment.* 2. *in lib.* 1. *Hip. tex.* 56. (l) *Cap.* 6.

(m) *In Convivio.* (n) *Val. lib.* 8. *c.* 7. (o) *Porph. in vita Plotini.* (p) *Eunap. in Jamblicho.* (q) *De Civ. Dei lib.* 14. *c.* 24. (r) 2. 2. *qu.* 175. *art.* 1. *ad* 1. (s) *L.* 1. *c.* 4.

*relicto corpore visus sum perfrui summo bono cum voluptate incredibili. Quare hæsi quodammodo attonitus, me esse partem quamdam superioris mundi, atque me adeptum vitæ immortalitatem sentiens sub luce maxima, quæ neque oratione exprimi potest, neque auribus percipi, neque cogitatione: defessus intellectus recidit in phantasiam, tuncque illâ luce deficiente factus sum tristior.* Hæc ille vel naturali contemplatione in altum elatus, vel à malignis spiritibus illusus.

V. His ita constitutis de natura ac divisione ecstasis & raptûs, restat nunc pars difficilior & operosior de discernendis naturalibus & dæmoniacis à supernaturalibus & divinis: nam diaboli fraudes innumerabiles sunt, multiformia imaginationis figmenta, viæ quoque Dei investigabiles, nec facilè ab inexpertis, qualis sum ego, comprehendi possunt. Ex quo licet concludere, incertum & fallax de his judicium fore, nisi alienâ utamur experientiâ, sicut ait Richardus (*t*), *Meliùs in hoc nos illorum peritia instruit, quos ad sapientiæ hujus plenitudinem non tam aliena doctrina, quàm propria experientia provexit.* Ex his regulas selectas excerpsi, quibus difficile non erit verum à falso internoscere, si non una tantùm, aut altera, sed plures ad judicandum de veris raptibus adhibeantur.

1. Ecstasis naturalis ex capitis intemperie, vel ex catalepsi, aut ex alia morbosa qualitate proveniens medicorum peritiâ, ex his quæ corpus patitur, sine difficultate deprehenditur. Ex hominis quoque temperamento certum ecstasis judicium fieri potest, nam qui atrâ bile abundant, ita mentem uni objecto applicare solent, ut à reliquis omnibus avocentur. Illi etiam, qui vehementer aliquid cupiunt vel amant, aut gravi aliquo dolore sive tristitiâ afficiuntur, in illud solùm intenti ita sæpè à sensibus abstrahuntur, ut in ecstasim rapti videantur. Vix tamen fieri potest, ut tanta in his alienatio fiat, quin alicujus sensus usus remaneat. Observat etiam Cajetanus (*u*), „ quod pluries contingentia personis patientibus „ ecstasim causantur originaliter ex sua appre„ hensione, quamvis fortè consuetudo mutata in „ naturam, etiam invitas postmodum afficiat. Cu„ jus signum est, quod si diutius ad oppositos „ mentis actus se toto conatu transferunt, ab hu„ jusmodi accidentibus deseruntur. Hæc ille, qui subdit se hoc certâ experientiâ didicisse.

2. Hinc sequitur, magnam cautionem in raptibus incipientium judicandis adhibendam esse: spiritus enim debilis, cùm rerum divinarum meditationi, cui assuetus non erat, studiosiùs incumbit, ita plerumque illarum novitate & suavitate afficitur, ut reliquorum omnium oblitus, extra sensus sustolli censeatur. Sicut ebrietas oriri solet ex vini validioris generositate, & ex capitis infirmitate: ita ecstasis in incipientibus ex nimia divinæ operationis dulcedine, cui ferendæ pares non sunt, nonnunquam contingit. Usu ipso didicimus, nonnullos reperiri adeò firmo capite, ut vinum etiam largiùs sumptum nihil eis nocumenti afferat; quidam verò vel unico hausto inebriantur. Ita in usu spiritualium delitiarum accidit, ut, qui spiritu debiliori sunt, minùs quoque idonei sint ad illarum suavitatem sine aliquo excessu ferendam. Quamquam aliquando tantâ ubertate etiam illis, qui perfectiores sunt, à Deo infundatur, ut vitam corporalem adimere potens sit, nisi illam divina providentia aut minueret, aut subtraheret.

3. Debet vir prudens, qui animas regendas suscepit, cùm quis ecstases patitur, sedulò perpendere, an ejus anima tantæ gratiæ capax sit, an omnem affectum erga creaturas exuerit, ad quem gradum divini amoris pervenerit, quâ puritate niteat, quâ humilitate prædita sit. Deinde observandum, an sicut in mente, ita etiam in moribus ecstasim habeat, an videlicet vitâ vivat supermundanâ, & in Deum elevatâ per omnimodam abnegationem: cujus enim vita donis hujusmodi non consentit, ejus raptus maximo periculo expositi sunt; nec veri raptus censentur, sed diaboli potiùs illusiones. Non dico quod omni imperfectione carere debeat, quia elevatio in Deum neminem eximit à conditione nostræ mortalitatis quotidianis defectibus obnoxiæ; sed hoc solum cavendum, ne sanctitas ex his æstimetur; ex quo etiam fit, ut hæc dona parvi pendenda sint, nisi contingant personis probatæ sanctitatis, qui ex illis proficiant, & in virtutibus solidentur, ita ut evidens sit, quòd à dæmone non decipiantur. Consilium item saluberrimum est tàm incipientibus, quàm provectis illa respuere & quantùm fieri potest impedire exemplo Sanctorum. De Abbate Sisoi legimus (*x*) quòd si aliquando stabat ad orationem, nisi citò deponeret manus suas, rapiebatur mens ejus in superioribus. Si ergò contingebat cum eo aliquem fratrem orare, festinabat citò deponere, ne mens ejus raperetur.

Ro-

(*t*) *Lib. 5. de contempl. c. 19.* (*u*) *1. 2. qu. 17. art. 7.*

(*x*) *Vitæ Patrum lib. 5. libello 12.*

Rogerius Ordinis Minorum, ut Lucas Vadingus narrat (g), Confessario suo verba facienti de creberrimis raptibus B. Ægidii dicebat, menti defæcatæ & in Deum elevatæ facillimum esse in ecstasim rapi. Tum ait, se cognovisse hominem, qui sæpè uno die totis viribus restitit, ne extra se raperetur, tantâque vi indiguisse, ne Deo per ecstasim jungeretur, quantâ alii uti solent, ut ad eum appropinquent. Eidem gratiæ sæpius resistebat S. Theresia, præsertim cùm in præsentia Sororum versabatur; de se enim humiliter sentiunt servi Dei: seque indignos eâ gratiâ reputant, & illis molestissimum est, in conspectu hominum apparere. Par quoque est, ut sapiens director, cùm videt animam ad sublimiorem sanctitatis gradum perveniisse, id nequaquam illi significet; sed eam sinat in simplicitate cordis & statûs sui ignoratione Deum trahentem sequi. Hæc enim est certa tuitio donorum Dei, & custodia humilitatis.

4. Quod ecstasis à malo spiritu, vel ab aliqua causa naturali proveniat, signum est vel saltem suspicio, cùm quis jactat se rapi quandocumque voluerit, nemini enim datur raptus per modum habitus, sed divina gratia ad se animam trahit quando vult & quomodo vult: Cùm pro arbitrio suo cessat ab ecstasi, vel ad certam vocem revocatur ad sensus, quia virtus divina non est verbis alligata, nisi sit vox Superioris ex obedientia vocantis: quod tamen signum non est infallibile, nisi cætera consentiant: Cùm rapta mens multitudine cogitationum, & speciebus creaturarum occupatur, aut distortis phantasmatibus perturbatur, nam in vero raptu in uno Deo defixa mens, & in ipso mirabiliter subsistens omnium oblivisci tur, quæ extra ipsum sunt, ut nec quidem pro amicis orare possit, aut aliquid velle, nisi quod ipse vult. Si quis etiam per plures dies sine cibo & potu in ecstasi permaneat, miraculo adscribi solet, sed non semper hoc evincit ecstasim esse supernaturalem: multas enim multorum historias referunt Medici, qui citra miraculum absque cibo & potu diu incolumes permanserunt. Plures in quæstionibus medico-legalibus congerit Zachias (z). Illorum quoque falsæ sunt ecstases, qui cum gestibus & motibus indecoris rapiuntur, qui in ipso raptu verba proferunt inutilia, confusa, inepta, indiscreta; qui ipsas suas ecstases ostentant, sibique factas revelationes referunt de rebus vanis, inutilibus, & curiosis: qui non student meliores fieri, & se in humilitate custodire. Optimè Cajetanus (a),

„Oportet advertere in hujusmodi alienationibus, „si interveniat aliquid indecens secundùm mo„tus intrinsecos vel extrinsecos, sive sit inde„centia naturæ, sive indecentia moris, quoniam „tunc non est alienatio prophetica, sed infirmi„tatis, vel fictionis, vel illusionis diabolicæ, aut „naturaliter animalis ex nimia meditatione ali„cujus. Idem addit ibidem. Alienatos in ipsa alienatione loquentes, qui postmodum nescientes quid dixerunt, ad ea se referunt, quæ in ecstasi dixerint; itemque eos qui velint nolint quæcumque vident quasi acti ab alio enuntiant, non esse veros Prophetas. *Et hinc patet*, inquit, *quod personæ in ecstasi positæ loquentes in persona Christi vel alterius Sancti quasi actæ ab illo, & non ex proprio sensu, aut seducuntur aut seducunt. Et tamen mundus stultus miratur, stupet, adorat hujusmodi verba, hujusmodi actus, hujusmodi personas.* Non enim advertunt, quod sicut docet Apostolus (b), *spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt*, mente scilicet quietâ loquuntur, neque impetu aguntur velut fanatici; sed possunt tacere cùm volunt, & sermonem in tempus opportunum differre.

5. Ecstasis divina plena est timoris atque formidinis, quia licèt anima propensionem ad Deum maximam habeat, tanquam ad finem & centrum suum, ille tamen modus tendendi ad ipsum sine sensuum ministerio, utpotè alienus à naturali conditione, horrendum illi timorem incutit, qualis homini accideret, qui cùm cœpisset in altissimam turrim per scalæ gradus paulatim ascendere, repentè raptus per aëra in apice turris poneretur. Hęc autem formido summam parit humilitatem, tum propter periculum gravioris lapsûs à loco sublimiori; tum quia anima ad lucem inaccessibilem elevata videt in ea minimos quosque defectus suos, clarèq; cognoscens quantum distet à puritate & perfectione, quæ sibi necessaria est ut tantis Dei donis digna sit, timore & confusione repletur.

6. Cùm homo exterior eodem ferè modo tam in vero, quàm in falso raptu se habeat, ut unum ab altero internoscatur, inquirenda primùm est ejus origo & occasio, tum omnes circumstantiæ & effectus examinandi. An videlicet ex intenta alicujus objecti meditatione, an ex magnitudine amoris processerit. An ecstasi repentinâ absorptus fuerit, an datâ aliquâ occasione, & quæ illa sit: an ex aliqua visione, & in ea quid senserit tam in anima, quàm in corpore. An positus in ecstasi aliquid intelligat, & si

(y) *Anno.* 1287. *nu.* 10. (z) *Lib.* 4. *tit.* 1. *qu.* 7.
(a) 2. 2. *qu.* 173. *art.* 3.
(b) 1 *Cor.* 14. 32.

quæ fuerint aliarum potentiarum operationes. An audierit aliqua verba, & quæ sint illa, & an viderit ea proferentem: an sint admonitiones & consilia, & ad quid tendant: an prænuncient aliquid futurum, & tunc eventus veritatem ostendet: an defectus vel peccata alicujus manifestent, & cui bono: an alicui infamiæ nota inuratur. An ecstasis in locis publicis & ubi major hominum frequentia sæpiùs contingat: an illi conetur resistere, an quærat se abscondere. An meminerit post raptum eorum quæ vidit & dixit: an menti firmiter hæreant etiam post longum tempus: nam si omnium obliviscitur, morbus potius quàm ecstasis censeri debet. An de raptu ejusque veritate dubitet: nam qui verè raptus est, nullatenus dubitare potest, quin in Deo fuerit, & Deus in illo. An remaneat in corpore languor, macies, debilitas, sicut ait Daniel Propheta (c): *Vidi visionem grandem hanc, & non remansit in me fortitudo; sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium*: quia vi mentis in rerum divinarum contemplatione defixa, calore quoque vitali ad mentis functiones contracto, & vehementiâ amoris in partem sensitivam redundante, necesse est obtundi vires vitæ corporali servientes, & frigescere corpus, & pallescere, & infirmari. Hæc item de causa solet raptus modico tempore durare propter violentiam quæ sensibus & corpori infertur. Nec obstat, quod prolixiores raptus quibusdam viris sanctis interdum accidisse legamus: nam vel aliqua intermissio, vel minùs perfecta alienatio erat; præterquam quòd in nonnullis nimia virium imbecillitas deliquium & quamdam à sensibus alienationem operatur, quod ex hoc evidens fit, quia si nimia eorum jejunia impediantur, si deperditæ vires instaurentur, protinus cessant in eis raptus, quo remedio usam fuisse S. Teresiam (d) erga quandam Monialem supra à nobis ostensum est.

7. Nullum autem certius indicium ecstasis veræ ac supernaturalis, quàm si mores ejus qui rapitur cum hoc divino munere consentiant; ut supra diximus, si nimirum mundum contemnit, si ejus pompas & vanitates detestatur, si efficax Deo serviendi propositum habet, si se indignum eâ gratiâ reputat, si majorem in dies progressum facit, si ex intima cum Deo unione crescit in eo humilitas, abnegatio, odium sui, & amor Dei. Oritur etiam ex vera ecstasi anxium mortis desiderium, sicut dicebat Apostolus, (e) *Desiderium habens dissolvi & esse cum Christo*: jubilus quoque & gaudium omnium potentiarum, quæ diem festum agunt Deo tantâ exultatione, ut nec eam exprimere, nec capere, aut ferre queat. *Factus est*, ait Jeremias, (f) *in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci, ferre non sustinens.* „ Raptus etenim & absorptus, verba sunt Dionysii Cartusiani, (g) „ introductus „ & immersus animus in divitias gloriæ, in oceanum deitatis immensæ, præ admiratione incircumscriptibilis majestatis, & entis æterni „ prorsus independentis, nulliusque indigentis, „ cujus nulla est causa, in cujus manu sunt omnia: „ defluit prorsus ac deficit à seipso, transitque „ totus in principem majestatis, in fontem luminis, in deitatis abyssum: conquiescens atque obdormiens in dilecto, & aliud nil adverstens, totum præoccupante ardore amoris. Cùm verò anima, ipsâ nesciente neque cogitante, repentè rapitur ad divina spectacula, tanta vis esse solet cœlestis illustrationis, tanta spiritus & amoris efficacia, ut aliquando ipsum corpus in aëra sustollat: in quo raptu tantam patitur violentiam, ut non possit illi obniti. Illos autem felicissimos vocat Bernardus, (h) qui sic rapiuntur, „ qui in profundissima Dei misericordia, „ quasi quodammodo sepultâ jam arbitrii sui potestate, in divitias gloriæ in spiritu ardoris rapiuntur, nescientes sive in corpore, sive extra „ corpus, hoc solùm scientes, quod rapti sunt.

(c) *Dan.* 10: 8. (d) *In Fundat. c.* 6. (e) *Philip.* 1; 23. (f) *Jer.* 20: 8. (g) *De contemplatis art.* 17. (h) *Ser.* 2. *in Ascens. Domini.*

## CAPUT. XV.

*De visionibus & apparitionibus. Earum notitiam difficillimam esse. Quædam de ipsis notantur. Tria earum genera. Quid sit visio, sive apparitio corporalis: quid item imaginaria.*

1. FAcilè omnes docti indoctique percipiunt, quid visionis & apparitionis nomine intelligendum sit: quomodo verò ipsæ visiones & apparitiones, occultorumque & futurorum revelationes fiant, res ardua est & difficillima explicatu, quæ non solùm sapientes hujus seculi, sed & doctissimos atque sanctissimos Ecclesiæ magistros fatigavit. Augustinus, quem omnibus præferre non dubito, ab Evodio Episcopo de hac quæstione per literas interrogatus eam obscurissimam

rissimam vocat, ejusque solutionem curam atque operam negotiosissimam postulare testatur. *Visiones*, inquit, (a) „ futurorumque prædictiones „ quomodo fiant, ille jam explicare conetur, qui „ novit qua vi efficiantur in unoquoque animo „ tanta cùm cogitat. Videmus enim, planeque „ cernimus, in eo fieri rerum multarum visibi„ lium, & ad cæteros corporis sensus pertinen„ tium, innumerabiles imagines : quæ non inter„ est quàm ordinatè vel turbidè fiant, sed tantùm „ quia fiunt, quod manifestum est, quâ vi & quo„ modo fiant, quisquis potuerit explicare, quæ o„ mnia certè quotidiana sunt atque continua, au„ deat præsumere aliquid ac definire etiam de illi „ rarissimis visis. Ego autem tantò minùs hoc au„ deo, quantò minùs quoque id in nobis, quod vi„ tâ continuâ vigilantes dormientesque experi„ mur, quo pacto fiat explicare sufficio. Tum narrat visionem cujusdam Gennadii, & ait: „ Ego „ autem quamvis, quomodo fiant ista veluti cor„ porea sine corpore, verbis prorsus explicare non „ possim : tamen sicut scio non ea corpore fieri, „ utinam sic scirem quomodo discernerentur, „ quæ videntur aliquando per spiritum, & per „ corpus videri putantur : quovè modo distin„ guantur visa eorum, quos error vel impietas „ plerumque deludit, quando visis piorum atque „ sanctorum similia pleraque narrantur. Et Epistola sequenti ad eumdem illud Zachariæ Prophetæ, (b) expendens, *Et dixit mihi Angelus qui loquebatur in me*, de hac ipsa quæstione sic disserit, (c) „ Neque enim forinsecus voces ad aures „ corporeas Prophetæ venisse credendum est, „ cùm dicit, loquebatur in me, non ad me. „ Utrum voces erant de spiritu factæ, corporalibus „ similes, quales agimus, cùm apud nos taciti mul„ ta memoriter, plerumque etiam cantando, transi„ currimus ; sed tamen editæ ab Angelo sibi sug„ gerente. Et post pauca. „ Et ideò mira sunt, „ quia occultiorem habent rationem, quàm ut vi„ deri vel reddi ab homine homini possit. Nec ullus reperitur tantâ præditus sapientiâ, ut hæc judicare vel discernere valeat, nisi desuper ab eo adjutus fuerit, cujus est mysteria sapientiæ suæ humilibus revelare. „ Huc accedit, ait iterum Augustinus, (d) „ quia sunt visiones, quæ appa„ rent spiritui tanquam corporis sensibus, non so„ lùm dormientibus vel furentibus, sed aliquan„ do sanæ mentis vigilantibus : non per fallaciam „ illudentium dæmonum, sed per aliquam revela„ tionem spiritalem, quæ fit per formas incorpo„ reas corporibus similes : quæ discerni omnino „ non possunt, nisi divino adjutorio plenius reve„ lentur, & mentis intelligentiâ dijudicentur, vix „ aliquando cùm fierent, sed plerumque postea „ cùm transierint. Hæc ad Evodium Augustinus, qui & alibi (e) de hac controversia fusiùs disputans certa ab incertis secernere nos docet, & de re profundissima atque obscurissima sine temeritate disserere.

II. Primo autem loco observandum est, quòd licèt visio & apparitio pro una & eadem re accipi soleant, aliqua tamen inter utramque distinctio reperitur. Nam apparitio dicitur, cùm nostris obtutibus sola species apparentis se ingerit, sed quis appareat ignoramus : cùm verò externæ apparitioni ejus intelligentia conjuncta est, tunc visio appellatur. Secundo loco duo extrema vitanda sunt : unum illorum est, qui sine delectu & examine, quamcunque audiunt vel legunt muliercularum vel insipientium sive impostorum visionem, protinus credunt : & hos perstringit Sapiens dicens, (f) *Qui credit citò, levis est corde*. Alterum è contrario quorumdam est, qui res divinas eâdem mensurâ, quâ humanas, metientes, adeò angustos omnipotenti Deo terminos ponunt, ut id ab eo fieri negent, quod ipsi non capiunt. His nimirum, ut ait Augustinus, (g) *tota regula credendi est consuetudo cernendi* : & si quis asserat, se spiritum vel spectrum vidisse, eum somniasse dicunt, vel tamquam insanum ad Medicos ablegant. Fateor quidem, in approbandis apparitionibus cautè & lentè procedendum esse, cùm multi sint & fuerint pseudoprophetæ, multi qui falsas visiones & revelationes fingunt, sed non ideò ob quasdam falsas damnandæ quæ veræ sunt ; perinde enim esset, ac si quis diceret, nullas esse veras gemmas, quia multæ sunt falsæ ; aut neminem posse inebriari vino, quia non omnes, qui vinum bibunt, inebriantur. Plenæ sunt visionibus & revelationibus uti iusque Testamenti paginæ ; plenæ sunt sacræ & profanæ historiæ, pleni tractatus sanctorum Patrum, quorum testimonium nemo prudens respuere, nemo Orthodoxus negare potest. Cùm sit itaque certum & indubitatum, visiones plurimas & apparitiones & olim contigisse & indies contingere, tum Dei optimi maximi, tum Angelorum & malorum dæmonum, tum spirituum humanorum sive regnantium in cœlis, sive illorum qui æterno igne cruciantur,

(a) *Epist.* 100. (b) *Zach.* 1:9. (c) *Ep.* 101. (d) *Ep.* 102.



(e) *Lib.* 12. *de Gen. ad lit. & de cura pro mortuis.* (f) *Eccl.* 19. 4. (g) *Serm.* 147. *de Tempore.*

aut qui in Purgatorio detinentur ; videndum est tertio loco, quotûplex sit visio sive apparitio. Richardus à S. Victore initio commentariorum in Apocalypsim, (h) „Quatuor, inquit, sunt „visionum modi, ex quibus duo sunt intrò, & „duo foris. Duo sunt corporales, duo spiri„tuales. Visio namque prima corporalis est, „quando oculos ad exteriora & visibilia aperi„mus, & cœlum & terram, figuras & colores re„rum visibilium videmus. Sed hæc visio infima, „& infirma est, quæ quia angusta est, maxima „non comprehendit ; & quia hebes est, minima „non discernit ; & quia pigra est, non attingit „remota ; & quia perspicax non est, non penetrat „occulta. Quæ nihil denique mysticæ significa„tionis continet, sed tantummodò corporei sen„sus motum & actionem habet. Alia quoque vi„sio corporalis est, quando species vel actio sen„sui visus foris ostenditur, & intus magna my„sticæ significationis virtus continetur : qualis „fuit, visio quæ Moysi in rubo quidem extrinse„cus visibiliter apparuit, sed typicâ significatione „plena fuit. Tertius visionis modus non fit oculis „carnis, sed oculis cordis, quando videlicit ani„mus per Spiritum sanctum illuminatus formali„bus rerum visibilium similitudinibus & imagi„nibus præsentatis quasi quibusdam figuris & „signis, ad invisibilium ducitur cognitionem. „Quartus est, cùm spiritus humanus per internam „inspirationem subtiliter ac suaviter tactus, nullis „mediantibus rerum visibilium figuris sive qua„litatibus, spiritualiter erigitur ad cœlestium con„templationem. Prima visio naturalis est, no„bisqus communis cum brutis : secunda sublimior & excellentior, præter speciem quam exhibet sensui, latens sub illa mysterium designat. Tertia fit in imaginatione, quarta in intellectu. Quatuor item genera visionum constituit Seraphicus Doctor Bonaventura. *Quædam visiones*, ait (i) „dici possunt corporales, quæ vi„gilanti corporaliter ostenduntur : ut Moyses „vidit Dominum in rubo ardenti, & Patres sæ„pè Angelos visibiliter susceperunt. Ad hanc „potest referri quorumlibet sensuum experien„tia, ut auditus, gustus, odoratus, & tactus ; „quia visus pro quolibet sensu solet poni. Hinc „in Exodo dicitur, Videbant voces & lampades, & sonitum buccinæ (k) : „voces namque „& sonitum buccinæ non visu, sed auditu per„cipere potuerunt. Aliæ sunt imaginariæ visio„nes, quæ vigilanti non corporaliter, sed imagi„nariè ostenduntur, ut visiones Ezechielis, Da„nielis, & aliorum Sanctorum in novo & veteri „testamento. Aliæ sunt imaginariæ, quæ dor„mientibus ostenduntur, ut Jacob vidit Domi„num innixum scalæ : & Pharao & Nabucho„donosor somnia viderunt præsagia futurorum. „Alia est visio intellectualis, quâ illuminatur „mentis oculus luce veritatis puræ, quâ ipsam „veritatem in se contemplatur : vel intelligit in „visione imaginaria veritatem quæ in illa signifi„catur. Sic Paulus raptus in cœlum audivit in„effabilia verba ipsius veritatis splendorem purè intuitus. Sic Joannes in Apocalypsi, licèt sub figuris rerum materialium futura describat, creditur tamen omnia purè intellexisse, quæ figurarum velamine operta nobis proposuit. Notat autem Bonaventura, quod tres primæ visiones bonis & malis communes sunt : nec videntem sanctum faciunt, aut aliis meliorem, ut patet in Balaam, Pharaone, & aliis impiis : imò plurimis nocuerunt, qui in superbiam elati in propriam & aliorum perniciem illis abusi sunt. Aliis perturbatâ phantasiâ viam paraverunt ad insaniam, ad illusiones & deceptiones, & ad ruinam. Deinde observat, visiones imaginarias, earumq; corporales figuras veras esse secundùm ea, quæ spiritualiter & mysticè significant, non secundùm existentiam : neque enim verum est, quòd revera sint in cœlo boves, leones, aquilæ, & alia hujusmodi, quæ scribit Joannes se vidisse ; sunt tamen virtutes & mysteria, quæ per illas figuras designantur.

III. Multa de his integro libro Augustinus (l), quæ brevi compendio perstringam, nullo doctrinæ dispendio. Visionum tria genera esse ait, corporale, spirituale, & intellectuale, quarum exemplum occurrere docet in hoc præcepto, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Nam corporaliter videntur literæ, quibus scribitur ; spiritaliter, id est, per imaginationem, proximus cogitatur ; intellectualiter dilectio conspicitur. Possunt etiam & literæ absentes spiritaliter cogitari, & proximus præsens corporaliter videri : at verò dilectio nec per se oculis cerni, nec per imaginem spiritu cogitari, sed solo intellectu percipi potest. Porrò quidam inter istas visiones respectus reperitur, corporalis enim ad spiritalem, spiritalis autem ad intellectualem refertur ; quod evidenter apparet in visione manûs scribentis in pariete, quam vidit Balthasar Rex. Imago siquidem rei corporaliter factæ spiritui ejus impressa est, & in cogitatione per-

(h) *Lib. 1. in Apoc. cap 1.* (i) *Proœs. 7. Relig. cap. 18.* (k) *Exod. 20; 18.*

(l) *Lib. 12. de Gen. ad lit.*

permansit, atque in spiritu videbatur, sed nondum intelligebatur, quamvis sciret alicujus rei signum esse. Accessit Daniel, & mente divinitus illustratâ indicavit Regi, quid illo signo portenderetur, ipse potiùs Propheta qui visionem mente intellexit, quàm Rex qui signum corporaliter viderat, ejusque imaginem in spiritu cogitando postea cernebat, nec aliquid poterat intellectu comprehendere, nisi quod signum erat, & ideò quid significaret, inquisivit. Cùm igitur oculis quædam præsentia videamus, quædam absentia imaginatione, facilè illa ab istis discernimus, cum vigilamus: nec dubitamus illa esse corpora, ista imagines corporum. Cùm verò nimiâ cogitationis intentione, vel aliquâ vi morbi, vel spiritus boni aut mali operatione, corporalium rerum imagines ita in spiritu exprimuntur, ac si oculis cernerentur; tunc inter ea quæ visui & quæ imaginationi occurrunt, non discernimus: nam sæpè phreneticos & febricitantes audivimus loqui cum his qui verè aderant, & cum his qui non aderant, ac si præsentes essent. In ecstasi autem, mente prorsus à sensibus alienatâ, nec corpora præsentia videntur, nec ulla vox auditur; sed totus animi contuitus in corporum imaginibus est, quando visio est imaginaria; aut in rebus incorporeis nullâ corporis imagine figuratis, quando visio est intellectualis. Porrò ea, quæ cernuntur in visione imaginaria, si nihil significant, ipsius animæ imaginationes sunt: si verò aliquid significant, id non fit vi aliquâ divinatrice, quæ animæ insit, sed Dei munere, vel Angeli tàm boni, quàm mali operatione. Verùm hoc interest, quòd malus Angelus sæpè mendaciis & præstigiis videntem ludificat, bonus verò spiritum hominis ad videndas rerum imagines nunquam assumit, nisi aliquid verum significent. Et omnes quidem visiones in anima fiunt, sed servant ordinem suum. Præstantior est enim spiritalis quàm corporalis, neque fieri ista potest, nisi illa simul fiat; quandoquidem eodem momento, quo corpus sensu corporis tangitur, aliquid tale fit etiam in anima, quod non est illud, sed illi simile: at hoc non discernitur, nisi cùm fuerit sensus ablatus à corpore, ut id, quod per corpus videbatur, inveniatur in spiritu. Visio autem spiritalis fieri potest sine corporali, cùm corporum absentium similitudines in spiritu apparent, & multæ pro arbitrio finguntur, vel præter arbitrium demonstrantur. Ut verò dijudicetur, indiget intellectuali; quæ cæteris non indiget, & sine illis fieri potest, estque omnibus nobilior & excellentior. Nulla in hac falsitas, nulla deceptio esse potest; reliquæ erroribus & illusionibus subjectæ sunt. Hæc presè & summatim ex Augustino, quem sequitur, ut solet, Angelicus Doctor (*m*). Docet enim, visionem distingui secundum potentias cognoscitivas, quæ sunt sensus, imaginatio, & intellectus. Et loquens de raptu Pauli, per tertium cœlum intelligi ait visionem supermundanam secundùm easdem potentias, ut primum cœlum dicatur visio corporalis, quæ fit per sensum, sicut visa est manus scribentis in pariete: secundum autem cœlum sit visio imaginaria, sicut viderunt Isaias, & Joannes in Apocalypsi: tertium verò cœlum dicatur visio intellectualis.

IV. Ex his arbitror, satis constare, illa videri & apparere, quæ sensum nostrum vel intellectum movent ad sui cognitionem: quod dupliciter fieri manifestum est, naturaliter, per objecta quæ naturali notitiâ percipiuntur: & supernaturaliter, quando ea manifestantur, quorum cognitio vires nostras naturales excedit. Hæc est autem visio sive apparitio, de qua nobis hic sermo est, cujus triplex genus supra constitutum est; una enim corporea, alia imaginaria, tertia intellectualis nuncupatur. Corporeæ nomen tribuitur tam illi quæ visûs, quàm quæ aliorum sensuum ministerio fit. Nomen quippe visionis primò impositum ad actum visûs significandum, ad omnem quoque aliorum sensuum functionem propter ejus certitudinem & dignitatem extensum est. *Ad oculos propriè*, inquit Augustinus (*n*). „ videre pertinet. „ Utimur autem hoc verbo etiam in cæteris sen„ sibus, cùm eos ad cognoscendum intendimus. „ Dicimus enim non solum, vide quid luceat, „ quod soli oculi sentire possunt: sed vide etiam „ quid sonet, vide quid oleat, vide quid sapiat, vide „ quàm durum sit. Fit autem hæc visio sive apparitio per signa externa, aut per imagines sive species aliquas, quibus Deus utitur, illustrans videntis mentem, ut quæ repræsentantur intelligat: sive ipsa species sese oculis offerat: sive fiat aliqua vox, quæ ad aures sonet nullâ apparente loquentis effigie: sive vox audiatur, & eodem tempore species loquentis oculis exhibeatur. Interdum quoque odoris fragrantia, & saporis suavitas omnem odorum ciborumque voluptatem superantes in cœlestibus apparitionibus & in sumptione Eucharistiæ odoratu & gustu ab aliquibus percipiuntur, Deo illos excitante per hæc signa sensibilia ad majorem erga ipsum amo-



(m) 2. 2. *qu.* 174. *art.* 1. & *qu.* 175. *art.* 3. (n) *Lib.* 10. *confes. cap.* 35.

rem, ut ex illorum analogia conjiciant quàm dulcis est Dominus; atque humilitati impensiùs studeant, agnoscentes se in eorum ordine esse, quibus tanquam parvulis ad cibum solidiorem ineptis lac cœlestium consolationum propinatur. Cavendæ tamen in his fraudes & illusiones, quibus hæ sensuum perceptiones obnoxiæ sunt, de qua re quædam supra (o) notavimus, cùm de locutione Dei & Angelorum ageremus, plura dicturi infra cum de his discernendis ex proposito tractabimus.

V. Imaginaria, quam Augustinus spiritalem vocat, fit per species seu figuras & imagines rerum jam in ipsa phantasia existentes, quæ Dei vel Angeli operatione ita disponuntur, ut propositum objectum clarè repræsentent, infusâ luce supernaturali ad intelligendum quid significet. Fit etiam per novas species nusquam antea receptas, sed à Deo vel ab Angelo immissas, quæ potentiæ adeò firmiter inhærent, ut ab his distrahi, & averti pro arbitrio nequeat; & si aliqua persona apparet, ita phantasiam percellit & movet, ut & oculis corporis aspici, & vox ejus auribus percipi videatur. Sic apparuit Deus Danieli, „ Aspiciebam, *inquit*, (p) donec throni „ positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimen„ tum ejus candidum quasi nix, & capilli capitis „ ejus quasi lana munda; thronus ejus flamma „ ignis, rotæ ejus ignis accensus. Fluvius igneus „ rapidusque egredrebatur à facie ejus: millia „ millium ministrabant ei, & decies millies cen„ tena millia assistebant ei. Quæ omnia imaginationi à Deo ostensa constat, ut apparitio humanæ naturæ conditioni congrueret, quæ sensibilibus allicitur & movetur. Profundè & diffusè hanc visionem describit ex propriâ experientia Seraphica virgo Theresia, (q) dicens Dominum sibi manus suas, deindè faciem ostendisse, tùm illi apparuisse eâ formâ, quâ è sepulchro glorioso refulgens pingi solet: qua in re tametsi ejus naturali imbecillitati se accommodaret, magno tamen robore indiguit, ut visionem ferre posset. Tantâ enim pulchritudine corpora gloriosa prædita sunt, & tantam ex omni parte gloriam spirant, ut videntem extra se rapiant, ac veluti dementem reddant. Hinc timor in ea & consternatio oriebatur, ne fortè diabolicâ fraude illuderetur; sed paulò post divina gratia omnem timorem expellebat. *Nam & si*, inquit, *ad multos annos metum ipsa imaginando cogitarem, quomodo rem tam speciosam effingerem, hoc tamen penitùs facere nec possem, nec scirem: longè quippe excedit quicquid cogitatione sive imaginatione effingi potest.* Vel solus Domini splendor, cùm alicui apparet, explicari & concipi nequit. *Neque enim splendor est, qui visum perstringat, sed suavis quidam candor & vulgor infusus, qui oculos visumque maximoperè recreat, non fatigat.* Hunc splendorem prolixè celebrat, asserens tam diversum esse ab eo qui in terra videtur, ut ipsa claritas solis ipsius comparatione obscura videatur. Lumen est, quod noctem & obscuritatem non habet; nec quisquam est adeò præcellenti & acuto ingenio, ut toto vitæ suæ tempore concipere possit quale sit. Deus tamen illud repentè ostendit, ipsumque cernimus in momento, & si necesse foret oculos aperire ad videndum ipsum, ne quidem tempus suppeteret. Nulla est distractio, quæ ipsum impedire sufficiat; nulla potentia, quæ ei resistat; nulla diligentia, quæ ad hoc consequendum par sit. Quomodo verò se in hac visione Dominus spectandum exhibeat, se nescire fatetur: nam una ex parte ipsemet præsens adesse; ex altera non ipse sed ejus imago videbatur. Verum imago hæc talis non erat, quales sunt hominum imagines in tabulis expressæ: quia inter hanc & reliquas imagines tantum erat discrimen, quantum esse solet inter hominem pictum & vivum. Quod si est imago, vera & viva est: & aliquando cum tanta majestate apparet, ut nemo dubitare possit, quin ipse sit. Alibi quoque de hac ipsâ visione agens ait, sibi apparuisse Dominum eâ formâ quâ inter homines visus est, & licèt momentanea instar fulguris hæc visio esset, ita tamen imaginationi ejus imago sculpta manebat, ut inde nullatenus deleri posset. „ Quod autem, „ *inquit*, (r) imaginem vocem, non ita accipien„ dum est, quasi imago quædam sit pro imagina„ tione & arbitrio videntis expressa; sed verè „ viva est, & interdum etiam cum anima loquitur, „ magnaque ei secreta revelat. Cùm verò Domi„ nus hanc animæ gratiam facit, ferè semper „ raptum patitur, eò quòd natura nostra imbe„ cillis eam terribilem visionem ferre nequeat. „ Terribilem dixi, quamvis enim pulcherrima „ sit, & majoris jucunditatis ac delectationis, „ quàm quis, si mille annis viveret & se ju„ giter cogitando defatigaret, imaginari pos„ set, cùm omnem & imaginationis & intel„ lectûs capacitatem transcendat: illius tamen „ præsentia tantæ est majestatis, tantoque horrore animam

(o) *Cap.* 8. & 10. (p) *Dan.* 7: 9. (q) *Vitæ sua cap.* 28. (r) *Cast. animæ man.* 6. c. 9.

„ animam implet, ut statim agnoscat quis ille sit. „ Divina quoque sapientia omnem ab illa ignorantiam discutit, & licèt alii multa in contrarium congerant & objiciant, certa tamen manet quod illa gratia à Deo sit: nec timet in ea aliquam illusionem subesse. Hæc Theresia, cui in omnibus consonat fidelis ejus socius in reformatione Carmeli Venerabilis Joannes à Cruce (ff) „ Sciendum est, *ait ille*, quòd, quemadmodùm quinque exteriores sensus imagines & species objectorum suorum phantasiæ & imaginationi proponunt & repræsentant: ita possunt absque exteriorum sensuum interventu eædem species & imagines multò vivaciùs & perfectiùs supernaturaliter repræsentari, quemadmodùm passim in sacris literis apparet, ut cùm Deus gloriam suam manifestavit inter Seraphicos spiritus, qui alis velabant facies & pedes: & cùm ostendit Jeremiæ virgam vigilantem, & Danieli alias visiones. Et infra docet, animam in his visionibus, earumque intelligentiâ & suavitate admittendis passivè se habere, nec posse eas impedire; sicut vitrum nitidum & bene dispositum solares radios prohibere non valet, quin eorum fulgore & claritate penetretur & illustretur. Docet quoque (t) modum & ordinem, quo Deus hominem disponit à sensibilibus ad intelligibilia, à recto scilicet usu naturali sensuum exteriorum ad supernaturales communicationes, cujusmodi sunt corporales apparitiones, & allocutiones, quibus sensus ad exercitationes secundùm virtutem excitantur, & à pravis objectis alienantur. Post hæc instruitur & perficitur phantasia bonis meditationibus, ex quibus ad visiones imaginarias elevatur, donec à rerum sensibilium simulacris avulsa ad intellectuales perceptiones Deo trahente perveniat. Quod si quidpiam diabolicâ operatione phantasiæ repræsentetur, id nec visio, nec revelatio, sed illusio dici solet.

## CAPUT XVI.

*De visionibus, quæ in somnis occurrunt. Quot sint species, quæ causæ somniorum. Cur plures in somnis, quàm in vigilia apparitiones fiant. Somnia divina quæ sint. Quomodo à dæmoniacis, & naturalibus discernantur.*

1. IN explicandis visionibus imaginariis, quæ homini vigilanti, cùm sui compos est; vel eidem in ecstasi constituto & à sensibus avulso accidere solent, magnorum virorum auctoritate in superiori Capite usi sumus; nunc eadem adhibenda est in iis exponendis, quæ dormientibus somniantibus interdum contingunt. Sunt autem multæ somniorum species, & multiplices causæ, nec par omnium ratio est. Vana multa, & falsa, atque inania esse scimus, quorum observationem sacræ literæ damnant: multa, quæ à naturalibus causis oriuntur: alia quæ dæmonum calliditate, alia quæ divinitùs immittuntur. Præclarè de his Tertullianus (a). „ Vana in totum somnia Epicurus judicavit, liberans à negotiis divinitatem, „ & dissolvens ordinem rerum, & in passivitate „ omnia spargens, ut eventui exposita & fortuita. Confutat autem Epicuri opinionem multa referens insigniora apud ethnicos somnia, quibus futura & occulta revelata sunt. Tum ait. „ Deprimimus à dæmoniis plurimùm incuti somnia & „ si interdum vera, & gratiosa; quantò magis „ vana, & frustratoria, & turbida, ludibriosa & „ immunda. A Deo autem, pollicito scilicet & „ gratiam spiritûs Sancti in omnem carnem, & „ sicut prophetaturos, ita & somniaturos servos „ suos & ancillas suas, ea deputabuntur, quæ ipsi „ gratiæ comparabuntur, si quæ honesta, sancta, „ prophetica, revelatoria, ædificatoria, vocatoria; quorum liberalitas soleat & in profanos „ destillare, imbres etiam & soles suos peræquante Deo justis & injustis. Siquidem & Nabuchodonosor divinitùs somniat, & major pænè „ vis hominum ex visionibus Deum discunt. Sicut ergò dignatio Dei & in ethnicos, ita & tentatio Mali & in Sanctos, ut vel dormientibus „ obrepat quâ potest, si vigilantibus non potest. „ Tertia species erunt somnia, quæ sibimet ipsa „ anima videtur inducere. Hæc & alia multa Tertullianus, cui Gregorius Magnus rem clariùs distinguens adstipulatur. *Sex*, inquit (b) „ modis tangunt animum imagines somniorum. Aliquando namque somnia ventris plenitudine „ vel inanitate, aliquando verò illusione, aliquando cogitatione simul & illusione, aliquando revelatione, aliquando autem cogitatione simul „ & revelatione generantur. Sed duo, quæ primò „ diximus, omnes experimento cognoscimus: „ subjuncta autem quatuor in sacræ Scripturæ paginis invenimus. Somnia etenim nisi plerumque ab occulto hoste per illusionem fierent, nequaquam aut vir sapiens indicaret dicens (c), Multos errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes

(f) *Ascens. montis Carm. lib.* 2. c. 16. (t) *Ibid. c.* 17.

(a) *De anima c.* 46. & 47. (b) *Lib.* 4. *dialog. c.* 4. & *lib.* 8. *mor. c.* 13. (c) *Eccl.* 34. 7.

sperantes in illis: *& Iterum*, (*d*) Non augurabimini, nec observabitis somnia. *Rursùs nisi aliquando ex cogitatione simul & illusione procederent, vir sapiens minimè dixisset*, (*e*) Multas curas sequuntur somnia. „ Et nisi aliquando somnia ex „ mysterio revelationis orirentur, nec Joseph præ„ ferendum se fratribus somnio videret; nec spon„ sum Mariæ, ut ablato puero in Ægyptum fu„ geret, per somnium Angelus admoneret. Rursum „ nisi aliquando ex cogitatione simul & revela„ tione procederent, nequaquam Daniel Propheta „ Nabuchodonosor visionem edisserens à radice „ cogitationis inchoasset dicens: (*f*) Tu rex cœpisti cogitare in stratu tuo quid esset futurum. Easdem ferè somniorum causas & species agnoscunt Scholastici post Angelicum Doctorem (g), sed methodo clariori. Docent enim somniorum causam duplicem esse, internam & externam. Interna item duplex est, una animalis, cùm hominis phantasiæ ea in somnis occurrunt, circa quæ vigilantis cogitatio, & affectio versari consueverunt. Nam qui amant, amores suos somniant, qui timent, turbidis phantasmatibus agitantur. Sic venatoris somnia de campis, canibus, & feris sunt; piscatoris de retibus, fluminibus, lacubus, & piscibus: militis, de armis, sanguine, & cædibus. Altera corporalis dicitur, cùm ex interna corporis dispositione aliquis motus ipsi conveniens in phantasia efficitur: quâ ratione sanguinei hortos, convivia, cantus somniant: phlegmatici imbres, lacus, fluvios, navigationes, submersiones: cholerici rixas, certamina, incendia: melancholici tenebras, spectra, funera, & horribilia visa. Atque huc pertinent, quæ de insomniis eorumque præsagiis principes Medicorum Hipocrates & Galenus scripserunt. Externa quoque duplex est; corporalis & spiritualis. Illa aërem continentem, vel impressionem cœlestis corporis; hæc Deum, vel dæmonem complectitur, à quibus dormientis phantasiam immutari posse nemini dubium est. Nobis autem de sola spirituali causa agendum est, de somniis scilicet à Deo vel à dæmone immissis, quibus illustrandis & declarandis cæterorum notitia præmissa est, ut naturalia à divinis & divina à dæmoniacis discerni queant.

II. Epicurus & alii ipsius sectatores, cùm detestata ab ipsismet ethnicis impietate, Deum negotium nec habere nec exhibere dicerent, nulla etiam somnia ab ipso immitti asserebant. Alii verò, tametsi mundum providentiâ regi fatentur; somnia tamen non à Deo, sed à dæmonibus proficisci crediderunt, ac si Dei majestate indignum foret dormientium lectulos obire, & illis injicere somnia, quæ postmodum expergefacti aut spernerent, aut non intelligerent, aut è memoria elaberentur. Nos autem firmiorem sacrarum literarum auctoritatem habemus asserentium, non solùm vera & certa, sed & mysteriis referta à Deo mortalibus tam probis quam improbis somnia dari: quam veritatem multi etiam inter ethnicos sapientes agnoverunt, quorum testimonia congerere ad rem nostram non spectat. *Terrebis me per somnia*, ait Job (*h*). *& per visiones horrore concuties.* Et iterum (*i*). *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo: tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina.* Legimus item (*k*) quod *consuluit Saul Dominum, & non respondit ei neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.* Sed & ipse Dominus ad Aaron, & ad Mariam sororem ejus dixit (*l*): *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnia loquar ad illum.* Tandem Joël novi Testamenti gratiam prævidens & prædicans, ait (*m*), *prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt.* Nec desunt exempla. Nam Deus per somnium Abimelech Regem Geraræ admonuit, nec tangeret uxorem Abrahæ (*n*). Jacob in somnis mysticam scalam vidit, & Angelos per eam ascendentes & descendentes (*o*). Deus in somniis apparuit Laban præcipiens illi, ne quidquam asperè contra Jacob loqueretur (*p*). Notissima sunt item somnia Joseph, quæ futuræ dominationis præsagia fuerunt, & odii atq; invidiæ fomitem fratribus ministrarunt (*q*). Sunt & illa quæ vidit Pharao septem annorum sterilitatem significantia, quæ Joseph divino imbutus spiritu interpretatus est (*r*). Salomoni per somnium largitus est Deus sapientiam, divitias, & gloriam super omnes (*s*). In libro Danielis somnium legimus Nabuchodonosor, & alterum ipsius Prophetæ per quod quatuor regna designata sunt (*t*). Judas Machabæus vidit in somnis Hieremiam Prophetam, à quo gladium aureum accepit, ut adversarios populi Israel in eo dejiceret (*u*). Josepho Dei genitricis sponso apparuit Angelus in somnis dicens, ne timeret accipere

(d) *Levit.* 39; 26. (e) *Ecc.* 5: 2. (f) *Dan.* 2: 29. (g) 2. 2. *q.* 95. *art.* 6.

(h) *Job.* 7: 14. (i) *Job* 33: 15. (k) 1 *Reg.* 28: 6. (l) *Nu.* 12. (m) *Joel.* 2: 28. (n) *Gen.* 20. (o) *Ib.* 28. (p) *Ib.* 31. (q) *Ib.* 37. (r) *Ib.* 41. (s) 1 *Reg.* 5. (t) *Dan.* 2. & 7. (u) 2 *Macc.* 15.

accipere Mariam conjugem suam: & rursum in somnis monuit eum, ut fugeret Ægyptum cum puero, & ut defuncto Herode in terram Israel reverteretur. Magi quoque admoniti sunt in somnis, ne redirent ad Herodem (x), Nemini ergo dubitare fas est, quin à Deo immittantur somnia, aliquando quidem aperta & per se clara, aliquando obscura & ænigmatibus obvoluta, sed semper vera; quibus humana mens vel ad supernaturalem intelligentiam elevatur, vel de agendis instruitur, vel de his quæ ventura sunt admonetur: sive Deus per se immediatè formas & similitudines rerum imprimat phantasiæ, sive ministerio Angelorum. Habet quoque diabolus prophetas suos & somniatores, quorum ipse phantasiam commovet multaque in ea repræsentat & suggerit, & occulta quandoque revelat, implens animum noxiâ superstitione, & perniciosis illusionibus decipiens. Ratio est ex Angelico Doctore, quia quædam cognoscunt dæmones naturali suâ cognitione, quæ à notitia hominum remota sunt, & hæc possunt revelare. Intellectus siquidem superioris ordinis potest aliqua cognoscere, quæ ab inferiori ignorantur: humano autem intellectu superior est non solùm intellectus Dei, sed etiam Angelorum tam bonorum quàm malorum; ex quo fit ut etiam dæmones occulta interdum manifestent, non illuminando intellectum, sed commovendo phantasiam: non prænunciando quæ ventura sunt, quod Dei proprium est; sed naturales affectus ex certis causis necessariò obventuros, antequam contingan, indicando. Possunt etiam quæ ipsi postea facturi sunt somniantibus manifestare, quo genere somniorum ægrotos olim decipere solebant, qui in templo Æsculapii excubabant, ab eo per somnium indicari remedia expectantes, quibus valetudini restituerentur.

III. Cur verò in somnis plures quàm in vigilia apparitiones & revelationes fiant, diversæ sunt causæ. Solet enim animus in vigilia multis rerum humanarum curis & negotiis, variisque studiis occupari & distrahi, atque à seipso avocari, & turbidis affectibus agitari, quibus impeditur ne videat & discernat quæ recta & justa sunt: ac cùm dormit, ab omnibus curis & interpellationibus liber, sibique præsens & attentus, quicquid internis facultatibus objicitur, facilè percipit, & incorruptè dijudicat. Deinde cùm vigilat, quicquid menti seu phantasiæ occurrit, humanæ ratiocinationis trutinâ expendere ac discutere, & si quid ab ea discrepare videtur, rejicere consuevit: dormiens autem agitur potiùs quàm agat, magisque promptus & idoneus est ad divinas operationes percipiendas, non disquirens credendi causas, sed credens. Accedit noctis silentium, sensuumque exteriorum & rerum omnium, quibus mentis attentio aliò diverti & remitti potest, placida quies: undè fit, ut res objectæ magis animo imprimantur, & tenaciùs hæreant. Et quoniam, si divinitùs immittuntur, vim aliquam significandi semper habent, homo de illis sopitis sensibus efficaciùs instruitur, ablato quoque extrinseco impedimento, quamvis dormiens discernere nequeat, quomodo res ipsas viderit, & intellexerit. Cùm enim vel in somnis vel in ecstasi, *inquit Augustinus* (y), „ corporum exprimuntur „ imagines, non discernuntur omnino à corpori„ bus, nisi cùm homo redditus sensibus corporis „ recognoscit se in illis fuisse imaginibus, quas „ non per sensum corporis hauriebat. Quis enim „ cùm à somno evigilaverit, non continuò sen„ tiat imaginaria fuisse quæ videbat, quamvis, „ cùm ea videret dormiens, à vigilantium corpo„ ralibus visis discernere non valebat? Hæc de somno: at de ecstasi idem narrat, se virum quemdam fidelem, sed rusticanum audivisse, qui vigilare se sciret, & quiddam videre non oculis corporeis. *Anima mea*, dicebat ille, *videbat eum, non oculi mei*, Non tamen sciebat, ait Augustinus, utrum corpus esset, aut imago corporis: non enim erat talis, ut ista discerneret. In somnis autem certum est non corpora videri, sed imagines corporum, quamvis imaginibus corporum nomina tribuantur. Ait enim homo, cùm narrat somnia sua & aliquam in eis revelationem; vidi montem, vidi fluvium, vidi tres homines, ea nomina tribuens illis imaginibus, quarum similes illæ res erant; quia nimirum in somnis ita versamur, ac si vigilantes objecta cerneremus, sensusque externi sua munia obirent. Porrò somnia aliquando clara & manifesta sunt, qualia fuerunt Abimelech, & Laban, & Joseph sponsi B. Virginis, ac trium Magorum: aliquando obscura & perplexa, sicut somnia Pharaonis, Nabuchodonosor, & Danielis. Et ea quidem, quæ à dæmonibus immittuntur, ænigmatica esse & ambigua, mirum non est; nam cùm certam futurorum scientiam non habeant, si quos motus excitant in phantasia, aut si quid occultum revelant, magnâ verborum perplexitate, ac rerum caligine obvolvunt,

(x) *Matth.* 2.

(y) *Lib.* 2. *de Gen. ad lit. c.* 2. & 3.

volvunt, quæ in varios ac contrarios sensus detorqueri possint, ut, si eventus somnio & revelationi non consonat, interpretantis ignorantiæ adscribatur. Quæ verò Deum Auctorem habent, ideò difficilia nonnunquam & obscura sunt, vel quia sic exigit sublimitas rerum, quæ in somnio manifestantur: vel quia eorum explicatio à viris sanctis sive à Deo petenda est: vel quia eorum intelligentiam vult Deus occultam esse, donec veritas rerum eventu agnoscatur. *Non enim quia videntur vera sunt*, ut scitè Tertullianus (z), *sed quia adimplentur. Fides somniorum de effectu, non de conspectu renunciatur.* Sicut & *Prophetia*, ut scribit Chrysostomus (a), *non in tempore quo dicitur, sed in tempore eventûs præbet indicium suæ veritatis.*

IV. Cùm igitur somnia diversas habeant causas intrinsecas & extrinsecas; maxima autem illorum pars ex varia & incomposita spirituum animalium, specierumque sensibilium per cerebri anfractus vagantium agitatione, temerè & fortuitò eveniat; meritò sacræ Literæ nullam eorum rationem habendam esse præcipiunt, ipsorumque observatores & conjectores acriter reprehendunt. Ita in Levitico (b), *Non augurabimini, nec observabitis somnia*: Et in Deuteronomio (c), *Non invenietur in te qui observet somnia.* Sapiens quoque ait (d), *Multas curas sequuntur somnia.* Item (e), *Somnia extollunt imprudentes. Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia. Divinatio erroris, & somnia malefacientium vanitas est. Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum: multos enim errare fecerunt somnia.* Illud quoque observandum, quòd somnia divina, ea præsertim, quæ futura præsagiunt, rarissima sunt, & non nisi ob aliquam insignem causam, quæ ad publicam utilitatem spectet, immitti solent: quorum significationes, cùm à solo Dei consilio & voluntate institutæ sint, ejus dumtaxat revelatione innotescere hominibus possunt. Ut enim docet Apostolus (f). *Quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi spiritus Dei. Ipse revelat profunda & abscondita, & novit in tenebris constituta, & lux cum eo est* (g). Scripsit de somniis multa Gregorius Nyssenus, qui inter cætera ait (h): *Cùm vis imaginandi per somnum omnibus æquè ac sine discrimine à natura sit indita, pauci ex universorum cœtu sunt, quibus diviniora se somniorum visa offerunt.* Ideò facilè non esse somniis credendum Antiochus Monachus ostendit (i), tametsi in speciem ad nos cœlitùs demissa videri possint, *nisi adsit discretio spirituum, certa nec fallax interpres rei visæ.* Cui consonans Scholiastes Climaci, *Magna*, inquit (k), *prudentia adhibenda est in iis, quæ in somno usu veniunt: quin potiùs, quia inconstans est eorum ratio, omninò negligenda est, paucorum enim illorum dijudicatio*: eorum videlicet, qui gratiam discretionis spirituum à Deo acceperunt. Sunt nihilominus & quædam signa sive regulæ ex ipsis somniis desumptæ, quibus vir sapiens & expertus facilè potest conjicere, ex qua causa proveniant, & quomodo vera à falsis, bona à malis discernantur.

1. Naturalium alia sunt temerè & fortuitò occurrentia, & quæ nihil prorsus significant, nec ullam cum futuris connexionem habent: & hæc omninò rejicienda, atque spernenda sunt. Alia statum & constitutionem, sive temperamentum somniantis indicant; & ex his solent Medici morborum causas investigare. Nulla autem sunt, quæ naturaliter futura contingentia præsagiant.

2. Somnia quæ inutilia, superstitiosa, & vana suggerunt: quæ tetra, horribilia, aut obscœna repræsentant, vel ad malum quocunque modo provocant: seu quibus occulta manifestantur ad solam curiositatem vel ad inanem scientiæ ostentationem spectantia: aut futura prædicuntur, quæ postea ex eventu falsa dignoscuntur; à dæmone vel à natura oriri evidens est.

3. Si somnia accidant incomposita, turbulenta, ridicula, monstrosa, & quæ statim evanescunt ac dissipantur, non sunt à Deo: ipse enim omnia facit in numero, pondere, & mensura, nec est aliquid inordinatum vel inutile in operibus ejus. Ipse somnia immittit, ut signa sint alicujus rei, quam vult eo modo manifestari, ac proinde semper aliquid significant.

4. Divinorum indicia sunt res ipsæ, quæ per somnium innotescunt, si ejus generis sint, ut nonnisi à Deo revelari queant, qualia sunt arcana cordium, intimæ cogitationes, abdita fidei mysteria, futura contingentia, quæ pendent à libero arbitrio, & quæcumque hominum cognitionem excedunt: nisi fortè talia fuerint, ut ea diabolus ex conjecturis vel aliunde scire possit. Solet etiam Deus, cùm somnia immittit, miro

(z) *De anima cap.* 57. (a) *Hom.* 29. *in* 1. *ad Cor.* (b) *Levit.* 19: 26. (c) *Deut.* 18: 10. (d) *Eccl.* 5: 2. (e) *Eccl.* 34. (f) 1 *Cor.* 2: 11. (g) *Dan.* 2: 22. (h) *De opif. hom. cap.* 13. (i) *Hom.* 84. (k) *Ad gra.* 15. *nu.* 39.

miro quodam fulgore mentem illustrare, & voluntatem sic afficere, ut illis firmiter hæreat, & certò sciat à Deo esse, nec ullo unquam tempore eorum obliviscatur.

5. Ex modo quo contingunt, cùm multa in eo diversitas sit, certa ipsorum discretio haberi non potest. Nam divina aliquando placidissimè, aliquando cum ingenti corporis & animi commotione atque horrore efficiuntur. Aliquando datum est alicui somnium, sed non ejus intelligentia, sicut Pharaoni & Nabuchodonosor: aliquando utrumque, sicut Prophetis. Alia, ut diximus, clarè & apertè quod Deus vult manifestant: alia obscurè, & per varias similitudines, atque ænigmata. Alia respondent præcedentibus in vigilia cogitationibus, ut somnium Joseph priùs cogitantis dimittere conjugem, postea in somnis admoniti ut acciperet: alia de rebus fiunt ab omni prævia meditatione remotissimis. Tutiora igitur & certiora indicia sunt, quæ ex ipsis rebus in somnio ostensis desumuntur: quibus & illa adjungi debent, quæ supra allata sunt, cùm de spiritibus discernendis actum est.

## CAPUT XVII.

*De somniis propheticis. Prophetiam in lumine divino præcipuè consistere. Tres gradus rerum, quæ à Prophetis cognoscuntur. Prophetiam non esse habitum. Quotupliciter fiat. Quomodo Propheta alios manifestet quæ intellectualiter vidit. Notæ veri & falsi Prophetæ.*

1. CUm satis superque constet, causam effectricem somniorum esse phantasiam, dubitant meritò Sapientes, an ita perficiantur in ipso sensu interiori, ut nunquam se illis intellectus immisceat. Certâ siquidem experientiâ constat, dormientes nonnunquam & somniantes elaboratam orationem texere, versus elegantes pangere, & de rebus altissimis philosophari; quæ omnia non ad solam phantasiam, sed etiam ad rationem pertinere videntur. Nihilominus non desunt Philosophi, qui hæc putant imaginationis vires non excedere, quamvis ut plurimùm ex his cogitationibus oriantur, quæ in vigilia præcesserunt. Quoties enim vigilantis intellectus de aliqua re differit & argumentatur; sensus interior, quem potentiam cogitativam vocant, suam quoque argumentationem subnectit, ac veluti sphæra inferior ad motum superioris trahitur & circumvolvitur: nihilque animus cogitare potest, quin protinùs phantasia quidpiam simile sibi fingat, quod deinde in somnis ex motu spirituum & phantasmatum recurrit & excitatur, ac si res vera ageretur. Sed quicquid sit de somniis naturalibus, quorum disquisitio ad Physicos spectat; certissimum est, in divinis & propheticis, de quibus hîc agitur, utriusque potentiæ superioris operationes conjungi. Non enim consistit prophetia in impressione similitudinum sive specierum objecta repræsentantium, sed in lumine intellectuali, per quod res ipsæ judicantur & discernuntur. Atque hinc fit, ut sine visione intellectuali imaginaria esse non possit, quia hæc perficitur judicio intellectûs, ut docet Angelicus Doctor: (a) & sic una eademque visio imaginaria est quoad receptionem specierum, intellectualis quoad judicium. Interdum etiam contingit, ut quis Propheta dicatur per solam illustrationem, quâ judicat de visis imaginariis alterius, sicut Joseph propheta fuit, qui somnium Pharaonis exposuit: at ipse Pharao non fuit Propheta, quia habuit somnium sine intelligentia, acceptionem sine judicio. Ideo autem necessarium est lumen, quo mens divinitùs illustretur, quia homo somnians rerum similitudinibus attendit, quæ non sunt ipsæ res, & decipi potest referens visionem ad ea, quæ phantasmatibus repræsentantur, non ad rei occultæ & sub illis speciebus revelatæ significationem. Deinde hoc ipso lumine mens elevatur ad percipiendum ea, ad quæ per lumen naturale pertingere non potest. (b) „Sicut enim per lumen naturale intellectus redditur certus de his, quæ illo lumine cognoscit, ut „de primis principiis: ita de his quæ supernaturali lumine apprehendit, certitudinem habet. „Hæc autem certitudo necessaria est ad hoc, „quòd aliis proponi possint ea, quæ divinâ revelatione percipiuntur: non enim cum securitate „aliis proferimus, de quibus certitudinem non „habemus. Cum prædicto autem lumine mentem interiùs illustrante adsunt aliquando in divina revelatione aliqua exteriora, vel interiora „cognitionis auxilia, utpotè aliquis sermo exteriùs sensibiliter auditus, qui divinâ virtute formetur, aut per imaginationem interiùs Deo faciente perceptus, sive etiam aliqua corporaliter „visa exteriùs à Deo formata, vel etiam interiùs



(a) 2. 2. *qu.* 173. *art.* 2. *de Verit. q.* 12. *art.* 12. (b) 3. *contra gentes c.* 154.

„ in imaginatione descripta, ex quibus homo „ per lumen interius menti impressum cognitio„ nem accipit divinorum: undè hujusmodi auxi„ lia sine interiori lumine ad cognitionem divi„ norum non sufficiunt, lumen autem interius „ sufficit sine istis. Magis ergò ad mentem divino lumine perfusam pertinet prophetia, quàm ad imaginationem rerum simulacra percipientem: ac proinde, ut scribit Augustinus (c). „ Quibus „ signa per aliquas rerum corporalium similitudi„ nes demonstrabantur in spiritu, nisi accessisset „ mentis officium, ut etiam intelligerentur, non„ dum erat prophetia: magisque Propheta erat, „ qui interpretabatur quod alius vidisset, quàm „ ipse qui vidisset. Undè apparet, magis ad men„ tem pertinere prophetiam, quàm ad istum spi„ ritum, qui modo quodam proprio vocatus spi„ ritus vis animæ quædam mente inferior, ubi „ corporalium rerum similitudines exprimuntur. „ Itaque magis Joseph Propheta, qui intellexit, „ quid significarent septem spicæ & septem boves, „ quàm Pharao qui eas vidit in somnis. Illius „ enim spiritus informatus est, ut videret, hujus „ mens illuminata, ut intelligeret. In illo erat re„ rum imaginatio, in isto imaginationum inter„ pretatio. Consonat Augustino doctrinæ ejus sectator Gregorius Magnus hanc Beati Job sententiam explicans (d), *Ecce omnia hæc vidit oculus meus, & audivit auris mea, & intellexi singula.* Ait enim (e), *Cùm aliquid ostenditur vel auditur, si intellectus non tribuitur, prophetia minimè est. Vidit namque Pharao per somnium, quæ erant Ægypto ventura, sed quia nequivit intelligere quod vidit, Propheta non fuit. Aspexit Balthasar Rex articulum manûs scribentis in pariete, sed Propheta non fuit; quia intellectum rei, quam viderat, non accepit. Ut igitur beatus Job prophetiæ spiritum se habere testetur, non solùm vidisse se & audivisse, sed etiam intellexisse omnia asserit.* Ob eandem rationem Rupertus Abbas Joannem Apostolum Prophetam dici non potuisse docet, si in suo tantùm spiritu ea quæ narrat vidisset. Tum ait, *Conspectis quippe per visum imaginibus, nisi intellectus accesserit, qui mentis est proprius, revelatio, vel agnitio, vel prophetia, vel doctrina non est.*

II. Constat igitur prophetia rerum occultarum revelatione, quæ naturaliter cognosci non possunt, & lumine interno, quo imbutus Propheta certò discernit & judicat, ipsam revelationem à Deo esse, & si per rerum simulacra fit, perspicuè cognoscit quid ea significent. Quò verò longiùs ab hominum notitia res aliqua distat, eò magis pertinet ad prophetiam: atque ideò eorum, quæ spiritu prophetico cognosci possunt, diversi sunt gradus. Et primò quidem ac magis propriè prophetiæ nomine notitia futurorum contingentium intelligitur: hæc enim à nostra cognitione remotissima sunt, tum propter eorum obscuritatem, tum quia nec in seipsis, nec in suis proximis causis determinata sunt. Secundo loco sunt ea, quæ, licet secundùm se cognoscibilia sint, latent tamen, nostramque notitiam excedunt propter nostram imbecillitatem, quæ propriis viribus eorum excellentiam assequi nequit: atque hujus generis sunt mysteria Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, & Resurrectionis. Tertius gradus rerum illarum est, quæ procul sunt à cognitione quorundam hominum, sed non omnium, quæ cùm divinitùs alicui manifestantur, ad prophetiam spectant: sic cordium cogitationes uni revelantur, non alteri: sic Eliseus absens Regis Syriæ consilia perspexit (f). Idem puero suo Giezi dixit, postquam argentum & vestes à Naaman Syro acceperat, *Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui?* Sic viris sanctis sæpe legimus eo ipso momento, quo quidpiam in remotissimus regionibus factum est, Deo revelante innotuisse. Notat autem Gregorius Papa, universum genus prophetiæ in tria tempora dividi, præteritum, præsens, & futurum. „ Scien„ dum est, *inquit* (g), quod in duobus temporibus „ prophetia etymologiam perdit: quia, cùm ideò „ prophetia dicta sit, quòd futura prædicat, „ quando de præterito vel præsenti loquitur, ra„ tionem sui nominis amittit, quoniam non prodit „ quod venturum est, sed vel ea memorat quæ „ transacta sunt, vel ea quæ sunt. Prophetia de „ futuro est, *Ecce Virgo concipiet, & pariet fi„ lium* (h): de præterito, *In principio creavit Deus „ cœlum & terram* (i); de illo enim tempore di„ xit homo, quo non erat homo: de præsenti, „ cùm dicitur, *occulta cordis ejus manifesta fiunt* „ (k). Qua in re animadvertendum est, quod rectè „ prophetia dicitur, non quia prædicit ventura, „ sed quia prodit occulta. Notat etiam aliquando spiritum prophetiæ Prophetis deesse, nec semper eorum mentibus præstò esse, *quatenus cùm hunc non habent, & hunc agnoscant ex dono habere cùm habent.* Gratia enim prophetiæ, sicut & reliquæ gratis

(c) *De Gen. ad lit. lib.* 12. *cap.* 9. (d) *Job* 13; 1. (e) *Moral. lib.* 11. *c.* 12.

(f) 4 *Reg. c.* 5. & 6. (g) *hom.* 1. *in Ezech.* (h) *Isa.* 7: 14. (i) *Gen.* 1; 1. (k) 1 *Cor.* 14: 25.

gratis datæ, nemini datur per modum habitûs sive formæ permanentis, sed per modum impressionis transeuntis, ita ut Propheta novâ revelatione semper indigeat, quoties aliquid prædicendum aut manifestandum est. Hinc verò sequitur, ut ibidem Gregorius observat, „ quòd aliquando „ Prophetæ sancti dum consuluntur, ex magno „ usu prophetandi quædam ex suo spiritu profe„ runt, & se hæc ex prophetiæ spiritu decere su„ spicantur: sed quia sancti sunt, per sanctum Spi„ ritum citius correcti ab eo quæ vera sunt audi„ unt, & semetipsos, quia falsa dixerint, repre„ hendunt. Probat hoc S. Pontifex exemplo Nathan Prophetæ, nam cùm ei Rex David dixisset, statuisse se templum ædificare, respondit illi veluti ex Dei sententia, ut faceret quicquid in corde suo proposuerat: qui tamen eâdem nocte à Deo monitus denunciavit Regi, templum Domini, non ab ipso, sed ab ejus filio ædificandum. Sic forsitan deceptæ fuerunt quædam mulieres, tametsi sanctæ omnique reverentiâ dignæ, apud quas legimus aliquas revelationes sibi invicem contradicentes, quas credere par est proprio sensu ab illis conscriptas, quem putabant Dei esse: nisi dixerimus, perperam illis adscriptas, ut mavult Baronius (*l*), cùm historiam seu potius fabulam discutit & confutat Trajani ab inferis Gregorii precibus liberati. Illud etiam hoc loco observandum, quòd mens Prophetæ dupliciter à Deo instruitur, vel per expressam revelationem, vel per occultum instinctum (*m*). Est autem inter utrumque modum notabile discrimen: nam cùm Propheta ex divina revelatione loquitur, semper discernere potest, quid per spiritum propheticum, quid per proprium dicat, siquidem certissimè cognoscit, revelationem à Deo esse, etsi per somnium ea sit, agnoscens postea rei veritatem, jam somnii voce non utitur: sicut Jacob expergefactus ait (*n*), *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam:* Et Princeps Apostolorum ab Angelo deductus de carcere, nesciens verum esse quod fiebat, post discessum Angeli in se reversus dixit (*o*), *Nunc scio verè quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis.* Cùm vero ex instinctu loquitur, aliquando fieri potest, ut proprii spiritûs suggestio sit, quam Dei esse arbitratur. Docet item Augustinus (*p*), quòd sæpiùs humanæ mentes hunc instinctum patiuntur, nescientes quid dicant, & prædicentes quæ non intelligunt: sicut Caiphas prophetiæ instinctu, sed verum sensum verborum ignorans, Christum moriturum pro humani generis redemptione prophetavit. Rationem hujus discriminis ex eo deducit S. Thomas, quòd hic instinctus est quiddam imperfectum in genere prophetiæ, undè, si quid per illum manifestatur, propheticam certitudinem & intelligentiam revelationi annexam non habet.

III. Error Montani fuit, Prophetas veluti amentes ac furiosos extra se positos, locutos esse quæ ignorabant, nulloque sermoni præfixo scopo veluti in ventum verba jactasse. Verùm, *ut rectè Basilius Magnus asserit* (*q*), „ id abhorret „ à professione divinæ præsentiæ, ut amentem „ reddat, qui à numine corripitur: cumque ple„ nus divinorum decretorum esse cœperit, tunc „ à propria mente etiam excidat; & qui aliis à „ se præbeat utilitatem, ipse ex propriis sermo„ nibus nihil capiat utilitatis. In summa quid „ consentaneum est, ut quis ex sapientiæ spiritu „ simillimus insano reddatur? Quin potiùs, ne„ que lumen cæcitatem parit, verùm videndi vim „ à natura insitam expergefacit: neque spiritus „ tenebras inducit animis, sed ad contemplatio„ nem rerum intelligibilium mentem à peccati „ maculis puram exigit. Non dissimile veri est „ improbam dæmonum vim naturæ humanæ in„ sidiantem confundere mentem: at si quis dicat, „ spiritûs divini præsentiam hoc idem efficere, „ hic impiè dixerit. Agnoscimus quidem in visionibus imaginariis, ut supra ostensum est, abstractionem à sensibus: sed hæc abstractio sive ecstasis ad naturales sensuum functiones referri debet, non ad mentis insaniam: pars enim præcipua animæ & vis intelligendi ejusmodi alienationis est expers, ut prolixè Epiphanius adversùs Montanum, ejusque insanas mulieres demonstrat (*r*). Tertullianus, tametsi Montani assecla, ecstasim amentiam vocat (*s*), quòd in ea mens extra se, vel supra se elevetur. *Ecstasim dicimus sensus & amentiæ instar. Hoc erit proprietas amentiæ hujus, quia non fit ex corruptela bonæ valetudinis, sed ex ratione naturæ: nec enim exterminat, sed avocat mentem.* Et alibi agens de Christi transfiguratione ait (*t*), *gratiæ ecstasin id est amentiam* passum fuisse Petrum, cùm dixit, Bonum est nos hic esse. *In spiritu enim homo constitutus, præsertim cùm gloriam Dei conspicit, vel cùm per ipsum Deus loquitur, necesse est excidat sensu, obumbratus scilicet virtute divinâ. Interim facile est amentiam Petri probare.*



(l) *Baron. To. 8. an. 604.* (m) *Vasq. in 3. p. to. 2. disp. 117. c. 6.* (n) *Gen. 28: 16.* (o) *Act. 12: 11.* (p) *De Gen. ad lit. l. 2. c. 17. & de Trin. l. 4. c. 17.*

(q) *Proœm. in Isaiam.* (r) *Her. 48.* (s) *De anima c. 45.*

(t) *Adv. Marc. lib. 4. c. 22.*

*Quomodo enim Moyſen & Eliam cognoviſſet, niſi in ſpiritu : non in ſenſu conſtitutus ?* Cùm verò aliquid per ſpecies ſenſibiles oſtenditur, ut rubus Moyſi, & ſcriptura in pariete Danieli : aut cùm mens prophetæ illuſtratur lumine intelligibili, nulla fit à ſenſibus abſtractio ; nec ullo modo eſt neceſſaria, niſi fiat revelatio per impreſſionem novarum ſpecierum in phantaſia, aut per novam phantaſmatum præexiſtentium coördinationem : (u) quia vis imaginaria, cùm quis utitur ſenſibus, his intenta eſt, quæ per ſenſus accipiuntur, nec ad ea transferri poteſt, quæ aliunde immittuntur. Perfectum autem propheticæ viſionis judicium non in ipſa abſtractione fit, quia tunc ligatus eſt ſenſus, qui eſt principium noſtræ cognitionis : ſed cùm homo à ſomno ſive ab ecſtaſi excitatur, quæ priùs viderat ſuperno lumine illuſtratus, intelligit, & diſcernit. Quod ſi viſio purè intellectualis ſit, licèt in parte ſuperiori animæ quoad receptionem & quoad judicium perficiatur ; ut tamen verbis exprimi & aliis communicari poſſit, congruæ imagines formantur in phantaſia, in quas decidit intellectus ab intelligibili puritate, ſicut explicat S. Thomas in quæſtionibus diſputatis, (x) ubi propoſito hoc dubio, *An potentiæ ſenſitivæ remaneant in anima ſeparata*, affert pro parte affirmativa argumentum ex hiſtoriis Sanctorum, in quibus legimus mortuos nonnunquam ad vitam revocatos, qui quædam imaginabilia ſe vidiſſe narrabant, domos, campos, flumina : cui objectioni reſpondens ait, (y) eorum, quæ anima ſeparata apprehendit abſque phantaſmatibus, remanere in ea cognitionem, cùm iterum corpori conjungitur, cum converſione ad phantaſmata ; & ideò quæ intelligibiliter vidit, imaginabiliter narrat. Simili modo Paulus Apoſtolus, poſtquam ceſſavit videre Deum in tertio cœlo, ad quod mirabiliter raptus fuit ; memor fuit eorum, quæ in illâ viſione cognoverat, per aliquas ſpecies in intellectu ſuo remanentes, quæ erant quaſi quædam reliquiæ præteritæ viſionis : ex quibus per applicationem ad particulares intentiones vel formas in memoria vel in imaginatione conſervatas, poterat poſtmodùm eorum, quæ priùs viderat, recordari, etiam ſecundùm actum memoriæ, quæ eſt potentia ſenſitiva. Lumen enim divinum abſque imaginibus in intellectu ſuſceptum vim habet ſplendorem ſuum derivandi in phantaſiam, ibique imagines formandi, quibus anima poſſit, quæ ſpiritualiter intellexerat, ſenſibiliter percipere. Notat autem Angelicus doctor (z) viſionem, quâ res videntur per converſionem ad phantaſmata à lumine intellectuali excitata, aliam eſſe & diverſam ab illa, quâ res videntur in Deo. An verò detur vel dari poſſit in hac vita mortali pura viſio intellectualis abſque interventu phantaſmatum, magna & prolixa quæſtio eſt multis difficultatibus obvoluta, quarum ſolutio ad hunc locum non ſpectat. Negant utplurimùm Scholaſtici, affirmant Myſtici : illi tamen fateri debent nullam eſſe rationem, quæ perſuadeat, id non poſſe aliquando ex ſpeciali divinæ gratiæ largitate concedi : & ipſi Myſtici rariſſimum eſſe hoc donum aiunt, viris dumtaxat ſanctiſſimis & perfectiſſimis conceſſum.

IV. Ex his palàm fit, arduam rem eſſe, & viris etiam doctiſſimis valde difficilem, viſiones imaginarias ab intellectualibus diſtinguere. Id enim ex rebus, quæ ſub revelationem cadunt, definiri non poteſt ; nam de rebus omninò à materia ſejunctis imaginaria quandoque apparitio eſt, & de materialibus intellectualis : neque ex phantaſmatibus, quia etiam in intellectuali interveniunt aliquando phantaſmata. Ea eſt enim potentiarum animæ ſubordinatio & connexio, ut una alterius operationi deſerviat, ſenſus externus interno, hic intellectui. Ipſæ quoque perceptiones ſupernaturales in intellectu immediatè à Deo impreſſæ vix ita poſſunt in eo perſiſtere, quin ad inferiores potentias deriventur, quatenus ex veritate abſque phantaſmatum velamine perſpecta ſimulacra formentur, quibus utatur, ut alios inſtruere quis poſſit, & quæ vidit enarrare. Modus autem, quo hæc fiunt, inexpertis ignotus eſt. *Quæ viderunt* Prophetæ, ait Chriſoſtomus, (a) *quonam pacto viderint, non eſt noſtræ facultatis exprimere : modum enim viſionis hujuſmodi nemini poſſibile eſt edifſerere, præterquam ei & ſoli, qui doctrice experientiâ perſpicuè didicit.* Quò ergo res iſta clariùs eluceſcat ; audiendus Bernardus eſt, qui & cœleſti ſapientiâ imbutus, & propriâ eruditus experientiâ abdita divinarum perceptionum myſteria mellifluo ſermone ſic explanat. (b) „ Divina „ ſunt, & niſi expertis prorſus incognita quæ „ effamur, quomodo videlicet in hoc mortali „ corpore, fide adhuc habente ſtatum, & nec- „ dum propalatâ perſpicui ſubſtantiâ luminis, „ jam tamen puræ interdum contemplatio veri- „ tatis partes ſuas agere intra nos vel ex parte „ præſumit,

(u) *S. Thom. de Ver. qu. 12. art. 9. & 12.* (x) *qu. unic. de Anima art. 19. ad 18.* (y) *De Verit. qu. 13. art. 3. ad 4.*

(z) *1. p. qu. 12. art. 9. ad 2.* (a) *In cap. 1. Iſaiæ.* (b) *Ser. 41. in Cantic.*

„præsumit, ita ut liceat usurpare etiam alicui „nostrum, cui hoc datum desuper fuerit, illud „Apostoli. *Nunc cognosco ex parte. Item, ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus.* „Cùm autem divinius aliquid raptim & veluti „in velocitate coruscì luminis interluxerit menti „spiritu excedenti, sive ad temperamentum ni„mii splendoris, sive ad doctrinæ usum: continuò, „nescio undè, adsunt imaginatoriæ quædam re„rum inferiorum similitudines infusis divinitùs „sensis convenienter accommodatæ, quibus „quodammodo adumbratus purissimus ille ac „splendidissimus veritatis radius, & ipsi animæ „tolerabilior fiat, & quibus communicare illum „voluerit, capabilior. Existimo tamen, ipsas for„mari in nobis sanctorum suggestionibus Ange„lorum, sicut è contrario contrarias & malas in„geri immissiones per Angelos malos dubium „non est. Et fortassis hinc illud est speculum at„que ænigma, ut dixi, per quod videbat Aposto„lus ex istiusmodi puris pulchrisque imaginatio„nibus Angelorum quasi manibus fabricatum: „quatenus & Dei esse, quod purum & absque „omni phantasia corporearum imaginum cer„nitur, sentiamus: & elegantem quamlibet „similitudinem, quâ id dignè vestitum appa„ruerit, ministerio deputemus angelico. Hæc Bernardus explicans illud Canticorum, *Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*: per aurum intelligens fulgorem divinitatis, cui Angeli superni aurifices inserunt & figurant veritatis quædam signacula, spirituales nimirum similitudines, quarum interventu purissima divinæ sapientiæ sensa animæ conspectibus important, ut saltem videat per speculum & in ænigmate, quod nondum potest facie ad faciem intueri. *Neque aliter*, ut ait Dionysius, (c) „lucere nobis potest divinæ veritatis radius, „nisi sacrorum varietate operimentorum ana„gogicè obvelatus, nobis quoque paternâ „providentiâ connaturaliter ac propriè accom„modatus. Nam & rerum divinarum sublimitas intellectus nostri capacitatem excedit, & nobis connaturale est à sensibilibus ad intelligibilia ascendere, & si quæ nobis divinitùs per species infusas manifestantur, ea tamen quoad usum ab imaginibus pendent, vel à notitia intellectuali resultantibus, vel Angelorum ministerio efformatis, sic exigente naturæ nostræ conditione, quamdiu in hoc exilio peregrinatur.

(c) *Cæl. hierar. c. 1.*

V. His ita delibatis, servata à nobis methodus requirit, ut aliquot regulas sive indicia tradamus, quibus lumen divinum à naturali, verique Prophetæ & veræ prophetiæ à falsis discernantur.

1. Et prima quidem ac præcipua veri Prophetæ nota veritas est; verus enim censeri debet, qui vera prædicit: falsus, qui mendax est. Tradidit hanc regulam in Scripturis suis Spiritus sanctus, ubi postquam edixit, falsos Prophetas interficiendos esse, qui arrogantiâ depravati ausi fuerint in nomine ipsius loqui, quæ ipse non præcepisset, ait (d): *Quod si tacitâ cogitatione responderis, Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum, quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit; hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, & idcircò non timebis eum.* Huic tamen regulæ duo sunt, quæ obstare videntur. Nam primò multa futura à pseudoprophetis prædici scimus, quæ postea eveniunt. Deinde ex Scripturis constat, non omnia, quæ à veris Prophetis prænunciata sunt, adimpleta fuisse. Sed facilis est ad hæc objecta responsio, ad primum enim dicimus multa esse occulta, & à quorundam hominum cognitione remota, quæ naturalem dæmonum notitiam non excedunt, & hæc possunt Prophetis suis indicare, ut ex illorum revelatione nomen sibi concilient & incautos decipiant; futura autem contingentia, & quæ nullo modo ab hominibus cognosci possunt, non nisi Deo revelante prædicuntur, ut supra ostensum est. Altera objectio duplici distinctione tollitur. Prædictio enim vel absoluta est, vel comminatoria: illa semper adimpletur, hæc annexam in se & latentem conditionem habet, nisi peccatores futuri supplicii comminatione perterriti egerint pœnitentiam. *Repentè loquar*, dicit Dominus (e), *adversùs gentem & adversùs regnum, ut eradicem & destruam & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum adversùs eam; agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitavi, ut facerem ei & subitò loquar de gente & de regno, ut ædificem & plantem illud.* Exemplum hujus comminationis habemus in Jonæ prædicatione, quâ Niniven subvertendam esse post quadraginta dies prædixit, & nihilominùs statuto tempore elapso non est subversa; quia videlicet pœnitentiam egerunt viri Ninivitæ, & Dominus pepercit eis, donec pœnitentiæ impe-

(d) *Deut. 18: 20.* (e) *Jer. 18: 7.*

impedimentum iram ejus compescuit; sed eo postea remoto prophetia Jonæ exitum suum sortita est, & civitas eversa, sicut Tobias, morti proximus filio suo indicavit dicens (f). *Propè erit interitus Ninive, non enim excidit verbum Domini.* Deinde ex doctrina & distinctione Angelici Doctoris (g) futura contingentia duplici modo cognosci possunt: vel sicut sunt in seipsis, quatenus scilicet conspiciuntur ut præsentia & realiter existentia: vel ut sunt in suis causis creatis & contingentibus. Primo modo cognita eveniunt semper & infallibiliter, sicut prædicuntur. Altero modo non semper eveniunt, nec tamen prædictiones sunt falsæ, quia sic non aliud significant, quàm ordinem & dispositionem causarum talem esse, ut effectus prænunciati omnino futuri sint, nisi causæ divinitùs impediantur. Ita Regem Ezechiam moriturum prædixit Isaias Propheta (h), nec tamen eo morbo mortuus est: nam morbus quidem lethalis erat, sed Dei misericordiâ ab imminenti morte ereptus fuit, & immoto manente divino consilio Rex mortem evasit, quam illi jubente Deo Propheta annunciaverat, *Cùm ergò exteriùs*, ut appositè Gregorius ait (i) „ mutari videtur sententia, interiùs consilium non mutatur: quia de „ unaquaque re immutabiliter intus constituitur, „ quicquid foris mutabiliter agitur.

2. Veritas Prophetiæ in re ipsa à Deo revelata consistit, non in ejus intelligentia: semper enim verum est, quod summa & incommutabilis veritas loquitur, quamvis ab homine non intelligatur: neque repugnat, quod revelatio sit vera & à Deo, ejus autem explicatio falsa & ab homine, qui eam aliter, quàm Deus intelligat, interpretetur. Celeberrimum hujus rei exemplum extat in vita S. Bernardi (k). Indixerat vir sanctus bellum sacrum, toto orbe Occidentali ad arma concurrente, ut Orientalis Ecclesia à Barbarorum captivitate liberaretur. Prædicationem verò non temerè, non proprio spiritu aggressus est; sed jubente & cogente summo Pontifice, Deo autem coöperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Sed quantis & quàm multiplicibus signis? Quanta vel numerare, nedum narrare difficile foret. Tot tamen miraculis confirmata expeditio exitum habuit infelicem: nam tanta hominum multitudo, quæ certam sibi victoriam pollicebatur, dissipata est, & vincentibus infidelibus justo Dei judicio Christiani milites interierunt. Hinc autem constat, aliud hominum, aliud Dei consilium fuisse: nam Deo imperante & beneplacitum suum miraculis indicante exercitus congregatus est; sed homines, qui terrena sapiunt, gloriam, divitias, & regni Hierosolymitani recuperationem sibi præfixerant; Deus verò æternam eorum salutem, qui in illa expeditione pro fide & pro Ecclesia perempti sunt. Affixit vehementer Bernardum hic casus, ut ipse ad Eugenium Pontificem scribit (l), & quem priùs magno honore prosequebantur, jam omnes damnabant ut pseudoprophetam atque impostorem. Deus verò servum suum consolatus est, nam Joannes Casemarii Venerabilis Abbas sic ad eum scripsit (m). „ Dictum est mihi, quod de hac re, de „ via Hierosolymæ loquor, quæ non ita prosperè, „ ut forsitan volebatis, contigit, multùm tristamini; eò quòd Ecclesia Dei vel gloria, non „ sicut desiderabatis, accrevit, *& post pauca.* Videtur mihi, quòd omnipotens Deus de hac via „ multum fructum fecit, non tamen eo ordine, „ quo ipsi viatores arbitrabantur. Siquidem si „ hoc, quod cœperant, sicut decet Christianos, „ justè ac religiosè prosequi vellent, Dominus „ cum eis esset, ac magnum fructum super eos „ perfecisset. Sed quoniam ipsi ad mala sunt de„ voluti, & hoc nequaquam Dominum à prin„ cipio latere potuit, ut sua providentia in sui „ dispositione non falleretur, malitiam eorum „ in suam convertit clementiam, & immisit eis „ persecutiones & afflictiones, quibus purgati ad „ regnum pervenire possent. Sed ne in dubium „ veniat quod dico, quasi patri meo spirituali in „ confessione aperio, quod patroni loci nostri „ beatus Joannes & Paulus sæpiùs nos visitare „ dignati sunt, quos ego super hac re interrogari „ feci, & hujusmodi sententiam responderunt. „ Dicebantque multitudinem Angelorum, qui „ ceciderant, de illis, qui ibi mortui sunt, esse re„ stauratam. Hæc ille consolatus Bernardum, quia res prosperè evenit, non secundùm hominum desiderium, sed secundùm Dei propositum. Ideò prudentissimè monuit Theodidacta virgo Theresia (n), ne quis aliquid inconsulto Confessario, qui pius, doctus & circumspectus sit, aggrediatur, quamvis certò sciat revelationem seu locutionem à Deo esse; fieri enim potest, ut revelatio vera sit & divina, sed vera ejus significatio, reique eventus lateat, sicut accidit in prænarrata

(f) *Tob.* 14:6. (g) 2. 2. *qu.* 171. *art.* 6. *ad.* 2. *& de Ver. q.* 2. *art.* 12. (h) *Isai.* 38. (i) *Lib.* 16. *mor. cap.* 17. (k) *Lib.* 3. *cap.* 4.

(l) *Lib.* 2. *de Consid.* (m) *Inter op. Bernard. ep.* 333. (n) *Cast. animæ mans.* 6. *cap.* 5.

narrata expeditione. Huc etiam referendæ, ut diximus supra (o), quorundam Sanctorum prophetiæ & revelationes de futura Ecclesiæ reformatione, quæ hactenus nullum effectum sortitæ sunt, vel quia malitia hominum illis objicem posuit, piorumque conatibus collapsam disciplinam reparare cupientium obstitit: vel quia tempus à Deo statutum nondum advenit, nam mille anni ante oculos ejus tanquam dies hesterna quæ præteriit: & Joannes in Apocalypsi ea prædicturus, quæ nondum impleta sunt, *tempus prope esse*, & ea narraturum se asserit, *quæ oportet fieri citò* (p), tum Christi adventum ad judicandum mundum commemorans, ac si ipsum jam venientem conspiceret, ait: *Ecce venit cum nubibus*, quia nimirum, quotquot elapsa sunt secula à diebus Joannis usque ad præsens, & quæ deinceps usque ad extremum judicii diem elabentur, quasi brevissimum momentum sunt respectu æternitatis.

3. Veri Prophetæ id tantùm enunciant, quod Deus ipsis revelare dignatur, nec aliâ ratione prædictiones suas stabilire & confirmare solent, quàm quia *os Domini locutum est*; falsi hoc donum sibi temerè arrogant, atque omnibus petentibus semper respondent, ac si spiritus propheticus semper ad nutum illis adesset, cùm tamen hæc gratia, sicut & cæteræ gratis datæ, nemini unquam per modum habitus, nisi soli Christo, concessa sit. Quod *si aliquando veri prophetæ*, ut observat Gregorius (q), *aliquid per suum spiritum dicunt*, sicut Nathan dixerat David, ut templum construeret, *hoc ab auditorum mentibus per Spiritum Sanctum eruditis citiùs corrigunt. Prophetæ autem falsi, & falsa denuntiant, & alieni à sancto Spiritu in sua falsitate perdurant.*

4. Propheta falsus esse convincitur, qui, cùm aliquid prædixerit, quod evenerit, falsam posteà doctrinam prædicat, populumque avertit à cultu Dei & à via virtutis: signa enim doctrinam subsequi debent, non præcedere, sicut Christus ejusque Discipuli nos docuerunt, qui prædicationem suam subsequentibus miraculis & prænotionibus confirmarunt. Tradidit hanc regulam Dominus in Deuteronomio his verbis (r). *Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & evenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis: non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris; quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timete: Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur.* Signis igitur & prædictionibus attendendum non est, quando is, qui signa facit & futura prædicit, contraria pietati docet. Nam & Apostolus etiam Angelo de cœlo aliter evangelizanti, quàm accepimus, anathema imprecatus est (s). Et Vincentius Lirinensis ex allata Deuteronomii sententia elegantissimè ostendit, nemini credendum esse, quantâvis doctrinâ aut sanctitate polleat, si quid proferat divinis Scripturis aut Apostolicis traditionibus contrarium: idque probat multorum exemplis, ac postremò Tertulliani, „ qui con„ tra Moysi præceptum exsurgentes in Ecclesia „ novellas Montani furias, & insana illa insa„ narum mulierum novitii dogmatis somnia, ve„ras prophetias adseverando, meruit ut de se „ quoque & scripturis suis diceretur, *Si sur„rexerit in medio tui propheta*, Et mox, *Non „ audies verba prophetæ illius.*

5. *Proprium est falsi prophetæ*, inquit Chrysostomus (t), *emotæ esse mentis, vim pati ac necessitatem, pelli, trahi, raptari tanquam furentem. Verus autem propheta non sic, sed cum mente sobria, & cum modestia ac temperante constitutione, & sciens quæ loquitur, dicit omnia.* Et infra. *Dæmonis proprium est tumultum & furorem, & multam procreare caliginem: Dei autem est illuminare, & quæ oportet docere cum intelligentia.* Ideò autem falsi prophetæ mente commotâ loquuntur, quia dæmonis impetum, à quo impelluntur, ferre non possunt: At qui à Deo aguntur, placidè, humiliter, & modestè proferunt, quæ ab illo acceperunt, docet enim eos omnium artifex sapientia (u), in qua est *spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens.*

6. Examinandus est finis prophetiæ, qui est publica utilitas Ecclesiæ, & privata fidelium ædificatio. *Nam qui prophetat*, inquit Apostolus (x), *hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem.* Isaias quoq; ait (y), *Hæc dicit Dominus redemptor tuus sanctus Israel. Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in*

(o) *Cap.* 8. §. 3. (p) *Apoc.* 1. (q) *Hom.* 1. *in Ezech.* (r) *Deut.* 13: 1.

(s) *Gal.* 1: 8. (t) *Hom.* 29. *in* 1. *ad Cor.* (u) *Sap.* 7: 22. (x) 1 *Cor.* 14: 3. (y) *Isa.* 48: 17.

*te in via quâ ambulas.* Si quis igitur inutilia prædicit, si vanitates & insanias falsas, si curiosa & inania, quæ nec ædificant, nec instruunt ad salutem; nec peccatores ad pœnitentiam excitant, aut justos ad incrementa virtutum; hic falsus propheta est. Docet autem S. Thomas (z) nullo unquam tempore defuisse Prophetas, non quidem ad novam doctrinam fidei depromendam, sed ad humanorum actuum directionem: quod enim attinet ad fidem jam promulgato Euangelio, publicæ revelationes necessariæ non sunt. An verò privatæ, quæ servis & amicis Dei nonnunquam fiunt, ad objectum fidei pertineant, adeò ut fide divinâ credendæ sint, sine auctoritate Ecclesiæ eas approbantis & proponentis, Scholastici certant, & adhuc sub judice lis est. Agemus de hac controversia (a), cùm de revelationibus sermo erit. Quærunt etiam nonnulli, an si quis spiritum prophetiæ habens alicui revelet suam damnationem, illi credere teneatur; sed certissimum est, nullatenus illi credendum esse, repugnat enim statui viatoris hujusmodi revelatio, quâ positâ nec beatitudinem sperare posset, nec media ad eam consequendam adhibere teneretur. Si quæ tamen contingat, non tanquam absoluta & immutabilis prædictio accipienda erit, sed ut comminatio futuri supplicii iis infligendi, qui neglectâ emendatione & pœnitentiâ in peccatis suis moriuntur.

7. Christus redemptor noster, cùm discipulos suos monuisset, cavendum esse à falsis prophetis, hoc ad eos dignoscendos indicium tradidit (b), *A fructibus eorum cognoscetis eos*: ut enim ex fructibus arbor, sic ex moribus & ex doctrina propheta verus à falso discernitur. Non quod bonitas morum, sicut asserit S. Thomas (c), ad prophetiam necessaria sit, si interiorem ejus radicem respiciamus, quæ est gratia gratum faciens: tum quia datur ad utilitatem Ecclesiæ, sicut & aliæ gratiæ gratis datæ; charitas verò ut uniat animam Deo, hæc autem duo separari possunt: tum quia pertinet ad intellectum, cujus actus præcedit actum voluntatis, qui perficitur à charitate. Sed quia requiritur ad prophetandum maxima mentis elevatio ad spiritualium contemplationem, hæc autem à pravitate vitæ impeditur; ideò hoc donum à Deo ut plurimum hominibus sanctis tribuitur, & ex eo desumi solet certissimum sanctitatis argumentum: *quoniam (d) in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*: sed *in animas sanctas se transfert, amicos Dei & prophetas constituit.* Quorum igitur vita pravis moribus contaminata est, eorum prædictiones spernendæ sunt. Hi sunt enim qui falsis vaticiniis plebem seducunt, & mendacibus revelationibus incautos decipiunt, de quibus ait Jeremias (e), *Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent. Hi sunt*, inquit Chrysostomus (f), „qui quod „execrantur admittunt, quod prohibent faciunt, „apud quos innocentia culpatur, culpa pro in„nocentia ducitur; apud quos peccare justum „est & justitiam exercere nefandum: ubi cer„tant facta cum dictis, dimicat doctrina cum fa„ctis. A fructibus eorum cognoscetis eos. Plura de his infra (g), cùm de discernendis revelationibus sermo erit.

(z) 2. 2. *qu.* 174. *art.* 6. *ad* 3. (a) *Cap.* 20. §. 1. (b) *Matth.* 7; 15. (c) 2. 2. *qu.* 172. *art.* 2. (d) *Sap.* 1: 4. *Sap.* 7: 27.

## CAPUT XVIII.

*De visione intellectuali. Quid sit, & quomodo fiat. Sanctorum testimoniis elucidatur. Cur inexplicabilis dicatur. Qui sint ejus effectus, quod objectum. Immunis est ab illusionibus. Triplex modus divinæ visionis.*

1. DE visione corporali & imaginaria satis, ut arbitror, dictum est. Restat nunc intellectualis, de qua nonnullæ difficultates jam supra (a) expeditæ sunt; ostendi enim, eam cæteris difficiliorem & excellentiorem esse, & non nisi à Deo effici posse: tum Capite proximo explicavi, quàm difficile sit, eam ab imaginaria discernere, quibusve modis hominibus manifestari verbis & signis sensibilibus queant, quæ intellectualiter visa sunt. Nunc breviter exequar quid sit, & quo modo fiat. Est igitur visio intellectualis clarissima rerum divinarum manifestatio, quæ in solo intellectu absque figuris & imaginibus perficitur. Fit autem duplici modo, vel cùm mens humana spiritûs Sancti gratiâ illuminatur, ut ea intelligat, quæ corporali sive imaginariâ apparitione sensibilibus signis repræsentata sunt: vel quando immediatè per species intellectui à Deo infusas divina mysteria percipiuntur. Porrò clarè & distinctè hujusmodi species intellectui imprimuntur, nullo ejus actu inter-

(e) *Thren.* 2; 14. (f) *Hom.* 12. *in varia Matthæi loca.* (g) *Cap.* 20. (a) *Cap.* 8. & 15.

interveniente, nisi quod in se recipit divinas operationes: quas si recipiat quasi videns, visionem vocamus; si veluti audiens, locutionem dicimus, de qua supra (b) egi, si aliquid discens vel intelligens, revelationem nuncupamus, quâ vel aliqua veritas occulta, vel arcana mysteria deteguntur. Differit de his prolixè Venerabilis Pater Joannes à Cruce in Ascensu montis Carmeli (c). Porrò hæc visio fieri dicitur in apice mentis, videlicet in intellectu, non quatenus ratiocinatur, sed sicut simplici intuitu res sibi objectas videt & contemplatur. Hujus generis fuerunt Moysis & Pauli visiones, quando illi ostendit Dominus gloriam suam & omne bonum (d): hic verò raptus in tertium cœlum audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui (e). Et alii quidem in ecstasim rapti secreta Dei videre meruerunt: aliis verò vigilantibus, cunctisque sensibus liberè utentibus divina revelatio contigit, sicut Nathan vigilans proculdubiò David regem de peccatis redarguit, vixque ille protulerat salutiferum illud *Peccavi*, cùm statim in sermone Domini dixit illi, (f) *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris*: tum eidem indicavit, filium, quem pepererat uxor Uriæ, moriturum: hæc autem non aliter scire potuit, quàm ex ore Domini loquentis intùs menti ipsius ineffabiliter, ut ait Augustinus, (g) non spectabili formâ non voce sensibili ad aures vel ad imaginationem personante, sed prorsùs intellectuali locutione, quâ *Veritas incommutabilis per seipsam ineffabiliter loquitur rationalis creaturæ mentibus.* Bene autem hæc locutio ineffabiliter fieri dicitur, quia mens humana verba Dei intellectualiter percipiens supra communem hominum conditionem ad Angelorum consortium elevatur. *Quando enim*, teste Augustino, *nos aliquid talis locutionis interioribus auribus capimus, Angelis propinquamus.*

II. Hujus Angelicæ felicitatis consors fieri optabat Bernardus (h), ut puram cum illis conversationem haberet, cum quibus est puritatis similitudo. „ Rerum etenim cupiditatibus, *ait ille*, vi„ vendo non teneri, humanæ virtutis est: corpo„ rum verò similitudinibus speculando non in„ volvi, Angelicæ puritatis est: utrumque tamen „ divini muneris est, utrumque excedere, utrum„ que teipsum transcendere est. Beatus qui dice„ re potest, Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine. „ Transiliisti carnis oblectamenta, ut mi„ nimè jam obedias concupiscentiis ejus, nec te„ nearis illecebris: profecisti, superasti te, sed „ nondum elongasti, nisi & irruentia undiq; phan„ tasmata corporearum similitudinum transvola„ re mentis puritate prævaleas. Huic autem visioni purè intellectuali nulla potest diabolica illusio intercedere, sive rerum in intellectu repræsentatio per species à Deo infusas consideretur, sive judicium de rebus eisdem, quòd fit per lumen desursum veniens à Patre luminum: nam cum hæc duo à sensu & imaginatione non pendeant, nulla est creatura, quæ possit se illis immiscere. Quando autem hæc visio ab imaginatione incipit, vel in eam desinit, modo supra explicato, nulli dubium est, quin possit Angelus bonus ad eam coöperari, & malus similiter excitatis phantasmatibus animæ illudere. Sed quia difficile est, visionem purè intellectualem ab ea discernere, quæ cum admixtione phantasmatum fit; magnam in omnibus cautelam & diligens examen in hujusmodi perceptionibus adhibere oportet, ne quis forte incautus & inexpertus subtilissimis vafertimi hostis fraudibus circumveniatur. Modus item, quo hæc visio fit, difficilis explicatu est, ac ferè imperceptibilis, non solùm his qui sensuum judicium in omnibus sequuntur, de quibus scriptum est, (i) *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*; sed illis etiam, qui mentis acumine sensuum operationes transcendunt. A me igitur sedente in tenebris & in umbra mortis, divinarumque perceptionum inexperto nemo visionum intellectualium explicationem expectet; quandoquidem ipsimet viri sancti illis assueti, cùm hæc divina charismata, aut præcepto Superioris aut charitate urgente, manifestare nituntur, vix verba inveniunt, quibus latentia animi sensa ad aliorum notitiam proferre queant. Ut verò unâ eâdemque operâ & dicto meo fidem conciliem, & modus, quo visio intellectualis fit, quantum fieri potest, intelligatur; operæ pretium erit, quosdam ex illis audire, qui visiones ac revelationes divinitùs acceperunt.

III. Occurrit primo loco maximus Ecclesiæ Doctor Augustinus (k) qui colloquium habitum cum matre sua ex hac vita paulò post exitura enarrans, visionem intellectualem ejusque modum ita describit. „ Si cui fileat tumultus carnis, „ fileant phantasiæ terræ & aquarum & aëris. Si„ leant & poli, & ipsa sibi anima fileat, & transeat „ se

(b) *Cap.* 8. (c) *Lib.* 2. *cap.* 23. *& seqq.* (d) *Exod.* 33. (e) 2 *Cor.* 12. (f) 2 *Reg.* 12. (g) *De Civ. Dei lib.* 16. *c.* 6. (h) *Ser.* 52. *in Cant.*

(i) 1 *Cor.* 2: 14. (k) *Lib.* 9. *Conf. c.* 10.

„se, non se cogitando. Sileant somnia & imaginariæ revelationes, omnis lingua & omne signum, & quicquid transeundo fit, si cui fileat „omnino? Quoniam si quis audiat, dicunt hæc „omnia, Non ipsa nos fecimus, sed fecit nos qui „manet in æternum. His dictis, si jam taceant, „quoniam erexerunt aurem in eum qui fecit ea; „& loquatur ipse solus, non per ea, sed per se„ipsum, ut audiamus verbum ejus, non per lin„guam carnis, neque per vocem Angeli, nec per „sonitum nubis, nec per ænigma similitudinis: „sed ipsum quem in his amamus, ipsum sine his „audiamus: sicut nunc extendimus nos, & rapi„dâ cogitatione attingimus æternam sapientiam „super omnia manentem, si continuetur hoc, & „subtrahantur aliæ visiones longè imparis gene„ris, & hæc una rapiat & absorbeat & recondat „in interiora gaudia spectatorem suum: ut talis „sit sempiterna vita; quale fuit hoc momentum „intelligentiæ, cui suspiravimus: nonne hoc est, „Intra in gaudium Domini tui? Hæc Augustinus, ex cujus incomparabili sapientia discimus, tunc animam elevari ad divinam locutionem in apice mentis percipiendam, cùm silent omnes creaturæ, cùm cessant omnes imaginationis operationes, & ipse Deus immediatè nullo adhibito Angelorum ministerio se animæ videndum exhibet, eamque alloquitur, tantam ei communicans lucis & gaudii plenitudinem, ut hoc sublime donum non dubitaverit æternæ felicitati comparare. Sequitur Augustinum doctrinæ ejus sectator Aëlredus Abbas Rievallis, qui de visione intellectuali sic loquitur (*l*). *Intellectualem illam dicimus visionem, quâ mens omne corpus, omnesque corporeas imagines ac similitudines transcendens in ipsa luce veritatis requiescit, in qua vera & verè sunt omnia præterita, præsentia, & futura: nec aliter futura quàm præterita.* Tum refert exemplum cujusdam sanctæ Virginis ad hujusmodi sublimem visionem raptæ, *quæ cùm omnem mundi amorem, ac carnales omnes affectus, curamque corporis omnem, & exteriorum solicitudinem à suo pectore exclusisset, cœpit quodam mentis æstu & fastidire terrena; & desiderare cœlestia. Accidit autem aliquando, ut cum amore solito orationi incumberet, mira quædam suavitas supervéniens omnes animi motus, omnes cogitationum excursus, omnes insuper spirituales, quos circa amicos habebat, extinxerit affectus: moxque anima ejus quasi oneribus, quæ in mundo sunt valedicens, rapitur supra se, & ab ineffabili quadam & incomprehensibili luce excepta, nihil aliud videbat nisi quod est, & quod omnium esse est. Neque lux illa corporea fuit, aut aliqua corporis similitudo: nec dissendebatur, nec diffundebatur; ita ut ubique videretur; nec ipsa tenebatur, & tenebat omnia; & hoc miro & ineffabili modo, sicut esse tenet quicquid est, & veritas quicquid verum est. Hac igitur luce perfusa ipsum Christum, quem priùs noverat secundùm carnem, cœpit jam secundùm carnem non nosse: quia spiritus ante faciem ejus Christus Iesus in ipsam eam induxerat veritatem.* Tandem concludit sermonem sanctus Abbas asserendo, quòd quicquid aliis visionibus cernitur, ambiguum est, aut fide magis quàm scientiâ roboratur: quod autem in ipsa cernitur veritate, & luminosum & certum est.

(l) *Serm. 2. de oneribus.*

IV. Aliam similem visionem de se narrat S. Theresia in vita sua (*m*), quàm brevi compendio referam. Die quodam festo glorioso Apostoli Petri, cùm essem, ait illa, in oratione, videbam seu potiùs animadvertebam, oculis enim corporis vel animæ nihil penitus videbam, sed Christus propè me esse videbatur, & sentiebam ipsum esse, qui mihi loquebatur: verùm quia non erat visio imaginaria, non percipiebam quâ formâ esset, hoc tantùm sentiens quod lateri meo adstaret, & testis esset quarumcunque mearum actionum. Hujus autem visionis ignara eam protinus Confessario indicavi, qui petit à me quâ formâ ipsum viderem. Dixi me illum non videre: tum ille rursum rogavit, undè scirem esse Christum, respondi me nescire, verumtamen certò scire, quod prope me esset, idque clarè ex eo cognoscebam, quòd in oratione quietis diutius cum singulari & insolita animi tranquillitate morarer, & uberiores ex ea fructus perciperem. Conabar variis similitudinibus ipsam visionem explicare, sed nullam ad hoc idoneam & sufficientem inveni; nec verba occurrebant, quibus eam perspectam facere possem. Si enim dico, me nec corporeis nec interioribus oculis Christum conspicere, quomodo scio, mihique persuadeo eum apud me esse, idque clariùs & evidentiùs, quàm si ipsum oculis intuerer? Certè per quamdam notitiam, quæ sole clarior est, Dominus animæ præsentem se exhibet, nec tamen assero, solem hîc aut ullam claritatem videri; sed est lux quædam, quæ sine ulla lucis visione intellectum illuminat, ut anima tanto bono perfruatur. Perinde hoc fit, ac si aliquis cibus in stomacho sit, quem homo non comederit, nec quomodo illuc venerit sciat; noverit tamen ibi esse, tametsi nesciat qualis sit, & quis eum

(m) *Cap. 27.*

eum stomacho ingesserit. Hæc autem visio ita spiritualis est, ut nulla in potentiis aut sensibus concitatio sit, ex qua aliquid ad rem suam pertinens possit dæmon elicere. Sic differit de hac visione Theresia (n), ac eadem ferè repetit in Castro animæ, illud ubique inculcans, non posse animam verbis exponere illud quod videt, imò nec intelligere aut comprehendere, quomodo id cognoscat, licèt certissima sit se ipsum cognoscere. Consonat Theresiæ B. Angela de Fulgineo, cujus verba religiosi scriptoris simplici stylo hîc referam (o). „ Quodam tempore eram „ in oratione, & respiciens vidi Deum mihi lo„ quentem. Si autem quæras quid vidi, dico „ quod vidi ipsum, & aliud nescio dicere, nisi „ quod videbam unam plenitudinem, unam cla„ ritatem, de qua sentiebam in me tantum imple„ mentum, quod ego nec scio dicere, nec scio „ dare aliquam omnino similitudinem, nec vidi „ aliquid corporale, sed erat sicut est in cælo, „ videlicet pulchritudo tanta, quòd nescio ali„ quid aliud dicere, nisi quòd vidi summam „ pulchritudinem continentem omne bonum: „ & omnes sancti stabant ante illam pulcher„ rimam majestatem ad laudandum eam: vide„ tur autem mihi, quod in isto parum steti. *Et infra* (p). „ Videbam unam rem stabilem, ita „ indicibilem mihi, quòd de ea nihil possum di„ cere, nisi quòd erat omne bonum, & anima „ mea erat in lætitia omnino inenarrabili, & „ nescio si eram in corpore, vel extra corpus. Alia Sanctorum testimonia afferre possem, asserentium modum hujus visionis nullis verbis, nullâ creatâ similitudine explicabilem esse; sed supra dicta sufficiunt, omnes enim iisdem ferè verbis id contestantur.

V. Omnes etiam in hoc conveniunt, quod hæc visio ab illusionibus immunis est. Potest quidem dæmon aliquid effingere, quod visioni intellectuali simile sit, idque animæ inexpertæ & minùs cautæ obtrudere: verùm ficta ab hoste visio multum à vera differt, & ab effectibus facilè dignoscitur. Veræ siquidem effectus sunt gaudium, pax, & tranquillitas animæ, puritas & illuminatio mentis, augmentum fidei & charitatis, humilitas, & elevatio spiritûs in Deum. Falsa verò superbiam, sui æstimationem, animi perturbationem, atque ariditatem producit. Illa diu permanet, & nunquam ferè à memoria excidit; hæc citò definit, & sicut fumus evanescit. Nullum autem certius indicium veræ visionis, quàm humilitas: cùm enim Deo comparati nihil simus, quò magis ad illum accedimus, eò clariùs cognoscimus nos nihil esse. Optimè Gregorius Magnus (q): „ Sapientia *in„ creata* habet essentiam, habet vitam; sed hoc „ quod habet ipsa est. Proinde incommutabili„ ter vivit, quia non ex accidenti, sed essentia„ liter vivit. Solo igitur cum Patre & sancto Spi„ ritu veraciter est, cujus essentiæ comparatum „ esse nostrum non esse est. Huic si conjungimur, „ sumus, vivimus, sapimus: huic si compa„ ramur, nec sapimus, nec vivimus omnino, „ nec sumus. Hinc est, quòd Sancti omnes, quan„ do in Dei visione proficiunt, quantò magis „ Divinitatis interna conspiciunt, tantò magis se „ nihil esse cognoscunt. Porrò visione intellectuali tam res corporeæ quàm incorporeæ videri possunt. Et primò quidem Deus & singulæ personæ Sanctissimæ Trinitatis: deinde Christus, B. Virgo, Angeli, & Sancti: tum multæ veritates, de quibus anima instruitur, sive ad fidem spectent, sive ad mores: res denique omnes materiales, licet absentes, quæ sunt in cœlo, & in terra: nulla siquidem repugnantia est, quin possit objectum absens veluti præsens intellectui repræsentari per speciem aliquam & lumen supernaturale. Fit autem hæc visio sive notitia intellectualis duplici modo, uno obscuro & quasi confuso, ut, si quis Christum vel Angelum lateri suo adesse vel intûs in corde cognoscat; tantâ & imò majori certitudine, quàm si ipsum corporali oculo conspiceret, nullâ ejus figurâ vel imagine efformatâ: altero claro & distincto, quo Deus aliquando videtur dilucidè quidem & manifestè, non tamen intuitivè, & sicuti in se est. Media est hæc visio inter obscuram, quæ habetur in via per fidem, & claram in patria per lumen gloriæ, recedens à prioris obscuritate, sed ad posterioris claritatem non perveniens. Ex hac autem visione concipit anima maximam erga Deum venerationem, & ardentissimum amorem, ac desiderium serviendi illi in sanctitate & justitia omnibus diebus vitæ suæ.

VI. Quod si hæc visio secundùm præcipuum ejus objectum, quatenus scilicet fertur in Deum, consideretur, tres ejus modi à Theologis mysticis constituuntur. Primum vocant visionem Dei in caligine, de quo agit Dionysius initio mysticæ Theologiæ dicens (r). „ Trinitas super„ essentialis, divinitate ac bonitate præstantior,



(n) *Mans. 6. cap. 8.* (o) *Vitæ ejus apud Bollandum 4. Jan. c. 3. n. 58.* (p) *Ib. n. 66.*

(q) *Lib. 18. mor. cap. 27.* (r) *Cap. 1.*

„ Christianorum Theosophiæ dux, dirige nos ad „ mysticorum oraculorum superincognitum & „ supersplendidum altissimumque fastigium, in „ quo simplicia & absoluta, ac immutabilia Theo„ logiæ mysteria abstrusa sunt in caligine super„ fulgida silentii arcana dicentis, quæ in obscuri„ tate maximè tenebrosa plusquam clarissimè su„ perlucet, & in omnimoda impalpabilitate, & „ invisibilitate superpulchris splendoribus mentes „ oculis carentes superadimplet. Et paucis inter„ jectis illos ingredi divinam caliginem docet, qui cuncta pura atque impura, & omnem sanctorum fastigiorum ascensum supergrediuntur, & omnia divina lumina & sonos & sermones cælestes transcendunt, & in ipsa caligine absorbentur, ubi verè est, sicut ait Scriptura, qui est super omnia. Tum affert exemplum Moysis, (f) qui expiatus & ab omni populo segregatus, postquàm sonitum tubarum audivit, viditque lumina multos radios jacientia, ab iis quæ videntur & vident expeditus, verè in caliginem ignorationis ingressus est, & omni scientificâ apprehensione exclusâ eo ipso, quod nihil cognovit, ipsi Deo omni ex parte ignoto unitus, præstantiori modo ipsum agnovit. Quid sit autem divina caligo, idem clariùs alibi explicat his verbis. (t) *Divina caligo lux est inaccessibilis, in qua Deus habitare dicitur, quæ nec cerni potest propter eximiam & superè inentem claritatem, & inaccessibilis est propter exuperantem divini luminis effusionem. Ad hanc pertingit quisquis Deum nosse ac videre meruit; nam eo ipso quod neque videt, neque cognoscit, arctiùs illi jungitur, qui omnem visionem & cognitionem transcendit, sciens ipsum super omnia esse, quæ in sensum & intelligentiam cadunt, dicens cum Propheta:* (u) Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est & non potero ad eam. Tunc itaque mens Deum videt in caligine, cùm omnes creaturas atque omnes similitudines transcendens in Deum fertur tanquam ignotum & in intelligibilem, idque magis conspicit quod non est, quàm quod est: detegens in ea obscuritate immensam perfectionem, quæ omnem sapientiam, potentiam, bonitatem, pulchritudinem, & quicquid aliud concipi potest, in infinitum excedit. In qua visione posita anima, non propriâ industriâ, sed simplici quâdam & improvisâ inspectione à Deo immissâ, præ admiratione & amore à se ipsa deficiens, ejus quem non videndo videt immensitate quasi pelago absorbetur. Dicitur autem videre & non videre, quia, ut ait Richardus, (x) *Sic* illi Deus *præsentiam suam exhibet, ut faciem suam minimè ostendat. Dulcorem suum infundit, sed decorem suum non ostendit. Infundit suavitatem, sed non ostendit claritatem. Suavitas ejus sentitur, sed species non cernitur. Adhuc nubes & caligo in circuitu ejus: adhuc thronus ejus in columna nubis. Et si videt quasi in nocte, videt velut sub nube, videt per speculum in ænigmate.* Videt denique ignotum omnem de eo conceptum, omnemque cognitionem transiliens, *quia nimirum*, teste Gregorio Magno, (y) *cùm mens in contemplationis sublimitate suspenditur, quicquid perfectè perspicere valet, Deus non est. Tunc ergo verum est, quod de Deo cognoscimus, cùm plenè nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus.* Idem quoque alio loco sic loquitur, (z) *Revelatio conditoris, dum videtur & non comprehenditur, lux est inaccessibilis. Quicquid enim de omnipotenti Deo humana mens potest cogitare, Deus non est: sed dum cogitando cuncta transcendit; dum quicquid potest intimæ lucis, quicquid internæ suavitatis & dulcedinis, quicquid spiritualis delectationis sibi fingere, minus illa esse creditur. Ad quandam lucem tamen pervenit, quæ non est Deus, sed quam inhabitat Deus. Et quia tunc anima mirabiliter inflammatur, mirabiliter reficitur, ineffabiliter delectatione fruitur, cogitare compellitur, quàm ineffabilis lux, dulcedo, & delectatio sit, quæ ipse sit; si tam immensa lux est illa quam inhabitat, & non est ipse.*

VII. Secundus modus divinæ visionis est, cùm expulsis tenebris, quas posuit Deus latibulum suum, & disjectâ caligine, ac dissipatis nubibus Deus ipse videtur, non quidem in sua claritate & in splendore meridiei, sed veluti in aurora, cùm lux dubia & modica est: videtur inquam notitiâ quâdam inexplicabili & clariori quàm si oculo corporis lumen materiale videretur. Anima siquidem ad hanc visionem speciali Dei gratiâ elevata videt unico intuitu essentiæ divinæ unitatem, & personarum Trinitatem: quomodo Pater generat Verbum, quomodo ab utroque procedit Spiritus Sanctus. Videt & intelligit ipsum Deum, sicut ait Augustinus, (a) „ sine qualitate „ bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia „ creatorem, sine situ præsentem, sine habitu o„ mnia continentem, sine loco ubique totum, sine „ tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione muta-

(f) *Exod.* 19. (t) *Ep.* 5. *ad Dioroth.* (u) *Psalm.* 138.

(x) *Degrad. charit. violen.* (y) *Lib.* 5. *mor. c.* 26. (z) *Lib.* 4. *in* 1. *Regum.* (a) *Lib.* 5. *de Trinitate, cap.* 1.

„ mutabilia facientem, nihilque patientem. Videt omnes creaturas ab ipso emanantes & dependentes : videt modum quo divinæ personæ animam inhabitant, sicut scriptum est (*b*), *Ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus* : & quia intimè in hoc statu adhæret Deo, & suavitatem æternæ felicitatis prægustans, torrente voluptatis ejus inebriatur ; ideò Theresia (*c*), quæ propriâ experientiâ hujus visionis celsitudinem & jucunditatem didicit, postquam eam sapientissimè explicavit, spirituale quoddam conjugium inter Deum & animam eâ mediante contrahi docet, sicut ait Apostolus (*d*), *Qui adhæret Deo unus spiritus est.* Nam si anima *perfectè diligit, nupsit* ; ut ait Bernardus (*e*). *Verè spiritualis sanctique connubii contractus est iste. Parùm dixi contractus, complexus est. Ergo quam videris animam relictis omnibus Verbo votis omnibus adhærere, Verbo vivere, Verbo se regere, de Verbo concipere quod pariat verbo : quæ possit dicere*, mihi vivere Christus, & mori lucrum ; *puta conjugem, Verboque maritatam.* Sed in his immorari non est hujus loci. Tertius denique & supremus gradus divinæ visionis ille est, quo divina majestas non jam per speculum & in ænigmate, sed clarè & intuitivè videtur sicuti est. Licèt enim hæc visio non ad hoc ærumnosum exilium, sed ad futuram patriam pertineat, Deo ipso testante, (*f*), *non videbit me homo & vivet* : quibusdam nihilominùs sanctissimis & perfectissimis viris adhuc in carne degentibus hanc felicitatem singulari Dei munere contigisse, ut clarâ Dei visione veluti per transitum & in momento lumine gloriæ illustrati fruerentur, non ignobilium Theologorum, ut supra indicavimus, sententia est. Asserunt multi de Moyse, cui dixit Deus petenti & desideranti faciem ejus videre, *Ego ostendam tibi omne bonum* (g). Asserit de Paulo Angelicus Doctor (*h*) & de Benedicto Monachorum Patre Bernardus, qui de illa visione sermonem habens, quâ Deus videtur facie ad faciem, & creaturæ videntur in Creatore, ait (*i*) : *Ad quam excellentiam, licèt ad modicum, rapta fuisse videtur anima illa beata*, sancti scilicet Benedicti, *quæ collectum sub uno solis radio mundum universum conspexit : de quo miraculo beatus Papa Gregorius in libro Dialogorum scribens*, Videnti, *inquit* (*k*), Creatorem angusta est omnis creatura. Hæc Bernardus Gregorii Magni testimonio suffultus. Scio Scholasticos hac de re in varias sententias abire, sed ab eorum concertationibus hîc abstinendum est.

(b) *Ioa.* 14 : 23. (c) *Cast. animæ. mans.* 7. *c.* 1. & 2. (d) 1 *Cor.* 6 : 17. (e) *In Cant. ser.* 83. & 85. (f) *Exod.* 33. (g) *Ibid.* (h) 2. 2. *qu.* 175. *ar.* 3. (i) *Serm.* 9. *de diversis.* (k) *Lib.* 2. *c.* 35.

## Caput. XIX.

*Iterum de apparitionibus. Quid in his servandum, quid vitandum sit. Apparentium diversa genera. Deus, Angeli, & Sancti quomodo appareant. Divinæ apparitiones quibus notis ab angelicis discernantur. Variæ Christi apparitiones. Imaginariæ & corporalis distinctio. Dæmonum spectra, eorumque signa. Humanorum spirituum visiones. De cultu & adoratione apparentium.*

I. Apparitiones dicimus spirituum manifestationes, cùm præter naturæ ordinem humanis rebus intersunt, seque sensibus nostris insinuantes suam nobis præsentiam certis argumentis exhibent & ostendunt. Apparitionem verò aliquo modo à visione differre supra (*a*) indicavimus, nam cùm sola apparentis species manifestatur, sed quis appareat ignoramus, apparitio propriè dicitur : at cùm apparitioni ejusdem notitia juncta est, tunc visio nuncupatur. Ipsi tamen hoc discrimen alios secuti negleximus. Omnes autem seu visiones seu apparitiones in hoc conveniunt, quòd bonis & malis communes sunt : nec quispiam sanctior aut perfectior altero habendus est, quòd illi spiritus appareant, iste hoc dono destituatur. Cæteris enim sanctior censetur, qui altiori posito humilitatis fundamento Deo per charitatem adhærere studet, ut ipsi placeat ; non ut visiones obtineat, quas potiùs Domino largiente acceptas aut humiliter respuit, aut cum formidine suscipit, sciens in his multum periculi, parum utilitatis reperiri ; pandique aditum diabolo ad varias fraudes & illusiones. Tutiùs ambulamus per fidem, cujus lumen cunctas excedit visiones, & arcanorum revelationes : nam ut præclarè Philippus Nerius vir sanctissimus dicebat (*b*), difficile est visionum perceptione non inflari, difficilius se illis dignum non credere, difficillimum se indignum profiteri, atque earum sive suavitati sive curiositati patientiam, abjectionem,

(a) *Cap.* 15. §. 2. (b) *Tiraq. ad lib.* 2. *dierum. Gen. c.* 9. *Hie. Magtus l.* 4. *miscell. cap.* 12.

ctionem, & obedientiam anteferre. Porrò cum agitur de apparitionibus, sunt quidam ab errore & temeritate nullatenus excusandi, qui eas passim tanquam fallacias & illusiones sensuum, aut veluti somniantium deliramenta explodunt; alii verò nimium faciles omnibus credunt, omnes sine discretione amplectuntur: cùm tamen certum sit, quasdam veras esse, per quas homines ad salutem & ad virtutem erudiuntur; quasdam quoque falsas, quibus Deo permittente nonnulli decipiuntur. Utrumque igitur extremum vitandum est, nam ex sacra Scriptura, & ex probatis illustrium virorum experimentis constat, & olim fuisse & quotidie esse tam probos quàm improbos homines, quibus diversi spiritus apparent: constat etiam, multos vel propriâ imaginatione, vel astutiâ dæmonum falli ac deludi; sicut illusi sunt quidam veteres Philosophi, de quibus sic loquitur in confessionibus Augustinus (c); „ Multi conantes ad te redire, neque „ per seipsos valentes, sicut audio, tentaverunt „ hæc, nimirum Deo per Angelos certis ritibus reconciliari, „ & inciderunt in desiderium curiosarum visionum, & digni habiti sunt illusio„ nibus. Elati enim te quærebant doctrinæ fastu, „ exerentes potiùs quàm tundentes pectora, & „ adduxerunt sibi per similitudinem cordis sui „ conspirantes & socias superbiæ suæ potestates „ aëris hujus, à quibus per potentias magicas de„ ciperentur, quærentes mediatorem, per quem „ purgarentur, & non erat: diabolus enim erat, „ transfigurans se in Angelum lucis. Hæc tacito nomine de quibusdam Platonicis è Plotini schola Augustinus (d), quos in epistola ad Dioscorum apertè accusat, quòd magicarum artium curiositate depravati sint.

II. Spirituum verò sive personarum diversa sunt genera. Et primo quidem loco Deus est *Pater spirituum*, ut ait Apostolus (e); Deus inquam, unus in substantia, Trinitas in personis, Pater & Filius, & ab utroque procedens Spiritus Sanctus, qui, quoniam *communis est ambobus, sic vocatur propriè*, ut loquitur Augustinus (f), *quod ambo communiter*. Est & Christus redemptor noster, Deus & homo; & beatissima ejus Mater, omnium creaturarum excellentissima. Sequuntur Angeli omnis concretionis expertes, quorum quidam perpetuò felices *administratorii spiritus sunt, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis* (g): alii in malo obdurati, semperque infelices, hominum saluti invidere & insidiari non cessant. Sunt denique humani spiritus exuti corpore, qui vel æternâ felicitate fruuntur, vel perpetuo igne in inferno cruciantur, vel à peccatis nondum expiatis purgatorii carcere inclusi emundantur. His accedunt, sed rarò, ipsi mortales adhuc viventes, quos nonnunquam aliis viventibus apparere ex dicendis manifestum erit. Cùm verò triplex apparitionum sive visionum sit genus, corporale, imaginarium, & intellectuale: oportet ut ad corporeas & species & corpus externum concurrat, aut certè vehementissima sensuum immutatio: imaginariæ paucioribus indigent, paucissimis illæ quæ fiunt in intellectu, ut ex his constat, quæ latè tractata sunt, cùm de visionibus ageremus. Nunc verò præcipuè de illis apparitionibus sermo futurus est, quibus hoc nomen magis congruit, cùm nimirum ipsi apparentes externis sensibus sub certa, definita, atque spectabili forma se ostendunt. A divinis autem apparitionibus initium sumendum est; quamvis enim Deus ubique sit, ut fides docet, apparere tamen dicitur, cum se ita oculis sub certa ac definita forma spectandum præbet, ut illud quod cernitur non spectrum sit, neque sensuum illusio, sed verissima apparitio.

III. Sic Deum sæpissime apparuisse nemo orthodoxus, qui sacris literis credat, negare potest. In his enim legimus, eum multoties visum fuisse sub spectabili specie à Patribus veteris Testamenti, à primo omnium parente Adamo, postquam esu vetiti pomi divinum præceptum transgressus est: à Cain, cum patratâ nece fratris innocentis à facie Dei profugus & vagus ejectus est: à Noë, cum ei præcepit, ut arcam construeret, in qua genus humanum & cuncta animantia ab aquis diluvii salvarentur: ab Abrahamo in convalle Mambre, quando tres vidit & unum adoravit: à Jacobo, cùm tota nocte cum illo luctatus se Deum vidisse facie ad faciem testatus est: à Moyse, cùm rubum vidit incombustum, & quando ingressus caliginem legem ab illo scriptam percepit: ab aliis, aliis modis, in quibus recensendis non est diutiùs immorandum. An verò Deus invisibilis, immensus, inaccessibilis, *quem nemo hominum vidit*, ut ait Apostolus (h), *sed nec videre potest*, per seipsum personaliter apparuerit, an ministerio Angelorum: & si per seipsum ab hominibus visus,

(c) *Lib.* 10. *cap.* 42. (d) *Ep.* 56. (e) *Hebr.* 12: 9.
(f) *Lib.* 15. *de Trin. cap.* 19. (g) *Hebr.* 1: 14.
(h) 1 *Tim.* 6: 16.

visus, & cum hominibus locutus est; quænam fuerit illa persona, Paternè, an Filius, an Spiritus Sanctus, variæ sunt & discrepantes Doctorum sententiæ. Tertullianus solum Dei filium apparuisse existimavit his verbis (*i*). „ Nam qui ad „ Moysen loquebatur, ipse erat Dei Filius, qui & „ semper videbatur, Deum enim Patrem nemo „ vidit unquam. Et alibi ipsum ait (*k*) apparuisse Abrahæ in carne sine nativitate, „ qui jam tunc „ & adloqui, & liberare, & judicare humanum „ genus ediscebat in carnis habitu non natæ ad„ huc quia nondum morituræ. Idem asserit in li„ bris (*l*) adversùs Marcionem. Consentit Tertulliano Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone, ubi ait, „ Neque Abraham, neque Isaac, ne„ que Jacob, neque hominum alius quispiam Pa„ trem & ineffabilem Dominum rerum universa„ rum & ipsius Christi vidit: sed illum ipsum, qui „ Deus est & Filius ipsius; & qui homo ex Virgi„ ne natus est. Irenæus quoque filium Dei fuisse astruit (*m*), qui cum Abraham, cum Noë, cum Jacob, & cum Moyse locutus est. At hæc opinio falsa est, teste Augustino (*n*) omnium Doctorum præcellentissimo, qui Maximinum Arianorum Episcopum de ea redarguens, singula scripturæ loca ab hæretico allata, ut probaret Filium Dei ab initio humani generis ab hominibus videri solitum, egregiè exponit, eaque docet non tantùm de filio, sed etiam de Patre, & de Spiritu Sancto intelligenda esse, ac tandem concludit, „ Divini„ tatem non per substantiam suam, in qua invisibi„ lis & immutabilis est, sed per creaturam sibi „ subjectam mortalium oculis apparuisse cùm vo„ luit. Et alibi fusiùs idem argumentum pertractans, multa visa facta fuisse ostendit (*o*), „ non „ evidenter nominato & designato in eis vel Pa„ tre, vel Filio, vel Spiritu Sancto, ut nimis te„ merarium sit dicere, Deum Patrem nunquam „ Patribus aut Prophetis per aliquas visibiles for„ mas apparuisse. Et infra, postquam illos perstrinxit, qui dicebant non Patrem, sed tantùm Filium aut Spiritum Sanctum corporalibus hominum apparuisse conspectibus, ait (*p*): „ Unde „ nemo sani capitis affirmare debet, nusquam per„ sonam Patris per aliquam speciem corporalem „ vigilantium oculis demonstratam. Hæc de postrema propositæ quæstionis parte Augustinus, qui & alteram diffusissimè tractans sic eam dissolvit (*q*), „ Essentia Dei, quandoquidem nullo mo„ do mutabilis est, nullo modo potest ipsa per se „ metipsam esse visibilis. Proinde illa omnia, quæ „ patribus visa sunt, per creaturam facta esse ma„ nifestum est. Et si nos latet quomodo ea mini„ stris Angelis fecerit, per Angelos tamen esse fa„ cta, non ex nostro sensu dicimus; sed credimus, „ propter quod & loquimur. Extat enim aucto„ ritas divinarum Scripturarum, unde mens nostra „ deviare non debet. Latè autem ex Scripturis ostendit, eundem qui Patribus apparuit & locutus est, modò Angelum, modò Deum nuncupari, ex quo infert, Deum per substantiam suam non apparuisse, sed per Angelos, qui ipsum repræsentabant. Dicit tamen Scriptura, Dominum & non Angelum locutum esse Prophetis: „ Quia cum verba „ Judicis præco pronunciat, non scribitur in ge„ stis: ille præco dixit, sed ille judex. Nec minùs ad rem facit, quod idem alibi scribit adversùs Adimantium Manichæi discipulum (*r*); Deum asserens quibus voluit ea quæ voluit annunciasse, „ sive loquendo, sive apparendo, vel per „ angelicam aliquam potestatem, vel per quam„ libet creaturam: quia ipse est in omnibus veri„ tas, & omnia illi constant, & omnia illi ad nu„ tum serviunt, atque subjecta sunt: ut etiam o„ culis per visibilem creaturam cui vult, quando „ dignatur, appareat; cum ipse tamen secundùm „ divinitatem suam non nisi purgatissimo & sim„ plicissimo corde videatur, & ideò quibusdam „ locis etiam Scriptura ipsa testatur, Angelum vi„ sum, ubi dicit Deum visum. Et rectè dicitur, Deus dixit, & Deus apparuit: „ & item rectè Angelus dixit, & Angelus apparuit: „ cum illud dicatur ex persona inhabitantis„ Dei; hoc ex persona servientis creaturæ. Sequitur Augustinum Doctor Angelicus his verbis (*s*). „ Omnes Dei apparitiones, quæ in vete„ ri testamento leguntur, factæ sunt ministerio „ Angelorum, qui aliquas species vel imagina„ rias vel corporeas formant, per quas animum „ hominis videntis in Deum reducerent, sicut & „ sensibilibus figuris possibile est hominem in „ Deum reduci. Corpora ergò apparentia in ap„ paritionibus prædictis Angeli assumpserunt, „ sed in eis Deus apparuisse dicitur, quia ipse „ Deus erat finis, in quem per repræsentationem „ hujusmodi corporum Angeli mentem hominis „ elevare intendebant. Et ideò in illis apparitio„ nibus Scriptura quandoq; commemorat Deum „ apparuisse, quandoque Angelum. Id verò, teste Dionysio (*t*), ordo divinę legis sanxit, ut inferiores per superiores, homines per Angelos ad Deum

(i) *Adv. Jud. c.* 9. (k) *Lib. de carne Christi c.* 6. (*l*) *Lib.* 2. *c.* 27. *& l.* 3. *c.* 6. *&* 9. (m) *Lib.* 4. *c.* 23. (n) *Lib.* 3. *contra Max. c.* 26. (o) *Lib.* 2. *de Trin. c.* 9. *& seq. C.* 17. (p) *Cap.* 18. (q) *Lib.* 3. *de Trinit. C.* 11.



(r) *Lib. cont. Adim. cap.* 8. (s) *Qu.* 6. *deposit. ar.* 7. *ad.* 3. (t) *De cal. Hier. c.* 4.

adducantur, ac propterea quæcumque leguntur divinæ manifestationes, sive Theophaniæ per Angelos factæ sunt, eorumque ministerio ad Patres nostros dimanârunt. Summa in hoc veterum Patrum concordia, nec discrepant ab eorum sententia Principes scholasticorum.

IV. Sed difficultas hîc oritur, quæ præteriri non debet: si enim per Angelos divinæ apparitiones fiunt, cur non omnes angelicæ nuncupantur? Et si quædam propriè Deo, quædam Angelis tribuuntur, quibus indiciis illæ ab istis discerni poterunt? multis, & quidem facilè, si attentè ipsa apparitio, omnesque ejus circumstantiæ considerentur. Certum est enim, Angelum non suam, sed Dei personam repræsentare; & consequenter apparitionem non Angelicam, sed divinam dicendam esse, si is qui apparet, quasi in propria persona ea profert, quæ soli Deo competunt; ut cùm Abrahæ dixit (u), *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*: multò magis, si se Deum appellat, ut cùm Moysem de medio rubi vocavit dicens (x), *Ego sum Deus*, & paulò post, *Ego sum qui sum*. Accedit aliud signum ex re, quæ in ipsa apparitione geritur; nam si propriè ad Deum pertinet, ut cùm Moysi lex data est, Angelus Dei personam sustinet: si verò Angelico ministerio congruit, ut cùm Raphaël ad Tobiam, Gabriël ad Danielem ac postea ad Mariam missi sunt, propriam eos gerere personam evidens est. Si autem quærimus ab Augustino (y) quomodo facta sit post incarnationem Verbi vel vox Patris, vel species corporalis, quâ Spiritus Sanctus demonstratus est; per creaturam facta ista sanctissimus Doctor non dubitat; sed utrum tantumodo corporalem & sensibilem, an adhibito etiam spiritu rationali vel intellectuali, non quidem ad unitatem personæ, quis enim hoc dixerit? sed tantùm ad ministerium peragendæ significationis, an aliquid aliud intelligendum sit, invenire difficilè est, & temerè affirmare non expedit. De persona Spiritus Sancti sub columbæ specie visa in Jordane differit S. Thomas tertiâ parte (z) affirmans ex sententia Augustini Spiritum Sanctum veram columbam formasse, in qua appareret, licet ipsam non assumpserit in unitate personæ. Filius verò postquam factus homo in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, multoties post resurrectionem discipulis apparuit realiter & corporaliter, ut constat ex Euangelio. Nec ulli dubium esse potest, quin etiam post glorioſam in cœlum ascensionem personaliter apparuerit Paulo, sicut docet S. Thomas (a), id enim asseveranter ad Corinthios scribit ipsemet Apostolus dicens (b) visum sibi Christum, sicut visus est Cephæ, Jacobo, reliquis Apostolis, & plusquam quingentis fratribus: at istis visus est in proprio corpore & in propria specie, ergò etiam Paulo, ut certum de ejus resurrectione testimonium perhiberet. An verò, cùmilli apparuit, sedem suam in cœlis deseruerit; seu potiùs in utroque loco per divinam potentiam re ipsâ fuerit, quæstio est quam Scholasticis discutiendam relinquo. Cæteras apparitiones per Angelos factas esse, sicut de sua Apocalypsi testatur Joannes (c), credendum est: neque enim sine Scripturæ & Ecclesiæ auctoritate personales Christi apparitiones astruendæ sunt. In Sacramento Eucharistiæ nec videri nec apparere dicendus est, cùm neque propriâ specie, nec secundùm accidentia sibi inhærentia humanis sensibus exhibeatur (d). Et si fiunt aliquando inusitatæ & prodigiosæ in ipsa Eucharistia apparitiones, de quibus omnium ferè seculorum referuntur exempla, cùm videlicet vel pueri forma, vel carnis aut sanguinis species videtur, nihil temerè de illis definiendum est. Nam si apparitio ex parte tantùm videntis contingit, factâ in oculis ejus tali immutatione, ac si expressè carnem vel puerum videret, cùm tamen alii nihil videant, nullâ scilicet existente ex parte Sacramenti mutatione; fieri potest ut ei se dæmon præstigiis suis immiscеat sensibus illudendo. Cùm verò immutatio in ipsis speciebus sacramentalibus fit, ita ut ab omnibus videatur, nullum est illusionis periculum, cùm non possit dæmon extraneas species in illis efficere. Cautè quoque procedendum est, cùm lumen in isto Sacramento apparet, cùm suavis odor ex eo emanat, vel in ejus sumptione dulcedo inusitata percipitur: nam hæc omnia non ex sensibili delectatione, sed ex fructibus, quos in anima parturiunt, discernenda & judicanda sunt. Glorioſa autem & corporalis Christi apparitio erit in fine mundi, cùm venerit judicare vivos & mortuos: an verò singulis hominibus formâ spectabili in judicio particulari appareat, ut quidam scripserunt, incertum est: nec satis constat modus hujus judicii, nisi quod in momento, in ictu oculi peragitur; atque ideò ad illud sufficit judicis apparitio intellectualis. Quod verò nonnulli au-

(u) *Gen.* 15. 1. (x) *Exod.* 3: 6, 14. (y) *Lib.* 4. *de Trinitat. c.* &c. (z) 3. *p. qu.* 39. *art.* 6. & 7.

(a) 3. *p. qu.* 57. *art.* 6. (b) 1 *Cor.* 15. (c) *Apoc.* 1. (d) *S. Tho.* 3. *p. qu.* 79. *a.* 8.

audacter scribunt, Christum Dominum alicui sancto non per Angelum, sed per seipsum corporaliter apparuisse, id unanimi Sanctorum Patrum sententiæ opponitur asserentium à solo Paulo post ascensionem in proprio corpore visum, nec ulli solido fundamento innititur: nam in Symbolo fidei ipsum ascendisse in cœlum, sedere ad dexteram Patris, & inde venturum profitemur, non ad aliquam particularem personam quantâvis sanctitate conspicuam, sed ad judicandos vivos & mortuos, ut justis præmia, supplicia reprobis æternùm duratura decernat. Sic etiam Beatissimæ Virginis Dei genitricis apparitiones diversis locis, modis, atque temporibus factas gravissimi ac fide dignissimi testes affirmant, quorum auctoritas nullâ potest exceptione labefactari: ipsas tamen apparitiones Angelico ministerio factas omnino credendum est, explosâ profanorum hominum improbitate, qui eas vel prorsus negant, vel curiosiùs quàm par sit scrutari audent. Oportet enim in his, quæ sensuum experientiam, & naturalem intellectûs aciem excedunt, sapere ad sobrietatem, & maximi Doctoris Augustini imitari modestiam, qui ingenuè fatus est se modum apparitionum ignorare.

V. Sanctos Angelos sæpè hominibus visibiliter apparuisse, Sacrarum Literarum irrefragabili testimonio adeò certum & manifestum est, ut nulla Catholico viro possit de hoc dubitatio vel difficultas occurrere. Sed quomodo fiant hujusmodi apparitiones, an solâ in sensu externo immutatione factâ, nullâ re extra oculum verè & realiter existente, quæ visui objiciatur, ut in præstigiis, an revera aliqua res extra oculum sit, quæ in tali situ ac dispositione collocata, ejus figuræ & coloris appareat, qualis non est, ut cùm iridem cernimus: an potiùs corpus verum assumant, & in eo se spectandos præbeant; quæstio difficilis est, quæ portentosum Augustini ingenium diu exercuit; nec aliquid definire ausus est. Quis explicet, inquit (e), „ cum qualibus corpo„ribus apparuerint Angeli hominibus, ut non so„lùm cernerentur, verùm etiam tangerentur: & „ rursus non solidâ corpulentiâ, sed spiritali po„tentiâ quasdam visiones, non oculis corporeis „ sed spiritalibus vel mentibus ingerant, vel di„cant aliquid non ad aurem forinsecùs, sed in„tùs in animo hominis, etiam ibidem constituti; „ sicut scriptum est in Prophetarum libro. *Et dixit mihi Angelus qui loquebatur in me*; „ non e„nim ait, qui loquebatur ad me, sed in me. Vel „ appareant & in somnis, & colloquantur more „ somniorum; habemus quippe in Evangelio, *Ecce „ Angelus Domini apparuit illi in somnis dicens.* „ His enim modis velut indicant se Angeli con„trectabilia corpora non habere. Faciuntque dif„ficillimam quæstionem, quomodo Patres eis „ pedes laverunt, quomodo Jacob cum Angelo „ tam solidâ contrectatione luctatus sit. Cùm ista „ quæruntur & ea sicut potest quisque conjectat, „ non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur „ disceptatio moderata, & absit error opinantium „ se scire quod nesciunt. Quid enim opus est ut „ hæc atque hujusmodi affirmentur vel negentur „ vel definiantur cum discrimine, quandò sine cri„mine nesciuntur? Magis opus est dijudicare „ atque dignoscere, cùm se fathanas transfigurat „ velut Angelum lucis, ne fallendo ad aliqua per„nicioſa seducat. *Idem alibi de eadem re sermonem „ habens*, Mihi omnino, *inquit (f)*, utile est, ut „ meminerim virium mearum, fratresque meos „ admoneam, ut & ipsi meminerint suarum, ne „ ultra quàm tutum est humana progrediatur in„firmitas. Quemadmodùm enim hæc faciant An„geli, vel potiùs Deus quemadmodùm hæc fa„ciat per Angelos suos, & quantùm fieri velit „ etiam per Angelos malos sive finendo sive co„gendo ex occulta sede altissimi imperii sui, nec „ oculorum acie penetrare, nec fiduciâ rationis „ enucleare, nec provectu mentis comprehendere „ valeo. *Et supra jam dixerat hoc excedere vires „ suas (g)*, Utrum Angeli manente spiritali sui „ corporis qualitate per hanc occultiùs operantes „ assumant ex inferioribus elementis corpulen„tioribus quod sibi coaptatum quasi aliquam ve„stem mutent, & vertant in quaslibet corporales, „ etiam ipsas veras, sicut aqua vera in verum vi„num conversa est à Domino: aut ipsa propria „ corpora sua transforment in quod voluerint, „ accommodata ad id quod agunt. Sic ille loquitur ex Platonicorum sententia dubitans, an Angelis, & si natura substantiæ spiritalis, aliquot tamen corpus insit æthereum, subtilissimum, *Et sui generis*, ut ait Tertullianus (h): *In carnem autem humanam transfigurabiles ad tempus videri & congredi cum hominibus posse.* Sic Basilius quamvis alicubi Angelos incorporeos esse dixerit, libro tamen de Spiritu Sancto (i) eos ait aspectabiles fieri in specie propriorum corporum iis apparentes qui digni sunt: de qua re etiam Bernardus (k) dubitavit quæstionem indiscussam relinquens.

(e) *Enchirid. cap.* 59.



(f) *Lib.* 3. *de Trin. cap.* 10. (g) *Ib. c.* 1. (h) *De carne Christi c.* 6. (i) *Cap.* 16. (k) *Ser.* 5. *in Cant.*

Nunc Theologi cum Angelico Doctore (*l*) unanimi consensu affirmant, Angelos omnino incorporeos esse, & cùm hominibus apparent, vel corpora assumere, vel sensuum organa immutare, vel species objicere, quæ rem aliter repræsentent, quàm revera sit.

VI. Sensus verò non illudi, nec fieri apparitionem *in phantasmate putativæ carnis*, ut Tertullianus ait (*m*); sed in vero corpore assumpto, quodcunque illud sit, sive ex aëre, sive ex corpulentiori materia, hoc signo demonstrari asserit S. Thomas (*n*), quod imaginariam apparitionem ille solus percipit, ad quem fit: externam autem & corporalem omnes percipiunt, quod enim extra videntem positum est, omnes videre possunt. Sic Angeli qui Abrahæ apparuerunt non solùm ab illo, sed ab universa ejus familia visi sunt (*o*). Sic etiam Raphael, Tobiæ comes, in longo itinere omnibus indiscriminatim spectabilis erat. Non est tamen hæc nota infallibilis, Paulo siquidem corporaliter apparuit Christus (*p*), *viri autem illi qui comitabantur cum eo stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes*: idque proprium est corpori glorioso, ut se uni manifestare possit, subtracta reliquis præsentia sua, quamvis nullum obstaculum interponatur. Corporis autem ab Angelo assumpti alia ratio est, illud enim uni ostendere, aliis occultare propriâ virtute nequeunt, sed requiritur virtus divina: Dæmones verò præstigiis & fallaciis quandoque efficiunt, ut corpus aliquod ab uno videatur, reliquis nihil videntibus, posito nimirum obice, ne species ad oculos eorum transeant: sicut è contrario solent nonnunquam efficere, ut corpus aliquod ab omnibus videatur, quod tamen verum corpus non est, sed phantasma: quemadmodum legimus de Selene Simonis Magi concubina, quæ cum in turri quadam esset, magnâ populi multitudine ad spectaculum concurrente, per omnes illius turris fenestras procumbere & deorsum prospicere visa est (*q*): quod deceptis diabolicâ fraude sensibus proculdubiò successit. Scimus etenim, evidenti ratione non posse idem corpus in pluribus locis naturaliter esse, nec ullam dæmoni potentiam à Deo conferri ad ea quæ superant facultatem naturæ, quia ut ait Doctor Angelicus (*r*), *Si dæmonibus, quorum est tota voluntas in malum, aliqua potestas daretur faciendi miracula, Deus falsitatis eorum testis existeret, quod divinam bonitatem non decet.* Eodem modo captiosæ fuerunt & illusoriæ multæ apud ethnicos apparitiones, de quibus in admirabili opere de Civitate Dei copiosè disserit Augustinus (*s*). Hæ verò præstigiæ in boni Angeli apparitione non accidunt, quia non nisi Deo jubente pro nostra salute & instructione apparent, nec ullum in illis mendacium esse potest. Vera item corporis assumptio illa censeri debet, quæ tactu percipitur, ut cùm Abraham Angelorum pedes humanâ formâ apparentium lavit; Cùm ipsi Loth manu apprehensum è civitate comburenda eduxerunt: cum Jacob totâ nocte cum uno ex illis luctatus est. Multis quoque experimentis compertum est, dæmones interdum mulieribus improbos esse, earumque concubitum expetere & peragere: idque negari non posse absque impudentia censuit Augustinus (*t*). Viris item Sanctis frequenter apparuerunt non per præstigias & deceptiones, sed in assumptis corporibus, cujus rei testes irrefragibiles sunt magnus Antonius Abbas & alii innumerabiles sæpè à dæmonibus miris modis vexati, plagisque atque verberibus affecti. Illos prætereo, quos Græci *Paredros* vocant, qui in aspectabili forma hominibus famulantur, multaque domi forisque faciunt, quæ sensibus percipiuntur, quorum evidentiam negare nemo potest, qui sanæ mentis sit. Porrò Angeli hominibus apparent optimâ divinæ providentiæ dispositione (*u*), ut non solùm intellectum illuminent intellectuali visione, sed etiam per sensibiles formas, quæ sunt quædam imagines divinorum; & quia per gratiam ad eorum æqualitatem & societatem elevandi sumus, nobis per corporum assumptionem conformantur, ut, quod nostrum est suo modo accipientes, nos ad illud assurgere faciant, quod proprium ipsorum est.

VII. Cacodæmonum par est ratio: apparent sæpè in assumptis corporibus, sæpiùs præstigiis illudunt sensus; sed quod Angeli boni ad nostram salutem efficiunt, hi ad perniciem & damnationem operantur. Formis quoque discrepant Angelorum & dæmonum apparitiones. Angelis solet unica esse, nempe humana: dæmonibus multiplex vel hominis vel bestiarum; à columbæ tamen vel agni specie abstinent, tum quia mysticè Spiritum Sanctum & Christum designant, tum quòd hæc animalia felle carentia truculentis sathanæ moribus non conveniunt. Nec solas brutorum formas, sed & alias ignotas atque

(l) 1. *p. qu.* 51. *art.* 2. (m) *Lib.* 3. *Adv. Marc. cap.* 9. (n) 1. *p. qu.* 51. *art.* 2. (o) *Gen.* 18. (p) *Act.* 9: 7. (q) *Clem. Rom. lib.* 2. *Recognit.* (r) *Qu.* 6. *de Poten. art.* 5.

(s) *Lib.* 18. (t) *Lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 23. (u) *S. Thom. de Pot. q.* 6. *a.* 7.

atque monstruosas effingunt, ut terreant. Experientiâ quoque constat, mortuorum interdum assumere corpora, sed reproborum: neque enim credibile est, illorum corpore abuti posse, in quorum animam nullam habent potestatem. In vivos etiam transfigurantur, spectraque objiciunt seu oculis seu phantasiæ, & simulacra atque imagines rerum seu personarum, & sicut de Proteo fabulantur Poëtæ, in omnes formas se vertunt, ut miseros mortales seducant & perdant. Firmissimè verò credendum est, ut ait Augustinus (x), nihil dæmones operari posse, secundùm naturæ suæ potentiam, nisi quod Deus permiserit, cujus judicia occulta sunt multa, nulla injusta. Præclarè de hac re Tertullianus (y). *Nihil sathanæ in servos Dei vivi licebit, nisi permiserit Dominus, ut aut ipsum destruat per fidem electorum in tentatione victricem; aut homines ejus fuisse traducat, qui defecerint ad illum. Habes exemplum Job, cui diabolus nullam potuit incutere tentationem, nisi à Deo accepisset potestatem. Nec in porcorum gregem diaboli legio habuit potestatem, nisi eam de Deo impetrasset: tantum abest ut in oves Dei habeat.* Quantum verò in ipso dæmoniorum Principe ejusque satellitibus est, semper nocere hominibus satagunt, & quia in veritate non steterunt, totam vim suam in mendacio constituunt. Nec solùm in Angelos lucis transfigurant se, sed & Christi Domini, ac Beatæ Virginis, Sanctorumque personam sæpiùs assumere audent, tantâ calliditate & versutiâ, ut viros etiam probatæ virtutis non semel in errorem induxerint, sicut orthodoxi Patres asserunt, & certissima experientia confirmat. Optimè de his scribens Lactantius, *Hi spiritus*, inquit (z), *contaminati ac perditi per omnem terram vagantur, & solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia insidiis, fraudibus, dolis, erroribus complent.* Inter fallacias autem innumerabiles, quibus vaferrimus hostis circumvenire incautos & illaqueare studet, hæc omittenda non est, quòd aliquando apparet assumptâ personâ alicujus defuncti, qui pessimè vixerit & in peccatis suis mortuus sit, petens eleëmosinas, preces, jejunia, peregrinationes, sacrificia, atque alia suffragia, ac si in statu salutis foret, ut hâc arte persuadeat etiam manifestos & obduratos peccatores, quamvis sine Sacramentis decedant, à salute non excludi, actu contritionis elicito priusquam anima à corpore separetur. Idcircò plerumque fiunt hujusmodi apparitiones, vel sociis criminum, vel aliis peccatoribus, sive domesticis & consanguineis, quorum interest pro defuncti honore eas evulgare, ut vanâ spe decepti qui in sordibus sunt adhuc sordescant, & sceleratæ vitæ parem exitum sortiantur. Sunt etiam ut plurimùm suffragia quæ petuntur certo numero definita, habentque nonnulla annexa, quæ vana, ambigua, & superstitiosa sunt; tum minas & terrores miscent, adeò ut facilè possint occultæ fraudes & insidiæ versutissimi hostis detegi & præcaveri.

VIII. Restant nunc humanorum spirituum apparitiones tam Beatorum cùm Deo regnantium, quàm damnatorum, & eorum qui in Purgatorio detinentur; de quibus tot extant sacræ Scripturæ testimonia, tot à sanctis & gravissimis viris, atque ab ipsismet Ethnicis recensitæ historiæ, quæ omnium manibus teruntur, ut mirum sit, potuisse homines sanæ mentis reperiri, qui eas omnino negare, vel delusæ imaginationi adscriberè ausi sint. Hi nimirum, ut Hieronymus Vigilantio exprobrat (a), legem Deo ponunt, & Apostolis vincula injiciunt, ut usque ad diem judicii teneantur in custodia, nec possint quibus volunt, Deo annuente, apparere. Tertullianus, (b) etsi non neget animarum apparitiones, arte tamen dæmonum fieri credidit, neglectâ scripturæ auctoritate, in qua legimus Oniæ & Hieremiæ apparitionem (c), & Moysis atque Eliæ in Christi transfiguratione ac illorum qui surrexerunt cum ipso, & multis in Hierusalem apparuerunt (d); in quos evidens est, nullam dæmonem habuisse potestatem. Porrò ab istis apparitionibus multæ ad nos utilitates emanant: ostendunt enim, animam simul cum corpore non interire, & sine carne posse subsistere, fidem roborant resurrectionis: & si sancti sunt qui apparent, vel Dei mandata ad nos perferunt, vel de sua felicitate certiores nos faciunt, vel ad virtutem hortantur, vel ægris & morientibus assistunt, aliaque nobis beneficia impendunt: si damnati, præcones sunt divinæ justitiæ, & ita nos vitam instituere docent, ne & ipsi pari pœnâ plectamur, si purgantes, divinam quoque justitiam prædicant, & opem implorant, ut nostris adjuti suffragiis citiùs à pœnis liberentur. An verò in propriis corporibus appareant, an in fictis & assumptis: & si in assumptis, an ea possint naturali virtute componere, an ope Angelorum in his formandis indigeant: an ipsæ per se appareant,



(x) *Lib. 18. de Civit. Dei cap. 18.* (y) *De fuga in persec. c. 2.* (z) *Lib. 2. c. 14.*

(a) *Lib. adv. Vigilantium.* (b) *Lib. de anima c. 57.*
(c) *2 Mach. 15.* (d) *Mat. 17. & 27.*

an Angeli eas repræsentent; quæstiones sunt in utramque partem in scholis agitatæ. Quidam putant cùm S. Bonaventura (e) posse justos de loco suo ad tempus exire, nunquam tamen damnatos: alii cum S. Thoma (f) id etiam damnatis concedunt ad emendationem & terrorem viventium. Nonnulli etiam existimant posse animas proprium corpus assumere, illudque movere tamquam formas assistentes; alii constanter hoc negant: item aliqui ajunt posse corpus aëreum assumere, alii dicunt non posse, neque tamen certas proferunt rationes, quibus probent id naturalibus animæ viribus repugnare. Animas puerorum, qui cum solo peccato originali decesserunt, nusquam legimus apparuisse; nam juvari suffragiis nostris non possunt, nec ulla inesse videtur in eorum apparitionibus utilitas, aut virtutis exemplum. Sæpè quoque viventes viventibus apparuisse fide dignissima monumenta testantur, sed plerumque in somnis, ut asserit Augustinus (g): „Nam & viventes, *inquit*, apparent sæpè „viventibus dormientibus, dum se ipsi nesciunt „apparere: & ab eis hæc quæ somniaverint audiunt dicentibus, quod eos in somnis agentes „aliquid vel loquentes viderint. Ex his autem infert, etiam mortuos nescientes utrum appareant posse viventibus apparere: ait enim, „Si ergò „me potest aliquis in somnis videre sibi aliquid „quod factum est indicantem, vel etiam quod futurum est prænunciantem; cùm id ego prorsus „ignorem & omnino non curem, non solùm quid „ille somniet, sed utrum dormiente me vigilet, „an vigilante me dormiat, an uno eodemque tempore vigilemus ambo, sive dormiamus, quando „ille somnium videt, in quo me videt: quid mirum si nescientes mortui nec ista sentientes, tamen à viventibus videntur in somniis & aliquid „dicunt, quod evigilantes verum esse cognoscant. Angelicis igitur operationibus fieri crediderim, sive permittatur desuper, sive jubeatur. Tum relatis aliquot mortuorum apparitionibus subdit (h). „Quomodo fiant ista, nescio: sed quomodolibet fiant cur non eodem „modo fieri credimus, ut in somnis quisque videat mortuum, quo modo fit ut videat & vivum? Putat igitur Augustinus videri aliquando mortuos à vivis ipsis mortuis nescientibus, sicut vivi nescientes se apparere alicui interdum apparent, & cum eo loquuntur; & sicut idem Augustinus Mediolani degens Eulogio Rhetori in Africa apparuit, eique locum Ciceronis obscurum somnianti exposuit. *Non ego*, inquit, *sed imago mea nesciente me, & nihil de illius curis omnino curante.* Pergit Doctor sanctissimus dicens (i), „Cur non istas operationes angelicas credimus „per dispensationem providentiæ Dei benè „utentis & bonis & malis, secundùm inscrutabilem altitudinem judiciorum suorum: sive instruantur hinc mentes mortalium, sive fallantur: sive consolentur, sive terreantur: sicut „unicuique vel præbenda est misericordia, vel „irroganda vindicta ab illo, cui misericordiam & „judicium non inaniter cantat Ecclesia. Post hæc ipsos mortuos interdum ad vivos non dormientes, sed vigilantes mitti probat (k) exemplo Samuëlis, qui mortuus Sauli Regi futura prædixit; Moysis & Eliæ, quos in Christi transfiguratione adfuisse narrat Euangelista; Felicis, quem Nolâ à Barbaris oppugnatâ civibus apparuisse certis testibus se audisse commemorat. Sed & Martyres vivorum necessitatibus interesse ait; quomodo autem intersint se nescire fatetur. *Res hæc*, inquit, *altior est, quàm ut à me possit attingi; & abstrusior, quàm ut à me valeat perscrutari: & ideò quid horum duorum sit, an verò fortassis utrumque sit, & aliquando ista fiant per ipsam præsentiam Martyrum, aliquando per Angelos suscipientes personam Martyrum, definire non audeo, mallem à scientibus ista perquirere.* Quod si hæc Augustinus ignoravit, quis ego sum ut audeam eorum notitiam polliceri? sed neque ad finem in hoc libro mihi propositum necessarium est: satis enim & satius est modum scire, quo bonorum malorumque spirituum apparitiones invicem discernantur, ne quis in laqueos inimici impingat.

IX. Dæmonum spectra his indiciis discernuntur, si is qui apparet falsam vel malam apparitionis causam prætexit: si curiosa & minimè necessaria revelat, aut quæ nesciri expediret: si res sacras, & sacramentalia detestatur: si ad Crucis signum & ad nomen Jesu horrescit, vel minùs reverenter se habet: si mendax, aut de mendacio suspectus est: si formam corporis indecentem, & gestus parum modestos exhibet: si animum turbatum ostendit: si vultu tetrico, deformi, irato se spectandum præbet: si voce stridulâ, confusâ, obscurâ, ignotâ loquitur: si hominem vexat & terret, atque molestus & importunus est. Forma quoque apparentis attendi debet. Humana omnibus spectris communis est, sed si

(e) *Bon. in 4. dist. 45. a. 1. q. 3.* (f) *Th. ib. q. 1. a. 1. q. 3.*
(g) *Lib. de cura pro mortuis. cap. 10.* (h) *Ib. c. 11.*
(i) *Ib. c. 13.* (k) *Ib. c. 15. & 16.*

si atra, deformis, mutila, inusitata sit, malum sub ea spiritum latere demonstrat. Suspecta quoque habenda quælibet apparitio sub specie mulieris, nisi beatæ Virginis & Sanctarum sit. Forma bruti vel monstri non nisi diabolo convenit; animæ enim separatæ, tametsi damnatorum sint, cùm Deo permittente viventibus apparent, eam formam assumunt, ex qua possint cognosci. Rugitus, grunnitus, stridores, clamores, tumultus, voces inarticulatæ, blasphemiæ, imprecationes, convitia vel dæmonum, vel damnatorum sunt. Obsequia viventibus præstita possunt quidem probabiliter, cùm honesta & humilia sunt, nihilque habent admixtum levitatis, à bono spiritu esse; cautè nihilominùs admittenda; nam subtilissimæ sunt dæmonis artes, quibus illudit humano generi. Malum quoque à bono spiritu non distinguunt exhortationes ad virtutem, & peccantium redargutiones: diabolus enim minus bonum aliquando persuadet, ut majus impediat: & ad aliquem actum virtutis hortatur, ut faciliùs incautos decipiat, & successu temporis ad horribiles lapsus sensum inducat. Stigmata Christi, quæ in corpore S. Francisci impressa fuerunt, aliis item divinitùs inusta fide digna monumenta commemorant. Sed in his etiam Sathanæ fraudes locum habere satis superque probant portentosa figmenta Christiano Orbi notissima Monialis Ulissiponensis, & Magdalenæ Cordubensis, quæ ambulantes in magnis & in mirabilibus super se, hostis ludibrio expositæ stigmata in manibus, pedibus, & latere artificiosè ficta ostentabant, plebe admirante, & magnis etiam viris in errorem inductis, donec tandem vesana earum consilia & commentitiæ plagæ, ac diaboli potestatem in eas exercentis fallacissimæ impostura detectæ sunt: ex quibus liquet quanta in his cautela adhibenda sit. Animæ damnatorum, si Deus permiserit eas apparere, iisdem signis deprehendi possunt, quibus diabolicæ apparitiones dignoscuntur: nullum siquidem video inter illas discrimen esse. Quæ in Purgatorio sunt, nonnisi ut suffragia petant, ad nos mitti solent; quibus obtentis non redeunt, nisi fortè ut gratias agant: quod si aliquid restitui mandent, certasque preces & sacrificia postulent, atque iis peractis adhuc molestæ sunt, mali spiritùs indicium est. Mala viventibus illata, aliquando à reprobis spiritibus tanquam ministris divinæ justitiæ, aliquando à bonis Deo imperante infliguntur: nec facilè poterunt internosci, nisi sedulò examinentur singulæ rerum, locorum, temporum, & personarum circumstantiæ. Heliodoro templum expilanti (a), *apparuerunt duo juvenes virtute decori, optimi gloriâ, speciosique amictu, qui circumsteterunt eum, & ex utraque parte flagellabant sine intermissione multis plagis verberantes.* Ex quibus verbis perspicuum est, impium hominem à bonis Angelis castigatum fuisse. Multa ejusdem generis occurrunt in Ecclesiastica historia, quæ brevitatis gratiâ prætermitto.

X. Denique sancti Patres optimum esse indicium bonæ apparitionis docent, si ad primum aspectum ejus qui apparet perturbetur homo, & terrore ac horrore quodam concutiatur; postmodùm verò ab omni anxietate ac timore liber internâ quâdam dulcedine perfundatur, quæ charitatem, & humilitatem augeat, & altissimæ perfectionis desiderium excitet. Quod si initio lætitia quædam oriatur in mente, quæ postmodùm in horrorem & mœrorem convertatur: aut horror initio conceptus diu perseveret; signa hæc sunt quòd ille qui apparuit spiritus nequam est. Hunc verò terrorem initio apparitionis non credo esse signum universè verum, in his enim qui Angelicis sanctisque visionibus assueti sunt, cessare videtur hujusmodi terror, ipsâ assuetudine terrorem tollente. Hoc documentum tradidit nobis ex propria experientia, ut suprà indicavi (m), magnus Pater Monachorum Antonius, cujus hæc sunt verba apud Athanasium in ejus vita (n): „ Non est difficilis bonorum „ spirituum, malorumque discretio, quæ sic „ Deo tribuente panditur. Sanctorum Angelo„ rum amabilis & tranquillus aspectus est, quia „ nec contendunt, neque clamant, neque audiet „ aliquis vocem eorum; verum tacitè leniterque „ properantes, gaudium, exultationem, fidu„ ciam pectoribus infundunt; siquidem cum illis „ est Dominus, qui est fons & origo lætitiæ. „ Tunc mens nostra non turbida, sed lenis & pla„ cida Angelorum luce radiatur. Horum tanta „ benignitas est, ut si quis pro conditione fragi„ litatis humanæ miro fuerit eorum fulgore per„ territus, omnem continuò ex corde auferant „ metum. Ita Gabriel cùm Zachariæ loqueretur „ in templo, & Angeli cùm divinum Virginis „ partum pastoribus nunciarent, & qui dominici „ corporis agebant excubias, securis videntium „ se mentibus ostendentes, ne metuerent, impe„ rabant: Metus enim non tantùm ex pavore „ animi, quantùm ex magnarum rerum sæpè in-

cutitur

(l) 2. *Mac.* 3. (m) *Cap.* 8. (n) *Cap.* 18.

„cutitur aſpectu. Si igitur poſt timorem horrore „conceptum, ſucceſſerit gaudium & ad Deum „fiducia atque ineffabilis charitas, veniſſe ſcia„mus auxilium, quia ſecuritas animæ præſentis „majeſtatis indicium eſt. Hæc Antonius, qui plura addit de apparitionibus & fallaciis dæmonum. An verò, quoties ſpiritus aliquis apparet, Chriſtum, vel B. Virginem aut aliquem Sanctorum repræſentans, ipſum liceat adorare, quæſtio gravis eſt, pro cujus ſolutione, omiſſis quorumdam Scholaſticorum diſtinctionibus & ſubtilitatibus, quibus difficultas augetur potiùs quàm tollatur, non credo recedendum eſſe à doctrina Sanctorum Thomæ & Bonaventuræ. Thomæ ſententia hæc eſt (o). *Dicendum quòd non poteſt diabolus in ſpecie Chriſti apparens ſine peccato adorari, niſi ſit conditio actu explicita, non enim ſufficit ſolo habitu, quia ipſa novitas rei inſolitæ conſiderationem & attentionem requirit, ſicut dicitur de B. Virgine, quod cogitabat qualis eſſet illa ſalutatio.* Cùm igitur non ignoremus Sathanæ aſtutias, non omni apparitioni credendum eſt, nec apparenti ſub Chriſti effigie cultus ſtatim exhibendus eſt, etenim conſiderare oportet, poſſe ibi latere dæmonem, & periculum imminere ne illum adorans in crimen idololatriæ labatur. Præclarè Bonaventura propoſitâ hâc quæſtione, „An qui adoraret „diabolum putans illum Chriſtum, peccaret; *ſic* „*reſpondet* (p). Dicendum quòd honor latriæ po„teſt exhiberi adverſario Chriſti dupliciter. Aut „ſimpliciter, aut ſub conditione. Si ſimpliciter, „dico quòd non poteſt eſſe ſine peccato: nec „excuſatur ratione ignorantiæ. Habet enim tri„plex adjutorium, per quod poteſt errorem evi„tare. Primum eſt remedium præmonitionis ſa„cræ Scripturæ, quæ multoties dicit, quòd multi „in nomine Chriſti venturi ſunt mendaces. Se„cundum eſt remedium orationis internæ, quâ „ad Deum debet homo recurrere, ut cor ejus „illuminetur. Tertium eſt ſuſpenſio credulitatis, „non enim debet homo omni ſpiritui credere, ſed „probare qui ex Deo ſunt. Qui enim citò credit „in talibus, levis eſt corde: & fortaſſis etiam in„flatus eſt corde, dum ad tales viſiones & revela„tiones idoneum ſe eſſe exiſtimat. Unde tales „viſiones vel apparitiones potiùs ſunt formidan„dæ, quàm deſiderandæ. Narratur enim de quo„dam S. Patre, quòd, cùm ei diabolus in ſpecie „Chriſti appareret, ille clauſis oculis dixit, ſe in „hac vita nolle Chriſtum videre & diabolus hu„militate ejus confuſus ſtatim evanuit. Ideò ſi „quis ſimpliciter adorat Chriſti adverſarium, non „excuſatur à peccato, etiamſi credat ipſum eſſe „Chriſtum. Si autem adoret ſub conditione, hoc „poteſt eſſe dupliciter. Aut quia eſt illa conditio „habitudinaliter, aut actualiter conſiderata, ſive „appoſita. Si actualiter, non adorat ipſum Luci„ferum, ſed magis Chriſtum; quia non ſtat ado„ratio, niſi ſtante conditione, & ad eum refertur „adoratio, ad quem refertur adorationis impli„catio. Si autem illa conditio ſit ſub conſidera„tione habitudinali, non ſufficit ad vitandum pec„catum idololatriæ. Quod ſi aliquis habens Diſcretionem ſpirituum, vel ſpeciali lumine à Deo imbutus certò ſciat, nullam in apparitione illuſionem ſubeſſe, is apparenti debitum cultum ſine culpa præbere poterit; tutius tamen eſt, hujuſmodi apparitiones rejicere, ſeque illis indignum fateri; atque omnia ad Confeſſarium vel Superiorem referre, eique exactè & humiliter obedire exemplo S. Thereſiæ (q), quæ tametſi evidenter cognoſceret divino ſpiritu edocta apparitiones à Deo eſſe, nihilominus Confeſſario exiſtimanti illuſiones diabolicas eſſe morem gerere, & perſonas ſibi apparentes juſſu ipſius ſpernere, & exſibilare non verebatur; donec à viro docto intellexit, id fieri non debere, quia imagini Redemptoris noſtri, etiam à dæmone efformatæ, par eſt reverentiam & honorem exhibere.

(o) *In 3. ſent. diſt. 9. q. 1. a. 2. q. 6. ad 3.* (p) *3. ſent. d. 9. a. 1. q. 6.*

## CAPUT XX.

*De Revelationibus, earumque diſcretione. Quid de privatis cenſendum. Non eſſe deſiderandas, nec illis temerè credendum. Traduntur regulæ quibus veræ à falſis diſcernantur, ex perſona, cui fit revelatio, ex ipſa revelatione, & ex circumſtantiis. Addita quædam de verbis & phraſibus myſticæ Theologiæ.*

OMnes viſiones & apparitiones eò potiſſimùm tendere, ut aliquid occultum hominibus reveletur, ſive ad ſalutem & inſtructionem, ſi à ſpiritu bono ſunt; ſive ad perniciem & condemnationem, ſi à malo; ex his quæ hactenus dicta ſunt, ſatis perſpicuè conſtare arbitror. Conſectarium igitur eſt, ut de ipſis revelationibus, earumque examine & diſcretione ſpeciatim diſſeramus. Licet enim de illis multa ſparſim præmiſſa ſint, adhuc tamen plura ſuperſunt accuratiùs pertractanda, ut quantum ferunt

(q) *Fundat. cap. 8.*

exiguæ

exiguæ vires noſtræ, nihil eorum, quæ ad ſuſcepti operis abſolutionem pertinent, prætermittamus. Revelatio, quæ à Deo, vel eo jubente à bonis ſpiritibus fit, nihil aliud eſt quàm manifeſtatio divinorum myſteriorum & ſecretorum ſupra totius naturæ vires ad communem Eccleſiæ vel privatam perſonarum particularium utilitatem. Quæ verò fit à dæmone, eſt callida arcanorum manifeſtatio, diabolicis illuſionibus ad decipiendum facta. Elucidantur hæ deſcriptiones ipſo nomine revelationis, dicitur enim revelatio, quaſi remotio veli, quam à Deo petebat David, cùm orabat (a), *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Humana quippe anima*, ut ait Gregorius (b), „ primorum hominum vi„tio à Paradiſi gaudiis expulſa lucem inviſibi„lium perdidit, & totam ſe in amorem viſibilium „fudit: tantòque ab interna ſpeculatione cœcata „eſt, quantò foras deformiter ſparſa. Homo „enim, qui, ſi præceptum ſervare voluiſſet, etiam „carne ſpiritualis futurus erat, peccando factus „eſt etiam mente carnalis, ut ſola cogitet quæ „ad animum per imagines corporum trahit. Hoc eſt velum tegens oculos animæ, ne videat quæ Dei ſunt, quod ille ſolus removere poteſt, qui illuminat tenebras noſtras; cuius dono fit, ut anima noſtra bonum velit & videat; *nam malum volendo mortua erat, & bonum ignorando cœca (c)*. Eſt & alterum velum rem ipſam obnubilans quæ revelatur, de quo canit Propheta (d), *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, & non potero ad eam.* Hoc tollit Deus prima & infallibilis veritas, cùm occultam veritatem pandit: *Cùm revelatâ facie gloriam Domini ſpectantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu*: Sicut ait Apoſtolus (e). De publicis revelationibus ad communem Eccleſiæ utilitatem diſputant Theologi, cùm de Fide agunt. Privatas autem, de quibus hic diſſerimus, in omni ætate & in omni ſtatu hominum ſemper fuiſſe à primo parente uſque ad nos, tum ex Sacra Scriptura, tum ex probatis hiſtoriis evidens eſt: ſed ad fidem non ſpectant, quia ut docet S. Thomas (f), *innititur fides noſtra revelationi Apoſtolis & Prophetis factæ, qui canonicos libros ſcripſerunt; non autem revelationi, ſi qua fuit, aliis Doctoribus facta.* Illi tamen, quibus privatæ revelationes fiunt, ſi certò eis conſtiterit à Deo eſſe, illis firmiter adhærere tenentur, quia Deus revelans occulta ſapientiæ ſuæ ſumma veritas eſt, quæ nec fallere, nec falli poteſt. Quæ verò circumferuntur à ſanctis viris & mulieribus ſcriptæ, non ideò approbatæ cenſentur, ut illis certitudine fidei aſſentiamur, ſed ut eas tanquam probabiles recipiamus: nam quod attinet ad fidem, *ſuperædificati ſumus ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu (g)*: nec aliud fundamentum quiſpiam ponere poteſt. Fidem à Chriſto acceperunt Apoſtoli, quibus omnia nota fecit quæcumque audivit à Patre; ipſi verò ſucceſſoribus ſuis eandem fidem veluti depoſitum tradiderunt; de quo Paulus Timotheo præcipit, *Depoſitum cuſtodi. Quid eſt autem depoſitum?* ait Vincentius Lirenenſis (h), „id eſt, quod tibi creditum eſt, non quod à te „inventum: quod accepiſti, non quod excogi„taſti: rem non ingenii, ſed doctrinæ: non „uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis: „rem ad te perductam, non à te prolatam. Sectariis hoc proprium fuit, nova dogmata cudere, & iis tanquam à Deo acceptis fidem & auctoritatem privatis revelationibus, ſeu potiùs illuſionibus conciliare. Nota ſunt omnibus, qui in Eccleſiaſtica hiſtoria verſati ſunt, Cerinthi, Simonis, Marci, Menandri, Baſilidis, Valentini, & aliorum fabuloſa figmenta, quæ Irenæus, Epiphanius, Euſebius, & Theodoretus commemorant. Montani, ejuſque muliercularum viſiones & prophetias paſſim extollit ab illis deceptus infeliciſſimus Tertullianus. Donatiſtarum & Manichæorum deliria recenſet Auguſtinus: nec deſunt noſtrorum temporum luctuoſæ tragœdiæ, prætextu revelationum à novatoribus excitatæ. Prætereo olim extinctam, ſæpiùs autem renaſcentem nefandam ſectam Illuminatorum, qui Sathanæ apparitionibus & revelationibus ſeducti, in carnis deſideria actuſque turpiſſimos abeuntes, hoc ſibi ſpecioſum nomen, tanquam luce divinâ imbuti, impoſuerunt.

II. Eorum occulta conventicula & in his patrata flagitia hoc loco referre vetat pudor, ſed neque neceſſarium eſt: nam divina providentia è latibulis proferri & palam fieri voluit, ne totum genus humanum errori ſubjectum & ad carnis concupiſcentiam pronum obſcœniſſimis eorum ſordibus ſenſim inficeretur. Ne autem peſſimi homines omnia jura violâſſe, omnemque modeſtiam temerè viderentur, ſe divinâ revelatione à legibus ſolutos eſſe jactabant, atque ideò licere ſibi ſuiſque aſſeclis, quicquid



(a) *Pſ.* 118. (b) *Lib. 5. mor. c. 25.* (c) *Bern. ſer. 5. in Cant.* (d) *Pſ.* 138. (e) *2 Cor. 3: 18.* (f) *1. p. q. 1. a. 8. ad. 2.*

(g) *Epheſ. 2: 20.* (h) *Commonit. c. 27.*

carni & sensui placeret: utpotè constitutis veluti in statu innocentiæ supra omnia præcepta divina & humana. Atque utinam hinc discant omnes, illi præsertim qui animas regendas susceperunt, aditum claudere privatis revelationibus, nec illis facilè assentiri, nisi aut miraculis, aut Sacræ Scripturæ testimoniis confirmentur, sicut Canon Innocentii III. præscribit (i). Majorem verò animadversionem exigunt illæ, quæ dispensationem ab aliqua lege vel à voto continere dicuntur: licèt enim fieri possit, ut leges divinæ à Deo, qui illas tradidit, mutari possint, ut docet Bernardus (k), & aliquando reverà mutatæ sint, soluto earum vinculo, ut cùm ipso præcipiente Ægyptii ab Hebræis spoliati sunt (l), cùm Abraham jussus est filium immolare (m), cùm Propheta dixit socio ut percuteret ipsum (n), cùm Oseas ex muliere fornicaria filios suscepit (o), de quibus dispensationibus prolixè differunt sacrarum literarum interpretes: nihilominus si quid nunc simile privatâ revelatione contingeret, fides illi adhibenda nullo modo foret, nisi clarissimè quis cognosceret, dono discretionis spirituum, Deum esse, qui loquitur & revelat; idque veris & approbatis miraculis, tanquam divino testimonio confirmaretur. Cùm enim obligatio præcepti certissima sit, ut aliquis ab ipso eximatur, evidentem dispensationis certitudinem habere debet. Tum juxta regulas hac de re traditas à sanctis Patribus, referenda res est ad Rectores animarum, & in gravioribus ad Summum Pontificem, cui data est à Christo suprema potestas ligandi atque solvendi, & dispensandi, justâ existente causâ dispensationis: nec quis facilè credere debet hujusmodi dispensationibus, aut illis uti sine legitima auctoritate: alioquin, ut præclarè observat Cajetanus, via aperiretur inobedientiis, impudicitiis, & aliis excessibus, asserentibus hominibus se ad talia patranda divinâ revelatione impulsos. Multa de his Cajetanus (p), quæ apud ipsum legi possunt. Neque obstant exempla, quæ ex veteri testamento allata sunt: lex enim umbra fuit futurorum, & tunc populus Israëliticus per prophetias & revelationes regebatur: atque omnia in figura contingebant illis. In lege autem gratiæ nusquam legimus factas revelationes, quâ quis à lege communi solutus sit independenter à Prælatis Ecclesiæ, quibus data est à Christo Domino potestas dispensandi. Tutissimum igitur est, non omni spiritui credere, sed timere, & probare spiritus, si ex Deo sunt: neque limites transilire, quos humanæ gubernationi Deus præfixit. Olim multifariam loquutus est Deus in Prophetis, novissimè autem loquutus est nobis in filio, qui est unicum ipsius Verbum, per quod omnia dixit & revelavit, adeò ut novæ revelationes jam necessariæ non sint, nisi aliquando ad humanorum actuum directionem. De reliquis dixit Dominus Apostolis suis (q), *Omnia quæcumque audivi à Patre meo nota feci vobis.* Ideò viri sapientes unanimi consensu hortantur, ne quis deditus studio orationis revelationes à Deo postulet aut desideret, sed eas potiùs rejiciat exemplo Sanctorum, quos legimus dixisse, se indignos visionibus esse, sibi sufficere peccata sua plangere, & Christum, ac beatos spiritus in futuro sæculo videre: ac propterea oculos & faciem ab illis avertebant; nisi certò scirent, unctione magistrâ, apparitionem à Deo esse. Narrat Ambrosius (r) apparuisse sibi sanctos martyres Gervasium & Protasium, rogasse autem Deum, ut, si ludificatio dæmonum esset, abscederet: si verò esset veritas, plenius appareret. In vitis quoque Patrum scriptum est (s), *Quia vel si pro veritate Angelus tibi appareat, non suscipias facilè, sed humilia temetipsum dicens, Non sum dignus Angelum videre vivens in peccatis.* Primi verò parentes omnes secum morte damnârunt, quia dæmoni falsa revelanti statim crediderunt. Utrobique periculum est, sive spiritum à Deo missum tanquam malum aversemur: sive sathanam pro Angelo lucis suscipiamus. Propterea ad orationem, & ad consilium Patris spiritualis confugiendum est; & omnino cavendum, ne hujusmodi singularia dona, quæ ex sola Dei voluntate procedunt, nos ex proprio conatu seu virtute appetamus. Proveniunt enim hæc desideria ex superbia, ex vana curiositate, & ex defectu fidei. *Hinc etiam in ipsa religione,* inquit Augustinus (t), „ Deus tentatur, cùm „ signa & prodigia flagitantur, non ad aliquam „ salutem, sed ad solam experientiam desiderata. Tradit hoc ipsum documentum à Deo edocta Catharina Senensis (u): „ Quia diabolus videt „ animam dispositam optare seu recipere menta„ les visiones, tentationis laqueum invenire conatur. Unde ipse in illa mente se transformat diversis

(i) *Cap. cum ex injuncto, de hæreticis.* (k) *De præcepto & dispens. cap. 3.* (l) *Exod. 12.* (m) *Gen. 22.* (n) *3 Reg. 20: 35.* (o) *Oseæ 1.* (p) *2. 2. qu. 174. a. 6.*

(q) *Joa. 15: 15.* (r) *Lib. 7. epist. 1.* (s) *Lib. 5. libello 15. c. 69.* (t) *Lib. 10. conf. 6. 35.* (u) *Dialog. cap. 71.*

„ versis modis. Aliquando sub forma meæ veri-
„ tatis, videlicet Jesu Christi : aliquando sub An-
„ gelica forma se demonstrat, vel aliquorum
„ Sanctorum meorum, sicut intellexerit animam
„ libentiùs acceptare. Hæc autem facit, ut eam
„ illaqueare possit hamo propriæ delectationis
„ spiritualis. Et nisi sollicitè consurgat anima
„ cum humilitate profunda, contemnendo vi-
„ siones & revelationes istas, hoc hamo capta
„ remanet in manu diaboli. Asserit etiam vir Venerabilis Joannes à Cruce (x) non posse animam dæmonis illusiones evadere, nisi à visionibus & revelationibus abhorreat, nulla siquidem necessitas eas volendi & admittendi apparet, quin potius recusare illas oportet, ut ad unionem amoris accessus pateat. Hoc enim significare voluit Salomon cùm dixit (y), *Quid necesse est homini majora se quærere?* ac si patentiùs dixisset : nulla suppetit necessitas ad assequendam perfectionem modo inusitato supernaturalia optandi, & res quæ capacitatem superant requirendi. Quia tamen viæ Domini diversæ sunt, & unum quidem viâ tritâ per communes exercitationes, alterum semitâ occultâ per visiones & revelationes ad se trahit, ne quis ambulans inassueto tramite in laqueos diaboli incidat, certæ quædam regulæ tradendæ sunt, quibus veræ revelationes à falsis discernantur.

III. Difficillima hæc res est, quam ut clarè & methodicè, quantùm fieri potest, expediamus, quæcunque ad eam pertinent, ad tria capita revocanda sunt ; ad personam scilicet cui facta est revelatio, ad ipsam revelationem, & ad ejus circumstantias. De singulis autem quædam veluti leges tradendæ, quæ ad rectè & prudenter de re proposita judicandum necessariæ sunt.

1. Ordior à persona, cui facta revelatio perhibetur. Ejus in primis examinanda fides, an sit verè Catholica, quia *sine fide impossibile est placere Deo* (z). Quod si in fide nulla sit labes, adhuc observandum est, an mores fidei consentiant, quia *fides sine operibus mortua est* (a). Ideò non credendum superbis, pervicacibus, avaris, carnalibus, iracundis, impatientibus, hypocritis : illis etiam, qui præcipites, indiscreti, & inconstantes in spiritualibus exercitiis sunt : qui sine legitima missione in officia pastoralia se ingerunt ; qui mulierculas peccatis onustas, ut olim Montanus & alii hæresiarchæ, circumducunt : qui nova & singularia pietatis & pœnitentiæ exercitia à superioribus non approbata disseminant : qui affectatæ sanctitatis indicia præbent ; qui discordias & dissidia serunt ; qui adhuc imperfecti & incipientes se temerè jactant ad fastigium perfectionis perveniisse : qui aliorum spernentes consilia, & Superiorum examen subterfugientes se de omnibus à Spiritu Sancto doceri gloriantur : qui se ab aliis contemni ægrè ferentes eos odio prosequuntur, qui vitam & mores ipsorum non probant : qui in ipsis revelationibus sibi complacent, &, cum illis carent, impatientes & tristes fiunt.

2. Attendendum, an solidâ & profundâ humilitate prædita sit. Vera enim revelatio humanæ miseriæ & imbecillitatis agnitionem parit, & ut S. Macarius Ægyptius ait (b), *Anima, quæ verè Deum ac Christum diligit, licèt mille justitiæ opera ediderit ; licèt dona spiritûs varia, aut etiam revelationes cœlestes consequi digna habeatur, ita se gerit, ac si nihil fecerit, & nihil haberet propter immensam & insatiabilem dilectionem.* Hinc Isaias, cùm vidit Deum sedentem in solio excelso, protinus se virum pollutum labiis professus est (c) : Jeremias quoque, cùm se à Domino sanctificatum percepisset, se infantem & elinguem prædicavit (d). Apostoli auditâ voce Dei Patris dicentis, *Hic est filius meus dilectus*, ceciderunt in faciem suam & timuerunt valdè (e). Paulus, ut observat Ambrosius (f), in infirmitatibus sibi placuit, non in revelationibus. Ante annos quatuordecim revelationem se habuisse scribit (*), & tamen eam apud se tamdiu tenuit & repressit ; nec dixisset, nisi utile nobis judicasset ut diceret ; *ne nos revelationibus extolleremur. Si enim in tanta gratia non est gloriatus Paulus, nec nos gloriari oportet.* Si quis ergò ex revelatione in superbiam elatus se aliis præfert, si aliquod præbet indicium propriæ æstimationis, non veram revelationem, sed illusionem habuisse censendus est. Humilitas siquidem, teste Hieronymo (g), prima virtus Christianorum est, omniumque virtutum fundamentum, ut docet Angelicus Doctor (h), removens superbiam, cui Deus resistit ; *ut sciamus*, inquit Apostolus (i), *quæ à Deo donata sunt nobis* : neque enim homo idoneus est ad divinos influxus percipiendos, nisi cognoscat quòd ex se nihil potest, sed Deus est qui operatur omnia in nobis : *& hoc*



(x) *Lib. 2. ascensus montis Carmeli cap. 21. 27.* (y) *Eccl. 7. 1.* (z) *Hcb. 11 : 6.* (a) *Jacob. 2 : 20.*

(b) *Hom. 10.* (c) *Isai. 6 : 5.* (d) *Jerem. 1 : 6.* (e) *Matth. 17 : 6.* (f) *In Psal. 36 : 20.* (*) *2 Cor. 12.* (g) *Epist. 27. c. 7.* (h) *2. 2. qu. 161. art. 5. ad 2.* (i) *1 Cor. 2 : 12.*

*ipsum est sapientiæ scire cujus hoc donum sit* (k). Aliud est autem superbiam ex revelatione oriri, aliud post revelationem ad eam diabolicâ tentatione moveri, nam primum falsæ revelationis signum est, alterum nequaquam, cùm ille præsertim, qui ad elationem excitatur, fortiter hosti reluctatur.

3. Considerandæ corporis constitutio, ex qua plerumque animi mores pendent. Etenim facilè decipi possunt, qui parum firmâ valetudine utuntur: qui turbidæ ac vehementis imaginationis sunt: qui atrâ bili abundant, quæ depravare phantasiam solet, variasque imagines turbatis sensibus imprimere, adeò ut vigilantes sibi somnia fingant, atque ea se videre & audire existiment, quæ nec visu nec auditu percipiunt. Ex longa item inedia, crebrisque jejuniis, ac immoderatis vigiliis exsiccato cerebro, dissipatisque spiritibus inania phantasmata repræsentantur, quibus illusa mens tanquam divinis revelationibus pertinaciter adhæret. Plurimum quoque refert, disquirere & cognoscere, qualis sit & fuerit is, qui habet revelationes, an studio virtutum & orationis sedulò incumbat: an vivat proprio arbitrio, vel sub obedientia discreti, experti, & maturi præceptoris: an integer animi sit, ac bonæ indolis: an moderatus in sermone, sive de rebus divinis, sive de indifferentibus instituatur: quâ patientiâ toleret adversitates & contradictiones: an suas revelationes passim evulget, & quo fine: quomodo & à quibus instructus fuerit: cum quibus conversetur: quibus exercitationibus assueverit, quibus studiis delectetur: sitnè pauper an dives, nam in pauperibus fictio, in divitibus ambitio timenda est: sitnè senex, an puer; nam senes exhaustis viribus sæpiùs deliranr; pueri autem, qui cerebro humidiori sunt, facilè commoventur, & falsa pro veris apprehendunt. Fraus etiam vel deceptio in incipientibus metuenda est; citò enim fallitur novitius fervor, præcipuè in adolescentibus, quorum ardor nimius est, motus inconstantes, impetus præceps & effrænis. Nec omittenda est aliarum revelationum, si quæ præcesserunt, consideratio, an veræ fuerint, an à peritis approbatæ: an unquam diabolus eos deceperit, vel decipere conatus sit.

4. Major cautio erga fœminas adhibenda, quarum sexus eò suspectior est, quò imbecillior. Naturæ sunt humidioris, & ex vehementia cogitationum & affectuum putant se videre quæ cupiunt, & quod ab animi perturbationibus nascitur, quæ in ipsis accerrimæ sunt, à veritate oriri credunt: cumque ratione minùs polleant, non est difficile diabolo earum nativâ imbecillitate uti, ut eas primùm variis illusionibus decipiat, & per easdem alios in errores inducat. Notabile est quod de sanctissima matre sua scribit Augustinus (l); nam cùm maximè optaret è libidinis cœno filium educere, de futuro ejus matrimonio jugiter cogitabat, optans aliquid de illo sibi per visum ostendi. „ Et videbat quædam vana & „ phantastica, quo cogebat impetus de hac re „ satagentis humani spiritus, & narrabat mihi, „ *ait Augustinus*, non cum fiducia quâ solebat, cùm tu demonstrabas ei, sed contemnens ea. Et hæc quidem decepta non fuit, quia gratiâ discretionis prædita sciebat, quid interesset inter Deum revelantem & animam suam somniantem. Sed quia non omnibus hoc datum est, debent Prælati & Rectores animarum mulierum revelationibus obsistere, & eas spernere, & increpare, quòd ambulare audeant in mirabilibus super se. Tum in earum mores studiosè inquirendum, an sint vagæ, garrulæ, superbæ, avaræ, criminatrices: an aliquam vel minimam impudicitiæ suspicionem præbeant: an contra præceptum Apostoli in officium docendi & prædicandi se ingerant: an cum suis Confessariis & instructoribus modestè se gerant, nam si prætextu confessionum vel institutionum continuis collocutionibus diem terant, sintque totæ in narrandis visionibus & revelationibus, nulla pestis pernicioſior est, nullum venenum insanabilius. Hinc doctissimorum virorum lapsus orti sunt, hinc plures Ecclesiæ columnas corruisse ex Ecclesiastica Historia didicimus & deploramus. Omnes hæreses mulierculorum ope aut inventas aut disseminatas præclarè Hieronymus docet ad Ctesiphontem ita scribens (m). „ Simon Magus hæresim „ condidit Helenæ meretricis adjutus auxilio. „ Nicolaus Antiochenus omnium immundi„ tiarum repertor choros duxit fœmineos. Mar„ cion Romam præmisit mulierem, quæ deci„ piendos sibi animos præpararet. Apelles Phi„ lomenen suarum comitem habuit doctrinarum. „ Montanus immundi spiritus prædicator mul„ tas ecclesias per Priscam & Maximillam nobi„ les & opulentas feminas primùm auro corru„ pit, deinde hæresi polluit. Dimittam vetera, „ ad viciniora transcendam. Arius ut orbem de„ ciperet, sororem Principis ante decepit. Dona„ tus

(k) *Sap.* 8. 21.

(l) *Lib.* 6. *conf. c.* 13. (m) *Adv. Pelagium.*

„ tus per Africam, ut infelices quosque fœtenti-
„ bus pollueret aquis, Lucillæ opibus adjutus est.
„ In Hispania Agape Elpidium, mulier virum,
„ cœcum cœca duxit in foveam, successoremque
„ sui Priscillianum habuit Zoroastris magi studio-
„ sissimum, & ex mago Episcopum: cui juncta
„ Galla non gente, sed nomine, germanam huc il-
„ lucque currentem alteriùs & vicinæ hæreseos
„ reliquit hæredem. Possem & alia multa attexe-
re sequentium sæculorum exempla, sed hæc abun-
dè sufficiunt ad eorum instructionem & cautelam,
qui animas regendas susceperunt, ne facilè credant
mulierum revelationibus, illis exceptis quas lon-
gâ experientiâ & diligenti examine probaverint
à Deo esse.

5. Sic ab hominibus humânâ & divinâ sapien-
tiâ præditis S. Theresiæ visiones & revelationes
approbatæ fuerunt variis indiciis & argumentis,
quæ operæ pretium est hîc summatim referre, ut
ad hæc veluti ad lydium lapidem oblatas revela-
tiones examinare, bonumque spiritum à malo di-
scernere valeant, quicumq; huic curæ incumbunt.
Spiritum igitur Theresiæ bonum esse, & veras re-
velationes hęc signa demonstrârunt. Semper time
bat diabolicas illusiones, ac propterea numquam
visiones petiit aut desideravit: imò potiùs Deum
exorabat, uteam duceret per viam consuetam, hoc
solum optans, ut fieret in ea divina voluntas. Cùm
soleat dæmon præcipere, ut quæ revelat nemini
dicantur; illa semper à spiritu sibi apparente au-
diebat, ut communicaret cum viris doctis, ne for-
tè tacens deciperetur: ideò se virorum illustrium
examini subjecit, qui tunc doctrinæ & sanctitatis
laude in Hispania florebant, quales fuerunt Pe-
trus de Alcantara, Franciscus Borgia, Joannes
Abulensis, Balthasar Alvarez, Dominicus Ban-
nes, & alii. Suis directoribus exactissimè obedie-
bat, & post visiones magis in charitate, ac humili-
tate proficiebat. Libentiùs cum illis agebat, qui
minùs creduli & magis timidi erant; eosque magis
amabat, à quibus persecutiones patiebatur. In
ejus mente summa tranquillitas & jucunditas e-
rat, exuperans omnes mundi consolationes: ar-
dentissimus in ea zelus salutis animarum, puris-
mæ cogitationes, magnus candor, fervens deside-
rium perfectionis. Si quæ in illa imperfectio, si
quis defectus erat, de illo semper reprehendi ab
eo solebat, qui intus illi loquebatur. Dictum est
ei, ut, si quæ justa sunt à Deo peteret, ea indubi-
tanter obtineret: multa autem petiit, & semper
obtinuit. Quicumque cum illa versabantur, nisi
prava dispositio obstaret, ad modestiam, ad pieta-
tem, ad amorem Dei ex ejus consuetudine excita-
bantur. Visiones ut plurimùm ei contingebant
post longam & ferventem orationem, sive post
communionem: & in illa accendebant ardentissi-
mum desiderium pro Deo patiendi. Carnem suam
jejuniis, flagellis, ciliciis castigabat; & gaudebat in
tribulationibus, murmurationibus, & infirmitati-
bus. Solitudinem amabat abhorrens ab hominum
conversatione, & ab omni rerum terrenarum affec-
tu prorsus avulsa. Tam in prosperis, quàm in ad-
versis eundem semper tenorem, eandem animi
tranquillitatem servabat. Nihil unquam in ipsius
revelationibus, earumque adjunctis viri docti ob-
servârunt, quod à regulis fidei & Christianæ per-
fectionis alienum esset: nec erat in illis quod pos-
set reprehendi. Hæc signa si in aliquo deprehensa
fuerint, nullatenus dubitandum, quin ejus revela-
tiones à Deo sint. Hoc etiam in persona, quæ ha-
bet revelationes, discutiendum est, an ejus actiones
lumini, quo imbuitur, consentaneæ sint: an sit fi-
delis divinæ dispositioni, eique pareat eâ pace, hi-
laritate, ac vigilantiâ, quæ necessaria est: an in
cordis simplicitate ex fide vivat, nec variis ac in-
utilibus desideriis agitetur; sitque constans in via
& vocatione sua; an omnes ejus operationes &
conatus extensioni gratiæ, quâ prædita est, com-
mensurentur, nec ultra extendantur: & quia gratia
amorque crucis pari passu gradiuntur, seriò atten-
dendum est, an crucem verè amet & desideret,
mundiq; leges & sensuum illecebras abominetur.

IV. Sed à personis ad ipsas revelationes pro-
grediendum est & examinandum, quale sit illud,
quod revelatur.

1. Veritas autem primo loco attendenda est,
& consensus rerum revelatarum cum sacris lite-
ris, cum divinis & apostolicis traditionibus, cum
moribus & definitionibus Ecclesiæ; dicente Apo-
stolo ad Galatas (n), quòd si Angelus de cœlo e-
vangelizet nobis præter id quod accepimus, ana-
thema sit. Et idem Thessalonicensibus edixit (o).
*Tenete traditiones, quas didicistis.* Ecclesiæ verò
infallibilis est auctoritas Apostolis attestantibus,
qui hâc gravissimâ formulâ in definiendo usi sunt,
*Visum est spiritui sancto & nobis* (p). Quod si ali-
quid in revelationibus reperitur, quod his ali-
quo modo adversetur, tanquam mendacia &
illusiones rejiciendæ sunt; Deus enim veri-
tas est & illi canit Psalmographus (q), *Prin-
cipium verborum tuorum veritas.* Quapro-
pter Epiphanius (r), Maximillæ revelatio-



(n) *Cap.* 1:8. (o) 2. *c.* 2. 14. (p) *Act.* 15: 28. (q) *Psal.* 118. (r) *Hær.* 48.

nibus credendum non esse asserebat, quia sacris literis non conveniebant. In hanc sententiam egregiè loquitur Richardus à S. Victore (*s*): *Suspecta est mihi omnis veritas, quam non confirmat Scripturarum auctoritas, nec Christum in sua claritate suscipio, si non assistant ei Moyses & Elias. Si Christus docet me de rebus exterioribus vel de intimis meis, facilè recipio, utpotè in his quæ comprobare possum proprio experimento. Verùm ubi ad alta mens ducitur, quoniam de cœlestibus quæstio ventilatur, ubi de profundis rebus agitur, in tanta sublimitatis vertice non recipio Christum sine teste, nec rata poterit esse quamlibet verisimilis revelatio, sine attestatione Moysis & Eliæ, sine Scripturarum auctoritate.* Hanc normam secutus est princeps Apostolorum (*t*), Christi enim transfigurationem enarrans, & vocem à Deo Patre delapsam, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite*; quam se audisse testatur, cùm esset cum ipso in monte sancto, speculator factus illius magnitudinis; noluit tamen ei revelationi inniti, nisi quatenus Prophetarum oraculis consentanea fuit. Et ideò ait, *habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco*: ac si apertè diceret, quamvis vox è cœlo delapsa revera à Deo Patre manârit, sermo tamen propheticus certior est & firmior omni scientiâ, omnique visione & revelatione, quia falli sensus possunt, Scriptura sacra non potest. Quia verò sectarii ipsam Scripturam ad sua dogmata comprobanda perversâ interpretatione detorquent; cavendum solicitè est, ne alio sensu explicetur, quàm qui illi tribuitur ab Ecclesia, quæ, cùm sit columna & firmamentum veritatis, auctoritatis suæ pondere homines firmat, ne circumferantur omni vento doctrinæ, sed verum Scripturæ sensum à supposititio & adulterino discernant.

2. Ut constet, revelationem à Deo esse, inspiciendum est, an habeat conditiones, quas sapientiæ à Deo revelatæ Jacobus Apostolus tribuit dicens (*u*): *Quæ autem desursum est sapientia, primùm quidem pudica est*; pura scilicet & abstracta ab omni carnali & terrena voluptate: *deinde pacifica*, semperque tranquilla, & cum nemine contendens: *modesta* & composita in habitu, gestu, & conversatione: *suadibilis*, aliorum scilicet judicio facilè cedens: *bonis consentiens*, eorumque sententiæ acquiescens: *plena misericordiâ & fructibus bonis*, id est, bonis operibus, atque in omnes indigentes opes suas abundanter effundens: *non judicans*, sicut plerique faciunt, qui aliorum mores & facta disquirunt, & perperam interpretantur; *sine simulatione*, sine dolo & fraude, simplex et sincera. Hæ sunt notæ, hi characteres veræ sapientiæ; hæ virtutes, ad quas excitat divina revelatio: quòd si ad lites, ad contentiones, ad curas seculi, ad vanitatem, ad superbiam, ad pertinaciam ea, quæ revelantur, impellunt; proculdubio à carnali & mundana sapientia, quæ non percipit quæ sunt spiritûs Dei, vel à spiritu maligno oriuntur.

3. Si, quod revelatur, eò tendit, ut opus aliquod grande & inusitatum suadeat, non statim ei revelationi tanquam à Deo immissæ credendum; sed ad examen & judicium superiorum referenda est, sicut docet Cassianus (*x*), „ Ut nihil quis suo judicio credens illorum per „ omnia definitionibus acquiescat; & quid bo„ num vel malum debeat judicare, eorum tra„ ditione cognoscat. Callidus enim hostis bonum aliquod interdum suggerit, quod majus & perfectius videtur, ut falsâ ejus specie mens decepta ab eo, quod verè bonum est, recedat; & malo sensim adhæreat. Nihil siquidem vero bono magis contrarium, quàm falsa majoris boni species & apprehensio. Sæpè etiam ad bona quædam perfectiora incitat, quæ propriæ professioni & vocationi non congruunt: Sic uxori alligato eremum suadet, solitudini addicto gentium conversionem, infirmo & debili immoderata jejunia, patri-familias studium contemplationis abjectâ curâ rerum domesticarum. Alios movet ad miserationem erga pauperes, ut eos ad avaritiam & amorem pecuniæ, prætextu largiendæ eleëmosynæ, impellat. Veris item & bonis falsa atque mala permiscet, ad aliqua bona exhortans, & vitia quædam reprehendens, ut conciliatâ sibi apud incautos auctoritate, postea ad mala incitet, blandisque sermonibus venenum instillet.

4. Cùm diversæ & inter se pugnantes diversis personis de eadem re revelationes fiunt, contingere potest, ut una vera, altera falsa sit, satagente diabolo priorem veram sequenti falsâ eludere: ut plurimùm tamen ambæ suspectæ & dubiæ sunt, ac propterea accuratiùs examinandæ. Falsa quoque vel saltem suspecta habenda est revelatio,

(*s*) *De præp. anim. ad cont. cap.* 81. (*t*) 1 *Petri* 2.
(*u*) *Jac.* 3: 17.
(*x*) *Coll.* 2. *cap.* 19.

latio, cùm ea quæ revelantur ad Dei gloriam & hominum salutem non spectant : cùm quis luce & splendore in conspectu aliorum perfunditur, nisi sit verè humilis, & diu probatæ sanctitatis : cùm manifestantur alicujus occulta peccata, quæ scire nihil prodest ; si præsertim ad ea evulganda, quis impellatur ; quòd si alicui detegantur, ut peccatorem arguat ; subsistere nihilominùs debet, & correctionem differre, donec cognoscat à quo spiritu sit illa motio. Quia verò Deus ea dumtaxat revelare solet, quæ hominum scientiam excedunt, suspecta redditur revelatio, utpotè non necessaria & supervacua, cùm id, quod revelatur, humanâ intelligentiâ percipi potuit. Porrò cùm agitur de revelationibus futurorum eventuum, quorum veritas ex successu pendet, notanda est regula, quam ex Angelico Doctore (y), tradidimus supra (z), posse scilicet revelationem veram esse licet effectus minimè sequatur. Nam præter rationem ibidem allatam aliquando exitus rei, quæ revelatur, aliter à nobis, aliter à Deo intelligitur : & ideò humanus loquendi modus in his minimè attendi debet, si falli & errare nolumus. De Christo ejusque regno multa Deo revelante à Prophetis prædicta sunt, quæ à carnalibus Hebræis de regno temporali intelligebantur, cùm de spirituali & æterno scripta sint. Legi potest hac de re diffusè tractatus Venerabilis Joannes à Cruce in ascensu Montis Carmeli (a). Docet etiam Bonaventura, familiare esse viris piis decipi in revelationibus : sæpè enim orantes ex Dei inspiratione pro alicujus negotii expeditione, conceptâ fiduciâ rei obtinendæ, putant se exaudiri, & quòd confidentiâ proprii sensus loquuntur, à spiritu sancto oriri existimant, & in hoc decipiuntur falsa pro veris, incerta pro certis prædicentes.

5. Solam frequentiam revelationum eas suspectas reddere S. Franciscus Salesius docet (b), cùm præsertim illa revelantur, quæ nonnisi rarò manifestari solent, & quæ scire non expedit, cujusmodi sunt certitudo salutis, confirmatio in gratia, gradus sanctitatis ad quem quis pervenit, & alia ejusdem generis. Petierat à Gregorio magno hujusmodi revelationem nobilis mulier, cujus curiositatem sanctus Pontifex redarguit his verbis (c). „Quod verò dulcedo tua in „suis epistolis subjunxit, importunam se mihi „existere, quoadusque scribam mihi esse revela-„tum, quia peccata tua dimissa sunt, rem & „difficilem & inutilem postulasti. Difficilem „quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio „fieri debeat, inutilem verò, quia secura de pec-„catis tuis fieri non debes, nisi cùm jam in die „vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata mi-„nimè valebis. Quæ dies quousque veniat, „semper suspecta, semper trepida metuere cul-„pas debes, atque eas quotidianis fletibus la-„vare. Certè Paulus Apostolus jam ad tertium „cælum ascenderat, in paradisum quoque du-„ctus fuerat, arcana verba audierat, quæ homi-„ni loqui non liceret : & tamen adhuc trepidans „dicebat, *Castigo corpus meum, & servituti subjicio, ne fortè aliis prædicans ipse reprobus efficiar* (d). „Adhuc timet, qui jam ad cœ-„lum ducitur, & jam timere non vult, qui ad-„huc in terra conversatur ? Perpende, dulcissi-„ma Filia, quia mater negligentiæ solet esse „securitas. Habere ergò in hac vita non debes „securitatem. Magni etiam periculi res est pacisci cum amico, ut statum suum post mortem revelet : aditus enim aperitur illusionibus, & qui sic inter se constituunt, vix à defectu fidei & à vana curiositate excusari possunt. Quare satiùs est, ambulare in fide, propriamque salutem cum timore & tremore operari.

V. Postremo loco intueri oportet, quæ & quales sint circumstantiæ revelationum ; proprium enim & accuratum examen requirunt.

1. Revelationes, quæ ex diabolo sunt, multos habent annexos discursus & rationes ad persuadendam earum veritatem : tum ingens animæ disiderium ingerunt eas in vulgus edendi & publicandi : at si verè à Deo sunt, qui ipsas recipit, silentio premit, soliique confessario humiliter detegit, cujus consilio credit & paret, nihil sibi tribuens, nihil dijudicans. Viros sanctos legimus, revelationes suas numquam aliis aperuisse, nisi charitas poscceret, aut superioris jussio urgeret. Divini spiritus indicium est, ab omni re, quæ notabilem hominem faciat, abstinere ; de seipso modestè loqui, nec verba illa arrogantiæ plena usurpare, hæc mihi Deus locutus est, hæc revelavit. Ne quis verò decipiatur, optimum consilium est observare, quo fine quis moveatur ad ipsas revelationes manifestandas, levitatene, an vanitate ; utilitate propriâ an alienâ ; uniusne, an multorum : an aliqua appareat nota cupiditatis, avaritiæ, vel propriæ æstimationis : quibus verbis in ipsa narratione utatur,

(y) 2. 2. *qu.* 171. *a.* 6. *ad* 2. (z) *Cap.* 17. §. 5. *n.* 1. (a) *Lib.* 2. *c.* 19. & 20. (b) *Lib.* 2. *ep.* 23. (c) *Lib.* 6. *ep.* 22.

(d) 1 *Cor.* 9: 27.

tur, an humilibus & verecundis, an tumidis & inconsideratis: an paucis se expediat, seu potiùs prolixior sit. Illud quoque perpendendum, quod S. Theresia docuit, rebus scilicet, quæ revelantur, nullam fidem adhibendam esse ex eo præcisè quòd revelatæ sunt; sed si ad fidem pertinent, illis propter fidem credendum est: si aliquid præcipitur, ad superiorem deferendum, ejusque mandato accedente ex obedientia peragendum est. Hâc viâ ambulans nunquam errabit.

2. Cùm Deus aliquid revelat, non loquitur humano modo, unum verbum post aliud proferens, sed plures simul sententias brevi momento promit; sicut periti nummularii, cùm pecuniam solvunt, non unum nummum post alium singillatim dinumerant, sed plures simul uno jactu in mensam effundunt. Hoc modo sibi revelatam à Christo regulam, quam scripsit, S. Brigitta testatur (*e*); quæ cùm satis diffusa sit, brevissimo tamen temporis spatio ita illi dictata fuit, ut nullo modo ipsa enarrare, aut alii comprehendere queant, qualiter brevissimo horæ momento tot simul verba proferri aut percipi possent. Agit de hac mirabili Dei loquela Gregorius in moralibus, qui inter Cætera ait (*f*): *Cùm Deus per semetipsum loquitur, de verbo ejus sine verbis & syllabis cor docetur. Sine strepitu sermo est, qui & auditum aperit, & habere sonitum nescit.*

3. Revelationis accessus perpendendus est, an turbulentâ motione hominem quatiat, & quasi æstuantem jactet; an verò placidè & tranquillè adveniat: an in principio lætitiam ingerat, quæ statim in tristitiam convertatur; an potiùs horror initio concipiatur, qui sensim amoveatur & in gaudium desinat: hoc enim veræ, illud falsæ revelationis indicium est. Quòd si in principio vel in progressu accipiens revelationem in terram labitur, ut aliquando contigisse legimus, & inusitatis motibus concutitur, & in his apparet quidpiam indecorum, & quod oculos intuentium offendat, nullum est dubium, quin à diabolo sit. Illi verò, quibus dæmon apparet, vix malum aliquod vel incommodum evâdunt; ipso saltem horrore vultus notabiles sunt. Loci etiam ratio habenda est, pandit enim Deus secreta sua animæ ab hominum frequentia segregatæ: ac propterea suspectæ sunt revelationes, quæ in publicis locis contingunt, sicut supra de ecstasi dictum est. Discutiendæ item cogitationes, quæ præcesserunt & concomitantur, quia ad hominem prava animo agitantem non advenit Spiritus Sanctus. Denique effectus revelationis attendi debent, nam falsa malum exitum semper habet.

4. Ex lumine infuso, quo mens imbuitur, certitudo Dei revelantis & rerum revelatarum colligitur, quemadmodum lumine naturali prima scientiarum principia cognoscimus, & ex iis conclusiones deducimus. Nam sicut vox & se, & loquentem, & rem, cujus est signum, manifestat: ita supernum hoc lumen non solùm Deum revelantem, & ea quæ revelantur, sed etiam seipsum palam facit. Ejus siquidem munus est, mentem illustrare, ut certò sciat, Deum esse qui loquitur, quo posito sequitur necessariò vera esse & infallibilia quæ revelantur. Perfudit Abrahami mentem hoc lumen, cùm ad filium immolandum se paratum exhibuit, nullatenus dubitans, quin Deus esset, qui sibi hâc victimâ litari præceperat. Nec aliter Samson seipsum cum hostibus ruinâ domûs oppressit, quia luce divinâ perfusus hoc gratum Deo futurum perspexit. Sic quædam sanctæ Virgines in ardentem rogum se ultrò in testimonium fidei projecerunt, Deo impellente & mentem illuminante: neque enim de illis aliud credere fas est, quarum martyria publico cultu Catholica Ecclesia veneratur. Quia tamen hoc lumen non semper in divinis revelationibus adest, sanum consilium est eas superiori referre, qui ex regulis traditis videat, *utrum divina jussio nullo nutet in certo*, sicut sapienter monet Augustinus (*g*).

5. Ex veris & divinis revelationibus semper anima proficit in cognitione veritatis, & in doctrina ac scientia Sanctorum; & ideò inspiciendum, an sermo hominis post revelationem cœlestem sapientiam redoleat, an potiùs terrenam, quæ apud Deum stultitia est. Scriptum est enim (*h*), *Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius: sic verbum ex cogitatu cordis hominis. Ante sermonem non laudes virum: hæc enim est tentatio* seu probatio *hominum. Ex abundantia cordis os loquitur, & bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala* (*i*). His notis discernitur spiritus, à quo sermo procedit. Nam bonus homo sanam doctrinam loquitur, & omnis narratio ejus in præceptis Altissimi: ori suo frœnum imponit, solicitè præcavens, ne in sermone labatur: velox est ad audiendum, tardus ad loquendum; tacendi & loquendi tempus distinguens: sermo ejus sale conditus

(*e*) *Regulæ cap.* 29. (*f*) *Lib.* 28. *cap.* 7.

(*g*) *Lib.* 1. *de Civit. Dei cap.* 26. (*h*) *Eccl.* 27: 7.
(*i*) *Matth.* 12.

ditus est, adeò ut, qui eum audiunt, compuncti dicant, *verè Filius Dei est iste.* Malus verò per multa phantasmata, multasque ambages in sermone vagatur: verba grandia, magnifica, inusitata profert, quibus admirationem in audientibus, sibique laudem conciliet: modum non habet, nec linguam continere potest intra terminos rectæ rationis: à recepta sanctorum Patrum doctrina sermo ejus recedit, & novas adinventiones amplectitur, non cessans cœlestes jactare revelationes, sicut olim doctissimus, sed infelicissimus Tertullianus. Quia verò divina charismata, quibus animam à rebus omnibus avulsam, sibique soli unitam illustrat Spiritus Sanctus, altissima nonnunquam & ineffabilia sunt, adeò ut ab ipsa vix intelligi, multò minùs verbis explicari queant; sedulò cavendum est, ne dum uni periculo nos subducere satagimus, in alterum gravius labamur. Nam cœlestium donorum sublimitas sæpè excedit vim & significationem omnium vocum, quas ad promendos animi conceptus homines instituerunt; & si quis ea, ut par est, directori pandere velit, lingua cordi non sufficit; unde necesse est, ut nova vocabula novasque phrases fingat, quibus singularia Dei dona sibi concessa manifestet, quas sanè voces carnales homines non percipientes, præcipiti sententiâ veluti erroneas damnare solent. Traducitur hoc nomine à nonnullis mystica Theologia, ac si voces contineat obscuras, horridas, inauditas, inintelligibiles, & à placitis Philosophorum ac Theologorum dissentientes, quas vel ludibrio habent tamquam nullius momenti; vel nihil differre putant ab erroribus Begardorum & Illuminatorum dudum damnatis. Integri voluminis res est, mysticam Theologiam à calumniis imperitorum vindicare, & nos fortassis de hac re alibi, Deo opitulante. Interim monemus, nemini ex hoc capite erroris sive illusionis notam inurendam, si cum mystico ejus eloquio sanctioris vitæ ac veræ revelationis tradita signa consentiant. Habet mystica Theologia suas voces, quas terminos vocant dialectici, sicut omnes artes & scientiæ: & cùm sit omninò supernaturalis, ejus principium, finis, & media, modusque tendendi in finem, voces quoque & phrases, quibus traditur, naturæ ordinem ac vires, atque humanæ sapientiæ verba transcendunt.

Sed jam tempus est hujus libri finem facere cum gratiarum actione æterno Deo vivo & vero, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ipsi gloria in secula seculorum. Amen.

# INDEX CAPITUM.


Caput I.

*Scopus hujus Libri. Quanta sit hujus Discretionis difficultas, & undè oriatur. Ejusdem necessitas. Ejus defectu plures & horribiles lapsus. Ad eam impetrandam oratio.* Pag. 223

Cap. II. *Duplicem esse gratiam, quarum una justificans & gratum faciens, altera gratis data. Quid utraque sit. Discretionem Spirituum inter gratis datas potissimum locum habere. Quid sit hæc Discretio. An detur per modum habitus. Quid ad eam requiratur. Duo ejusmodi, unus à Deo infusus, alter per modum artis.* 225

Cap. III. *Ad quid se extendat Discretio spirituum. Varii hominum motus & affectiones. Vox* spiritus *quid significet. Quid & quotuplex sit spiritus, ad tres revocari, quorum unus intra nos, duo extra sunt.* 228

Cap. IV. *Difficile esse discernere à quonam principio sint instinctus, & motus nostri, ab intrinseco, an ab extrinseco. notæ aliquot & regulæ ad id traduntur.* 231

Cap. V. *Judicium quo sit Discretio non esse certum, & infallibile, nisi adsit expressa revelatio. Ad rectè discernendum inter varios spiritus per modum artis multa requiri. Quædam ad id regulæ præscribuntur.* 234

Cap. VI. *Spiritus sive instinctus divinus quid sit. Quot & quibus modis animam excitet & moveat. Traduntur regulæ & indicia, quibus à diabolico discerni possit.* 238

Cap. VII. *Dari quandoque instinctus obscuros & suspectos, de quibus dubium est à quo spiritu sint. Quæ cautio in iis adhibenda. Quædam pro illorum examine documenta. Agitur obiter de singulari quorundam vita, & de dono lacrimarum.* 242

Cap. VIII. *Diversas esse motiones divini spiritûs. Ad eas dignoscendas mutæ regulæ assignantur. De multiplici loquela Dei, ejusque discretione. Quibus signis vera locutio à falsa internoscatur.* 247

Cap. IX. *Quæ signa divinam inspirationem antecedant, comitentur, & subsequantur. Quomodo optanda & recipienda sit.* 255

Cap. X. *De motione quæ fit ministerio Angelorum. Quomodo loquantur & illuminent. An hominum mentibus illabi possint.* 257

Cap. XI. *De spiritu diabolico, ejusque signis. Quæ sint diaboli artes & astutiæ. Variæ ejus illusiones. Quædam de Energumenis. De spiritu carnali & mundano.* 260

Cap. XII. *De spiritu humano. Mira ejus diversitas. Unde hæc oriatur. Quàm difficilis ipsius cognitio. Quibus signis discerni possit.* 265

Cap. XIII. *De consolationibus & desolationibus. Quot sint earum genera, quæ causæ. Illarum vicissitudo. Quæ in illis pericula, quæ mala cavenda. Quomodo anima graviori desolatione probari & purgari soleat.* 269

Cap. XIV. *De Ecstasi & raptu. Quid & quotuplex sit ecstasis. Quæ ejus causæ, qui effectus. In quo differat à raptu. Quibus signis ecstases & raptus divini à naturalibus & dæmoniacis discernantur.* 275

Cap. XV. *De visionibus, & apparitionibus. Earum notitiam difficillimam esse. Quædam de ipsis singulariter notanda Tria earum genera. Quid sit visio sive apparitio corporalis, quid item imaginaria.* 282

Cap. XVI. *De visionibus quæ in somnis occurrunt. Quot sint species, quæ causa somniorum. Cur plures in somnis quàm in vigilia apparitiones fiant. Somnia divina quæ sint. Quomodo à dæmoniacis & naturalibus discernantur.* 287

Cap. XVII. *De somniis Propheticis. Prophetiam in lumine divino præcipuè consistere. Tres gradus rerum, quæ à Prophetis cognoscuntur. Prophetiam non esse habitum. Quotupliciter fiat. Quomodo Propheta aliis manifestet, quæ intellectualiter vidit. Notæ veri & falsi Prophetæ.* 291

Cap. XVIII. *De visione intellectuali. Quid sit & quomodo fiat. Sanctorum testimoniis elucidatur. Cur inexplicabilis dicatur. Qui sint ejus effectus, quod objectum. Immunis est ab illusionibus. Triplex modus divinæ visionis.* 298

Cap. XIX. *Iterum de apparitionibus. Quid in his servandum, quid vitandum sit. Apparentium diversa genera. Deus, Angeli, & Sancti quomodo appareant. Divinæ apparitiones quibus notis ab Angelicis discernantur. Variæ Christi apparitiones Imaginariæ & corporalis distinctio. Dæmonum spectra, eorumque signa. Humanorum spirituum visiones. De cultu & adoratione apparentium.* 303

Cap. XX. *De revelationibus, earumque discretione. Quid de privatis censendum. Non esse desiderandas, nec illis temerè credendum. Traduntur regulæ, quibus vera à falsis discernantur, ex persona cui fit revelatio, ex ipsa revelatione, & ex circumstantiis. Addita quædam de verbis & phrasibus mysticæ Theologiæ.* 312

RE-

# RERUM LITURGICARUM LIBRI DUO.

## JESU CHRISTO FILIO DEI,

*Summo & æterno Sacerdoti,*

Joannes ejus miseratione S. R. E. Presbyter Cardinalis.

*Ructavit cor meum verbum bonum : Dico Tibi & consecro opera mea Pontifex sempiterne, qui discessurus de hoc mundo ad Patrem, factus Sacerdos tuæ victimæ, & victima Tui Sacerdotii. Corporis & Sanguinis Tui admirabile sacrificium instituisti. Offero, inquam, Tibi quod Tuum est; neque enim dare Tibi aliquid possum, quod Tuum non sit : neque Tu acciperes, si quid dare vellem, quod à Te non accepissem. Ideò Te adoro, & gratias ago misericordiæ Tuæ, quia omnia bona mea Tua sunt; nihilque meum est, nisi peccatum & infirmitas & ignorantia, prævaricatoris Adæ miseranda hæreditas, jugumque gravissimum humanæ captivitatis, à quo solvi numquam potero, nisi Tu à servitute me liberes, discussâ caligine & depulsa ægritudine, manu Tua omnipotenti. Tu dixisti, Fiat lux, & facta est lux : cujus fulgore illustratus, has Rerum Liturgicarum Disquisitiones aggressus sum, priscos Ecclesiæ Ritus perlustrans, quantum Tu posse dedisti, de cujus plenitudine omnes accipiunt. Intravi ubi aperuisti, asserendo & defendendo quæ certa sunt, incerta verò & occulta sollicitè inquirendo, donec Tu, qui hominem doces scientiam, latentem veritatem servis Tuis manifestes. Tuum nunc est, hunc qualemcumque laborem benigno favore prosequi, ut Fideles Tui, ad quorum manus pervenerit, tantum mysterium impensius colant, & profectu accrescente frequentent : reliqui verò, qui sectis adhæserunt, auspice Te, reducantur in viam, à qua infeliciter aberrarunt. Hoc votum meum est in Te & per Te, Jesu Christe Redemptor mundi, qui omnium desideriorum meorum scopus & meta es, & merces mea magna nimis.*

# LECTORI.

## *Qua occasione, quove consilio scriptus hic liber. Ejus argumentum & difficultas.*

PAucis me præfari oportet,& tibi,benigne Lector, suscepti operis rationem reddere.Edideram Romæ ante aliquot annos Tractatum de Divina Psalmodia,ejusque causis,mysteriis,& disciplina;deque variis ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis divinis officiis. Vidit eum aliquando & percurrere dignatus est Sfortia Pallavicinus Cardinalis amplissimus, de litteris & de Ecclesia optimè meritus, & ut erat mihi arctissima junctus amicitia ab eo tempore, quo in domo sancti Andreæ Societatis Jesu historiam Concilii Tridentini toti orbi notissimam scribebat, protinus urgere me atque compellere cohortatione, imperio, ac quotidiano penè convitio cœpit, ut de augustissimo nostræ Religionis Sacrificio simile opus adornarem, amicè testatus, me in hoc genere aliquid posse. Ego verò tametsi hominem tantæ dignitatis summa veneratione prosequerer, multoque difficilius existimarem, id negare quod præcipiebat, quàm efficere; conscius tamen imbecillitatis meæ diu reluctatus sum. Pondus enim gravissimum, & vix tractabile perhorrescebam, nec audebam opus aggredi longum, perplexum, ac plurimi otii, quo maximè indigebam. Cumque hoc sæculum eruditissimum sit, nimiæ audaciæ ac temeritatis notam incurrere verebar, si quidpiam in publicum proferrem, quod non esset elaboratum & omni ex parte perfectum. Terrori denique fuerunt inextricabiles difficultates in singulis ritibus divinæ Liturgiæ explicandis, ac è ruderibus antiquitatis in lucem proferendis, qui cum profundis tenebris sepulti sint, quædam dumtaxat tenuissima vestigia apud priscos scriptores reliquerunt. In his autem angustiis constitutum urgebat quotidie Pallavicinus, adhibitis etiam amicorum auxiliaribus copiis, & eorum interposita auctoritate, quorum præceptis refragari nefas erat; donec tandem timorem abjicere, onusque suscipere satius duxi, quàm deesse obedientiæ, quæ perfecta tunc esse censetur, cum nihil videt, nihil dijudicat.

Quicquid igitur obstabat, patientiâ ac studii pertinaciâ vincere tentans, multa volumina evolvere, & ex iis diligenter excerpere cœpi quæcumque ad propositum argumentum spectare visa sunt: & aspirante divina gratia, tanta mihi sensim rerum congeries parata est, qua exactoris desiderio & expectationi aliqua saltem ex parte satisfacere possem. Jam septimus annus elapsus est à prima operis delineatione, cui cum assiduè instarem, nullique parcens labori extremam manum imponere sperarem, longa & molesta correptus infirmitate, & studiis & libris repudium dicere coactus sum. Pristina verò valetudine restituta, aliisque rebus peractis, quæ, quia differri non poterant, me diu occupatum tenuerunt; cum paulisper respirare, & ad intermissa studia redire cœpissem, mox gravius impedimentum subortum est, quod non solùm ab opere perficiendo, sed ferè per annum ab omni librorum commercio avocavit. Nam Beatissimus Pontifex Clemens IX. me nihil tale aut merentem aut cogitantem, à tranquillitate & pace, quibus in Monasterio perfruebar, repentè abstractum & avulsum ad fastigium evexit maximæ in Ecclesia dignitatis;

tatis; cui cum impar omnino sim, vereor ne vox illa Prophetæ ad me pertineat, *Elevans allisisti me.* Vixeram in Religione ab anno XV. ætatis meæ usque ad LX. & agnoscens in me aliquod signum divinæ misericordiæ, optabam mori in nidulo meo, nec diem hominis desideravi, Deus scit. Nunc autem expulsus à jucunditate monasticæ vitæ, rerum exteriorum tumultus patior, quibus assuetus non eram, & omissis genialibus studiis, ad curas sæculi ejectus sum, à quibus maximè abhorrebam. Ideò in longum protractum opus, seriùs quàm promiseram, editum est.

Cæterùm in eo conscribendo historiæ limites prætergressus non sum. Ex Conciliis & sanctis Patribus, cæterisque Ecclesiasticis atque eruditis Scriptoribus, ex codicibus M. SS. ea dumtaxat delibavi, quæ ad Missæ institutionem, sacrorumque rituum originem spectant: quibus verbis, quo ritu, quo loco, qua hora, quo apparatu, qua lingua olim Missa celebraretur: idemne an diversus omnium Ecclesiarum mos fuerit: quando, quomodo, & à quibus addita quædam & immutata. In quibus explicandis ut certo ordine progrederer, quæcumque pertinent ad Liturgiam duobus libris complexus sum. Primus ea continet, quæ de illa generatim prænosci debent. Alter sigillatim edisserit omnes ejusdem partes ab accessu sacerdotis ad altare usque ad ejus recessum, ut ex subjecto Capitum indice apparebit. In tanta autem consuetudinum diversitate priscarumque rerum densa caligine nonnulla ex conjecturis deduxi, quædam verò me nescire professus sum, Magni Cassiodori consilium sequutus, qui lib. de Anima cap. 14. ait: *Melius esse in occultis causis confiteri ignorantiam, quàm periculosam sumere audaciam.* Quæ cunctis nota sunt, non nisi leviter tetigi, Lacedæmonios imitatus, quorum est apud Thucydidem lib. 4. illa, quæ semper mihi placuit, sententia, *Non oportere multis verbis uti, ubi pauca sufficiunt.* Quæ magis abstrusa visa sunt, vel ipse fusiùs exposui, vel fontes indicavi, è quibus possunt curiosi explere sitim.

Partem asceticam opusculo seorsum evulgato pridem exposui. Symbolica explicatio à pluribus haberi potest, qui de illa copiosissimè scripserunt. Scholasticis disputationibus plena sunt ingentia Theologorum volumina. Polemica illis reliqui, qui Missam vindicant à calumniis hæreticorum. Alia fortassis erunt è profundiore sapientia atque uberiori eruditione petenda, quæ me fugerunt carptim & per interstitia scribentem. Norunt autem experti, quàm sit difficile ad hujusmodi lucubrationes redire, postquam ab illis discessum est. Multos quoque nodos vindice dignos supereſſe agnosco, quos peritioribus solvendos relinquo. Omnium autem in quibus deliqui ab æquis rerum æstimatoribus veniam obtinebo, quia ut præclarè scribit Dionysius Longinus, *In magnis labi generosum peccatum est.*

---

# MONITIO.

*VIx emersit è prælo hic Liber, cum statim intellexi, displicuisse nonnullis rem non satis intelligentibus, aut in sensum à meo alienum detorquentibus, quod Libro I. Capite XXIII. asserui usum fermentati diu viguisse in Ecclesia Latina. Visum igitur est mihi omnem scrupulum è mentibus illorum tollere, & statum controversiæ clarius explicare. Tres sunt ejus quæstiones. Prima est, an Christus, quando instituit Eucharistiam,*

*ſtiam, azymo uſus ſit, vel fermentato. Secunda, an in utroque valida ſit conſecratio. Tertia in quo pane convenientiùs fiat. Hæc tria ſunt, quæ magno ardore inter Græcos & Latinos agitata ſunt. Ego autem ad I. aſſerui cum omnibus Orthodoxis Chriſtum in ultima cœna azymum conſecraſſe. Ad II. quoque dixi validam eſſe conſecrationem tam in azymo, quàm in fermentato. Ad III. affirmo convenientius omninò eſſe in azymis conficere, & Chriſti exemplum ſequi. Dixi tamen ex facto Chriſti non concludi, ita neceſſariò faciendum: nam Orientales fermentato utuntur, præcipientibus Apoſtolicis Conſtitutionibus, ut ſingulæ nationes ſuum ritum ſervent. An verò Eccleſia Latina aliquando fermentato uſa ſit, res facti eſt, nullo modo ad dogma pertinens, ſed ad ritum, qui mutationem & novitatem admittit, ut Lib. I. Cap. VI. §. 1. oſtendo. Cum itaque in hoc Libro propoſitum mihi fuerit, hiſtoriam ſcribere, quæ ſoli auctoritati innititur, ea tradidi, quæ apud priſcos Scriptores inveni. Obſecro autem viros doctos, ut primò obſervent, me paſſim uti nominibus opinionis & conjecturæ: tum dixi,* Me paratum eſſe certiora docentibus ſtatim & ex animo conſentire: *& in fine Lib. II. Lectores precatus ſum,* ut ſi quid incautiùs ſcripſi, ignoſcant, corrigant, & emendent. *Rem ergò gratiſſimam facient, ſi prolatis ex antiquitate teſtibus amicè oſtenderint me erraſſe. Deinde obſervare debent, quod initio §. 7. dico, Apoſtolos panem conſecraſſe,* qualem in domibus fidelium reperiebant, *non dico fermentatum, ſed qualem reperiebant, ſive azymum, ſive fermentatum; præſertim apud Hebræos, qui certis diebus azymis utebantur: qua in re Arcudio conſentio, qui* lib. de ſacram. cap. 3. *ait veriſimile eſſe, Apoſtolos pro varietate locorum, gentium, & temporum, modò azymo, modo fermentato uſos fuiſſe. Et §. 3. dixi, quod ſæviente perſecutione* Azymum ſemper habere non poterant: *ergo pro certo pono aliquando habuiſſe. At inquiunt me multa congerere ad probandum, quod uſus fermentati per octo ſæcula perſtiterit in Eccleſia Occidentali. Fateor, ſed non excludo uſum azymi: nam veterum Patrum & Hiſtoricorum teſtimonia, quæ profero, non niſi pro ſuis Eccleſiis & provinciis & temporibus probant. Nec adeò Dialecticæ ſum ignarus, ut neſciam argumentum ab Inductione non concludere neceſſariò, niſi omnia ſingularia ſufficienter enumerentur, quod difficillimum eſt. Denique nunquàm dixi, Eccleſiam aliquo præcepto uſum fermentati univerſaliter decreviſſe: quod tamen aſſeveranter dicunt Principes Theologorum, S. Thomas à me citatus §. 5. Sanctus Bonaventura* 4. ſent. diſt. 11. art. 2. quæſtione 1. *Scotus* ibidem quæſtione 6. *Durandus* quæſtione 4. *& his antiquior Alenſis* p. 4. de ſacr. Euchar. quæſt. 10. memb. 4. art. 1. §. 3. *narrantes hiſtoriam Ebionitarum, de cujus fide ago eodem §. 5. Et hunc uſum docent, donec viguit illorum hæreſis, ubique permanſiſſe. Ergo uſus fermentati, ut iſti aſſerunt, eo tempore communis fuit, & ab earum opinione ego non diſcrepo, niſi quod eumdem uſum in quibuſdam locis ad plures annos extendo. Omitto plura, nam hominibus eruditis, & bonæ voluntatis iſta ſufficiunt: aliis nec integra volumina ſatisfacient. Hanc autem paginam claudo præclarâ Quintiliani ſententia, quâ S. Hieronymus in caſu non diſſimili uſus eſt.* Felices artes, ſi de iis ſoli artifices judicarent.

---

*Imprimatur, Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro ſacri Palatii Apoſtolici.*
*J. de Angelis Archiepiſc. Urbini Vices-gerens.*

RERUM Liturgicarum libros ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo D. Joanne Bona Cardinali compoſitos, honoris cauſa juſſus perlegi eximiæ pietatis, doctrinæ, & eruditionis refertos, & quos Religioſiſſimus quiſque inoffenſo decurrat pede, tum ob facundiam, perſpicuitatem, ordinem, elegantiamque digniſſimos qui diu multumque expectati, magno Eccleſiæ bono & Eminentiſſimi nominis ornamento proferantur in lucem III. Kal. Decembris M. D C. LXX. *Alexander Pollinus.*

*Imprimatur,* Fr. Hyacinthus Libellus *ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter.*

RERUM

# RERUM LITURGICARUM

## LIBER PRIMUS.

## De his quæ ad Missam generatim spectant.

### Caput I.

*De Missæ nomine, ejusque origine. Non esse Hebraicum, Græcum, aut alterius idiomatis, sed Latinum. Rejiciuntur quorumdam opiniones. Quædam obiter de Agapis veterum Christianorum. A duplici missione Missæ nomen deductum.*

I. DE Missæ sacrificio clarè & strictim disceptaturo prima statim occurrit de nomine difficultas; sunt enim nomina indicia rerum, & ut Epictetus apud Arianum, *lib.* 2. *cap.* 17. auctor est, principium eruditionis est intelligentia vocabulorum. Quidam Doctores Hebraicæ antiquitati nimiùm addicti Hebraicum nomen esse putant ex Deuteronomii *cap.* 16. *vers.* 10. ubi vox *Missah* reperitur, quæ oblationem significat. Quam sententiam mordicus sustinent Joannes Reuchlinus *lib.* 2. *hebraicarum Eruditionum*; Claudius de Sainctes in *præf. ad Liturgias Patrum*, Baronius *ann.* 34. *numer.* 59. Genebrardus de *Liturgia Apostolica cap.* 7. Antonius Demochares adversus Misoliturgos *tom.* 2. *cap.* 1. & alii istorum asseclæ, qui nullo suffulti veterum testimonio asserunt, Apostolos ab Hebræis, Latinos à Petro Principe Apostolorum Missæ vocabulum accepisse, ac si nihil antiquum, nihil catholicum foret, nisi hebræo nomine insignitum. Sed ut optimè Bellarminus observat, *lib.* 1. *de Missa cap.* 1. si vox ista Hebraica in usu Apostolis fuisset, eam certè retinuissent etiam Græci & Syri, atque aliæ nationes, ut retinuerunt alias similes, ut *Amen*, *Alleluja*, *Sabbaoth*, *Osanna*, *Sathan*, *Sabbatum*, *Pascha*. Vocabula enim Hebraica per Græcos ad nos devenerunt; cum ipsi etiam Apostoli, & primi Ecclesiæ Doctores Græcè scripserint. Porrò apud Græcos nulla est mentio hujus vocis, neque apud Patres Hebraicæ linguæ peritos, Origenem, Epiphanium, Justinum, Hieronymum, quod certè admirandum videri posset, si ex Hebræis ad Christianos illa vox emanasset.

II. Aliam hujus nominis originem proponit Genebrardus *libri citati cap.* 3. ex Græca voce *Myesis* à verbo *Myeo*, quod est doceo, instituo, & spiritualiter initio: & significat propriè initiationem, seu mysticam doctrinam; quæ per divinam inspirationem in abdito mentis percipitur sine humano magisterio; ut docet Corderius in Onomastico Dionysii: hinc autem ait Genebrardus derivatum forsitan esse nomen Missæ mutatâ terminatione, quæ secundùm diversitatem linguarum variari solet. Nam Græci, inquit, hanc vocem sic pronunciant *Mysis*, undè mutata terminatione Missa à latinis deduci potuit. At hæc leviissima Genebrardi conjectura est, tanti viri doctrinâ & eruditione prorsùs indigna. Neque obstat, quod apud quosdam Græcos scriptores aliquando vox *Missa* legatur, ut apud Constantinum in Tacticis, quem Joannes Meursius citat in glossario Græco-barbaro; hi enim recentiores sunt post annum Christi millesimum, & hanc vocem

sicut

sicut & alias, à Latinis acceperunt, & alio sensu usurpant, præsertim scriptores Tactici, qui eâ passim utuntur pro precibus, quas in exercitu milites Christiani mane & vespere recitabant.

III. Tertia & singularis hac de re opinio est viri doctissimi Gabrielis Albaspinæi, qui *lib. 2. de Sacram. Euchar. cap. 3.* rejectis aliorum etymologiis Missam dici autumat à nomine *Mess*, quod apud gentes septemtrionales significat festum sive congregationem. Quia verò populi, ut sacrificio intersint, in unum adunantur, ideò Missæ nomen ipsi sacrificio inditum arbitratur. Ut autem probet, Missæ nomen pro festo accipi, & pro populi adunatione, multa congerit ex Capitularibus & Conciliis Franciæ, sed ex illis potiùs deducitur, Missæ nomen ad festum & conventum populi denotandum translatum fuisse, ut ex his, quæ Capite sequenti num. V. dicemus, manifestè patebit. Nec verisimile videtur, quod à gentibus septentrionalibus Missæ nomen emanare potuerit, quia cùm seriùs ad eas Evangelii prædicatio pervenerit, illud potiùs ab illis acceperunt, à quibus fidei mysteriis imbuti sunt. Joannes Lydius in Glossario Latino-barbaro vocum, quæ reperiuntur in Epistolis Nicolai Clemangii, *Missa*, inquit, *Mess, mercatus, nundinæ*. Cur verò Missæ nomen nundinis tributum fuerit, commodiùs dicam capite sequenti.

IV. His explosis, quarta sententia, eaque vera & indubitata stabilienda est, Missæ vocabulum latinum esse à mittendo dictum. Est enim Missa idem ac missio, sicut *remissam* pro remissione dicebant Antiqui. Tertullianus lib. 4. adversùs Marcionem cap. 18. *Diximus de remissa peccatorum.* Cyprianus de bono patientiæ: *Dominus baptizatur à servo, & remissam peccatorum daturus ipse non dedignatur lavacro regenerationis corpus abluere.* Optatus Milevitanus lib. 1. *Non potuit in remissam peccatorum tingi.* Victor Tunonensis in Africa Episcopus lib. de Pœnitentia cap. ult. *Merebimur remissam omnium peccatorum.* Hujus autem appellationis causam non omnes eamdem tradunt. Quidam volunt Missam dictam à mittendo, quod olim fieret ex donis à populo missis, & in unum collatis, quæ expositio Sectariorum est, Missam cum *Agape*, seu convivio Christianorum confundentium. Erat autem *Agape* convivium publicum, quod in Ecclesia post sumptam Eucharistiam fieri solebat ad mutuam charitatem fovendam, & ad pauperes refocillandos. Hieronymo adscripta Commentaria in Epist. 1. ad Cor. cap. 11. *In Ecclesia convenientes oblationes suas separatim offerebant, & post communionem quæcumque eis de sacrificiis* (de his nimirùm, quæ quisque obtulerat) *superfuissent, illic in Ecclesia communem cœnam comedentes, pariter consumebant.* Et Chrysostomus in eamdem Epistolam hom. 27. *Statis diebus mensas faciebant communes, & peracta synaxi, post Sacramentorum communionem omnes commune inibant convivium, divitibus quidem cibos adferentibus, pauperibus autem & qui nihil habebant etiam vocatis, & omnibus communiter vescentibus.* Oecumenius quoque in ipsam Pauli Epistolam; *Præcipuis diebus sive festis, post sacrorum Mysteriorum participationem, agebantur communes cœnæ, præparantibus illas divitibus, ac pauperes invitantibus.* His verò testimoniis diversam fuisse Agapen à Sacrificiis evincitur: idque etiam probat Pamelius ex pluribus Tertulliani Textibus *ad cap. 39. Apologetici*, quo in loco magnus ille Africanus elegantissimè Agapen describit. Quædam dumtaxat decerpo, quia parerga hæc sunt. *Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit; Vocatur enim* Agape, *id quod dilectio penes Græcos est. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum. Siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus. Non priùs discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur. Editur, quantum esurientes capiunt: bibitur, quantum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum sibi Deum esse: ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Æquè oratio convivium dirimit, inde disceditur, non in catervas cæsonum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum; sed ad eamdem curam modestiæ & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quàm disciplinam.* Ad hæc eadem convivia respexisse puto Plinium Juniorem, cùm in Epistola ad Trajanum de Christianorum cœtibus differens ait: *Coëunt ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium.* Triplex autem erat Agape, Natalitia, Funebris & Connubialis, quas commemorat Nazianzenus in carmine de diversis vitæ generibus hoc districho:

*Non Epulum* natale *adiens cum pluribus, aut quod*
Funereum *est, vel quod* connubiale *petens.*

Solitas quoque exhiberi in dedicationibus Ecclesiarum Gregorius Magnus testatur, *lib. 1. epist. 54.* ad Petrum Subdiaconum, & *lib. 9. epist. 71.* ad Mellitum Abbatem. Agunt de iisdem passim antiqui Patres quos refert Jacobus Bosius. *lib. 6. Romæ subterraneæ cap. 27,* & Concilium Gan-

Gangrense anathemate perstringit illos, qui eas spernebant. Postea ob luxum, dissensiones, & alios abusus, qui sensim irrepserant, sublatæ sunt, ut scribit Augustinus *lib. 6. confess. cap. 2. & epist. 64.* & ab Oriente quidem eas proscripsit Synodus Laodicena, ab Africa verò tertia Carhaginensis, à Gallia Aurelianensis secunda, & Cabilonensis.

V. Aliis placuit Missam dici, quasi *transmissam*, eò quod populus per ministerium Sacerdotis preces & oblationes ad Deum transmittat. Stephanus Eduensis *lib. de Sacram. Altaris cap. 28.* Hac salutatione, nempe *Ite Missa est*, monentur astantes recedere, quia missa est hostia: Propterea ministerium Sacro-sanctum Missa nuncupatur. Petrus Cluniacensis *lib. 2. miracul. cap. 28.* Sacrificium offertur, quod ex usu jam veteri tracto nomine, quia Deo mittitur, Missa vocatur. Rupertus Abbas *lib. 2. de div. off. cap. 23.* Sacrosanctum altaris ministerium idcircò Missa dicitur, quia ad placationem inimicitiarum, quæ erant inter Deum & homines, sola valens & idonea mittitur legatio. D. Thomas *tertiâ P. qu. 83. art. 4. ad 9.* In fine Missæ Diaconus populum licentiat dicens: *Ite Missa est*, scilicet hostia ad Deum per Angelum, ut scilicet sit Deo accepta. Alio sensu Magister sententiarum *lib. 4. dist. 13.* Missam à mittendo dictam asserit, quod Angelus à Deo mittatur, ut assistat Sacrificio. Nicolaus Beguinius Rhemensis *lib. 3. de Paschate cap. 3.* à mittendo derivatam ait eo sensu, quo Christus à Patre missus dicitur: quia hæc hostia & à Deo Patre primum ad nos salutis nostræ causâ missa est, & eandem ejus quoque causâ ad eundem rursùs mittimus. Alcuinus *lib. de div. officiis cap. 40.* aliam rationem commemorat, quia nos mittit ad Deum.

VI. Alii denique, quorum non ambigimus verissimam esse sententiam, à missione seu dimissione populi, Missæ nomen ortum esse asseverant, ita ut Missa idem sit ac missio populi & licentia discedendi. Audiendus primo loco Avitus Viennensis Archiepiscopus, qui circa finem quinti sæculi, & initio sexti floruit. Is epist. 1. ad Gundobadum Burgundionum Regem, *non missum facitis*, inquit, *nihil est aliud quam non dimittitis. A cujus proprietate Sermonis in Ecclesiis, palatiisque, sive prætoriis Missa fieri pronuntiatur, cũ populus ab observatione dimittitur. Nam genus hoc nominis etiam in secularibus auctoribus, nisi memoriam vestram per occupationes lectio desueta subterfugit, invenietis.* Hæc Avitus, qui non exprimit sæculares auctores, apud quos nomen Missæ hoc sensu reperitur. Mihi verò occurrunt, Cicero, qui in fine Philipp. 5. placere dixit, *legiones bello confecto missas fieri*: & Suetonius in Caligula capite 25. ubi agens de Lollia Paulina, quam in uxorem duxerat, *Brevi*, ait, *missam fecit*, hoc est, dimisit. Porrò verbis Aviti nihil efficaciùs ad supra memoratos scriptores redarguendos, qui Missæ nomen exoticũ fingunt & aliunde derivant. Missio autem in veteri ecclesia duplex erat: una post Evangelium & Sermonem, quando Catechumeni, infideles, pœnitentes, & alii, quibus vetitum erat Sacramentorum participarioni interesse, à Diacono dimittebantur hac voce, *si quis est Catechumenus, exeat foras*: vel ut dicit Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 23. *Si quis non communicat, det locum*: & hæc dicebatur Missa seu missio Catechumenorum, de qua ex professo agam infra Cap. XVI. Altera erat Initiatorum, cùm re divina peracta eos Diaconus dimittebat dicens, *Ite Missa est*: & hæc Missa Fidelium vocabatur. Isidorus *lib. 6. originum c. 16.* Missa tempore sacrificii est, quando Catechumeni foras mittuntur, clamante Levitâ, si quis Catechumenus remansit, exeat foras: & inde Missa. Subscribit Isidoro iisdem verbis Rabanus Maurus *lib. de instit. Clericorum cap. 32.* Florus Magister, & Remigius Antisiodoren. in fine expositionis Missæ, *Missa*, inquiunt, *nihil aliud intelligitur, quàm dimissio, id est absolutio, quam celebratis omnibus tunc Diaconus esse pronunciat, cùm populus à solemni observatione dimittitur*: quæ verba ab Alcuino transscripserunt S. Gregorius in libro Sacramentorum feriâ sextâ parasceves: *Deinde communicat ipse, & omnis clerus, & fiant Missæ.* Ubi Pamelius ad marginem adnotavit. *ex postrema hac clausula colligere est, cur Missa nuncupetur, nempè à dimittendo populo.* Menardus & ordo Romanus ibidem sic legunt: *& communicant omnes sub silentio, & expleta sunt universa.* Cassianus *lib. 11. Instit. c. 15.* vanitatem describens cujusdã solitarii, qui in cella sua quasi in Ecclesia Sacrum agebat, *tum*, inquit, *quasi Diaconus Missam Catechumenis celebrabat.* Hugo Victorinus *l. 2. de Eccles. officiis c. 41. Dicit Diaconus*, Ite Missa est, *quasi revertimini ad propria. Ab hac missione, id est, dimissione, Missam dicunt appellari.* Bernoldus Presbyter Constantiensis in expositione Ordinis Romani apud Cassandrum *in Liturgicis c. 26. Missam ideo appellari dicimus, quia lecto Evangelio foras mittuntur ex pronunciatione Diaconi, qui minimè offerendo vel communicando non poterant interesse sacramentis*

*mentis divini Mysterii.* Cassianus *lib.* 3. *Instit. c.* 7. mores describens veterum Monachorum ait, illum qui ad diurnam orationem non occurrebat, priusquàm primus psalmus finiretur, non audere oratorium introire, sed Congregationis Missam pro foribus præstolari, hoc est, dimissionem Monachorum peracto officio. Et ibidem *cap.* 11. ait die Dominico unam tantùm Missam, hoc est, dimissionem ante prandium celebrari: quia nimirùm semel tantùm conveniebant, & officia quæ ante prandium dici consueverant, sine intervallo & dimissione uno contextu simul cum solemni sacrificio recitabant. Apud Goldastum tom. 2. rerum Alamannicarum extat Interpretatio barbaricorum Keronis Monachi S. Galli, qui ait; *Missa, quia mittitur populus.*

Possem paginas latè implere aliorum testimoniis, sed ex allatis satis constat, Missam à missione dici, & populi dimissionem significare. Fruſtrà nititur Genebrardus hanc Missæ etymologiam convellere quasi nimis frigidam, & modicæ reverentiæ ergà tantùm mysterium: cùm enim doceat Plato in Cratylo, nomina ex propria rei nota deducenda esse, inconveniens, inquit, foret Augustissimum Sacrificium à minima sui parte vel accidente nuncupari. Sed Genebrardus nimis addictus fuit rebus Hebraicis, & fortasse non legit Aviti, & aliorum quos supra citavimus testimonia, quæ si vidisset, eorum procul dubio auctoritati cessisset: neque enim credibile est, viros sapientissimos temerè, & sine ratione tale nomen Divino Sacrificio imposuisse; cùm præsertim nullum sit, quo ipsum, utpote ineffabile, exprimere valeamus. Facilè etiam diluitur quod objicit Albaspinæus, tribus nimirum primis sæculis Missæ nomen inauditum fuisse, cùm tamen essent dimissiones; nam primò non admittimus Missæ nomen post tertium Sæculum cœpisse, de qua re Capite III. agendum erit: deinde nomina posteriora sunt rebus, & illis jam existentibus, vel ex ipsarum naturâ, vel ex circumstantiis, vel ab aliquo eventu imponuntur.

## CAPUT II.

*De multiplici nominis Missæ significatione. Olim pro Collectis & Lectionibus, & pro divinis officiis usurpatum. Quo sensu ad dies festos, & ad omnes populi conventus translatum. Cur veteres plurali numero Missas dixerint. Quid sit Missas tenere.*

I. PErit rerum cognitio, si nomen ignoratur, à noscendo enim dictum est nomen, quasi notamen & index rei quam designat, ut docet Isidorus *lib.* 1. *Orig. cap.* 7. Quia verò nonnunquam ad plures res significandas idem nomen adhibemus, exactam rei notitiam habere non possumus, nisi prænoscamus ad quid primitus ipsum nomen constitutum vel excogitatum fuerit, & qua ratione ad ipsius participationem aliæ res admissæ sint: nam ut præclarè Maximus Martyr ait disputans adversus Pyrrhum; *Dicere aliquid, nec eius quod dicitur varias significationes discernere, nihil aliud est quàm confundere.* Optimè quoque Ptolemæus *lib.* de judicandi facultate docuit, utiles esse dissertationes, quæ dictionem explicant, non sui ipsius causâ, sed quia ad reddendum de re judicium conferunt. Quia igitur in Missæ nomine multiplex significatio reperitur, de singulis aliquid dicendum est, ne quis nominis æquivocatione deceptus à vera rei, de qua agitur, intelligentiâ aberret.

Communi autem & primigeniâ significatione accipitur primò pro missione, ut in Concilio Carthaginensi quarto, can. 84. *Episcopus nullum prohibeat usque ad Missam Catechumenorum*, id est, usque ad missionem, seu dimissionem, & expulsionem Catechumenorum, *neque Hæreticum, neque Judæum, neque Gentilem ecclesiam ingredi, & audire, verbum Dei.* Eodem sensu Cassianus caput 13. lib. 2. Instit. sic inscribit, *quare post Missam nocturnam*, videlicet post missionem Monachorum à nocturnis officiis, *dormire non oporteat*: & cap. 15. sic, *qua lege modestiæ post Orationum Missam unusquisque ad suam cellulam redeat.* Sanctus quoque Benedictus in Regula cap. 17. *Post expletionem trium psalmorum, recitetur lectio una, versus, & Kyrie eleison, & Missæ sint*, & in fine. *Kyrie eleison, benedictio, & flant Missæ.* Quam phrasim, ut patet, à Cassiano mutuatus est, & ipse supra explicavit cap. 12. ubi agens de matutinis Laudibus, *Canticum*, inquit, *de Evangelio, Litania, & Completum est:* & in fine cap. 9. *supplicatio Litaniæ id est Kyrie eleison, & sic finiantur vigiliæ nocturnæ.* Ita cùm Diaconus dicit, *Ite Missa est*, sensus est dimissionem esse congregationis, licere omnibus abire.

Secundò accipitur pro lectionibus, & precibus, quæ ab initio Liturgiæ usque ad dimissionem Catechumenorum explentur: qua acceptione Concilium Valentinum c. 1. sancivit, ut

ut Sacrosancta Evangelia Missa Catechumenorum post Apostolum legerentur.

Tertiò pro illa parte Liturgiæ, quæ est ab offertorio usque ad finem, & dicitur *Missa Fidelium*. Hoc sensu Missæ nomine utitur Cæsarius Arelatensis Hom. 12. his verbis: *si diligenter attenderitis, cognoscetis quia non tunc fiunt Missæ, quando divinæ lectiones in Ecclesia recitantur; Sed quando munera offeruntur, & corpus, vel sanguis Domini consecratur. Nam lectiones sive Prophèticas, sive Apostolicas, sive Evangelicas etiam in domibus vestris aut ipsi legere, aut alios legentes audire potestis: Consecrationem verò corporis, & sanguinis Christi non alibi, nisi in domo Dei, audire vel videre poteritis.*

II. Quartò sumitur Missa in Concilio secundo Milevitano cap. 12. pro collectis sive orationibus, quæ in Missæ sacrificio legi solent. *Placuit ut preces, vel orationes, seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, ab omnibus celebrentur.* Eodem sensu Missæ nomen usurpatum à S. Benedicto, Smaragdi Abbatis opinio est in expositione Regulæ S. Benedicti ad illa verba cap. 17. *& fiant Missæ, & Missæ sint.* Missarum enim nomine Collectas intelligit sive orationes, quæ in fine officii à Sacerdote dicuntur, quas ideo Missas dici putat, quia Deo mittuntur. Consensit Smaragdo vir doctissimus Hugo Menardus *in notis ad cap. 23. & 24. concordiæ Regularum*, qui huc trahit Cassianum lib. 2. cap. 7. ubi eos reprehendit, qui necdum bene finito psalmo in orationem procumbunt *ad celeritatem Missæ* properantes, hoc est ad finem officii, ut Alardus Gazæus Cassiani Scholiastes bene interpreatur, non *ad celebritatem Missæ*, id est ad recitationem collecta, quæ post Psalmos recitatur, ut minùs probabiliter legit & explicat Menardus. Trahit huc etiam Isidorum & Tetradium in suis Regulis, quos aliter intelligendos esse mox demonstrabo. Quod verò attinet ad S. Benedictum, manifestum est, ibi Missarum nomine dimissionem indicari, formulâ tunc temporis in divinis officiis usitatâ. Quod si de oratione locutus fuisset, eam proculdubio expressisset, sicut expressit *Kyrie eleison*, & orationem Dominicam. Porrò Collectæ S. Pater mentionem facit c. 11. sub nomine benedictionis, cùm statuit, lecto Evanelio, & data benedictione incipiendos esse Matutinos. Reliqua officia orationeDominicâ concludi voluit, ut latius tradidi in tractatu de Divina Psalmodia *cap. 16. §. 17. n. 2.*

III. Quintò S. Aurelianus Arelatensis Episcopus in Regula Monasterii, quod jussu Childeberti Regis Arelate constructum fuit, modum psallendi præscribens ait: *Sexta feria post Nocturnos duæ Missæ fiant in æstate, in hieme tres. Nam Dominica omni tempore, & in æstate, & in hieme post Nocturnos sex Missæ fiant. Si verò evenerit, ut tardiùs ad vigilias surgatur, quantum Abbati visum fuerit, tantum legatur. Quando signum fecerit, qui legit sine morâ consurgat, ut canonicus Missarum numerus possit impleri.* Et infrà. *Quotidie ad librum facite Missas tres. Vnus Frater legat paginas tres, aut quatuor, & fiat oratio. Iterum legat tantum, fiat alia oratio. Tertio legat idem tantum, & surgite, dicite Antiphonam de Psalmis in ordine, postea responsum, deinde Antiphonam. Iterum legat alius Frater, & sic impletis tribus Missis dicite Matutinarios canonicos.* Et paulò post. *In Natali Domini, & in Epiphania dicite unum Nocturnum, & facite sex Missas de Esaia Propheta; iterum dicite secundum Nocturnum, & legantur aliæ sex de Evangelio.* Et mox. *In Martyrum festivitatibus tres aut quatuor Missæ fiant: primam Missam de Evangelio legite, reliquas de passionibus Martyrum.* Hic luce clarius constat Missam accipi pro lectione; quo sensu quoque eadem vocé utitur S. Cæsarius in suaRegula dicens: *OmniDominica sex Missas facite, primâ Missa semper Resurrectio legatur: perfectis Missis dicite Matutinos.* Itemque in sua Regula Tetradius, ubi ait, *Duos Nocturnos faciunt, & tres Missas*, quæ evidentissimè lectiones sunt, non autem Collectæ, ut putat Menardus. Quare autem ab istis Patribus Missæ nomen lectionibus tributum fuerit, non est facile explicare, nisi dixerimus, ex eo desumptam nomenclaturam, quia dum illæ leguntur, psalmorum decantatio dimittitur: quæ expositio est Benedicti Haefteni *Disq. Monastic. l. 7. tr. 8. disq. 5.* ita ut lectio sit quædam dimissio, seu intermissio Psalmorum. Obscurior est Isidori sententia, qui cap. 7. suæ Regulæ ait: *In quotidianis officiis vigiliarum primùm tres psalmi canonici recitandi sunt: deinde tres Missæ Psalmorum, quarta Canticorum, quinta matutinorum officiorum. In Dominicis verò diebus, vel festivitatibus Martyrum, solemnitatis causâ, singulæ superaddantur Missæ.* Neque enim satis percipio, de quibus Missis hic sermo sit: an videlicet tres Missæ psalmorum sint tres orationes post singulos psalmos, ut Menardus exponit, an tres lectiones tribus psalmis correspondentes, ut censet Haeftenus: an potiùs MissamPsalmorum, deinde Canticorum, tum Matutinorum ille vocavit totum complexū ex psalmis, & lectionibus

quæ nunc sunt primum, secundum, & tertium Nocturnum, & Laudes. Nisi fortè tres Missæ psalmorum sint totidem eorumdem, tum Canticorum, & Laudum sub una conclusione modulationes, quæ ideò dicantur Missæ, quia post singulas fit quædam quasi dimissio, & interruptio. Id sanè non improbabile ex eo mihi videtur, quod in eodem capite disertis verbis orationum & lectionum meminit: in vigiliis autem Missas, sive interruptiones proximas varietatis causâ statutas, ex ipso contextu non obscurè colligimus: *Ut servorum Dei mentes diversitatis oblectamento exerceantur, & ad laudem Dei sine fastidio excitentur.*

IV. Sextò solet Missa pro divino officio interdum accipi, ut in Concilio Agathensi cap. 30. ubi statuitur, quod in conclusione matutinarum, vel vespertinarum Missarum post hymnos capitella de psalmis dicantur, & plebs collecta orâtione ad vesperam ab Episcopo cum benedictione dimittatur. Cassianus loco supra citato, *Quare post Missam Nocturnam*, id est, post nocturnum officium, *dormire non oporteat*: & rursum, *Missa canonica celebrata*, id est Hora, sive officio. Petrus Diaconius in suis ad Cassianum alphabeticis Annotationibus, Missa, inquit, pro quacumque synaxi, sive congregatione, quam Monachi publicè orandi causâ faciebant, apud Cassianum sumitur, nempè tertia, sexta, nona, & aliis, sive noctu fieret, sive interdiu. Regula cujusdam Patris cap. 30. *Duodecim psalmi in nocturnis conventibus cantabuntur præter illam Missam, quæ celebratur in ortu Solis*: id est præter officium Primæ.

V. Septimò, quia Missa actio præcipua est, quæ in die festo peragitur, ideò nomen Missæ pro ipsa festivitate à mediæ ætatis scriptoribus passim usurpatur, apud quos Missa S. Martini, vel S. Joannis idem est, ac festum S. Martini, vel S. Joannis. Ivo Carnotensis in Decreto *p. 15. cap. 190.* Et si totam Quadragesimam ante Missam S. Joannis implere non potest, post Missam impleat, id est, post festum, & infra permittens in quibusdam festivitatibus aliquam publicè pœnitentibus indulgentiam, inter cæteras numerat Missam S. J. Baptistæ, & S. Mariæ. In concilio Pistensi sub Nicolao I. c. 3. communi placito constituimus, ut usq; ad Missam S. Remigii, *id est Kalendas Octobris*, spacium habeant. Heraldus Turonensis Archiepiscopus in suo Capitulari c. 61. agens de festivitatibus anni in quibus feriari oportet, Missam recenset S. Joannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli, S. Martini, S. Andreæ. Eginardus Abbas *ep. 23. Volumus circa Missam S. Martini ad palatium venire.* Frodoardus in Chronico an. 921. *Facta pactione usque ad Missam S. Martini*, & an. 945. *Circa Missam S. Joannis Hugo Dux placitum cum Rege habuit.* Aimonius l. 5. cap. 34. Refectiones commemorat in *Missa S. Germani.* Annales Bertiniani an. 877. *Richildis veniens ad Ludovicum in Missa S. Andreæ attulit ei præceptum.* Idem frequentius reperitur in Capitularibus Caroli Magni, & Ludovici Pii, ut *l. 2. c. 18. Spatium usque ad Missam S. Martini dare decrevimus*, & cap. 29. edicit, *ut pontes ad Missam S. Andreæ restaurati sint.* In edicto quoq; Pistensi in Capitulari Caroli Calvi *sec. 31. §. 51.* „Qui „lucrum de vineis in illis partibus promeruerit, „octo dies post Missam S. Remigii sibi provide„at, & si necesse illi fuerit ad Missam S. Martini „ad suum conductum redeat. In Appendice to. 2. Scriptorum historiæ Francorum Andreæ du Chesne extat epistola cujusdam Catuphi ad Carolum Magnum, in cujus fine eum hortatur, ut cum consilio Synodi Francorum celebrari constituat in Regno suo *Missam* S. Michaëlis, & passionem S. Petri. Eamdem ob causam ad quemcumque populi cœtum, sive congregationem indicandam Missæ nomen translatum legimus, quia populi multitudo numquam frequentiùs solet in unum congregari, quam ut Missæ sacrificio interfit. Hinc apud Baronium a. 519. in Indiculo, seu Relatione de scelere Thessalonicensium, statuerunt Episcopi, ne quis Missas foras Civitatem teneret, ut multitudo esset futuræ seditioni congregata. Hinc etiam Germanis, teste Kiliano in Dictionario, *Francfurter Misse, Strasburger Misse*, idem est, ac nundinæ Francfurti, & Argentorati; quæ nominatio, ut Joachimus Vadianus ait *lib. 1. de veteribus Germaniæ Monasteriis*, inde nata videtur, quia multis in locis statæ, & annuę nundinæ festis diebus annectuntur, idque ob populi frequentiam ad Missas celebriores confluentis.

VI. Octavò tandem sumitur Missa pro tota divini Sacrificii celebratione, quatenus utramque comprehendit Catechumenorum, & Fidelium: quæ acceptio adeò in ore omnium communis est, ut recentiores vix aliam agnoscant hujus nominis significationem. Hinc errandi occasionem accepit magni nominis Theologus, qui solum nostri temporis usum attendens, quoties apud Cassianum, & S. Benedictum Missę nomen invenit, de missæ sacrificio intellexit: ex quo sequeretur, pluries in die, imò etiam post prandi-

um

um sacrificia olim à Monachis oblata; quia etiam post Vesperas,& post Completorium S. Pater Benedictus sua illa phrasi utitur, *& Missæ sint, & Missæ fiant.* Hoc autem errore nihil absurdius. Porrò apud Antiquos Missæ, & Missarum solemnia plurali numero sæpius quam singulari legentibus occurrunt; vel quia duplex erat Missa Catechumenorum, & Fidelium; vel quia Missæ nomine omnia divina officia, omnemque Sacramentorum administrationem intelligebant. Ideò S. Benedictus *in Regula cap.60.* loquens de Sacerdotibus, qui in Monasterio ad habitum,& professionem recipiebantur,ait,*Concedatur ei post Abbatem stare, & benedicere,& Missas tenere*; id est sacrum celebrare, & Sacramenta administrare. In quibusdam Editionibus legitur *Missas cauere*, sed vera lectio est,& phrasis in Ecclesia usitata, *Missas tenere*. Conc. Agathense c.21. Si quis extra parochias Oratorium in agro habere voluerit, ut ibi *Missas teneat*, justâ ordinatione permittimus. Concilium Bracharense primum c.16. Si quis feria quinta, quæ vocatur cœna Domini *Missas non tenet*, anathema sit. Est autem *Missas tenere*,& eas celebrare,& eis interesse,ut in præcitato Concilio Agathensi cap.47. *Missas* die Dominico secularibus totas *tenere* speciali ordinatione præcipimus.

## CAPUT III.

*Missæ nomen antiquissimum. A quibus primò usurpatum. Epistolis Decretalibus ab Isidoro collectis, quæ fides habenda. De variis Missæ nominibus. Dicta à Latinis Collecta, Dominicum, Agenda, Communio, Oblatio; à Græcis Liturgia, Mystagogia, Synaxis, Telete, Anaphora, Prosphora, Oeconomia. Tertulliani de Missæ Sacrificio circumscriptiones.*

I. His de nomine Missæ, ejusque notatione prælibatis, ejusdem nominis antiquitas disquirenda est. Putat Baronius anno 34. n. 59. natam hanc vocem simul cum Ecclesia, & à primis ejus post Christum Fundatoribus Petro & Paulo, ex Hebraicis fontibus Romanis traditam: qua etiam usum fuisse ait Jacobum fratrem Domini,& Episcopum Hierosolymorum in sua quam posteris reliquit Liturgiâ. Sed pace tanti viri, utrumque, quò nititur, fundamentum falsum est. Nam Missa non est nomen Hebraicum, ut suprà diximus; & ut concedamus legitimam esse Jacobi Liturgiam, quod suo loco examinabitur, nomen Missæ non Jacobi, qui græcè scripsit,sed latini interpretis est: nec usquam Græci Scriptores, nisi post multa sæcula ea voce usi sunt. Adstipulantur Baronio Joseph Vicecòmes, & J. Baptista Scortia in suis tractatibus de sacrificio Missæ,& Stephanus Durantus libro de Ritibus Ecclesiæ,atque alii recentiores,qui,ut probent, Missæ nomen Apostolicæ ætatis esse, & Christianæ Religioni coævum, ex Romanis Pontificibus primi,& secundi sæculi,testimonia nullius roboris coacervant: dudum enim ab Eruditis observatum est, illorum Epistolas decretales usque ad Siricum supposititias esse,à quodam Hispano sub nomine Isidori (quicumque ille fuerit) sub finem septimi sæculi pia fraude confictas,& ex sententiis veterum Canonum,legum etiam civilium, & Sanctor. Patrum,qui quarto & quinto sæculo floruerunt,turpi anachronismo, eodemque ferè stylo ac dicendi charactere, magna ex parte contextas, quas primum ex Hispania in Galliam detulit labente octavo sæculo Riculfus Episcopus Moguntinus; & inde in alias regiones disseminatæ, ac communiter receptæ sunt. Sed tandem impostura detecta est, & Baronius de his Epistolis differens a.865. earum falsitatem agnoscit,& apertè fatetur, *ne quis*, inquit, *calumniari possit ab Ecclesia Romana aliquid hujusmodi commentum esse*. Earum igitur testimoniis tamquam falsis,& inutilibus rejectis,certiora ex veris, & legitimis Pontificum ac Patrum scriptis proferenda sunt. Extat primo loco epistola Pii ad Justum Episcopum Viennensem, (quam recipiunt Orthodoxi,nec audent omninò reprobare Sectarii) scripta,ut Baronio visum est,anno Christi 166. Ejus initio sic loquitur S. Pontifex: *Soror nostra Euprepia, sicut bene recordaris, titulum domus suæ pauperibus assignavit, ubi nunc commorantes Missas agimus.* Extat etiam alia Cornelii Papæ ad Lupicinum ejusdem Viennensis Ecclesiæ Episcopum,in qua ait,non licuisse tunc Christianis, neque in Cryptis notioribus publicè Missas agere propter acerrimam persecutionem. Scripta est circa a.254. & inter pseudepigraphas,nec quidem ab eterodoxis recensetur. Quarto sæculo vixit Ambrosius, qui ep.13.ad Marcellinam sororem, Ego, inquit, *mansi in munere, Missam facere cœpi.* & ser.34. *Moneo vos, ut qui juxta Ecclesiam est, & sine gravi impedimento potest, quotidie audiat Missam.* In oratione item præparatoria ad Missam inter genuinos ejus partus agnita à Casaubono; Anselmo autem contra fidem veterum Codicum à nupero scriptore perperam tributa:

*Concede mihi*, ait, *hodie, & semper Missarum solemnia puro corde, & pura mente celebrare.* Augustinus Ambrosio æqualis serm. 91. de temp. *In lectione quæ nobis ad Missas legenda est.* Item serm. de temp. 237. *Ecce post sermonem fit Missa Catechumenis, manebunt Fideles.* Ruffinus Aquiliensis in latina interpretatione Clementis Romani Missæ nomine usus est, cum in textu græco nomen Liturgiæ, sive Sinaxis, invenit. Quinti seculi testis, & assertor est S. Leo cognomento Magnus, qui epist. 81. ad Dioscorum Alexandrinum sacrificium iterari jubens, cum una celebratio multitudini populi non sufficit, *Necesse est*, inquit, *ut quædam pars populi sua devotione privetur, si unius tantum Missæ more servato, sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint.* Victor Africanus ejusdem temporis scriptor initio lib. 2. Wandalicæ persecutionis, *Liberum arbitrium habetis in Ecclesiis vestris Missas agere.* Paulinus, non ille celebris Nolanus Episcopus, sed, alius qui paucis post illum annis vixit, in *vita S. Martini lib. 4.*

*Præcedat Missam miseratio, gratior hæc est*
*Hostia, mandatum faciens prius obtege nudum.*

Porrò Ambrosius, Augustinus, & alii citati eo nomine usi tanquam consueto, & dudum Fidelibus usitato, ut patet: qui usus post Augustini tempora adeò communis factus est, ut superfluum sit sequentium sæculorum testes proferre. Ætate verò Gregorii Magni eumdem usum invaluisse ex epistolis, & sermonibus ejus passim, & ex scriptoribus Synchronis manifestum est. Julianus Antecessor Cpolitanus, qui primus omnium Novellas Justiniani, paulò post ejus decessum, Natinas fecit, Novellam 58. sic transfert: *Siquis in domo sua Oratorium habuerit, non audeat in eo sacram facere Missam, nisi Clericos Catholicæ fidei habuerit deputatos ex jussione religiosissimi Episcopi Civitatis, vel beatissimi Patriarchæ.* Hanc sententiam ex translatione Juliani refert Ivo P. 3. *Decreti cap.* 191. *& p. 6. cap.* 424. Communis ergo apud Antiquos non solum sacros, sed & profanos scriptores, Missæ acceptio pro Christiano sacrificio fuit; & quamvis nos lateat, quis primùm ea voce usus sit, liquet tamen antiquissimam esse, à Sanctis Pontificibus Pio, & Cornelio, quorum primus secundo, alter tertio seculo vixit, ac deinceps ubique ab omnibus Occidentalibus usurpatam.

II. Quia verò nomina ad abditas rerum naturas, & proprietates, quantum fieri potest, exprimendas à Sapientibus inventa sunt: res autem altissimæ, & supernaturales adeò humanum intellectum excedunt, ut non solum nominari, sed nec concipi quidem possint; hinc factum arbitror, ut Sancti Patres ad explicandum hoc Mysterium plura vocabula excogitarint, de quibus nonnulla hic adnotanda sunt; quæ ad hanc tractationem illustrandam plurimum conferent.

Latinorum nominum primum, & usitatissimum est *Collecta*, quia colligitur in unum populus, ut sacrificio interest: quo sensu etiam in veteri testamento *Levit.* 23. *& Deut.* 16. cœtus fidelium, dieseque solemnes *Collectæ* dicebantur. Tertullianus in fine libri defuga in persecut. *Sed quomodo colligemus? Quomodo Dominicam solemnia celebrabimus? Postremo si colligere interdiu non potes, habes noctem.* Optatus Milevit. lib. 2. *Non enim grex, aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter quadraginta, & quod excurrit, Basilicas, locum ubi colligerent, non habebant.* Irenæus l. 3. c. 3. *Confundimus omnes eos, qui quoquo modo, præterquam oportet, colligunt.* Augustinus in Breviculo Collationum cum Donatistis in Collatione tertiæ diei: *Confitebantur se Collectam, & Dominicum egisse.* In Actis Sanctorum Martyrum Saturnini, & sociorum apud Bollandum die 11 Feb. oblati fuisse Proconsuli dicuntur, quia contra interdictum Imperatorum *Collectam*, sive *Dominicum* celebrassent. Sed quia colligi in unum populus, & convenire solebat, non solum ad sacrificium, sed etiam ad alia divina officia peragenda, Veteres *Collectæ* nomine pro quavis solemni conventu utebantur. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, *Post Alleluja cantatum, quo signo vocabantur ad Collectam.* In synodo S. Patricii tom. 1. Conciliorum Angliæ, *Quicumque negligentiæ causa ad Collectas manè, vel vespere non occurrerit, alienus habeatur.* De aliis hujus nominis significationibus agam commodiùs l. 2. cum de *Collectis* sermo erit.

Dicitur secundò *Dominicum*, ut ex locis modo citatis constat, quia nimirum maxima & præcipua functio est, quæ ex Domini institutione & præcepto in Ecclesia peragitur. Clarè Cypr. ep. 63. ad Cœciliũ, *Nunquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus, ut sic mysticũ calicem frequentandis* Dominicis *offeramus?* & l. de op. & eleemosinis: *Locuples, & dives es, & Dominicũ celebrare te credis, quæ cor bonum omnino non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ panem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis.* Aug. item ep. 86. versus finem loquens de sermone Pauli in Troade, *Per diem*, inquit, *hora* Dominici *fuerant congregati*, hora scil. celebrandi sacrificii. Hinc vox illa Christi anorum quæ in actis proconsularibus S. Saturnini sæpiùs legitur, *Christiani su-*

*mus.*

*mus, & sine* Dominico *esse non possumus:* Dominicum *cum fratribus celebravi: Non potest intermitti* Dominicum. Et in Romano Martyrologio 8. Kal. Januarii multa millia Martyrum commemorantur, qui Nicomediæ, cum ad *Dominicum* in Christi Natali convenissent, jussu Diocletiani in Ecclesia clausi, incenso igne consumpti sunt. Templum quoque, sive locus, in quo ad sacrum celebrandum Fideles conveniebant, Dominicum olim dicebatur, ut infra Cap. 19. explicabo.

Tertio, in Concilio Cartaginensi sub Celestino Papa vocatur *Agenda* his verbis, *Numidius Episcopus Massylitanus dixit: In quibusdam locis sunt Presbyteri, qui aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audacter, præsente & inconsulto Episcopo cum plurimis in domicilijs agant Agenda, quod disciplinæ incongruum cognoscit esse Sanctitas vestra. Ab universis Episcopis dictum est: Quisquis Presbyter inconsulto Episcopo Agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit.* Est autem hic Canon insertus Capitularibus Caroli Magni *lib. 6. c. 234.* & distinctius *Additione 4. c. 50.* Utrobique verò decernitur, ne quis Presbyter inconsulto Episcopo celebret *Agendam*: Agendam, inquam, in singulari, non *Agenda* in neutro plurali, ut malè legitur in synodo præcitata. Anastasius Bibliothecarius in Leone II. *Ne Mauri Episcopi Agenda celebrarentur.* Ritum quoque sacrificii ordinem agendi vocat Aug. *ep. 118. c. 6.* Agendam denique mortuorum passim legimus in Antiphonario S. Gregorii, & in antiquis Scriptoribus officiorum Ecclesiasticorum. Sicut enim *facere* apud sacros, & profanos scriptores significat *sacrificare*, ita ipsum sacrificium Agenda nuncupatur. Levitici c. 15. loquens Moyses de duobus Turturibus in sacrificium offerendis ait: *Faciet unum pro peccato, & alterum in holocaustum.* & cap. 23. *Facietis Hircum pro peccato.* Judicum c. 13. *Faciemus tibi hædum.* Plautus in Aulularia act. 4. sc. 2. *O Fides Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam.* Virgilius ecl. 3. *Cum faciam vitulâ pro frugibus, ipse venito.* Cicero pro Muræna, *Juno sospita cui omnes Consules facere necesse est.* Porrò actio non tota Missa, sed pars ejus præcipua dicitur, nempè Canon, ut suo loco videbimus.

Quartum nomen est *Communio*, quod non solum pro usu Eucharistiæ, sed etiam pro sacrificio quo conficitur, aliquando acceptum est: non quia necesse sit plures in Missâ communicare, ut ostendam, cum de Missâ privata agendum erit; sed quia in ea fit consecratio, & participatio corporis, & sanguinis Christi, & ideò sine communione esse non potest. Damascenus l. 4. de fide orthod. c. 14. inter alias hujus divini sacrificii nuncupationes, & hanc recensens ait, „ Communio optimo jure appellatur, quia per „ illud cum Christo commercium habemus, ac „ carnem ipsius, & divinitatem percipimus, at„ que adeo nos inter nos communicamus, atque „ copulamur. Quia enim ex uno pane participa„ mus, omnes unum Christi corpus & unus san„ guis, & alii aliorum membra efficimur, Chri„ stique concorporei existimus. Quia igitur inseparabilis est à Sacrificio ejusdem participatio, & olim extra ipsum nemo communicabat, idcirco illi communionis nomen inditum fuit. Attingunt traditam à Damasceno communionis notionem Nazianzenus Orat. 3. Isidorus Pelusiota *lib. 1. ep. 228.* & Pachymeres ad *cap. 3. Hierarchiæ Ecclesiasticæ.*

Quintò vocari solet *Oblatio*, quia in ea Christus Agnus sine macula offertur, & immolatur, quod vocabulum communissimum est, ut ostendit Pamelius ad lib. Tertull. de cultu fœminarum cap. 11. ubi multas congerit ipsius Tertulliani, & aliorum Patrum auctoritates. Ennodius Ticinensis sub finem Apologetici Ecclesiam sic loquentem inducit; *Me, quam Dei summi templa, repudiatis Fanorum cultibus, & novæ lucis nitore gaudentem fecerunt esse conspicuam, quam à victimis liberavit Oblatio.* Ubi perspicuè pro Sacrificio incruento oblatio accipitur, licet aliæ sint ejus vocis significationes. Ita offerendi verbum pro sacrificii celebratione reperitur apud Aug. ep. 118. *Alibi nullus dies omittitur, quo non offeratur, alibi Sabbato tantum, & Dominico.* Et apud Optatum l. 1. *Erat altare loco suo, in quo Pacifici Episcopi suo tempore obtulerunt.* Possem & alia nomina afferre, quæ Missam apud Latinos significant, qualia sunt *hostia, fractio panis, mysterium, latria, pignus, sanctum, mensa, pretium, bonum, gratia,* & similia: sed de his legi possunt Joseph Vicecomes *l. 1. de ritibus Missæ*, Jo. Dartis *de consec. dist. tract. 2. de Euchar. c. 19.* & diffusissimè Theophilus Raynaudis in Onomastico Eucharistico.

III. A Græcis Patribus vocatur primò *Liturgia*; quæ vox apud Grammaticos quodcumque publicum munus, seu ministerium denotat. Utuntur eâ in hoc sensu Plato, Aristoteles, Demosthenes, Xenophon, Isocrates, & alii profani scriptores, quorum testimonia proferunt Lexicographi Græci. Eadem in Pandectis hac ipsa notione reperitur, *l. 50. t. 6. in rescripto Marci Antonini, ac Lucii Veri*, qui Divi Fratres nuncupantur: passimq;

in

in Græcis legibus *Aliturgesia* pro immunitate à publicis muneribus occurrit. Apud Christianos autem ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis consuetudo invaluit, ut pro sacrificio Corporis, & Sanguinis Domini accipiatur: nulla siquidem functioest, nullum ministerium magis publicum, quam actio Sacerdotis Deo sacrificium offerentis. Actuum 13. vox illa *Ministrantibus illis Domino* græcè est *Liturgunton*, quod quidem ministerium nihil aliud fuisse creditur, quàm sacrificium, atque ideò Textum illum sic vertit Erasmus, *cum illi Domino sacrificarent*. Hinc translatum Liturgiæ nomen ad ipsum contextum, & ordinem sacrificii, cum dicimus Liturgiam Jacobi, Basilii, Chrysostomi. Observat tamen vir eruditus Vincentius Riccardus in comment. ad Proclum de traditione Missæ, quod, quando Patres vocem Liturgiæ pro sacrificio usurpant, semper Epitheton *sacræ*, vel *mysticæ* adjungunt.

Secundò, à S. Dionysio c. 1. Eccles. hierarchiæ *Mystagogia* appellatur, quæ idem est, ac secreta actio, divina participatio, introductio ad mysteria; unde Mystagogicæ dictæ sunt Catecheses quinque Cyrilli Hierosolymitani, in quibus disserit de hoc sacrificio. Nazianzenus Orat. 17. ad Cives suos, alloquens Præfectum illis iratum, *Eodem* inquit *ore, quo hanc ad te deprecationem obeo, sacrosanctum Mysterium perago in cœlum nos tollens*: ubi græcè est *Mystagogia*. Damascenus etiam Orat. de Defunctis, ait eos juvari Mystagogiis, id est sacrificiis.

Tertiò idem Dionysius initio cap. 3. ejusdem libri *Synaxim* nominat, hoc est collationem, quia nos in Christo simul adunant, & in iis, qui eadem mensa fruuntur, divinam efficit morum similitudinem, animum colligens & reducens in unum, ac Deo conjunges. Quamvis autem alii Patres hac voce uti soleant pro quacumque Fidelium congregatione, sive ad Orationem, sive ad Psalmodiam, sive ad audiendum verbum Dei, ut ex Cassiano constat *lib. 2. cap. 10. & coll. 2. cap. ult.* Dionysius tamen eam semper adhibet ad denotandam Liturgiam; imò Pachymeres in Paraphrasi cum utramque notionem adducat, hanc solam probat, aliam rejiciens tanquam nimis humilem, & ingenio Dionys. indignam. *Synaxis*, inquit, *minimè intelligenda populi congregatio, prout aliqui nunc temporis vocem illam accipiunt, sed cum Deo conjunctio, communioque*.

Quartò ab eodem ibidem *Telete* nuncupatur. Est autem *Telete* Lexicographiis initiatio, consecratio, perfectio. Suidas ait esse sacrificiū mysteriorum plenum, maximum & honoratissimum. Synesius in fine epist. 58 de hoc Sacramento loquens *Arcanum mysterium* vocat, græcè *Teleten*. Plato in Phœdone *Teletas* vocat cœremonias, & 2. de Rep. *Expiationes*. Apulejus propè finem lib. 11. describens ritum quo Sacerdotio, more Ethnicorum, initiatus fuit, *Mihi*, inquit, *prædicat quæ forent ad usum* Teletæ *necessariò præparanda*. Et infrà, *Inopinatis, & usquequaque mirificis imperiis rursum interpellor, & cogor tertiam quoque* Teletam *suscitare*. Lucianus Samosatenus Christum blasphemans in Dialogo de morte Peregrini ait, ipsum cruci affixum fuisse ob institutam novam *Teleten* novum scilicet mysterium, novum Sacrificium, novam Religionem. Augustinus lib. 10. de Civitate Dei cap. 9. de Teletes agit, magicis nimirùm consecrationibus, quibus impius Porphyrius docebat aptam fieri animam susceptioni spirituum, & divinæ visioni. Vera autem notio, ad quam respexit Dionysius, cum hoc nomen sacrificio tribuit, est perfectio, & consummatio; quia in illo Christus offertur fons totius perfectionis: vel quia functio perfectissima est Christianæ Religionis, vim habens perfectricem, qua carent cætera Sacramenta, quibus proindè nomen *Teletæ* nullo modo convenire potest, nisi istud accesserit tanquam ultima perfectio & consummatio. Qua de causa consuevit Ecclesia reliqua Sacramenta conficere, & administrare vel intra Missarum solemnia, vel saltem coram Eucharistia, quæ idcircò *Omnium Teleton Telete* dicitur, quia omnibus mysteriis & Sacramentis supremam veluti manum imponit, eisque vim & sanctitatem largitur.

Quintò dicitur *Anaphora*, elevatio, sursum elatio: sive ut Hesychius Christianus Lexicographus explicat, supplicatio & invocatio. Hoc nomine inscribitur sancti Basilii Liturgia ab Andrea Masio è Syriaco idiomate in Latinum translata. Dicitur autem Anaphora, quia sacrificium sursum ad Deum fertur: vel quia Sacerdotis & assistentium corda ad eundem attollit. Nam si omnis oratio est ascensio mentis in Deum, multo potiori ratione hoc sacrificio convenit, quod Actum habet nobilissimum latriæ, & genus orandi perfectissimum. Optimè hoc expressit Anastasius Sinnita Orat. de Synaxi. *State obsecro cum reverentia, state cum timore tremendâ illa elevationis horâ. Quo enim affectu, & quo animo quisque illo tempore assistit, sic & ad Dominum sursum fertur. Anaphora enim dicitur quia sursum ad Deum fertur.* In Liturgia Basilii Diaconus dicit,

Stemus cum

*timore, attendamus ad Sanctam oblationem*, græcè anaphoran *in pace offerendam*. In fine item Psalmi 50. *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationem*, græca versio LXX. legit *Anaphoran*.

Sextò dicitur *Prosphora*, quæ vox latinè oblationem significat, de qua suprà actum est. Loca Sanctorum Patrum, à quibus Prosphora pro sacrificio accipitur, multa congerit Riccardus in comment. ad Orat. 6. Procli pag. 242. Ego unum afferam Eusebii Cæsariensis lib. 6. hist. Eccles. cap. 43. de juramento, quod Novatus extorquebat à suis, ne redirent ad Cornelium. Oblatione facta, inquit (græcè habetur Prosphora) portionem singulis dividens, dum eam tradit, miseros homines benedictionis loco jurare cogit, manus ejus qui portionem accepit ambabus suis manibus comprehensas retinens, nec prius dimittens, quam jurati ista dixerint; ipsis enim utar illius verbis: Jura mihi per corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te nunquàm meas partes deserturum, nec ad Cornelium esse rediturum.

Septimò Epiphanius Hær. 75. *Oeconomiæ* nomine utitur pro sacrificio, idemque est apud illum facere œconomiam, ac sacrificium offerre, ut scitè notat Billius in scholiis ad Jambicum XV. Nazianzeni n. 25. Scio quidem hanc vocem frequenter à Patribus usurpari ad exprimendum Incarnationis mysterium, ut à Tertull. adv. Praxeam c. 23. ab Athanasio Orat. 3. à Clemente Alex. lib. 5. Strom. à Cyrillo sæpe in libris de Incarnatione, ab Anastasio Sinaita in Odego c. 2. & ab aliis, sed ob summam connexionem Incarnationis cum Eucharistia, pro hoc quoque mysterio non incongruè accipitur, in quo teste Damasceno lib. 4. de Fide orth. c. 14. omnis Dei charitas & suavitas exhibita nobis est, quę splendet in Incarnatione. Ideò Eusebius lib. 8. Demonstr. Evangel. dixit tradidisse Christum discipulis suis *symbola divinæ Oeconomiæ*. Est autem Oeconomia provida rei administratio, ad aliorum commodum & utilitatem ordinata, quæ tam in Incarnatione, quàm in Eucharistiæ institutione mirabiliter eluxit.

Alia à Græcis divinæ Liturgiæ tributa nomina (qualia sunt *Hierurgia*, *Eulogia*, *Agathon*, *Mysterion*, *Latria*, *Dipnon*, *Telaion*, & similia, quę latinè sunt *Actio sacra*, *Benedictio*, *Bonum*, *Mysterium*, *Cultus*, *Cœna*, *Perfectio*, supra citati Auctores Vicecomes, Darfis, & Raynaudus suppeditabunt.

IV. Consigno hoc caput variis appellationibus, quibus vetustissimus Latinorum Tertullianus hoc sacrificium, sive Eucharistiam circumscribit, licet interdùm obscurè, ne arcana mysteria infidelibus & indignis proderentur. Apologetici c. 39. *Edam jam nunc ego ipse negotia Christianæ factionis. Corpus sumus de conscientia Religionis, & disciplinæ unitate, & spei fœdere. Coimus ad Deum, coimus ad literarum divinarum commemorationem: summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & conventus, & omnis sancti commercii relegetur.* Et infra cœnam Christianorum sive Agapen suprà commemoratam eleganter describit. Rectè autem hoc caput, ut notat Pamelius, ab omnibus penè inscribitur, *De disciplina Christianorum*, in quo Missa describitur, qualis tunc in Africa agebatur. Cœtus enim præcipuè cogebantur propter sacrificium, cui lectio Scripturarum, & peccatorum, ac pœnitentium exclusio annexæ erant. Mysteria autem ante Agapen celebrata haud obscurè indicat Apostolus ep. 1. ad Cor. c. 11. in eodem Apologetico c. 30. Postquam dixit, Christianos orare pro Imperatoribus atque ipsis precari quæcumque hominis vota sunt, à it: *Hæc ab alio orare non possum, quamâquo scio me consecuturum, quoniam & ipse est, qui solus præstat, & ego famulus ejus, qui cum solus observo, qui et offero opimam, & majorem hostiam* (majorem scilicet quàm Gentes offerrent) *quàm ipse mandavit.* Non ignoro hunc locum alio detorqueri à Centurionibus, sed lib. ad Scapulam cap. 2. disertè meminit sacrificii dicens, *Itaq; & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & ipsius, sed quo modo præcepit Deus, puræ prece.* Addit autem puram precem, sicut & in Apologetico addit, *orationem de carne pudica*, non quod de solo precum sacrificio loquatur: verùm quia nostrum sacrificium Ethnico opponit, in quo *reprobi Bovis* sanguis immolabatur; *non enim*, inquit, *eget Deus conditor universitatis odoris, aut sanguinis alicujus: hæc enim dæmoniorum pabula sunt.* Nos verò prece pura Deo sacrificamus, quia nostrum sacrificium incruentum est, solisq; precibus & invocationibus perficitur, lib. 2. ad uxorem c. 4. agens de muliere fideli viro infideli nupta, ait: *Quis uxorem suam nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, à latere suo adimi libenter feret? Quis solemnibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit? Quis ad convivium illud Dominicum, quod infamant, sine sua suspicione dimittet?* Et infra cap. ult. felicitatem prædicat matrimonii Fidelis cum Fideli, *quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat*

*benedictio. Simul orant simul jejunia transigunt in Ecclesia Dei pariter utrique, pariter in convivia Dei: eleemosynæ sine tormento, sacrificia sine scrupulo.* l. 2. de cultu fœminarum c. 11. *Vobis*, ait, *nulla procedendi causa non tetrica. Aut imbecillus aliquis ex fratribus visitatur, aut sacrificium offertur, aut Dei sermo administratur. Quidvis horum gravitatis & sanctitatis negotium est.* Lib. de Anima c. 17. adversus Academicos disputans non esse in dubium sensus devocandos docet, *ne & in Christo de fide eorum deliberetur: ne fortè dicatur, quod deceptus sit, & alium posteà senserit vini saporem, quod in sanguinis sui memoriam consecravit.* Quod autem hic obscurius loquitur, clariùs explicat lib. 4. adv. Marcionem c. 40. dicens: *Sanguinem suum in vino consecravit.* Et paulò antè jam dixerat: *Acceptum panem, & distributum discipulis, corpus illum suum fecit, hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei.* Quomodo autem hæc verba Catholicum sensum habeant, ita ut in Sacramento sit simul veritas, & figura corporis Christi; atque unum alteri non repugnet, ostendunt Pamelius in Notis, Bellarminus lib. 2. de Euchar. c. 7. Eadem phrasi usus est Tertullianus l. 3. contra eundem Marcionē c. 19. Nam cum iste impiè assereret, corpus Christi phantasticum fuisse, eum redarguit Tertullianus ex eo, quod Christus Eucharistiam instituit tamquam figuram corporis sui, corporis scilicet veri, & non phantastici in cruce posteà immolandi. Eodem modo loquendi usus est Apostolus in ep. ad Hebr. cap. 1. cum dixit filium Dei esse figuram substantiæ Patris, cum quo tamen stat eum esse Patri consubstantialem. Ipse verò Tertullianus mentem suam clariùs explicat infrà l. 5. c. 8. dicens: *Panis & calicis Sacramento jam in Evangelio probavimus corporis, & sanguinis Dominici veritatem adversùs phantasma Marcionis.* Lib. de orat. c. 6. *Christus panis noster est, quia vita Christus, & vita panis. Tum quod & corpus ejus in pane censetur: Hoc est corpus meum.* Et propè finem expresè differit de ritu orandi, de osculo pacis, de orationibus sacrificiorum, de Stationibus, & de sacrificii participatione. Rursùm lib. de Anima cap. 9. falsas Priscillæ revelationes commendans, postquam defecerat ad Montanum; *Est hodie*, inquit, *Soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter Dominica solemnia per ectasin in spiritu patitur. Prout Scripturæ leguntur, aut psalmi canuntur, aut adlocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ita inde materiæ visionibus subministrantur. Post transacta solemnia demissa plebe solet nobis renunciare quæ viderit.* Porrò hic exactam eorum omnium, quæ etiam nunc in Missarum celebratione aguntur, periphrasim habemus; lectionem scripturarum, cantum psalmorum; adlocutiones, cùm Sacerdos populum salutat, docet, hortatur; petitiones in Collectis, & aliis orationibus, ac demum in fine populi dimissionem. lib. de Resurrect. carnis cap. 8. *Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Et infrà ejusdem mysterii meminit cap. 26. & 37. lib. de præscript. cap. 36. nonnulla recensens, quæ docebat Romana Ecclesia, inter cætera ait: *Legem & Prophetas cum Evangelicis & Apostolicis literis miscet, & inde potat fidem: eam aqua signat, S. Spiritu vestit, Eucharistia pascit.* l. de Corona cap. 3. agens de traditionibus, quæ sine scripto in Ecclesia servantur, *Eucharistiæ*, inquit, *Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam ante lucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxiè patimur.* Omitto alia, ut cùm lib. de Pudicitia c. 9. nos vesci ait *opimitate Dominici corporis, scilicet Eucharistica:* Et cum lib. de Idololatria cap. 7. ingemit Christianum, *eas manus admovere corpori Domini, quæ Dæmoniis corpora conferunt:* & his similia plura. Libuit autem ex hoc potissimum scriptore allegata testimonia sumere, quod magni ponderis ejus auctoritas sit ad probandas divinas & apostolicas institutiones.

## CAPUT IV.

*Missæ sacrificium à Christo institutum, ab Apostolis frequentatum. Ethnicorum calumniæ adversùs Christianos, & earum origo. Testimonia veterum Patrum de primitivæ Ecclesiæ sacrificiis.*

I. CHristus Redemptor noster, *immutabile habens sacerdotium*, ut ait Cyrillus Hierosolymit. Cathec. 10. *neque factitio oleo unctus, sed ante sæcula à Patre*, ipse per seipsum novæ legis, quam condidit, sacrificium instituit infinitæ suæ erga nos charitatis indicium: idque adeò evidenter astruunt Matthæus, Marcus & Lucas Evangelistæ, ut nefas sit viro Christiano hoc Fidei dogma in dubium revocare. *Ipse enim Dominus*, ut scitè Paulinus scribit epist. 5. ad Severum, *Hostia omnium Sacerdotum est, qui semetipsum pro omnium reconciliatione Patri libans, victima Sacerdotii sui, & Sacerdos suæ victimæ fuit.* Cujus institutionis rationem red-

reddens B. Laurentius Justinianus sermone de Euchar. cap. 7. ait: *Ad roborandam fidelium crudelitatem nullum præter se fieri voluit hujus Sacramenti institutorem: Non Prophetam, non Patriarcham, non Justum, non Angelorum quempiam, sive de inferioribus, sive de mediis, sive de superioribus. Ipse plane illud instituit, qui semetipsum tradidit, cujus eloquia verissima sunt, cujus sapientia falli nullatenus potest, cujusve sententia mutari nequit, ipso perhibente qui ait:* Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. *Nulla igitur humanis mentibus inesse debet infidelitatis ambiguitas, quando Deus solus istud perficit mysterium.* Ideò Christus *Teletarchus* Magni Dionysii voce *cap. 1 cœl. hier.* nuncupatur, quia ab ipso prima ratio initiandi primusque ritus celebrandi profluxit; cum in ultima cœna se ipsum obtulit Deo Patri sub specie panis, & vini: idemque fieri jussit ab Apostolis, eorumque successoribus usque ad mundi consummationem, *Hoc facite*, inquit, *in mei commemorationem.*

II. Christi verò mandata non neglexerunt Apostoli, nam ut scribit in eorum Actis cap. 2. S. Lucas, *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis.* Et infrà cap. 20. *Una sabbatorum cum convenissent ad frangendum panem*; ad Sacramenta scilicet, & mysteria celebranda, ut exponunt Augustinus epist. 88. ad Casulanum, Beda in Commentariis citati capitis, & alii Patres passim. Paulus quoque 1. ad Cor. 11. sic scribit. *Convenientibus vobis in unum jam non est Dominicam cœnâ manducare.* Et paucis interjectis, à Christo sacrificium institutum narratdicens: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit,* Accipite, & manducate, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.* Idem ad Timotheum epist. 1. capite 2. *Obsecro fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.* Quem locum ad sacrificium Missæ aptissimè refert Augustinus epist. 59. ad Paulinum quæst. 5. dicens: *Eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel penè omnis frequentat Ecclesia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici: orationes, cum benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia Dominica oratione concludit. Interpellationes autem, sive ut nostri Codices habent, postulationes fiunt, cum populus benedicitur. Tunc enim Antistites veluti Advocati susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt pietati. Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit.* Hæc Augustinus, ex cujus expositione evidentissimè colligitur, talem ejus ævo fuisse ordinem Missæ, qualis nunc permanet in Ecclesia Romana, quæ cum Africanâ tunc conteseravit, ut loquitur Tertullianus, *de Præscript. cap.* 36. Nam primò præmittuntur precationes usque ad Canonem: sequitur Canon, quem nomine orationis intelligit Augustinus, in cujus fine oratio Dominica recitatur. Tum meminit benedictionis Episcopalis, quæ olim communioni præmitti solebat. Demum post communionem gratiarum actione Missarum solemnia terminantur. Omnes autem Apostolos ad modum, & ritum Sacri Ministerii aliquid contulisse, testatur Epiphanius Hær. 79. *Petrus* inquit, *& Andreas, Jacobus, & Joannes, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, Thaddæus, & Jacobus Alphæi, & Judas Jacobi, & Simon Cananæus, & Matthias in complementum duodecim electus, hi omnes electi sunt Apostoli per orbem sacram Evangelii functionem administrantes, una cum Paulo, & Barnaba, ac reliquis, & mysteriorum institutores cum Jacobo fratre Domini, & primo Hierosolymorum Episcopo.* Mysteriorum autem nomine sacrificii celebrationem intelligi supervacuè hic probare conarer. Idem tradunt Nicolaus Methonensis, *Tract. ad eos qui hæsitant*, & Cabasila in *Expositione Liturgiæ cap.* 29.

III. Huc pertinent adversus Christianos Ethnicorum calumniæ ob cœtus antelucanos, & occulta conventicula, unde *natio latebrosa, & lucifugax* dicta apud Minutium Felicē. Et quia aliquid sub obscurè perceperant de Sacramento corporis, & sanguinis Christi, accusabant eos de cæde infantis, & epulis Thyesteis. *Dicimur sceleratissimi*, ait Tertullianus Apolog. c. 7. *de Sacramento infanticidii, & pabulo, inde & post convivium incesto.* Cæcilius apud Minutium: *Infantis sanguinem sitienter lambunt, hujus certatim membra dispertiunt, hac fœderantur hostia.* Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone: *An vos etiam de nobis creditis, homines nos vorare, & post epulum lucernis extinctis nefario concubitu promiscuè involvi?* Athenagoras in Apologia pro Christianis: *Trium flagitiorum infamis rumor de nobis spargitur, impietas quæ Deos tollat, epulæ Thyesteæ, concubitus incesti.* Idem objectum à Tyranno Martyribus Lugdunensibus ex illo-

rum Actis didicimus apud Eusebium initio lib. 5. Eccles. historiæ. Theophilus ad Autolycum lib. 3. *Istud præterea, & crudelissimum, & immanissimum est, quod nobis intendunt crimen, nos humanis carnibus vesci.* Quæ profectò calumnia ex eo est orta, quod Christiani metu persecutionis clam convenirent, ut Missæ interessent, & Christi corpore reficerentur. Promiscui autem concubitus hinc fortè nata suspicio, quod utriusque sexus Fideles *antelucanis coitionibus*, ut ait Minutius, congregarentur; quæ prima fuit Celsi Epicurei adversus Christianos criminatio, teste Origene lib. 1. adversus eundem: vel quia per osculum pacis se invicem ante communionem salutabant. Ideò Tertullianus *lib. 2. ad uxorem cap. 4.* non passurum ait maritum gentilem uxorem fidelem cum cæteris Fidelibus nocturnis convocationibus convenire *ad Convivium Dominicum, quod infamant*, suspicionibus videlicet supra enarratis. Miratus sum virum magnæ eruditionis, & dignitatis in Notis ad Tertullianum contrà communem sententiam hunc locum de Agapis explicare; cum ipsimet Sectarii fateantur, non posse aliter exponi, quam de convivio Eucharistico, nisi vis manifesta textui inferatur. Prædictas verò criminationes quidam ad Gnosticos, & Adamitas referunt, & ad eorum nefarios congressus, quod, quamvis à veri similitudine non abhorreat, verius tamen videtur Ethnicorum malitiæ adscribendas esse, qui ex odio adversus Christianos, & ex eorum occultis, ut diximus, coitionibus occasionem arripuerunt falsa illis crimina imponendi. Sed præstat alia testimonia Patrum afferre, quæ nulla possunt interpretatione in alium sensum detorqueri.

IV. Ignatius Apostolorum discipulus consuetudinem, quę tunc vigebat, sacrificium offerendi sæpè commemorat in suis Epistolis, in ea præsertim, quam Smyrnensibus scripsit, ex qua hæc verba recitat Theodoretus in impatibili dialogo 3. *Eucharistias, & oblationes non admittunt, quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Jesu Christi.* Presbyteri Achaiæ in Epistola, quam de Martyrio S. Andreæ conscripserunt, ipsum Proconsuli dixisse referunt: *Ego omni die sacrificio omnipotenti Deo.* Irenæus Polycarpi discipulus lib. 4. cap. 32. *Dominus suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est accepit, & gratias egit dicens:* Hoc est corpus meum. *Et calicem similiter, qui est ex ea creatura quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert* Deo. S. Laurentius apud Ambrosium lib. 1. o[illegible] c. cap. 41. dicebat Sixto: *Quo Sacerdos sancte sine Diacono properas? Nunquam sacrificium sine ministro offerre consueveras.* Justinus Martyr, qui Apostolorum temporibus proximus fuit, circa finem Apologiæ 2. pro Christianis sic divinæ Liturgiæ seriem describit. Nos preces, & supplicationes fundimus, *ut digni idoneique simus, qui veritate agnita per opera etiam ipsa boni, atque officiosi rerum administratores, & datorum nobis mandatorum custodes inveniamur, atque ut salute salvemur sempiterna. Finitis verò precibus, mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ, & vini; quibus ille acceptis laudem, & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii, & Sp. Sancti offert, & Eucharistiam sive gratiarum actionem pro eo quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixè exequitur. Atque ubi ille preces & gratiarum actiones absolvit, populus, qui adest omnis fausta approbatione acclamat dicens,* Amen. *Amen autem voce hebræâ* Fiat *significat. Præsidens verò postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque Ministri distribuunt uniculque præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt. Porrò alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia, quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum, & regenerationem abluto, & ita ut Christus tradidit viventi. Non enim, ut communem panem, & communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus servator noster, & carnem, & sanguinem salutis nostræ causâ habuit, ad eumdem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis, & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem, & sanguinem esse docti sumus. Nam Apostoli in Commentariis à se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Jesum. Eum enim pane accepto cum gratias egisset dixisse:* Hoc facite in mei recordationem, Hoc est corpus meum. *Et poculo similiter accepto, & gratiis actis dixisse:* Hic est sanguis meus: *ac solis ipsis ea tradidisse.* Hæc Justinus, qui post pauca ait die Solis, hoc est, die Dominica, fieri omnium conventum, legique scripta Apostolorum, & Prophetarum; tum ab

eo qui præsidet, orationem haberi, qua populum instruit, & ad mitationem eorum quæ lecta sunt adhortatur. Post hæc consurgere omnes, Deumque precari, offerri deinde panem, vinum, & aquam, & reliqua fieri, quæ supra commemoravit. Optatus Milevitanus lib. 1. meminit Ecclesiæ & altaris, in quo Cyprianus, Lucianus, & alii sancti Episcopi celebraverant. Dionysius *cap.* 3. *Eccl. hier.* postquam magnificis verbis salutaris hostiæ oblationem, & sacrificii excellentiam extulit, Pontifex, inquit, de sacrificio dignitatem suam superante se purgat, Christum prius exclamando: *Tu dixisti: Hoc facite in meam commemorationem.* Cyprianus epist. 63. ad Cæcilium, quosdam reprehendit, qui *in calice Dominico sanctificando, & plebi ministrando non hoc faciunt, quod Jesus Christus Dominus, & Deus noster sacrificii hujus auctor & Doctor fecit, & docuit.* Eusebius *lib.* 1. *Demonstr. Evang. cap.* 10. postquam multum differuit de sacrificio à Christo instituto, tandem concludit, nos sacrificare memoriam celebrantes magni illius sacrificii, secundum mysteria, quæ ab ipso tradita sunt. Ambrosius in precatione ante Missam: *Ego Domine,* inquit, *memor venerandæ passionis tuæ accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, & offerri præcepisti in tui commemorationem pro salute nostra.* Augustinus lib 83. quæstionum quæst. 61. *Sacerdos noster in æternum secundum ordinem Melchisedech seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, & ejus sacrificii similitudinem celebrandam in suæ passionis memoriam commendavit, ut illud, quod Melchisedech obtulit Deo, jam per totum orbem terrarum in Christi Ecclesia videamus offerri.* Possem hic longum sanctorum Patrum Catalogum texere, asserentium sacrificium nostrum à Christo ad Apostolos, ab istis ad nos profluxisse; sed nolo in re clarâ & indubitata nimiâ prolixitate gravare lectorem.

## CAPUT V.

*Quo tempore, & quo loco prima Missa ab Apostolis celebrata sit. Quis ex illis primus omnium celebraverit. Quo apparatu, quibus vestibus, quibus verbis, qua lingua. Addita quædam de linguarum mutatione. Cur linguâ vulgo ignotâ Ecclesiasticæ functiones peragantur.*

I. QUia Christus in ultima Cœnâ, qua corporis & sanguinis sui tremendum sacrificium instituit, omnes Apostolos Sacerdotio initiavit, tributâ eis consecrandi potestate, ut unanimi consensu Sancti Patres & Theologi asseverant: hinc orta est controversia, quandonam cœperint tradita sibi facultate uti, statimne ac Dominus à morte redivivus surrexit, an post adventum Spiritus Sancti. Silent de hac re Scripturæ, silent antiqui Patres: vulgus autem Scriptorum in duas partes scissum est. Quidam putant, abstinuisse Apostolos à celebratione in triduo Passionis utpotè mœstos de nece sui Domini, & dispersos sicut oves absque pastore; depulsâ verò mœstitiâ per gaudium Resurrectionis nihil obstitisse, quin illicò Sacrum peregerint, ut hunc supremum cultum redderent Deo, sive in gratiarum actionem pro gloriosa Magistri à mortuis Resurrectione, sive in memoriam acerbissimæ mortis ejus, sive pro sua, aliorumque Fidelium consolatione: idque fervidus eorum zelus, amorque ardentissimus, & aliæ quædam congruentiæ, quas affert Raynaudus *lib. de primæ Missa sect.* 1. *cap.* 2. persuadere videntur. Alii existimant, nequaquam ausos fuisse tam sublime ministerium aggredi, donec ad illud disponerentur divinæ gratiæ plenitudine, qua in adventu Spiritus Sancti imbuti sunt. Et hæc quidem sententia probabilior mihi videtur, cujus præcipuum momentum ex eo deduci puto, quod, ut affirmant melioris notæ Theologi, adhuc lex antiqua usque ad Pentecosten vigebat, novâ nondum sufficienter promulgatâ; nec decebat novum offerri sacrficium, Sacerdotio nondum translato. Favent Actus Apostolorum, in quibus *cap.* 2. legimus, Apostolos accepto Spiritu Sancto hortatos esse populum ad pœnitentiam, continuoque subdunt, fuisse eos *Perseverantes in communicatione fractionis panis, & orationibus*: cumque eadem verba ante descriptam missionem Spiritus Sancti Lucas *cap.* 1. dixisset, nullam facit mentionem fractionis panis, sed *erant*, inquit, *perseverantes unanimiter in oratione, & observatione*; quia nimirum ante Pentecosten nondum erat usus Sacrificii, & Communionis. Suffragatur huic sententiæ Hesychius in *cap.* 9. *Levitici*, dicens, Christi sacrificium innotescere cæpisse *ex quo Spiritus adveniens Parthos & Medos, & Elamitas, & omnium gentium primitias ad Apostolorum Cœnaculi superiora collegit.* Consentit quoque Paschasius *lib. de corp. & sanguine Domini cap.* 21. *Ex quo*, inquit, *renovati sunt sancti Apostoli per adventum sancti Spiritus de Cœlis, & inebriati musto Charitatis; ex eo sanè credimus hunc*

*calicem in Ecclesia consecratum, quoniam ille spiritus veritatis, in quo renovati sunt ex vetustate, induxerat eos in omnem veritatem, & confirmaverat in plenitudinem Doctrinæ.* Primum igitur Christianæ Ecclesiæ sacrificium Hierosolymis peractum est, in ipsomet Cœnaculo, in quo Spiritum Sanctum acceperant, non à Jacobi Fratre Domini, ut *lib. de Apost. Liturgia* existimat Genebrardus; sed à Petro Principe Apostolorum, ut scribit Democharès, *Tom. 2. de Missa, cap. 5.* Nemini enim convenientiùs hæc prærogativa tribui potest, quam Petro. *Quem*, ut verbis utar S. Leonis Magni Serm. 3. in sua Assumpt. *omnibus Apostolis, cunctisq; Ecclesiæ Patribus Christus præposuit, cui consortium potentiæ suæ tribuit divina Dignatio.* Rectè Asterius Amasenus Hom. in Principes Apostolorum: *Sicut Petrus primus omnium Gentibus ac Israëlitis tanquam Episcopus & Pastor omnium prædicavit; ita credendum eum primum sacrificium obtulisse.*

II. Quis verò qualisve fuerit primi hujus sacrificii apparatus, incertum est; vixque aliud dici potest, quàm omnia decentissimè composita, & ornata fuisse, quantum loci, temporis, personarumque conditio, atque aliæ circumstantiæ permittebant. Succensa lumina non defuisse credibile est, illorum enim usus in Sacris apud Hebræos vigebat, quibus jusserat Deus *Exodi 25. & Levitici 24.* aureum Candelabrum in templo fieri; & lucernas septem. Adhibitam quoque vestem à profana, & communi distinctam, quamvis negent Hugo Victorinus *lib. 2. de officiis Eccles. cap. 11.* & Walfridus Strabo *c. 24.* consentaneum videtur Apostolicæ pietati, & reverentiæ erga tantum mysterium, cum præsertim ante oculos haberent Sacerdotum Legalium exemplum, imò & Gentilium, quibus in sacrificiis vestis erat peculiaris. Planetæ S. Petri ab Antiochia Parisios delatæ, & in templo S. Genovefæ collocatæ meminit in vita S. Hugonis Cluniacensis alter Hugo ejusdem Monasterii Monachus apud Surium die 29. Aprilis. Sacram item vestem S. Johannis Evangelistæ Gregorio Magno transmissam refert Joannes Diaconus in ejus vita *l. 3. c. 59.* Sunt & aliæ quædam historiæ de vestibus Apostolorum, quibus in oblatione divini sacrificii usi fuisse dicuntur, quarum dubia est fides, tum propter antiquitatem, tum propter Vet. de illis silentium. De Penula Pauli Troade relicta, quam Planetam sive Casulam fuisse plerique existimant, sermo erit infra capite XXIV. Putoautem hic locum habere regulam traditam ab Augustino lib. 4. de Baptismo cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec à Conciliis institutum sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Audaciùs igitur quàm par esset Nicolaus Alemannius in *Dissertatione de parietinis Lateranensibus capite 9.* sacrarum vestium usum non solum Apostolis, sed etiam Apostolicis viris abnegat; idque ait explodendum esse tanquam ridiculum, & ab omnibus viris doctis improbari. Nimia prorsus audacia. Nemo enim negabit viros doctos fuisse Valdensem, Democharem, Baronium, Stapletonium, Saussayum, & alios contrariæ sententiæ assertores. Fatemur quidem, Christum non aliis quàm propriis vestibus indutum hoc Sacramentum instituisse: Apostolis verò, & Apostolicis viris sacra indumenta auferre nemo potest, nisi simul ostendat à quo primùm fuerint introducta, alioquin regulæ ab Augustino traditæ, & Concilio Tridentino adversabitur, à quo *sess. 22. cap. 5.* inter cætera, quæ pia Mater Ecclesia sacrificio adhibet ex Apostolica disciplina & traditione, vestes recensentur. Honorius in Gemma animæ cap. 89. Apostolos ait, & eorum successores in quotidianis vestibus Missas celebrasse: mox subdit, *Sed Clemens tradente Petro Apostolo usum sacrarum vestium ex lege sumpsit; & Stephanus Papa in sacris vestibus Missas celebrari constituit.* At hæc quis non videt asystata esse? Nam si tradente Petro usus sacrarum vestium sancitus est, quomodo Apostoli, & eorum successores, Apostolorum Principis traditionem seu præceptum neglexerunt in quotidianis vestibus celebrantes? Stephanus autem id tantùm decrevisse dicitur, ne ministri vestes sacras ferrent extra Ecclesiam. Joseph Vicecomes, ut probet, Apostolos profanis indutos vestibus sacrificasse, nascentem Ecclesiam summa rerum inopiâ laborasse, & pecunia caruisse ait, qua vestes peculiares ad usum sacrificii compararet: tum inquit, Gentiles id nequaquam permissuros, quorum persecutioni se palam exposuissent, si diversa à communibus vestimenta in Sacris abhibuissent. Sed istæ objectiones suo vitio cadunt. Ex Actibus siquidem Apostolorum constat, eos qui ad Christum convertebantur prædia vendidisse, eorumq; pretium Apostolis obtulisse, quo abundè poterant & egenorum necessitatibus providere, & vestes ac reliqua emere, quæ ad sacrificii usum requirebantur. Nec illis Christi discipulis, quos Evangelium divites, & potentes vocat, pietatem defuisse credimus ad emendas vestes Apostolis incruentum Sacrificium offerentibus, qua

quâ priùs moti fuerant ad pretiosa aromata comparanda, quibus corpus Christi mortuum ungeretur. Quod verò de Gentilibus addit, inane est: non enim publicè Sacris operabantur Apostoli, sed in locis ab infidelium notitia remotis, servata ab omnibus inviolabilis silentii fide, sine testibus, sine arbitris. Unde est illud Tertulliani in Apologetico cap. 7. *Si semper latemus, quando proditum est quod admittimus? Imò à quibus prodi potuit? Ab ipsis enim reis. Non utique, cum vel ex forma omnibus mysteriis silentii fides debeatur. Si ergò non ipsi proditores sui, sequitur ut extranei. Et unde extraneis notitia? Cum semper etiam piæ initiationes arceant profanos, & arbitris careant.* Nihil igitur obstat, quin Apostoli sacris vestibus uti potuerint: quod verò usi sint, pietas eorum & erga augustissimum ministerium reverentia evincit. Et si aliquando communibus indumentis uti instans necessitas coegit, non aliis sanè quam illis, quæ tunc honestiora habebantur. Nec improbabile puto, quod quædam ex illis in sacros usus translata, & quodammodo sanctificata fuerint, quibus propterea profani homines ad fidem conversi, uti deinceps, ob divini sacrificii reverentiam, desierint.

III. His præmissis de primæ Missæ apparatu, disquirendum nunc est, quibus verbis, sive qua formula Apostoli Sacrum peregerint; de qua re duas invenio veterum Patrum sententias inter se discrepantes. Nam Gregorius Magnus *lib. 7. ep. 63.* morem Apostolorum fuisse scribit, sola oratione Dominica oblationis hostiam consecrare; additis procul dubio verbis Consecrationis. Honorius item in Gemma animæ capite 86. *Missam*, inquit, *Dominus Jesus instituit, quando ex pane & vino corpus & sanguinem suum fecit, & memoriam sui Suis celebrare præcepit. Hanc Apostoli auxerunt, dum super panem & vinum verba, quæ Dominus dixit, & Dominicam orationem dixerunt.* Clariùs idem expressit Walfridus Strabo capite 22. de rebus Ecclesiasticis. *Quod nunc agimus multiplici orationum, cantilenarum, & consecrationum officio, totum hoc Apostoli & post ipsos proximi, ut creditur, orationibus & commemoratione passionis Dominicæ, sicut ipse præcepit, agebant simpliciter. Et relatio Majorum est, ita primis temporibus Missas fieri solitas, sicut modò in Parasceve Paschæ, in quo die apud Romanos Missæ non aguntur, communionem facere solemus, id est præmissa oratione Dominica, & sicut ipse Dominus noster præcepit commemoratione passionis ejus adhibita, eos Corpori Dominico communicasse & Sanguini, quos ratio permittebat.* E contrario Proclus Constantinopolitanus in libello de traditione divinæ Liturgiæ sic loquitur. *Salvatore nostro in cœlis assumpto, Apostoli antequam per omnem terrarum orbem dispergerentur, conspirantibus animis convenientes ad integram orandum diem convertebantur: & cum multam consolationem in mystico illo Dominici Corporis sacrificio positam reperissent, fusissimè longoque verborum ambitu Missam decantabant: id enim pariter ac docendi institutum cæteris rebus omnibus, tanquam præstantius anteponendum existimabant. Maxima sanè cum alacritate plurimoque gaudio huic divino Sacrificio tempus insumentes instabant impensè, jugiter memores illorum verborum Domini dicentis,* Hoc est corpus meum. *&* Hoc facite in meam commemorationem, *&* Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. *Quocirca & contrito spiritu multas preces decantabant impensè divinum implorantes Numen.* Chrysostomus quoque Hom. 27. in primam ad Cor. idem affirmat. *Cum sacras illas cænas accipiebant Apostoli, quid tum faciebant? Nonne in preces convertebantur & hymnos? nonne in sanctas vigilias? nonne in longam illam doctrinam & multæ philosophiæ plenam?* Hæ sunt in speciem dissidentes Patrum sententiæ, quæ facilè conciliari possunt, si dixerimus, Apostolos utramque formulam & brevem & prolixam diversis temporibus adhibuisse: brevem quidem cum temporis angustia, vel persequentium metu premebantur: prolixam verò cum per tempus & occupationes licebat. Credo autem, ab initio brevissimum fuisse Liturgiæ ritum, ita exigente primæ Christianitatis inter procellas adversantium nascentis conditione: postea verò crescente Fidelium numero cœperunt Apostoli lectiones, preces, ceremonias adjicere, quibus & sacrificii dignitas clariùs eluceseret, & major ipsi veneratio conciliaretur, pietasque Fidelium ac fervor magis accenderentur: exemplo nimirum veteris Testamenti, in quo plures à Deo ceremonias institutas sacræ Literæ nos docent.

IV. Supereſt nunc alia difficultas explananda, quâ linguâ Apostoli celebraverint. Joannes Echius *lib. 2. de sacrif. Missæ cap. 2.* nullo adhibito teste ausus est diffinire, Missam non nisi Hebraicè actam tam ab Apostolis quàm ab eorum Successoribus usque ad tempora Adriani Imperatoris: & tunc demum cœpisse Ecclesiam lingua Græca in Sacris uti. Sed hujus sententiæ nullum reperio apud Veteres fulcimentum; multa autem habeo, quæ ipsam convellant.

Secundo

Secundo, enim labente sæculo, quo vixit Adrianus, jam fides nostra in varias regiones propagata erat. Apostoli autem donum linguarum à Spiritu sancto acceperant; ut fidem, ejusq; mysteria singulis gentibus proprio cujusque idiomate prædicarent & docerent, non exotico, & præsertim Hebraico, quod tunc temporis nec vulgo quidem Hebræorum notum erat. Deinde Jacobus Liturgiam suam græcè scripsit: hanc autem legitimum illius Apostoli fœtum esse suo loco ostendemus. Paulus item de publicis Ecclesiæ precibus ad Corinthios scribens, *Si benedixeris*, inquit, *Spiritu, qui supplet locum idiotæ quomodo dicet* Amen *super tuam benedictionem, quoniam quid dicas nescit?* Hæc autem verba S. Thomas & alii ita interpretantur, ut velint, Apostolum loqui de sacrificio Missæ, & nolle ipsum agi sermone prorsus ignoto & peregrino; qualis tunc erat Hebraïcus Corinthiis & aliis nationibus. Asserendum itaque videtur, Apostolos eorumque Successores eo idiomate in singulis regionibus usos, quod tunc illis commune & vernaculum erat: & ita Hierosolymis Chaldaïcè; Antiochiæ verò, Alexandriæ & in aliis Græcorum Civitatibus Græcè, Romæ autem & in toto Occidente latinè celebrasse. Nititur hæc mea assertio antiquissimæ & immemorabili Ecclesiæ consuetudini: in Occidente enim non inveniuntur antiquæ Liturgiæ, nisi Latinæ: In Oriente verò quamvis multæ diversarum linguarum nationes sint, quę Christianâ professione censentur, veteres tamen Liturgias non habent, nisi Græcâ quâ Græci, & Melchitæ, & Chaldaicâ linguâ, qua Maronitæ, Nestoriani, & Jacobitę per varias provincias dispersi utuntur. Hinc autem liquet, vetustas offerendi formulas maximâ curâ & religiosissima sollicitudine à Majoribus nostris custoditas fuisse, ut sicut una est fides, ita una esset lingua communis, qua multæ nationes possent mutuò communicare. Missæ enim Chaldaïco, Græco, & Latino sermone primum compositæ; eodem semper celebratæ sunt, quamvis illæ linguę desierint esse vulgares. Gentes autem, quæ in Occidente successu temporis Christianam Religionem amplexæ sunt, Germani, Franci, Angli, Poloni; & alii Septemtrionales, latinâ linguâ, licet illis ignota esset, Sacrificium offerebant. In Africa etiam Latinæ linguæ usus in sacris semper viguit, licet eam populus non intelligeret, ut Augustinus testis est in Expositione inchoata Epistolæ ad Romanos. Idem accidit in Oriente quoad linguam Græcam & Chaldaïcam, nam iis utuntur in divinis officiis, quamvis Populis ignotæ sint, qui vel Græcâ vulgari, vel Arabicâ communiter loquuntur. Fert hoc rerum humanarum vicissitudo, ut linguæ vulgares mutationibus subjectæ sint, vel quia corrumpuntur alterius Nationis commercio, vel quia Provinciæ in extraneorum Principum dominium transeunt, qui proprias leges, & mores, & linguam in eas introducunt. Vetus Gallorum lingua, qua uti solebant, priusquam Regnum illud in Provinciam a Romanis redigeretur, penitùs abolita est. Sic etiam Hispani proprium amiserunt sermonem, cum potestati Romanorum subditi fuerunt. Veteres Francos, qui Regnum in Galliis constituerunt, Germanicâ linguâ loquutos Beatus Rhenanus *lib. 2. rerum Germanicarum* ostendit, ex antiquissimo Codice Evangeliorum, quem Frisingæ se vidisse ait in linguam Franciam translatum, quæ eadem est ac Germanica. Regiones quoque Septemtrionales à Romanis subactæ latinè loqui didicerunt, donec ipsa latina lingua interiit, & ex ejus corruptione in Italiâ, Galliâ & Hispania vulgares hodiernæ exortæ sunt. Eodem fato Græcâ, & Chaldaïcâ extinctis, Turcica, Arabica, & aliæ vulgares in plerisque Regnis Orientalibus successerunt. Ut autem Religio adversus hujusmodi mutationes inconcussa maneret, semper & ubique Orthodoxa Ecclesia vetus idioma in divinis officiis retinuit, id exigente Sacrarum rerum dignitate & majestate, ut nihil in iis immutetur, nihilque erroneum aut impurum in eas irrepat: quod facilè contingeret, si eas ab antiquo sermone, quo ab Apostolis & Apostolicis viris traditæ sunt, in alium recentiorem, vel à primævo diversum transferre liceret. Quod si Græca, & Latina lingua conservatæ olim non essent, & usque ad nos propagatæ propter necessarium earum usum in sacris functionibus, jam inutiles nobis forent veterum Conciliorum Canones, Antiquorum Pontificũ Constitutiones, Sanctorum Patrum & aliorum Lucubrationes Græco, vel Latino sermone exaratæ, quia nec eas legere, nec intelligere possemus; sicut non intelligimus priscos Hispaniæ characteres, qui in nummis conservati sunt, nec scimus, quid dicat Pœnulus apud Plautum, quia lingua Punica, qua ille loquitur, dudum interiit. Narrat Polybius *lib. 3. hist.* quod cum inita pax est post secundum bellum Punicum, pacta primæ pacis vix intelligebantur, adeò lingua tempore interjecto mutata erat. Idem nunc apparet

in

in Italicâ noſtra,& in Gallicâ,multum enim diſcrepat hodierna ab antiqua. Cum ergo experientia docuerit, ſingulis ferè ſæculis vulgare idioma mutari,ſi Miſſa ſermone vulgi celebraretur, iiſdem mutationibus ſubjecta foret, non ſine gravi diſpendio debitæ venerationis,& cum evidenti periculo depravationis. Tolleretur etiam neceſſaria ad Fidei unitatem Eccleſiarum communicatio, quæ hoc vinculo nectitur: nec poſſet Sacerdos Italus in Galliâ, aut in Germaniâ, nec Germanus aut Gallus in Italia ſacris operari. Quare ſapientiſſimè ab Eccleſia conſtitutum eſt, ut, quo idiomate Miſſæ primùm inſtitutæ ſunt, eo ſemper celebrentur, licet populo ignotũ ſit. Præceſſit exemplum hujus diſciplinæ in veteri Teſtamento, nam cum populus poſt captivitatem Chaldaicè loqueretur, Pſalmos tamen & Scripturas Hebraicè ſemper cantavit, & legit; quem morem Hebræi etiam hodie in Synagogis obſervant: nec enim voluit Deus mutari Scripturam,licet Populus linguam mutaſſet. Eadem Romanis cura fuit ſervandi in ſacris ſermonis antiquitatem,nam carmina Saliorum vix Sacerdotibus ſuis intellecta, ut ait Quintilianus *lib. 1. Inſtit. Orat. cap. 6.* nunquam mutarunt, quia vetabat Religio, & conſecratis utendum erat. De aliis gentibus, quæ linguâ peculiari ſacra myſteria celebrant, locus agendi erit cum de propriis cujuſque nationis Liturgiis tractabo.

## CAPUT VI.

*Diverſas Eccleſiarum conſuetudines in Miſſæ celebratione olim fuiſſe, & nunc eſſe. Quæ ſit earum cauſa & origo. Sacrificium idem ubique quoad eſſentiam. Varios ritus fidei unitatem non lædere. Quid peccatum in hoc genere.*

I. MIſſæ inſtitutio ita ad Chriſtum referenda eſt, ut ipſum ejus Auctorem agnoſcamus quo ad eſſentiam,quæ mutari non poteſt; cætera verò, quæ ad Preces, & Ritus, & Ceremonias pertinent; & quæ paraſcevaſtica, & acceſſoria, ac veluti parerga ſunt; ab Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus conſtituta fateamur. Huc enim pertinent Apoſtoli verba ad Corinthios,*Cætera cum venero diſponam*,ut docet Auguſtinus hunc locum tractans ep. 118. ad Januarium:*Unde*,inquit,*intelligi datur,quia multum erat, ut in epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem univerſa per Orbem ſervat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe,quod nulla morum diverſitate variatur.* Sunt igitur quædam in omnibus Liturgiis, in quibus omnes Eccleſiæ conveniunt, utpotè ſine quibus Sacrificii ratio nullo modo ſubſiſteret; cujuſmodi ſunt Panis & Vini præparatio, Oblatio, Conſecratio, Conſummatio, & ipſius Sacramenti communicare volentibus diſtributio. Aliæ item præcipuæ partes ſunt, quæ licet ad ſacrificii integritatem non ſpectent; in omnibus tamen omnium gentium Liturgiis reperiuntur, Pſalmorũ ſcilicet modulatio, lectio ſacræ ſcripturæ, Miniſtrorum apparatus, thurificatio, catechumenorum& aliorum profanorumexcluſio, Precatio pacis,Preces diverſæ,Gratiarum actio, & ſi quæ alia ſunt ejuſdem generis. Modus autem & ritus, quibus hæc omnia peraguntur, verba quibus preces concipiuntur, Ordo ceremoniarum, & reliqua minoris momenti diverſis Eccleſiis diverſa, & peculiaria ſunt: nec ita ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris inſtituta fuerunt, ut perpetua forent & immutabilia. Ideò in illis varietates apparent,&mutationes,quæ unitatem Eccleſiæ non ſcindunt, nec Fideles offendunt. Narrat Auguſtinus Ep. 118. ſibi dubitanti de variis Eccleſiarum obſervationibus dixiſſe Ambroſium; *Ad quam ſorte Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi.* Idem Ep. 86. *In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit divina Scriptura, mos populi Dei vel inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt: de quibus ſi diſputare voluerimus, & ex aliorum conſuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio.* Hieron. Ep. 28. ad Lucinium, *Illud te breviter admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiunt, ita obſervandas ut à majoribus traditæ ſunt:nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubverti.* Nicolaus I. Ep. 2. ad Photium. *De conſuetudinibus,quas nobis opponere viſi eſtis ſcribentes per diverſas Eccleſias diverſas eſſe conſuetudines, ſi illis canonica non obſiſtit auctoritas, pro qua obviare debeamus, nihil judicamus, vel eis reſiſtimus.* Fulbertus Carnotenſis Ep. 2. *ad* Finardum: *Plura ſunt in eccleſiaſticis officiis, in quibus Orientales Eccleſiæ & noſtræ communi obſervatione ſibi reſpondent: ſunt vero alia, in quibus alias ab aliis cultu diſpari, & varia obſervatione audivimus diſſonare. Nec tamen nos offendit obſervantiæ diverſitas, ubi fidei non ſcinditur unitas.* Ernulfus Roffenſis Epiſcopus Epiſt. 2. Tomo 2. Spicilegii editâ, Chriſtum ait docuiſſe quæ facienda erant,ſed non præfixiſſe modũ quo fieri

deberent. Tum subdit, *Hinc esse videtur quod ait*, Hoc facite in meam commemorationem: *Non ait, hoc modo facite. Unde nonnulla Christianæ Religionis instituta cum in Ecclesiæ nascentis initio suæ modum originis accepere, quem in progressu ejusdem credentis propter quasdam rationabiles causas non diu tenuere.* Eodem tomo Spicilegii, quod vir eruditissimus Lucas Dacherius Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri de re literaria optimè meritus, ex veterum monumentis, è situ Bibliothecarum erutis summa cura & judicio in plures Tomos distinctum edidit; extat Tractatus Rattamni Monachi Corbeiensis contra Græcorum opposita, qui lib. 4. multa diffusè congerit, ut ostendat, mutari subinde salva Fide consuetudines, easque in diversis Ecclesiis diversas esse. Gregorius Protosyncellus adversus Marcum Ephesinum apud Leonem Allatium de Synodo Photiana p. 531. *In ritibus*, inquit, *Ecclesiasticis consuetudo est varia. Nam Constantinopolitana major Ecclesia in celebrandis officiis alio more utitur; alio verò majora Monasteria, alio minora ad quietem accommodata, denique alia Sacerdotum sæcularium Ecclesiæ. Quin Tabennesiotæ in uno eodemque cœnobio varios jejunandi, psallendique modos habebant, aliis per biduum jejunantibus, aliis per hebdomadam: & his quidem ad vesperam, illis verò de media nocte sacros hymnos canentibus: quod fiebat etiam in Monasterio Acœmetorum.* Alia de hac rituum diversitate Græcorum testimonia idem Allatius affert in Hottingero convicto *cap.* 3. *& lib.* 3. *de perpetua consensione Ecclesiæ Occid: & Orient. c.* 13. *&* 14. Asserit Sozomenus *l.* 7. *c.* 19. neminem posse easdem traditiones peromnia similes in omnibus Ecclesiis reperire, quamvis inter se consentiant. Cui Socrates suffragatur *lib.* 5. *cap.* 21. dicens cujusque religionis varios esse ritus, licet in eadem fide consentiant. Ut enim doctè Bernardus ait *Ep.* 77. ad Hugonem Victorinum, *Ibi unusquisque in suo sensu securus abundat, ubi aut certæ rationi, aut non contemnendæ auctoritati quod sentitur non obviat.* Tertullianus denique his omnibus antiquior initio libri de Velandis Virginibus, *Regula fidei*, inquit, *una omnino est sola immobilis & irreformabilis. Cætera jã disciplinæ & conversationis admittunt novitatem.*

II. Causæ verò tantæ rituum varietatis in tanta Fidei unitate hæ fuisse videntur: Vel quia dispares diversarum Nationum mores & ingenia sunt, quæ diversos ritus & ceremonias ut in rebus politicis, ita etam in Ecclesiasticis exigunt: vel quia nullo extante de his Christi vel Apostolorum præcepto, libera facultas Episcopis relicta est id sentiendi & decernendi, quod unicuique salva Fide magis expediens visum fuit: vel quia sæviente in Christianos persecutione, cœtus Episcoporum in unum cogi non potuit, in quo communibus suffragiis communis forma Sacrificii celebrandi ab omnibus custodienda stabiliretur. Divisis enim Provinciis inter Apostolos ad Euangelii prædicationem, credibile est, unumquemque illorum gentibus, quas fide imbuerant, modum quoque Liturgiæ tradidisse ad eorum mores & consuetudines, quibus ante susceptam fidem vivebant, accommodatum. Quia verò dissimiles apud varias Nationes mores semper fuerunt, hinc orta rituum diversitas est. Eadem libertate alios item Antistites usos fuisse, qui in variis regnis successu temporis Euangelium disseminarunt, Ecclesiastica historiæ Scriptores docent. Nota est Epistola Gregorii Magni ad Augustinum, quem in Angliam misit, ut illas gentes ad Fidem converteret. Illi enim interroganti, *Cur una cum sit fides, sunt Ecclesiarum consuetudines tam diversæ? & altera consuetudo Missarum est in Romana Ecclesia, atque altera in Galliarum Ecclesiis tenetur?* Sic respondet S. Pontifex: *Novit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet, ut sive in sancta Romana, sive in Gallicarum, sive in qualibet Ecclesia aliquid inveniri, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicitè eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc in fide nova est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca nobis amanda sunt.* Anselmus quoque Cantuariensis in Responsione ad querelas Valeranni c. 1. eidem conquerenti de varietate rituum Ecclesiasticorum, habere nos à Sanctis Patribus ait, quod si unitas servatur charitatis in fide Catholica, nihil officit consuetudo diversa. Natas autem varietates asserit ex humanorum sensuum diversitate, qui quamvis in unitate non dissentiant, in aptitudine tamen & decentia administrationis non concordant: quia quod unus aptius esse judicat, alius sæpe minùs aptum æstimat. In Ecclesia Neocæsariensi quædam suo tempore introducta refert Basilius Magnus, *Ep.* 57. *ad Clerum ejusdem Ecclesiæ*, quæ tempore Gregorii Thaumaturgi in usu non erant. Andreas Masius vir eruditus cũ animadverteret breviorem esse apud Syros, quam apud Græcos Basilii Liturgiam, hanc hujus rei affert rationem Præf. in Liturgiam Syrorum: *Quippe ut*

*fuit*

*fuit perpetuus hominum in religione sensus, ut intra præscriptas à Patribus cæremonias quantumvis sanctissimas sese continere pauci potuerint. Unde pro temporis tractu ad illas pro vario Antistitum pietatis affectu alia atque alia addita, multa etiam mutata videre est.* Solus Fidei Canon, ut suprà diximus, inconcussus, & immutabilis est, cætera quæ ad ritus & disciplinam pertinent, justa interveniente causa, sine reprehensione mutari possunt. Hoc Pelagius II. Epistolæ ad Episcopos Istriæ, post Magnum Leonem & alios suos Prædecessores, professus est, specialem scil. Synodalium Conciliorum causam fidem esse; quicquid verò præter fidem agitur, nihil obstare, si ad judicium revocetur. Hoc idem asserit Aug. l. 2. de Baptismo contra Donatistas, dicens: *Ipsa Concilia, quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere: ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Christiana.*

III. Atque utinam Ecclesiæ Antistites ab hac regula pacis & charitatis nullo unquam tempore recessissent; in tanta enim consuetudinum diversitate nulla fuisset animorum dissensio, nullæ inter Christianos scissuræ, nulla scandala: nihilque ineptum, nihil reprehensibile in Ecclesiasticos ritus irrepsisset. Sed dum pleriq; potestate sibi tradita abutuntur, dum nimium sibi suisque adinventionibus indulgent, dum veterum Patrum statuta parvipendunt, in varios errores lapsi sunt. Et primo quidem rituum varietas, qua Græci à Latinis, & utrique inter se olim discrepabant, ingens augmentum sumpsit ex nimia libertate, quam sibi temerè arrogarunt, quidlibet in hoc genere audendi, minorum etiam gentium Episcopi, & ipsi quoque Monasteriorum Præfecti, adeò ut nonnulli Apostolicis institutionibus neglectis, veterumque Patrum auctoritate posthabita, multa prorsus insulsa, & ab Ecclesiastica gravitate aliena Ritualibus libris inseruerint, quæ in antiquatis Codicibus hodie legimus, & detestamur. Adversus hanc licentiã justa percitus indignatione, S. Innocentius Papa hujus nominis Primus sic ad Decentium Episcopum Eugubinum scripsit. *Si instituta Ecclesiastica, ut sunt ab Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis Ordinibus & Consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc æstimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel Ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putant sibi aut Ecclesias non convenire, aut ab Apostolis vel ab Apostolicis viris contrarietate minductã. Quis enim nesciat aut non advertat, id quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliundè accipere videatur exemplum? Præsertim cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos: Venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus Successores constituerunt Sacerdotes. Aut legant si in iis Provinciis alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non est dubium, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. Sæpè Dilectionem tuam ad Urbem venisse, ac nobiscum in Ecclesia convenisse, & quem morem vel in consecrandis mysteriis, vel in cæteris agendis arcanis teneat, cognovisse, dubium non est: quod sufficere ad informationem Ecclesiæ tuæ, vel reformationem, si Præcessores tui minus aliquid aut aliter tenuerunt, satis certum haberem, nisi de aliquibus consulendos nos esse duxisses.* Hæc fusiùs ex Innocentio huc transcribenda putavi, ut ejus testimonio evincerem, primarias Ecclesias proprios ritus à Fundatoribus accepisse; quosdam verò ex successoribus per licentiam & potestatis abusum sæpè illos immutasse, & novitates introduxisse. Hoc primum in hoc genere peccatum fuit, quod, dum alii evitare nimio studio conati sunt, stultorum more in contrarium inciderunt, semel enim susceptis consuetudinibus pertinaciùs adhærentes turbas in Ecclesia suscitarunt, ut mox videbimus, cum Romani Pontifices, vel abusus Episcoporum incuria introductos evellere, vel errores hæreticorum fraude insertos expungere, vel aliquid in iis innovare justis de causis voluerunt. Alii denique nullum statuentes discrimen inter capita fidei & disciplinæ, ex varietate rituum, dogmatum quoque diversitatem æstimantes, mutuis inter se odiis & concertationibus exarserunt, disruptoque vinculo pacis & dilectionis, Schismati, & erroribus patentissimum ostium apertum est. Quot

& quam luctuosæ tragœdiæ inter Græcos & Latinos hac de causa exortæ sint, notum est omnibus. A Photio illarum initium sæculo nono, & nondum finis: adhuc enim in plerisque Orientalibus ferox odium adversus Latinos fervet, & fortè acrius, quàm cum primum ab unitate, & obedientia Romanæ Ecclesiæ defecerunt. Superbia omnium malorum causa rebellionis origo fuit; tum accesserunt ex Rituum diversitate vani prætextus: nec enim Orientalibus lis unquam de ritibus mota est à Romana Ecclesia, quæ sedulò potius in hanc curam semper incubuit, ut illibati servarentur. Debet igitur unaquæque Ecclesia custodire ritus suos, sed receptos à Majoribus, longoque usu præscriptos, & legitima auctoritate approbatos. Si quid verò innovatum, si quid perperam immutatum, id expungendum, & corrigendum est.

## CAPUT VII.

*Actum in Conciliis de Rituum observantia, eorumque varietate tollenda. Quomodo Sectarii Missam perverterint. Romana Missa studio Pontificum ab omnibus Occidentalibus recepta. Quorundam in hoc renitentia, ejusque causæ. Romanæ Ecclesiæ tradita Missa à Petro Apostolo, ab aliis aucta. Romæ olim diversa officia. Quid in his immutatum à Fratribus Minoribus.*

I. INitium cogendi Concilia in Actibus Apostolorum describitur cap. 15. cùm Christianorum causa adversus Judæos, qui Gentibus ad fidem conversis Circumcisionem & alia Mosaicæ legis præcepta ad salutem necessaria esse docebant, discussa ac definita fuit. Nata igitur cum Ecclesiâ simile cum ipsa incrementum, & summam in ea auctoritatem habuerunt, semperque à Fidelibus cum ingenti veneratione susceptа sunt. *Aguntur*, inquit Tertullianus lib. de jejun. c. 13. *certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur.* Altiora autem, quæ in his tractantur, nemo est qui ignoret. Ad ea enim pertinet non solum de dogmatibus fidei agere, sed ritus etiam in sacris functionibus servandos præscribere, succrescentibus malis remedia afferre, exortas controversias componere, collapsam disciplinam reparare. Ideò sancitum fuit, ut frequenter in unum Episcopi convenirent, ut, si quid alienum à fide & ab Ecclesiasticis observationibus diabolica fraude irrepsisset, communi consensu corrigeretur. Magna synodus Nicœna *Can.* 5. statuit bis in anno hæc concilia celebrari, ante Quadragesimam, & circa tempus autumni. Ad quem canonem S. Leo respexit, cum ad Episcopos Siciliæ scripsit saluberrimè à sanctis Patribus constitutum, ut bini debeant in annos singulos Episcoporum esse conventus. Hæc sanctio innovata est in concilio Antiocheno sub Julio I. Can. 20. & in Regiensi sub Sixto *III.* c. 7. in primo autem Arausicano sub Leone Magno c. 29. in Agathensi sub Symmacho c. 71. in Emeritensi sub Vitaliano c. 7. in Aurelianensi secundo & quarto ordinatum est singulis annis Episcopos congregari; quod idem præcepit Hilarius Papa Epist. 8. ad Galliæ Metropolitanos. Nicolaus I. Epist. 27. Ludovico & Carolo Regibus conqueritur, Episcopos de ipsorum Regnis non fuisse Romam ad synodum missos, ut novitatum mala, quæ multiplicata erant, faciliùs tolli possent. Romæ autem convocari concilium solebat circa finem septembris, ut ex præcitata Leonis Magni Epistola colligitur, ad quod singulis annis aliquot Episcopi ex qualibet Provincia specialiter electi convenire debebant: ita enim decernit ibidem S. Pontifex his verbis: *Terni semper ex vobis ad diem tertium Kalendarum Octobrium Romam fraterno concilio sociandi occurrant, & indissimulanter à vobis hæc consuetudo servetur. Quoniam adjuvante gratia Dei faciliùs poterit provideri, ut in Ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cum coram Beatissimo Petro semper in communione tractatum fuerit, ut omnia institura Canonumque Decreta apud omnes Domini Sacerdotes inviolata permaneant.* Quia verò discrepantia rituum, dissensionum fomenta præbebat, sedulò huic tollendæ sancti Episcopi synodaliter congregati incubuerunt. Unde in concilio Epaunensi a. 509. c. 27. & in Gerundensi a. 517. c. 1. statutum est, ut idem Missæ ordo in universa Provincia servaretur, quem servabat Ecclesia Metropolitana; anno autem 563. Bracarense I. c. 22. constituit, ut eodem ordine Missæ ab omnibus celebrarentur, quem Profuturus ejus Ecclesiæ Archiepiscopus à Sede Apostolica susceperat. Et sæculo sequenti Bracarense II. c. 1. sancivit: *Ut per singulas Ecclesias Episcopi per Diœceses ambulantes primùm discutiant Clericos, quomodo Ordinem Baptismi teneant vel Missarum, & qualiter quæcumque officia in Ecclesia peragantur. Et si rectè quidem invenerint, Deo gratias agant; si autem minus, docere debeant ignaros.* Ulterius progressus Theodulphus Aurelianen-

sis

sis in Epist. ad Clerum suum cap. 4. decrevit deferri ad synodum libros, vestimenta & vasa sacra. *Quando*, inquit, *more solito ad Synodum convenitis, vestimenta, & libros & vasa sacra, cum quibus vestrum ministerium & injunctum officium peragitis, vobiscum deferte: nec non duos aut tres Clericos, cum quibus Missarum Solemnia celebratis, vobiscum adducite, ut probetur quam diligenter, & quam studiosè Dei servitium peragatis.* Idem in suo Capitulari præcepit Riculfus Episcopus Suessionensis. Tanta sollicitudine & zelo antiqui Patres satagebant, ne quis in ordine sacrificii statutos à majoribus terminos transiliret. Noverant enim, quam facilè foret in superstitiones & ineptias incidere, si omnibus permitteretur quidpiam vel minimum in sacris Ritibus innovare.

II. Sectariorum hoc proprium fuit, ut, cum à fide deficerent, libros quoque Rituales vel suis erroribus inficerent, vel privata auctoritate immutarent. Quid ausi sint in hoc genere Gnostici, Adamitæ, Pepuziani, & alia hujusmodi monstra, turpe est enarrare. De Nestorio, sive de Theodoro Mopsuesteno ejus magistro ita Leontius Bizantinus scribit Lib. 3. adversus eumdem Nestorium. *Audet & aliud malum non secundum ad superiora, aliam enim Missam effutivit, præter illam, quæ à Patribus tradita est Ecclesiis, neque reveritus illam Apostolorum, nec illam magni Basilii in eodem spiritu conscriptam. In qua Missa blasphemiis, non precationibus, Eucharistiæ mysterium explevit.* Donatistæ, ut calumniam Catholicis struerent, sparserunt in vulgus, eos solitum sacrificii ritum immutasse, ut patet ex Optato Milevitano in fine lib. 3. *Nihil*, inquit, *probavit aspectus ex iis quibus perturbatus erat auditus. Visa est puritas, & ritu solito solemnis consuetudo perspecta est. Cum viderent divinis Sacrificiis, nec mutatum quicquam, nec additum, nec oblatum, pax à Deo commendata volentibus est.* De iisdem sic scribit Augustinus Epist. 119. c. 18. *Donatistæ nos reprehendunt, quod sobriè psallimus in ecclesiâ divina cantica Prophetarum, cum ipsi ebrietates suas ad canticum Psalmorum humano ingenio compositorum quasi tubas exhortationis inflamment.* Ipsorum autem tanta erat rabies, tam immane odium adversus Catholicos, ut altaria frangerent tanquam polluta, in quibus celebraverant. Sacrificia enim Cæciliani, & eorum qui cum ipso communicabant, impura esse & Deo invisa prædicabant. Jacobitas diversas Missarum editiones habuisse contra traditiones Ecclesiasticas, testatur auctor Anonymus editus à P. Combefis *Tract. de hæresi Jacobitarum*, quem putat esse Demetrium Cyzicenum. De Pauli Samosateni in hac re impietate legenda Epistola Synodi Antiochenæ apud Eusebium lib. 7. hist. cap. 30. De sectatoribus Apollinarii refert Sozomenus lib. 6. hist. eccles. cap. 25. quod ritibus utebantur alienis à catholicæ ecclesiæ institutis. Isaac Catholicus Armeniorum Invect. 2. adversus eosdem, hæresi 25. *Rem sacram*, inquit, *contemnunt, neque ornamentum mutant, aut habent sacrarum vestium varietatem pro sacro ministerio, quas magnus Sylvester lege sanxit. Eorum autem quilibet iis vestibus indutus, quarum usus communis est, quasque nullo passim discrimine adhibere solemus, ita ad altare ingreditur.* Nimis in longum irem, si cunctas Sectas percurrere vellem, & quid in sacros ritus singulæ peccarint, enarrare. Postquam enim ab Ecclesia resilierunt, minus se feciisse putarunt, nisi id quod in ea excellentius & sanctius est sacrificium videlicet, & sacramentum corporis & sanguinis Christi, falsis & inter se contrariis opinationibus perverterent. Et ut veteres omittam, adeò multa nobis exempla recentiores Misoliturgi suppeditant, ut omnium sæculorum errores nedum exequent, sed excedant. Ipsum Missæ nomen ita plerisque exosum est, ut Missam odisse amoris inter ipsos, & fraternitatis symbolum sit.

III. Et hæc quidem fuit hæreticorum perversitas & audacia, quam Patres Orthodoxi sedulò semper comprimere studuerunt, eos ritus illibatos custodientes, quos Ecclesiæ legitimè traditos agnoverunt. Et ne in re tanti momenti à veritatis semita aberrarent, omnes ferè Occidentales regiones Romanæ Ecclesiæ adhæserunt: *In qua*, ut ait August. Epist. 162. *semper viguit Apostolicæ Cathedræ principatus.* Ita docuit in suis Præscriptionibus cap. 36. Latinorum antiquissimus Tertullianus, percurrendas nimirum Apostolicas Ecclesias veritatem scire cupientibus, *Romanam præsertim, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* Et ejusdem sæculi scriptor Irenæus lib. 3. cap. 3. *Ad hanc*, ait, *Ecclesiam*, nempè Romanam, *propter principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique Fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea, quæ ab Apostolis est traditio.* Hoc summorum Pontificum, hoc Episcoporum, piorumque Principum studium, hæc cura fuit, ut omnes gentes, quæ in Occiduis partibus sunt, tra-

traditiones & Ritus Romanæ Ecclesiæ in ordine Missæ sequerentur; ex quo paulatim factum est, ut propriis, si quos habebant, usibus abrogatis Romanos recoperint, adeò ut in plerisque Ecclesiis veterum consuetudinum non solùm nulla remanserint vestigia, sed ipsa etiam memoria evanuerit. Africanam Ecclesiam ut fide, ita & ritibus cum Romana convenisse, ex scriptis Tertulliani, Optati, Cypriani, & Augustini non obscurè colligimus: quod si qua varietas fuit, ea, ut sæpe dictum est, ad sola accidentalia pertinebat, Sacrificii non solùm substantia, quæ rituum diversitate labefactari non potest, sed forma etiam ac serie Psalmodiæ, Lectionum, & Precum, ut supra ostensum est capite III. num. 4. inconcussa permanente. Marius Victorinus Afer Lib. 1. adv. Arium sententiam citat ex Liturgia Africana, quæ in Ordine Romano non extat: *Sicut*, inquit, *& in oblatione dicitur, Munda tibi populum circumvitalem, æmulatorem bonorum operum, circa tuam substantiam venientem.* Fulgentius quoque Ruspensis in Fragmentis editis à Sirmondo cap. 14. in Epist. 1. ad Cor. quodam testimonio Liturgiæ Africanæ utitur, quod in Romano non reperitur. Ex quibus, & ex aliis quibusdam conjecturis suspicor, ritum Africanum illi similem tunc esse, qui in Hispania *Mozarabicus* dictus est. In Anglia prima fidei semina sparsisse dicitur Joseph ab Arimathia, ut Gildas Britannus scribit: & Tertullianus testis est *Lib. adv. Judæos cap.* 7. Britannorum inaccessa Romanis loca, ipso vivente Christo subdita fuisse; nam tempore Eleutherii Papæ sub Lucio Rege Evangelium publicè suscepe-runt, ut narrat Beda lib. 1. cap. 4. Hist. gentis Anglorum. Cum autem pulsis Britannis ab Anglis & Saxonibus idololatris Insula occupata fuisset, Gregorius Magnus misso in eam Augustino gentes illas ab idolorum cultu ad fidem Christi convertit. Nec ulli dubitare fas est, quin ab iisdem Pontificibus Eleutherio & Gregorio Romanos ritus acceperint à quibus fidem susceperunt: Licet Gregorius facultatem tribuerit Augustino ex aliarum Ecclesiarum, præsertim Gallicanæ, usibus decernendi quicquid magis ad Dei gloriam expedire judicasset. Postea verò jussu Agathonis missi sunt ex Urbe Cantores, qui populum illum cantum Romanum docerent, de qua missione prolixam historiam refert Beda *Lib. 4. cap.* 18. Hispaniam Jacobi Apostoli prædicatione ad fidem conversam, constans illarum partium traditio est: nec desunt qui sentiant, Paulum quoque eas regiones peragrasse, & illic prædicasse. Asserit Tertullianus ad Scapulam cap. 4. nomen Christianum ibidem vexatum à Præside Legionis, & Cyprianus Epist. 68. scripsit ad Clerum & plebes in Hispania consistentes. Quo verò ritu tunc uterentur, nos latet, nisi quod Concilium Bracarense I. refert, Profuturum Archiepiscopum Ordinem Missæ ab Apostolica Sede accepisse. Sed hic Ordo qualis fuerit incertum est. Scimus autem, quod omnes Hispaniarum & Galliæ Narbonensis Ecclesiæ ritu Mozarabico, de quo agam cap. 11. diu usæ sunt usque ad Gregorium VII. quo procurante Romanum suscepérunt. Germaniæ & Septentrionis plures nationes inter eas quæ suo tempore Christi legem amplexæ fuerant, enumerat Tertullianus Lib. adv. Judæos: cumque S. Bonifacius fundato Moguntino Episcopatu Evangelium plurimùm propagasset, Romanum etiam ritum ibidem constituit, de qua re extant Gregorii Secundi Literæ ad eundem Bonifacium. In Gallia ferè omnes civitates primos Episcopos ab Apostolis illuc missos venerantur, quorum Catalogum hic texere & examinare, non est mei instituti. Cum verò Franci Galliarum regnum in suam potestatem redegissent, gentes illæ, Clodovæo Rege baptizato, Christo initiatæ sunt. Ritus ibidem varios fuisse fusiùs ostendam, cum de Missa Gallicana tractabo. Pipino autem & Carolo Magno regnantibus, propriis usibus relictis, Romanis uti cœperunt.

IV. Hac uniformitate in omnes Ecclesias Occidentales, excepta Mediolanensi, tandem introducta, factum est, ut errores & abusus tollerentur, quos experientia docuit in multa consuetudinum discrepantia vix posse evitari. Non omnibus tamen Ecclesiis, quæ Latino sermone sacra persolvunt, eâdem facilitate potuerunt Pontifices persuadere, ut proprios Ritus abrogarent, & Romanis uterentur. Exortæ sunt enim turbæ & contentiones, pugnantibus quibusdam pro patriis moribus tanquam pro aris ac focis, ac si salus in illis, & fidei fundamenta consisterent. Adhærent nimirum plerique mortalium consuetudinibus, quas cum lacte imbiberunt, longo usu assueti ea omnia respuere, quæ ab illis diversa sunt. Quod si robur accedat præjudicatæ opinioni ex eorum sanctitate, quos veluti authores Rituum suorum colunt, vix locus relinquitur contrariæ persuasioni, omnem inobedientiæ & pervi-

pervicaciæ notam eluente prætextu pietatis & Religionis. Hanc reddit rationem Sozomenus *l. 7. c. 19.* cur plerique semel susceptis ritibus pertinaciter inhæserint, quia videlicet ob reverentiam vel eorum, qui eos ab initio introduxerunt, vel eorum qui istis successerunt, prævaricari sibi nec licitum, nec tolerandum esse putabant. Sequitur Sozomenum Nicephorus l. 12. c. 34. *Tales, inquit, dissensiones in Ecclesiis invaluisse opinor, reverentiâ eorum, qui eis ab initio præfuerunt & qui illis deinde successerunt. Nam ii tanquam leges quasdam ab illis acceptas per manus posteris tradiderunt; non satis pium, neque ferendum esse arbitrati, si traditiones in quibus educati essent non honorificè colerent, sed contemptim rejicerent.* Accedit alia ratio ex ipsa vi & potentia consuetudinis, quæ, cum inveterata est, vix potest vinci. Ideò homines vindices esse solent & acerrimi propugnatores legum & ceremoniarum, quas à Majoribus acceperunt, & cum his innutriti sint, non facile possunt ab earum usu divelli. Omnes denique in his, quæ fidei non adversantur, abundant in proprio sensu, adeò, ut nec Sancti viri ab hac communi mortalium affectione immunes fuerint. Cui dicto fidem præstat Ambrosius lib. 3. de Sacram. cap. 1. *In omnibus*, ait, *cupio sequi Ecclesiam Romanam, sed tamen & nos homines sensum habemus, ideò quod alibi rectiùs servatur, & nos recte custodimus.* Hæc Ambrosius, si tamen ipse horum librorum, qui de Sacramentis inscribuntur, Auctor est. Testatur quidem Augustinus, scripsisse Ambrosium libros de Sacramentis, sive de Philosophia adversus Platonem, quorum meminit *l. 2. Retract. c. 4. & doctrina Christiana lib. 2. cap. 28.* eosq; petiit sibi mitti à S. Paulino ep. 34. Sed illi vel perierunt vel alicubi latent; longè diversi sunt ab his qui nunc extant, ut patet ex sententiis quas ex illis citat idem August. l. 2. primi operis ad versus Julianum cap. 5. & tribus sequentibus. De his verò quos hodie habemus, fecit primo ut dubitarem styli diversitas; cum enim Opera Ambrosii ante aliquot annos haud perfunctoriè percurrerem, cum ad hoc perveni, visus sum mihi alterius linguæ hominem ab Ambrosio prorsus diversum loquentem audire. Tum animadverti loca Scripturæ in his citata non esse ejus versionis, qua in aliis libris Ambrosius uti consuevit. Quædam etiam in his reperi, quæ sæculo Ambrosii minùs convenire visa sunt. Nihilominus à scriptoribus octavi & noni Sæculi laudantur sæpius tanquam Ambrosii legitimus fœtus, quorum auctoritati cedens eos deinceps sub ejus nomine, cujus est possessio, semper citabo. Meam autem suspicionem seu conjecturam Doctoribus examinandam relinquo, & ad Missam Romanam redeo à qua digressus sum. Hæc, ut dixi, ab omnibus in Occidente recepta est, cunctorum enim repugnantium & contradicentium pervicaciam vicit Pontificum potestas & industria, Regumque ac Principum erga Apostolicam Sedem reverentia.

V. Porrò hic de Missa Romana inquirendum necessario videtur, à quo primùm instituta fuerit, & quibus incrementis ad eum statum pervenerit, in quo nunc reperitur. Utrumque dubium egregiè dissolvit Walfridus Abbas *lib. de reb. Eccl. cap. 22.* Nam postquam statuit, ex Majorum traditione constare, Missam temporibus Apostolorum multò breviorem fuisse quàm nunc sit, proficiente deinde Religione à Successoribus Apostolorum auctam, non quod illis fuerint scientia & pietate majores, sed quia tempora sic exigebant: tum subdit. *Et Romani quidem usum observationum à B. Petro Principe Apostolorum accipientes, suis quique temporibus, quæ congrua judicata sunt, addiderunt. Quorum morem ideo in sacris rebus tam multæ gentes imitantur, quia & tanti magisterii ex apice Apostolico primordiis clarent, & nulla per orbem Ecclesia æque ut Romana ab omni fæce hæreseon cunctis retrò temporibus pura permansit.* Post hæc percurrens ordinem Missæ fusiùs edisserit, à Celestino Papa *Introitum*, à Telesphoro *Hymnum Angelicum*, ab aliis institutâ, quæ à nobis Lib. II. cum de singulis Missæ partibus agemus, singillatim examinabuntur. Vigilius Papa epist. ad Eutherium, *Ordinem precum*, ait, *in celebritate Missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere diversum, sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quapropter ipsius canonicæ precis textum direximus subter adjectum, quem Deo propitio ex Apostolica traditione suscepimus.* Idem asserit Isidorus lib. 1. de Eccl. Offic. c. 15. *Ordo Missæ vel orationum, quibus oblata Deo Sacrificia consecrantur, primùm à Sancto Petro est institutus, cujus celebrationem uno eodemque modo universus peragit orbis.* Legendus quoque Innocentius I. loco citato capite superiori. Ex quo & aliis habemus antiquam, & immemorabilem traditionem esse, Missæ ordinem à Petro Apostolo traditum Romanæ Ecclesiæ, cui Successores aliquot preces, & ceremonias addiderunt. Ita enim fert rerum omnium conditio, ut initium suum habeant, sequatur incrementum, omnibus demum numeris perficiantur. Quod verò dixit Isidorus

Isidorus Missæ celebrationem uno eodemque modo peragi ab universo Orbe, hoc de re & substantia, non de verborum tenore ac cere moniis intelligendum est. Quod item asserui, omnes Ecclesias Occidentales, Mediolanensi exceptâ, Missâ Romana nunc uti, de illis etiam dictum volo, quæ Missale proprium habent, sive Sæculares sint, sive Regulares. Omnes enim cum Romanis conveniunt in forma & dispositione Missæ; idem prorsus apud omnes est Canon; idem ordo & eadem series Confessionis, Introitus, Collectarum, Epistolæ, Gradualis, Versus, vel Tractus, Evangelii, Symboli, Offertorii, Præfationis, Canonis, Communionis, gratiarum actionis, & finis. Quod autem aliqui omittant psalmum aute Confessionem, quod formulam confessionis breviorem habeant, quod panem & vinum unica oblatione offerant, quod item oblatio alijs verbis concepta sit: quod diversas à Romanis Epistolas & Evangelia legant, quod non eadem festivitates Sanctorum celebrent, quod in modo procedendi, thus adolendi, & aliis hujusmodi minutioribus ab usu Romano discrepent, hæc proculdubio nec Ritus diversittaem inducunt, nec Ritum peculiarum constituunt.

Scribit Joannes Langhecrucius *lib. 2. de Divinis officiis ritè peragendis*, relatus à Cornelio Schultingio tomo 1. Bibliothecæ Eccl. p. 1. c. 45. Missalia particularia diversarum Ecclesiarum post Concilium Aquisgranense sub Ludovico Pio introducta fuisse. Nam Carolus Magnus hortatu & jussione summorum Pontificum Romanum in Gallia servari præcepit; varietas autem, & diversitas à Romano in aliquibus Ecclesiis inde exorta videtur, quod singuli Episcopi pro suo arbitratu, vel pro loci conditione, aut patriæ moribus aliquid vel addiderunt, vel subtraxerunt, sibique propria officia composuerunt; idemque fecerunt Ordinum religiosorum Præfecti, & dum unus unam, alius aliam partem mutat, à vestigiis & institutione primorum Auctorum deflexerunt. Hoc ipsum in Hispania contigisse arbitror post Gregorium VII. qui illic Romanum officium introduxit. Ordines autem Religiosi illum ritum ab initio susceperunt, qui vigebat in ea Provincia, in quâ prima Ordinis cujusque fundamenta jacta sunt. Successu vero temporis tam generalia comitia, quam supremi Ordinum moderatores potestatem sibi arrogarunt plura mutandi & innovandi, quod manifestum cuique erit, si antiqua, & nova, & medii temporis Ritualia inter se conferre voluerit. Hæc autem licentia quidlibet pro arbitrio audendi sine certa lege & disciplina adeò quandoque excrevit, ut in multis codicibus adhuc extent Officia, Missæ, Hymni, Orationes, quæ sine risu, vel potiùs indignatione legi non possunt. Olim in Concilio Milevitano, seu potius Carthaginensi, ut citatur in Codice Ecclesiæ Africanæ cap. 103. sancitum fuit, ne quid publicè in Ecclesia recitaretur, nisi prius in Synodo approbatum foret. Sciebant enim sapientissimi Patres, non omnium esse Ecclesiasticam in his gravitatem & disciplinam servare; magnamque futuram in rebus sacris perturbationem, si sapientibus & insipientibus passim & sine delectu licuisset proprias adinventiones, tanquam spiritus sancti dictata, Ecclesiæ obtrudere, & divinis altaribus admovere. Novissimè verò Apostolica Sedes sacram Rituum Congregationem instituit, à qua non solum summa sapientia & prudentia examinantur Officia, quæ particulares Ecclesiæ sibi concedi petunt; sed leges etiam sancitę sunt, quibus per licentiam usurpata potestas coercetur, & abusibus olim glisccntibus via deinceps præclusa est.

VII. Ipsam Romanam Ecclesiam ab aliqua varietate non fuisse immunem testatur Petrus Abaelardus Epistola Apologetica, quam vir turbulentus temerè scripsit adversus S. Bernardum pag. 250. *Antiquam*, ait, *Romanæ Sedis consuetudinem nec ipsa Civitas tenet; sed sola Ecclesiâ Lateranensis, quæ mater est omnium, antiquum tenet officium, nulla filiarum suarum in hoc eam sequente, nec ipsa etiam Romani Palatii Basilica.* Quæ autem fuerit hæc diversitas, & quando cœperint aliæ Ecclesiæ à Lateranensi discrepare, nec Petrus dicit, nec alibi memini me legisse. Illud verò certissimum est, quod vir doctissimus, sacrorumque rituum peritissimus Radulfus Tungrensis docuit *lib. de canonum observantia*, duplicem in Urbe fuisse modum divini officii, unum breviorem quo Romana curia, sive Capella Pontificia utebatur; alterum prolixiorem pro cæteris ecclesiis Urbis, qui propriè Ritus Romanus dicebatur. Atque hinc ortum est discrimen in antiquis codicibus sæpè occurrens Officiorum ad usum curiæ, & ad usum Ecclesiæ Romanæ. Officium curiæ brevius erat & mutationibus obnoxium, ob varias & continuas occupationes summi Pontificis & Cardinalium, aliorumque Prælatorum, qui ei in Sacello, sive ut loquitur Abaelardus, in Basilia Palatii diu noctuque interesse solebant. Officium Ecclesiæ prolixius erat,

erat, manſitque multò tempore integrum abſque ulla mutatione. Quæ fuerit utriuſque differentia incertum eſt, niſi quod ex ipſo Radulfo & ex aliis Officiorum expoſitoribus liquet, diſcrimen potius in Horis canonicis, quam in Miſſa fuiſſe: idque libri Miſſarum M. SS. evincunt, qui cum libro Sacramentorum, & Antiphonario S. Gregorii in forma & ſerie Miſſæ uniformiter conveniunt. Docet autem Radulfus in præcitato libro propoſit. 22. operâ Fratrum Minorum utrumque officium Curiæ & Eccleſiæ in unum coaluiſſe, ita ut prolixiori & proprio abrogato, omnes poſtea Eccleſiæ officio Curiæ uſæ ſint. Quomodo verò id acciderit, ipſe enarrat his verbis: *Hodie omnium credulitas & opinio divulgatur, quod ullæ Eccleſiæ ſervent Ordinem S. Romanæ Eccleſiæ, niſi Fratres Minores: nec in aliquorum, niſi in ipſorum Breviariis & libris contineatur, ex eo quia B. Franciſcus in Regula præcipit, ut clerici faciant divinum officium ſecundum dictum Ordinem, ubi Breviaria habere poſſunt. Hujus autem rei Romæ contrariam didici veritatem. Nam olim quando Romani Pontifices apud Lateranum reſidebant, in eorum Capella ſervabatur divinum Officium non ita completè, ſicut in aliis Urbis Eccleſiis collegiatis. Imò Clerici Capellares, ſive de mandato Papæ, ſive ex ſe officium Romanum ſemper breviabant, & ſæpe alterabant, prout Domino Papæ & Cardinalibus congruebat obſervandum. Et hujus officii Ordinarium vidi Romæ à tempore Innocentii III. recollectum, & iſtud officium breviatum ſecuti ſunt Fratres Minores. Inde eſt quod Breviaria eorum, & libros officii intitularunt ſecundum conſuetudinem Romanæ Curiæ: non autem curaverunt mores aliarum eccleſiarum urbis Romæ recipere & obſervare. Aliæ autem nationes Orbis Romani libros & officia ſua habent è directo ab ipſis Eccleſiis Romanis, & non à Capella Papæ, ſicut ex libris & tractatibus Amalarii, Valfridi, Micrologi, Gemmæ, & cæterorum de Officio divino ſcribentium colligitur evidenter.* Et multis interpoſitis, quibus oſtendit officium Fratrum Minorum nullo modo poſſe dici Romanum, quod ab ipſis immutatum & confuſum fuit, ſubdit: *Sciendum tamen, quod Nicolaus Papa III. natione Romanus de gente Urſinorũ, qui cœpit anno Domini M. CC. LXXVII. & palatium apud S. Petrum conſtruxit, fecit in Eccleſiis Urbis amoveri Antiphonarios, Gradualia, Miſſalia, & alios libros officii antiquos quinquaginta, & mandavit ut de cætero Eccleſiæ Urbis uterentur libris & Breviariis Fratrum Minorum, unde hodie in Roma omnes libri ſunt novi & Franciſcani.* Hæc Radulfus, qui omnia quæ ſpecta ad Romanos ritus diligentiſſimè inveſtigavit eorumque vindex acerrimus fuit.

## CAPUT VIII.

*De Liturgiis Apoſtolorum. Exploditur à Lindano edita ſub nomine Petri. Dubiæ fidei eas eſſe, quæ Matthæo & Marco tribuuntur. Aſtruitur Liturgia Iacobi. Cujus ævi cenſeantur Conſtitutiones Apoſtolicæ, & in eis deſcripta Clementis Miſſa. De Liturgia à Dionyſio tradita. Anceps de eo judicium.*

I. Eccleſias ab Apoſtolis inſtitutas formam aliquam & ritum offerendi Sacrificium ab iiſdem accepiſſe, nemo opinor inficias ierit, cui nota ſit ſacrificii cum religione inſeparabilis & intrinſeca connexio. An verò Liturgiæ, quæ nomine quorundam Apoſtolorum inſcriptæ circumferuntur, legitimæ ſint, diſquirendum nunc eſt. Et primò quidem occurrit illa, quam Petri Apoſtolorum Principis inſcriptione inſignitam circa finem ſuperioris ſæculi græcè, & latinè edidit ex Codice M. SS. Cardinalis Sirleti, & notis illuſtravit vir doctus Gui Ielmus Lindanus, addiditque pro ea Apologeticon multa eruditione refertum. Sed qui ipſum accuratè perlegerit; mecum fatebitur, nihil aliud ex eo concludi, niſi quod Petrus ſeu voce, ſeu ſcripto, Eccleſiæ primum Antiochenæ, deinde Romanæ Liturgiam aliquam tradiderit. Quod verò iſta, quam Sirletum in Apulia reperiſſe ait, ea ipſa ſit, nec ille probat, nec ullus credet, qui noverit verum à falſo, & proprium ab alieno diſcernere. Si enim hæc Miſſa verè eſt Principis Apoſtolorum, quomodo Romana Eccleſia, quæ ejus lipſana & epiſtolas inter tot perſecutionum procellas uſque in præſentem diem ſollicitè conſervavit, hanc egregiam ſacrificandi formulam neglexit? Cur nullum ejus veſtigium extitit per mille quingentos & ampliùs annos apud Orthodoxos ſcriptores? Ubi tanto tempore deliluit, & unde emerſit? Nempe in Apulia, quæ olim magna Græcia, reperta eſt, *pulcherrima calographia deſcripta*, ut Lindanus ait capite 9. Apologiæ, *ut impreſſam non pauci ſpectatores judicarint.* At ex hoc liquet, iſtud exemplar recentiori manu ſcriptum fuiſſe, & fortaſſis idem qui ſcripſit, compoſuit, cum nulla præſertim fiat mentio antiqui codicis ex quo

descriptum sit. Detegit quoque impostúram Canon Romanus, prout hodie in usu est, eidem insertus, quem à quodam Scholastico compositum, ut ait Gregorius Magnus *lib. 7. ep. 64.* & ab aliquot Pontificibus auctum suo loco demonstrabimus. Sunt in ea quædam orationes ex libro Sacramentorum Gregorii, estque consarcinata ex Missa latina, & ex Liturgiis Jacobi, Basilii & Chrysostomi. Quibus ritè perpensis, ea mihi suspicio in mentem venit, præterito sæculo scriptam uisse ab aliquo Sacerdote Italo-græco, vel exercitii gratia, vel ut Græcam Liturgiam, de cujus nimia prolixitate sæpè Romæ conquesti sunt, ad hanc breviorem formam redigeret. Nomen autem Petri ei præfixit, vel quia Canon Romanæ Ecclesiæ, cujus Petrus fundator fuit, præcipua ejus pars est: vel ut ei auctoritatem tanti nominis interpositione conciliaret. Narrat Lindanus brevissimam Petri Liturgiam apud Franciscum Turrianum extitisse, sed ea nusquam comparuit.

II. Extant etiam Matthæi & Marci Evangelistarum nominibus Liturgiæ, quas cum plerisque inter dubiæ fidei scripta recenseo. Illa Æthiopum, hæc Alexandrinorum dicitur esse: Matthæum enim fidem in Æthiopia prædicasse asserit Romanum Martyrologium; Marcus verò Alexandrinæ Ecclesiæ primus Antistes fuit. Et illa quidem unde primùm prodierit, nescio: hæc Sirleti manu obstetricante educta est in lucem ex vetusto Codice Monasterii Rossanensis in Calabria Ordinis Sancti Basilii, ex quo idem Sirletus eam discribi curavit, misitque Parisios Joanni à S. Andrea ejus Ecclesiæ Canonicio, atque ibidem græcè & latinè edita fuit. De illa altissimum ubique silentium est: hanc commemorat & veluti Pseudepigraphum rejicit sæculi XII. Scriptor Theodorus Balsamon *Resp. 1. ad Marcum Patriarcham, & ad Can. 32. Concilii Trullani.* Nicolaus Methonensis in *libello ad eos qui hæsitant* ait, Marcum Liturgiam Ecclesiæ Alexandrinæ tradidisse, quod & alii asserunt, & nos ultrò fatemur: an vero ista, quæ ad nos pervenit, ipsa sit, quam Marcus scripsit, res in ambiguo est, deficientibus per multa sæcula veterum Patrum attestationibus.

III. His ergò rejectis, vel in quæstione relictis, de Liturgia Jacobi fratris Domini Hierosolymorum Episcopi omnium celeberrima paulò fusiùs disserendum est. Scripsit de illa eruditissimam epistolam ad Bartoldum Nihusium Leo Allatius in ejus Symmictis editam p. 176. qua eam ab hæreticorum oppositionibus vindicat, & prolatis Antiquorum testimoniis genuinum Jacobi fœtum esse demonstrat. Magni autem ponderis ad ejus veritatem stabiliendam in primis est perpetua Ecclesiæ Græcæ traditio, quæ illam semper ut legitimâ agnovit. Consentiunt Græcis Syri, qui teste Abrah. Ecchellensi in notis ad Hebedieśu de Scriptoribus Chaldaicis p. 135. asserunt S. Jacobum primum omnium Liturgiam scripsisse, & ad ejus normam cæteras institutas fuisse: idque confirmat Abraham Joannis Maronis, qui intra sextum & septimum vivebat sæculum, aliorumque antiquiorum testimonio, qui in ejus Liturgiæ Commentariis affirmant hanc traditionem ad ipsos per manus deductam à tempore Apostolorum. Accedunt traditioni ejusdem exemplaria in vetustissimis Codicibus exarata, & ex ea veterum Patrum excerptæ apud Allatium auctoritates ad Catholicæ fidei dogmata comprobanda. Synodus Trullana c. 32. ejus testimonio utitur, ut refellat eorum, qui solam aquam in Sacrificio offerebant. Manuel Malaxus *in Nomocanone c. 220.* eam in usu fuisse ait usque ad tempora Basilii Magni: ejusque meminit Proclus *in Tract. de traditione Divinæ Liturgiæ*, & Cyrillus Hierosolymitanus multa ex ea transtulit in quintam Catechesim mystagogicam. Varias adhibent machinas ad eam abolendam Sectarii, sed omnem ipsorum conatum irritum esse facilè ostendam. Ajunt reperiri in ea vocem *Homousion* ante Concilium Nicænum ignotam: vocem quoque *Theotocos* in Concilio Ephesino repertam. Atqui id temerè & falsò ab illis dicitur. Nam Athanasius *in libro de Decretis Concilii Nicæni* auctores profert, qui nomine *Homousii* ante ipsum Concilium usi sunt. Theodoretus item *l. 1. hist. Eccl. c. 13.* eam vocem non esse novam ait, neque à Patribus Nicææ congregatis inventam, sed à majoribus receptam. Et ut alios fileam, ipsemet Eusebius Cæsarienśis Arianæ factionis propugnator hoc idem asserit apud Theodoretum ibidem, & apud Socratem *l. 1. c. 5.* Simili modo ante Conc. Ephesinum B. Virginē *Theotocon*, id est, Dei Genitricem nuncupatam Evagrii testimonio evincitur, qui *l. 1. hist. c. 2.* Nestorium reprehendit, quod hanc vocem à multis spectatisq; Patribus usurpatam rejecerit: cui consentit Theodoretus *l. 4. hæret. fabul. c. 12.* dicens, antiquissimos fidei Orthodoxæ Prædicatores juxta traditionem Apostolicam Matrem Domini *Deiparam* nominasse & credidisse. Ajunt insuper *Trisagion* & *Doxologiam* recentioris ævi esse, atque inde concludunt

dunt perperam tribui Jacobo hanc Liturgiam, in qua ista reperiuntur, sed nugas agunt, nam *Hymnus ter Sanctus* Isaiæ cap. 6. legitur; & Glorificatio Sanctissimæ Trinitatis ab Apostolis emanavit, qui, cum credentes baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, eos docuerunt, Patri & Filio & Spiritui Sancto solemnem *Doxologiam* decantare. Ajunt denique alia quædam in ea esse, quæ recentiorum sunt. Hoc probandum ipsis erat; ajunt enim illi, nos negamus. Sed ultrò concedamus, nonnulla addita à recentioribus, ut in similibus fieri solet, an idcirco abjicienda omnia velut spuria, illa etiam, quæ genuina sunt? An ideò Pentateuchum Moysi tribuendum non erit, quia in fine Deuternomii ipsius mors & sepultura ab alio scriptore addita est? Non est hominis sani sic argumentari. Nihil igitur officiunt Jacobi Liturgiæ Novatorum objectiones. Eam ipsi temerè explodunt, nos veterum testimonio nixi amplectimur & approbamus.

IV. Duodecim Apostolorum nomine duas extare Liturgias apud Orientales scribit Abraham Ecchellensis in notis præcitatis. Liturgiæ quoque S. Barnabæ meminit Alexander Monachus in ejus vita apud Metaphrastem. Hæc autem periisse creditur, illas non vidi. Recenseri item potest inter Apostolicas sancti Clementis Romani Liturgia in Libro Constitutionum descripta & ab Apostolis accepta, ut ille ait, à qua paucis me expediam. Testimonium de illa perhibet Proclus initio tract. *de traditione Missæ*, asserens B. Clementem Apostolis dictantibus eam edidisse: cujus sententiæ adhærent Baronius anno 102. num. 23. Bellarminus *lib. de Script. Ecclesiasticis*, & alii, qui eam legitimam esse putant, sed auctam à successoribus. Sicut enim formulam Symboli ab Apostolis traditam Patres deinde auxerunt, ut fidei mysteria clariùs exprimerent; ita Liturgię ab illis prout ferebant tempora contextæ, ab aliis postea amplificatæ fuerunt. Alii tamen non infimi subsellii scriptores, qui negant Clementem Apostolicarum Constitutionum auctorem esse, ab eo consequentur Missam abjudicant, quæ pars illarum notabilis est. Photius Cod. 112. tria capita ipsis Constitutionibus opponi ait, sed quæ facilè dilui possint. Epiphanius hæresi 70. num. 10. citat librum Constitutionum Apostolicarum, tum ait, *Qui Liber tametsi dubiæ apud nonnullos fidei sit, non est tamen improbandus; Nam in eo quæ ad Ecclesiæ disciplinam attinent omnia comprehenduntur; neque quidquam aut in fide ac Catholica professione depravatum, aut Ecclesiæ administrationi ac decretis contrarium continent.* Sed has Constitutiones, quas Epiphanius citat, diversas videri ab his quę octo libris comprehensæ circumferuntur, observat Petavius in suis Animadversionibus: quædam enim illarum sententiæ ab Epiphanio citatæ in vulgatis non extant. At hæc Petavii conjectura est, qua non obstante haud improbabile existimo, easdem esse, sed interpolatas & aliquibus in locis vel librariorum incuria, vel hæreticorum fraude depravatas. Quidam putant, ad eas alludere Dionysium Alexandrinum in epistola, quam refert Eusebius lib. 7. cap. 7. in qua nihil prorsùs deprehendo, quod ad Clementem referri possit. Quicquid autem sit de Auctore harum Constitutionum, certum apud omnes & exploratum nunc est, quod si ab Apostolis immediatè dictatæ non fuerunt, Concilio tamen Nicæno antiquiores sunt, & in his continetur disciplina Ecclesiastica, qua Orientalis Ecclesia sub Ethnicis Imperatoribus ante Magnum Constantinum regebatur, ut vir eruditissimus Joannes Morinus docet *Parte 2. de sacris Ordinat. pag.* 20. Cui adstipulatur Joannes Fronto in prænotatis ad Kalendarium Romanum §. 5. Petrus item de Marca *lib.* 3. *Concordiæ cap.* 2. ejus libri Auctorem saltem sæculo tertio floruisse ait, idque omnibus hodie persuasum esse. Est igitur Missa Clementis antiquissima, ejusque testimonio sæpius utar, si non præcisè ut ab Apostolis editæ, & à successoribus auctæ; quod valde probabile est; saltem ut à Patribus secundi vel tertii sæculi usurpatæ.

V. Illam denique Apostolicam Liturgiam plerique existimant, quam Dionysius magnifico stylo describit c. 3. *Eccles. Hierarchiæ*. Si enim iste Areopagita fuit, Athenarum Episcopus, & S. Pauli discipulus; Sacrificii ritum & ceremonias ipsum ab eo accepisse, à quo fide imbutus fuerat, rationi consentaneum videtur. At insurgunt multi ex adverso, & multa objiciunt, quibus probare conantur, non esse Dionysii Areopagitæ opera, quæ illi tribuuntur, sed alterius recentioris. Ajunt ipsum nunquam se Areopagitam aut Episcopum nominare, cum tamen non defuerint illi occasiones hos sibi titulos tribuendi. Cap. 7. Eccl. Hier. Millenariorum hæresim confutat, quæ circa annum Christi 120. exorta est. Cap. 6. ejusdem libri Monachorum solemnem consecrationem refert, asserens eos multò antiquiores fuisse, quam ipse fuerit. *Hinc*

*Sancti*, inquit, *Præceptores nostri divinis eos appellationibus sunt prosecuti*. De his tamen apud scriptores primi & secundi sæculi nulla distincta mentio reperitur, sed de solis Deo dicatis Virginibus: neque si fuerunt tunc Monachi, credibile videtur, illius sæculi persecutionibus & aliis circumstantiis attentis, eos tot ceremoniis fuisse ab Episcopis Deo dicatos. cap. 7. cœl. Hierarch. & cap. 1. de Div. nominibus Deum *Trishypostaton* vocat, suntque illi tres personæ *Tres hypostases*, eaque voce utitur tanquam suo tempore usitata; cum tamen constet, hoc nomine Græcos primùm usos post concilium Alexand. a. 362. celebratum, repugnantibus Latinis, ut ex Hieronymo constat, qui epist. 57. cap. ultimo Eccles. Hierarch. de infantium baptismo, ejusque circumstantiis agens, quas Ethnici irridebant, se id scribere ait, quod divini Pontifices ab antiqua traditione edocti usque ad ipsum produxerunt. Qui sunt autem hi Pontifices, quæ antiqua traditio, si hic fuit Areopagita Pauli discipulus? Plura de his Morinus *lib. de sacr. ordinat. Præf. in ritus Ordinationum traditos à Dionysio*. Omitto magis vulgatas objectiones, ut, quod de illo siluerint antiqui Patres, Eusebius præsertim & Hieronymus: quod à sæculo Apostolorum stylus abhorreat, grandiloquus, inusitatus, ac in rebus etiam facilibus dithyrambos supergrediens, quod ea scripta hominis videantur, qui in otio & pace senuerit: quod nullum in illis vestigium appareat persecutionum & calamitatum, quibus primi sæculi ecclesia vexabatur: quod sacrorum rituum pompa & apparatus, templorumque majestas, & magnificentia, sicut ab eo describuntur, nascenti Ecclesiæ & Sacerdotibus, sævientium tyrannorum metu, secretò celebrantibus non conveniant: & alia ejusdem generis, quæ apud alios legi possunt. His verò oppositionibus, qui hæc opera Areopagitæ vindicant, acerrimis & prolixis dissertationibus respondent; sed quàm plenè, & quàm solidè, viderint doctiores: neque enim tanti me facio, ut quæstionem inter viros doctos diu agitatam, & perplexis hinc inde difficultatibus intricatam dirimere, vel componere ausim. Mota hæc lis erat ante annos octingentos vivente Photio, qui cod. 1. suæ Bibliothecæ Theodori Presbyteri librum de hac controversia à se lectum refert, sed non exprimit tempus quo ille scripsit. Per me igitur cuique licebit, cui maluerit parti adhærere, nam qui Apostolico sæculo vixisse contendunt, proposito nostro magis favent; qui posterioris ævi fuisse volunt, fateri tamen debent circa finem quarti sæculi vixisse, ante annos scilicet mille trecentos, quod ad conciliandam Dionysii scriptis venerationem & auctoritatem satis est. Unus fortassis fuit ex professoribus Platonicæ Philosophiæ, qui in schola Alexandrina, circa finem quarti sæculi vel initio quinti, sapientiæ laude floruerunt, Christi verò fidem amplexus, doctrinam qua priùs imbutus fuerat retinuit: nulla enim ejus pagina legi potest, in qua non appareant phrases, axiomata, & idiotismi Platonicorum. Jacobus Billius *Sacrarum observationum lib. 1. cap. 23.* ostendit, apud Gregorium Nazianzenum quædam reperiri mutuata à Dionysio, sed vereor ne ex præjudicata opinione id, quod sibi probandum erat, tanquàm certum posuerit, Dionysium scilicet, utpotè Pauli discipulum, Nazianzenum præcessisse; dicent enim qui contrariæ sunt sententiæ, Dionysium potiùs ea à Gregorio accepisse. Sermo quoque extat inter opera Joan. Chrysostomi de Pseudoprophetis & falsis Doctoribus editus à Gerardo Vossio, in quo hæc verba leguntur, *Ubi Dionysius Areopagita volucris Cœli?* Sed plerique viri docti hunc sermonem Pseudepigraphum putant. His ergo omissis tanquam incertis, id breviter referam, quod indubitatum & ab omnibus concessum est; primam scilicet mentionem Dionysii Areopagitæ ejusque operum, quæ ad nostram notitiam pervenerit, factam fuisse in collatione habita Constantinopoli in Palatio Justiniani Imperatoris a. 532. inter catholicos & Severianos, sive Acephalos, in collatione secundæ diei: siquidem in eo congressu ab hæreticis citata, & ab Orthodoxis tanquam spuria repudiata fuerunt. Sed cum postea matura consideratione agnovissent eorum librorum in fide soliditatem, & admirabilem doctrinam, eos amplexi sunt, & tributum Areopagitæ nomen auctori permansit. Primi inter Græcos, qui Dionysium Areopagitam cum laude citârunt, fuere Leontius *lib. de Sectis Act. 3. & lib. 2. contra Nestorium & Eutichetem*: & Anastasius Sinaita *lib. 7. Anagogic. contempl. in Hexaëmeron*, qui ambo Justiniano imperante vivebant. Inter Latinos primus fuit Gregor. Magnus hom. 34. quem plures deinde sequuti sunt. Lis autem de Auctore tunc nulla erat, postea à Criticis septimi vel octavi sæculi excitata fuit, quorum argumentis respondit Theodorus relatus à Photio cod. 1. Atq; utinam aut ille extaret, aut epitomen responsionum ejus Photius excerpsisset, forsitan enim solidas Dionysii vindicias haberemus.

CA-

## CAPUT IX.

*De variis Ritibus Ecclesiæ Orientalis. Cur nova Liturgia à Basilio Magno composita. De Liturgia Chrysostomi. Quæ gentes lingua Illirica Missas agant. De Colchis, Iberis, Albanis, Melchitis, Nestorianis, Jacobitis, Coptis, Æthiopibus, Maronitis, eorumque Liturgiis, Hymnus S. Ephrem. Plurimas esse apud Orientales Liturgias.*

I. PLurimæ nationes, quæ Christi fidem profitentur, per Orientem dispersæ sunt, non tam locorum intervallo à nobis dissitæ, quam lingua, moribus, & rituum diversitate. De singulis strictim agendum: licet enim multæ ab Ecclesiæ communione præcisæ sint, omnes tamen nobiscum unanimiter conveniunt in substantia sacrificii, & in his omnibus quæ Fides Orthodoxa de tanto mysterio credenda proponit; in modo tantùm & ritu offerendi discrepantes. A Græcis ordior, qui quondam per Orientem longè latèque dominati sunt. Habent illi Jacobi Apostoli Liturgiam, qua diu usi sunt donec Basilius Magnus divino edoctus magisterio suam composuit. De illa actum est suprà. Hanc verò commendat Proclus in sæpe laudato opusculo. *De traditione divinæ Missæ*, Trullana Synodus can. 32. Leontius *lib.* 3. *adv. Nestorium*, & alii Patres Græci quàmplurimi. Causam verò, qua motus fuit Basilius ad novum offerendi sacrificii ordinem componendum, hanc tradit Proclus, quia Missam à Jacobo editam, fidei fervore deficiente, homines terrenis negotiis immersi nimię prolixitatis accusabant, quare salubri usus consilio eam in compendium redegit. *Magnus*, inquit, *Basilius hominum socordiam & in deterius prolapsionem conspicatus, ac proinde longinquitate productæ Missæ pertæsos; non quod ipse supervacaneum quidquam, vel nimis longius productum in ea fore arbitraretur, sed ut pariter tum simul orantium, tum audientium ignaviam ex longo illo temporis intervallo præcideret, breviorem recitandam tradidit.* Ipsa autem Basilii vita inter opera Amphilochii aliam profert causam his verbis. *Postulavit à Deo*, postquam Episcopus ordinatus fuit, *quò sibi gratiam & sapientiam & intellectum concederet, ut suis ipse verbis incruentum Deo sacrificium offerret, utque in ipsum Spiritus sancti adventus fieret. Post sex autem dies adstans Dominus in visione cum Apostolis, pane & vino in sacro altari proposito, Basilium excitavit dicens: Secundùm petitionem tuam repleatur os tuum laude, ut tuis ipse verbis incruentum sacrificium offeras. At ille non ferens oculis visionem surrexit tremebundus, accedensque ad sacrum Altare cœpit dicere, ita in charta scribens:* Repleatur os meum laudè, ut cantem gloriam tuam Domine Deus noster, qui nos creasti, & duxisti ad hanc vitam, *ac reliquas sacræ Liturgiæ preces. Post precum verò finem elevavit panem intensè orans & dicens*, Attende Domine Jesu Christe Deus noster de sancto habitaculo tuo, & veni ad sanctificandum nos: *& quæ sequuntur.*

II. Jacobus Goar vir doctus, sacrorumque rituum peritissimus, in Græcorum Euchologio p. 185. ex gemino fine, quem sibi Basilium in edenda Liturgia præfixisse asserunt Proclus & Auctor vitæ, geminam quoque ab ipso diversis temporibus scriptam fuisse suspicatur. Unam prolixiorem, quo diutiùs Deo vacaret, alteram breviorem, ne populo & ipsis sacris ministris tædium pareret: & hanc putat Goar posteritati traditam, omniumque consensu approbatam. At quicquid sit de hac conjectura, illud certissimum est duplicem extare Basilii Liturgiam, unam è græco translatam, quæ incipit, *Dominus Deus noster, qui cœlestem panem, universi mundi nutrimentum, Dominum nostrum & Deum Jesum Christum Salvatorem & Redemptorem & Benefactorem nos benedicentem & sanctificantem misisti, ipse benedic hanc propositionem, & eam suscipe in supercœlesti tuo altari*: Alteram ex Syriaco sermone ab Andrea Masio Latinè redditam, quæ *Anaphoræ* inscribitur, & sic incipit: *Æterne Deus, qui in principio homines creasti ad immortalitatem*: & hæc a græca in multis diversa est & multò brevior. Hic accedit tertia à prædictis etiam differens, quam Victorius Scialach Maronita ex vetusto Codice lingua Ægyptiaca cum Arabica interpretatione scripto in Latinum transtulit, quæ Bibliothecæ Patrum inserta est, & ab hac oratione exorditur: *Domine qui nosti corda omnium.* Ipsa quoque græca exemplaria dissimilia esse agnoscit Goar, adeò ut difficile sit judicare quinam sit purus & germanus Basilii textus. Observavit hanc diversitatem prædictus Scialach, ejusque reddidit hanc rationem; quod sicut Latini & Græci Antistites in suis Liturgiis, quas ab Apostolis acceperunt, multa vel addiderunt vel immutarunt, idem etiam ab Alexandrinis & Ægyptiis par est credere pro temporum opportunitate factitatum. Nemo se continuit intra

terminos à Majoribus constitutos, sed quisque addidit quæ sibi aptiora visa sunt ad excitandam in se & in aliis pietatem. Porro Missa Basilii certis dumtaxat diebus utuntur Græci, in Dominicis scilicet sanctæ & magnæ Quadragesimæ, dempta Dominica Palmarum; in sancta & magna Feria quinta, in magno Sabbato, in vigilia Nativitatis Christi & Epiphaniæ, & in die festo ipsius Basilii.

III. Reliquo anni tempore Liturgia Chrysostomi utuntur, qui novæ formulæ componendæ manum admovit eâdem qua Basilius ratione impulsus, ut B. Proclus ejus discipulus, & in throno successor affirmat, sic in eodem opusculo scribens. *Haud verò multò post* Basilium, *Pater ille noster aurea præditus lingua Joannes de ovium salute, ut pastorem decet, strenua cura sollicitus, naturæ humanæ socordiam ignaviamque respiciens, fibras omnes ac radices sathanici prætextus hujus prorsùs voluit evellere. Et ideircò multa præcidit, & concisiori precatorique oratione Sacrum conficiendum statuit, ne sensim homines, qui libertatem quandam & inertiam, quam maximè complectuntur, fallacibus adversarii rationibus decepti, ab ejusmodi Apostolica hac & divina absterriti traditione eam omitterent, quemadmodum hoc ipsum multis, variis sæpe in locis, accidisse ad hunc usque diem deprehendimus.* Hanc Chrysostomi Liturgiam edidit in suo Euchologio Jac. Goar, & cum pluribus tam impressis quàm M.SS. exemplaribus contulit, discussis, & notis illustravit adeò copiosè & eruditè, ut nihil ejus diligentiæ addi possit. Excerpsit quædam Chrysostomus ex Basiliana & in suam transtulit: plura deinde ab aliis addita, & pro cujusque nutu inserta sunt, unde maxima exemplarium varietas emanavit.

IV. Aliæ nationes sunt, quæ, quamvis alterius linguæ sint, Græcorum tamen ritibus adhærent: Roxolani inprimis seu Moscovitę, qui, cum Episcopi Gręci & schismatici prędicatione à cultu idolorum ad Christi fidem conversi fuerint, ab eodem Gręcorum ritus acceperunt & adhuc retinent, sermone Illyrico. Hos panem hordeaceum in Missa offerre & consecrare scribit, nescio qua fide, Joannes Faber Viennensis Episcopus, *Tract. de eorum Religione*. Iidem ritus eâdem linguâ in usu sunt apud Christianos Tartaros circa Tauricam Chersonesum, apud Circassos, & quasdam Ponticas nationes: itemque in Servia, Mysia, Bosnia, Bulgaria, Russiâ minori Regi Poloniæ subjecta, in Volhinia, Podolia, & parte quadam Lithuaniæ, & in aliis finitimis regionibus. In Istria verò, in Liburnia, & in Dalmatia littorali, Missa & alia Officia linguâ quoque Sclavonica celebrantur, sed ritus Romanus est. Cœpit autem hæc lingua in sacris Ecclesiæ functionibus audiri sæculo nono, quo Moscovitas Christianę Religioni nomen dedisse sub imperio Basilii Macedonis ostendit Baronius in Appendice Tomi VII. *de Ruthenis à Sede Apostolica receptis*; licet alii id seriùs contigisse putent prope finem sęculi decimi, imperantibus Basilio juniore, & Constantino. Eodem sæculo S. Methodius Moraviæ Apostolus vixit, qui literis Sclavonicis à Constantino quodam Philosopho repertis eam gentem instruxit, Deiq; laudes decantare docuit: tum Joannes VIII. Romanus Pontifex *Epist. 247. ad Sventopulchrum Moraviæ Comitem scripta anno* 880. Missas in ea provincia linguâ Sclavonicà cantari permisit, dummodò Evangelium priùs Latinè, deinde Slavonicè legeretur. Narrat Thomas Archidiaconus Spalatensis in historia Episcoporum Salonitanorum edita à Joanne Lucio cap. 16. tempore Alexandri II. à Legato Apostolicæ Sedis coactam Synodum omnium Prælatorum Dalmatiæ & Croatię, in qua statutum est, ne quis de cætero in lingua Sclavonica præsumeret divina Mysteria celebrare, nisi tantùm in Latina & Græca. Idem statuit Gregorius VII. Alexandri Successor ad Uratislaum Bohemiæ Ducem sic scribens. *Quia Nobilitas Tua postulavit, quod secundum Sclavonicam linguam apud vos Divinum celebrari annueremus officium, scias nos huic petitioni tuæ nequaquam posse favere.* Et paulò post. *Unde ne id fiat auctoritate B. Petri inhibemus, Teque ad honorem omnipotentis Dei huic vanæ temeritati viribus totis resistere præcipimus.* In Provinciis tamen suprà nominatis dudum recepta consuetudo prævaluit.

V. Utuntur item Græcis ritibus Colchi & Iberi, inter mare Caspium & Pontum Euxinum siti; nunc Mengrellenses & Georgiani dicti, suo quisque idiomate. Horum mores & hæreses fusè describit Clemens Galanus, qui eas regiones perlustravit, *Parte* 1. *Conciliationis Ecclesiæ Armeniæ cum Romana cap.* 12. In eodem Isthmo inter Iberiam & mare Caspium sita est Albania, quæ Armeniorum sequitur ritus. Alia est Albania in Europa, quæ ad mare Jonicum vergit, & Illyrico, sive Dalmatiæ jungitur, atque etiam Epirum complectitur, habetque proprium idioma ab Illyrico & Græco diversum, quo gentes illæ sacra peragunt ritu Græco. Inter Orientales mul-

multitudo numerosa Christianorum est, qui à quibusdam *Græci-Arabes*, ab aliis communiter *Melchitæ* vocantur. Horum vulgaris sermo Arabicus est, sed in sacris græco utuntur, græcç enim opinionis & ritus sunt; atque ideò *Melchitæ*, sive Regii & Imperiales nuncupati fuerunt, quia edictis Imperatorum obedientes Chalcedonense Concilium receperunt, & in hoc differunt à Nestorianis & Jacobitis. Ipsi verò Nestoriani & Jacobitæ per Syriam, Assyriam, Persidem, & Indiam, aliasque finitimas Asiæ regiones ingenti numero disseminati, proprias habent Liturgias sermone Chaldaico, non multum à Græcis discrepantes, in quibus Nestoriani Nestorium & Theodorum Mopsuestenum; Jacobitæ autem Dioscorum & Eutychen tanquam Sanctos invocant & venerantur. Noti sunt eorum errores, nec opus est in his recensendis immorari. Alii sunt Jacobitæ Ægyptii, quos Cophtos, seu Coptos incertâ derivatione vocamus, forsitan à Copto non incelebri superioris Ægypti civitate, cujus Strabo, Plinius, & Ptolomæus mentionem faciunt. Istis peculiaris est Liturgia linguâ Cophticâ, quam Athanasius Kircherus in Prodromo Copto veterem Ægyptiacam esse docet, contradicente Joanne Gravio, qui in descriptione Pyramidum Ægyptiarum Græcam corruptam esse contendit.

VI. Copticæ similem Missam habent Æthiopes sive Abyssini, utraq; enim Ecclesia, Ægyptia & Æthiopica, à Patriarcha Alexand. ritus Coptici olim administratione, & iisdem ferè cœremoniis imbuta fuit. Officia divina linguâ Æthiopica celebrant, quæ tamen à populari diversa est. In Lexico Æthiopico Jobi Ludolfi edito Londini post Epistolam præliminarem Jo. Michaelis Wanslebii extat indiculus librorum M. SS. Æthiopicorum, quorum primus est *Liber Litiurgiarum*, in quo sunt decem Liturgiæ sic inscriptæ. 1. Sancti Joh. Evangelistæ. 2. Trecentorum decem & octo Patrum Orthodoxorum. 3. Sancti Epiphanii Orthodoxi. 4. S. Jacobi Syracensis. 5. S. Joannis Chrysostomi. 6. Cujusdam innominati. 7. Sanctorum Apostolorum. 8. Sancti Cyriaci. 9. Sancti Gregorii. 10. Sancti Dioscori Patriarchæ Alexandrini, impii scilicet illius, qui in Concilio Chalcedonensi damnatus fuit, quem Æthiopes illius erroribus imbuti ut sanctum colunt. Edita est ejusdem Dioscori Liturgia in fine hujus Codicis linguâ Æthiopica cum Latina interpretatione prædicti Wanslebii. Sed non est integra, nam multæ orationes primis dumtaxat verbis initialibus indicantur, integræ verò reperiuntur in Liturgia Æthiopica edita Romæ simul cum novo Testamento. Multa etiam deesse arbitror, nam brevissima est, & non nisi fragmentum prolixioris Liturgiæ, quales esse solent apud Orientales. Sic incipit, *A sæculo & usque in sæculum est Dominus in regno suo, Dominus in Trinitate, Dominus in Divinitate sua. Antequam aurora & diluculum, antequam dies & noctes essent, antequàm crearentur Angeli, fuit Dominus in Regno suo. Antequam expanderentur Cœli, & antequam appareret facies Aridæ, & antequam germinarent herbæ, fuit Dominus in Regno suo. Ante Solem & Lunam, & Stellas, & ante circuitus luminarium, fuit Dominus in regno suo. Antequam animalia quæ repunt, antequam aves quæ volant, & antequam belluæ maris essent, fuit Dominus in regno suo. Antequam crearetur homo ad imaginem & similitudinem ejus, & antequam transgrederetur præceptum, fuit Dominus in Regno suo. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in sæcula sæculorum.* Dicit Diaconus, *Pro beato* &c. est oratio pro statibus Ecclesiastico, Politico, Oeconomico, quæ hic deest, & habetur in ea quæ Romæ edita est. Sacerdos. *Audiat Cœlum & auscultet Terra, & contremiscant fundamenta Fortium, Beneplacito Patris sui descendit ad* (monet hic interpres hiatum esse in M.S.) *Peregrinus fuit. In virginitate immaculata Deus natus est. In cavernam pecudum illatus est. Munera Regii sui honoris accepit.* Et sic breviter commemorat vitam Christi, & suo ordine ultimam cœnam, & prolatis verbis consecrationis prosequitur Passionem, Mortem, Resurrectionem, Ascensionem, & Missionem spiritus sancti. Posteà ait. *Illum spiritum tuum mitte super hunc Panem, & super hunc Calicem. Veniat Agnus & videamus illum in castris, ut mactemus illum, & lætemur in illo.* Sic enim orat, ac si nondum peracta esset consecratio. Similis autem oratio reperitur in Liturgia Græca, quam explicabimus *Lib. II. Cap. XIII. Ne autem videatur cuiquam ex nobis, quasi corpus hoc quod comedit, sit corpus absque sanguine & spiritu: & dum bibit calicem hunc, quod sit sanguis tantum absque corpore & spiritu, sed corpus, sanguis, & spiritus est. Prout est Deitas ejus, quæ cum humanitate unum est.* Ita Blasphemus ille, qui unam dumtaxat in Christo naturam impiè asserebat. Demum indicantur aliquot orationes communes, & alia brevi superaddita terminatur hoc Fragmentum.

VII. Armenia inter cæteras Asiæ regiones multitudine populorum nulli secunda, S. Bartholomæi Apostoli, ac deinde S. Gregorii illuminatoris prædicatione ad Christi fidem conversa, eam

eam diu illibatam conservavit, donec tandem Græciæ erroribus inquinata ab unitate Ecclesiæ miserabili & adhuc permanente dissidio sejuncta est. Multa de Armeniorum religione, & hæresibus Clemens Galanus scripsit tomis tribus Romæ editis de illius ecclesiæ cum Romana conciliatione. Habent & ipsi specialem Liturgiam proprio idiomate, quæ ab erroribus ipsorum expurgata Romæ excusa est Armenicè & Latinè typis S. Congregationis de propaganda Fide: sed illis gentibus displicuit, quod in ea quædam mutata. Præter omnium Orientalium morem, Eucharistiam in azymis conficiunt, & contra divinam atq; Apostolicam traditionem aquam vino non miscent. Inter ipsos & Græcos implacabiles semper dissensiones fuerunt, suosq; ritus invicem detestantur. Horum tamen Liturgia græcanicum ritum in pleriſq; imitatur: adeò ut verba quædam græca in ea permanserint. Extat ejus synopsis apud Cassandrum in Liturgicis c. 12. Aliam etiam vidi M. S. à quodam Sacerdote Armenio in latinum translatum, quæ paucis exceptis ab impressa Romæ non differt, & illi prorsus convenit, quæ à Cassandro descripta est. In Armenia majori Nascivanensis provincia sita est, quę ad veram & Catholicam fidem tempore Joannis XXII. à B. Bartholomæo Bononiensi Ordinis Prædicatorum conversa ab eodem Latinos ritus accepit, quibus omnes in ea degentes linguâ Armeniâ utuntur.

VIII. Hactenus recensitis nationibus pauciores numero, sed fide ac religione præstantiores sunt Maroniæ, Libani montis juga, & vicinas planities incolentes. Unde nomen acceperint, an à Maronia Syriæ civitate, an à S. Marone Abbate, vel potius à quodam Marone hæretico Monothelita, incertum est. Et ipsi quidem à Marone Abbate sui nominis originem derivant: sed probabilior videtur posterior deriyatio, de qua testimonium perhibet testis oculatus Guillel. Tyrius, qui *lib. 22. c. 8. suæ historiæ* refert, eos suo tempore Maronis errores abjurasse, & deinceps Romanæ Ecclesiæ adhæsisse, in cujus fide usq; in hodiernum diem constantissimè perseverat. De his plura Morinus *in præf. ad ipsorum ordinationes*, & ego etiam quædam breviter tetigi *lib. de div. Psalmodia cap. 17. §. 16.* Arabicè loquuntur, sed sacras functiones peragunt linguâ Chaldaica, sive Syriaca. Cum Græcis conveniunt in quibusdam consuetudinibus, ab ipsis verò & à reliquis Orientalibus, exceptis Armeniis, discrepant, quod Eucharistiam in azymis conficiunt. Liturgiam peculiarem habent, eamque prolixam quam vici M. S. & in latinum conversam in Romano ipsorum Collegio. Gabriel Sionita in epistola ad Nihusium de nonnullis ritibus Maronitarum, inter Symmicta Leonis Allatii, in eorum Liturgiis eadem ferè contineri ait, quæ in Missa Latina, diverso tamen ordine, diversisque ceremoniis. Apparet autem hic consensus & uniformitas, ac veluti ex diversis vocibus consonantia, sive discors concordia in ombus Liturgiis: & inde palam fit, ordinem sacrificii ab Apostolis traditum esse, & in omnem terram diffusum. Quamvis enim differant diversarum gentium Liturgię in singularium partium collocatione, & in verbis, quibus Orationes concipiuntur, iisdem nihilominus membris coalescunt, quæ sunt, peccatorum ante omnia confessio, tum introitus sive quoddam quasi proœmium, deinde Psalmi, ac lectiones sacræ Scripturæ, & potissimum Evangelii; Symboli recitatio, lotio manuum, commemoratio & invocatio Sanctorum, preces pro omnibus vivis & defunctis, gratiarum actio & benedictio, præter ea quæ essentialia sunt, oblationem scilicet, consecrationem, & communionem. Porrò hæc constans & perpetua omnium gentium conspiratio nonnisi à spiritu sancto esse potest, cujus influxu totum corpus Ecclesiæ in pace & unitate fovetur, & conservatur. Id verò Maronitis peculiare est, quod dum sacerdos celebrat, Chorus subinde concinit hymnos quosdam S. Ephrem Syri, quos valde elegantes esse ejus linguæ periti testantur. Unum hic transcribo qui lectori non displicebit. Sunt autem omnes versus in textu syriaco septem syllabarum.

## Hymnus dum sacerdos incensat.

*Gloria Trinitati*
*Perpetuæ atque æternæ*
*Super incensum hoc suavitatum,*
*Quod offerimus in honorem tuum,*
*Remittas in eo Domine debita nostra,*
*Et dimittas in eo stultitias nostras,*
*Et sit in eo requies mortuis,*
*Ac spes & custodia vivis.*
*Erigantur in eo Ecclesiæ,*
*Et custodiantur in eo Monasteria.*
*Multiplicetur in eo tranquillitas in terra;*
*Et in Regibus pax dominetur.*
*Mitte in eo Domine sanitatem,*

Et

*Et curationem omnibus languentibus,*
*Et surgant è lectulis*
*Corpora jacentia in angustiis.*
*Et ille qui fecit de labore suo*
*Indigentibus ac pauperibus*
*Opus gratiæ tuæ,*
*Habitare faciat in habitaculo ejus benedictiones.*
*Et illorum qui attulerunt oblationes*
*Et primitias ad templum sanctum,*
*Oblationes acceptentur,*
*Ac peccata dimittantur.*
*Benedic fruges anni,*
*Ac semina & fructus custodiantur,*
*Et à noxiis prohibeantur.*
*Et edant esurientes,*
*Et gratias agant tibi.*
*Recordamur in oratione*
*Super incensum hoc suavitatum*
*Annuntiationis tuæ Domine & conceptionis,*
*Nativitatis & nutritionis tuæ,*
*Et crucifixionis tuæ pro nobis,*
*Mortis & sepulturæ tuæ,*
*Excitationis ac resurrectionis tuæ,*
*Ascensionis tuæ in cælum,*
*Ac sessionis tuæ ad dexteram,*
*Et totius dispensationis tuæ,*
*Quam operata est apud nos voluntas tua.*
*Et parentum ac magistrorum nostrorum,*
*Qui fatigati sunt, & laboraverunt, & docuerunt nos,*
*Et ostenderunt nobis viam vitæ,*
*Ut ambularemus in ea in domum Regni.*
*Et mortuorum ac defunctorum,*
*Qui induerunt te ex baptismo.*
*Et participes fecisti eos per pietatem tuam corporis tui,*
*Et sanguine tuo sancto.*
*Et omnes qui dixerunt, Recordamini nostri*
*In oratione propter Dominum nostrum.*
*Visita eos Domine pietate tua.*
*Et per miserationem misericordiæ tuæ*
*Sit à thesauro tuo,*
*Per orationem benedictæ Mariæ*
*Matris quæ genuit te,*
*Et per orationem Martyrum benedictorum,*
*Qui interfecti sunt propter te,*
*Et Sanctorum ac Justorum*
*Qui placuerunt te odore incensorum suorum,*
*Pater, & Fili, & Spiritus Sancte,*
*Unus Deus verus,*
*Tibi gloria, ac super nos misericordia tua,*
*In omni momento in sæcula.* Amen.

IX. Erunt fortassis & aliæ gentes peculiaribus & diversis utentes consuetudinibus, sed ut verba usurpem Nicephori Christi lib. 12. c. 34. *Valde mihi laboriosum & difficile esset, variantes per urbes & regiones omnes Ecclesiarum consuetudines enumerare & perscribere: id enim omnino fieri nequit.* Abraham Ecchellensis in notis ad Catalogum Hebedieſu pag. 134. numerari ait apud Orientis Christianas gentes supra quinquaginta Liturgias partim communes, partim propriis singularum gentium; ex his autem extare penes se triginta & unam, quæ sic ab eo recensentur: Una S. Jacobi, duæ duodecim Apostolorum nomine, major scilicet ac minor; duæ S. Petri, una S. Joannis Evangelistæ, una S. Marci, præterea S. Dionysii Areopagitæ, S. Sixti Papæ, Julii Romani Pontificis, S. Joannis Chrysostomi, S. Basilii, S. Cyrilli Alexandrini, S. Jacobi Nisibensis, S. Gregorii Theologi, D. Joannis Maronis Patriarchæ Antiocheni, alterius Joannis Patriarchæ Antiocheni, Eustathii item Patriarchæ Antiocheni, Mosis Barcephæ, Jacobi Edessæni, Philoxeni, Eleazari Episcopi Babylonis, Marutæ Episcopi Tagritensis, Thomæ Giarmachitæ, Matthæi Pastoris, Joannis Barsusan, Nestorii, Theodoreti, Diodori, Narsis, Barsomæ. Gabriel quoque Sionita in epistola præcitata se habere codicem M. S. testatus est sexdecim Anaphoras, seu Liturgias complectentem, quarum prima adscribitur Xysto Pontifici Romano, secunda Joanni Evangelistæ. 3. Petro Principi Apostolorum. 4. duodecim Apostolis. 5. Jacobo fratri Domini. 6. Sancto Marothæ. 7. Dionysio, quem Barselibæum nuncupant. 8. Joanni Chrysostomo. 9. Matthæo Pastori. 10. Joanni Patriarchæ cognomento Barsusan. 11. Eustathio. 12. Marco Evangelistæ. 13. Proclo Episcopo Byzantino discipulo S. Joannis Chrysostomi. 14. Mosi Barcephæ. 15. Phillixino. 16. Julio Pontifici Romano. Duæ in Bibliotheca Patrum postremæ editionis reperiuntur, Gregorii Nazianzeni & Cyrilli Alexandrini nomine prænotatæ, quas Victorius Scialach ex textu Arabico Latinas fecit.

## CAPUT X.

*De Missa Ambrosiana. A quo fuerit instituta. Ordo ejus describitur. Aliquot Ritus peculiares Ecclesiæ Mediolanensis.*

I. DE Ritibus Mediolanensis Ecclesiæ multa scripsit Ambrosiani collegii Doctor Joseph Viccomes, *lib. 2. de Ritibus Missæ*, quæ nec

approbare, nec refellere in animo est. Ait illos à S. Barnaba Apostolo institutos, à S. Miroclete auctos, à S. Ambrosio illustratos, ideòque Ambrosianos post ejus decessum dici cœpisse: cumque de illis abolendis ageretur, miraculis approbatos fuisse. Ad hæc autem probanda, cum multa sibi suppetere testimonia asserat, nullum tamen profert, præter Galvaneum & Beroldum, quos inquit in instructissima Bibliotheca Ambrosiana, & in tabulario ecclesiæ Metropolitanæ MSS. asservari. Sed isti ignoti scriptores sunt, quorum auctoritas quanti ponderis sit, aliis discutiendum relinquo. Nescio enim qua ætate vixerint, & quo nixi fundamento ea scripserint, quæ Vicecomes ex illis refert. Quod verò attinet ad Missæ Ambrosianæ institutionem, de qua nobis sermo est, Walfridus Strabo ante annos octingentos Ambrosio adscribit *lib. de reb. Eccles. cap.* 22. his verbis, *Ambrosius Mediolanensis Episcopus tam Missæ, quam cæterorum dispositionem officiorum suæ ecclesiæ & aliis Liturgibus ordinavit. Quæ & usque hodie in Mediolanensi tenentur Ecclesia.* Straboni autem suffragatur illius Ecclesiæ & totius Italiæ traditio, à qua sine evidenti ratione recedendum non est. Sed sive Ambrosius, sive alius antiquior eos ritus instituerit, id pro certo habendum, non fuisse à mutationibus immunes, quas aliis contigisse supra ostendimus. Fuerunt enim ab Archiepiscopis aucti sæpius, & aliqua ex parte innovati, ut perspicuum erit antiqua Missalia cum recentioribus conferenti.

II. Ordo autem Missæ Ambrosianæ hic est. Sacerdos Missam celebraturus stans in infimo altaris gradu signat se signo crucis, tum Psalmo *Judica me Deus* cum antiphona alternatim recitato, dicit Versum, *Confitemini Domino quoniam bonus*, respondentq; Ministri, *Quoniam in sæculum misericordia ejus.* Et immediatè sequitur confessio more Romano. Ea peracta dicit Versus, *Adjutorium nostrum in nomine Domini, & Sit nomen Domini benedictum*; post quos secretò recitat hanc orationem: *Rogo te altissime Deus Sabaoth, Pater Sancte, ut pro peccatis meis possim intercedere & astantibus veniam peccatorum promereri, ac pacificas singulorum hostias immolare.* Mox accedens ad altare dicit aliam orationem, *Oramus te Domine*, ut in Romano. Deinde in cornu Epistolæ legit *Ingressum*, quæ est veluti Introitus Romanus, sed sine Psalmo, sine *Gloria*, & sine repetitione. Eâ finita dicit, *Dominus vobiscum*, non se vertens ad populum, statimque sequitur *Gloria in Excelsis*, si dici debeat, postea ter *Kyrie eleison*, & iterum *Dominus vobiscum.* Sequitur Oratio super populum una vel plures, ut ordo officii postulat, & rursus dicit, *Dominus vobiscum.* Legit deinde Epistolam, & post eam *Alleluja* & Versum, vel cantum sine *Alleluja* pro ratione temporis. Diebus verò Dominicis & aliis solemnioribus ante Epistolam legitur Lectio una ex veteri Testamento cum Psalmello, ut vocant, instar Gradualis Romani. Post Epistolam præmissa oratione, *Munda cor meum*, dicit *Dominus vobiscum*, seque signans in fronte, ore, & pectore ait, *Lectio S. Evangelii* &c. & dum respondetur *Gloria tibi Domine*, inclinans versùs Crucem petit benedictionem, quæ est similis Romanæ: tum legit Evangelium. Eo lecto in medio altaris dicit *Dominus vobiscum*, ter *Kyrie eleison*, atque iterum *Dominus vobiscum.* Legit deinde Antiphonam post Evangelium, & tertiò repetit *Dominus vobiscum*: tum ait *Pacem habete*, cui respondetur, *Ad te Domine.* Subjungit quartò *Dominus vobiscum*, & orationem sive Collectam unam vel plures, quas vocant super sindonem, clara voce. Mox accipit patenam cum hostia & eam offert, infusoque vino & aqua in calicem, ipsum quoque offert: & super oblata recitat aliquot orationes, post quas legit Offertorium, & post ipsum ait *Dominus vobiscum*, & si *Credo* dicendum sit, hoc loco dicitur. Postea præmisso *Dominus vobiscum*, dicit clara voce unam vel plures orationes nostris Secretis similes. Sequitur Præfatio singulis feriis & festis propria: tum Canon idem cum Romano, paucis quibusdam verbis exceptis, quæ infra suo loco notabuntur. Immediatè ante consecrationem priusquam dicat; *Qui pridiè*, accedit ad cornu Epistolæ, & summitates digitorum lavat & extergit nihil dicens. Canone autem persoluto usque ad orationem Dominicam, exclusivè frangit hostiam, & particulâ in calicem missa legit Confractorium, & est quædam Antiphona in singulis Missis diversa: statimque subdit, *Oremus. Præceptis salutaribus moniti*, cum oratione Dominica, & *Libera nos quæsumus Domine*, alta voce. His finitis ait, *Pax & communicatio Domini nostri Jesu Christi sit semper vobiscum*: cui respondetur, *Et cum spiritu tuo.* Dicit deindè, *Offerte vobis pacem*, & respondetur, *Deo gratias.* Tum recitat tres orationes ante communionem, dictoque *Domine non sum dignus*, communicat se corpore & sanguine Domini: & facta purificatione dicit in cornu Epistolæ Transitorium, quod idem est ac Romanis Communio, *Dominus vobiscum*, & unam vel plures oratio-

orationes post communionem. Subdit iterum, *Dominus vobiscum*, ter *Kyrie eleison*, & in medio altaris signat se dicens, *Benedicat & exaudiat nos Deus.* Respondetur, *Amen.* Sequitur *Procedamus in pace.* Respondetur, *In nomine Christi.* Mox ait, *Benedicamus Domino*, & responso *Deo gratias*, dicit orationem *Placeat tibi*, benedicitque populum, & legit initium Evangelii secundum Joannem. Denique recedit dicens Canticum *Benedicite* more Romano. In Missis solemnibus altare, & oblata incensant, sicut Romani solent.

III. Cæterum Ambrosiani nunquam dicunt *Agnus Dei* nisi in Missa pro Defunctis. Textus Scripturarum quas legunt in Missa non semper congruit cum editione vulgata: in his enim, & præsertim in Psalmis utuntur peculiari versione quæ antiqua & Italica nuncupatur, de qua agam Libro II. Cap. III. In Dominicis Quadragesimæ dicto *Dominus vobiscum* post Ingressam, preces recitant pro Ecclesia, pro Pontifice & omni Clero, pro Imperatore & Rege, pro omni statu hominum, & pro diversis necessitatibus, Choro vel Ministro ad singulas respondente *Domine miserere*, vel *Kyrie eleison*. In die sancto Resurrectionis & per octavam in ecclesiis Collegiatis duas Missas cantant, unam pro baptizatis, alteram de Festo. Per totam Quadragesimam nullam habent Missam pro feriâ sextâ, nec celebrant ea die: idque omnino prohibuit S. Carolus in tertia Synodo Diœcesana Decreto 20. etiam funeris, vel exequiarum, sive alterius cujusve rei occasione. Et in Synodo XI. hujus antiquæ consuetudinis hanc reddit rationem; quod illa dies plena mœroris sit ob acerbissimam Christi passionem; sacrificium verò spiritualem populi lætitiam præ se ferat. Tum statuit, ut illis diebus Crux in altari adoranda solemni ritu exponatur, & concio de passione Domini habeatur. In Ecclesia Metropolitana hoc inter cætera specialiter observatur, quod celebrans cantata oratione super sindonem medius inter Diaconum & Subdiaconum, præcedentibus duobus Acolythis cum duobus vasis argenteis, descendit ad ingressum Presbyterii, ubi recipit oblationes panis & vini more antiquo, quas duo senes de schola quam vocant S. Ambrosii, induti linteo albo, nigroque caputio cæteris senibus comitantibus offerunt, singuli videlicet tres hostias, & vasculum argenteum vino albo plenum. Post hæc descendens ad ingressum chori inferioris recipit mulierum oblationem: quas duæ item seniores iisdem ceremoniis offerunt. Sunt & alia multa, quæ ab illa insigni & celeberrima Ecclesia speciali ritu observantur, sed pro meo instituto hæc pauca sufficiunt.

## CAPUT XI.

*De Missa* Mozarabum. *Cur Hispani dicti Mozarabes. Hujus ritus institutio. Hæreticorum fraude depravatur. Desit tandem Romanis ritibus subrogatis. Quo tempore hæc mutatio contigerit, & de turbis ob eam exortis. A Francisco Ximenio restituitur. Describitur Missa* Mozarabica, *ejusque ritus.*

I. OFficium divinum, quo olim Hispania, & vicinæ gentes utebantur, Gothicum & Mozarabicum dictum est. Gothicum, quia originem habuit eo tempore, quo Reges Gothi ibidem dominabantur: Mozarabicum verò, quia cum Arabes Hispaniam penè omnem occupassent, Christiani *Mixtarabes*, & corrupto vocabulo Mozarabes, id est mixti cum Arabibus dicti sunt. Quidam à Muza Arabe, qui Toletum expugnavit, Christianos, qui in ea civitate remanserant, Muzarabes dictos autumant, sed prior etymologia præferenda, cui rerum Hispanicarum scriptores consentiunt. A quibus & quo tempore hoc officium institutum fuerit, incertum est. Baronius anno 633. ejus auctorem fuisse putat Isidorum Hispalensem. Cum enim Patres in Concilio quarto Toletano, cui præfuit Isidorus, congregati decrevissent Can. 2. per omnem Hispaniam & Galliciam unum & eumdem modum servari in Missarum solemnitatibus, & in matutinis, ac vespertinis officiis, ipsi Isidoro, qui cæteris doctrina & sanctitate antecellebat, hoc munus ex Baronii conjectura demandatum fuit, ut ecclesiastica officia componeret, quibus omnes Hispaniarum Ecclesiæ deinceps uterentur. Confirmat Baronii assertionem inscriptio librorum, quibus hæc officia continentur. Sic enim inscribi solent, *Officium Gothicum, sive mixtum, secundum regulam S. Isidori, dictum Mozarabes.* Mihi autem, ne huic sententiæ statim adhæream, quædam sunt, quæ gravem ingerunt difficultatem. Nam primò in Missa S. Martini in oratione *post nomina* hæc verba leguntur; *Hunc virum, quem ætatis nostræ*

*tempora protulerunt, jubeas auxilium noſtris ferre temporibus:* Martinus autem obiit anno Domini 402. & primus ex Confeſſoribus paulo poſt obitum publico cultu cœpit honorari; ergo multò ante Iſidorum hæc Miſſa ſcripta fuit. Deinde ſi Iſidorus hujus officii auctor fuit, cur nec Braulio Cæſarauguſtanus, nec Ildefonſus Toletanus viri ſancti & Iſidoro familiares, ille in elogio ipſius Iſidori, hic in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, nullam operis adeò excellentis mentionem faciunt? His accedit, quod Concilium quartum Toletanum aliquot hujus officii ritus *Can. 11. & ſequentibus* tanquam jam antea uſitatos commemorat: & tertium item Toletanum, annis 44. ante quartum, Can. 2. ſtatuit, in ſingulis eccleſiis Symbolum recitari priuſquam dicatur oratio Dominicalis, qui eſt mos peculiaris Miſſæ Mozarabicæ. Ipſe quoque Iſidorus *lib. de Script. Eccleſ.* Leandri fratris ſui & in ſede Hiſpalenſi anteceſſoris ſcripta recenſens, teſtatur ipſum in Eccleſiaſticis officiis non parvo ſtudio laboraſſe, & in ſacrificii Laudibus atque Pſalmis multa dulciſonè compoſuiſſe. Joannes Mariana *lib. 6. de rebus Hiſpaniæ cap. 5.* uſum inquit obtinuiſſe, ut Iſidoro ritus Mozarabicus tribuatur, nonnulla tamen Leandrum inveniſſe. Quod ſi Leander dumtaxat invenit, crediderim hoc officium Concilio tertio Toletano, cui Leander interfuit, antiquius eſſe, & ſæculo quinto jam in uſu fuiſſe, ut ex Miſſa Sancti Martini modò oſtendimus; ſed de primo ejus Auctore non conſtare, ab ipſo tamen Leandro illuſtratum, ab Iſidoro auctum, ab aliis progreſſu temporis amplificatum, nominatim ab Ildefonſo, cujus opera Julianus Toletanus *in Appendice ad librum ejus de Scriptoribus Eccleſiaſticis* in quatuor partes diviſit, & tertiam fuiſſe ait Miſſarum, Hymnorum, atque Sermonum. Ipſe item Julianus, qui diem clauſit extremum Æra Hiſpanica 728. anno ſcilicet Chriſti 690. ſcripſiſſe dicitur, ut in eadem Appendice Felix Epiſcopus refert, „Librum Miſ„ſarum de toto circulo anni in quatuor partes di„viſum, in quibus aliqua vetuſtatis incuria vi„tiatas ac ſemiplenas emendavit, atque comple„vit, aliquas verò ex toto compoſuit. Item li„brum orationum de feſtivitatibus, quas Tole„tana Eccleſia per totum circulum anni eſt ſolita „celebrare, partim ſtylo ſui ingenii deprom„ptum, partim etiam inolita antiquitate vitia„tum, ſtudioſè correctum in unum congeſſit, „atque Eccleſiæ Dei uſibus ob amorem reli„quit ſanctæ Religionis. Petrus quoque Ilerdenſis Epiſcopus orationes & Miſſas edidit eleganti ſermone, diverſis ſolemnitatibus congruentes. Et Salvus Abbas Albaildenſis Monaſterii, Miſſas etiam & orationes atque hymnos compoſuiſſe dicitur, plurimam cordis compunctionem legentibus & audientibus tribuentes.

II. Quamvis autem hoc officium à viris ſanctis, & Orthodoxis compoſitum fuerit, Hiſpania tamen ab Infidelibus devaſtata, ita erroribus refertum eſt, ut Elipandus Toletanus Epiſcopus ex ipſis officiis depravatis plura acceperit teſtimonia ad ſuam hæreſim aſtruendam, ut conſtat ex Albino Flacco libro adverſus eumdem Elipandum. Diu viguit hic ritus in Hiſpania, in Gallia item Narbonenſi, & in aliis regionibus Gothorum regno ſubjectis, donec Gregorii VII. auctoritate in Romanum mutatus eſt. Extat de hac re ipſius Gregorii Epiſtola exhortatoria ad Alfonſum Caſtellæ & Sancium Aragoniæ Reges, & ad Epiſcopos in eorum ditione conſtitutos, in qua primò aſſerit Hiſpaniam in ordine divini officii cum Romana Urbe initio ſuſceptæ fidei habuiſſe concordiam; *Sed poſtquam*, inquit, *veſania Priſcillianiſtarum diu pollutum, & perfidia Arianorum depravatum, & à Romano ritu ſeparatum, irruentibus prius Gothis, ac demum invadentibus Saracenis, regnum Hiſpaniæ fuit; non ſolum religio eſt diminuta, verum etiam mundanæ ſunt opes labefactatæ.* Tum illos hortatur, ut Romanæ Eccleſiæ ordinem & officium recipiant: *quod etiam*, ait, *Epiſcopi veſtri ad nos nuper venientes juxta conſtitutionem Concilii per ſcripta ſua facere promiſerunt, & in manu noſtra firmaverunt.* Hæc Gregorius epiſt. 64. lib. 1. qui etiam per legatum ſuum in Hiſpaniam miſſum ad hoc negotium perficiendum ipſos Reges ſollicitabat. Narrat Petrus de Marca in hiſtoria Bearnii lib. 2. cap. 9. Romanum officium Gothico exploſo receptum primò fuiſſe in Regno Aragoniæ anno milleſimo ſexageſimo octavo, tempore Alexandri II. qui hac de cauſa Hugonem Candidum Cardinalem legatum ſuum miſit in Hiſpaniam. Idem ait in Catalonia obſervari curaſſe Comitem Raimundum Berengarium. Exploſum item à Regno Navarræ curante Sancio Rege Aragonum, poſtquam operâ & ope Gregorii VII. Navarræ Rex electus fuit. Et Sancium quidem primum omnium Pontifici obtemperaſſe teſtantur hiſtorici, quem propterea idem Greg. lib. 1. ep. 63. valde commendat. Alfonſus verò adhuc nutabat & obnitebatur ſuaſu cujuſdam

jusdam Roberti Cluniacensis, qui nefandissimus seductor & ab introitu ecclesiæ separatus dicitur à Greg. lib. 8. ep. 3. Rem denique promovente Constantiâ Alfonsi uxore, quæ in Galliâ nata Romano officio à tempore Caroli Magni illic recepto, utpote illi assueta, favebat; consensit Rex ut Gothico officio abrogato Romanum reciperetur. Hac de causa sic ipsum Regem laudat Greg. lib. 6. epist. 2. „ Noverit Excellentia tua, Dilectissime, illud unum admodum nobis, imò clementiæ divinæ placere, quod in ecclesiis regni „ tui, matris omnium S. Romanæ Ecclesiæ ordinem recipi, & ex antiquo more celebrari fe„ ceris. Denique in illo quem hactenus tenuisse „ videmini, sicut suggerentibus Religiosis viris „ didicimus, quædam contra Catholicam fidem „ inserta esse patulò convincuntur. Quæ cum re„ linquere, & ad priscam consuetudinem, scilicet „ hujus Ecclesiæ, reverti déliberasti, non dubiè „ te B. Petrum patronum optare, & subditorum „ tuorum salutem cœlesti gratia inspirante, sicut „ Regem decet, curare monstrasti.

III. Acta sunt ista circa annum millesimum octuagesimum, subditis pervicaciter contradicentibus, qui à veteri precandi ordine, & ab avitis ceremoniis ægerrimè discedebant. Placuit autem primoribus populi rem non ratione sed ferro decerni, ac si omne jus in armis foret. Duo viri electi sunt, quorum unus pro Romano, alter pro Gothico officio singulari certamine pugnarent. Ajunt vicisse illum qui pro Gothico præliabatur. Sed urgente Regis præcepto, & adhuc populo tumultuante, litem igni dirimendam tradiderunt. Uterque Codex officiorum Romani & Gothici succenso rogo injectus est. Gothicus illæsus in igne permansit, Romanus flammis consumptus est. Utrumque eventum pugnæ & ignis Rodericus Archiepiscopus Toletanus refert *lib. 6. de rebus Hispaniæ cap.* 26. testis unicus & singularis, qui illis non interfuit, nec potuit interesse. Nam Gregorius VII. quo præcipiente officium mutatum est, obiit anno 1085. Rodericus autem 1245. Alii recentiores ipsum Rodericum sequuti sunt, penes quem hujus fabulæ vel historiæ fides sit. Tunc igitur in Hispania Romanus ritus Mozarabico abrogato receptus fuit; qui tamen in aliquibus Monasteriis aliquanto tempore custoditus est, ut asserit Rodericus, qui etiam testatur, translationem Psalterii ritus Gothici propriam, adhuc ipso vivente in plurimis Ecclesiis Cathedralibus, & in Monasteriis recitatam fuisse. Adeò verum est, ægrè divelli homines à consuetudinibus, quas à majoribus receperunt. Ne autem tantæ antiquitatis ritus omnino interiret, viri celeberrimi Franciſci Ximenii Archiepiscopi Toletani cura providit. E Gothicis enim tumulis suscitatum novis characteribus recudi jussit, instituto Sacerdotum collegio, à quibus quotidie divina officia & Missarum solemnia usque in hodiernum diem hoc ritu celebrantur in sacello, quod in majori Ecclesia Toletana ædificavit. Sunt etiam Toleti aliquot Parœciæ, in quibus Ordo iste Mozarabicus adhuc servatur, idemque fit Salmanticæ in sacello Doctoris Talabricensis. De illius origine, duratione & instauratione diffusè & eleganter tractat Alvarus Gometius *lib. 2. de rebus gestis Cardinalis Ximenii.*

IV. Porrò Missa Mozarabica hæc est. Postquam Sacerdos vestes sacras induit, dicit Responsorium: *Pater peccavi in cœlum & coram te. Kyrie eleison. Pater noster. Ab occultis meis*, cum oratione, *Deus qui de indignis dignos facis.* Deinde procedit ad altare, & præmissa Angelica salutatione ait: *In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Spiritus Sancti adsit nobis gratia. Introibo ad altare Dei. Judica me Deus.* Finito Psalmo & repetita Antiphona dicit hos versus: *Dignare Domine die isto. Confitemini Domino quoniam bonus. Ora pro nobis sancta Dei genitrix*, sequiturque Confessio cum versibus, & oratione, *Aufer à nobis.* Et statim accedit ad altare, facitque crucem super aram dicens: *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Et osculato altari recitat Antiphonam de cruce: *Salve Crux pretiosa*, cum quatuor Collectis. Tum demisso capite dicit. *Per gloriam nominis tui Christe Fili Dei vivi, & per intercessionem S. Mariæ Virginis, & B. Jacobi, & omnium Sanctorum tuorum auxiliare, & miserere indignis servis tuis, & esto in medio nostri Deus noster, qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum.* Mox in dextro cornu altaris legit Introitum cum versiculo Psalmi, & glorificatione Sanctissimæ Trinitatis his verbis concepta: *Gloria & honor Patri & Filio & Spiritui sancto in sæcula sæculorum. Amen.* Ultima pars Introitus repetitur post Psalmum, & iterum post *Gloria.* Qua repetitione peracta dicit: *Per omnia sæcula sæculorum.* Respondetur, *Amen.* Sequitur immediatè *Gloria in excelsis*: & iterum, *Per omnia sæcula sæculorum*, & oratio, antequam non dicitur *Oremus*, nec in fine, *Per Dominum nostrum*: sed tantùm respondetur, *Amen.* Recitata oratione progreditur ad medium altaris dicens: *Per misericordiam tuam*

*Deus noster, qui es benedictus & vivus & omnia regis in sæcula sæculorum.* Respondetur *Amen.* Postea stans in medio ait, *Dominus sit semper vobiscum.* Respondetur, *Et cum spiritu tuo.* Legitque Prophetiam: *Lectio Isaiæ Prophetæ.* Respondetur *Deogratias*, & in fine lectionis, *Amen.* Iterum Sacerdos dicit, *Dominus sit semper vobiscum.* Tum canitur Responsorium non dissimile Graduali Romano. Quo decantato Sacerdos dicit, *Silentium facite:* & legit Epistolam, *Sequentia Epistolæ Pauli Apostoli ad Romanos.* Respondetur *Deogratias*, & in fine *Amen.* Eâ lecta petit benedictionem, & præmissa salutatione *Dominus sit semper vobiscum*, legit Evangelium, *Lectio sancti Evangelii secundùm Joannem.* Respondetur *Gloria tibi Domine*, & in fine *Amen.* Tum iterum dicit, *Dominus sit semper vobiscum*, & cantatur laus, id est, versus cum *Alleluja* in principio & in fine. Offert deinde hostiam & calicem cum orationibus propriis, & thus adolet, si Missa solemnis sit. Sequitur oratio, *In spiritu humilitatis*, ut in officio Romano. Tum ait: *Adjuvate me fratres in orationibus vestris, & orate pro me ad Deum.* Respondetur. *Adjuvet te Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* Cantatur deinde *Sacrificium*, & est Antiphona cum quibusdam versiculis correspondens Offertorio Romano: & lavat manus dicens: *Lavabo inter innocentes manus meas.* Et post lotionem benedicit oblata. Mox inclinatus ante altare dicit sub silentio hanc orationem. „ Accedam ad te in humilitate spi„ ritus mei, loquar ad te, quia multam spem in „ fortitudine dedisti mihi. Tu ergo Fili Da„ vid, qui revelato mysterio ad nos in carnem ve„ nisti, clavo crucis tuæ secreta cordis mei ada„ peri, mittens unum de Seraphim, qui candenti „ carbone illo, qui de altari tuo sublatus est, for„ dentia labia mea emundet, mentem enubilet, „ docendique materiam subministret, ut lingua „ quæ proximorum utilitati per charitatem ser„ vit, nec erroris infonet casum, sed veritatis „ resultet sine fine præconium, per te Deus meus, „ qui vivis & regnas in sæcula sæculorum Amen.

V. Post hanc orationem sic in Missali scriptum est: *Incipit Missa.* Fortè quia huc usque adesse poterant Catechumeni. Dicit Sacerdos, *Dominus sit semper vobiscum*, & orationem diei convenientem, cui respondetur, *Amen.* Subdit, *Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus & vivis & omnia regis in sæcula sæculorum.* Et responso *Amen*, elevat manus dicens, *Agios, Agios, Agios, Domine Deus æterne, tibi laudes & gratias. Ecclesiam sanctam Catholicam in orationibus in mente habeamus, ut eam Dominus fide & spe, & charitate propitius ampliare dignetur. Omnes lapsos, captivos, infirmos, atque peregrinos in mente habeamus, ut eos Dominus propitius respicere, redimere, sanare, & confortare dignetur.* Respondet chorus vel Minister, *Præsta æterne Omnipotens Deus.* Sequitur brevis sermo ad Populum, qui inscribitur *Missa*, in qua Sacerdos astantes hortatur, ut diei sive festivitatis mysteria contemplentur. Formula hæc est ex die Ascensionis Domini.

„ Placeat, dilectissimi fratres, sæcularium „ cogitationum fasce deposito in sublime menti„ bus subvolare, & impositam ætheris fastigio „ assumpti hominis communionem sequacibus „ cordis oculis contueri. Ad incomparabilem „ nobis claritatem attonitus vocandus aspectus „ est. Jesus Dominus noster humilitatem nobis „ terrarum, cœlorum dignitate commutat. A„ cutus necesse est visus esse, respicere quo se„ quamur. Hodie Salvator noster post assum„ ptionem carnis sedem repetit Deitatis. Hodie „ hominem suum intulit Patri, quem obtulit „ passioni. Hunc exaltans in cœlis, quem hu„ miliaverat in infernis. Hic visurus gloriam, qui „ viderat sepulturam. Et qui adversùs mortem „ mortis suæ dedit beneficium, ad spem vitæ „ donavit resurrectionis exemplum. Hodie re„ diit ad Patrem; cum tamen sine Patris, qui „ sibi æqualis est, potestate non venerit. Hodie „ ascendit in cœlum, qui obsequia cœlestium, „ cum descenderet, non amisit. Ita in Patris na„ turæ unitate consistens, ut cum homo cœlum „ novus intraret, novum tamen Deus hominem „ non haberet. Petamus igitur ab omnipotentia „ Patris per nomen Filii Salvatoris gratiæ spiri„ tualis ingressum, æternæ beatitudinis donum, „ beatæ mansionis ascensum, catholicæ credu„ litatis augmentum, hæreticæ infidelitatis ex„ cidium. Audiet præfectò in confessione, quos „ in perditione quæsivit. Adsistet suis, qui non „ destitit alienis. Aderit agnitus, qui non de„ fuit agnoscendus. Non patietur orphanos esse „ devotos, qui filios facere dignatus est inimi„ cos. Dabit effectum supplicationis, qui pro„ misit spiritum sanctitatis. Amen.

Hac lecta concione, quæ in singulis Missis diversa & propria est, subsequitur oratio desinens in hæc verba, „ Per misericordiam tuam „ Deus noster, in cujus conspectu sanctorum „ Apostolorum, & Martyrum, Confessorum

„ atque

„ atque Virginum nomina recitantur. Amen. „ Offerunt Deo Domino oblationem Sacerdo„ tes noſtri, Papa Romenſis & reliqui pro ſe, „ & pro omni Clero, & plebibus Eccleſiæ ſibi„ met conſignatis, vel pro univerſa fraternita„ te. Item offerunt univerſi Presbyteri, Dia„ coni, Clerici, ac Populi circumadſtantes in „ honorem Sanctorum pro ſe & ſuis. *Reſponde„ tur*, Offerunt pro ſe, & pro univerſa frater„ nitate. *Subdit Sacerdos:* Facientes comme„ morationem beatiſſimorum Apoſtolorum & „ Martyrum, gloriosæ ſanctæ Mariæ Virginis, „ Zachariæ, Joannis, Infantium: Petri, Pau„ li, Joannis, Jacobi, Andreæ, Philippi, „ Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Jacobi, „ Simonis, & Judæ, Matthiæ, Marci, & „ Lucæ. *Reſpondet Chorus*, & omnium Marty„ rum. *Ait Sacerdos*, Item pro ſpiritibus pau„ ſantium Hilarii, Athanaſii, Martini, Am„ broſii, Auguſtini, & recenſet quadraginta ſex nomina, quorum pleraque ſunt Epiſcoporum Toletanorum. Reſpondetur, *& omnium pauſantium.* Quomodo autem cum cæteris defunctis quorumdam quoque Sanctorum commemoratio hîc fiat, Lib. II. Cap. XIV. explicabo. Sequitur oratio quæ dicitur *Poſt nomina*, cui reſpondetur *Amen*, ſtatimque dicit Sacerdos: *Quia tu es vita vivorum, ſanitas infirmorum, ac requies omnium fidelium defunctorum in æterna ſæcula ſæculorum.* Tum legit aliam orationem, quæ vocatur *Ad pacem*, & ſic concluditur, *Quia tu es vera pax noſtra, & charitas indiſrupta, vivis tecum, & regnas cum Spiritu Sancto unus Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.* Subjungit Sacerdos elevans manus, *Gratia Dei Patris Omnipotentis, pax ac dilectio Domini noſtri Jeſu Chriſti, & communicatio Spiritus Sancti ſit ſemper cum omnibus vobis.* Reſpondetur, *& cum hominibus bonæ voluntatis.* Deinde dicit, *Quomodo aſtatis pacem facite.* Reſpondet Chorus, *Pacem meam do vobis, pacem meam commendo vobis, non ſicut mundus dat, pacem do vobis.* Quibus cum verſiculo *Gloria & honor Patri* repetitis, ait Sacerdos, *Habete oſculum dilectionis & pacis, ut apti ſitis ſacroſanctis myſteriis Dei.* Et ſtatim dat pacem Diacono vel miniſtro, & ille populo. Poſt hæc junctis manibus inclinat ſe dicens: *Introibo ad altare Dei mei.* Reſpondetur, *Ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Mox ait Sacerdos, *Aures ad Dominum.* Reſpondet Miniſter, *Habemus ad Dominum.* Sacerdos, *Surſum corda.* Miniſter; *Levemus ad Dominum.* Sacerdos, *Deo ac Domino noſtro Jeſu Chriſto Filio Dei, qui eſt in cœlis, dignas laudes, dignaſque gratias referamus.* Miniſter, *Dignum & juſtum eſt.* Tum dicit Sacerdos quam vocant *Illationem* propriam in ſingulis Miſſis, & ut plurimum valde prolixam ad inſtar Præfationis Romanæ: & poſt eam cantatur *Sanctus* more Romano, niſi quod in fine addunt græcè; *Agios, Agios, Agios, Kyrie Otheos.* Et protinus ſubjungit Sacerdos orationem, quæ dicitur *Poſt ſanctus*, & eſt veluti appendix Præfationis, *Verè Sanctus, verè benedictus Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius tuus, &c.* Quâ finita illico ſubmiſſa voce incipit Canonem his verbis.

*Adeſto, adeſto, Jeſu bone Pontifex in medio noſtri, ſicut fuiſti in medio diſcipulorum tuorum & ſanctifica hanc oblationem, ut ſanctificata ſumamus per manus ſancti Angeli tui, ſancte Domine, & Redemptor æterne.* Quibus dictis ait, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus in qua nocte tradebatur, &c.* Fitque conſecratio, & elevatio. Sequitur deinde oratio, quæ dicitur *Poſt pridie*, diverſa pro diverſitate Miſſarum, dum ait, *Te præſtante ſancte Domine, quia tu hæc omnia nobis indignis ſervis tuis valde bona creas, ſanctificas, viviſicas, benedicis & præſtas nobis, ut ſint benedicta à te Deo noſtro in ſæcula ſæculorum. Amen.* Accipit deinde Corpus Domini de patena, & ponit ſuper calicem diſcoopertum, & ait; *Dominus ſit ſemper vobiſcum.* Reſpondet Chorus, *Et cum ſpiritu tuo.* Ait Sacerdos, *Fidem quam corde credimus, ore autem dicamus:* ſtatimque elevat corpus Domini, ut videatur à populo, & dicunt omnes Symbolum, *Credimus in unum Deum Patrem Omnipotentem.* Interim Sacerdos frangit hoſtiam per medium in duas partes: & accepta una parte facit ex ea quinque particulas & ponit in patena in linea recta, habentque ſingulæ proprium nomen: nam prima vocatur *Corporatio*, hoc eſt incarnatio, 2. *Nativitas*, 3. *Circumciſio*, 4. *Apparitio*, 5. *Paſſio.* Accepta ſimiliter altera parte, facit ex ea quatuor particulas, quarum hæc ſunt nomina, 6. *Mors*, 7. *Reſurrectio*, 8. *Gloria*, 9. *Regnum*, & eas collocat in patena ordine hîc expreſſo.




Statimque digitos benè purgat, & cooperto calice orat secretò pro Fidelibus viventibus, sive ut verbis Missalis utar, facit *Memento pro vivis*. Hæc autem omnia ferè complentur, dum Chorus cantat Symbolum. Tum recitat orationem Dominicam præmissâ brevi præfatione, quæ in singulis Missis variatur. Ad singulas petitiones respondetur, *Amen*; hac excepta, *Panem nostrum quotidianum*, cui respondetur, *Quia Deus es*. Sequitur immediatè oratio semper eadem, „ Liberati à malo, confirmati semper in „ bono tibi servire mereamur Deo ac Domino „ nostro. Pone Domine finem peccatis nostris, „ da gaudium tribulatis, præbe redemptionem „ captivis, sanitatem infirmis, requiemque de- „ functis. Concede pacem & securitatem in „ omnibus diebus nostris, frange audaciam ini- „ micorum nostrorum, & exaudi Deus oratio- „ nes servorum tuorum omnium fidelium Chri- „ stianorum in hac die & in omni tempore. „ Per Dominum nostrum. Post hanc orationem accipit particulam, cui nomen *Regnum*, & mittit in calicem dicens submissa voce, *Sancta Sanctis, & conjunctio corporis Domini nostri Jesu Christi sit sumentibus & potantibus nobis ad veniam, & defunctis præstetur ad requiem.* Tum dicit alta voce, *Humiliate vos ad benedictionem. Dominus sit semper vobiscum.* Et benedictionem tribus distinctis petitionibus largitur, quibus singulis respondetur *Amen.* Qua impertita iterum ait, *Dominus sit semper vobiscum.* Et cantatur Responsorium, quod vocatur *Ad accedentes*, quo monentur fideles accedentes ad communionem, ut diligenter perpendant quem cibum sint susceperturi. Postea accipiens aliam particulam, cui nomen *Gloria*, tenet illam super calicem, & facit *Memento pro defunctis*, eorumque commemoratione peracta, ac brevi præmissa oratione sumit illam particulam, quam habet in manu, cæteraque per ordinem. Tum sumit calicem, factaque ablutione legit hanc Antiphonam, *Refecti Christi corpore & sanguine, te laudamus Domine. Alleluja, Alleluja, Alleluja.* Sequitur oratio Romanæ *Postcommunioni* similis, & post eam *Dominus sit semper vobiscum*, finemque annuntiat dicens, *Solemnia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi, votum nostrum sit acceptum cum pace.* Respondetur *Deo gratias.* Recitat denique flexis genibus ante altare *Salve Regina* cum oratione, *Concede nos famulos tuos.* Et conversus ad populum dat ei benedictionem dicens, *In unitate Sancti Spiritus benedicat vos Pater & Filius, Amen.* Statimque discedit ab altari. Et notandum, quod Sacerdos nunquam se vertit ad populum, nisi cum hanc postremam benedictionem largitur; & cum dicit, *Adjuvate me fratres in orationibus vestris.* Confessionem more Romano, & alias orationes ante Introitum, sicut & Antiphonam *Salve regina* in fine addidit officio Gothico Franciscus Ximenius. Addidit etiam officia quædam Sanctorum & alia festa recentioris ævi, atque ideò propter hæc quæ adjecit, Missale mixtum nuncupavit.

CA-

## CAPUT XII.

*De Missa Gallicana ante tempora Pipini & Caroli Magni. Eorum cura Ritus Romanos in Galliam introductos. Quæ sit Missa ante annos centum edita ab Illyrico. Eam veterem Gallicanam non esse. Ritus Gallicani vestigia ex antiquis Scriptoribus. An idem fuerit Galliæ & Hispaniæ mos in Divinis officiis. Conjecturæ & exempla veteris Missæ Gallicanæ.*

I. IMplicatum hærere me fateor in hac disquisitione, in qua suscepti operis ratio exigit, ut de Missa ante Pipinum, & Carolum Magnum in Galliis usitata, ejusque ritibus agam: cum enim tot sæculorum decursu eorum memoria interierit, nemo non videt, quam difficile futurum sit, è ruderibus antiquitatis veluti è tumulis sepultos eruere, & ad lucem revocare. Conabor tamen, Dei gratia aspirante, quæ & qualis ea Missa fuerit, ex quibusdam vestigiis, quæ in veterum scriptorum monumentis supersunt, indagare; & cum quorumdam hac de re conjecturas examinavero, meas proponam, liberumque judicium de utriusque lectori relinquam. Ut autem certa ab incertis ante omnia secernam, hoc tanquam exploratissimum suppono, veteres ritus in Gallicanis ecclesiis abrogatos, & Romanos introductos fuisse jussu piissimorum Regum Pipini & Caroli Magni ante annos ferè nongentos. Cujus rei luculentum testimonium præbet idem Carolus in Tractatu de sacris Imaginibus contra synodum Græcorum, quem à diversis auctoribus compositum, ut docet Baronius anno 794. Religiosissimus Princeps Adriano Papæ examinandum misit. Nam lib. 1. cap. 6. postquam dixit, Ecclesiam Gallicanam nunquam à Romana recessisse, ait: „ Quæ dum à primis fi„ dei temporibus, cum ea perstaret in religionis „ sacræ unione, & ab ea paulò distaret, quod ta„ men contra fidem non est, in officiorum cele„ bratione, venerandæ memoriæ genitoris nostri „ Illustrissimi atque Excellentissimi viri Pipini „ Regis curâ & industriâ, sive adventu in Gal„ lias Reverendissimi & Sanctissimi viri Stepha„ ni Romanæ Urbis Antistitis, est ei etiam in „ psallendi ordine copulata, ut non esset dispar „ ordo psallendi, quibus erat compar ardor cre„ dendi, & quæ unitæ erant unius sanctæ legis „ sacra lectione, essent etiam unitæ unius modu„ lationis veneranda traditione, nec sejungeret „ officiorum varia celebratio, quas conjunxe„ rat unicæ fidei pia devotio. Quod quidem & „ Nos collato nobis à Deo Italiæ regno feci„ mus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ fastigium „ sublimare cupientes, & Reverendissimi Papæ „ Adriani salutaribus exhortationibus parere „ nitentes, scilicet ut plures illius partes Eccle„ siæ, quæ quondam Apostolicæ Sedis tradi„ tionem in psallendo suscipere recusabant, nunc „ eâm cum omni diligentia amplectantur; & „ cui adhæserant fidei munere, adhæreant quo„ que psallendi ordine. Quod non solùm om„ nium Galliarum Provinciæ, & Germania, „ sive Italia, sed etiam Saxones & quædam A„ quilonaris plagæ gentes per Nos, Deo an„ nuente, ad veræ fidei rudimenta conversæ, „ facere noscuntur. Idem Carolus in præfatione Homiliarum totius anni, quas ejus jussu Alcuinus collegit, Pipinum ait genitorem suum totas Galliarum Ecclesias Romanæ traditionis cantibus decorasse. Extant de hac cura Pipini & Caroli in propagandis Romanis ritibus aliquot epistolæ Summorum Pontificum inter eas, quas ipse Carolus collegisse dicitur, ediditque Gretzerus, nempe 25. Pauli Papæ ad Pipinum, in qua scribit, se ei misisse Antiphonale & Responsale: & ex 43. ejusdem Pauli constat, quanta sollicitudine optimus Rex satageret, ut Religiosi sui regni bene instructi essent in cantu Romano. Ibidem Epist. 82. Adrianus Papa Carolo scribit, se illi misisse Sacramentarium S. Gregorii, quod petierat. Et *lib. 5. Capitularium cap. 219.* sancitum est, ut unusquisque Presbyter Missam celebret ordine Romano. Possem & alia ex Historicis illorum temporum testimonia afferre, sed illis in re aperta opus non est. His igitur prætermissis ad rem propositam accedendum est.

II. Matthias Flaccus Illyricus, Centuriatorum Magdeburgensium ac rigidorum Lutheranorum Princeps, Missam Latinam in antiquo codice M. S. repertam typis mandavit Argentinæ anno 1557. eique hunc titulum præfixit, *Missa Latina, quæ olim ante Romanam circa septingentesimum Domini annum in usu fuit, bona fide ex vetusto authenticoque Codice descripta.* Et in Epistola præliminari ad Principem Palatinum Rheni opinari se ait, eam in usu fuisse in Occidente

præsertim in Gallia, & in Germania, *antequam Romana* Missandi *ratio ubique recepta est.* Desunt in ea Introitus, Collectæ, Epistola, Graduale, Evangelium, Offertorium, Præfatio, Postcommunio, & quædam alia, quæ generaliter tantùm sine ulla speciali assignatione nominantur; quia dierum festorumque varietas diversos exigit Introitus, diversas Orationes, Epistolas, & reliqua, quæ singulis Missis peculiaria sunt. Ex quo destruitur falsa Illyrici opinatio, existimantis unicam olim fuisse Missæ celebrandæ rationem absque ullo discrimine temporum & festivitatum. Hujus autem Missæ evulgatione credidit vir improbus, se plurimum detrimenti Catholicæ Ecclesiæ allaturum, ac si illa antiquos sacrificii ritus perperam innovasset; sed excœcavit illum malitia sua, nam è contrario Orthodoxæ fidei dogmata, receptique Ecclesiæ ritus ex ea passim confirmantur, Sanctorum scilicet, & B. Virginis invocatio, realis præsentia Christi in Eucharistia, confessio auricularis, oratio pro vivis & defunctis, & alia ejusdem generis multa. Quod cum Lutheri asseclæ statim animadvertissent, omnia edita exemplaria, quotquot reperire potuerunt, in unum congesta igne protinus concremarunt: & hinc factum est, ut codex ille rarissimus sit, quem nec Cassander, nec Pamelius viderunt, licèt eo tempore vixerint, & in perquirendis libris ad sacros ritus pertinentibus diligentissimi fuerint. Vidit tamen Menardus, qui eam Missam examinat, & cum altera simili à se edita confert in notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii *pag.* 380. *& sequentibus.* Vidit Guillelmus Duperatius, qui ejus synopsim refert in Tractatu de juribus & antiquitatibus capellæ Regis Galliarum *lib.* 2. *cap.* 13. *à pag.* 561. *& deinceps.* Hanc ego Romæ & alibi diu, sed frustra, quæsitam reperi tandem Viennæ in instructissima Imperatoris Bibliotheca studio ac diligentia Cantoris celeberrimi Caroli Veterani, qui eam transcripsit ex edito Codice, quem ipsi libentissimè communicavit V. Cl. ejusdem Bibliothecæ præfectus Petrus Lambecius. Incidit postea in manus meas eruditum opus Annalium Ecclesiasticorum Francorum auctore Carolo le Cointe, quibus inserta est *Tomo* 2. *anno* 601. *num.* 20. cum variis notis & observationibus. Ne quid autem hîc desit, quod ad Missæ Latinæ illustrationem pertineat, eam in calce hujus operis veluti appendicem recudi faciam, simul cum alterius similis Missæ fragmento nondum edito.

III. Porrò Guillelmus præcitatus, & eum sequutus Carolus, quamvis non ignorarent, quæ fides præstari posset hæretico pervicacissimo; aliis tamen studiis impediti ne rem accuratius perpenderent, ipsi asserenti sine teste, & ex mera suspicione omni fundamento destituta, illam esse Missam in Gallicanis Ecclesiis usitatam, antequam Romanam recepissent, facilè crediderunt, idque nonnullis conjecturis stabilire conati sunt. Sed quam longè abfit hæc Missa à veteri Gallicana, & quam falsum de ipsa ac præposterum judicium tulerit Illyricus, hîc primitus ostendam; mox meas de vera Gallicana Missa conjecturas proponam, peritorumque ac eruditorum hominum, quibus Gallia abundat, censuræ subjiciam. Quæro autem primo loco, unde sciat Illyricus, Missam, quam edidit, regnum Pipini antecessisse, aut quo teste, quove argumento id probet. An Pythagoricum illud obtrudet, *Ipse dixit?* At ego didici nulli mortalium credere, nisi dicti sui rationem reddat. Credo potiùs viro sapientissimo Hugoni Menardo, qui loco citato haud contemnendis rationibus demonstrat non tantæ esse antiquitatis, quantam illi sectarius affinxit, sed duobus aut tribus sæculis posteriorem. Quis etiam illum docuit, Romanâ antiquiorem & ab ea diversam esse? Clausis enim vel in totum Homericis oculis liquet, ut phrasim Tertulliani usurpem, eam meram ac puram Missam Romanam esse diversis orationibus interpolatam. Notavit hoc Georgius Wicellius Lutheri primùm discipulus, postea Catholicus in defensione Liturgiæ Ecclesiasticæ, statim ac in eam oculos fixit. „Edidit, *inquit*, „Illyricus repertam Missam Latinam, non „triumphans tamen de thesauro tanto adversus „Catholicos, cum vel cœcutienti homini appareat, totum illud quod edidit, contra Lutheri, „Calvinique sectas edidisse, sed & nobis Catholicis rem longè gratissimam fecisse. Quid enim „nisi Missam Latinam, quæ hodiè in usu generali est, insciens imprudensque defendit? Tantum abest, ut suo sectæque more oppugnet. „Locupletior est illa quidem, plusque precum „continet, sed omnino tamen eadem est cum „usitata; cujus etiam dicta factaque omnia passim sequitur, ut diversam esse confirmare nemo audeat. Hæc Wicellii verba refert & laudat Carolus le Cointe anno supra notato num. 21. Eidemque consentit, agnoscens hanc esse puram putam Missam Romanam, quæ hodie in usu est, licet plures insertæ sint ei orationes.

Ait

Ait nihilominus, hanc Missam his precationibus auctam Gallicanam fuisse: ac si Gallicanæ Ecclesiæ tunc relictis propriis ritibus ordinem Romanum jussu Pipini suscepisse censeantur, cum rejectis precationibus Missæ Illyrici adjunctis puram Missam Romanam frequentare cœperunt, quod sanè absurdum foret. Sicut enim homo nudus, & idem diversis indutus vestibus, unus & idem homo est: ita Missa Romana semper Romana est, etiamsi plures eidem orationes immisceantur. Deinde Illyrici Missa nullam habet similitudinem aut convenientiam cum his, quæ de Missa veteri Gallicana mox citandi auctores tradiderunt. Ajunt enim in Gallicanis Missis Martyrum passiones descriptas fuisse, cujus rei in Missa Illyrici ne minimum quidem vestigium extat. Ajunt antiquum ordinem Missarum diversum prorsus fuisse ab usu Romanæ Ecclesiæ, at Missa Illyrici à Romana non differt, imò eadem est, sed interpolata. Denique obsecro nullam hujus Missæ Illyricianæ apud antiquos Patres & ecclesiasticos scriptores mentionem reperiri; nullam ejus in Conciliis sive in Decretis summorum Pontificum approbationem extare: ex quo conficitur, privatâ alicujus Episcopi institutione Missæ communi & Romanæ tot orationes superadditas, ut iis recitandis Sacerdos occuparetur, cum Missam solemniter decantabat, eo præsertim tempore, quo Introitum, Graduale, Symbolum & cætera hujusmodi Chorus modulatur. Idem prorsus dicendum de duabus similibus Missis, quas ex antiquis codicibus Hugo Menardus edidit in Appendice ad librum Sacramentorum S. Gregorii, eas nimirum peculiari devotione ab aliquo Episcopo institutas: Tantum abest ut olim toti Galliæ communes fuerint. Cumque in illis regionibus tot Concilia habita sint, tot viri doctrina & ecclesiastica eruditione præstantissimi floruerint, quorum etiam nunc scripta leguntur, nulla tamen harum Liturgicarum precationum vel tenuis umbra in illis appareat, quod certè magni momenti est ad Illyrici commentum explodendum de ipsius Missa communiter in Galliis usurpata.

Accedit aliud argumentum ad falsam Illyrici persuasionem evertendam, quod alia quædam Missa eodem modo interpolata reperitur ad usum alicujus Ecclesiæ Romanæ Diœceseos, quam opportunè mihi videre contigit, dum Illyricianam evolverem. Ea extat in Codice M. S. Bibliothecæ Eminentissimi Cardinalis Chisii num. 1521. charactere Longobardico, cui desunt quædam folia in principio, & multò plura in fine. Continet primò aspirationes ad Deum ex psalmis artificiosè contextas, & alias orationes ac Litanias: secundò ordinem Missæ usque ad Evangelium dumtaxat, nam reliqua vel ab iniqua manu avulsa, vel hominum incuria desunt, magno ecclesiasticæ eruditionis detrimento. Hoc fragmentum hactenus ineditum, ne prorsus intereat, publici juris faciam in fine hujus Tractatus post Missam Illyrici, cui ferè in omnibus consonat, quamvis orationes superadditæ sæpe dissimiles sint. Hæc autem nullo modo spectabat ad Galliam, nam utitur versione Psalmorum Italica, quæ diu in usu fuit non solum in Urbe, sed & in omnibus Ecclesiis suburbicariis, ac etiam in aliis regionibus, excepta Gallia quæ versionem à S. Hieronymo emendatam statim recepit, atque ideò Versio Gallicana dicta est. Cum igitur Missa Romana multis superadditis orationibus ad instar ejus, quam Illyricus veterem Gallicanam fuisse dixit, in Italia quoque usitata, atque aliis Ecclesiis communis fuerit, hinc satis perspicuè infertur, non fuisse eum ritum specialem alicujus regni aut provinciæ; sed uni tantùm vel aliquod Ecclesiis privatâ proprii Episcopi auctoritate absque ulla Synodorum, vel Apostolicæ Sedis approbatione tributum. In Missali item M. S. Bibliothecæ Vaticanæ num. 3807. proponitur oratio, *Summe Sacerdos* pro celebrantis arbitrio recitanda, dum in Choro *Kyrie* vel *Gloria* cantatur. Eadem præscribitur in Missali Hispalensis Ecclesiæ & ordinis Prædicatorum. Ex quibus omnibus & ex duabus Missis editis à Menardo id quoque deducitur, quod prædictæ interpolationes in solis Missis solemnibus locum habebant, ut tam Sacerdos quàm Ministri, psallente Choro, iis vel ex integro vel ex parte recitandis occuparentur. Ex silentio autem veterum scriptorum, qui nullam harum Missarum mentionem faciunt, & ex raritate codicum, in quibus repertæ sunt, non improbabiliter conjicio, vel ab Ecclesiis, quibus traditæ erant, non fuisse receptas; vel statim cum suis auctoribus interiisse. Abhorrent enim plerique à prolixitate; & qui religiosiores sunt, ægrè novitatibus consentiunt; nec orationes in publicis Ecclesiæ functionibus facilè admittunt, nisi fuerint juxta decretum Milevitani Concilii, aliasque Ecclesiasticas sanctiones synodali vel Apostolica auctoritate approbatæ. Missas hujusmodi cœpisse arbitror prope finem sæculi decimi, sive initio undecimi, ut de suis asserit Menardus, qui Illyricianam his antiquiorem non putat. Ejusdem ævi,

decimi nimirum sæculi, est Codex Chisius, nam characterem Longobardicum, quo scriptus est, in fine ejus sæculi desiisse viri periti à me consulti asseverant. Idem colligitur ex Sanctis, qui primâ parte libelli in Litaniis recensentur, nam cum omnes sancti Monachi singillatim invocentur, non tamen illi, qui circa annum millesimum & deinceps floruerunt. Notæ quoque musicales, quibus in Ordine Missæ prænotantur *Gloria in excelsis*, & *Dominus vobiscum*, illæ sunt, quæ in usu erant ante Guidonem Aretinum. Hæc omnia, si rite perpendantur, illyrici commentum refellunt, qui sine probabili testimonio ausus est Missam à se repertam veteris Gallicanæ nomine publicare.

V. Restat nunc pars disquisitionis obscurior, quæ reverâ, & qualis fuerit in Galliis sacrificii offerendi ratio ante Pipinum usitata. Et quia non licet in re tam gravi aliquid proprio ingenio fingere, aut divinare; evolvenda Antiquorum monumenta sunt, & solerter investigandum, an saltem ejus vestigia alicubi reperiantur, ut ex iis, quantum fieri poterit, de toto corpore, quod interiit, judicium ferre possimus. Occurrit autem hæc indaganti primus omnium Hilduinus, qui in epistola ad Ludovicum Pium, quam suis Areopagiticis præfixit, postquam de vitâ S. Dionysii Scripta cujusdam Visbii commemoravit, alterum testem profert antiquum ordinem Missæ Gallicanæ his verbis: „ Cui adstipulari videntur antiquissimi, & nimia penè vetustate consumpti Missales libri continentes Missæ ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ fidei usu in hac Occidentali plaga est habitus, usquequò tenorem, quo nunc utitur, Romanum susceperit. In quibus voluminibus habentur duæ Missæ, quæ sic inter celebrandum ad provocandam divinæ miserationis clementiam, & corda populi ad devotionis studium excitanda, tormenta Martyris sociorumque ejus succinctè commemorant, sicut & reliquæ Missæ ibidem scriptæ aliorum Apostolorum vel Martyrum, quorum passiones habentur, notissimè decantant. Hæc Hilduinus, ex quo habemus primam notam Missæ Gallicanæ, quod ejus scilicet orationes sanctorum Martyrum passiones strictim complecterentur. Alteram suppeditat Carolus Calvus Imperator sic scribens in Epistola ad Clerum Ravennatem. „ Usque ad tempora „ abavi nostri Pipini Gallicanæ Ecclesiæ aliter quàm Romana vel Mediolanensis Ecclesia divina celebrabant officia, sicut vidimus & audivimus ab eis, qui ex partibus Toletanæ ecclesiæ ad nos venientes secundùm morem ipsius ecclesiæ coram nobis sacra officia celebrarunt. Celebrata etiam sunt coram nobis Missarum officia more Hierosolymitano auctore Jacobo Apostolo, & more Constantinopolitano auctore Basilio: sed nos sequendam duximus Romanam Ecclesiam in Missarum celebratione. Hæc altera nota est, quòd Missa Gallicana eadem esset ac Toletana, quandoquidem Carolus, ut ejus discrimen à Romana oculis & auribus perciperet, more Toletano jussit coram se celebrari. Huc etiam spectat Berno Augiensis Abbas, qui cap. 2. ait, *In nostri Monasterii Archivo habetur Missalis longè aliter ordinatus, quam Romanæ Ecclesiæ se habeat usus.* Loquitur autem ibi de diversitate veteris Missæ Gallorum & Hispanorum à Romana. Cum igitur ex testimonio Hilduini Abbatis hoc Missæ Gallicanæ peculiare fuerit, quòd ejus orationibus Martyrum passiones insertæ essent: cum Carolus Rex testetur se ab ecclesia Toletana adsciviisse Presbyteros, qui prisco & dudum in Galliis abolito ritu coram se sacrificium offerrent: hinc manifestè deducitur, veterem Missam Gallicanam ei similem fuisse, quæ Toleti & per universam Hispaniam atque etiam in Gallia Narbonensi Gothorum regno subdita agebatur, eo ritu qui Mozarabicus nuncupatur, de quo Capite superiori actum est; eo siquidem ritu sanctorum gesta & passiones in præfationibus, & aliis liturgicis precibus commemorantur, eique soli convenit esse prorsus diversum à Romano, ut de suo Missali asseruit Berno Abbas. Accedit huic sententiæ, seu mavis conjecturæ, robur ex Gregorio Turonensi, in cujus historia quædam Missæ Gothicæ vestigia in ecclesiis Gallicanis eo vivente celebratæ mihi deprehendere visus sum. Nam *lib. 4. cap. 16.* lectam primò ad Missam ait Prophetiam, tum Lectionem ex Apostolo, demum Evangelium: agit autem de S. Tetrico Episcopo Lingonensi. Et lib. 8. 7. *Adveniente*, inquit, *die Dominico Rex ecclesiam ad spectanda Missarum solemnia petit, fatres verò consacerdotesque qui aderant, locum Palladio Episcopo ad agenda festa præbuerunt. Quo incipiente Prophetiam, Rex interrogat quis esset.* Libro item 7. cap. 8. meminit silentii indicti in Missa, quod proprium est Missæ Mozarabicæ, sicut & legere in singulis Missis Prophetiam ante Epistolam. Cæsarius quoque Arelatensis hom. 12. Lectiones Propheticas, Apostolicas, & Evangelicas recitatas

recitatas in Missa commemorat. Poterunt & alia hujusmodi vestigia in rerum Gallicarum scriptoribus fortassis reperiri, si quis eos attentiùs evolvat; sed mihi tantum otii non est.

VI. Cæterùm non absurdam neque incredibilem esse hanc sententiam de utriusque Missæ Gallicanæ & Hispanicæ similitudine, præter ea quæ dicta sunt, alia etiam persuadent. Dum enim vetustos Codices ad propositum mihi scopum pertinentes in celebrioribus Bibliothecis perquiro, factum est Dei nutu, ut duos antiquissimos repererim, quorum seriem, stylum, characterem, singulasque Missas in eis contentas, sedulò consideranti venit protinus in mentem, utrumque esse vetus Missale Gallicanum, quia & illis ad amussim conveniunt, quæ Hilduinus tribuit Gallicis Missalibus à se visis; & priscis ritibus consonant Ecclesiæ Toletanæ, ex qua Carolus Calvus sacerdotes adscivit, ut antiquum Galliæ morem ab ipsis celebrantibus disceret. Utrumque autem cum ipso Gothico, seu Mozarabico à Cardinali Ximenio edito conferens, inveni ordinem & methodum Missæ eumdem esse, orationes verò diversas. Unus ex his codicibus extat in Bibliotheca Sereniſſimæ Suecorum Reginæ ante annos nongentos scriptus, ut periti censent, literis quadratis & majusculis, signatus num. 626. quem olim fuisse ajunt amplissimi viri Petavii Senatoris Parisiensis, emptum verò à Regina post ejus decessum. Desunt ei aliquot folia in principio, & in fine. Initio præfixus hic titulus est manu recentiori, *Missale Gothicum*; & ex eo quædam liturgicæ precationes exceptæ sunt, & tomo VI. Bibliothecæ veterum Patrum editionis novissimæ Parisiensis insertæ pag. 155. Alter est Bibliothecæ Vaticanæ Palatinæ ejusdem ferè antiquitatis, cui imperitus Antiquarius manu quoque recentiori Missæ Romanæ titulum inscripsit, cum ab ea plurimum distet. In Codice Reginæ, quo diu uti licuit benignitate V. Cl. Benedicti Mellini ejus Bibliothecæ præfecti, est Missa propria sancti Martini Turonensis Episcopi, tributo ei nomine Patris nostri; ex quo suspicor hoc Missale vel Turonensis, vel alterius Gallicanæ Ecclesiæ fuisse huic Sancto specialiter dedicatæ; nam in Missali Mozarabico extat quidem de eo Missa propria, sed sine additione *Patris nostri*. Ut autem appareat utriusque Missæ discrimen, aliquot ejus orationes hîc transcribam; primùm quidem ex Codice Reginæ, quem Gallicanum vocabo, deinde ex Mozarabico.

*Collecta de S. Martino ex Missali Gallicano.*

SUmmi Sacerdotis tui Patris nostri Martini Episcopi hodie depositionem celebrantibus tribue nobis Domine, ut sicut commemorationem ejus devotissimè colimus, ita & opus fideliter imitemur.

*Eadem ex Mozarabico.*

JEsus Deus noster & Domine, qui inlustrem meritis Martinum Confessorem atque Pontificem ita fecisti sapientiam custodire, ut in gloria mereretur & jucunditate consistere: da nobis veræ sapientiæ intellectum, & sanctæ operationis studium, ut pauperibus prærogantes substantiam, facinorum nostrorum evadamus vindictam.

*Oratio post nomina ex Gallicano.*

AUditis nominibus offerentium, Fratres Carissimi, omnipotentis Dei inenarrabilem misericordiam supplices postulamus, ut nomina nostra, qui in hunc celeberrimum diem in honorem sancti Antistitis sui Martini offerimus, benedicere & sanctificare ipso suffragante dignetur: & quod illi hodie collatum est ad gloriam, nobis quoque proficiat ad salutem.

*Eadem ex Mozarabico.*

DEus qui mirabilis es in Sanctis tuis, cujus cultui deputatur, quicquid amicis tuis honoris impenditur; intenta oratione te poscimus, ut hunc diem quem sancti, & incomparabilis viri Martini inlustravit excessus, prosperum nobis & posteris in rebus actionum propitiatus indulgeas. Tribuasque ut cujus veneratores sumus, imitatores effici mereamur. Hunc etiam virum, quem Cœlicolis admirandum, Martyribus adgregatum ætatis nostræ tempora protulerunt, jubeas auxilium nostris ferre temporibus. Dubium enim non est, quod sit Martyr in cœlo, qui fuit Confessor in sæculo. Cum sciatur non Martino martyrium, sed martyrio defuisse Martinum. Oramus Domine, ut, qui tantum potuit tuis æquari virtutibus, ut vitam mortuis redderet, dignetur etiam defunctorum spiritus consolari, ac viventes in tribulatione defendere, qui potens fuit mortuos suscitare.

*Oratio.* Ad pacem *ex Gallicano.*

INclina Domine aurem tuam ad preces familiæ tuæ, & da pacem, quam permanere jugiter præcepisti. Illud etiam specialiter præstare digneris, ut parem charitatem teneamus, quam Pontifex tuus Martinus in hoc sæculo, te opitulante, meruit obtinere.

*Eadem ex Mozarabico.*

MUltis coram te Deus Pater exultantes in laudibus, Confessores tui Martini hodierna die obitus memoriam facimus, doctrinam recolimus, operum memoramur. Qui licet totum vitæ suæ cursum glorioſa decoraverit pace, finem tamen ineffabili charitatis bono reddidit & probabilem & illustrem. Cum vicinum sui cernens terminum finis, pacem inter se discordantibus restituit Clericis. Quoad æternam continuò vocatus hæreditatem, exemplo Domini tenendam suis pacem discipulis commendaret. Hujus ergo viri suffragiis pelle à nobis Deus quicquid dividit unitatem, & dona, ut eidem consortes simus in præmio, cujus hîc dilectionis edocemur exemplo.

*Inlatio, sive Præfatio ex Gallicano.*

DIgnum & justum est, nos te Domine Deus noster in laudibus sancti Martini honorare, qui sancti Spiritus tui dono succensus, ita in ipso tyrocinio fidei perfectus, ut Christum texisset in paupere, & vestem quam egenus acceperat mundi Dominus induisset. O felix largitas, qua Divinitas operitur! O clamidis glorioſa divisio, quæ militem texit & regem; Inæstimabile donum est, quod vestire Dominum meruerit Deitatis. Dignè huic confessioni tuæ præmium commisisti: dignè Arianorum non subjacuit feritati: dignè tanto amore Martinus persecutoris tormenta non timuit, securus quia tanta erat gloriatio passionis, ut per quantitatem vestis exiguæ & vestire Dominum meruit, & videre. O animi imitanda benignitas! O virtutum veneranda potentia! Sic egit suscepti Pontificatus officium, ut per formam probabilis vitæ observantiam exegerit disciplinæ. Sic Apostolica virtute sperantibus contulit medicinam, ut alios supplicationibus, alios visu salvaret. Hæc tua Domine veneranda potentia, cui cum lingua non supplet meritis exorare, operibus sancti Martini te opitulante mereamur imitari. Per Christum Dominum nostrum.

*Eadem ex Mozarabico.*

DIgnum & justum est nos tibi gratias agere, Domine Sancte, Pater æterne, Omnipotens Deus, in depositione anniversariæ commemorationis sancti Martini Episcopi, & Confessoris tui. Quem pro pietate tua, & servitute sua, tam beatum labore, quàm munere inter Sanctorum omnium florentissimas legiones, ac felicissimos Martyrum choros, & illustres eminentium Seniorum cathedras dextri ordinis locum tenere confidimus. Quia bona arbor bonos fructus facit, & bonus homo de bono thesauro cordis sui bona profert. Cumque in eodem Evangelio ipse docuerit, ex fructibus eorum cognoscetis eos: hunc ergo inter justos justè numerandum testantur facta per sæculum, signa post transitum, opera dum vixit, mirabilia post recessum. Cum præsertim ad unum sanctitatis culmen diversus mittat ascensus, non una est virtutum via, quæ gloriæ tuæ ducit ad regnum. Quid enim minus est crucem ferre per tempora, quàm mortem subire per vulnera? Quid inferius est mundum vincere, quàm gladium non timere? Cum plus luctaminis habeat diuturnitas crucifixi, quam celeritas interempti. Quid supereminet affectus martyrii consummatus, quam diutiùs custoditus? Non distat propter te mortificatus à mortuo, cum in utroque sit glorioſum & abuti velle quod placeat. Pugnam sustinere sine defectu, an coronam rapere sine metu? Propositum non mutare sub spatio, an implere desiderium sub momento? Par est ut credimus inlecebris non cedere per dolorem, ubi æqualis in dilectione animus. Percussor deest fidei, non confessor. Voluit triumphare dum militat, qui militare non destitit dum consummat. Inter carnales pugnas & spiritales insidias laboroſius est hostem occultum superare, quàm publicum. Quia non sit levius sperare semper quem caveas, quàm non formidare quem videas. Jugiter in procinctu providere cautelam, quàm fortiter in congressu servare constantiam. Non interest in angustia vivere servitutis, aut in pœna devincere feriendum. Quotidie declinare quod decipiat, aut cum compendio ambire quod finiat. Postremò in agone Martyrum ad extruendam fidem, hoc semper proponitur quod horreat; hic

hic etiam quod delectat. Ibi tormenta terrori, hîc etiam blandimenta discrimini. Ibi homo nititur expugnare per amara, hic diabolus inlaqueare per dulcia. Ibi mors securitatem præstat, hic securitas mortem facit: ibi alienæ impietas, hic propriæ naturæ mobilitas inimica est. Sed in his omnibus nihil sibi sine adjutorio tuo arroget humana fragilitas. Tuis muneribus debet unusquisque deputare quod vicit, qui tuis viribus portavit uterque quod pertulit. Horum tu verus arbitror Deus, quos propter nos supplices quæsumus, ut sicut illi tibi accepti, ita nos illis mereamur esse susceptí. De quibus hoc nobis sufficit credere, quod una amoris tui causa per diversa merita, discreto vel fine vel tempore, feliciter afflicti, veraciter probati, potenter præditi, clementer assumpti, & æqualiter sint beati. Cui meritò omnes Angeli & Archangeli non cessant clamare quotidiè, ita dicentes: *Sanctus, Sanctus*, &c.

Ex his in exemplum adductis palam fit, utramque Missam eodem ut dixi, tenore procedere, licet orationes diversæ sint. Sunt autem in his quædam obscura in quibus hæret sensus, vitio procul dubio scriptoris, sed ego apographum fideliter expressi, venerandam reveritus antiquitatem. Ut verò magis appareat, quis & qualis sit tenor Missæ, quam Gallicanam puto, operæ pretium duxi ex eodem Missali M. S. Reginæ integram Missam S. Stephani Protomartyris hoc loco in publico proferre, in qua desunt Antiphonæ, Epistola, Evangelia, & alia hujusmodi quæ in distincto Codice contineri solent. Desunt quoque ea omnia, quæ omnibus Missis communia sunt. Si quis eam conferat cum Mozarabice edita à Ximenio, inveniet orationes diversas esse, sicut vidimus supra in Missa sancti Martini, sed forma eadem est.

## VII. Ordo Missæ in Natali S. Stephani Protomartyris.

### *PRÆFATIO.*

*Hac Præfatione carent Missæ Mozarabicæ.*

VEnerabilem atque sublimem beatissimi Protomartyris Stephani passionem hodie celebrantes, Dominum Martyrum, Fratres carissimi, deprecemur, ut sicut illi contemplatione meritorum suorum coronam dare dignatus est, nobis quoque plenissimam misericordiam ipsius precibus flexus in omnibus largiatur, Per Dominum nostrum.

### *Collectio sequitur.*

DEus qui sancto Stephano Martyri tuo & principatum in ministerio, & principem in martyrio contulisti, dum nobis sancti diei hujus festivitatem pro ejus vel commemoratione vel passione donasti; exaudi quæsumus supplices familiæ tuæ preces, nobis ejus peculiare præsidium tribue, cujus pro inimicis ac peccatoribus preces piissimus acceptasti. Tribue etiam ut pro nobis intercessor existat, qui pro suis persecutoribus supplicavit. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum beatus vivit.

### *Collectio post nomina.*

OMnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum virtute multiplici Ecclesiæ tuæ sacrum corpus exornans, primitias Martyrum glorioſi Levitæ tui Stephani sanguine dedicasti: da nobis diem natalis ejus honore præcipuo celebrare, quia non diffidimus eum fidelibus tuis posse suffragari, qui Dominicæ charitatis imitator, etiam pro suis persecutoribus supplicavit. Tribuæ quæsumus per interventum ipsius, ut viventes salutem, defuncti requiem consequantur æternam.

### *Collectio ad Pacem.*

DEus charitatis indultor, Deus indulgentiæ munerator, qui S. Martyri tuo Stephano in passione largitus es, ut imbrem lapidum clementer exciperet, & pro lapidantibus supplicaret; Pietatem tuam Domine subnixis precibus exoramus, ut, dum Martyris tui passionem recolimus, per intercessionem ipsius, pacis securitatem, & peccatorum nostrorum veniam consequi mereamur.

### *Contestatio Missæ.*

DIgnum & justum est, æquum & justum est, te laudare, teque benedicere, tibi gratias agere omnipotens sempiterne Deus. Qui gloriaris in conventu sanctorum tuorum, quos ante mundi constitutionem prælectos spiritali in cœlestibus benedictione signasti: quosque Unigenito tuo per assumptionem carnis & crucis redemptionem sociasti: in quibus Spiritum tuum sanctum regnare fecisti, per quem ad felicis martyrii gloriam pietatis tuæ favore venerunt. Digne igitur tibi Domine virtutum festa solemnitas agitur, tibi hæc dies sacrata celebratur; quam

B. Ste-

B. Stephani primi Martyris tui sanguis in tuæ veritatis testimonium profusus magnificum nominis tui honore signavit. Hic est enim illius nominis primus confessor, quod est suprà omne nomen, in quo unicum salutis nostræ præsidium, Pater æterne, posuisti. Hic in Ecclesia tua quam splendidum ad cunctorum animos confirmandos unicæ laudis præcessit exemplum. Hic post passionem Domini nostri Jesu Christi victoriæ palmam primus invasit. Hic ut Levitico ministerio per Spiritum sanctum ab Apostolis consecratus est, niveo candore confestim emicuit, martyrii cruore purpureus. O benedictum Abrahæ semen, Apostolicæ doctrinæ & dominicæ crucis prior omnium factus imitator & testis. Meritò cœlos apertos vidit, & Jesum stantem ad dexteram Dei. Dignè igitur ac justè talem sub tui nominis confessione laudamus, Omnipotens Deus, quem ad tantam gloriam vocare dignatus es: suffragia ejus nobis pro tua pietate concede. Talis pro hac plebe precetur, qualem illum post trophæa venientem exultans Christus excepit. Illi pro nobis oculi sublimentur, qui adhuc in hoc mortis corpore constituti stantem ad dexteram Patris Filium Dei in ipsa passionis hora viderunt. Ille pro nobis obtineat, qui pro persecutoribus suis, dum lapidaretur, orabat ad te Sancte Deus, Pater omnipotens. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui pro peccatis nostris nasci carne per Virginem, & pati dignatus est mortem, ut Martyres suos suo pati doceret exemplo. Cui meritò omnes Angeli atque Archangeli sine cessatione proclamant dicentes, *Sanctus, Sanctus*, &c.

*Collectio post* Sanctus.

VErè sanctus, verè benedictus Dominus noster Jesus Christus unigenitus tuus, qui Martyrem suum Stephanum cœlestis aulæ Collegio numeravit, qui corporis nostri infirmitatem suscepit, priusquam pium sanguinem pro humana salute funderet, mysterium sacræ solemnitatis instituit. Ipse enim pridie quam pateretur, accepit panem, &c.

*Hic sequitur consecratio.*

*Post Mysterium.*

HOc ergò facimus Domine, hæc præcepta servamus; & sacri corporis passionem sacris solemnibus prædicamus. Quæsumus Omnipotens Deus, ut, sicut veritatem nunc sacramenti cœlestis exequimur, ipsi veritati Dominici Corporis & Sanguinis hæreamus. Per Dominum nostrum.

*Ante Orationem Dominicam.*

GLorioſi Levitæ exemplis, & beatissimi Martyris Stephani magisteriis instituti, æterno Regi & Patri Deo precem, Fratres carissimi, cum omni humilitate fundamus, ut dato nobis fidei calore vel munere ad martyrii nos desiderium amoris sui igne succendat, ejusque imitatores efficiat, qui non solùm pro sui gloria, verùm etiam pro exemplis eruditionis nostræ passionem sustinuit. Et cui conferre dignatus est in passione virtutem, intercedendi pro nobis tribuat facultatem. Et orationem, quam præcipere dignatus est, dicere sine cunctatione permittat. *Pater noster.*

*Post Orationem Dominicam.*

LIbera nos à malo Omnipotens Deus, & tribue nobis supplicibus tuis tam promptum pro Christo tuo ad patiendum animum, ut probemur, non nos martyrio, sed nobis defuisse martyrium. Per eumdem Dominum nostrum.

*Benedictio Populi.*

DEus qui tuos martyres ita vinxisti charitate, ut pro te etiam mori cuperent, ne perirent, Amen.

Et Beatum Stephanum in confessione ita succendisti fide, ut imbrem lapidum non timeret. Amen.

Exaudi precem familiæ tuæ, amatoris inter festa plaudentem. Amen.

Accedat ad te vox illa intercedens pro populo, quæ pro inimicis orabat in ipso martyrio. Amen.

Ut se obtinente, & te remunerante perveniat illuc plebs ad quæsita per gratiam, ubi te cœlis apertis ipse vidit in gloria. Amen.

Quod ipse præstare digneris, qui vivis & omnia regis in sæcula sæculorum, Amen.

*Collectio post Eucharistiam.*

DEus perennis salus, beatitudo inæstimabilis, da quæsumus omnibus tuis, ut qui sancta & beata sumpserunt, & sancti jugiter ac beati esse mereantur. Quod ipse præstare digneris.

Con-

*Consummatio Missæ.*

GRatias agimus tibi Domine multiplicatis circa nos miserationibus tuis, qui & Filii tui nativitate nos salvas, & Martyris Stephani deprecatione sustentas, Per, &c. *Explicit Missa S. Stephani.*

VIII. Ut autem proposita à nobis de Missa Gallicana opinio seu conjectura & clarior evadat, & firmiùs stabiliatur, non ingratum lectori vel injucundum fore existimavi, si ex alio antiquissimo Codice M. S. nempe ex Palatino Bibliothecæ Vaticanæ suprà memorato, aliam Missam adjicerem, quæ omninò consonat cum superiori S. Stephani, eademque methodo ac eodem tenore procedit. Scriptus autem fuit Codex ab homine linguæ latinæ prorsùs imperito, adeò enim miserè depravatus est, ut vix ulla linea legatur sine mendis. Verborum errores, ut *dilixi* pro *dilexi*, *anteſtes tuos* pro *antiſtes tuus*, *conſequerit* pro *conſequeretur*, & alios ejusdem generis passim occurrentes facilè emendavi: ubi autem sensus nutat, nec verba cohærent, nihil mutare volui, ne fortè perperam divinando longiùs à scopo aberrarem. Lectoris peritioris erit fœdis vulneribus à rudi scriptore inflictis medicam manum adhibere. Porrò Missa de B. Germano est, cujus festivitas, quamvis in Missali Mozarabico descripta sit, caret tamen Missâ propriâ, totumque officium in communi Confessorum Pontificum assignatur.

Missa S. Germani.

*Præfatio.*

VEnerabilem diem atque sublimem, Fratres Carissimi, promptâ devotione celebremus, misericordiam Domini nostri suppliciter exorantes, ut Beatissimi Germani Antistitis & Confessoris sui, cujus exempla miramur, etsi æquari factis ejus non possumus, saltem vestigia sequi, & fidem nobis contingat imitari.

*Collectio.*

GRatias tibi agimus Omnipotens Deus pro virtutibus Beatissimi Germani Antistitis tui, quas ei Pater omnipotens non immeritò tribuisti, quia te Apostolica confessione rebus omnibus plus amavit; discussit à se divitias, ut paupertate spiritus cœlorum regna conscenderet: mansuetudinem tenuit, ut terram sui corporis spiritualiter possideret: lugere delectatus est in sæculo, ut cœlestem consolationem ex muneris tui largitate perciperet: justitiam esurivit atque sitivit, ut tuis saturaretur eloquiis: eleemosynam jugiter fecit, ut indesinenter non tantùm sibi, sed & cæteris pietatis tuæ misericordiam obtineret: puritatem cordis habuit, ut te videret: fidem servavit, ut filiis tuis fraternâ se participatione conjungeret. Per cujus interventum precamur.

*Desunt hic duæ lineæ abrasæ.*

*Post nomina.*

AUditis nominibus offerentium indeficientem divinam clementiam deprecemur, ut has oblationes plebis, quas in honorem Beatissimi Germani Antistitis & Confessoris offerimus (*deest aliquid*) Signatum diem hodiernæ solemnitatis celebremus cum inconcussa fidei libertate, quam ille constanti mente defendit, ut robur patientiæ ejus - - -

*Desunt hic etiam duæ lineæ abrasæ.*

Oremus etiam & pro spiritibus carorum nostrorum, quorum idem Omnipotens Deus & numerum novit & nomina, ut omnium memoriam faciat, omnium peccata dimittat. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

*Collectio ad Pacem.*

DEus pro cujus sacro nomine Beatus Germanus Antistes tuus desideravit persecutionem *pati* propter justitiam, ut etsi martyrium non perferret, fide tamen pertenderet: nec timeret odiis hominum & maledictionibus subjacere, dummodo mercedem copiosam consequeretur in cœlo, & ad illas beatitudines evangelicas perveniret; te per hujus interventum precamur, ut pacem quam te jubente dilexit in sæculo, perpetualiter Ecclesiæ possidendam tribuas in futuro. Per Dominum nostrum.

*Contestatio Missæ.*

DIgnum & justum est: verè æquum & justum est, nos tibi gratias agere, & pietati tuæ in honorem summi Sacerdotis tui Germani Episcopi & Confessoris laudes canere, vota persolvere, ejusque enarrare virtutes, quas ei

Domine Pater Omnipotens non immeritò tribuisti, quia te Apostolicâ confessione rebus omnibus plus amavit, &c. *Repetit ea quæ habentur suprà in prima Collecta, tum subdit.* Dilexit te Domine ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima sua, & proximum suum tanquam seipsum; ut secundùm quod in his duobus mandatis universa lex & Prophetæ pendebant, ad eas quas diximus evangelicas beatitudines perveniret. Et quia tu Domine Jesu Christe Apostolis tuis dixeras, ut euntes per universum mundum universæ creaturæ evangelium prædicarent, & virtutes efficerent, hæc tuus devotissimus Germanus Episcopus..... eorum vestigia subsecutus per totas Gallias, Romæ, in Italia, in Britannia annis triginta corpore afflictus..... jugiter in tuo nomine prædicavit, hæreses abstulit, adduxit populum ad plenam & integram fidem, ejecit dæmones, mortuos suscitavit, ægris reddidit pristinam sanitatem, implevitque omnia signa, virtutes utique adeptus. Sic cœpit ut crescceret. Sic pugnavit ut vinceret. Sic consummavit, ut mortis tenebras præteriret, Martyriis se conjungeret stola, cum centesimum fructus perceperit, & vita hac peracta regnum inhabitarit æternum. Quod credentes Deus Pater Omnipotens supplices exoramus, ut in ejus apud te patrociniis & intercessionibus pietati tuæ commendati, nos in omnibus tuam misericordiam consequamur, Angelica te exultatione laudantes & dicentes. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

*Collectio post* Sanctus.

BEnedictus planè qui venit in nomine Domini, benedictus Deus, Rex Israël; pax in terra, gloria in excelsis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui pridie quam pateretur.

*Post Secreta.*

DEscendat, precamur Omnipotens Deus, super hæc quæ tibi offerimus, Verbum tuum sanctum: descendat inæstimabilis gloriæ tuæ Spiritus: descendat antiquæ indulgentiæ tuæ donum, ut fiat oblatio nostra hostia spiritalis in odorem suavitatis accepta. Etiam nos famulos tuos per sanguinem Christi tua manus dextera invicta custodiat.

*Ante orationem Dominicam.*

AGnosce Domine verba quæ præcepisti, ignosce præsumtioni quam imperasti: ignorantia est non nosse meritum, contumacia est non servare mandatum, quo dicere jubemur, *Pater noster*, &c.

*Post Orationem.*

LIbera nos à malis omnibus, auctor bonorum Deus, ab omni tentatione, ab omni scandalo, ab omni opere tenebrarum, & constitue nos in omni bono, & da pacem in diebus nostris, auctor pacis & charitatis. Per Dominum nostrum.

*Benedictio Populi* deest.

*Collectio post Eucharistiam.*

SUmpsimus ex sacris altaribus Christi Domini ac Dei nostri corpus & sanguinem.... credentes unitatem beatæ Trinitatis. Oremus ut semper nobis fide plenis esurire detur ac sitire justitiam, sicque opus ejus confortati salutaris escæ gratia faciamus, ut non in judicium, sed in remedium, sacramentum quod accepimus, habeamus. Per Dominum nostrum.

*Collectio in fine Missæ.*

CHriste Domine, qui & tuo vesci corpore, & tuum corpus effici vis Fideles, fac nobis in remissionem peccatorum esse quod sumpsimus: atque ita se animæ nostræ divina alimonia per benedictionem tuam facta permisceat, ut caro spiritui subdita, & in consensum pacificum subjugata obtemperet, non repugnet, per Spiritum Sanctum, qui in unitate Patris & Filii coæternus vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

IX. Hæ sunt Missæ, quas veluti Gallicanas è M. SS. Codicibus nunc primùm produxi, breviores quidem quàm editæ in Mozarabico, sed eodem stylo, eodemque tenore contextæ. Sicut autem Basilius, & Chrysostomus, aliique Ecclesiæ Orientalis Antistites, quamvis haberent à senioribus suis sibi traditas Liturgias, propriis tamen verbis sacrificium offerre maluerunt: ita credendum, sanctos Episcopos, qui ritu in hoc

hoc & superiori Capite descripto utebantur, eo retento in ordine ac veluti textura Missæ, mutasse nihilominus orationes, ut & ipsi propriis verbis Deum ad aram precarentur. A quibus primùm compositæ fuerint, ignoramus; non est tamen dubitandum, quin à viris & vitæ sanctimonia & fidei integritate conspicuis editæ sint, alioquin non fuissent ab Ecclesia receptæ. Nec cuiquam scrupulum ingerere debet, quod in Missa Sancti Germani in oratione quæ *Post secreta* inscribitur, Sacerdos jam peracta consecratione orat, ut descendat Verbum in oblata, nam hæc oratio nihil habet alienum à fide, ut *Lib. II. Cap. XIII.* explicabo. Joannes Morinus ecclesiasticæ antiquitatis sagacissimus indagator in Comment. de sacris Ordinibus *parte 2. pag.* 261. antiquissimum Codicem se vidisse testatur scriptum in Gallia post annum 511. & ante annum 560. ad usum, ut ipse putat, Ecclesiæ Pictavensis, continentem Ordinem Romanum, in quo ter Regni Francorum, & sæpius sancti Hilarii mentio fit: quæ, si vera sunt, evidenter evincunt, Romanos ritus initio sæculi sexti in Gallia receptos fuisse. Sed quàm firmum sit Morini argumentum aliis examinandum relinquo: ego enim non dubito, quin levissimæ conjecturæ testimonium præferri debeat omni exceptione majus tum Caroli Magni & Caroli Calvi asserentium Ordinem Romanum curante Pipino in Gallicanis Ecclesiis introductum fuisse, cum antea proprio uterentur: tum Gregorii Magni, qui in epistola ad Augustinum Anglorum episcopum Gallicanos ritus à Romanis distinguit: tum aliorum Scriptorum, qui unanimi consensu eidem veritati adstipulantur. Illum verò Codicem tantæ esse antiquitatis non credo, quantam illi Morinus tribuit. Nam nec satis intelligo, cur Regnum Francorum illis annis coarctet, qui à quingentesimo undecimo usque ad 560. elapsi sunt: nec Hilarii memoriam solius Pictavensis ecclesiæ, aut solius Galliæ finibus circumscriptam fuisse arbitror, cum Romæ etiam & ubicumque Christus colitur celeberrima fuerit. Verùm hæc & reliqua omnia, quæ in hoc Capite pertractavi, peritorum censuræ lubens subjicio, paratus de sententia decedere, cum quis certiora protulerit.

## CAPUT XIII.

*De variis Missarum generibus. Quæ sit Missa publica & solemnis. Eandem generalem & legitimam dictam esse. Missam ab initio sic institutam; ut ei populus adesset, offerret, & communicaret. Missæ publicæ cur vetitæ in Monasteriis. Missæ privatæ & solitariæ discrimen. Origo solitariæ à Monachis. A quibus, & quando prohibita. An & quatenus nunc licita sit.*

I. PLura Missarum genera, sicut & varios ritus supra recensitos, in usu olim fuisse, atque etiam nunc esse, manifestum est. Sunt enim Missæ solemnes & quotidianæ, publicæ & privatæ, legitimæ & solitariæ, generales & peculiares, de tempore & de sanctis, feriales & votivæ, pro vivis & pro defunctis. Est & Missa Præsanctificatorum, & alia quam siccam vocant, de quibus deinceps agendum erit.

Missa solemnis, quam hodie conventualem, canonicam, capitularem, præcipuam, & majorem vocamus, illa propriè dicitur, quæ cum cantu & solemni ceremoniarum apparatu Ministris & Clero Assistentibus, suorumque Ordinum munia exercentibus celebrari consuevit; cui pompæ addebant Antiqui frequentiam populi offerentis & communicantis. Publicæ nomen inde sortita est, quod publicè fiat in ecclesia, & privatæ opponatur; quo sensu ait Anastasius in vita Agathonis Papæ Missam publicam latinè factam Constantinopoli, nonnulli tamen non obscuri nominis scriptores hoc statuunt inter solemnem & publicam discrimen, quod illa cum cantu & pompa, hæc verò sine cantu & apparatu, sed in Ecclesia coram Fidelium multitudine, peragatur. A Valfrido Strabone in fine cap. 22. legitima nuncupatur, quòd hæc potissimum Ecclesiastica lege instituta & comprobata sit. Ab Amalario generalis dicta est, qua denominatione interdum utuntur antiqua Monachorum Ritualia, quia totus cœtus ei solet interesse. Una igitur & eadem censeri debet, quæ à quibusdam solemnis, ab aliis publica, legitima, & generalis nominatur, quibus vocibus indiscriminatim utemur pro ea, quæ solemniter, in publico cœtu, præscriptis ab ecclesia legitimis ritibus celebratur.

II. Et quidem ab initio sic Sacrificium principaliter institutum fuisse, ut publicè ac solemniter fieret, clero, & populo astante, offerente, ac communicante, ipse tenor Missæ, & veteris Ecclesiæ praxis evincunt. Omnes enim orationes, atque ipsa Canonis verba in plurali numero, tanquam plurium nomine proferuntur. Hinc Sacerdos populum invitat ad orationem dicens, *Oremus*: & cum eumdem salutat, ait, *Dominus vobiscum*. Tum moniti fideles ut corda erigant ad Deum, respondent, *Habemus ad Dominum*. Hinc etiam in Canone collectæ plebis nomine semper orat, ut cum dicit, *Supplices rogamus & petimus: Hanc oblationem cunctæ familiæ tuæ offerimus præclaræ Majestati tuæ: Ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus & sanguinem sumpserimus: Nobis quoque peccatoribus*, & alia hujusmodi multa, ex quibus liquet, nihil aliud esse Missam, quam Sacerdotis & totius cœtus actionem, cui plures circumstetisse indicant illa verba, *& omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est & nota devotio*, quæ alio detorqueri non possunt. Ad communionem verò astantium ea spectant, quibus Sacerdos Deum precatur, fieri corpus & sanguinem Domini omnibus sumentibus in vitam æternam. Et post communionem ait, *Quod ore sumpsimus pura mente capiamus: satiasti familiam tuam muneribus sacris*: suntque ferè omnes ejusdem tenoris orationes, quæ peractâ communione recitantur; quia nimirum illi dumtaxat intererant Missæ, qui possent offerre & de Sacramento participare. Hinc Cyprianus *Serm. de Lapsis*, & Leo Papa *Serm. 4. de Quadrag.* populi communicantis mentionem faciunt: & can. 10. Apostol. ac 2. Concilii Antiocheni sub Julio I. decernitur ut omnes Fideles, qui ad ecclesiam conveniunt, communicent, recusantes ab ecclesia ejiciantur & excommunicentur. „ Sciendum est, inquit Micrologus cap. 51. „ quod soli communicantes divinis mysteriis in„ tersse consueverunt, unde & ante oblationem „ juxta canones jubebantur exire catechumeni „ & pœnitentes, videlicet qui nondum se para„ verant ad communicandum. Hoc quoque ipsa „ Sacramentorum innuit confectio, in qua Sa„ cerdos non pro sola sua oblatione & commu„ nicatione, sed & aliorum, rogat, & maximè „ in Oratione post communionem pro solis „ communicantibus orare videtur. Nec propriè „ communio dici potest, nisi plures de eodem „ sacrificio participent. Hæc fuit consuetudo primorum Fidelium, quam suo adhuc tempore Romæ viguisse S. Hieronymus *lib. adv. Jovinianum* testatur. Sed pristino populi fervore postea refrigescente, retenta est communio Cleri, quæ deinde redacta est ad communionem dumtaxat Diaconi, & Subdiaconi, ut fusiùs ostendemus, cum de ipsa communione sermo erit. De hac autem publica sive solemni Liturgia pro temporum, seu regionum varietate varii quoque mores fuerunt. Justinus *Apolog. 2.* solo die Dominico conventum tunc factum, & Sacramentum præsentibus distributum, absentibus per Diaconos missum asserit. In Prato spirituali *cap. 108.* legimus sanctum quemdam Presbyterum ab Angelo eductum è carcere, ut die Dominico sacrificium offerret. Palladius in Vita Abbatis Arsisii scribit, Sabbato solùm & Dominico die convenisse in ecclesiam Monachos, qui erant in monte Nitriæ, ex more videlicet illius Provinciæ. Socrates item *lib. 5. cap. 21.* die Dominico Sabbatum additum ait ab omnibus Ecclesiis, excepta Romana & Alexandrina. Pachomio Abbati mandatum ab Angelo, ut primo, & ultimo die hebdomadæ Monachi sub eo degentes ad divinorum mysteriorum communionem accederent, refert *lib. 3. cap. 13.* Sozomenus. Quotidie demum Missa solemnis peragi cœpit. quod non ubique, sed alicubi suo tempore receptum testatur Augustinus *Epist. 118.* Plura de hac re infra Cap. XVIII.

III. Porrò hæc Missa publica dicta est, non à loco, quia olim in cryptis, abditisque ac remotissimis locis agebatur, sed à conventu populi circumstantis, offerentis, & communicantis. Qua de causa Gregorius Magnus Castorio Arminensi Episcopo scribens *lib. 4. cap. 43.* Missas publicas fieri Monasterio vetat, *ne* scilicet *in servorum Dei secessibus occasio præbeatur popularibus conventibus, & simpliciores ex hoc animas plerumque, quod absit, in scandalum trahat; frequentior quoque introitus mulieribus arceatur.* Et *lib. 5. ep. 46.* Felicem Pisauri Episcopum reprehendit, quod in templo Monasterii à se constructi suam Cathedram collocasset, ibique publicas Missas egisset, jubetque Cathedram illicò auferre, nec deinceps ibidem Missas publicas celebrare. Idem *lib. 7. Indict. 1. ep. 6.* Episcopo Lunensi, & *Indict. 2. ep. 72.* Episcopo Firmano; itemque *lib. 8. ep. 3.* Episcopo Neapolitano præcipit, Oratorium Monasterii absque Missis publicis ab eis consecrari. Vita enim

enim Monachorum ex proprio instituto ab omni strepitu aliena esse debet, solitudini dedita & contemplationi: atque ideò illorum ecclesiæ sine titulo statione diu fuerint, & quamvis amplissimè essent ac magnificentissimè extructæ, Oratoria potius sive Capellæ vocabantur, ut ex titulo Decretalium de Capellis Monachorum constat, in quibus vetitum erat, Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ fidelibus administrare, publicosque conventus, & publicas Missas celebrare: quam consuetudinem usque ad tempora S. Bernardi permansisse testis est Philippus Abbas *lib. de Continentia Clericorum cap.* 83. Vetuit quoque Missas publicas in Monasteriis Concilium Lateranense sub Callixto II. *cap.* 17. his verbis. *Interdicimus Abbatibus & Monachis publicas pœnitentias dare, & infirmos visitare, & unctiones facere, & Missas publicas cantare.* Et Innocentius III. *lib.* 2. *Regesti* 14. *epist.* 18. veterum vestigiis insistens prohibet, ne Diœcesis Episcopus in Monasterio Carroffensi, cujus privilegia confirmat, publicas Missas agat. Non tamen ex his infertur, ut quidam perperam existimant, vetitam olim fuisse in Monasteriis Missam solemnem cum cantu, & Ministrorum assistentia; sed ea dumtaxat prohibita est, ad quam Fideles promiscuè admittebantur, & quæ ab Episcopis cum totius populi cœtu agebatur: ne sæcularium concursus Monachos distraheret, & ab interna mentis tranquillitate avocaret. Ipsis autem Monachis semper licuisse Missam solemniter decantare exclusis Secularibus, sicut nunc etiam solent arctissimæ solitudinis cultores Carthusiani, antiquissima Ritualia nos docent, quæ ritus & ceremonias Missæ solemnis exactissimè præscribunt, servatis ad amussim omnibus, quæ ad Missæ apparatum & celebritatem spectant. Idem colligitur ex Regula sancti Benedicti *cap.* 38. ubi de hebdomadario mensæ Lectore tractans præcipit eum die Dominico post Missas & communionem petere ab omnibus pro se orari, & ter repetito versu *Domine labia mea aperies*, accipere in Ecclesia benedictionem, qui mos apud Monachos adhuc viget.

IV. Missis autem publicis sive solemnibus & generalibus opponuntur privatæ & solitariæ, sive peculiares, quæ privatim & peculiariter sine cantu, uno dumtaxat Clerico ministrante; sive in Ecclesia, sive in privato Oratorio aguntur. Sunt qui velint hoc discrimen inter solitarias & privatas intercedere, quod solitariæ illæ sint, in quibus solus Sacerdos communicat, etiamsi plures interfint: privatæ verò, quæ vel in privatis domibus, vel extra populi frequentiam, iis tamen qui adsunt communicantibus, agi solent. Alii rectiùs, & conformius ad praxim aliquando in Ecclesia usitatam, solitariam vocant, quæ à solo Sacerdote nemine præsente & respondente fiebat olim in Monasteriis: privatam verò, quæ sine diacono & subdiacono & cantoribus, uno tantùm ministrante celebratur; sive aliqui Fideles ei interfint, sive nullus adsit: sive solus celebrans communicet, sive sint aliqui communicantes. Huic etiam quotidianæ nomen tributum fuit, quia singulis diebus à Sacerdotibus frequentari consuevit. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 56. *Cassius*, inquit, „ Narniensis Episcopus „ quotidianum offerre consueverat Deo sacrifi„ cium, seque in lacrymis inter ipsa sacrificiorum „ arcana mactabat. Privatæ nomenclaturam accepit, ut à solemni, quæ publicè fit, discerneretur: alioquin omnes Missæ publicæ sunt, quatenus publicum distinguitur à secreto & occulto. Nam ipsum sacrificium munus publicum est, & publico totius Ecclesiæ nomine offertur, in commemorationem mortis Christi, quæ est publicum beneficium, geritque Sacerdos ministri publici officium, & pro omnibus orat; neminemque qui velit & dignus sit, repellit à communione: neque ullæ sunt Missæ occultæ & angulares, ut blasphemat Lutherus. Odo Cameracensis in expositione Canonis ad illa verba, *& omnium circumstantium*; „ Cum primi„ tus, inquit, Missæ sine Collecta non fierent, „ postea mos inolevit Ecclesiæ solitarias, & „ maximè in Cœnobiis, fieri Missas. Et cum „ non habeant, quam pluraliter Collectam sa„ lutent, nec plurales mutare possint salutatio„ nes, convertunt se ad Ecclesiam, dicentes se „ Ecclesiam in Ecclesia salutare. Et paucis interjectis, „ Secundùm quem sensum in hoc lo„ co circumstantes accipiuntur omnes ubique „ Fideles, qui in unitate totius corporis & sibi „ adhærent invicem & summo capiti. Consonat Stephanus Eduensis ita scribens lib. de Sacram. altaris cap. 13. „ Sciendum est, quod si unus „ tantùm sit præsens, vel nulli sint præsentes, „ ut in Missis solitariis: non ideo mutantur „ quæ pluraliter solent fieri orationes. Primò „ enim Missæ non solebant celebrari sine col„ lecta Fidelium multitudine. Postea mos ino„ levit, solitarios sicut Monachos celebrare soli-

„tarias, quod eis concessum est ex indulgentia. „ Inde etiam Sæculares consueverunt Missas „cantare privatas. Tunc fiunt salutationes ad om„nes Fideles, qui assistunt quasi præsentes, fide, „& charitate sacramentis communicantes. Ex quibus verbis palam fit, actas aliquando in Monasteriis Missas à solo Sacerdote nemine præsente & respondente, quæ idcircò solitariæ dictæ sint: inde ad alios Sacerdotes Missæ privatæ, qualem supra descripsimus, celebrationem emanasse. Verùm Missas privatas non à Monachis, sed à primæ Ecclesiæ Patribus originem traxisse Capite sequenti ostendam: Missas autem solitarias in cœnobiis actas ex indulgentia, ut loquitur Eduensis, sive ex privilegio; canonicæ sanctiones demonstrant, quæ sublatis omnibus privilegiis, ne quis solus Missas ageret, districtè prohibuerunt.

V. Concilium Moguntinum sub Leone III. c. 43. ait, *Nullus Presbyter, ut nobis videtur, solus Missam cantare valet rectè. Quomodo enim dicit* Dominus vobiscum, *vel* sursum corda *admonebit habere, & alia multa his similia, cum alius nemo cum eo sit?* Quæ verba transtulit in Capitulare Regnum Franciæ Benedictus Levita *lib. 5. cap. 93.* & Synodus Parisiensis sub Greg. IV. l. 1. cap. 48. „Irrepsit in plerisque locis partim in„curiâ partim avaritiâ reprehensibilis usus, & „congrua emendatione dignus, eo quod nonnulli „Presbyterorum sine ministris Missarum solem„nia frequentent. Unde conveniendus imò in„terrogandus nobis videtur hujusmodi corporis „& sanguinis Domini solicitarius consecrator, „quibus dicit *Dominus vobiscum*, & à quo illi re„spondetur, *Et cum Spiritu tuo*: ve pro quibus „supplicando Domino inter cætera, *Memento „Domine, & omnium circumstantium*, cum „nullus circumstet, dicit. Quæ consuetudo, quia „Apostolicæ & Ecclesiasticæ authoritati refra„gatur, & tanto mysterio quandam dehonora„tionem irrogare videtur, omnibus nobis in „commune visum est, ut deinceps hujusmodi „usus inhibeatur, provideatque unusquisque „Episcoporum, ne in sua parochia quisquam „Presbyterorum Missam solus celebrare præsu„mat. Extat & decretum Concilii Nannetensis idem vetans apud Ivonem, p. 3. c. 70. *Definivit sanctum Concilium, ut nullus Presbyter solus præsumat Missam celebrare. Cui etenim dicit* Dominus vobiscum, Sursum corda, *aut* Gratias agamus Domino Deo nostro, *cum nullus sit qui respondeat? aut in Canone*, & omnium circumstantium, „cum nemo adsit? aut quem „invitat ad orationem, cum dicit, *Oremus*, „cum nullus sit qui secum oret? Aut ergo ista „penitus reticenda sunt, & non solùm non erit „perfectum sacrificium, verùm etiam incurret, „quisquis est ille, illam terribilem sententiam: *si quis tulerit de hoc, tollat Deus partem ejus de libro vitæ*: „aut si hæc muris & parietibus „insusurraverit, ridiculosum erit. Quapropter „illa periculosa superstitio, maximè à Mona„steriis Monachorum, exterminanda est. Pro„videant autem Prælati, ut Presbyteri in Cœ„nobiis & in aliis Ecclesiis cooperatores habe„ant in celebratione Missarum. Si quis hæc „transgressus fuerit, ab officio suspendatur. Similiter Theodulfus Aurelianensis Episcopus in suo Capitulari ad Clerum cap. 7. ait: *Sacerdos Missam solus nequaquam celebret. Esse enim debent, qui ei circumstent, quos ille salutet, à quibus ei respondeatur, & ad memoriam illi reducendum est illud Dominicum*: Ubicumque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, & ego sum in medio eorum. Ratherius item Veronensis Episcopus editus à Luca Dacherio *tomo 2. Spicilegii* in epistola Synodica ad Presbyteros, *Nullus solus Missam cantet.* Porrò cantare Missam Priscorum phrasi illi etiam dicebantur, qui sine cantu & privatim celebrabant. Ita loquuntur Cluniacenses in statutis ante annos sexcentos scriptis, quæ extant tomo 4. Spicilegii, lib. 2. cap. 30. *Sacerdotes possunt sine licentia Missas privatas cantare.* Sic etiam loquitur liber usuum Ord. Cistercien. ante annos quingentos conscriptus cap. 59. *Per totum annum possunt fratres cantare Missas privatim tempore lectionis & post offerendam Missæ in conventu*, ideſt, post offertorium Missæ conventualis. Et infra, *Qui cantant privatas Missas, moderentur ita voces suas tam ipsi quam adjutores eorum, ne alii impedimentum patiantur.* Rejectæ itaque & reprobatæ fuerunt Missæ solitariæ, quæ à solo sacerdote nemine adstante & respondente dicebantur, hac potissimum ratione, quia absurdum visum est, quod Sacerdos diceret, *Dominus vobiscum, Sursum corda, Gratias agamus*, cum nullus responderet: aut invitaret ad orandum dicens *Oremus*, nemine præsente qui secum oraret; & in canone memoriam faceret omnium circumstantium, cum nemo adesset.

VI. Fuerunt etiam aliqui plus justo scrupulosi, qui, ne mendaces invenirentur, si ad unum solum præsentem plurales salutationes dirigerent;

rent; à sacrificii oblatione abstinebant, nisi præter Clericum ministrantem unus saltem præsens adesset, ut verè posset celebrans duobus astantibus dicere, *Dominus vobiscum*, & *Orate Fratres*. Extat canon de hac re apud Gratianum de consec. dist. 1. c. 61. „Hoc quoque, inquit, statu„tum est, ut nullus Presbyterorum Missarum „solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præ„sentibus, sibique respondentibus ipse tertius „habeatur: quia cum pluraliter ab eo dicitur „*Dominus vobiscum*, & illud in secretis *Orate pro* „*me*, aptissimè convenit, ut ipsius respondeatur „salutationi. Idem sancitum fuit in Concilio Colonienſi p. 2. c. 18. Et liber usuum Cistercien. *Qui Missam*, ait, *cantare voluerit, duos testes habeat*. Refert autem Gratianus præcitatum canonem ex Soteris Papæ Constitutionibus: ab aliis tribuitur Anacleto, in cujus epist. 1. leguntur hæc verba: *Sacerdotes quando Domino sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, ut Domino perfectè in sacratis Deo sacrificare locis probentur*. Micrologus cap. 2. utrique adscribit. At neutri convenire certissimum est; nihil enim magis alienum à praxi & spiritu illius seculi, quam solitariæ Missæ celebratio, nec puto voluisse sanctos illos Pontifices editâ lege abusum tollere, qui nonnisi post aliquot sæcula inter Monachos irrepsit. Nota est Laurentii Diaconi ad Sixtum vox, cum duceretur ad martyrium, *Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueveras*, ita enim ferebant illorum temporum recepti mores: & aliunde constat Anacleti epistolam supposititiam esse, & ex malè compactis recentiorum sententiis consarcinatam. An verò usus sacrum agendi sine ministro nunc omnino sublatus sit, fateor me ignorare. Memini tamen, me legisse, quibusdam Monachis, sive Eremitis perpetuò inclusis indultum aliquando à Romano Pontifice, ut soli possent sine respondente sacrificium offerre: idque de inclusis confirmat glossa ad citatum canonem Gratiani. Nec alienum à ratione videri debet, quod quis solus dicat *Dominus vobiscum*; nam his verbis salutatur Ecclesia, quæ est una in multis, & tota in singulis, ut doctè probat Petrus Damiani in opusculo ad Leonem inclusum, qui hujus dubii solutionem ab eo petierat, an liceret Eremitis, cum singulares in cellula commorantur, dicere *Dominus vobiscum*: cui lucubrationi titulum idcircò præfixit, *Dominus vobiscum*. Multa congerit Petrus, ut hoc licitum esse ostendat, quæ apud ipsum legi possunt. Quòd si Sacerdos, cum solus recitat nocturnas & diurnas preces, omnia pluraliter profert, quæ plurali numero in divinis officiis digesta sunt; dicit enim *Venite adoremus, venite exultemus, Oremus, Benedicamus*, cum nemo illic sit, qui secum adoret, exultet, oret, benedicat; cur id non liceat sacrificium offerenti, cum id agat in persona totius Ecclesiæ, cujus corpus unum est unius fidei soliditate subsistens, & vivificantis spiritus una virtute perfusum; Nulla igitur absurditas est in plurali salutatione, cum quis solus Missas agit, licet hodie fieri nequeat sine speciali Apostolicæ Sedis dispensatione, contrario usu, qui olim vigebat, dudum antiquato, & Ecclesiasticis legibus abrogato.

## CAPUT XIV.

*Missæ privatæ perpetuus usus Veterum testimoniis & exemplis probatur ab initio Ecclesiæ & deinceps. Idem variis argumentis ostenditur. In una Ecclesia plura altaria, pluresque Missas, olim fuisse. Missæ sine communicantibus antiquissimæ. Diluitur objectio ex Epistola S. Francisci.*

I. SEmper viguit in Ecclesia privatæ Missæ, uno saltem præsente & ministrante, laudabilis consuetudo, quam Hæretici Misoliturgi aliquando prohibitam fuisse nunquam poterunt demonstrare. Sive enim dicatur privata à loco, quia in privato aliquo Oratorio agitur: sive à tempore, quia non festis, sed privatis diebus fit: sive ab assistentibus, quia vel unus dumtaxat, vel pauci ei interſunt: sive ex eo quod solus Sacerdos in ea communicet: sive alia quacumque ex causa: semper eam licitam, semperque in usu fuisse, probatissimis veterum Patrum testimoniis & exemplis demonstrabo. Nam primò Apostoli circa domos panem frangebant, Eucharisticum videlicet, ut illorum acta testantur. Viros deinde Apostolicos, qui eos proximè sequuti sunt, sæpè privatim celebrasse in domibus, in carceribus, in cryptis, in cœmeteriis, in tuguriis, ex his quæ hic & infra Cap. XIX. dicemus, manifestum erit. Tertullianus lib. de fuga in persecut. cap. 14. *Si colligere interdiu non potes, habes noctem. Non potes discurrere per singulos, sit tibi & in tribus Ecclesia*. Ac si diceret, si die lucescente, atque omni-

omnibus congregatis celebrare non potes, noctu celebra & privatim, etiamsi vel tres soli præsentes sint. Hoc autem sensu Missa privata *Collecta* sive *Synaxis* dici non potest, & ideò Augustinus in Breviculo Collationum diei tertiæ *Collectam à Dominico*, tanquam speciem à genere distinguit. Scribit Eusebius in vita Constantini *lib.4. cap.17.* eum statim post baptismum Oratorium in Palatio extruxisse, quin & ambulatoriam Ecclesiam sive motorium templum habuisse, cum in castra proficiscebatur, cujus exemplum nobiles Palatinos postea sequutos esse narrat Sozomenus *lib. 1. cap. 8.* ne Missæ sacrificio etiam in castris carerent. Idem Eusebius *ibid. cap.45.* refert, Episcopos, qui ex omnibus provinciis ad dedicationem Ecclesiæ Hierosolymorum copiosa multitudine convenerant, incruenta sæpius sacrificia obtulisse. Marcellum Papam sæpe in domo Lucinæ celebrasse Acta ejus commemorant. Gregorius Nazianzenus orat. 19. in laudem Patris, eum in cubiculo suo Sacrum egisse asseverat: & in encomio sororis suæ Gorgoniæ domesticum ei altare fuisse testatur. Meminit etiam Oratorii privati Avitus Viennensis *epist. 6. ad Victorium Episcopum.* Paulinus Nolanus ante lectulum suum parari sibi altare jussit, ibique Sacrificium obtulit, Uranio teste in ejus vitâ, paucis horis antequam moreretur. De Ambrosio hoc refert Paulinus Presbyter, qui gesta ejus conscripsit: „Per idem tempus cum trans Tybe„rim apud quendam clarissimam invitaretur, ut „sacrificium in domo offerret, quædam balnea„trix, quæ paralytica in lecto jacebat, sellulâ „ad eandem domum portari se fecit, & osculatis ibidem sancti viri vestimentis sanata est. Augustinus *lib. 22. de Civit. Dei cap. 8.* missum fuisse ait unum ex Presbyteris in domum cujusdam Hesperii à malignis spiritibus vexatam, qui obtulit ibi sacrificium Corporis Christi, & cessavit vexatio. Cabades Rex Persarum, ut Theophanes scribit anno Christi 508. audiens ingentium pecuniarum & pretiosi lapidis congeriem in quodam castro repositam esse, ipsum occupare conabatur. Dæmones autem ipsum thesaurum custodientes impedimento illi erant; quare admota Magorum & Judæorum arte, nec eo potitus, Episcopum Christianum præcepit adduci, qui peracta Synaxi & particeps factus divinorum mysteriorum dæmones expulit, & nullo negotio castrum tradidit Regi, qui eo miraculo commotus potestatem fecit, ut quicumque vellet ad baptismum accederet. Iterum Augustinus *lib. 3. contra Cresconium Donatistam cap. 29.* Acta publica refert, quibus Sylvanus convincebatur plures cujusdam Ecclesiæ calices tradidisse, ex quo non leve indicium sumitur, plures Missas in ea privatim actas, neque enim tot calices necessarii fuissent, si sola solemnis acta foret. Chrysostomus *homil. 3. in epist. ad Ephesios, & 17. ad Hebræos*, quotidianam oblationem suo tempore fieri solitam affirmat: idemque Hieronymus asserit *in cap. 1. epist. ad Titum.* Concilium Agathense *c. 21.* privata Oratoria in agris permisit, in quibus Missa haberi posset, etiam in festivitatibus, exceptis diebus Paschæ, Natalis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, sancti Joannis Baptistæ, & aliis, si quæ fuerint, majoribus solemnitatibus. Gregorius Magnus *lib. 5. epist. 43.* mandat Joanni Episcopo Syracusano, ut Missas agi permittat in domo Venantii Patricii. *Et hom. 37. in Evang.* de Cassio Narnjensi Episcopo sermonem habens, morem illi fuisse ait, quotidianas Deo hostias offerre, ita ut penè nullus dies vitæ ejus abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Tum ait, eumdem morti proximum in Episcopii Oratorio Missas fecisse. Joannes Eleemosynarius, ut Leontius narrat in ejus vita cap. 41. cum populum vidisset ab Ecclesia egredi post lectum Evangelium & ipse exiit, seditque cum turba dicens: Ego propter vos descendo in sanctam Ecclesiam, nam Missas poteram mihimet facere in Episcopio. Barlaam Presbyter, ut ex Joannis Damasceni narratione didicimus, in cubiculo Josaphat, ipso solo præsente, sacrum peregit. Ven. Beda *lib. 4. hist. Anglorum cap. 14.* pestiferam mortalitatem intercessione Osuvaldi Regis sublatam describens, Missas ait celebratas fuisse per cuncta Monasterii Oratoria pro gratiarum actione. Plura autem Oratoria loco & situ separata in monasteriis extruere usus antiquissimus fuit, nam S. Benedictus teste Gregorio Magno *lib. 2. Dialog. cap. 8.* in montis Cassini summitate duo ædificavit, unum Sancti Joannis Baptistæ, alterum S. Martini. Et Maurus ejus discipulus, teste Fausto in vita ipsius, quatuor in suo monasterio construxit, in honorem SS. Petri Apostoli, Martini, Severini, & Michaëlis Archangeli. Concilium Toletanum XVI. cap. 8. quotidie Missas peculiares pro Rege & filiis celebrari præcepit. Extat & Rescriptum Zachariæ Papæ ad Pipinum Regem, mandans nullum Oratorium pro Missis privatis, nisi prius dotatum ab Episcopo consecrari. Theodulfus Aurelianensis in

in suo Capitulari *cap.* 45. decrevit ut Missæ, quæ per dies Dominicos peculiares à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus à publicis Missarum solemnibus, quæ horâ tertiâ canonicè fiunt, abstrahatur. In Chronico Centulensi *Tomo* 4. *Spicilegii lib.* 2. *cap.* 11. extat constitutio Angelberti Abbatis, qua præcipit singulis diebus triginta saltem Missas in diversis altaribus à Monachis agi, in quibus memoria haberetur Adriani Papæ & Caroli Magni, qui tunc vivebant. Grodegandus Metensis Episcopus, qui tempore Pipini vixit, in regula Canonicorum *Tom.* 1. *Spicilegii edita cap.* 42. meminit eleemosynæ datæ Sacerdotibus pro Missis privatis. Apud Christophorum Brouverum *lib.* 3. *Antiq. Fuldensium cap.* 12. supplex libellus à Monachis porrectus legitur, in quo petunt inter cætera, ut possint presbyteri Missas sæpius celebrare, utque competens ad hoc spatium eis detur, sicut à majoribus suis dabatur. Jonas Aurelianensis *lib.* 1. *Institut. Laicalium cap.* 11. *tom.* 1. *Spicil.* ait Sacerdotes tunc solitos fuisse sacrificium Deo offerre in ædiculis extrà templum ædificatis.

II. Nullus erit finis, si paginas implere voluero Scriptorum Ecclesiasticorum testimoniis, asserentium Missas privatas sæculo nono, decimo, & sequentibus in usu fuisse; sed & superfluum est, nam ipsimet Sectarii hoc fatentur, qui privata sacrificia sine frequentia & communione veteri Ecclesiæ ignota fuisse procaciter affirmant, cœpisse autem dicunt octavo seu nono sæculo Ære Christianæ. Horum pervicacia ut fortiùs reprimatur, alia quædam argumenta & indicia præterire non possum, quibus privatæ Missæ antiquitas uberiùs confirmetur. Et primum quidem argumentum desumitur ex Missis, quæ quotidiè in honorem Sanctorum fieri consueverunt: cujus moris Gregorius Papa testis irrefragabilis est *lib.* 7. *ep.* 29. *Indict.* 1. ad Eulogium Alexandrinum: *Nos*, inquit, *penè omnium Martyrum, distinctìm per dies singulos passionibus, collecta in uno Codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus.* Ideò antiquis Calendariis pauca Sanctorum nomina inscripta legimus, illorum scilicet quorum dies Natalis festivo populi concursu, & solemni sacrificio colebatur, & hi olim exiguo numero continebantur. De cæteris Missæ privatæ diebus singulis agebantur, tametsi Calendario non essent adscripti. Alterum indicium suppeditant Missæ pro defunctis, quæ particulariter & privatim quotidie agebantur. Nam Concilium Vasionense II. actum anno 529. ut peritiores Chronologi ostendunt, licèt cum primo in vulgatis editionibus confundatur, Missas Defunctorum à Missis publicis distinguit, statuens cap. 3. ut in Missis, quæ fiunt in Defunctorum commemorationibus, semper *Sanctus* dicatur, eo ordine quo dicitur ad Missas publicas. Et Amalarius *lib.* 4. *cap.* 42. loca quædam fuisse testatur, in quibus quotidie Missa pro defunctis celebrabatur. Tertium ex multitudine Sacerdotum deduci potest, qui quotidie sacris operari solebant. Erant autem multi in eadem Ecclesia, & Cornelius Papa ad Eusebium *lib.* 6. *hist. cap.* 43. scribens ad Fabium Episcopum Antiochenum, quadraginta quatuor tunc Romæ fuisse asserit, quos specialibus Ecclesiis addictos fuisse non constat; neque enim scimus, an tot fuerint sub Cornelio in Urbe tituli, sive Basilicæ. Quidam etiam, saltem ante Concilium Chalcedonense, à quo id prohibitum est, sacerdotio initiabantur, nec ulli certæ Ecclesiæ alligabantur, sicut de seipso S. Paulinus ep. 6. ad Severum scribit, *Ea conditione in Barcinonensi Ecclesia consecrari adductus sum, ut ipsi Ecclesiæ non alligarer, in sacerdotium tantùm Domini, non etiam in locum Ecclesiæ dedicatus.* Eadem libertate S. Hieronymus à Paulino Episcopo Antiocheno, ut ipse inquit, *ep.* 61. *c.* 16. Presbyter ordinatus fuit. Eodem modo Flavianus Macedonium Anachoretam ordinavit, quem laudat in historia Monastica *c.* 13. Theodoretus. Et hos tamen sæpiùs celebrasse nemo dubitabit; sed privatim, quia titulo & Ecclesia carebant.

III. Non leve tandem indicium Missæ peculiariter actæ præbet altarium multitudo in eadem Ecclesia, de quibus veterum Patrum testimonia non desunt. Gregorius Magnus *lib.* 5. *epist.* 50. ad Palladium Santonensem Episcopum: *Veniens*, inquit, *lator præsentium insinuavit nobis, Fraternitatem vestram Ecclesiam construxisse, atque illic tredecim altaria collocasse, ex quibus quatuor necdum dedicata comperimus remansisse.* Loquitur autem de altaribus ad usum sacrificii, nam & reliquias Sanctorum ipsi Episcopo mittit in eis collocandas; atque eidem præcipit, ut provideat, ne ibidem servientibus alimoniarum suffragia desint. Acca Episcopus, ut refert Beda *lib.* 5. *hist. cap.* 21. acquisitis undecumque reliquiis beatorum Apostolorum & Martyrum, in venerationem illorum altaria ædificavit distinctis porticibus intra muros Ecclesiæ. Plura item altaria Romæ fuisse in Basilica Principis Apostolorum, non solùm ad Orientem juxtà ritum Ecclesiæ,

sed & in alias partes distributa scribit Walfridus cap. 4. Apud Bedam Missas actas in cunctis Oratoriis monasterii: plura item Oratoria constructa à Sanctis Benedicto & Mauro, jam suprà commemoravimus. Alia hujusmodi occurrunt passim in actis Sanctorum, & in chronicis ac Ritualibus Monachorum, sive fuerint Oratoria à corpore Ecclesiæ muro sejuncta, sive altaria sub eodem tecto; quæ sanè multiplicatio inutilis proculdubio fuisset, si non nisi semel in die sacrificium offerre in eadem Ecclesia licuisset. Græcorum alia est consuetudo, unicum enim altare in singulis Ecclesiis habent, nec fas esse putant intra septa ejusdem templi sacrum eâdem die iterare. Ideò Patres & Historici Græci unius tantùm altaris in una Ecclesia mentionem faciunt; cujus unitatis analogiam inde accipi ferunt, quia unus est Christus, una Ecclesia, unicum Sacrificium. Unigenam aram vocat Tyrius Orator in Panegyrico Encœniorum templi à Paulino Episcopo ædificati, quem libro X. suæ historiæ inseruit Eusebius. An verò hic ritus ab Ecclesia Latina olim receptus fuerit, non liquet; nisi quod huc respexisse videtur Concilium Antisiodorense anno 578. ut Sirmondus docet, celebratum, cum cap. 10. edicit, non licere super uno altario una die duas Missas dicere. Verùm hæc synodus Oecumenica non fuit, fortassis de Missis solemnibus intelligi debet: nam statim subdit, non licere Presbytero sacrum facere in altario, in quo illa die Episcopus Missas dixerit: quod de quacumque Missa interpretor, ne eadem sanctio bis inutiliter repetita censeatur. Porrò Græci tametsi unicum in Ecclesia altare habeant, plura tamen ipsi Ecclesiæ proxima, muroque disjuncta construunt Sacella sive Oratoria, quæ *Pareccleſiæ* ab illis vocantur, quasi Ecclesiarum Appendices, in quibus pro festis diebus, ut refert Goar in notis ad Euchologium pag. 16. Liturgias privatim agunt, feriâ secundâ de Angelis, tertia de B. Virgine, quartâ de S. Joanne Baptista, quintâ de Apostolis, sextâ de cruce, Sabbato pro defunctis. Non omnes tamen Pareccleſiæ templi muro adhærent, sed quædam longè absunt, & per ambitum monasterii dispersæ sunt, celebrantque in his Hebdomadarii per vices, ut notat Leo Allatius in epist. ad Joannem Morinum de Græcorum recentiorum templis. Et Græci quidem pristinum morem constanter retinuerunt: Latini autem, quamvis antiquitus plura Oratoria loco dissita in monasteriis habuerint, ea jam pridem in majorem Ecclesiam, variis ædificatis altaribus, transtulerunt.

IV. Ajunt nonnulli, quorum sententiæ non invitus accedo, crevisse numerum altarium & Sacerdotum, postquam populus, qui Missæ aderat, aderant autem omnes, desiit communicare: nam cum omnes uni Missæ præsentes erant, & communicabant, pluries celebrare necessarium non erat. Quo verò tempore desierint Fideles, qui Missæ intererant, Sacramenti participes fieri; & quando in una Ecclesia plures Missæ dici cœperint, non est facilè definire: utrumque tamen antiquissimum est. Leo Magnus in ep. ad Dioscorum Alexandrinum mandat iterari sacrificium, cum Fidelium multitudo tanta est, ut omnes simul Basilica recipere non possit; ex hoc enim sequeretur, quod una pars populi suâ devotione privaretur, si unius tantum Missæ mos servandus esset. Tum ait, plenum pietatis ac rationis esse, ut, quoties Basilicam præsentia novæ plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur. Hanc verò Sacrificii iterationem S. Pontifex præcepit ex more, qui tunc Romæ vigebat, *Ut in omnibus*, inquit, *observantia nostra concordet*. Et infrà. *Ut quod nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis insedit, tua quoque cura non negligat*. De S. Pontifice Deus dedit auctor Pontificalis sic scribit: *Hic constituit secundam Missam in Clero*. Ad quæ verba Petrus Urbevetanus in scholiis ait: *Quia tunc forsitan ad instar Græcorum non cantabatur in Ecclesia nisi una Missa, quod magis ædificabat secundum antiquos*. At ex allato Leonis testimonio patet, morem iterandi sacrificium multò ante in Romanam Ecclesiam inductum fuisse. Prosper etiam *lib. de prædictionibus dimidii temporis cap. 6.* bis intrà paucas horas sacrum oblatum scribit in eadem Ecclesia. Huc item referenda sunt, quæ de duplici Sacro eadem die celebrato Cap. XVIII. afferemus, cum de diebus polyliturgicis agendum erit.

V. Missas præterea nemine communicante antiquis Patribus cognitas fuisse, notissimum est. Chrysostomus tom. 3. in epist. ad Ephesios, *Frustra est*, inquit, *quotidianum sacrificium, frustra adstamus altari, nemo est qui participet*. Idem repetit hom. 61. ad populum Antiochenum. Et hom. 5. in epist. 1. ad Timoth. postquam mala recensuit indignè communicantium, in eorum persona objicit sibi, *Quomodo ista perpetimur, cum semel tantùm per annum ea sacramenta sumamus?* In Mediolanensi Ecclesia quoti-

quotidie oblatum sacrificium docet Ambrosius serm. 34. in quo populum adhortatur, ut, qui non est legitimè impeditus, singulis diebus interesit Missæ. Mox admonet, ut in Quadragesima, die saltem Dominico offerant & communicent. Cùm igitur populo suadeat, quotidie Missam audire, in Quadragesima verò saltem die Dominico communicare, satis evidenter ostendit, nullam tunc fuisse consuetudinem in illa Ecclesia toties communicandi, quoties Missa audiretur. Gennadius Massiliensis *lib. de Eccl. dogm. cap.* 53. populum item hortatur ad communicandum omnibus Dominicis diebus, si tamen mens sine affectu peccandi sit. Concilium quoque Agathense præcipit Sæcularibus, ut die Dominico Missam audiant: ad communionem verò eos non adigit, nisi in die Nativitatis Domini, Paschatis, & Pentecostes. Varios autem hac de re cujusque Ecclesiæ mores fuisse, asserit Augustinus *epist.* 118. ubi ait, alios quotidie, alios dumtaxat certis diebus communicasse: quam varietatem prolixè describit Walfridus Strabo *cap.* 20. qui rursum de eadem differens *cap.* 22. hoc addit: *Esse quosdam, qui semel in die communicare, etiamsi pluribus interfuerint Missis, pro dignitate sacramentorum sufficere credant: esse verò alios, qui sicut in una, sic in omnibus quibus affuerint Missis in die communicare velint, quorum neutros culpandos existimo.* Erant igitur vivente Strabone nonnulli Fideles adeò tenaces prisci moris communicandi in Missa cui aderant, ut communionem sæpiùs sumere eadem die non dubitarint, si pluribus Missis interessent. Verùm hujùs moris an alii præter Strabonem testes proferri possint, haud scio. Usus autem communicandi, quoties quis sacris intererat, jampridem desierat, ut modo ostensum est ex testimonio Chrysostomi, Ambrosii, & aliorum, in utraque Ecclesia Græca & Latina. Primi & secundi post Christum sæculi felicitas hæc fuit, cum multitudo Credentium, quorum erat cor unum & anima una, ardentissimo Dei amore succensa nihil impensiùs desiderabat, quàm ad hoc supercæleste convivium accedere, in quo anima de Deo saginatur, ut loquitur Tertullianus. At propè finem tertii cœpit fervor ille languescere, & numerus communicantium imminui: quam tepiditatem ægrè ferentes Patres Concilii Illiberitani *cap.* 28. statuerunt, Episcopum non debere munera ab eo accipere qui non communicat. Patres item Concilii Antiocheni *can.* 2. omnes, qui ingrediuntur Ecclesiam, & se à perceptione sanctæ communionis avertunt, ab Ecclesia removeri decreverunt. Patres denique Concilii Toletani I. *cap.* 13. eos abstineri præceperunt, qui intrant Ecclesiam & non communicant. Ex quibus infertur, hanc desuetudinem, quæ sanctis illis Episcopis multùm displicuit, eo tempore cœpisse, quo Concilium Illiberitanum actum est, labente nimirum tertio sæculo, ut probabilior sententia fert, quam solidè probat Morinus *lib.* 9. *de pœnitentia cap.* 19. & illi quidem infrequentiam communionis damnarunt, nunquam tamen dixerunt, ideò à Missæ celebratione abstinendum, quia nulli essent qui vellent communicare, alioquin deterior foret Sacerdotis quàm populi conditio, si tunc solum celebrare posset, cum adsunt communicantes, his verò deficientibus non posset, ut ipsemet de corpore & sanguine Domini participaret.

VI. Multa objiciunt Sectarii, ut Missam privatam abrogandam esse persuadeant, quibus doctissimè satisfecerunt Bellarminus & alii, qui in hac palæstra summâ cum laude desudarunt. Nequeo tamen unum illorum argumentum omittere, quod ex epistola S. Francisci ad Sacerdotes sui Ordinis desumunt, summoperè exultantes ac si per eam praxis privatim celebrandi radicitus evellatur. Epistolæ verba hæc sunt. „ Moneo præterea & exhortor in Domino, ut „ in locis, in quibus morantur fratres, una tantùm „ Missa celebretur in die, secundùm formam „ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Si verò in loco „ plures fuerint Sacerdotes, sit per amorem charitatis alter contentus auditâ celebratione Sa„ cerdotis alterius. En, inquiunt, vir Dei unam dumtaxat in die Missam admittit, idque secundùm formam Romanæ Ecclesiæ. Porrò Catholici vim hujus objectionis variis modis declinare nituntur. Lucas Waddingus longo commentario ostendit, eum loqui de Missa publica & conventuali, privatas autem cujusque arbitrio reliquisse. Alii dicunt, non determinari qualis sit, vel esse debeat illa Missa, solemnisne an privata, & sic contra ritum privatim offerendi nihil ex hoc testimonio concludi. Sunt etiam qui dicant, agi ibidem de sola quinta feria ante Pascha, non de aliis diebus. At hæ solutiones parum solidæ mihi videntur, nam vim afferunt textui, in quo manifestè hortatur, ut una tantùm in die Missa dicatur, cui reliqui Sacerdotes intersint eâ contenti. Ideò alii, ut se faciliùs à difficultate expediant, falsam esse ajunt & suppositiam epistolam, sanctoque viro perperam tribui; dicit enim

Romanæ Ecclesiæ tunc morem fuisse, ut una tantum Missa diceretur, quod procul à vero distat, nec fas est suspicari, virum sanctum aut scienter mendacium scripsisse, aut Ecclesiæ Romanæ usum, qui tunc vigebat, ignorasse. At ego admissâ epistola tanquam vera, & legitima, sumptam ex ea objectionem nullo negotio dilui posse existimo, si dixerimus, Seraphicum Patrem, qua humilitate à Sacerdotii susceptione ipse abstinuit, eâdem hortari suos ne quotidie celebrent. Quod verò ait *secundum formam Romanæ Ecclesiæ*, de ritu servando in ipsa celebratione exponi & intelligi debet; neque trahendum ad unicam celebrationem, ac si ea tunc foret Romanæ Ecclesiæ institutio: Optimè enim noverat plures in die fieri oblationes; sed sicut in regula præcepit, ut fratres officium recitarent secundùm morem Romanæ Ecclesiæ; ita hic monet, ut secundùm formam ejusdem Ecclesiæ agantur Missæ: tum humilitatis causa, & ne Sacerdotes ex frequenti celebratione tepidiores fierent, hortatur, ut unica oblatione, cui omnes interessent, contenti, reliquis abstinerent. Quia verò sciebat, id contra usum communiter receptum esse, sola exhortatione usus est, non præcepto. Scio quidem, Cartusianos, & alios quosdam Monachos unam tantum Missam, ad quam omnes conveniebant, solis diebus Dominicis & solemnioribus antiquitus egisse, ut ostendam Capite XVIII. sed in Romana Ecclesia nunquam legi hunc usum fuisse. Si autem hæc solutio non placeat, respondendum erit, singularem unius quantumvis Sancti assertionem, seu opinionem non tanti esse, ut justè possit aliis innumerabilibus & omni exceptione majoribus, qui pro usu privatæ Missæ testimonium perhibent, anteponi, eorumque vim ac auctoritatem infringere ac superare.

## CAPUT XV.

*Alia quædam Missarum genera. Missarum de Tempore & de Sanctis ratio & antiquitas. Quæ sint Missæ votivæ. Sacrificium pro defunctis ex Apostolica traditione offerri. De Missa Præsanctificatorum. Addita quædam de ea quam siccam vocant. Refertur quorundam abusus, qui plures Missas in unam congerebant.*

I. SIc stabilitâ tam publicæ quàm privatæ Missæ vera notione & antiquitate, ad alia earum genera explicanda procedendum est. Primò autem occurrunt, quæ de Tempore dictæ sunt: sicut enim annus solaris quatuor temporum successione dilabitur, hiemis scilicet, veris, æstatis, & autumni; ita annus ecclesiasticus suas habet temporum varietates, in quibus vitæ, passionis, & doctrinæ Christi mysteria, fideique nostræ sacramenta recoluntur. Anni verò solaris cum Ecclesiastico Analogiam diffusè explicat *lib. 6. sui Rationalis* Guil. Durandus, ubi docet, hiemem repræsentari à Septuagesima usque ad Pascha, ver ab Adventu usque ad Septuagesimam, æstatem à Paschate usque ad octavam Pentecostes, & ab hac usque ad primam Dominicam Adventus autumnum. Quædam autem officia propria Missarum his temporibus assignata fuisse, vel ab Apostolis, vel ab eorum successoribus, quæ ideò de tempore nuncupantur, antiqua traditio est. Festa siquidem Nativitatis, Epiphaniæ, Resurrectionis, & Ascensionis Christi, ac Pentecostes, & jejunia Paschæ solemnitatem antecedentia, atque his diebus Synaxes Apostolica institutione cœpisse, testes sunt Constitutiones Apostolicæ, Tertullianus lib. de jejuniis, Theophilus Alexandrinus in Epistolis Paschalibus, Irenæus apud Eusebium lib. 5. historiarum: & in his convenerunt omnes Ecclesiæ; licet de die, quo Nativitas Domini, ejusque Apparitio, ac Resurrectio coli deberent, lites olim acerrimæ motæ sint. De tempore Adventus ante Nativitatem mentio fit in Concilio Turtonensi II. cap. 17. & in Matisconensi I. cap. 9. quæ ante Gregorium Magnum acta sunt. Officia verò & Liturgiæ tum his diebus, tum singulis Dominicis, certisque feriis per annum agendæ, extant in antiquissimis sacramentorum libris sanctorum Pontificum Gelasii & Gregorii, & in Lectionario sancti Hieronymi, atque in Ordine Romano.

II. Aliæ Missæ sunt, quæ in honorem Sanctorum agi solent, cum illorum memoria annuâ solemnitate recolitur. Audiendus de his Cyprianus epist. 34. *Sacrificia pro eis*, pro eorum scilicet honore, *semper offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniversariâ commemoratione celebramus.* Et epist. 37. ad Clerum suum, diligenter annotari mandat dies, quibus Martyres excedunt, ac sibi significari; *ut*, inquit, *celebrentur hic à nobis oblationes & sacrificia ob commemorationes eorum*: quo testimonio nullum præstantius. Ad idem respexit Cypriani Magister Tertullianus, cum libro de corona militis cap. 3. ait,

ait, *oblationes pro natalitiis annua die facimus*; quem locum malè detorquet Rhenanus ad cujusque diem natalem more Ethnicorum, quod valde alienum est à spiritu Christianorum illius ævi, & à severitate Tertulliani. Confirmant ejusdem ritus antiquitatem Ecclesiæ Smyrnensis Fideles in epistola, qua Polycarpi martyrium describunt apud Eusebium *lib.* 4. *hist. Eccl. cap.* 15. ejusque ossa se collegisse ajunt, & in loco decenti condidisse; & in eodem loco natalem ipsius hilari conventu, qui sine sacrificio non erat, quotannis celebraturos. Subscribit Augustinus *lib.* 8. *De Civ. Dei cap.* 27. ubi docet, non sanctis Martyribus, sed Deo sacrificium offerri, cum Sacerdotes in honorem ipsorum sacrum faciunt. „Quis, inquit, audivit aliquando stantem Sacer„dotem ad altare, etiam super sanctum corpus „Martyris ad Dei honorem cultumque constru„ctum, dicere in precibus: offero tibi sacrifi„cium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum „apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos „& homines, & Martyres fecit? Idem fusiùs prosequitur lib. 20. contra Faustum Manichæum hæc inter cætera scribens: „Populus „Christianus memorias Martyrum religiosa so„lemnitate concelebrat, & ad excitandam imi„tationem, & ut meritis eorum consocietur, „atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut „nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sa„crificemus, quamvis in memorias Martyrum „constituamus altaria. Quis enim Antistitum „in locis sanctorum corporum assistens altari, „aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut „Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, „offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud „memorias eorum, quos coronavit. Porrò citati Patres de solis Martyribus loquuntur, quia Confessorum festivitates seriùs in Ecclesia receptæ sunt; & in Frontonis Calendario ante nongentos annos scripto non nisi quatuor adscripti sunt, Martinus scilicet Turonensis, Gregorius Magnus, Leo Papa, & Sylvester. Cum autem Martinus obierit anno Domini 402. ut Baronius computat, Temporis notam habemus, quo festa sanctorum Confessorum celebrari cœperunt, nam ipsi primùm hic honor delatus fuit, in cujus postea memoriam S. Benedictus in monte Cassino Oratorium construxit.

III. Sunt & Missæ, quæ pro aliqua speciali causa aut necessitate seu publica seu privata interdum celebrantur, quæ Votivæ dicuntur. Ad has spectant Missa quam scribit Augustinus *lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 8. actam in domo privata, ut liberaretur à spirituum vexatione: Missa quam Prosper *lib. de Prædict. dimidii temporis cap.* 9. narrat celebratam in gratiarum actionem ob puellæ à diabolo obsessæ liberationem: Missa pro Catechumenis Feriâ quartâ post quartam Dominicam Quadragesimæ, cujus mentionem faciunt Amalarius *lib.* 1. *cap.* 8. & ordo Romanus: Missa ad prohibendum ab idolis, quæ olim Kalendis Januarii fieri solebat, de qua Menardus in notis ad librum sacramentorum pag. 33. Quotquot denique pro aliqua, ut dixi, necessitate, vel in B. Virginis, sive Sanctorum venerationem extra solemnes eorum festivitates, & antiquitus agebantur, & nunc quoque aguntur, inter votivas computandæ sunt. Orabat autem & offerebat vetus Ecclesia non solùm pro omnibus in ea viventibus, sed etiam pro infidelibus, ut eos Dominus ad fidem converteret, & pacem illis ac prosperitatem largiretur. Notissimum est illud Tertulliani ad Scapulam, *Christianus nullius est hostis, nedum Imperatorii, quem sciens à Deo suo constitui, necesse est ut & ipsum diligat, & revereatur, & honoret, & salvum velit cum toto Romano imperio. Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris.* Et ante ipsum Apostolus *ep.* 1. *ad Timoth. cap.* 2. præcepit fieri obsecrationes pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt: & tamen Reges tunc Deum non colebant, ut Chrysostomus *hom.* 6 *in hanc epistolam* notat, sed in infidelitate multis postea temporibus perstiterunt. In libro sacramentorum Reginæ Suecorum ante annos nongentos scripto plures leguntur Missæ votivæ, quarum refero inscriptiones. Pro salute Fidelium vivorum, pro iter agentibus, in tribulatione, in natali Presbyteri qualiter sibi Missas agat, tempore mortalitatis, pro mortalitate animalium, pro sterilitate, ad postulandam pluviam, ad poscendam serenitatem, post tempestatem & fulgura, pro his qui Agapen faciunt, Missa in Monasterio, *sive pro Monachis*; in natali genuino, *in die scilicet anniversaria, qua quis natus est*; pro sterilitate mulierum, in benedictione viduæ quæ castitatem professa sit, in consecratione virginis, tempore belli, pro Regibus, contra Judices malè agentes, in contentione, contra obloquentes, pro irreligiosis ut convertantur, pro infirmo, pro reddita sanitate, pro domus seu familiæ incolumitate. Cornelius Schultingius *Tomo* 3. *Biblioth. Eccles.* Part. 1. Missas

votivas pro variis necessitatibus, & pro diversis hominum statibus centum & quindecim ex diversarum ecclesiarum Missalibus collegit. Alias item habet P. 2.

IV. Apostolica quoque traditio est, sacrificium pro defunctis offerre. Tertullianus de cor. mil. c. 3. *Oblationes pro defunctis annua die facimus.* Idem lib. de exhort. Castitatis cap. 11. loquens de uxore defuncta, *pro cujus*, inquit, *spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis.* Et de monogamia cap. 10. *Offert annuis diebus dormitionis ejus.* Cyprianus epist. 66. ad Furnitanos, „Episcopi, ait, antecessores nostri „censuerunt, nequis frater excedens ad tutelam „vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc „fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrifi„cium pro dormitione ejus celebraretur; ne„que enim apud altare Dei meretur nominari „in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdo„tes & Ministros voluit avocare. Epiphanius *hær.* 75. inter errores Aërii hunc enumerat, quòd negaret, offerendum esse sacrificium pro defunctis. Chrysostomus hom. 69. ad Populum Antiochenum, *Non temerè*, inquit, *ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio.* Isidorus lib. de Officiis Eccl. cap. 18. „Sacrificium pro defun„ctorum fidelium requie offerri, vel pro eis ora„ri, quia per totum hoc orbem custoditur, cre„dimus quod ab ipsis Apostolis traditum sit. Augustinus tum alibi sæpe, tum præcipuè in libro de cura pro mortuis gerenda eidem veritati suffragatur. Ritum verò pro defunctis offerendi magnificè, ut solet, describit Dionysius in ecclesiastica hierarchia: & Damascenus Orat. pro mortuis, Apostolicum hoc esse institutum sanctorum Patrum testimonio ostendit. Sed pluribus testibus opus non est, nam in hunc morem tota conspirat antiquitas. Nec Fideles dumtaxat, sed etiam Ethnicos sacrificii quodam genere Defunctos coluisse docet Scævola lib. 34. digestorum tit. 1. de alim. vel cib. legat. lib. 18. §. ult. „Ci„baria & vestiaria per fideicommissum *testator* „dederat, & ita adjecerat; quos libertos meos, „ubi corpus meum positum fuerit, ibi eos morari „jubeo, ut per absentiam filiarum mearum ad „sarcophagum meum memoriam meam quotan„nis celebrent. Ad quam legem notat Gothofredus, ea sacra anniversaria fuisse.

V. Est denique Missa Præsanctificatorum, quæ tamen æquivocè dicitur Missa, cum careat consecratione corporis & sanguinis Jesu Christi. De ea scripsit Leo Allatius eruditissimam & omnibus numeris absolutam dissertationem ad Bartoldum Nihusium editam in fine operis de Ecclesiæ occidentalis atque orientalis perpetua consensione, in qua curiosus lector, quicquid ad eam pertinet, reperiet. Basilio & Chrysostomo antiquior est, ejusque origo ad Synodum saltem Laodicenam referri debet, quam Baronius *anno* 314. Nicænam antecessisse ostendit. Sancitum enim in ea fuit can. 49. *non oportere in Quadragesima panem offerre, nisi Sabbato & Dominicis tantùm.* Quibus diebus fiat, ostendit can. 52. Concilii Trullani. *In omnibus*, inquit, *sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato & Dominica, & sancto Annuntiationis die, fiat sacrum Præsanctificatorum ministerium.* Hunc morem adhuc servat. Orientalis Ecclesia, Occidentalis autem eo numquam utitur, aut usa est nisi feriâ sextâ majoris hebdomadæ. Ritus ejus apud Græcos hic est. Die Dominica præter illius diei oblationem quinque alios panes consecrant pro totidem sequentibus feriis usque ad Sabbatum. Tum singulis diebus sub vesperam conveniunt in Ecclesia, & in ipso vespertinarum precum officio Sacramentum antea consecratum proponunt & sumunt, præmissis psalmis gradualibus, & recitatis quibusdam canticis, lectionibus, & orationibus, quæ legi possunt in Euchologio cum notis Goar *pag.* 187. *& sequentibus.* Et quia panem antea consecratum, & sanctificatum sumunt, vocant hoc officium Præsanctificatorum, sive ante consecratorum; quo in sola Quadragesima, non in aliis jejuniis utuntur, quia, ut ait Theodorus Balsamon in notis ad prædictum canonem Trullanum, hoc jejunium præcipuum est, magisque solemne, & à Domino institutum.

VI. Confundunt nonnulli cum Præsanctitatis Missam quam *siccam* sive *nauticam* vocant; sed turpiter hallucinantur: nam Missa Præsanctificatorum legitimâ auctoritate instituta est, & verè in ea Christi corpus adest & sumitur, licèt antea consecratum. At Missa sicca ab indiscreta & privata quorundam devotione duxit originem, cui nimium indulgentes fuerunt Sacerdotes. Larva est & simulatio quædam veræ Missæ, sicca proculdubio & jejuna, utpotè carens non solùm consecratione, sed etiam sumptione corporis Christi, similis cœnæ ligneæ & lapideæ, quam Lampridius & alii referunt sæpe convivis suis Heliogabalum exhibuisse. Invaluit tamen adeò, ut aliquando viris sanctis & doctis non displi-

displicuerit. Guillelmus de Nangiaco Monachus in libro gestorum S. Ludovici narrat Religiosissimum Regem, cum è transmarinis partibus rediret in Galliam, corpus Christi in navi decentissimè collocari, atque ibi officia divina & Missam excepto Canone quotidie celebrari feciſſe. Eandem commendat Genebrardus *lib. de Liturgia Apostolica cap.* 30. pro his qui mane integræ Missæ intereſſe non possunt, pro navigantibus, pro infirmis, & quando defuncti post meridiem sepeliendi sunt; pro qua re in usu fuisse suis temporibus testatur, seque Taurini *anno* 1587. in exequiis viri nobilis, qui vespere sepeliebatur, hujusmodi Missæ cum Diacono & Subdiacono cantatæ interfuisse. Modum eam celebrandi sic describit Durandus in Rationali lib. 4. cap. 1. Sacerdos „si ex devotione non ex „superstitione velit totum officium Missæ sine „sacrificio dicere, accipiat omnes vestes sacer„dotales, & Missam suo ordine celebret usque „ad finem offerendæ, dimittens Secreta quæ ad „sacrificium pertinent. Præfationem verò dice„re potest, licèt in eadem videantur Angeli „invocari ad consecrationem corporis & san„guinis Christi. De canone verò nihil dicat, „sed orationem Dominicam non prætermittat, „& quæ ibi sequuntur sub silentio dicenda, non „dicat: calicem vel hostiam non habeat, nec „de his quæ super calicem seu Eucharistiam di„cuntur vel fiunt, aliquid dicat vel faciat. Po„test etiam dicere: *Pax Domini sit semper vo„biscum:* & exinde Missæ officium suo ordine „perągat. Melius est tamen alia omittere. Hæc autem Missa nautica dicitur, ut ait Durandus *lib. 2. de Ritibus Ecclesiæ cap.* 4. ex libro Sacerdotali, quia in mari & fluminibus celebrari solebat, in quibus propter motum & agitationem fluctuum vix potest sacrificium offerri sine periculo effusionis. Declamant acriter adversùs eam Guil. Estius *orat.* 13. *Theologica*, & Laur. Laudmeter. *lib.* 2. *de veteri Clerico & Monacho cap.* 84. qui ambo existimant, paulò ante Guidonem de monte Rocherii cœpisse, à quo laudatur & approbatur *tract.* 4. *cap.* 7. *Manipuli Curatorum*, quem scripsit anno 1333. sedjerrant; quia, ut vidimus, jam in usu erat vivente S Ludovico Rege, qui obiit anno 1270. eamque describit Durandus, qui eodem tempore vixit, & Petrus Cantor, qui floruit anno 1200. ejusdem meminit in Verbo abbreviato *cap.* 29. ubi ait Missam siccam esse sine gratia & humore confectionis Eucharistiæ, & nihil Fidelibus prodesse. Nunc providâ Episcoporum curâ ubique gentium, ut puto, obliterata & abrogata est.

VII. Cæterùm præter Missam siccam irrepserat & alius detestabilis abusus, quem Petrus Cantor loco citato acerrimè perstringit. Solebant enim eo tempore nonnulli Sacerdotes plures Missas in unum congerere, celebrantes Missam diei, vel aliam præcipuam suo ordine usque ad offertorium; tum aliam incipientes usque ad eundem locum, deinde tertiam & quartam eodem modo. Postea tot secretas orationes dicebant, quot Missas inceperant: demum sub uno canone sacrum perficiebant totidem additis in fine Collectis, quot initio recitaverant. Originem hujus abusus adscribit Petrus Sacerdotum cupiditati, qui cum illicitum esse scirent pluries in die celebrare, has plurium Missarum insitiones invenerunt, ut devotioni multorum petentium pro se offerri sacrificium unica celebratione satisfacientes, plura pro uno sacrificio stipendia acciperent. Has autem Missas barbaro vocabulo *Bisaciatas* & *trisaciatas* nuncupat, quia duplicem vel triplicem habebant faciem: quas veluti monstruosas & contrarias institutioni & consuetudini Ecclesiæ improbat, & detestatur.

## CAPUT XVI.

*Duplex Missa; Catechumenorum & Fidelium. Utriusque ratio & origo. Missæ Catechumenorum quinam adessent. Veteris Ecclesiæ erga Catechumenos disciplina. Altum de mysteriis silentium illis præsentibus. Quot fuerint eorum classes. De tempore Catecheſi constituto. Expulsio eorum ab Ecclesia quo sæculo desierit. Expulsi cum illis etiam Pœnitentes, & Energumeni.*

I. VIgente in Ecclesia severiori disciplina, anxiè admodum & sollicitè cavebant antiqui Patres, ne ulla sibi esset cum impiis, profanis, & impuris hominibus communicatio, quos non solùm à mysteriorum participatione, sed ab ipso etiam aspectu arcere solebant. Ideò cancellis & velis Ecclesiarum sanctuaria undique clausa erant, ne quispiam in ea aut nondum Christianâ fide imbutus, aut aliqua sorde pollutus intro-

introspiceret. Cumque inchoarentur eorumdem mysteriorum solemnia, omnes indigni à Diaconis ejiciebantur, donec prioris vitæ maculas præscriptis purgationibus eluissent. Hinc orta duplicis Missæ divisio à duplici missione, quarum una Catechumenorum, altera Fidelium dicebatur. Et illa quidem duobus vel tribus primis Ecclesiæ sæculis, aliquot precibus & psalmis constabat, quibus absolutis voce Diaconi dimittebantur Catechumeni, & alii qui Missæ fidelium adesse non poterant. Sed cum postea sancti Patres & Episcopi animadvertissent, sermones & Scripturarum expositiones ad infidelium conversionem, cæterorumque institutionem multùm conferre, admissi sunt omnes in Ecclesia, donec lecto Evangelio fieret sermo; quo habito, & illis exclusis, Missa Fidelium incipiebat. Ita sancitum fuit in Concilio Carthaginens. 4. cap. 84. „ Ut Episcopus nullum prohibeat ingredi Eccle„ siam, & audire verbum Dei, sive gentilem, sive „ hæreticum, sive Judæum, usque ad Missam Ca„ techumenorum. Hujus autem edicti rationem reddit Concilium Valentinum Hispaniæ cap. 1. dicens: „ Hoc inter cætera censuimus obser„ vandum, ut sacrosancta Evangelia ante mune„ rum illationem vel Missam catechumenorum „ in ordine lectionum post Apostolum legantur, „ quatenus salutaria præcepta Domini nostri Je„ su Christi, vel sermonem sacerdotis non so„ lùm Fideles, sed etiam Catechumeni ac pœ„ nitentes, & omnes qui ex diverso sunt, audire „ licitum habeant. Sic enim Pontificum prædi„ catione audita nonnullos ad fidem attractos „ evidenter scimus. Ideò Augustinus & alii Patres, interdum gentiles, interdum hæreticos, sæpe etiam Judæos in suis sermonibus exagitant, quia simul cum fidelibus illis interesse consueverant. Quamvis autem cum catechumenis etiam pœnitentes & energumeni dimitterentur, Missa tamen, sive dimissio, à solis catechumenis nomen accepit, quia major tunc erat illorum numerus, & nonnunquam contingere poterat, ut nulli essent pœnitentes vel energumeni. Ven. Beda *lib. 2. comment. in Esdram* ipsos Catechumenos novæ vitæ auditores appellat, quia vox græca *Catechumenus* idem est ac Latinè auditor. Et ante ipsum Isidorus lib. 7. orig. cap. 14. *Catechumenus dictus pro eo qui adhuc doctrinam fidei audit, nec dum tamen baptismum percepit, nam Catechumenus græcè auditor est.* Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 6. *Nemo sibi aduletur, quia inter Auditorum tyrocinia deputatur.* Et paulò post. *Itaque audientes optare intinctionem, non præsumere oportet.* Cyprianus epist. 13. *Audientibus, si qui fuerint periculo præventi & in exitu constituti, vigilantia vestra non desit.* Et epist. 24. *Optatum inter lectores doctorem Audientium constituimus*: Magistrum scilicet Catechumenorum, seu Catechistam; quo munere functi sunt Alexandriæ viri celeberrimi Pantænus, Clemens, & Origenes. Erant autem Catechumeni Christianæ fidei tyrones, de quibus sic loquitur Tertullianus: „ Quicquid mediocritas nostra ad pœni„ tentiam semel capessendam & perpetuò conti„ nendam suggerere conata est, omnes quidem „ deditos Domino spectat, sed præcipuè Novi„ tiolis istis imminet, qui incipiunt divinis ser„ monibus aures rigare. Nemo enim admittebatur ad Baptismum, nisi præmisso tyrocinio: & si quis infans baptizabatur, susceptores se illos docturos spondebant, cum ad ætatem capacem perveniissent.

II. Non omnia tamen Religionis nostræ mysteria, nec ipsum quidem Symbolum fidei illis exponebant: sed quædam reservabant vel circa finem tyrocinii, vel post Baptismum. Auctor est Isidorus *lib. 2. de offic. Eccl. cap. 21.* Symbolum Catechumenis traditum non fuisse, nisi cum mox baptizandi erant, & dicebantur *Competentes.* Ambrosius ep. 33. ad Marcellinam sororem, *Post lectiones*, inquit, *& tractatum dimissis Catechumenis, Symbolum aliquibus Competentibus in baptisteriis tradebam.* Sozomenus *lib. 1. cap. 19.* Concilii Nicæni historiam texens Symbolum omittit; *nam verisimile est*, ait, *nonnullos qui non sunt initiati mysteriis hunc librum perlecturos.* Modus verò, qui in traditione Symboli servabatur, accuratè describitur in Ordine Romano in denuntiatione Scrutinii ad electos; præmissis enim exorcismis, lectisque initiis quatuor Evangeliorum, Symbolum ipsis recitabatur primum græcè, deinde latinè, addita præfatione parænetica, & subjuncta appendice in ejusdem Symboli commendationem. Orationem quoque Dominicam nefas erat Catechumenis discere, vel recitare, sed eam audiebant post Symboli traditionem adjecta singulis petitionibus brevi, & solida expositione, quam dabimus infra lib. II. cap. XV. Ideò autem interdicta illis erat hæc oratio ante lavacrum, quia, ut scitè loquitur Cyprianus ep. 74. ad Pompejum, *Nativitas Christianorum in baptismo fit*, nec potest Deum patrem habere, qui filius Ecclesiæ non est. Filii ergo Dei, & fratres fidelium non censebantur,

tur, nisi per aquam regenerati, ac propterea, priusquam renati essent, dicere non audebant, *Pater noster qui es in cœlis*. Hac ipsa de causa cum Fidelibus orare nequibant, teste Chrysostomo, qui *hom. 79. ad Pop. Antioch.* differens de vi, & potentia orationis factæ in Ecclesia ait, „ Et Ca„ techumenis quidem permissum hoc nondum „ est, quoniam nondum ad hanc pervenere fidu„ ciam: vobis autem & pro terrarum orbe, & „ pro Ecclesia, & pro gubernantibus ipsam & „ præsidentibus jubetur orationes emittere. Primi etiam Arausicani Concilii canone 20. vetitum erat, ne cum Fidelibus benedictionem acciperent, sed seorsim: nec licebat Episcopis, illis præsentibus, manus imponere super ordinandos, ut statuit Concilium Laodicenum cap. 4. aut baptizare, ex decreto præcitati Arausicani cap. 19. adeò ut ab aspectu ejus lavacri removerentur, quod tantoperè exoptabant. Innocentius I. ep. ad Decentium Eugubinum agens de Sacramento Confirmationis ejusque formâ ait: *Verba dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Et Cyrillus Alexandrinus lib. 7. adv. Julianum, *Dicerem*, inquit, *de his*, nempe de Baptismi mysteriis, *nisi revererer aures non initiatorum.* Ambrosius item baptismatis mysteria expositurus initio libri de initiandis ait: „ Nunc „ de mysteriis dicere tempus admonet, atque „ ipsam Sacramentorum rationem edere; quam „ ante baptismum si putassemus insinuandam non„ dum initiatis, prodidisse potius, quàm edidisse „ æstimaremur. Ex hac autem disciplina emanasse puto canonem 37. Concilii Illiberitani, quem Baronius suppositititium suspicatur: alii verò multùm se torquent, ut congruam ejus atque orthodoxam interpretationem inveniant. Verba canonis hæc sunt. *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur.* Quibus verbis frustrà abutuntur sectarii, ut hujus Concilii auctoritate sacrarum Imaginum usum & cultum convellant. Alia enim fuit illorum Patrum mens, quæ ex more illius sæculi sollicitè caventis, ne Religionis nostræ arcana infidelibus proderentur, æstimanda est. Vetuerunt ergò, ne id, quod colitur & adoratur, in parietibus pingeretur; id verò quod pingendum non erat, obscurè explicarunt illis verbis, *quod colitur & adoratur*, ut soli fideles intelligerent eo canone prohiberi imagines Dei, & Christi Salvatoris, ne à Gentilibus irruentibus sæpe in Ecclesias contumelia afficerentur, & irriderentur Christiani, ac si hominem colerent tanquam Deum: nevè catechumeni Deum, quem incircumscriptum, immensum, & materiæ expertem prædicari audiebant, humana figura pictum, videntes, aliquid alienum ab ejus majestate conciperent. Deinde observandum, non prohibuisse in tabulis pingi, quia commodè auferri poterant, & obducto velamine à profanorum aspectu submoveri.

III. Nullum verò Sacramentum studiosiùs celabant, quam Eucharistiam, de qua propterea antiqui Patres & pauca scripserunt, & obscuriùs loquuti sunt; quia vel aderant eorum sermonibus non initiati, vel timebant ne libri sive tractatus in manus illorum inciderent. Optimè Basilius lib. de Spiritu Sancto ad Amphiloch. cap. 27. *Quæ nec intueri fas est non initiatis, non convenichat eorum doctrinam scripto publicitus circumferre.* Et Gregorius Nazianzenus *Orat.* 42. Pleraque ait, mysteriorum nostrorum ne enuntiari quidem iis posse, qui sunt extra fidelium communionem. Ambrosius item lib. 1. offic. cap. 50. *Non omnes vident alta mysteriorum, quia operiuntur à Levitis, ne videant qui videre non debent.* Quod si aliquando de hoc mysterio mentio habenda foret, illud eâ periphrasi obvolvebant, *Norunt Fideles.* Augustinus in Psal. 33. *Nondum erat Sacrificium quod fideles norunt.* Idem in Psal. 39. *Sacrificium verum quod fideles norunt.* Et infrà. *Corpus quod nostis, quod non omnes nostis, quod utinam qui nostis omnes, non ad judicium noveritis.* Et in Psal. 109. ad illa verba. Tu es Sacerdos in æternum: *Fidelibus loquor. Si quid non intelligunt Catechumeni, auferant pigritiam, festinent ad notitiam.* Chrysostomus hom. 72. in Matth. *Eucharistiæ mysterium quanta misericordia plenum sit, initiati solummodo noverunt.* Et hom. de proditione Judæ. *Norunt initiati quæ dicuntur.* Idem hom. 40. in 1. ad Cor. *Volo quidem apertè hoc dicere, non audeo tamen propter eos, qui non sunt initiati.* Rursum Augustinus lib. 10. de Civ. Dei cap. 6. *Hoc est sacrificium Christianorum, quod Sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia.* Orthodoxus apud Theodoretum *Dialogo* 1. & 2. cum in Eucharistiæ mentionem incidisset, obscurè & ænigmaticè loquendum esse monet, quod fortè aliqui adessent non initiati. Hac autem circumspectione usi sunt passim antiqui Patres, vel quia putabant, mysteriorum majestatem quodammodo imminui, si apertè coram catechumenis, & profanis hominibus enuntiarentur: vel ut eorum desiderium in corde initiandorum magis accenderent. Cyrillus Hieros. in præfat.

Catecheseon : *Cum catechesis recitatur, si catechumenus ex te quæsierit, quid dicebant Doctores; nihil dicas externo.* Et infrà, *Fuerat & tu aliquando catechumenus, neque proposita mysteria tibi enarrabantur. Quando autem sublimitatem eorum, quæ nunc traduntur, experientia didiceris, tunc planè intelliges dignos non esse catechumenos, qui ea audiant.* Augustinus verò tract. 96. in Joannem testis est, Sacramenta Fidelium ideo catechumenis non prodi, *ut ab eis tanto ardentius concupiscantur, quantò honorabilius occultantur.* Hanc disciplinam spernentes Marcionistæ ad omnia mysteria Catechumenos cum Fidelibus indiscriminatim admittebant, ut Epiphanius *hær.* 42. & Hieronymus in *cap. 6. epist. ad Galatas* referunt. Eosdem à Tertulliano perstringi credo lib. de Præscript. hæreticorum cap. 41. „ Non omittam ipsius conversationis hæreticæ descriptionem, quàm futilis, quàm terrea, quàm humana sit: sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplina, ut fidei suæ congruens. In primis quis catechumenus, quis fidelis, incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant. Catholici autem adeò religiosè Fidelium, & Catechumenorum distinctionem servabant, ut Athanasius *Apolog.* 2. falsi convincat adversarios, qui sacræ mensæ tempore sacrificii à Macario eversæ testes catechumenos producebant, hac illatione: *Si catechumeni intùs erant, ergo non est celebrata oblatio.* Eodem argumento Theophanes Abbas & Confessor in Chronographia Constantinum Magnum Romæ à Sylvestro, non autem Nicodemiæ ab Eusebio baptizatum fuisse evincit: *Nondum enim lustratus*, ait, *si Nicenæ Synodo interfuisset, neque divinorum mysteriorum, neque precum à sanctis Patribus factarum extitisset particeps: id verò dicere, nedum sentire iniquissimum est.* Palladius consonat in vita Chrysostomi, ubi tanquam scelus gravissimum exaggerat, quod in tumultu adversùs illum excitato, quidam non initiati irruptione facta in Ecclesiam ea aspexerint, quæ nefas erat illis intueri. Gaudentius item Brixianus serm. 2. ad Neophytos regressos à fonte: *Ea solum*, inquit, *aperienda Neophytis, quæ præsentibus Catechumenis explanari non possunt.* Epiphanius denique, ut alios omittam, Sacramentum Eucharistiæ expendens in Ancorato, Audientium & ipse præsentiam reveritus formam ejus occultè refert hoc modo. *Videmus quod accepit Salvator noster in manus, & ubi gratias egisset dixit: Hoc meum est hoc & hoc.* Quod si aliquis ex catechumenis ignoranter susceptisset Eucharistiam, statim baptizabatur, ut ex Constitutionibus Apostolicis lib. 7. cap. 26. colligitur, & ex Timotheo Alexandrino, addita interpretatione Balsamonis. Etiam Eulogiæ sive panis reliquiæ, quæ distribui solebant post Missam, negabantur Catechumenis, ut constat ex cap. 7. Theophili Alexandrini cum ejusdem Balsamonis explicatione. Nam cum panis usualis & communis aliquid in terram decuti anxiè, eò quod esset materia Eucharistiæ, Fideles paterentur, ut loquitur Tertullianus; multò magis inconveniens existimabant, frusta panis benedicti dare profanis & nondum initiatis. Illis tamen dabant sal, non solùm in baptismate, sed etiam in catechumenatu; ad quem ritum, non autem ad Eulogias, respexit August. *lib. 2. de pecc. mer. & remiss. cap. 26.* cum ait, *Quod accipiunt Catechumeni quamvis non fit Corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quam cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum est.* Et lib. 1. confess. cap. 11. agens de suo catechumenatu, *Audieram ego*, inquit, *adhuc puer de vita æterna nobis promissa per humilitatem filii tui Domini Dei nostri, & signabar jam signo crucis, & condiebar ejus sale.* Hoc unicum erat catechumenorum Sacramentum, de quo Concilium tertium Carthaginense can. 5. *Placuit ut etiam per solemnissimos Paschales dies Sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum sal.* Mos autem in hoc canone præscriptus vigebat in Gallia tempore Caroli Magni, ejus enim Capitularia *lib. 7. cap. 109.* præcipiunt, ut in Paschate Sacramentum catechumenis non detur, *sed tantùm benedictum sal à Sacerdotibus pro communione tribuatur.* Post Baptismum verò egressi de lavacro mel & lac degustabant tanquam symbola mysticæ infantiæ: idque Tertullianus *lib. de corona cap. 3.* inter antiquas traditiones enumerat, *Inde suscepti*, ait, id est ex fonte, *lactis & mellis concordiam prægustamus.* Cui consonat Hieronymus adv. Luciferianos dicens, *Multa quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt: veluti in lavacro ter mergitare caput, deinde egressos lactis ac mellis gustare concordiam ad infantiæ significationem.* Rursum Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 14. *Ille usque nunc nec aquam reprobavit creatoris, qua suos abluit: nec oleum, quo suos ungit: nec mellis ac lactis societatem, qua suos infantat.* Hunc ipsum ritum sancta virgo Agnes expressit, cum dixit: *Mel & lac ex ore ejus suscepi.*

IV. Por-

IV. Porrò Catechumenos in varias olim classes distinctos reperio. Nam primò infideles declarabant se Christi fidem amplecti velle: tum privatim in aliqua domo Paganismi falsitatem edocebantur: post hæc in Ecclesia admittebantur ad conciones audiendas: deinde in eadem Ecclesia precum & orationum participes effecti poterant in genua procumbere: demum datis nominibus in albo eorum scribebantur, qui mox sacro fonte abluendi erant. Singularum classium ordo & nomina can. 7. Concilii primi Constantinopolitani sic exprimuntur. „ Primo die „ ipsos Christianos facimus, secundo catechu„ menos, deinde tertio exorcizamus sive adjura„ mus ipsos, ter simul in faciem eorum & aures „ insufflando; & sic eos catechizamus sive ini„ tiamus, & curamus, ut longo tempore versen„ tur in Ecclesia, & audiant Scripturas, & tunc „ eos baptizamus. Idem ordo indicatur can. 95. Concilii Trullani. Alii aliis nominibus utuntur: sed in Latina Ecclesia omnes classes ad quatuor redactæ sunt, quæ in sermonibus & tractatibus Latinorum Patrum passim occurrunt. Quidam enim ab infidelitate ad fidem converti desiderantes audiebant in Ecclesia verbum Dei, sed nondum petebant Baptismum, & ii dicebantur *Audientes*. Alii audito sermone procumbebant in genua; & orationum Ecclesiæ aliquo modo participes erant, & vocabantur *Substrati*, sive *Genua flectentes*. Alii in fide rectè instituti baptismum petebant, & dicti sunt *Competentes*. Qui verò ex istis in albo baptizandorum descripti erant, *Electi* nuncupari solebant. Augustinus *serm. 116. de tempore* Competentium nomen ex eo deducit, quod gratiam baptismi simul peterent. „ Primùm, inquit, Competentes isti, „ quare hoc nomine vocentur, agnoscant. Com„ petentes dicuntur simul petentes, quo modo „ considentes nihil aliud est nisi simul sedentes, „ & colloquentes nihil aliud est nisi simul lo„ quentes, concurrentes sine dubio non intelli„ guntur, nisi simul currentes: ita & competen„ tes non possunt aliud intelligi, nisi simul peten„ tes. Idem sentit Isidorus lib. 2. de Eccl. off. cap. 21. *Competentes sunt, qui jam post doctrinam fidei, post continentiam vitæ, ad gratiam Christi percipiendam festinant: ideoque appellantur competentes, id est, gratiam Christi petentes, nam catechumeni tantùm audiunt, necdum petent.* Hæ duæ classes Catechumenorum & Competentium frequentiùs à sanctis Patribus commemorantur: quia nomine catechumeni Audientes & Substratos intelligunt, & Electos à Competentibus ut plurimùm non distinguunt. In Codice M. S. Reginæ Suecorum *num.* 914. extat antiquissima collectio Canonum, & post eam sermo ad Conjugatos sine nomine Auctoris, in quo omnes compellans qui adesse concioni solebant fideles & pœnitentes sine classium distinctione, catechumenos autem, & competentes distinctè nominat. „ Audite, *inquit*, Carissimi, membra „ Christi, & matris Catholicæ filii. Quod dico „ Competentibus, audiant Fideles: quod dico „ Fidelibus, audiant Competentes: quod dico „ Competentibus & Fidelibus, audiant Pœni„ tentes: quod dico Fidelibus, & Competenti„ bus, & Pœnitentibus, audiant Catechumeni. „ Audiant omnes, omnes timeant, nemo con„ temnat.

V. In primordiis Ecclesiæ, & cum necessitas exigebat, nullum tempus Catecheſi præfinitum erat, sed quoscumque constabat de sua salute sollicitos esse, & in fide sufficienter instructos, Apostoli, eorumque discipuli baptizabant. Postea visum est Patribus, ut diu persisterent in ediscendis fidei rudimentis, certo tempore institutioni præfixo, diverso tamen pro regionum, & personarum varietate, atque exigentia. Concilium Illiberitanum Flaminibus triennium præscripsit cap. 4. Fœminis, quæ maritum sine causa reliquissent, quinquennium, c. 11. Reliquis biennium, c. 42. Judæos octo mensibus inter Catechumenos retinendos esse statuit Concilium Agathense c. 34. Ipsos verò catechumenos lapsos tribus annis inter Audientes morari Nicæna Synodus sancivit cap. 14. Et cum sæviente persecutione hæc spatia contracta fuissent, hæc ipsa Synodus cap. 2. vetuit, ne id deinceps fieret, sed statuta tempora servarentur. Demum post aliquot sæcula redactum tempus est ad dies quadraginta, ad tempus scilicet Quadragesimæ, in qua sex scrutinia haberi solebant, & septimum in vigilia Paschæ, de quibus non est hic tractandi locus. Inquirebant autem Episcopi & Presbyteri, qui mores essent, quæ vita, quæ fides Catechumenorum, & si qui discoli reperiebantur, severiori disciplina usque ad ejectionem coërcebantur, ut patet ex can. 5. Concilii Neocæsarienſis. Præclarè Justinus Martyr Apolog. 2. *Quicumque persuasum habuerint & crediderint esse ea vera, quæ à nobis docentur & dicuntur; ac vivere se ita posse sollicite fuerint, docentur orare jejunantes, & à Deo anteriorum peccatorum veniam postulare, nobis una cum illis orantibus & jejunantibus. Deinde eò à nobis ducuntur,*

*cuntur, ubi aqua est, & eodem regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur.* Alludit ad hanc disciplinam Arnobius lib. 2. adv. gentes, cum ait, *feritate atque inhumanitate depositis resumere animas ingenia mitiora, ut ad illud, quod dabitur, possint esse paratæ*, ad Baptismum scilicet & ad Eucharistiam, de quibus Sacramentis obscurè loquitur & timidè propter infideles. Priùs itaque docebantur, tum fidem profitebantur, deinde precibus ac jejuniis & aliis operibus pœnitentiæ incumbebant, feritatem atque inhumanitatem deponentes, ut Arnobius ait accommodatè ad profanorum mysteriorum institutiones; Christiana verò phrasi, priori vitæ renunciantes ac peccatorum veniam postulantes. Mox lavacro abluti synaxi aderant, & ad Communionem Corporis Christi admittebantur. In his autem gradatim procedebant servato ordine supra descripto, donec lotis salutaribus undis omnia mysteria pandebantur. Ab impiis etiam sectis hoc olim observatum, ut profani procul à sacris arcerentur, Jamblichus docet lib. 2. de vita Pythagoræ cap. 12. *Cùm externis & ut sic dicam profanis, si quandoque usus ferret congrediendum esse, nequaquam sua sacra enunciabant, sed per symbola & arcanas tesseras obscurè & latenter sibi mutuò sensa mentis velut ænigmatibus significabant.* Et Plutarchus lib. de garrulitate, *Dicendi homines, tacendi Deos magistros habemus, in eorum sacris & mysteriis unà nobiscum accepto silentio.* Apuleius quoque *lib.* 11. *fabulæ Milesiæ*, postquam narravit se à Sacerdote, semotis procul profanis, ad sacrarii penetralia deductam: „Quæras forsitan satis anxiè quid dein„de dictum, quid factum? Dicerem, si dice„re liceret: cognosceres, si liceret audire. Sed „parem noxam contraherent aures & linguæ „temerariæ curiositatis. *Tum ænigmaticè subdit.* Accessi confinium mortis, & calcato „Proserpinæ limine per omnia vectus elemen„ta remeavi. Nocte media vidi solem candido „coruscantem lumine, Deos inferos, & Deos „superos. Accessi coram & adoravi de proxi„mo. Ecce tibi retuli, quæ quamvis audita, „ignores tamen necesse est. Eodem modo à sacris Cereris submotos impios & sceleratos voce præconis, eâque territum Neronem iis adstare ausum non esse, scribit Suetonius.

VI. Sed redeo ad Missam, è qua habito post Evangelium sermone tam Catechumeni, quàm infideles, & alii immundi abire; ac è foribus templi egredi voce Diaconi jubebantur, ipsas fores custodientibus Ministris, easque claudentibus postquam fuerant egressi. Erat olim hoc munus Diaconorum, ut notant Maximus & Pachymeres ad cap. 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. *Nota*, inquit Maximus, *quod Diaconi fores tunc custodierint, nunc verò subdiaconi.* Clemens autem *lib.* 8. *Constitut.* ait, Diaconos tunc stetisse ad portas per quas viri, Subdiaconos ad eas, per quas mulieres ingrediebantur. Concilium verò Laodicenum statuit Ministrum, id est Subdiaconum, ut Zonaras, Balsamon, & alii interpretes explicant, non oportere fores relinquere. A Subdiaconis tandem ad Ostiarios hoc officium pervenit, quia, ut observat S. Thomas in *supplem.* 3. *p. qu.* 37. *art.* 2. antiquis temporibus ob paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur, sed ampliatus est postea cultus divinus, & Ecclesia alios ordines sibi instituit. At nunc abiit in desuetudinem hic ritus, & à foribus templorum discesserunt Ostiarii, sublatisque repagulis omnes indiscriminatim ad ipsum altare irrumpunt, ad quod nonnisi Sacerdotibus, eorumque ministris fas erat accedere. Qua ætate id fieri cœperit incertum est: ex his autem, quæ S. Thomas quæstione præcitata scribit, colligunt nonnulli, ante ipsius tempora hunc morem desiisse: quæ conjectura certior redditur ex Joanne Zonara, qui in notis ad Concilium Laodicenum ait, suo tempore, centum scilicet & quinquaginta annis ante Thomam, à januæ custodia ministros recessisse. Mihi haud improbabile videtur, ecclesiæ fores cunctis introire volentibus tunc patuisse, cum jam nulli erant infideles, nulli catechumeni & pœnitentes, qui à Synaxi arcerentur, & peracta concione dimitterentur. Id verò in Ecclesia Latina circa annum Christi septingentesimum contigisse, argumento esse multa possunt. Nam primò istius dimissionis nulla fit mentio in antiquis Missalibus & Ritualibus: nec ullum ejus vestigium extat apud veteres officiorum expositores, Strabonem, Micrologum, Rabanum, Amalarium, Alcuinum: licet alios quoscumque ritus minutissimè soleant explicare. Patres etiam & Concilia post annum 700. nihil prorsus de hac re agunt, quamvis nonnunquam de Missa Catechumenorum atque Fidelium ex prisco usu sermonem habeant. Neque obstat Amalarius ita scribens lib. 1. cap. 36. *Consuetudo nostra est, ut Catechumenos repellamus antè Evangelium:* nam de alio ritu loquitur, qui à media Quadragesima usque

ad

ad Sabbatum sanctum suo tempore vigebat, & aliquot post ipsum sæculis in usu fuit, ejus enim meminit Joannes Beleth, qui vivebat anno 1190 *lib. de div. offic. cap.* 34. quia cum nemo esset qui baptismum peteret ex Ethnicismo vel Judaismo conversus, sed omnes baptizandi, filii Christianorum & infantes essent, quidam ex illis ad solemne Paschatis baptisma reservabantur. Et hi manebant in ecclesia, donec legeretur Epistola, & cantato Graduali Diaconus elata voce dicebat; *Catechumeni recedant: si quis Catechumenus est, recedat: omnes Catechumeni recedant foras.* Et egrediebantur expectantes præ foribus ecclesiæ, usque ad finem Missæ; ipsisque egressis legebat Diaconus Evangelium. Hic mos erat primi & secundi scrutinii: in tertio verò quod apertionis aurium dicebatur, tradito Symbolo & explicata Dominica oratione, annuntiabat Diaconus ut discederent: & egrediebantur parentes cum infantibus, eisque relictis sub custodia, donec Missarum solemnia perficerentur, regressi in Ecclesiam tam ipsi parentes quàm susceptores cum oblationibus, eas pro illis offerebant: quæ omnia fusiùs in Ordine Romano describuntur. De hac igitur dimissione Amalarius, & Beleth intelligendi sunt; non de illa solemni & quotidiana, à qua Missa Catechumenorum nomen accepit, licet hæc ab illa promanarit. Augustinus serm. 237. de temp. *Ecce post sermonem fit Missa Catechumenis, manebunt fideles, venietur ad locum orationis.*

VII. Græci pristinum morem adhuc retinent, & quamvis in eorum ecclesiis nulli sint Catechumeni, nulli pœnitentes, in singulis tamen Liturgiis solemni formula Diaconus ait, *Quotquot estis Catechumeni recedite. Ne quis Catechumenus superfit. Quicumque fideles in pace Dominum oremus.* Sive ut habetur in Liturgia Jacobi, *Nullus Catechumenus, nullus eorum qui nondum initiati sunt; nullus eorum, qui nobiscum orare non possunt, interfit. Recognoscite vos invicem. Fores observate. Omnes recti.* Distinctio tamen expressa in Liturgiam Catechumenorum & Fidelium apud Græcos non reperitur; tametsi semper eadem fuerit actio Missæ apud illos, & apud Latinos: eademque apud utrosque circa Catechumenos & pœnitentes disciplina. Dionysius *cap.* 3. *Eccl. Hierarchiæ* magnificè hunc ritum & diffusissimè describit, ex quo præcipua quædam excerpam. Exinde, inquit, sacrarum literarum lectio recitatur, qua finita sacro ambitu arcentur Catechumeni, & cum iis energumeni ac pœnitentes, illis, qui divinorum aspectu & communione digni sunt, remanentibus. Porrò Catechumenos & Energumenos, eosque qui pœnitentes dicuntur, sacrosanctæ Hierarchiæ mos patitur quidem audire sacram Psalmodiam, divinamque sacrarum Scripturarum recitationem: verùm ad ea quæ deinceps sequuntur sacrificia & spectacula nequaquam hos convocat, sed perfectos perfectorum oculos. Ac postremus quidem ordo Catechumenis tributus est, quod exortes sint & ignari omnis hierarchicæ perfectionis, nequedum per divinam nativitatem divinum statum assecuti, paternis eloquiis foveantur, vivificisque formis ad beatum illum, qui ex divina generatione proficiscitur, vitæ, lucisque principem progressum efformentur. Porrò energumenorum turba immunda quidem & ipsa est, verumtamen secundum locum superiorem à Catechumenorum extremitate obtinet. Cæterùm opinor, imò verò compertum habeo, sinceriissimum sacrorum Ordinum judicium censere, præ istis detestabilissima obsidione teneri eos, qui deformem vitam deserentes, sententiis moribusque perditis dæmonibus consentiunt, dum ea quidem, quæ & verè sunt, & immortaliter possidentur, atque æternaliter delectant, per extremam sibique pernicioſam dementiam aversantur, materialem verò pluribusque perturbationibus obnoxiam immutationem, perditasque ac corruptrices voluptates, & instabilem, eamque alienam, neque verè existentem, sed apparentem delectationem ambiunt & consectantur. Hi ergò primi, & quidem magis propriè quam illi, segregativa ministri voce arceantur: neque fas sit eis cujuslibet alterius rei sacræ participes evadere, præterquam eloquiorum Dei, quorum magisterio ad meliorem frugem converti possint. Hæc Dionysius, ex quo constat morem ejiciendi cum Catechumenis, Energumenos & Pœnitentes antiquissimum esse. Nomen autem Energumeni ad eos extendit Dionysius, qui carnalibus immuditiis servientes perversis moribus cum dæmonibus consentiunt, quod alibi me legisse non memini: nec puto veterem Ecclesiam Energumeni appellatione carnales homines vitiosis passionibus agitatos, sed eos dumtaxat, qui corporaliter à Diabolo obsessi & possessi erant, intellexisse. Agit de Energumenis, & de oratione super illos effusa in Ecclesia, antequam expellerentur, Chrysostomus *hom.* 3. & 4. *de Dei natura adversus Anomæos.*

Cæterùm in his omnibus dimittendis certus ordo servabatur, qui vix percipi aut explicari poterit, nisi de Pœnitentibus, eorumque gradibus & classibus quædam ex veteris Ecclesiæ disciplina breviter præmittantur.

## Caput XVII.

*Quibusdam olim peccatis negata venia: tum omnibus concessa. Pœnitentium quatuor classes, Flentium, Audientium, Substratorum, & Consistentium. De singulis Classibus, earumque origine, statione, & disciplina. De mulierum pœnitentia. Qui fuerint hiemantes. Pœnitentes, & alii, qui Missæ Fidelium adesse non poterant, quo ordine dimitterentur. De Sacramentali absolutione.*

I. IN exordio Christianæ Religionis tantum erat pietatis studium, tantum odium improbitatis, ut quibusdam sceleribus, quæ atrociora visa sunt, omnis prorsus veniæ spes, omnis pœnitentia denegaretur; adeò ut, qui ea commisisset, quamvis à divina misericordia eorum remissionem veræ contritionis subsidio obtineret, nunquam tamen posset cum Ecclesia reconciliari. Ea erant idololatria, homicidium, & adulterium. Constat ex Tertulliano *lib. de Pudicitia*, ubi jam factus Montani assecla acriter invehitur adversùs decretum Zephyrini Papæ, quo adulteros ad pœnitentiam admitti edixerat. Idem liquet ex Concilio Illiberitano, & ex epistola Innocentii Primi ad Exuperium *cap.* 2. in qua ait, duriorem fuisse observationem tempore persecutionum, ne communionis concessa facilitas, homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu; reddita autem ecclesiis pace rigorem illum in misericordiam commutatum esse. An verò priori, ac severiori vigente disciplina prædictorum criminum reis in fine vitæ, sive in periculo mortis constitutis reconciliatio concessa fuerit, dubiæ quæstionis est. A Patribus enim Concilii Illiberitani sancitum fuit, ut nec quidem in fine daretur eis communio; & ex nonnullis epistolis Cypriani patet, hunc usum tunc viguisse in ecclesia Africana: alii ex adverso removere ab ecclesia etiam illius temporis hunc feralem rigorem fatagunt, nec ullum unquam in fine vitæ verè pœnitentem exclusum fuisse asserunt à venia & reconciliatione. Et quidem si veniæ nomine sacramentalem dumtaxat à peccatis absolutionem intelligant, non est hæc sententia improbabilis: sed plenam reconciliationem, quæ in publicarum precum participatione, & in jure offerendi munera in synaxi, ac percipiendæ Eucharistiæ consistebat, illis concessam nego; & hic saltem est sensus antiquorum canonum statuentium, ut nec in fine eis communio concederetur. Quod si aliquis absolutionem sub mortem consecutus convaluisset, intra cœtum Fidelium non admittebatur, nisi priùs peracta pœnitentia illorum consortio dignus redderetur.

II. Postquam autem rigidioris disciplinæ emollita duritie omnibus criminibus, etiam tribus supradictis, indulgentiæ, & misericordiæ janua aperta est; non tamen facilè quibuslibet petentibus facultas concedi solebat agendi in ecclesia pœnitentiam, nisi prius constaret, admissa flagitia eos seriò detestari, & verè optare dignos facere pœnitentiæ fructus, ac mores emendare. Ideo in area ultra omne ecclesiæ tectum diu ante porticum permanebant, ubi sacco induti, & cinere aspersi omnium Fidelium ecclesiam ingredientium pedibus provoluti rogabant, ut pro ipsis apud Episcopum, & Presbyteros, ac universam fraternitatem intercederent, & jus agendæ pœnitentiæ impetrarent. Huc alludit Tertullianus lib. de Patientia cap. 12. „Hæc expectat, hæc exop-„tat, hæc exorat pœnitentiam quandoque initu-„ris salutem. *Et de Pœnit. cap.* 3. Adsistit pro „foribus, & de notæ suæ exemplo cæteros ad-„monet, & lacrymas fratrum sibi quoque advo-„cat, & redit plus utique negotiata, confessionem „scilicet, quam communicationem. Nec amit-„tit, sed præparat fructum. Cyprianus quoque lib. de lapsis, Casti & Æmilii, qui tormentis vexati lapsi erant, pœnitentiam commemorans ait: „Sic Casto & Æmilio aliquando Dominus „ignovit: sic in prima congressione devictos, vi-„ctores in secundo prælio reddidit, ut fortiores „ignibus fierent, qui ignibus antecessissent, & un-„de superati essent, inde superarent. Depreca-„bantur illi non lacrymarum miseratione, sed „vulnerum, nec sola lamentabili voce, sed lacera-„tione corporis & dolore. Eusebius item in fine *libri* 5. *Historiarum* petitam & obtentam à Natali confessore, qui ab hæreticis deceptus Episcopatum apud illos acceperat, pœnitentiam enarrat dicens, ad pedes Zephyrini Episcopi sese cum lacrymis indutum sacco & conspersum cinere abjecisse; nec solum cleri, sed & secularium vesti-

vestigiis advolutum, multisque precibus usum, ostensis etiam vibicibus plagarum, quas pro Christi confessione pertulerat, Ecclesiam tandem suis fletibus commovisse. Ipsa verò pœnitentiæ opera Tertullianus eleganter commemorat lib. de pœnit. cap. 9. „ Exomologesis pro„ sternendi & humilificandi hominis disciplina „ est, conversationem injungens misericordiæ „ illicem, de ipso quoque habitu atque victu „ mandat, sacco, & cineri incubare, corpus „ sordibus obscurare, animum mœroribus de„ jicere, illa, quæ peccavit tristi tractatione „ mutare: cæterùm pastum & potum pura nos„ se, non ventris scilicet, sed animæ causâ: „ plerumque verò jejuniis preces alere, inge„ miscere, lacrymari, & mugire dies noctes„ que ad Dominum Deum suum, Presbyteris „ advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus „ fratribus legationes deprecationis suæ injun„ gere. Idem de pudicitia *cap.* 13. pœnitentem depingit conciliatum & concineratum, cum dedecore & horrore compositum, omnium lacinias invadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem. Simili modo Cyprianus *lib. de Lapsis*, hæc esse ait pœnitentium exercitia, impensiùs orare, diem luctu transigere, vigiliis ac fletibus noctem ducere, stratos solo cineri adhærere, in cilicio & sordibus volutari. Sic Pacianus *Paræsi de pœnit.* Dejicere mœroribus animum, sacco corpus involvere, cinere perfundere, macerare jejunio, mœrore conficere, multorum precibus adjuvari.

III. Observant Eruditi, in scriptis Tertulliani, Cypriani, & aliorum Patrum, qui ducentis & quinquaginta annis post Christum floruerunt, nullam reperiri pœnitentium in varias classes distinctionem, sive Episcoporum prudentiæ commissa tunc fuerit, sive revera post Novati hæresim incœperit, quod probabilius existimo. Cùm enim Novatiani perperam assererent, non esse in Ecclesia potestatem peccata post baptismum dimittendi, in quo, teste Paciano, eorum hæresis sita erat, non quod simpliciter negarent Lapsis pœnitentiam: visum est Patribus, modum & ordinem pœnitendi certis legibus stabilire; atque ideò quatuor pœnitentium gradus sive stationes constituerunt, quarum prima dicebatur *Fletus*, secunda *Auditio*, tertia *Substratio*, quarta *Consistentia*. Has Græci proprio idiomate vocant *Proclausin*, *Acroasin*, *Hypoptosin*, & *Systasin*.

IV. Primus itaque gradus, seu prima statio flentium erat, qui admissi ad pœnitentiam in porticu extra Ecclesiam commorabantur peccata sua publicè confitentes & deplorantes, cilicio & cinere sordidati, & ad misericordiam excitandam omni ex parte compositi. Nihil ad istos pertinebat Missa Catechumenorum, nullæ super eos manuum impositiones erant, nullæ orationes recitabantur; sed Fideles privatim Deum orabant, ut veram illis pœnitentiam largiretur. Hac veluti fibula, ut Pacianus *in paræsi* ait, cum Ecclesia nectabantur: à templi enim vestibulo excluſi ne prædicationem quidem audire poterant, pietatem dumtaxat ingredientium implorabant, ut pro ipsis apud Episcopum & Clerum intercederent. In hac statione manebat quidam per annum, alii per biennium, alii etiam per plures annos pro criminum varietate, & fervore pœnitentiæ.

Secundus gradus Auditio est. Stabant Audientes intra fores Ecclesiæ in propylæo, sive intra portam in Narthece, ubi lectionem Scripturarum, earumque interpretationem & sermonem audiebant, ab illa lugubri & humili deprecatione absoluti: sed nullæ erant super eos manuum impositiones, nullæ orationes, eo quod istarum expiationum nondum capaces æstimarentur. Statio autem, seu locus auditionis, præter hos pœnitentes, quinque hominum genera complectebatur, Ethnicos, Judæos, Hæreticos, Schismaticos, & primi generis Catechumenos. Pro ratione autem contritionis & humiliationis citiùs vel tardiùs transitus ab hac classe ad tertiam concedebatur.

In tertio gradu erant Subsistrati manentes intra ambitum Ecclesiæ usque ad Ambonem, ultra quem progredi nefas illis erat. Hi jejuniis, precibus, hamicubationibus, aliisque operibus laboriosis affligebantur, atque in singulis Synaxibus preces super illos in genua procumbentes cum manuum impositione fundebantur; idque per longum tempus, & interdùm per plures annos: atque interim in eorum mores diligens inquisitio fiebat, an verè contriti essent, an sincera eorum conversio. Stabant etiam in hac statione Catechumeni secundi & tertii generis, & energumeni. Hi postremi licet distincti essent à Pœnitentibus, impuri tamen æstimabantur, nec poterant cum Fidelibus permisceri, eò quod essent dæmonis habitaculum. Curabantur autem extrà Missarum solemnia ab exorcistis per Exorcismos, intra Missam ab Episcopo sive Presbytero per manuum

manuum impositionem, cui semper oratio adjungebatur.

Quartus gradus dicitur Consistentia, in quo constituti pœnitentes Fidelium precibus & sacrificio usque ad finem assistebant, offerre tamen munera ad altare, consequenter communicare non poterant, quia jus offerendi juri communicandi annexum erat, atque his potissimum Fideles ab aliis discernebantur. Sedes consistentium erat ab Ambone versùs Sanctuarium, sive permixti fuerint cum fidelibus, sive ab illis separati, quæ res obscura est: fuisse tamen sejunctos probabili conjectura ex hoc deduco, quia alioquin potuissent cancellis appropinquare, quod illicitum erat non offerentibus & exclusis à communione. In hac quoque statione illi sæpiùs collocabantur, qui ob aliquam leviorem culpam communione aliquando privabantur, nullâ præter hanc pœnâ mulctati. Ita Concilium Illiberitanum c. 21. „Si quis in civitate positus tres Do„minicas Ecclesiam non accesserit, pauco tem„pore abstineat, ut correptus esse videatur. *Et „cap.* 50. Si quis Clericus, sive Fidelis cum Ju„dæis cibum sumpserit, placuit eum à commu„nione abstinere. Sunt & alii ejusdem Concilii canones huc referendi, ex quibus constat sic abstentos solâ communione privatos in reliquis fidelium commercio non caruisse. Quidam addunt quintum gradum perfectionis, & malè: quia perfectio non gradus, sed finis erat & fructus pœnitentiæ, cum ea plenè perfuncti, & à peccatis absoluti id quod perfectum est, corpus scilicet & sanguinem Jesu Christi percipiebant.

V. Mulieribus nunquam publica pœnitentia, saltem primis Ecclesiæ sæculis imponi solebat; sed privatim flebant, jejunabant, & alia pœnitentiæ opera exercebant. Id posteà permissum viduis, quia cessabat metus, ne à viris vexarentur. Exemplum habemus nobilissimæ matronæ Fabiolæ, quæ repudiato viro ob adulterium, alteri incauta nupsit, in se autem reversa post obitum secundi, errorem publicè confessa est. *Et tota Urbe Romana spectante*, ut in ejus Epitaphio epist. 30. Hieronymus scribit, *ante diem Paschæ in Basilica Laterani stetit in ordine Pœnitentium, Episcopo, Presbyteris, & omni populo collacrymante, sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submittens.* Erant & aliqui Pœnitentes, qui *Hyemantes* dicti sunt. Nam Synodus Ancyrana cap. 17. leprosos, & eos qui cum brutis rem habuerunt, inter Hyemantes orare præcepit. At qui fuerint isti, dubiæ quæstionis est. Quidam putant fuisse *Arreptitios*, quos S. Maximus *in Scholiis ad cap. 6. Eccles. Hier.* ita vocari arbitratur, quod veluti tempestatibus agitati in continua quasi hyeme versarentur. Horum verò sententiam reprobat Zonaras in notis ad citatum canonem Ancyranum: *Sed qui sint*, inquit, *haud facile dixerim.* Alii collocant eos in primo ordine pœnitentium, nullumque agnoscunt discrimen inter hyemantes & lugentes. Quibusdam magis placet hyemantium nomine illos intelligi, qui sub dio extrà omne Ecclesiæ tectum manebant, cujusmodi erant majori excommunicatione percussi, ab Ecclesia prorsùs præcisi: quo etiam in loco, procul scilicet à porticu, jussi sunt stare leprosi, ne cæteros inficerent; & qui cum brutis atque contra naturam luxuriabantur, quos monstra, portenta, & furias nuncupabant. Horum autem conjecturam ideo censeo probabiliorem, quod illi favere videatur Tertullianus *lib. de Pudicitia*, apud quem aliud est limine Ecclesiæ, aliud toto tecto submoveri. Fornicatores enim & adulteros ad limen seu fores Ecclesiæ inter Pœnitentes admissos ait *cap.* 3. quamvis frustrà, ut benè notat Pamelius *num.* 30. si Ecclesia eis veniam dare non poterat, ut ipse perperam asseruit: *Reliquas autem*, inquit cap. 4. *libidinum furias impias & in corpora & in sexus ultra jura naturæ, non modò limine, verùm omni Ecclesiæ tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra.* Hi ergò qui in area, & flentes qui in porticu morabantur, divini sacrificii nullo modo consortes erant: cæteri omnes qui Ecclesiam ingrediebantur, sed Missæ fidelium interesse non poterant, hoc ordine, prævia Ministri jussione è templo excedebant.

VI. Primi omnium voce Diaconi post Evangelium & sermonem admoniti exibant Infideles, & post illos Catechumeni primi generis, & Pœnitentes secundi. His egressis monebat Diaconus populum, quid peteret à Deo pro Catechumenis secundæ classis, qui Substrati dicebantur, quibus etiam indicebat ut capita inclinarent orationibus Sacerdotum, quibus super illos recitatis & ipsi exibant. Idem ritus his egressis erga Energumenos servabatur: & his post preces dimissis, vocati aderant Competentes & Electi, & postquam isti oratione item super eos peracta recesserant, idem Diaconus Pœnitentes tertiæ classis ad orationem advocabat, iisque procumbentibus manus imponebantur ab Episcopo & Presbyteris, recitatis orationibus, quarum formulæ prolixæ & distinctæ super omnes ab Ec-

Ecclesia emittendos legi possunt lib. 8. Apostolicarum Constitutionum; ac demum his dimissis fores Ecclesiæ claudebantur, quas Ministri custodiebant, ne quis à sacris exclusus denuò ingrederetur aut aliquis Fidelium abscederet, statimque Missa fidelium, quam Ivo Carnotensis *epist.* 219. Missam Sacramentorum vocat, inchoabatur. Sancitus est hic ordo expulsionis, *can.* 19. Concilii Laodiceni, deque eo agit Theodorus Antiochenus ad *can.* 5. Concilii Neocæsarienſis. Pœnitentes verò quartæ classis usque ad finem Missæ, ut suprà diximus, cum fidelibus morabantur communionis expertes. Quod autem spectat ad Sacramentalem absolutionem, an eam Episcopi seu Sacerdotes sub finem consistentiæ, an in fine subſtrationis impertirentur, cum ab ea ad consistentiam transibant, diversæ sunt Eruditorum sententiæ, quas non est hujus loci examinare. Quod si specialiter sermo sit de consuetudine Romanæ Ecclesiæ, ex Sozomeno *lib.* 7. *cap.* 16. & ex Nicephoro *lib.* 12. *cap.* 28. manifestè colligitur dilatam Romæ absolutionem usque ad finem quarti gradus. De hac enim Ecclesia tractantes, pœnitentes commemorant qui Missæ intererant, nec tamen Eucharistiæ participes erant: & eos ajunt peractâ Missâ in terram cum fletu corruisse, quibus occurrens Pontifex similiter cum lachrymis collabebatur, & eos erigens pro illis orabat, ac deinde dimittebat. Illi verò privatim jejuniis & aliis pœnis se affligebant, ac posteà elapso tempore ab Episcopo constituto à peccatis absolvebantur. Non ergò Subſtratis, qui cum Catechumenis exibant, sed Consistentibus, qui usque ad finem Missæ manebant in Ecclesia, absolutio dari solebat. Eumdem morem servatum in Africa, ut intra Missarum solemnia absolverentur pœnitentes proximè ante orationem Dominicam, non obscurè docet Optatus Milevitanus lib. 2. *Etenim inter vicina momenta dum manus imponitis & delicta donatis, mox ad altare conversi Dominicam orationem prætermittere non potestis.* Manuum autem impositio super Subſtratos, quædam tantùm oratio & benedictio erat, quam in terram procumbentes à Sacerdotibus accipiebant. A qua prostratione probabile est ortam adversus Christianos Paganorum calumniam, asserentium apud Minutium Felicem: *Eos Antistitis ac Sacerdotis colere genitalia, & quasi parentis sui adorare naturam*, eò quod Pœnitentes Presbyteris advolvi solerent, & charis Dei adgeniculari, ut loquitur Tertullianus.

## CAPUT XVIII.

*Veteris Ecclesiæ mores ex præsentibus æstimandos non esse. Cur interdùm mutati ritus. De diebus Aliturgicis. Feria Quinta quare olim Missa caruerit. An quotidie veteres Monachi celebrarint. De diebus Liturgicis, & de quotidiana oblatione. Qui fuerint dies Polyliturgici. Ab uno Sacerdote plures quandoque Missas una die actas, & unam à pluribus.*

I. DE sacris Ecclesiæ ritibus, eorumque veneranda antiquitate illi proculdubio malè merentur, qui priscos mores præsentis temporis consuetudine metientes, omnem veterem disciplinam ad hujus ævi praxim expendunt, ea persuasione decepti, quod nihil unquam ab iis usibus diversum fuerit, quos à parentibus & præceptoribus didicerunt, & quibus ab infantia assueverunt. Quod si aliquando priscorum Patrum monumenta evolvunt, quæ in illis obscura sunt obscuriora reddunt, veterem Ecclesiam cum præsenti comparantes: & si fortè in aliquid incidunt, quod ab hodiernis ritibus discrepet, subsistunt & nutant, vel inconsultò respuentes, vel falsa interpretatione in alienum sensum detorquentes quicquid à suis præjudicatis opinionibus abhorret. Ex quo fit, ut in maximos errores, inque rituum Ecclesiasticorum confusissimam perturbationem labantur, quia nimirùm illorum causas, & fundamenta, ac ipsasmet definitiones ignorant, quas bene percipere nemo potest, nisi ideam & imaginem antiquæ disciplinæ in mente habeat. Multa quidem vocabula nobis & priscis Patribus communia retinemus, sed sensu ab eo quem tunc habebant non minus alieno, quàm nostra tempora à primis post Christum sæculis remota sunt, ut palam fiet cum de oblatione, de communione, deque aliis partibus divini Sacrificii Libro secundo disseremus. Possem multa proferre Ecclesiasticæ disciplinæ detrimenta, quæ mater errorum ignorantia peperit, sed alienum hoc est à meo instituto, & quicquid in hoc genere peccatum est, naturæ lapsæ corruptioni semper in pejora ruentis malim adscribi, quàm illorum negligentiæ, qui succrescentibus malis non obstitisse vel fomenta præbuisse censentur. Vetus mortalium querimonia

est, à majorum pietate, fervore, & zelo nos recessisse, Christianæ probitatis vix remansisse vestigia: & quamvis fides una, perpetua & invariabilis est, verè tamen credentium numerus adeò indies decrescit, ut Christus Salvator noster prænuntiarit, vix se fidem in hominibus inventurum, cum terrarum orbem judicaturus adveniet: *Cum venerit*, inquit, *Filius hominis, putas inveniet fidem in terra?* Moribus autem immutatis, sacros quoque ritus variari consequens fuit. Et multa quidem sapientissimè ab Oecumenicis Conciliis & à summis Pontificibus, quorum est in populum Christianum summa potestas, & irrefragabilis atque infallibilis auctoritas, innovata fuerunt, id exigente temporum conditione, quæ pristinæ consuetudinis districtionem semper in eodem statu manere non patitur: sed & fatendum nihilominus est, non paucos abusus sensim irrepsisse hominum vitio vel imperitiâ, quibus nunc adversum ire & remedium afferre difficillimum est, cum in mores transierint quæ vitia fuerunt. Distinguendæ igitur ætates, disquirenda mutationis ratio, & omnia ad sua principia revocanda sunt, ut certa rerum notitia habeatur. Tum illud solerter cavendum est, ne ea, quæ justè & prudenter statuta sunt, cum abusibus & corruptelis absque legitima auctoritate introductis temerè confundantur. Optimè de hac re Hugo à S. Victore lib. 2. de sacram. Fidei par. 11. in fine cap. 12. „ Etiamsi aliis temporibus aliquando non ita fuisse, & nunc aliter esse quàm fuit, demonstretur: non tamen cogitare debemus, quasi levitate aliqua factum sit, ut nunc aliter teneatur & aliter institutum sit, quam fuit. Sed quod tunc oportebat & ita salubre fuit, ut sic teneretur, & sic juberetur: nunc autem alia esse tempora, & aliud esse congruum sive necessarium saluti humanæ. Hac monitione necesse fuit lectorem initio hujus Capituli præmunire, in eo siquidem & deinceps quædam tractanda sunt ab usu hodierno longè diversa, quæ præcipiti sententia damnare quidam scriptores ausi sunt, vel pervicaciter ea olim facta negantes, quæ hodie non fiunt, vel susque deque omnia vertentes, ut eadem ad hodiernas consuetudines accommodent. Sed jam tempus est, ut de diebus Aliturgicis, Liturgicis, & Polyliturgicis, quorum occasione hæc præmissa sunt, tractationem aggrediamur.

II. Apud Græcos dies *Aliturgici* erant & hodie item sunt omnes dies Quadragesimæ, quibus Missa Præsanctificatorum utuntur, exceptis Sabbato, Dominica, & die Annunciationis. Diem Sabbati Alexandriæ & Romæ liturgiâ olim caruisse testatur Socrates lib. 5. hist. Eccl. cap. 21 „ De Synaxi, *inquit*, variæ consuetudines sunt: „ nam quamquam omnes ubique in orbe terrarum Ecclesiæ singulis septimanis vertentibus „ die Sabbati mysteria celebrant, Alexandrini „ tamen & Romani ex antiqua traditione istud „ facere renuunt. Addebant Sabbato Alexandrini feriam quartam & sextam, ut idem asserit eodem loco. „ Rursus, *ait*, Alexandriæ quartâ fe„ riâ & eâ quæ dicitur Parasceve, & leguntur „ Scripturæ, & Doctores eas interpretantur, omniaque quæ ad synaxim pertinent administran„ tur, præter mysteriorum celebrationem. Socrati adstipulatur eisdem ferè verbis Nicephorus Callistus *lib.* 12. *cap.* 43. Ecclesia Mediolanensis sextas quasque ferias Quadragesimæ sine sacrificio transigit, ut supra dictum est Cap. X. In eadem Quadragesima officio Missæ caruit feria quinta, usque ad Gregorium II. cujus vitam scribens Anastasius ait: *Hic quadragesimali tempore, ut in quinta feria jejunium, atque Missarum celebritas fieret in Ecclesiis, quod non agebatur, instituit.* Notat verò Durandus *lib.* 6. *Rationalis cap.* 36. & 43. hinc ortam esse varietatem Epistolarum & Evangeliorum, quæ huic feriæ assignantur. Cum enim ejus officium à Gregorio Magno institutum non fuerit, diversæ Epistolæ & diversa Evangelia à diversis Ecclesiis pro eo ordinata sunt, vel quia seriùs ad eas pervenit Gregorii II. decretum, vel quia ejusdem officium à quorumdam Ecclesiarum Episcopis pridem fuerat institutum. De hac feria Walfridus Strabo cap. 20. hæc scribit. „ Melchiades Romæ præsulatum „ agens statuit, ut nulla ratione Dominicâ aut „ quinta feriâ jejunium quis fidelium ageret. Pagani enim his diebus quasi jejunia frequentabant. Ideò B. Gregorius in dispositione offi„ ciorum anni infra Quadragesimam quintam fe„ riam vacantem dimisit, ut quia festiva erat „ veluti Dominica, etiam officio diei Domini„ cæ celebris haberetur. Quæ quinta feria, quoniam postmodum cœpit ut cætera jejuniis ap„ plicari, Gregorius junior statuit eam Missis & „ orationibus esse solemnem, & undecumque col„ ligens ejusdem diei augmentavit officia. At hæc Anastasio adversari videntur: ille enim ait Gregorium constituisse, ut jejunium & Missarum celebritas hac die fieret, quod prius non agebatur: Strabo verò Missam propriam ab illo institutam asserit, cum prius Missa diei Dominicæ ipsâ

ipsâ feriâ quintâ repeteretur. Melchiadis statutum à Strabone citatum refert Gratianus *de consecr. dist.* 3. *cap. Jejunium*, ex epistola ejus supposititia ad Episcopos Hispaniarum. Habetur quoque in libro de Romanis Pontificibus Damaso Papæ perperam tributo his verbis. „ Hic „ constituit, ne ulla ratione die Dominica, aut „ quinta feria jejunium quis fidelium ageret, quia „ eos dies Pagani quasi sacrum jejunium celebra„ bant. Quicquid autem sit de hoc Melchiadis Decreto, certum est, in antiquis Sacramentorum libris, itemque in Lectionariis & Calendariis nullam inveniri Missam vel Evangelium tam in Quadragesima, quàm extra ipsam per totum annum, feriæ quintæ assignatum, nisi post Gregorium II. in Quadragesima tantùm, & in octavis Paschæ. Cujus Ecclesiastici ritus ex Concilio Narbonensi anno 589. celebrato rationem petendam putat Joannes Fronto in Prænotatis ad suum Calendarium §. 6. in quo statutum est, ne ullo religioso cultu hæc dies transigeretur. „ Ad „ nos pervenit, *ajunt Patres illius Concilii*, quos„ dam de populis Catholicæ fidei execrabili ritu „ quintam feriam, quæ & dicitur dies Jovis, „ multos excolere & operationem non facere. „ Quam rem pro Dei timore execrantes & blas„ phemantes, quicumque ab hac die præter festi„ vitates in eo die venientes, ausus vel ausa fuerit „ vacare & operam non facere, si ingenuus est „ aut ingenua, de Ecclesia repellendus, & sub „ pœnitentia mittendus anno uno, & eleemosy„ na & metu satisfaciat, ut eis Dominus ignoscat: si servus aut ancilla fuerit, contenta fla„ gella correcti Domino consignantur, & ultra „ talia eos observare non permittant. Declamat quoque adversùs eos, qui feriam quintam colebant, Augustinus in fine sermonis 215. de tempore, ubi inter cætera hæc habet. „ Quia audi„ vimus, quòd aliquos viros vel mulieres ita dia„ bolus circumveniat, ut quinta feria nec viri „ opera faciant, nec mulieres lanificium, coram „ Deo & sanctis Angelis ejus contestamur, quia „ quicumque hoc observare voluerint, nisi per „ prolixam & duram pœnitentiam tale sacrile„ gium emendaverint, ubi arsurus est diabolus, „ ibi & ipsi damnandi sunt. Isti enim infelices & „ miseri, qui in honore Jovis in quinta feria ope„ ra non faciunt, non dubito quòd ipsa opera die „ Dominico facere nec erubescunt nec metuunt. Nullo igitur honore feria quinta colebatur, nec ullus in eâ cogebatur Fidelium conventus, donec Gregorius II. statuit, ut in Quadragesima jejunio & Missâ, sicut & aliæ legitimæ feriæ, coleretur. Extra Quadragesimam verò diu mansit sine proprio & solemni Sacrificio, & si quis privatim sacrificare voluisset, præcedentis Dominicæ Missâ utebatur. Sic Anastasii & Strabonis sententiæ conciliari commodè possunt, neque enim puto, uni potius quam alteri credendum, cum ambo eodem tempore vixerint. Præcitata Strabonis verba Micrologus transcripsit c. 50. hæc de suo adjungens: *In hebdomada quoque Pentecostes quinta feria officio Dominicæ inofficiatur. Sabbata etiam ante Quadragesimam & ante Palmas Dominicarum suarum officia recipiunt, nec immeritò, cum quilibet dies privati de suis Dominicis soleant inofficiari.* Cur autem hæc Sabbata carerent officio, ratio assignari potest ex libro Sacramentorum S. Gregorii apud Pamelium, quia D. Papa dabat eleemosynam, cujus ritus mentionem faciunt Amalarius *lib. 1. cap. 9.* & alii officiorum expositores, nihil tamen quod ad historiam pertineat, afferentes. *Sabbatum ante Palmas*, inquit Amalarius, *prætitulatur in Sacramentario nostro, & in Antiphonario*, Sabbato vocat, *Dominus Papa eleemosynam dat.* Deinde pias hujus rei expositiones comminiscitur. Clariùs de hac re differit Grimoldus Abbas in Præfatione libri Sacramentorum editi à Pamelio tomo 2. Liturgic. pag. 388. Agens enim de diebus, qui in Sacrament. Gregorii Magni carent officio, ait: *Sicut quorundam relatu didicimus, Dominus Apostolicus in eisdem diebus à Stationibus penitus vacat, eo quod cæteris septimanæ feriis stationibus vacando fatigatus, eisdem requiescat diebus, ob id scilicet ut tumultuatione populari carens & eleemosynas pauperibus distribuere & negotia exteriora liberiùs valeat disponere.* Erant igitur Romæ Aliturgici illi dies in quibus Pontifex, qui semper solebat Missarum solemniis assistere, quiescebat; quem ritum servabant etiam omnes Ecclesiæ Romanis usibus adhærentes.

III. Dies item Aliturgici olim erant feria sextâ majoris hebdomadæ, quæ sola hodie in Ecclesia Latina sacrificio caret, & Sabbatum sanctum, qua die licet Missa nunc celebretur, ea tamen agi solebat in nocte Resurrectionis, ad quam spectat. Et hoc quidem Sabbatum omni officio vacabat, feria autem sexta habet Missam Præsanctificatorum, qua Græci semper in Quadragesima utuntur modo supra explicato. Extat de hoc biduo testimonium S. Innocentii Papæ epist. ad Decentium, in qua docens oportere Sabbato jejunare, hanc rationem affert, quia si *sextâ feriâ*

„ feriâ propter Paſſionem Domini jejunamus, „ Sabbatum prætermittere non debemus, quod „ inter triſtitiam atque lætitiam temporis illius „ videtur incluſum. Nam utique conſtat Apo- „ ſtolos biduo iſto & in mœrore fuiſſe, & prop- „ ter metum Judæorum ſe occuluiſſe. Quod uti- „ que non dubium eſt in tantum eos jejunaſſe bi- „ duo memorato, ut traditio Eccleſiæ habeat iſto „ biduo ſacramenta penitus non celebrari. Ait deinde hanc formam ſingulis hebdomadis eſſe tenendam, quod procul dubio de ſolo jejunio exponi debet, de quo præcipuè loquitur, non autem de omiſſione Miſſæ, quam obiter aſſumit ad jejunii convenientiam aſtruendam. Poſſent quoque inter Aliturgicas computari feria ſecunda & tertia, quibus extra Quadrageſimam nulla in antiquis Codicibus Miſſa annotatur. Epiphanius in expoſitione fidei *num.* 22. ſacros conventus & ſynaxes quartâ, ſextâque feria, & Dominica ab Apoſtolis inſtitutas ait. An verò hæc inſtitutio de Liturgia intelligenda ſit, incertum eſt: nam cum varii Eccleſiarum mores eſſent, ſi Liturgiam illis tantùm diebus agi Apoſtoli præcepiſſent, omnes eam legem obſervaſſent. Crediderim Epiphanium de conſuetudine Alexandrinæ Eccleſiæ loquutum, quam Cypria ſequebatur. His diebus Baſilius Magnus *Ep.* 289. *ad Cæſariam Patriciam* addidit Sabbatum. *Singulis certè diebus*, inquit, „ communicare & participare ſancti cor- „ poris & ſanguinis Chriſti bonum & fructuoſum „ eſt, cum dixerit ipſe perſpicuis verbis, Qui „ comederit carnem meam & biberit ſanguinem „ meum vitam habet æternam. Jam verò quis „ dubitat, quin vitæ frequentiùs participare, non „ ſit aliud omnino quam frequenter vivere? „ Quater igitur nos ſingulis ſeptimanis commu- „ nicamus, Dominico die, feria quarta in Pa- „ raſceve, & Sabbato: Sed & per dies etiam alios, „ ſi Martyris alicujus memoria celebretur. Additum quoque eſt Sabbatum ab Occidentalibus, qui quartâ & ſextâ feriâ, ac Sabbato jejunabant, & celebrato ſacrificio jejunium ſolvebant. Tertullianus de jejuniis cap. 14. *Stationibus quartam & ſextam feriam dicamus, & jejuniis Paraſceven*, id eſt Sabbatum; utpote quod ſit Paraſceve Dominicæ, ut notat Pamelius. Olim etiam ad diem Sabbati remitti ſolebant Sanctorum feſtivitates in diebus Quadrageſimæ occurrentes ex ſtatuto Synodi Laodicenæ cap. 51. *Quod non oporteat in Quadrageſima Martyrum natales peragere, ſed eorum in Sabbato & Dominica tantùm memoriam fieri.* Idem clariùs exprimitur in Capitulis Martini Bracarenſis cap. 48. „ Non „ liceat in Quadrageſima natales Martyrum ce- „ lebrare, ſed tantùm Sabbato & Dominico „ die pro commemoratione eorum oblationes „ offerri. In ſecundo Concilio Matiſconen. cap. 6. decernitur, ut reliquiæ ſacrificiorum feriâ quarta vel ſexta dentur infantibus vino permixtæ, quia nimirum hæ feriæ præ cæteris celebres erant. Nuſquam tamen reperio, quod ſecunda, & tertia omni prorſus ſacrificio carerent, unde non credo Aliturgicis accenſendas eſſe. Reſtat Dominica poſt ſabbatum quatuor Temporum, quæ propriâ Miſſâ caret, & vacare dicitur in priſcis ſacramentorum libris. Nam cum Sabbati hujus Miſſa & ei annexa Sacrorum Ordinum collatio Veſpere celebraretur, ſæpe contingebat, ut jejunio uſque ad lucem producto Miſſa die ſabbati inchoata ſequenti Dominicâ perficeretur, ipſaque Dominica proprio officio careret, niſi propriam haberet celebritatem, ſicut Dominica Reſurrectionis. Tempore S. Auguſtini diverſæ erant diverſarum Eccleſiarum hac de re conſuetudines; ſicut ipſe teſtatur tract. 26. in Joannem: „ Sacramentum corporis, & „ ſanguinis Chriſti alicubi quotidie, alicubi certis „ intervallis dierum in Dominicâ menſa præpa- „ ratur, & de menſa Dominica ſumitur. Et ep. „ 118. ait, Alibi nullus dies intermittitur, quo non „ offeratur: alibi Sabbato tantùm & Dominico, „ alibi tantùm Dominico. In Monaſteriis antiquo ritu omnes dies Liturgiâ carebant excepta Dominica & ſolemnitatibus; idque ex regulis & hiſtoriis veterum Monachorum perſpicuum eſt. S. Benedictus Miſſæ mentionem bis facit in regula ſua; *cap.* 35. & 38. ex utroque autem loco colligitur Dominicis tantùm & feſtivis diebus ad Miſſæ ſacrificium Monachos conveniſſe. Ægyptos Monachos ſabbato dumtaxat & die Dominica ad divina myſteria celebranda & percipienda in unum congregari conſueviſſe narrat Caſſianus *l.* 3. *Inſtit. cap.* 2. Carthuſianos olim diebus tantùm Dominicis & feſtis Miſſas celebraſſe, referunt Petrus Cluniacenſis *lib.* 2. *Mirac. cap.* 28. Guibertus Abbas *lib.* 1. *de vita ſua c.* 11. & Petrus Bleſenſis *Ep.* 86. quæ legenda cum notis viri eruditiſſimi Petri de Guſſanvilla. S. Fructuoſus Bracarenſis Epiſcopus in regula ſecunda Monachorum *cap.* 13. omni die Dominico congregari Monachos ad Collectam præcipit, & non pluſquam ſeptem dies interponere. Regula Magiſtri *cap.* 45. Miſſam agi mandat diebus Dominicis & in Natalitiis Sanctorum. Ejuſdem

ritus

ritus occurrunt passim exempla in vitis Patrum Orientalium, quæ hic referre ut nimis longum, ita & superfluum foret: nusquam enim solemnis conventus ibidem mentio fit, nisi festis diebus, qui soli publica Sacri oblatione colebantur.

IV. Venio nunc ad dies Liturgicos, quo nomine si privatam & quotidianam celebrationem complectimur, extra controversiam est semper licuisse quacumque die Sacrificium offerre, paucis dumtaxat exceptis quibus id nominatim vetitum fuit, quales sunt in Ecclesia Orientali dies Quadragesimæ, quibus Præsanctificatis utuntur, & in Ecclesia Romana feria sexta & sabbatum majoris hebdomadæ, in Ecclesia autem Mediolanensi omnes feriæ sextæ Quadragesimæ. Testimonia veterum Patrum de usu quotidiani Sacrificii quædam attuli supra Capite XIV. cum de Missis privatis agerem, quibus alia hic superaddam, ut privatæ oblationis laudabilis consuetudo firmiùs stabiliatur. Tertullianus de jejun. cap. 14. *Nobis certè omnis dies etiam vulgata consecratione celebratur.* Andreas Apostolus se quotidie hostiam incruentam immolasse testatus est, ut Acta ejus referunt à Presbyteris Achaiæ conscripta. Cyprianus epist. 54. ad Cornelium, „ Episcopatus nostri honor grandis & gloria est pacem dedisse Martyribus, ut Sacerdotes, qui sacrificia „ Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas præparemus. Basilium Magnum quotidie sacris operatum scribit Amphilochius in ejus vita: idemque Baronius de S. Ambrosio asseverat. Chrysostomus hom. 60. ad Pop. Antioch. Deum ait nobis sua beneficia per singulos dies quodammodo per hæc mysteria alligare, non annuatim sicut olim Hebræis. Et hom. sequenti Dominum per singulos dies venire inquit, ut videat in sacra mensa discumbentes. Innocentius I. epist. ad Exuperium Episcopum Tolosanum, ideò à Sacerdotibus servandam pudicitiam docet, quia non præterit dies, qua à sacrificiis divinis vacent. Petrus Chrysologus serm. 5. loquens de Christo, *Hic est vitulus*, ait, *qui in epulum nostrum quotidie ac jugiter immolatur.* S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum quotidie Missam celebrasse refert Serarius *lib. 3. rerum Mogunt. notat. 12. in ejus vitam* ex quodam fragmento S. Ludgeri. Gregorius Turonen. *lib. 1. de gl. confess. cap. 22.* calicem & patenam vocat ministerium quotidianum. In veteri Missa edita ab Illyrico, Sacerdos post communionem Deum orat, ne ad damnationem sibi proveniat, quod corpus & sanguinem Christi quotidie audet accipere. Ne verò deessent singulis propriæ Missæ, Alcuinus Caroli Magni Magister rogatu S. Bonifacii Archiepiscopi Missam composuit de Trinitate pro die Dominica, pro feria II. de Sapientia, pro feria III. de Spiritu Sancto, pro feria IV. de Charitate, pro feria V. de Angelis, pro feria VI. de Cruce, pro Sabbato de S. Maria. *Et hoc ideò*, teste Micrologo cap. 60. „ ut Presbyteri illius temporis nuper ad fidem conversi, nondum Ecclesiasticis officiis instructi, nondum etiam librorum copia præditi vel aliquid haberent cum „ quo officium suum qualibet die possent exprimere. Unde & adhuc quidam ealdem orationes „ quotidie, etiam cum proprio abundent officio, „ nolunt prætermittere. In singulis quoque hebdomadibus sexta feria de Cruce, sabbato de S. „ Maria penè usquequâque servatur, non tam ex „ auctoritate, quàm ex devotione. In antiquis Usibus Monachorum feria II. notatur Missa pro Defunctis, feria III. de S. Benedicto, sive de Sancto cujusque congregationis institutore; feria IV. pro familiaribus; feria V. de Spiritu Sancto, feria VI. de cruce vel de passione Domini, sabbato de S. Maria. Missam de Trinitate olim Cistercienses singulis diebus Dominicis cantabant post Primam. Nunc autem quæ Missæ singulis feriis proprio officio carentibus assignatæ sint, ex Rubricis Missalis Romani constat, & ex praxi communiter recepta. Sunt & Missæ votivæ nulli diei addictæ, quæ quoties occasio fert ad arbitrium Sacerdotis celebrantur. Extat de Missis quotidianis Concilii primi Toletani sub Anastasio Papa hoc decretum c. 5. „ Presbyter, vel Diaconus, vel „ Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus „ clericus, si intra civitatem, vel in loco in quo ec„ clesia est, aut castello, aut vico, aut villa, ad ec„ clesiam ad sacrificium quotidianum non acces„ serit, clericus non habeatur. At hic canon ad Missam solemnem pertinet, quandoquidem jubet omnes Ecclesiasticos ordines ad eam convenire. Ex hoc autem infertur, eam quotidie in Ecclesia Toletana initio quinti sæculi actam fuisse, quod teste Augustino supra citato alicubi ipso vivente servabatur. Cæterùm de Missa solemni singulis diebus cantanda varias olim fuisse diversarum Ecclesiarum consuetudines superiori paragrapho demonstratum est, recensitis diebus qui apud Antiquos Aliturgici erant. Quo verò tempore Sacrum quotidianum atque solemne ubique cœperit frequentari, non liquet: ex antiquis autem Sacramentorum libris, & ex Ritualibus Monachorum manifestum est, octavo sæculo hunc ritum

tum in omni ferè regione receptum, ut non solùm diebus Dominicis, & festivis, ac in diebus Stationum, sive in pervigilio majorum festivitatum solemnis Missa celebraretur, sicut Apostolica traditio, primique & secundi sæculi usus ferebat; sed singulis etiam diebus, sola feria VI. ante Pascha excepta: qui mos hodie in omnibus ecclesiis collegiatis & conventualibus exactissimè observatur.

V. Erant & alii dies in veteri Ecclesia, quos Polyliturgicos vocare libet, in quibus ab uno Sacerdote plures Missæ dicebantur, sicut hodie fit in die Dominicæ Nativitatis. Quamvis enim Leo Magnus *Epist. ad Dioscorum Alexandrinum* eadem die iterari Missam prohibeat, nisi ob angustiam Ecclesiæ omnis populus interesse non possit: hoc tamen decretum vel ita intelligendum est, ut id passim non liceat, & quandocumque Sacerdoti libuerit: sed certis tantùm diebus & ex aliqua causa: vel non usu, aut contraria sanctione à summis Pontificibus abrogatum fuit. Leonem III. septem quandoque, imò & novem Missas celebrasse ex Walfrido Strabone cap. 21. refert Baronius tom. 9. an. 816. Notabilia sunt Strabonis verba, & ideò non omittenda. „ Diversitas „ quædam inter Sacerdotes oboriri solet, quia „ est talis, qui semel tantùm in die Missam cele„ brare velit, nimirum credentes idem mysterium „ passionis Christi cunctarum necessitatum esse „ generale subsidium. Alius verò bis, ter, vel „ quoties libet, eadem mysteria in die iterare con„ gruum putat, credentes tantò amplius Deum „ ad misericordiam flecti, quantò crebriùs passio „ Christi commemoratur. Et fortasse consuetu„ dinem suam inde confirmandam existimant, „ quia Romanorum usus habet duas vel tres in„ terdum unius solemnitatis facere Missas, ut in „ Nativitate Domini Salvatoris & aliquorum „ festis Sanctorum. Et reverâ non esse absurdum „ crediderim, si, dum plures in una die faciendæ „ sunt Missæ, unus Sacerdos duas vel tres ne„ cessitate vel voluntate persuadente celebret po„ tius, quàm quasdam dimittat. Ad hoc accedit, „ quod totius usus Ecclesiæ habet sæpius Missas „ agere pro vivis, pro defunctis, pro eleemosy„ nis, & aliis diversis causis, quod etiam officia „ his attributa testantur. In diebus itaque publi„ câ celebritate conspicuis aut illæ diversarum „ rerum necessitates sunt intermittendæ, aut „ concurrentibus sibimet publica observatione „ & privata necessitate, utriusque expletio suis est „ discernenda officiis, vel una oblatione diversæ „ causæ sunt explendæ. Hactenus Strabo, cui auctor Gemmæ animæ adstipulatur lib. 1. c. 114. „ Semel in die debet Missa ab uno Sacerdote ce„ lebrari, sicut & Christus semel voluit immola„ ri. Si autem necessitas cogit, id est si duæ festi„ vitates simul occurrunt, duæ vel tres celebrari „ poterunt. Sunt & Conciliorum decreta ad hunc ritum pertinentia. Nam Toletanum XII. habitum ann. 681. can. 5. sic loquitur. „ Rela„ tum nobis est, quosdam de Sacerdotibus „ non tot vicibus communionis sanctæ gratiam „ sumere, quot sacrificia in una die videntur of„ ferre; sed in uno die si plurima per se Deo offe„ rant sacrificia, in omnibus se oblationibus à „ communione suspendunt, & in sola tantùm ex„ tremi sacrificii oblatione communionis sanctæ „ gratiam sumunt. Vetat autem id fieri sub pœna suspensionis. Et in Emeritensi aliquot annis ante Toletanum habito sub Vitaliano Papa c. 19. cautum est, ut Presbyter, qui plures ecclesias sub suo regimine habet, in singulis die Dominicâ Missas agat. At verò Salegunstadiense anno 1022. celebratum cap. 5. numerum præfixit decernens, ne quis præsumeret amplius quàm tres Missas in die celebrare. Nec desunt Sanctorum exempla, qui pluries in die sacrificium offerebant, nulla etiam urgente necessitate, quia nimirum sic ferebat illorum temporum consuetudo. De Leone III. diximus supra, quem Durandus *lib. 2. cap. 7.* falsò putat primum fuisse, cum Strabo dicat, eum non longè à suis temporibus claruisse. S. Udalricum Episcopum Augustanum duas & tres Missas una die celebrasse scribit in ejus vita Berno Augiensis. A S. Norberto duas quotidie actas, itemque à S. Alberto Monacho legimus apud Surium. De S. Libentino Bremensi Episcopo idem in sua Metropoli narrat Krantzius *lib. 4. cap. 11.* In libello de Alamannicæ ecclesiæ Fraternitatibus, quem edidit Goldastus *tomo 2. Alaman. Antiquit.* occurrit Fraternitas more priscorum Monachorum inita inter Monasterium Augiense & S. Galli tempore Caroli Magni, in qua conventum utrimque est, ut, quandocumque aliquis frater obierit, eo die Presbyteri tres Missas, & cæteri fratres pro eo Psalterium decantarent. Et hæc quidem universim evincunt, licitam olim fuisse multiplicem eâdem die celebrationem, non solùm id aliqua causa exigente, sed etiam liberè & ex sola Sacerdotis devotione. In Ecclesia autem Romanâ antiqua viguit consuetudo bis vel ter offerendi Sacrificium in certis quibusdam festivitatibus, quas operæ pretium duxi hîc breviter recensere.

VI. Prima

VI. Prima fuit dies Kalendarum Januarii ex veteri Frontonis Kalendario ante annos nongentos conscripto, in qua duæ Missæ cantari solebant, una de octava Nativitatis, altera de S. Maria: quia ut ait Durandus in suo Rationali lib. 6. cap. 5. *hac die duo festa concurrunt, scilicet parientis & partus; unde & duæ Missæ celebrantur, prima de pariente scilicet de B. Virgine, in qua dicitur introitus*, Vultum tuum; *& Communio*, Simile est regnum cœlorum homini negotiatori: *secunda est de partu, scilicet de Filio, in qua dicitur introitus*, Puer natus est nobis; *vel in aliis ecclesiis*, Dum medium silentium. *Unde & in quibusdam Gradualibus officium utrumque intitulatum invenitur.* Nunc verò utrumque festum in unum conflatum est, nam oratio in Missa est de S. Maria, Evangelium de Circumcisione, reliqua de octava: in officio autem major pars est de ipsa Virgine, additis nonnullis de circumcisione, & de octava, à qua hæc dies in antiquis Sacramentorum libris, nulla facta mentione Circumcisionis, denominatur. In prisco Ordine Romano ipsis Kalendis Januarii alia Missa reperitur, *Ad prohibendum ab Idolis*, cujus prima oratio hæc est. „ Omnipotens sem„piterne Deus, da nobis voluntatem tuam & fi„deli mente retinere, & pia conversatione depro„mere, ut Ecclesia tua à profanis vanitatibus ex„piata non aliud profiteatur verbis, aliud exer„ceat actione. Meminit hujus Missæ Menardus in notis ad lib. Sacram. pag. 33. ubi optimè observat rationem hujus Missæ instituendæ fuisse, quia olim Pagani Kalendas Januarii multiplici superstitione polluebant.

Altera est dies Cœnæ Domini, in qua Episcopus tres Missas celebrabat, quæ teste Menardo ibid. pag. 68. extant in antiquo Codice Remensi, quarum prima erat pro reconciliatione Pœnitentium, secunda pro conficiendo Chrismate, tertia serotina de ipsa diei solemnitate, cum oratione *Deus à quo & Judas*. Has item Missas reperiri in libro Sacramentorum Petaviano, nunc Reginæ Sueciæ, omnium quos vidi Antiquissimo. Olim quoque Missas hac die in quibusdam Ecclesiis actas, unam mane, alteram serò, scribit Augustinus epist. 118. ad Januarium.

Tertia est vigilia Ascensionis Domini, in qua duplex Missa præscribitur, una de Feria, sive de Rogationibus; altera de ipsa vigilia, ut constat ex Kalendario Frontonis, & ex priscis Missalibus. Ipso quoque Ascensionis die in prædicto Codice Reginæ duæ Missæ notantur, & in singulis propria Præfatio.

Quarta tres dies jejuniorum hebdomadæ Pentecostes complectitur, in quibus asserit Micrologus cap. 58. duas Missas ab aliquibus suo tempore decantatas, unam de octavo sive de festo Spiritus Sancti post Tertiam, alteram de jejunio quatuor Temporum post Sextam.

Quinta est dies Nativitatis Domini, in qua tres Missæ dicuntur: & hæc sola cæteris abrogatis in usu permansit. Addit Joannes Fronto in prænotatis ad suum Kalendarium §. 10. sanctum diem Resurrectionis, dicens: „ In die Paschatis „ sunt tres Missæ, prima sabbatina de nocte, se„cunda de die, tertia in concessione Ordinum, „ quæ non adnotatur, quia sumitur de communi. Erat enim Missa quædam specialis, quæ semper dicebatur in Ordinum collatione. In præcitato Codice Reginæ, & in aliis antiquis extat etiam Missa de Pascha annotino, quæ recurrente die anniversaria baptismatis pro his celebrari solebat, qui præcedenti anno baptizati fuerant, non omisso diei officio, in qua leguntur istæ orationes: „ Deus per cujus providentiam nec præterito„rum momenta deficiunt, nec ulla supereſt expe„ctatio futurorum, tribue permanentem peractæ „ quam recolimus solemnitatis effectum; ut „ quod recordatione percurrimus, semper in o„pere teneamus. Per. *Alia*, Deus qui renatis „ fonte baptismatis delictorum tribuis indulgen„tiam, præsta misericors, ut recolentibus hujus „ Nativitatis insignia, plenam adoptionis gratiam „ largiaris. Per Dominum. In alio Codice Reginæ, quem supra Cap. XII. Gallicanum ritum continere dixi, singulis diebus octavarum Paschatis duæ sunt Missæ, una pro parvulis qui renati sunt, altera de ipsa festivitate. Eadem Missa extat in Codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ ibidem laudato sic inscripta, „ Missa Matuti„nalis per totam Pascham pro parvulis qui renati „ sunt maturè dicenda. *Ejus oratio hæc est*, Deus „ qui credentes in te populos gratiæ tuæ largitate „ multiplicas, respice proprius ad electionem „ tuam, ut qui sacro baptismate sunt renati, regni „ cœlestis introitum mereantur. Per Dominum. Græcos quoque in die Resurrectionis Missam unam ante solis exortum celebrasse scribit Gabriel Philadelphiensis relatus à Gretsero *lib. 3. comment. in Codicum cap. 1.*

VII. Multiplex item sacrificium in natalitiis Sanctorum offerri consueverat, cum duorum vel plurium eâdem die festivitas agebatur: qua de causa in vetustis Sacramentorum libris duæ Missæ certis diebus notantur, ut *die 20 Januarii* una

una de sancto Sebastiano, altera de sancto Fabiano: *die* 3 *Maji* de Inventione sanctæ Crucis, & de Sanctis Alexandro, Eventio, & Theodulo: *die* 28. *Junii* de sancto Leone, & de vigilia Apostolorum. Et hac die in libro sacramentorum sancti Gregorii edito ab Hugone Menardo ante secundam Missam extat hæc nota. „Quando „ Apostolicus duas Missas celebrat una die, in„ter eas non lavatos, nisi post officium; sed „absque intervallo finitâ priore incipitur alia: nimirum ut jejunus celebret. In Codice Reginæ de sanctis Apostolis Petro & Paulo *die* 30. *Junii* tres sunt Missæ, una de S. Petro solo, altera de utroque simul, tertia de S. Paulo. *Die* 29. *Julii* ex Sacramentali Pamelii duæ quoque sunt, nempè de S. Felice, & de sanctis Simplicio, Faustino, & Beatrice, *Die* 28. *Augusti* de sancto Hermete, & de S. Augustino: *Die sequenti* de martyrio S. Joannis Baptistæ, & de S. Sabina. *Die* 8. *Septembris* de Nativitate S. Mariæ, & de S. Adriano: *Die* 14. de Exaltatione S. Crucis, & de sanctis Cornelio & Cypriano: *Die* 16. de S. Euphemia, & de sanctis Lucia & Geminiano: *Die* 11. *Novembris* de S. Menna & de S. Martino: *Die* 23. de S. Clemente, & de S. Felicitate: *Die* 29. de S. Saturnino, & de vigilia S. Andreæ. Nunc autem prædictæ festivitates una die occurrentes vel simul unico officio celebrantur, vel altera in alium diem transfertur, aut ipsa die sola commemoratione expeditur.

Sunt & aliæ causæ multiplicationis Missarum de iisdem Sanctis; nimirum cum eorum Reliquiæ in diversis Ecclesiis conditæ erant. Sic festo S. Felicitatis cum septem filiis *die* 10. *Julii* tres Missæ assignantur in Kalendario Frontonis, quia in tribus diversis locis ipsorum corpora sepulta fuerunt, & ad singula concurrebat populus, & idem Sacerdos in singulis Sacris operabatur. Sic etiam Papa in die Apostolorum bis olim celebrabat, semel in Basilica S. Petri, & iterum in Basilica S. Pauli, ut Prudentius testatur hym. 12. de Coronis.

*Aspice per bifidas plebs Romula funditur plateas,*
*Lux in duobus servet una festis.*
*Transtyberina prius solvit sacra pervigil Sacerdos,*
*Mox hac recurrit, duplicatque vota.*

Vel quando ejusdem Sancti memoria in pluribus locis colebatur, utpote in Basilica ipsi dedicata, & in loco ubi conditus fuit. Et hæc est causa trium Missarum, quæ in die S. Laurentii dicebantur, quarum prima erat vigiliæ, quæ serò fiebat propter jejunium, quando more Ecclesiastico dies festus incipiebat: altera summo mane, tertia post Tertiam. Tres quoque Missas singulari privilegio Nativitati S. Joannis Baptistæ tributas liquet ex libro Sacramentorum Pamelii, & ex aliis Codicibus quos laudat Menardus in notis sui Sacram. pag. 169. vigiliarum scilicet, diluculi & diei. Harum mentionem faciunt Alcuinus cap. 30. Amalarius *lib.* 3. *cap.* 38. *& lib.* 4. *cap.* 40. Hugo Victorinus *lib.* 3. *de Offic. Ecclesiast. cap.* 6. & Baronius *in notis ad Martyrolog. die* 24. *Junii*. Berno quoque in vita S. Udalrici scribit, eum in hoc festo bis sacrificasse, *ut est*, inquit, *statutum*. Missæ verò eâdem die primo mane celebratæ post hymnum *Te Deum laudamus* in Matutinis decantatum, mentio fit in vita Roberti Regis Franciæ scripta ab Helgaldo Monacho Floriacensi. Duæ item Missæ leguntur in libro Sacram. S. Gregorii, apud Pamelium, & in Codice Ratoldi apud Menardum pag. 32. pro die S. Joannis Evangelistæ, primo mane, & in die, quarum meminit Amalarius *lib.* 4. *cap.* 40. easque negligendas non esse ait Rodulfus in fine libri de Canonum observantia.

Postrema plurium Missarum celebrandarum causa fuit, ut suprà ex Strabone notavimus, cum Missa votiva pro aliqua necessitate, aut Missa Defunctorum pro alicujus sepultura, aut commemoratione agenda erat. Concilium Carthaginense relatum c. Sacramenta Altaris, *de consec. dist.* 1. imminente alicujus sepultura, eam fieri solis orationibus præcepit, si jam pransi Sacerdotes invenirentur. Ex quo infertur, quod si jejuni forent, poterant iterum Missas agere. Concilium Oxoniense in Anglia tempore Honorii III. unam Missam in die dici mandat; exceptis die Nativitatis & Resurrectionis, & exequiis ac sepultura Defunctorum. In regno Valentiæ, & in aliis quibusdam locis Hispaniæ, Sacerdotes bis vel ter celebrant in die commemorationis omnium Defunctorum, sive ex privilegio, sive ex consuetudine, quæ fortassis ex eo profluxit, quod Alexander II. qui unam dumtaxat in die Missam agi præcepit, morem celebrandi unam de die, alteram pro defunctis refert, & non abrogat. Certum nihilominùs est hunc morem jam pridem desuevisse. Decretum Alexandri extat apud Gratianum *de consec. dist.* 1. *c. sufficit*. Cui consonat Innocentius III. c. consuluisti *de celebratione Missarum*, his verbis: *Respondemus quod excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solum-*

*solàmmodò celebrare*. Addit Honorius III. ibidem c. *Te referente*, valde felicem esse, qui celebrat dignè unam.

VIII. Hæc de multiplici sacrificio ab uno Sacerdote una die peracto dum scribo, incidi in librum cujusdam recentioris, qui ex præsenti tempore antiquum æstimans audacter pronunciat non ab uno Sacerdote in suprascriptis casibus sacrificatum, sed à pluribus, quia nimirum hunc hodie usum in Ecclesiis vidit, ut cum duæ Missæ eadem die celebrandæ occurrunt, sicut in Quadragesima & in aliis vigiliis, una de feria, altera de festo, hæc ab uno Sacerdote post Tertiam, illa ab altero post Nonam peragatur. Sed si antiquos sacrorum rituum expositores, & libros rituales perlegisset, invenisset proculdubio diversos tunc fuisse Ecclesiæ mores: nam quoties duæ Missæ cantandæ erant, unus & idem sive Presbyter, sive Episcopus, sive Pontifex Maximus, utramque cantabat, ut ex allatis veterum testimoniis evincitur. Sicut enim hodie in die Nativitatis Domini unus Sacerdos tres Missas celebrat, ita & tunc in aliis diebus polyliturgicis. Nam unus Sacerdos uni Ecclesiæ addictus erat, & cum plures esse cœperunt, ex his hebdomadarii constituebantur, qui, ut loquitur Cyprianus *Ep. 5. ad Clerum*, singuli per singulas vices alternabant. Hebdomadarius autem, quidquid publicè in Ecclesia cantandum erat, ipse canebat, sive una sive plures pro more illius temporis Missæ occurrerent: eodemque munere in majoribus solemnitatibus qui dignior erat in clero fungebatur. Narrat Palladius in *vita* Abbatis Arsisii in Ecclesia Montis Nitriæ octo fuisse Presbyteros, inter quos qui primus erat solus offerebat, & quamdiu ipse vivebat, reliqui nec offerebant, nec judicabant, nec sermonem habebant. Libuit hoc obiter annotare, & ad alium veteris Ecclesiæ ritum enucleandum progredior.

IX. Solemne hoc fuit in utraque Ecclesia, Græca & Latina, ut unum & idem sacrificium à pluribus interdum Sacerdotibus celebraretur: Episcopo enim sive Presbytero celebrante reliqui quotquot aderant Episcopi, seu Presbyteri simul celebrabant, ejusdemque sacrificii participes erant. Hic autem mos hactenus servatur à Græcis: apud nos verò in solis ordinationibus Presbyterorum, & Episcoporum permansit. Hujus celebrationis modum & ritum latè describit Joannes Morinus *lib. de sacris ordinationibus parte 1. exercit. 8. capite 1.* Res ipsa probatur antiquorum canonum & Patrum testimoniis. Constitutiones Apostolicæ lib. 8. Episcopum describunt sacris operantem cum Presbyteris circumstantibus, simulque offerentibus & communicantibus. Eundem ritum supponunt canon 8. Apostolorum adversus Presbyteros & Diaconos, qui oblationis factæ participes non fuerint: Canon 5. Concilii primi Toletani præcipiens omnes Presbyteros & Diaconos quotidiano Sacrificio adesse: canon 14. Concilii Arvernensis mandans Presbyteros in præcipuis festivitatibus nullo loco divina celebrare mysteria, nisi cum Episcopo suo in civitate. In Concilio Chalcedonensi Basilianus ab Episcopatu Ephesino depositus de Stephano in sedem suam intruso sermonem habens ait: *Stephanus Presbyter meus fuit. Quatuor annis Missas mecum celebrabat, mecum communicabat.* Dominus Antiochiæ Episcopus Simeonis Stylitæ vitam admiratus simul cum illo sacrificium celebravit, eoque peracto alter alteri tradidit communionem, ut referunt in historia Ecclesiastica Evagrius *libro 1. cap. 13.* & Nicephorus *libro 14. capite 51.* Ebbonem Remensem Archiepiscopum narrat Flodoardus ad Missæ celebrationem cum aliis Episcopis processisse, cum sedi suæ restitutus fuit. Joannes VIII. in fine octavæ Synodi ad Photium scribens suos Apocrisarios defendit, quod cum ipso Photio simul sacrificare noluerint. Athanasius *Apolog. 2. pro fuga sua* Ischyriæ calumniatori suo exprobrat, quod nunquam synaxim cum aliis Presbyteris fecerit. Vetus Pontificale Rothomagensis Ecclesiæ apud Menardum in notis ad Sacrament. pag. 81. *Mos*, inquit, *est Romanæ Ecclesiæ, ut in confectione corporis & sanguinis Domini adsint Presbyteri, & simul cum Pontifice verbis & manibus conficiant.* In alio antiquo Rituali sive Rationali ceremoniarum apud Morinum loco cit. reperitur hic titulus, *De diversis Sacerdotibus super unam oblatam celebrantibus.* Ordo etiam Romanus hunc ritum exprimit, qui adhuc vigebat tempore Innocentii III. Nam l. 4. de Mysteriis Missæ cap. 25. *Consueverunt*, ait, *Presbyteri Cardinales Romanum circumstare Pontificem, & cum eo pariter celebrare, cumque consummatum est sacrificium, de manu ejus communionem recipere.* Improbat audacter ac temerè hanc consuetudinem Durandus *in 4. sentent. dist. 13. quæst. 3.* quem multi è Scholasticis sequuti sunt rem clarissimam intricatissimis difficultatibus implicantes, quorum aliqui multa fingunt in ea incommoda & pericula, alii negant unquam fuisse ab Ecclesia Romana usurpatam, & quæ prolata

sunt, priscorum Patrum testimonia aliò detorquent: ac si in Ecclesia nihil umquam factum sit, nisi quod fieri nunc vident. Illos nimirùm in varia absurda præcipites egit antiqui ritus desuetudo, & ex desuetudine ignorantia. Hic ego non disputo, sed constanter assero, hunc fuisse Ecclesiæ morem per plura sæcula, qui in Ecclesia Orientali adhuc viget. Hunc convellere scholasticis subtilitatibus audax consilium est. Desiit fateor ille mos, non quia acumini disputantium Ecclesia cesserit; sed quia ritus ac ceremoniæ non in æternum permanent, tollique possunt ac mutari sine fidei ac unitatis dispendio. Cur autem desierit, causa mihi videtur fuisse, primò quidem quod fundatis ordinibus Mendicantium, & longè latèque propagatis, multiplicata sunt onera Missarum, atque ideò necesse fuit, singulos Sacerdotes, ut iis satisfacerent, singulis diebus privatim celebrare. Deinde quia charitas multorum refrixit, cessavit etiam frequens accessus ad hoc sacramentum, adeò ut hodie nec ipsi quidem Ministri in plerisque Ecclesiis communicent, licet sacrificio cooperentur. Olim verò hic ritus diebus festis & solemnioribus potissimùm servabatur: quia sicut populus tunc sacro adesse, & sacra communione refici consueverat; ita viri Ecclesiastici Missæ solemni ministrabant, & quisque sui Ordinis ministerio fungebatur, ac in unum propterea conveniebant, omnesque pariter sacram synaxim peragebant, Christique corpus & sanguinem in fine percipiebant. Hæc autem verè & propriè communio Ecclesiastica dicebatur à sanctis Patribus tantoperè commendata, qua Clerici delinquentes diversimodè pro criminum varietate privabantur, & cum quis ab ea totaliter abstentus erat, veluti redactus ad laicam conditionem inter laicos in Ecclesia locum habebat.

## Caput XIX.

*De Templis. Eorum usus & necessitas. Origo ab Apostolis. Veterum Scriptorum de illis testimonia. Templi & Ecclesiæ apud Antiquos discrimen. Missa aliquando extra Ecclesiam, & sine Altari peracta. Dicta quædam obiter de Cryptis subterraneis. Varia Templorum nomina. De Cœmiteriis. Erecta olim Templa suprà Martyrum sepulturas. Reliquiæ Martyrum sub Altari.*

I. QUamvis Deus ubique sit, & in omni loco ad eum liceat puras & innocuas levare manus, ut Apostolus docet 1 *Tim.* 2. sacrificium tamen, cum sit publicus & maximus Dei cultus, necessariam habet cum altari & templo connexionem. Obeundum enim est per publicum ministrum ad hoc munus legitimè deputatum: nec decet ut tantum mysterium fortuitò peragatur, bicunque Sacerdoti libitum fuerit, sed locus ritè consecratus requiritur, cujusmodi est altare, cujus sanctitati & venerationi ut prospiceretur, & omnia profana ab eo arcerentur, additum est templum, tanquàm domus Numini sacra, ad quam omnes statis horis convenirent, primò quidem ut sacrificio interessent, deinde ut alias Religionis functiones sanctiùs & congruentiùs in ea exercerent. Sicut autem extra templum Hierosolymitanum nefas erat in veteri Lege victimas immolare; ita in Evangelica certa loca ab Apostolis eorumque Successoribus delecta sunt, extra quæ illicitum foret sacrificium offerre; nisi necessitas cui parent omnes leges, dispensationi in aliquo casu locum esse suaderet. Hinc Cyrillus Alexandrinus lib. adversus Antropomorphitas cap. 12. *Donum*, ait, *sive oblatio, quam mysticè celebramus, in solis Orthodoxorum sanctis Ecclesiis offerri debet, neque alibi omninò. Qui secus faciunt, apertè legem violant.* In eandē sententiam loquitur Basilius lib. de Baptismo cap. 8. *Nobis periculum est malè obiti mandati si loci rationem neglexerimus, maximè si Sacerdotii mysteria in locis profanis celebraverimus: propterea quod ea res indicium haberet contempus in celebrante, offendiculum quoque generaret.* Atemporibus igitur Apostolorum loca fuisse Deo dicata, quæ à quibusdam Oratoria, ab aliis Ecclesiæ dicebantur, in quibus populus orare, verbum Dei audire, synaxim agere, & corpus Christi sumere consueuerat, Paulus Apostolus ad Corinthios scribens *ep.* 1. *cap.* 11. testis locupletissimus est. *Convenientibus*, inquit, *vobis in Ecclesiam audio scissuras esse inter vos.* Et paucis interjectis; *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Etsi enim nomen Ecclesiæ pro Fidelium congregatione frequenter sumatur; hic tamen ab Apostolo pro ipso loco, in quem illi conveniebant, usurpari evidens est. Quem locum exponens Basilius in regulis brevioribus Interrog. 310. ait: *Quemadmodum ratio non permittit, ut vas ullum commune in sancta inferatur, eodem modo etiam vetat sancta in domo communi celebrari.* Hoc ipsum confirmat Augustinus qu. 57. in Leviticum:

*Ecclesia*

*Ecclesia dicitur locus, quo Ecclesia congregatur. Nam Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur:* Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam. *Hanc tamen vocari etiam ipsam domum orationum, idem Apostolus testis est ubi ait:* Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis? *Et hoc quotidianus loquendi usus obtinuit, ut ad Ecclesiam prodire, aut ad Ecclesiam confugere non dicatur, nisi qui ad locum ipsum parietesque prodierit, vel confugerit, quibus Ecclesiæ congregatio continetur.* Ejusdem Apostolici temporis aliud testimonium ad Ecclesiarum nostrarum originem comprobandam profert Nicephorus *lib. 2. cap. 3.* ex Evodio S. Petri in Antiochena Cathedra successore, asserente in domo illa, in qua Christus hoc sacrificium instituit, & in qua Spiritus sanctus advenit, tamquam in prima Christianorum Ecclesia Jacobum primum Hierosolymorum Episcopum consecratum fuisse, & septem Diaconos ordinatos. Romæ item ab Apostolis dedicatas Ecclesias eo ipso tempore, quæ fidem prædicare cœperunt, ostendit Baronius *anno Christi 57. numer. 100.* Extat in Bibliotheca Reginæ Sueciæ Codex antiquissimus, in quo aliquot fragmenta ex diversis Martyrologiis in unum compacta sunt, simul cum fragmento Ordinis Romani de ritu Baptismi. In uno autem ex dictis fragmentis hæc leguntur, Calendis Augusti. *Romæ, dedicatio primæ Ecclesiæ à Beato Petro constructæ & consecratæ.* Eadem verba reperiuntur in vetustissimo Martyrologio S. Hieronymi nomine insignito, & à Luca Dacherio *tom. 4. sui Spicilegii* edito: itemque in alio nuper Lucæ evulgato à viro eruditissimo Francisco Maria Florentino, cui alia consonant ab eodem in notis indicata. Quæ autem fuerit Ecclesia prima præ omnibus in Urbe consecrata, an ea quæ in Exquiliis titulus Eudoxiæ, sive S. Petri ad Vincula postmodum dicta fuit: an titulus Pastoris, nunc S. Pudentianæ in colle Viminali; an verò alia, idem diligenter exquirit Exercit. 11. ad diem primam Augusti, in qua multa congerit de primi, secundi, & tertii sæculi Ecclesiis. Eandem veritatem confirmant antiqui Patres. Tertullianus de Idololat. cap. 7. „ Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit in„gemens Christianum ab idolis in Ecclesiam „venire, de adversarii officina in domum Dei. Idem de Virginib. velandis lib. 13. „ Certè virginitatem suam in Ecclesia abscondant, quam „extra Ecclesiam celant. Timent extraneos, re„vereantur & fratres aut constanter audeant & „in vicis virgines, sicut audent in Ecclesiis. Et de pudicitia cap. 4. nefarios quosdam submotos ait, *non modo limine, verùm omni Ecclesiæ tecto.* Irenæus & Origines altaris & Ecclesiæ meminerunt: ille *lib. 4. cap. 20. & 34.* hic *homilia 11. in Numeros.* Zeno Veronensis, *serm. de Psal. 126.* Conventus, inquit, Ecclesiarum, quos ad secretam Sacramentorum religionem ædificiorum septa concludunt, consuetudo nostra domum Dei solita est nuncupare. Optatus Milevitanus *lib. 2.* ait, Donatistas inter quadraginta & quod excurrit Basilicas non habuisse locum Romæ ubi colligerent, id est sacrificium offerrent. Eusebius denique *lib. 8. Eccles. hist. cap. 2.* edicta Imperatorum promulgata fuisse scribit de evertendis Christianorum Ecclesiis, ex quibus manifestè deducitur eas dudum extitisse. Facta est hæc eversio imperante Diocletiano. Sed & tempore Philippi Cæsaris quinquaginta & amplius annis ante Diocletianum Christianos Ecclesias habuisse ex eo constat, quod idem Eusebius narrat *lib. 6. cap. 34.* Cum enim Philippus utpotè Christianus in Vigilia Paschæ Ecclesiam ingredi vellet, ab Ecclesiæ aditu ob scelera quæ commiserat ab Episcopo exclusus, & non nisi peracta pœnitentia admissus fuit: sive id Romæ contigerit sub Fabiano Papa, ut putat Baronius *an. 246.* sive Antiochiæ sub S. Babyla, ut refert auctor Chronici Alexandrini ex narratione Leontii Episcopi Antiocheni; & confirmat Chrysostomus *in orat. de eod. S. Babyla contra gentes,* tacito tamen nomine Imperatoris. Nec desunt testimonia ab his etiam qui foris sunt. Nam Philo Judæus libro, quem inscripsit de vita contemplativa, seu de virtutibus supplicum, vitam primorum Christianorum describens, si Eusebio credimus *lib. 2. hist. cap. 17.* & Hieronymo *lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, in singulis eorum domiciliis sacellum quoddam fuisse ait, quod *Semneum* vocabant, in quo remotis arbitris sanctioris vitæ mysteria peragebant. Lucianus quoque Ethnicus, qui Apostolorum temporibus vixit, res Christianorum deridens in Philopatre Critiam quemdam introducit, qui cum ab aliquo Fidelium Christianus fieri suaderetur, ab eo deductus est in locum, ubi conventus Christianorum agebatur. „ Pertransivimus, inquit, ferreasque „portas & area limina. Multis autem superatis „scalis in domum aurato fastigio insignem „ascendimus, qualem Homerus Menelai fingit „esse. Atque ipse quidem omnia illa contempla„bar, quæ insularis ille adolescens. Videor autem

„ non Helenen meherclè, sed viros in faciem in-
„ clinatos & pallescentes. Scio in dubium revocari à quibusdam Criticis an hic Dialogus à Luciano scriptus sit; fatentur tamen auctoris esse ejusdem temporis, qui Trajano Imperatori ob victoriam in Oriente partam hac compositione gratulari voluerit. Est & apud Lampridium de Ecclesiis Christianorum luculentum testimonium, cum enim Christiani locum quemdam, qui publicus fuerat, ut erigeretur in eo Ecclesia, occupassent, Popinarii autem dicerent eum sibi deberi, Lampridius ait Alexandrum Imperatorem rescripsisse, melius esse ut quomodocumque illic Deus coleretur, quàm dari Popinariis.

II. Quamvis autem ex communi usu nullum ponatur discrimen inter Templum & Ecclesiam, primis tamen sæculis Templi nomine non utebantur Christiani, sed Ecclesiæ. Templa enim tunc vocabantur ingentia ædificia, in quibus animalia idolis immolabantur. Hinc B. Hieronymus epist. ad Riparium adv. Vigilantium. *Mortuo cadaveri atque polluto præbebant excubias, ut post multa sæcula Dormitantius somniaret, imò eructaret immundissimam crapulam, & cum Juliano persecutore Sanctorum basilicas aut destrueret, aut in templa converteret.* Hinc etiam Valerianus Imperator, teste Flavio Vopisco, ad Senatum scripsit: *Miror vos, Patres sancti, tamdiu de aperiendis libris Sibyllinis dubitasse, perinde quasi in Christianorum Ecclesia, & non in templo omnium Deorum tractaretis.* Templi verò nomen primitivæ Ecclesiæ Patres idcircò non usurpabant, ut non solùm à ritibus Ethnicorum, sed etiam à vocabulis se abhorrere indicarent. Atque ideò Gentiles illud idemtidem inculcabant, nulla esse Christianis Templa, sectam esse irreligiosam, & quæ nullum coleret Deum, ut testantur illorum temporum scriptores, Arnobius *lib. 6. contra Gentes*; Minutius Felix *in Octavio*, Lactantius *lib. 6. divin. instit. cap. 2.* Clemens Alexandrinus *lib. 7. strom.* Origenes *lib. 8. contra Celsum*: qui omnes respondebant, nulla Christianis esse Templa, qualia apud nationes erant, sublimibus elata fastigiis, quibus putarent divinitatem concludi: nullas habere aras adostentationem extructas: nullas immolare victimas, neque thus adolere: Deum istis non indigere, nec habitare in templis manufactis ut Paulus dixit *Actor. 17.* disputans cum Athenensibus, impium esse Numinis Majestatem unius ædiculæ angustiis circumscribere, cum homines latiùs habitant: in nostra mente Templum illi dedicandum esse, in nostro pectore consecrandum. Sic loquitur Minutius Felix, sic Origenes, sic Lactantius. Hujus autem elegantissima verba hæc sunt in fine libri de ira Dei. „ Sit nobis Deus non in templis, sed „ in corde nostro consecratus. Destructibilia „ sunt omnia quæ manu fiunt. Mundemus hoc „ templum, quod non fumo, non pulvere, sed ma- „ lis cogitationibus sordidatur: quod non cereis „ ardentibus, sed claritate ac luce sapientiæ illu- „ minatur. Hæc ille contra Paganos, qui solam externam speciem attendentes, in quo verus Dei cultus consisteret, ignorabant. Quod si nomine templi non sacrilega Gentium delubra, non dæmonum fana, sed loca Deo vero sacrata intelligantur, in quibus Fideles congregari solebant, ut Deum precarentur, sacra mysteria celebrarent, & alia religionis officia obirent, nemo inficias ibit, sua semper Christianis fuisse templa, sive conventicula, qua voce Arnobius *lib. 4.* Ammianus Marcell. *lib. 27.* & alii usi sunt, quocumque tandem nomine vocarentur.

III. Sæviente persecutione, cum ab omni prorsus conventu Imperatorum edictis Christiani excluderentur, quocumque loco poterant, ad peragendam synaxim conveniebant. Testimonium de hoc perhibet Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *lib. 7. hist.* ubi *cap. 11.* conventus sibi interdictos asserit, *& cap. 22.* sic loquitur: „ Cumque ab omnibus fugaremur, atque „ opprimeremur, niholominus tunc quoque fe- „ stas egimus dies. Quivis locus, in quo varias „ ærumnas singillatim pertulimus, ager, inquam, „ solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi „ ad sacros conventus peragendos fuit. In carceribus sacrificium offerri consueviisse ex actis sanctorum Processi & Martiniani, Clementis Ancyrani, aliorumque Martyrum passim didicimus: & ex Cypriano, qui *epist. 5.* hortatur clerum, ne glomeratim ad Martyres in carcere visitandos concurrant; & ut Presbyteri qui illic apud Confessores offerunt, singuli cum singulis Diaconis per vices alterent: Legimus etiam apud Metaphrasten in vita S. Luciani Presbyteri & Martyris, quod in die Theophaniæ rogatus à discipulis in carcere celebravit. Sed cum deesset altare, nec metu persecutorum posset inferri, S. Martyr dixit: Mensa vobis erit hoc pectus meum, non futura Deo minùs honesta eâ quæ fit ex inanimi materia: Templum verò sanctum vos mihi eritis me omni ex parte circundantes, *Sacro* igitur *cœtu eum in orbem circumstante*, ut scribit Philostorgius lib. 2. hist. Eccles. cap. 14. *tanquam*

*jam*

*jam morientem, ecclesiæ speciem ita simul & munimentum eo præbente, ne ea quæ à piis peragebantur, viderentur*; Sacrum egit, seque primum & alios mysteriorum participes effecit. Verba Philostorgii, tacito ejus nomine ut solet, exscripsit Nicephorus *lib.* 8. *cap.* 31. Hunc autem Lucianum suæ sectæ Martyrem Ariani prædicabant, sed ab hac suspicione liberat eum Baronius *anno* 311. *&* 318. *& in notis Martyrologium.* Apollonius Brixiensis Episcopus in Sindone cœlitus demissa Missam in carcere celebravit, ut refert ex Mombritio Bollandus *die* 15. *Februarii.* Romæ clam celebrandi locum præbebant ampli recessus subterranei in Cryptis arenariis; à quibus tamen excludebantur, cum vehementior persecutio urgebat, ut docent literæ Cornelii Papæ ad Lupicinum Episcopum Viennensem. Extant adhuc, & pars maxima mirabilium Urbis sunt hujusmodi Cryptæ variis cuniculis ac multiplicibus anfractibus effossæ, quarum structuram, & longè latèque protensa spatia in vicos distincta, cum diversis mansionibus & cubiculis meritò admirantur quotquot eas ingrediuntur. Scripsit de his duo ingentia volumina Jacobus Bosius Italicè, à Paulo Aringo in latinum translata præfixo titulo *Romæ Subterraneæ.* Easdem Hieronymus sic describit initio libri 12. in Ezechielem. „ Dum essem Romæ puer, & liberali„ bus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejus„ dem ætatis & propositi, diebus Dominicis se„ pulchra Apostolorum & Martyrum circuire, „ crebroque cryptas ingredi quæ in terrarum „ profunda defossæ ex utraque parte ingredien„ tium per parietes habent corpora sepultorum, „ & ita obscura sunt omnia, ut propemodum il„ lud propheticum compleatur: *Descendant in „ infernum viventes*: & rarò desuper lumen ad„ missum horrorem temperet tenebrarum, ut „ non tam fenestram, quàm foramen dimissi „ luminis putes: rursumque pedetentim accedi„ tur, & cœca nocte circumdatis illud Virgilia„ num proponitur;

*Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.*

Quod autem Hieronymus soluta oratione, id ligata Prudentius expressit *Hym.* 11. *de Coronis.*

*Haud procul extremo culta ad pomeria vallo*
*Mersa latebrosis crypta latet foveis.*
*Hujus in occultum gradibus via prona reflexis*
*Ire per anfractus luce latente docet.*
*Primas namque fores summo tenus intrat hiatu,*
*Illustratque dies limina vestibuli.*
*Inde ubi progressu facili nigrescere visa est*
*Nox obscura loci per specus ambiguum,*
*Occurrunt celsis immissa foramina tectis,*
*Quæ jaciunt claros antra super radios.*
*Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus*
*Arcta sub umbrosis atria porticibus,*
*Attamen excisi subter cava viscera montis*
*Crebra terebrato fornice lux penetrat.*
*Sic datur absentis per subterranea solis*
*Cernere fulgorem, luminibusque frui.*

In his cryptis sepultum fuisse S. Hippolyti corpus ait Prudentius, inde enim effossa arena sepeliendis Martyribus ampli recessus relicti sunt. Nullibi verò frequentiùs quàm in hujusmodi subterraneis cœmeteriis sive areis, ut Latini vocabant, non solùm Romæ, sed & alibi passim fideles congregabantur. Testes sunt antiqui Patres. Tertullianus ad Scapulam cap. 3. *Sub Hilariano Præside, cum de areis sepulturarum nostrarum adclamassent, Areæ non sint, areæ ipsorum non fuerunt.* Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *lib.* 7. *histor. cap.* 11. Æmilianum præfectum dixisse ait, *Nullatenus licebit vobis conventus agere, aut ea quæ vocantur cœmeteria adire.* In gestis purgationis Cæciliani, *Cives in area Martyrum fuerunt inclusi.* Et in gestis purgationis Felicis, *Tollat aliquis de vestris in aream, ubi orationes facitis.* Pontius in passione S. Cypriani loquens de edicto Valeriani adversus Christianos, *Justum est ut nulla conciliabula faciant, neque cœmeteria ingrediantur.* S. Stephanus in ejusdem Valeriani persecutione Missam in crypta celebrans supervenientibus militibus ante altare decollatus est, ut acta ejus testantur, & ex his Romanum Martyrologium *die* 2. *Augusti.* Eusebius iterum *lib.* 9. *cap.* 2. Maximinus *dum ad subruendam pacem nihil non molitur, primùm quidem nostros à conventibus, qui in cœmeteriis fieri solebant, nescio quo prætextu arcere aggressus est.* Hæ tunc erant Christianorum Ecclesiæ. Ibi divina peragebant mysteria, ibi stationes celebrabant, ibi populum instruebant, ibi baptismum & reliqua Sacramenta administrabant. Nec solùm occasione persecutionis, sed reddita etiam Ecclesiæ pace, si qua pietatis sive necessitatis ratio urgeret, extra templum Deo consecratum Missas agere sancti & prisci Patres non dubitarunt. Narrat de se ipso Theodoretus *hist. Religiosæ cap.* 20. quod cum virum sanctum & inclusum nomine Marim visitasset, & ille mystici sacrificii videndi

diuturno desiderio teneretur, rogavit ut illic divini doni fieret oblatio. „Ego verò, *inquit*, li„benter obtemperavi, & sacra vasa adferri jussi, „nec enim procul aberat locus, diaconorumque „manibus utens pro altari, mysticum & divinum „ac salutare sacrificium obtuli. S. Paulinus Episcopus Nolanus, ut Uranius refert in ejus vita, hora sibi mortis imminente jussit sibi ante lectulum sacra mysteria exhiberi, ut una cum Episcopis, qui præsentes aderant, oblato sacrificio animam Deo commendaret. S. Vulfrannum Episcopum Senonensem, cum in Frisiam navigaret, navi manente immobili, Missam in mari celebrasse scribit Jonas Monachus Fontanellen. in ejus vita apud Bollandum *die* 20 *Martii*. Plura suppeditant hujusmodi exempla veterum Patrum monumenta, ex quibus nonnulla supra attulimus Cap. XIV.

IV. Sed his omissis revertor ad templa, quæ ubi feliciora illuxerunt tempora, ad honorem veri Dei, tum à Constantino Imperatore, tum ab Helena ejus matre, tum ab aliis eorum exemplo ubique gentium extructa sunt, ut Eusebius in historia & in vita Constantini, Nicephorus *lib.* 8. *cap.* 30. & alii passim ecclesiastici Scriptores recensent. Tunc magnifica illis nomina à sanctis Patribus tributa sunt. Dicebantur enim Evangelica auctoritate *Domus Dei*, & *Domus orationis*, tamquam locus ad colendum & orandum Deum specialiter deputatus. A Græcis *Kyriaca*, à Latinis *Dominica* dicta sunt: cujus nomenclaturæ rationem reddit Eusebius orat. de laudibus Constantini cap. 17. „In urbibus, *inquit*, ac pagis, in a„gris ac desertis Barbarorum locis fana ac delu„bra in honorem unius omnium Regis ac Do„mini dedicavit, unde etiam Domini vocabulo „honorata sunt, non ab hominibus, sed ab ipso „omnium Domino cognomentum sortita. Ab „eo quippè *Dominica* appellantur. Antiochiæ nobilissimum Templum fuisse, quod *Dominicum aureum* vocabatur, tradit Hieronymus in Chronico. Cyprianus *lib. de opere & eleemos.* matronam divitem reprehendit, quæ in *Dominicum* sine sacrificio ibat. Factas cædes in *Dominico* & altare *Dominico* sublatum conqueruntur Marcellinus & Faustinus Presbyteri Luciferiani partis schismaticæ adversùs Damasum in libello precum ad Imperatores. Regula S. Pachomii cap. 54. *Si necessitas impulerit, ut Monachus foris maneat, vel in* Dominico *manebit vel in Monasterio ejusdem fidei.* Augustinus *lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 10. Memorias appellat dicens, *Nos Martyribus nostris non templa sicut Diis, sed* Memorias *sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus.* A Græcis *Martyria* nuncupantur, quæ in honorem Martyrum erecta sunt. Eusebius *lib.* 3. *de vita Constantini cap.* 48. scribit Constantinopolim maximis ab eo *Martyriis* ornatum fuisse. In actis Concilii Chalcedonensis sæpe memoratur Martyrium *sanctissimæ & pulchrè victricis Martyris Euphemiæ*, in quo illud celebratum est. Marcus Diaconus in vitâ S. Porphyrii, *Cum ei occurrissem in gradibus* Martyrii. Et infra. *Ivimus in* Martyrium *gloriosi Martyris Timothei.* Agit de hac voce Baronius in notis ad Martyrologium *die 6. Julii.* In eodem Martyrologio locus, in quo plura Martyrum corpora sepulta sunt, *Concilia Martyrum* nuncupatur *die* 23. *Junii.* Synodus Laodicena *can.* 9. statuit, ne fideles orationis causa eant in cœmeteria, aut quæ dicuntur Martyria Hæreticorum. Sic *Apostolica* dicebantur, quæ Apostolorum; & *Prophetea*, quæ Prophetarum memoriæ dicata erant. Sozomenus lib. 1. cap. 17. *Rufinus consularis in suburbio Chalcedonis magnam Ecclesiam in honorem Petri & Pauli extruxit*, & Apostolium *ab ipsis appellavit.* Theodorus Lector lib. 1. *Reliquiæ S. Samuelis in ejus* Propheteo *sunt positæ. Eucteria* quoque & *Proseucteria* à Græcis, à Latinis *Oratoria* omnes ecclesiæ sæpius vocantur: quæ verò ampliores & augustiores sunt, usus obtinuit, ut *Basilicæ* nominentur: quamvis nonnulli quascumque ecclesias Basilicas vocent. Occurrit passim hoc nomen apud Hieronymum, Augustinum, Paulinum, & alios; quod à gentilibus, ut alia multa, acceptum est. Erant enim Basilicæ Regum habitacula vel publica ædificia, in quibus judicia exerceri, atque à mercatoribus & nummulariis negotia tractari solebant, quorum structuram describit Vitruvius *lib.* 5. demum ea vox ecclesiis Christianorum tributa est, vel propter ædificii magnificentiam: vel quia ibi, ut ait Isidorus *lib.* 15. *Origin. cap.* 4. Regi omnium Deo cultus & sacrificia offeruntur: vel quia profanæ Basilicæ in ecclesias Christi conversæ sunt, ad quod alludere videtur Ausonius in gratiarum actione ad Gratianum Augustum pro suo consulatu dicens, *Basilica olim negotiis plena, nunc votis pro tua salute susceptis. Tituli* denique dicuntur, ut apud Anastasium in Marcello Papa, *Hic viginti quinque titulos in Urbe Roma constituit propter Baptismum & Pœnitentiam, & propter Martyrum sepulturas.* Prudentius hym. 12. de Coronis.

Parte

*Parte alia titulum Pauli via servat Hostiensis.*

Quæ autem fuerit origo Titulorum; qua de causa, sive qua occasione erecti fuerint: an idem initio fuerint titulus & ecclesia, ut plerique sentiunt; an aliquod discrimen intercesserit, ut mavult Florentinius exercit. 11. in vetustius Martyrologium, nimis operosum foret hîc diligentiùs examinare. Plura de his curiosus lector inveniet apud eundem Florentinium ibidem, & apud illos qui de titulis & de ecclesiis Urbis scripserunt.

V. Mos olim Christianorum fuit, ut, cum ab Ethnicis fidei causâ vexabantur, in areis & cœmeteriis, in quibus Martyrum corpora quiescebant, ad synaxim peragendam convenirent, ut supra ostendimus: postquam verò Dei nutu extinctis tyrannis & profligato Ethnicismo, Romanum imperium crucis gloriam agnovit; cum jam liceret palàm & ubique Christo Deo erigere templa, in iis præcipuè locis excitari cœperunt, in quibus paulò ante congregari, & clam mysteria celebrare consueverant: atque inde originem traxisse mihi videtur celeberrimus & inviolabilis Ecclesiæ ritus, ut sine Martyrum Reliquiis nullum templum nullumve altare ædificetur. Cœpit hic primum in Ecclesia Romana observari, & ab ea ad alias dimanavit. De Felice I. summo Pontifice sic scribit Anastasius: *Hic constituit supra sepulcra aut memorias Martyrum Missas celebrari*; quia fortassis de hoc legem edidit, ne aliter fieri posset. Prudentius postquam locum descripsit, in quo repositum fuit S. Martyris Hippoliti corpus, ita canit:

*Illa Sacramenti donatrix mensa, eademque*
*Custos fida sui Martyris appositæ,*
*Servat ad æterni spem judicis ossa sepulchro,*
*Pascit item sanctis Tybricolas dapibus.*

Concinit Prudentio Paulinus Natali 9. S. Felicis.

*Spectant de superis altaria tota fenestris,*
*Sub quibus intus habent Sanctorum corpora sedem.*
*Namque & Apostolici cineres sub cœlite mensa*
*Depositi, placitum Christo spirantis odorem*
*Pulveris inter sancta sacri libamina reddunt.*

Idem *initio epistolæ* 11. *ad Severum* Reliquias ad Basilicam dedicandam necessarias esse asserit, eique mittit ad hunc effectum particulam ligni sanctæ Crucis. Ambrosius *epist.* 54. ad Marcellinam sororem, „ Cum Basilicam, *inquit*, dedi„care vellem, mihi tamquam uno ore interpella„re cœperunt dicentes, sicut in Romana, sic Ba„silicam dedices. Respondi, Faciam si Marty„rum Reliquias invenero. Invenit autem sanctorum Gervasii & Protasii corpora, & Basilicam Romano more dedicavit. Idem *initio libri de hortatione ad Virginitatem* de Reliquiis Sanctorum Vitalis & Agricolæ sermonem habens ait, *Munera salutis accipite, quæ nunc sub sacris altaribus reconduntur.* Hieronymus adversùs Vigilantium, qui ausus est Martyrum cultum impiis scriptis convellere; „ Malè ergo facit Romanus „ Episcopus, qui super mortuorum hominum „ Petri & Pauli secundùm nos ossa veneranda, „ secundùm te vilem pulviseulum, offert Domi„no sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitra„tur altaria. Augustinus lib. 20. contra Faustum Manichæum cap. 21. „ Populus Christianus „ memorias Martyrum religiosa solemnitate con„celebrat, & ad excitandam imitationem, & „ ut meritis eorum consocietur, atque orationi„bus adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum, „ sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quam„vis in memoriis Martyrum constituamus altaria. Et serm. 113. de diversis, qui est de S. Cypriano, eleganter ostendit templum ibi constructum, in quo sanguis Christi bibitur, ubi ille suum fudit. Gregorius Magnus *lib.* 5. *epist.* 45. Leontio Arminensi facultatem tribuit Ecclesiam dedicandi, *in qua*, inquit, *Reliquiarum sanctuarium volumus collocari.* Et infra *epist.* 50. Episcopo Santonensi Reliquias mittit pro consecrandis altaribus. Agit de eadem re *lib.* 7. *Indict.* 2. *ep.* 11. 12. 73. 74. 85. *lib.* 9. *ep.* 26. *lib.* 10. *ep.* 12. & *lib.* 1. *Dialog. cap.* 10. Gregorius Turonen. in vita S. Senoch Abbatis, „ erecto altari, „ & loculo in eo ad recipiendas Sanctorum Reli„quias præparato, ad benedicendum invitat E„piscopum. Apud Sozomenum *lib.* 5. *cap.* 8. Zeno Episcopus Gazæ ecclesiam ædificavit, altare in ea erexit, ibique reposuit reliquias Martyrum. Theophanes in Justiniano facta refert apud Constantinopolim Encænia Apostolorum, & recondita lipsana Andreæ & Lucæ Apostolorum, quæ solemni pompa à Menna Episcopo in templum delata sunt. Cum verò hic mos ab Iconomachis convelli & abrogari cœpisset, septima Synodus can. 7. statuit, ut, quæcunque templa sine Martyrum Reliquiis consecrata erant, in iis Reliquiæ cum precibus consuetis ponerentur: & si quis templum sine Reliquiis consecraret, deponeretur, tanquam transgressor ecclesiasticarum traditionum. Hujus Christianæ consuetudinis

nis testis est vel invitus vir impius & Christiano nomini infensissimus Eunapius Sardianus, qui *in Ædesio* Fani Serapidis ruinam deplorans, ibi Monachos introductos, & Martyrum Reliquias collocatas rabiosissimè exaggerat. Quod si aliqua sacella sive Oratoria in villis erigebantur, Concilium Epaunense *can.* 25. prohibuit, ne Reliquiæ Sanctorum in illis collocarentur, nisi Clericos vicinæ Parochiæ adesse contingeret, qui sacris cineribus psallendi frequentia famularentur. Lego etiam apud Theodoretum & Sozomenum, erecta quandoque templa super tumulos Confessorum. Ille enim *in hist. religiosa cap.* 24. loculo Zebinæ Monachi maximum templum inædificatum scribit. Hic *lib.* 8. *Eccl. hist. cap.* 19. de S. Nilamnone Monacho agens, qui mortem à Deo impetraverat, ne onus Episcopale subiret, ait: *Templum super ejus sepulchrum indigenæ constituxerunt.* Antiquissima tamen & ubique recepta consuetudo fert, ut Martyrum Reliquiæ in Altarium consecratione adhibeantur, quorum animas sub altari Dei Joannes in cælis vidit cap. 6. Apocalypsis. Hæc autem Martyrum veneratio ex eo dogmate fidei orta est, qua Sanctorum communionem credimus & fatemur. Fideles etenim, ut hoc factis profiterentur, in iis locis ad orationem & ad divina mysteria participanda conveniebant, in quibus Sanctorum lipsana posita erant, ut ea ratione, quam status defunctorum permittit, cum illis communicarent. Per illa siquidem repræsentatur Ecclesia triumphans, quæ sic aliquo modo cum militanti communicat, & sacrificio nostro interest. Nam licèt ipsa lipsana & ossa Sanctorum absente anima sensu careant, respectum nihilominus dicunt ad animam quæ in cœlis est, & ipsis inest semen quoddam resurrectionis, & æternitatis. Hac eadem de causa veteris Ecclesiæ Patres Episcopos Orthodoxos sub altari sepelire consueverunt, ut cum ipsis sacrificia & ordinationes fierent: quia ad servandam fidei unitatem, & ad legitimam successionem indicandam communionem viventis Episcopi cum Antecessore defuncto necessariam existimabant. Apparet hujus moris vestigium in collatione Catholicorum cum Donatistis habita Carthagine tempore Innocentii I. *cognitione prima cap.* 204. nam ibi Donatus Episcopus Sitifensis Orthodoxus dixit: *supra corpus Episcopi Catholici Presbyterum ordinavi, & Deo volente ordinabitur illic Episcopus.*

## Caput XX.

*Altarium usus & origo. Ligneane fuerint, an lapidea. De Oratoriis privatis. Antimensia apud Græcos quid sint. De Ecclesiarum consecratione, ejusque ritus antiquitate. Vetus Templorum structura. Ad quid fontes vel putei in atrio. Sua singulis loca tributa. Discretæ mulieres à viris. De Sanctuario seu Presbyterio, & de sede Episcopali.*

I. ANnexa templis sunt altaria, quæ semper ad usum sacrificii extitisse in typum, & testimonium illorum, in quibus sacrificium Missæ ex Christi institutione offerendum erat, demonstrat Demochares in prolixo opere de Missa adversùs Misoliturgos *Tom.* 1. *cap.* 15. Ea primum ab Adamo erecta fuisse non dubitamus: nam primus omnium sacrificium obtulisse creditur, suosque filios docuisse frugum & animalium primitias offerre Deo; cujus verò structuræ altaria illa fuerint, an sub dio, an in loco clauso & Deo specialiter consecrato, ut putat Jacobus Boulduc *lib.* 1. *de Ecclesia ante legem cap.* 1. cum de his Scriptura sileat, non est facile definire. His igitur omissis, quæ ad nostrum institutum non pertinent, de altaribus novi testamenti agendum est, in quibus corporis & sanguinis Christi sacrificium incruentum immolatur. *Habemus altare*, inquit Apostolus ad Hebr. cap. 13. *de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt*: altare scilicet, in quo conficitur & distribuitur Eucharistia, ut explicant catholici Doctores. Tertullianus lib. de orat. cap. 14. *Nonne solemnior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris?* Et lib. 1. ad uxorem cap. 7. *Aram Dei mundam proponi oportet.* Cyprianus epist. 66. *Neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros voluit avocare.* Optatus Milevitanus, quem Sectarii reprehendunt, quod tanti faciat altaria: *Quid est*, inquit, *altare, nisi sedes Domini nostri?* Et infra. *Altaria in quibus obtulerunt olim Cyprianus, Lucianus, & cæteri Martyres confregistis, unde à multis pignus salutis perpetuæ, tutela fidei, spes resurrectionis æternæ accepta sunt.* Tanta erat Donatistarum rabies adversùs Catholicos, tam immane odium, ut altaria

frange-

frangerent tanquam polluta, in quibus celebraverant. Sacrificia enim Cæciliani, & eorum qui cum ipso communicabant, impura esse & Deo exosa prædicabant: quorum insaniam post multa sæcula Græci schismatici imitati sunt, altaria veluti inquinata lavantes, in quibus Latini sacrum obtulerant. Primis Ecclesiæ sæculis an lignea fuerint, vel lapidea, non liquet. Utraque crediderim tempore persecutionis usitata, prout rerum locorumque opportunitas ferebat. Usus autem ligneorum magis expeditus erat, quia facilius de loco in locum transferri poterant. Plerique Scriptores asserunt à S. Sylvestro constitutum, ut altaria lapidea essent; sed hujus decreti nulla mentio apud Antiquos reperitur. Concilium Epaunense anno 509. celebratum statuit cap. 26. ut altaria, nisi sint lapidea, infusione Chrismatis non sacrentur. Altaris quoque lapidei tanquam communiter tunc usitati meminit Gregorius Nyssenus, qui eodem sæculo quo Sylvester claruit, *Orat. in baptismum Christi* his verbis: *Nam & Altare hoc sanctum cui adsistimus lapis est natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri extruuntur, & pavimenta exornantur: postquam verò Dei cultui consecratum atque dedicatum est ac benedictionem accepit, mensa sancta est, altare immaculatum, quod non amplius ab omnibus promiscuè tangitur, sed à solis Sacerdotibus, iisque venerantibus contrectatur.* Hæc de altari lapideo Nyssenus, ligneum verò eo ipso sæculo Athanasius commemorat *ad Solitarios* dicens, *Cum rapuissent subsellia & Cathedram & mensam, erat enim lignea, & vela Ecclesiæ.* Ex quibus intelligimus, promiscuum tunc usum in Oriente lignei & lapidei viguisse. Etiam in Africa erant tempore lignea, ut ex Optato Milevitano manifestum est lib. 6. Refert enim facta à Schismaticis altaria in iis locis, in quibus ligna abundabant: rasa autem, ubi lignorum inopia erat, ne fortè novis erigendis ligna deessent. Erant & altaria argentea, nam in libro Pontificali legimus, Constantinum Magnum fecisse in Basilica Constantiniana altaria septem ex argento purissimo, pensans singulum libras 260. Et Sixtus III. obtulisse dicitur Basilicæ sanctæ Mariæ altare argenteum purissimum pensans libras 300. Postea sancivit Ecclesia, ut nemini liceat celebrare, nisi in altari lapideo consecrato; sed quis hoc primùm certa lege firmaverit, Sylvesterne an alius, adhuc incertum est. Erant autem olim diversæ altarium structuræ: nam aliquando uni tantùm columnæ mensa lapidea superjacebat, quale describitur *lib.* 20. *historiæ Miscellæ*, altare Deiparæ Virginis in Blachernis, qualia sunt etiam hodie altaria quædam subterranea Romæ in Ecclesia S. Cæciliæ. Aliquando quatuor columnis eadem mensa suffulta erat, & de his altaribus loquitur Synesius in fine Catastasis, *Sacratas columnas amplectar, quæ puram & incontaminatam a terra mensam sustinent.* Interdum duæ solæ columnæ ex utroque latere ipsum altare sustinebant, suntque adhuc Romæ in cryptis & cœmeteriis quædam hujusmodi altaria duabus vel pluribus innixa columnis, quibus Christiani tempore persecutionis ibidem latentes utebantur. Denique nonnulla quadro superposita ædificio tumuli formam referebant, tamquam Martyrum sepulcra; quæ propriè altaria quasi altæ aræ dicebantur.

II. Et hæc quidem altaria fixa & immobilia loco adhærent, in quo constituuntur: sunt autem & alia portatilia & motoria; quæ Episcopi iter agentes secum olim ferebant, ut in his possent extra Ecclesiam in locis ab ea remotis celebrare. Horum meminit Ven. Beda *lib.* 5. *hist. cap.* 11. & Hincmarus Remensis in Capitulis editis anno XII. sui Episcopatus, hoc de illis sancivit: *Nemo Presbyterorum in Altari ab Episcopo non consecrato cantare præsumat. Quapropter si necessitas poposcerit, donec Ecclesia, vel altaria consecrentur, & in Capellis etiam, quæ consecratione m non merentur, tabulam quisque Presbyter, cui necessarium fuerit, de marmore, vel nigra petra, aut litio honestissimo, secundùm suam possibilitatem, honestè affectatam habeat, & nobis ad consecrandum afferat, quam secum cum expedierit deferat, in qua sacra mysteria secundum ritum Ecclesiasticum agere valeat.* Ex hoc decreto palam fit, quinam veteri ritu altaris portatilis usus sit, nimirum cum in altaribus fixis nondum consecratis, vel in Oratoriis privatis, quæ consecrari nec solent nec debent, celebrandum est. Ipsa verò privata Oratoria in domibus Principum & nobilium virorum permittuntur, ut notissimum est: & de iis canonicæ sanctiones insertæ sunt Capitularibus Caroli Magni *lib.* 6. *cap.* 101. & 205. & *lib.* 7. *cap.* 329. prohibetur, ne Missæ celebrentur in locis non consecratis & incongruentibus, nisi causa hostilitatis & longinqui itineris; & id in altaribus ab Episcopo consecratis. Legitur idem statutum in Concilio Parisiensi sub Ludovico Imperatore *lib.* 1. *cap.* 47. & in Capitulari Theodulfi Aurelianensis *cap.* 11. Græci altaria portatilia non habent, sed eorum

vice utuntur Antimensiis, cujus nominis ratio hæc est, quod ea adhibeant loco mensæ sive altaris. Extat horum consecratio in Euchologio Græcorum *pag.*648. & ibi in notis Jacobus Goar longam & insulsam affert Joannis Citri Episcopi disputationem cœcutientis in hujus nominis assignanda etymologia. Quid sint, explicat idem Goar ex Scriptoribus Græcis. Sunt videlicet quidam panni altarium ritu & vice consecrati, quibus à multis sæculis utitur Ecclesia Orientalis, cum Liturgiam celebrare contingit in altari non consecrato. Theodorus Balsamon in expositione can. 31. Concilii Trullani. *Ideò*, inquit, *reperta sunt Antimensia, & fiunt à Pontificibus, quo tempore celebrant dedicationem Ecclesiæ, ut ponantur in sacris Mensis, quando permissu Antistitis oblatio Liturgiæ fit in Oratorio.* Et Manuel Charitopulus *lib.*3. *juris Orientalis*, Antimensia non in omnibus altaribus poni docet, sed in his tantùm, de quibus nescitur, an sint consecrata.

III. Templorum autem consecratio è veteri testamento ad novum, ab Apostolis ad successores emanavit; atque hunc ritum servavit Ecclesia totius Orientis & Occidentis consensu. Sunt qui Evaristo Papæ ejus originem adscribunt, sed multò certius est Apostolicum institutum esse, nisi dicamus ab hoc Pontifice scripto promulgatum, quod sola traditione ab Antecessoribus acceperat. Aut fortè addidit ad veteres ceremonias, ut sine Missæ sacrificio Basilicæ non consecrarentur, ut ex illo referunt Canonum collectores. Alii ex adverso scribunt ante imperium Constantini Magni nullas fuisse Ecclesiarum dedicationes propter metum persecutionis; in quorum sententiam facilè ibo, si de publicis & solemnibus agant: si verò de privatis & clam peractis sermo sit, nullatenus illis consentire possum, nam veterum patrum testimonio jam supra evici, semper Christianos suas Ecclesias habuisse, quas ab Episcopis, Mosaicæ legis exemplo, & Apostolica institutione edoctis divino cultui certis ceremoniis consecratas, nemo certè negabit, cui perspecta sit in rebus etiam minoris momenti illorum temporum disciplina. S. Cæciliam inducias à Deo petiisse legimus, ut domus sua in Ecclesiam consecraretur, integro sæculo ante Sylvestrum. De aliis Ecclesiis Apostolicis temporibus Romæ dedicatis, diximus supra. Accedit huic assertioni robur ex eo quod scribit lib. 10. historiarum Eusebius Cæsarienfis: discribens enim lætum & tranquillum statum Ecclesiæ, postquam Constantinus Christianæ Religioni adscriptus fuit, emicasse ait in omnium vultu divinam quandam hilaritatem, cum templa viderent paulò ante destructa rursus à solo in immensam altitudinem erigi, & longè majori cultu ac splendore, quàm illa, quæ priùs demolita fuerant, nitescere. Et initio cap. 3. ait: *Votivum nobis ac desideratum spectaculum præbebatur, dedicationum scilicet festivitas per singulas urbes, & Oratoriorum recens structorum consecrationes.* Et post pauca. *Jam verò Antistitum absolutissimæ ceremoniæ, & accurata sacrificia Sacerdotum, & divini quidam augustique Ecclesiæritus hinc psalmos canentium, & reliquas nobis divinitus traditas voces auscultantium, illinc divina & arcana obeuntium ministeria.* quibus verbis Eusebius lætitiam Christianorum describit, consecrationes & sacrificia, quæ prius occultè fiebant, jam publicè peragi spectantium, cum maxima majestate & solemnitate. Tantæ verò religionis hæc consecratio fuit, ut impius ac penè sacrilegus haberetur, si quis in ecclesia nondum consecrata synaxim feciisset. Nihil clarius ad hoc probandum quàm S. Athanasii Apologia ad Constantium, cujus potissima pars in eo versatur, ut se purget apud Imperatorem, quod in ecclesia nondum absoluta & consecrata sacrificium celebrasset. Cur autem oleum in altaris consecratione adhibeatur, edisserit grandiloquo sermone Dionysius *in fine cap.* 4. *Ecclesiasticæ Hierarchiæ*, ex quo hujus moris antiquitas demonstratur. Finis non erit, si in his immorari, & calamo indulgere voluero. Sisto igitur, & ad veterem templorum structuram transeo, cujus notitia necessaria est, ut veteris Ecclesiæ ritus faciliùs percipi possint.

IV. Christianorum templa sic olim erant disposita, ut veteris Templi Hierosolymitani, quantum fieri poterat, similitudinem quandam præ se ferrent, & ad illius formam proximè accederent. Ea constabant variis membris & ædificiis, quæ si vellem singillatim describere, nimis in longum hic liber protraheretur. Multæ enim occurrunt in eorum explicatione difficultates, quæ Eruditorum torquent ingenia, nec facilè expediri possunt. Prolixis igitur ac ferè inutilibus disputationibus omissis, ea breviter attingam, quæ ad propositum mihi argumentum spectant. Quæ fuerit ecclesiarum forma ante Constantinum, incertum est; nam Eusebius, qui eas jussu Diocletiani solo æquatas scripsit, earum formam non descripsit. Credibile tamen est, piissimum Principem amplioribus quidem spatiis eas instauraſſe, sed ex iis quæ destructæ fuerant, ædificii typum sumpsisse, qui in veterum Scriptorum lucubra-

cubrationibus usque in hodierum diem perstat. Eusebius *lib.* 3. *de vita Constantini cap.* 34. *& sequentibus*, Templum Hierosolymis ab eo constructum graphicè pingit. Fusiùs autem & accuratiùs *lib.* 10. *historiarum cap.* 4. aliud templum cum omnibus suis ædificiis describit, quod in urbe Tyro magnificè erexit illius civitatis Episcopus Paulinus, cui idem Eusebius hoc mirabile ecclesiasticæ historiæ opus dedicavit, ut ex initio hujus libri decimi apparet. Gregorius quoque Nazianzenus Ecclesiam, quam pater Nazianzi extruxerat, eleganter expressit oratione quam in funere ipsius patris recitavit. Paulinus item Nolanus exactam Basilicæ delineationem nobis reliquit. *cp.* 12, *ad Severum*, & *Natali* 9. *ac* 10. *S. Felicis.* Ex his & aliis Antiquorum monumentis apertè colligitur, Græcorum & Latinorum templa ejusdem olim schematis fuisse: & primò quidem, quod attinet ad situm, ita erant dispositi, ut ad ortum solis æquinoctialem verterentur. Tertullianus testis est in Apologetico cap. 16. *Inde suspicio quod innotuerit nos ad Orientis regionem precari.* Et adv. Valentinianos cap. 3. alludens ad Christianorum ecclesias, ut ipsimet Sectarii agnoscunt, ait: *Nostræ columbæ domus simplex, editis semper & apertis & ad lucem. Amat figura Spiritus Sancti Orientem.* Auctor libri Apostol. Constit. lib. 2. cap. 61. *Ecclesia sit longa adinstar navis ad Orientem conversa.* Eusebius templum Paulini testatur sese ad radios Solis orientis aperuisse. Isidorus lib. 15. Origin. cap. 4. *Antiqui, quando templum construebant, Orientem spectabant æquinoctialem, ut qui deprecaretur rectum aspiceret Orientem.* Sed de hac re ejusque causis fusiùs egi in Tract. de divina Psalmodia *cap.* 6. §. 2. Hic autem mos adeò exactè à Monachis nostris olim servabatur, ut non solùm majus altare, sed & reliqua omnia ad Orientem versa sint. Paulinus tamen Nolanus *epist.* 12. asserit, se in Basilica quam ædificavit hunc morem neglexisse. *Prospectus*, inquit, *Basilicæ, non ut usitatior mos est, Orientem spectat, sed ad Domini mei B. Felicis Basilicam pertinet, memoriam ejus aspiciens.* Quod verò non omnia altaria, quæ in eadem ecclesia sunt, ad ortum respiciant, sic excusat Walfridus Strabo cap. 4. *Cognoscimus non errasse illos vel errare, qui templis vel noviter Deo constructis, vel ab idolorum squalore mundatis propter aliquam locorum opportunitatem in diversas plagas altaria statuerunt, quia non est locus ubi non sit Deus. Verissima enim relatione didicimus in Ecclesia, quam apud Æliam Constantinus Imperator cum Matre Helena super sepulchrum Domini miræ magnitudinis in rotunditate constituit: itemque Romæ in Templo, quod ab antiquis* Pantheon *dictum à B. Bonifacio Papa, permittente Phoca Imperatore, in honorem omnium Sanctorum consecratum est: in ecclesia quoque B. Petri principis Apostolorum, altaria non tantùm ad Orientem, sed etiam in alias partes esse distributa. Hæc cum secundùm voluntatem vel necessitatem fuerint ita disposita, improbare non audemus. Sed tamen usus frequentior & rationi vicinior habet in orientem orantes converti, & pluralitatem maximam Ecclesiarum eo tenore constitui.* Narrat Procopius *lib.* 1. *de bello Persico cap.* 17. Dianæ & Iphigeniæ templa in urbe Comana Deo à Christianis consecrata fuisse, nihil immutata structura: in quibus, aliisque similibus necessarium fuit ad veterem situm altaris constructionem accommodare.

V. Partes verò seu membra præcipua cujusque templi quæpam fuerint, præcitati auctores docuerunt. Prima pars Atrium seu vestibulum dicebatur, spatium scilicet clausum, amplum, & quadratum, porticus habens columnis suffultas vel in omnibus lateribus, vel in tribus aut duobus, sive in uno dumtaxat ante aditum Basilicæ, & desuper extructas cellas. Medium erat sub dio positum patenti planitie, & ante fores aquæ salientes, seu putei & cantharі ac conchæ, ne Christiani illotis manibus templum adirent. Eusebius in descriptione templi à Paulino extructi: *Hic*, ait, *sacrarum expiationum signa posuit, fontes scilicet ex adverso Ecclesiæ structos, qui interius sacrarium ingressuris copiosos latices ad abluendum ministrarent.* Eidem lotioni positum fontem in atrio Basilicæ Vaticanæ Paulinus Nolanus commemorat epist. 33. ad Alethium, *ubi cantharum ministra manibus & oribus nostris fluenta ructantem fastigiatus solido ære tholus ornat, & inumbrat, non sine mystica specie quatuor columnis salientes aquas ambiens.* Idem epist. 12. ad Severum,

*Sancta nitens famulis interluit atria lymphis*
*Cantharus, intrantum que manus lavat amne ministro.*

Ita Leo Magnus fontem cum cantharo ante Basilicam S. Pauli condidit addito hoc epigrammate.

*Unda lavat carnis maculas, sed crimina purgat,*
*Purificatque animas mundior amne fides.*
*Quisque suis meritis veneranda sacraria Pauli*

*Ingrederis, supplex ablue fonte manus.*
*Perdiderat laticum longæva incuria cursus,*
*Quos tibi nunc pleno cantharus ore vomit.*
*Provida Pastoris per totum cura Leonis*
*Hæc ovibus Christi larga fluenta dedit.*

Meminit etiam aquæ lustralis in vestibulo templi Synesius Episcopus *epist.* 121. & ubi fontes, aut putei haberi non poterant, fodiebantur cisternæ, ut Paulinus testis est *Natali* 9. *S. Felicis* in descriptione templi à se constructi.

*Forsitan hæc inter cupidus spectacula quæras,*
*Unde replenda fit hæc tot fontibus area dives,*
*Cum procul urbs, & ductus aquæ prope nullus ab urbe*
*Exiguam huc tenui demittat limite guttam.*
*Respondebo: nihil propria nos fidere dextra,*
*Nil ope terrena confidere: cuncta potenti*
*Deposuisse Deo, & fontes præsumere cœlo.*
*Denique cisternas adstruximus undique tectis,*
*Capturi fundente Deo de nubibus amnes,*
*Unde fluant pariter plenis cava marmora labris.*

Hodie in atriis Basilicarum conchæ & labra ponuntur, & aquâ sale consperſâ, ac sacerdotali benedictione sanctificatâ replentur, qua fideles frontem aspergunt, cum templum ingrediuntur. Hujus autem aquæ usum ab Apostolica traditione emanatum, & Alexandri I. decreto stabilitum docet Baronius anno 132. Porrò in porticu ante fores ecclesiæ stabant Pœnitentes primi ordinis, de quibus supra actum est Cap. XVII. Erat & ibidem locus egenis stipem mendicantibus attributus: licet enim illis, sicut & cæteris fidelibus, precum causâ templi fores paterent, non tamen intus ab orantibus eleemosynam petere permittebantur, ne sacra agentibus, Deumque precantibus molesti essent. *Propterea*, ait Chrysostomus hom. 28. ad Populum Antioch. *ante Ecclesias & Martyrum monumenta pro foribus pauperes sedent, ut nos ex hujusmodi spectaculo multum capiamus utilitatis.* Et Gregorius Nazianz. orat. de amore Pauperum, *Petitionum gemitus internis templi cantibus ex adverso respondet, atque adversus mysticas voces miserabilis luctus excitatur.*

VI. Secunda pars ipsa aula Basilicæ erat, ad quam patebat aditus per tres portas, quarum media magnitudine & ornamentis alias superabat. Proximus januæ intra Ecclesiam occurrit Narthex, locus in quo primùm viciniores portæ infideles, tum Catechumeni, & Pœnitentes secundi ordinis commorabantur. Post Narthecem sequitur Naon sive ipsum templum cancellis vel tabulatis à Narthece separatum, in quo stabant inferiorem partem occupantes Pœnitentes tertii generis: post quos manebant Fideles servatâ sexus & ordinis distinctione, nam viri à mulieribus, virgines à nuptis, Monachi à Secularibus separati erant. Pœnitentes quarti gradus orabant cum fidelibus, à Sacramentorum participatione abstinentes, donec plenariam absolutionem consequerentur. His Eligius Noviomensis in sinistra parte templi stationem assignat hom. 8. ad Pœnitentes: *Cur ergo in sinistra parte ecclesiæ positi estis? Non sine causa usus Ecclesiæ hoc obtinuit, sed quia Dominus in judicio oves, hoc est justos, à dextris; hœdos verò, id est peccatores, à sinistris ponet.* Mulieres autem à viris vetustissima consuetudine segregatas clarissimè ostendunt Philo *de vita supplicum*, Constitutiones Apostolicæ *lib.* 2. *cap.* 61. Augustinus *de Civit. Dei lib.* 22. *cap.* 8. Cyrillus Hierosolymit. *in Præfatione Catecheseon*, Ordo Romanus, & alii quos in re nemini ignota inutile est recensere. Virgines quoque seorsum à nuptis stetisse Origenes docet tract. 26. in Matthæum: *Venit*, inquit, *ad nos traditio talis, quasi sit aliquis locus in templo, ubi virginibus quidem consistere licet & orare Deum; expertæ autem thorum virilem non permittebantur in eo consistere.* Consentit Ambrosius ad Virginem lapsam cap. 6. *Quomodo tibi actu illo ignominioso non veniebat in mentem habitus virginitatis, processus in Ecclesiam inter virgineos choros?* Et paulò post. *Nonne vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti, ad quem religiosæ matronæ & nobiles certatim currebant tua oscula petentes quasi sanctioris & dignioris?* Alicubi invenio datum locum mulieribus in sublimi specula propè testudinem clathris interpositis, ut à virorum consortio, & colloquio subducerentur. Narrat Amphilochius præcepisse Basilium, ut vela è speculis suspenderentur, & si quæ mulier deprehensa esset caput emittere ad respiciendum, dum sacra agebantur, extra communionem fieret. Dicitur quoque idem Basilius apud Amphilochium, sive Chrysostomus, ut alii scribunt, Diaconum sibi ministrantem ab altari submovisse, eo quod mulierem sursum in tabulato manentem procaciter inspexisset. Favet Gregorius Nazianzenus *in somnio de templo Anastasiæ* his versibus de seipso concionante:

*Denique virginei cœtus, matronæ & honestæ,*
*Et tectis aures ad mea verba dabant.*

Nec

Nec solùm dum starent in Ecclesia, sed etiam dum irent, hæc virorum & mulierum distinctio servabatur. *Confluunt populi ad Ecclesias*, ait Augustinus lib. 2. de Civit. Dei cap. 28. *casta celebritate, honesta utriusque sexus discretione.* Erat enim in illis, ut sapienter scribit Tertullianus de præscript. cap. 43. *gravitas honesta, apparitio devota, & processio modesta.*

VII. Tertia pars Sanctuarium, sive Sacrarium, vel Presbyterium complectebatur, quod erat sub aspide cancellis vel parietibus conclusum. In eo altare majus eminebat, & aliud minus, quod Græci *Prothesim* vocant, in quo dona præparantur. Erant & Clericorum ac Presbyterorum subsellia pro cujusque gradu & dignitate, & in loco editiori sedes Episcopalis, quam Prudentius *Hymno de S. Hippolyto* sublime tribunal vocat, & Nazianzenus *in sæpe citato somnio* sublimem thronum. Ideò autem altior erat, ut ex ea posset Antistes populum monere, circumspicere, & custodire. *Nunquid aliud*, ait Ambrosius lib. de dignit. Sacerdotali cap. 6. *interpretatur Episcopus, nisi super inspector? Maximè cum in solio in Ecclesia editiore sedaat.* Hunc ipsum thronum in altissimo loco positum à Paulino Tyrio asserit Eusebius, cum magnificum ejus templum describit. Id verò ex Apostolica institutione habet Ecclesia, nam idem Eusebius *lib. 7. hist. cap.* 19. thronum seu cathedram Jacobi Apostoli primi Hierosolymorum Episcopi adhuc suis temporibus extantem à fidelibus coli summa veneratione testatur. Quod si Patres Concilii Antiocheni apud Eusebium *lib. 7. cap.* 30. Paulum Samosatenum reprehenderunt, quod altum sibi thronum in Ecclesia statuisset: Si Severus Sulpitius *Dialogo* 2. celsa sede residentes Episcopos arguit: illos tantùm hæc objurgatio castigat, qui modum excedentes ac veluti in solio regali sedentes tyrannicam sibi in Clerum dominationem usurpabant. In ipsum autem Presbyterium nefas olim fuit secularibus ingredi, ut Germanus Constantinopolitanus docet, hanc sacratiorem templi partem latissimè explicans, in Theoria rerum Ecclesiasticarum. Vetuit hoc Concilium Turonense II. *can.* 4. statuens, ut pars illa, quæ à Cancellis versùs altare dividitur, choris tantùm psallentium Clericorum pateat. Ad orandum verò & communicandum Laicis & Fœminis, sicut mos est, pateant Sancta Sanctorum. quem canonem Capitulari suo inseruit Carolus Magnus *lib. 7. cap.* 203. Hoc idem sancivit Synodus Romana sub Eugenio II. *c.* 33. *Ut nulli Laicorum liceat in eo loco, ubi Sacerdotes, reliquive Clerici consistunt, quod Presbyterium nuncupatur, quando Missa celebratur consistere, ut liberè ac honorificè possint sacra officia exercere.* Repetit hoc Decretum in sua Synodo Leo IV. & addit, ne seculares intra sacros Cancellos tentent accedere, nisi Episcopo permittente. At Ambrosius Mediolanensis ne Theodosio quidem Imperatori hoc permittere voluit, ut narrat Theodoretus *lib. 5. cap.* 17. Sozomenus *lib. 7. cap.* 24. & Nicephorus *lib. 12. cap.* 41. Synodus Trullana *can.* 69. nemini licere edixit intra septa altaris ingredi, excepto Imperatore, cum dona sua offerre vellet. Solius igitur oblationis causâ id permissum Imperatori, sed crescente licentia & disciplina corruente, etiam thronum in sacrario Imperator sibi erexit Patriarchali sublimiorem. In Gallia negatum Laicis oblationes ferre ad altare, sed Sacerdos vel Ministri extra septa egrediebantur, ut eas ab illis acciperent: aliquando tamen id solis fœminis vetitum, non autem viris, ut docet Lupus in notis ad citatum canonem Trullanum. Plurâ de templis eorumque structura & ædificiis scire cupienti, abundè satisfacient, Leo Allatius in tractatu *de Narthece veteris ecclesiæ, & de templis recentiorum Græcorum*, itemque in dissertatione *de Solea veteris Ecclesiæ edita inter ejus Symmicta*, de qua etiam diffusè agit vir eruditissimus Petrus Possinus *in Glossario tom.* 1. *Georgii Pachymæris*: Julius Cæsar Bulengerus *Opusc. de templo*; Jacobus Goar *in notis ad Euchologium pag.* 13. *& sequentibus*: Joannes Dartis *in Comment. Decreti de consecr. dist.* 1. *tract. de Ecclesiis, earumque origine & forma.* Legendus quoque Procopius de ædificiis Justiniani, qui *lib.* 1. templum S. Sophiæ & S. Michaelis in Anaplo describit, & *lib.* 5. templum Deiparæ Hierosolymis magnificentissimè constructum. Structuram verò S. Sophiæ fusiùs exprimit Georgius Codinus *lib. de originibus Constantinopolitanis*; cujus etiam extat elegans descriptio versibus exametris in Codice Græco M. S. Palatino Bibliothecæ Vaticanæ, quam nuper edidit, ac eruditissimis commentariis illustravit Carolus du Fresne. Nobis ad alia properantibus ista sufficiunt.

## CAPUT XXI.

*Sacrificium non nisi à Sacerdote jejunio celebrandum. Aliquando tamen sumpto cibo oblatum. Sublatus hic abusus à Conciliis cum duplici exceptione. De Missis matutinis & vespertinis. Quæ fuerint Missæ nocturnæ. Diversæ olim horæ Missarum solemniis assignatæ pro dierum diversitate. Cur diebus jejuniorum dilata quandoque Missa usque ad vesperam. Quæ nunc horæ Missæ solemni & privatæ tributæ sint.*

I. QUamvis Christus de hoc mundo discessurus ad Patrem post esum Agni & communem cum discipulis cœnam, adimpletis legalibus ceremoniis, ac fine imposito antiquis sacrificiis, novum sui corporis & sanguinis Sacramentum instituerit; Ecclesia tamen ejusdem magisterio edocta præcepit, ut hoc mysterium nonnisi à Sacerdotibus jejunis celebraretur; nec à fidelibus, nisi sint jejuni, perciperetur. Optimè Gregorius Nazianzenus *orat.* 40. docens non omnem Christi actionem à nobis imitandam esse, *Ille*, inquit, *Paschatis mysterium discipulis in cœnaculo tradidit, & post cœnam: nos in templis & ante cœnam.* Jejuni scilicet, ut explicat Nicetas in Commentario. Cui Consonans Augustinus *epist.* 118. ait: *Liquidò apparet, quando primum acceperunt Discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quòd à jejunis semper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. Nam ideò per universum orbem mos iste servatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœnati Fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent, aut sicut faciebant quos Apostolus arguit & emendat, mensis suis ista miscere. Namque Salvator quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit arctius infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad Passionem digressurus erat. Et ideo non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset.* Ejusdem consuetudinis testis est Tertullianus lib. 2. ad Uxorem cap. 5. *Non sciet maritus quid secretò ante omnem cibum gustes, & si sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur.* Cyprianus idipsum confirmat epist. 63. *Christum offerre oportebat circa vesperam dici, ut hora ipsa sacrificii veteris Testamenti ostenderet occasum, & vesperam mundi. Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus.* Consentiunt passim antiqui Patres: Basilius hom. 1. de jejunio. *Neque enim fieri potest, ut absque jejunio quisquam sacris operari audeat.* Chrysostomus hom. 27. in epist. 1. ad Cor. *Tu prius quàm communices, jejunas, ut quomodocumque communione dignus appareas.* Idem serm. 9. ad Pog. Antioch. hortatur non jejunos, qui quadam moti superstitione ad ecclesiam non accedebant, ut cum cæteris convenirent, non Dominici corporis, sed divinorum eloquiorum participes futuri. Et epist. 125. scribens ab exilio Cyriaco Episcopo adversùs suos calumniatores, *Dixerint*, inquit, *quod ad communionem non jejunos receperim. Et si quidem hoc feci, expungatur nomen meum ex albo Episcoporum, & non scribatur in libro fidei Orthodoxæ, quoniam ecce & si quid tale admisi, abjicior me etiam Christus è regno suo.* Paschasius Radbertus lib. de sanguine & corpore Domini cap. 20. *Sacramentum fuit, quod Dominus post Cœnam Apostolis hoc tradidit. Sic enim illud oportebat impleri circa finem diei ad vesperam, ut hora ipsa sacrificii ostenderet jam finem sæculi adveniisse. Porrò Apostoli ideò jejuni jam non erant, quia necesse fuit, ut Pascha illud typicum priùs compleretur, deinde ad verum Paschæ Sacramentum transirent. Cæterum universaliter in Ecclesia omnes cum summa religione jejuni communicare consueverunt.*

II. Et hæc quidem vetus institutio fuit, sed non semper, nec ab omnibus custodita. Mos enim quidam prævaluerat in Africa, qui vivente Augustino adhuc vigebat, ipso testante *epist.* 118. ut in die anniversaria, qua cœna Domini recolitur, Sacramenta altaris vespere sumpto cibo celebrarentur. De qua re in codice canonum Ecclesiæ Africanæ extat can. 41. Ex Concilio Carthaginensi celebrato anno Domini 397. his verbis: *Ut Sacramenta altaris nonnisi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Dominica celebratur.* Hunc autem morem synodus Trullana abrogavit *can.* 29. dicens sanctos Patres tunc fortasse propter aliquas in iis locis occasiones ecclesiæ utiles ea dispensatione usos fuisse: cæterùm oportere deinceps Apostolicas & paternas traditiones sequi. Idem sancitum antea fuisse à synodo Laodicena c. 50. notant plerique; verum citatus canon adversùs illos editus est, qui feria quinta prædicta jejunium solvebant. Refert Socrates *lib. 5. hist. eccl. cap.* 21. abusum celebrandi sumpto cibo in Ægyptum latius irrepsisse.

pſiſſe. *Ægyptii*, inquit, *qui Alexandrinis finitimi ſunt, & illi qui Thebaidem incolunt, ſabbato ſynaxin exequuntur, illi quidem, ſed non ut mos fert, Chriſtianorum myſteria participant. Nam ubi epulati ſunt, & variis cibariis ſe ſaturarunt, ſub veſperum oblatione facta myſteriis communicant.* Idem narrant Sozomenus *lib. 7. cap.* 19. & Nicephorus *lib.* 12. *cap.* 34. Ab eodem abuſu Galliam non fuiſſe immunem indicat can. 9. ſecundæ ſynodi Matiſconenſis decernens, *ut nullus Presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino ſacrificia contrectare, aut Miſſas privatis feſtiſque diebus concelebrare præſumat. Injuſtum eſt enim, ut ſpirituali alimento corporale præponatur. Sed ſi quis hoc attentare curaverit, dignitatem amittat honoris. Jam enim de tali cauſa & in conciliis Africanis definitum eſt.* Confirmat deinde citatum canonem concilii Carthaginenſis cum exceptione diei cœnæ Dominicæ. In Hiſpania verò hanc ipſam corruptelam hæretici Priſcillianiſtæ introduxerunt, quæ in concilio Bracarenſi primo cap. 16. & in ſecundo *can.* 10. deſcribitur & damnatur. *Quod ſi illo die*, ut rectè Strabo argumentatur cap. 19. *poſt prandium communicare non licet, cui & exemplum Domini & quorundam aſſenſus ſuffragari videbatur; multò minùs aliis temporibus licet, quibus horum neutrum cognoſcitur attributum.* Alius item mos apud quoſdam Sacerdotes invaluerat, ut in exequiis defunctorum non jejuni & veſpere celebrarent, quia nimirum ſepulturæ non ſolebant inferri, niſi prius ſacrum pro ipſis præſente cadavere ageretur. Id vetuit citato canone ſynodus Carthaginenſis decernens ſolis orationibus defunctorum ſive Epiſcoporum, ſive cæterorum commendationem pomeridiano tempore fieri; ſi ſacerdotes jam pranſi inveniuntur. Idem ſtatuit Bracarenſe II. *can.* 10. Patres verò Concilii Nannetenſis ſive Agathenſ. ut refert Gratianus *c. Presbyter, diſt.* 91. præceperunt Sacerdotem manere jejunum uſq; ad ſtatutam horam, ut neceſſitatibus defunctorum ſuccurrere poſſet. Eadem jejunii lex miniſtris quoque altaris indicta fuit à Conc. Antiſiodorenſi a. 578. c. 19. *Non licet Presbytero, aut Diacono, aut Subdiacono poſt acceptum cibum vel poculum Miſſas tractare, aut in eccleſia, dum Miſſæ dicuntur, ſtare.* Cujus canonis ratio eſt, quia per id tempus nefas erat quemquam de clero ſacrificio inſervire vel adſtare, niſi ſimul cum ſacerdote communicaret. A regula autem non communicandi violato jejunio duo caſus excipiuntur. Primus eſt, cum imminente mortis periculo ſumendi Viatici neceſſitas urget. Alter, ſi ſacerdos celebrans repentina correptus infirmitate deficiat, tunc enim ſi myſteria conſecrata ſunt, alius Sacerdos etiam non jejunus inchoatum ſacrificium perficere debet. Primum caſum comprobat praxis Eccleſiæ ubique recepta: de ſecundo ſic ſancivit Concilium VII. Toletanum c. 2. *Cenſuimus convenire, ut cum à Sacerdotibus Miſſarum tempore ſancta myſteria conſecrantur, ſi ægritudinis acciderit quilibet eventus, quo cœptum nequeat conſecrationis expleri myſterium, ſit liberum Epiſcopo, vel Presbytero alteri conſecrationem exequi officii cœpti.* Et poſt pauca. *Notamen quod naturæ languoris causâ conſulitur, in præſumptionis perniciem convertatur, nullus poſt cibum potumque quamlibet minimum ſumptum Miſſas facere; nullus abſque potentis proventu moleſtiæ miniſter, vel Sacerdos, cum cœperit, imperfecta officia præſumat omnino relinquere. Si quis hæc temerè præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.* Concilium poſtea Toletanum XI. c. 14. ad præcavendos hujuſmodi caſus inſtituit, ut ubi temporis, vel loci, ſive Cleri copia ſuffragatur, habeat ſemper ſacrificans vicini ſoláminis adjutorem, qui ejus vices exequatur.

III. Vetus igitur & Apoſtolica traditio eſt, ne quis audeat ad divina myſteria non jejunus accedere. Contrarium abuſum concilia & Patres tanquam ſummum crimen ab Eccleſia ſuſtulerunt, graviſſimâ anathematis, & depoſitionis interpoſita pœna. Quod ſi legentibus antiquos Patres occurrant nonnunquam Miſſæ veſpertinæ ſive nocturnæ, nihil ex his inferre licet, quo præſcripta ſacrificantibus jejunii lex convelli queat. Certum eſt enim, quod primis Eccleſiæ ſæculis aliquando bis in die Synaxes factæ ſunt, exemplo forſitan Synagogæ, quæ matutinum & veſpertinum ſacrificium offerebat: quamvis enim ea lex abrogata eſſet, non eſt tamen improbabile, quod ad novum teſtamentum in Eccleſiæ primordiis translata aliquandiu fuerit; legalia ſiquidem paulatim extincta ſunt, nec ſtatim veterum rituum oblivíſci potuerunt, qui erant ex Circumciſione fideles. Erant & aliæ Miſſæ veſperæ, & noctu peractæ, quarum uſus, ut mox videbimus, per aliquot ſæcula in Eccleſia permanſit. Sed hinc deduci nullo modo poteſt, quod tunc Sacerdotes non jejuni offerrent: & ſi aliqui ſumpto cibo ſacrificabant, hoc ad abuſus pertinet, qui ſenſim irrépſerant, vel ex ignorantia Eccleſiaſticæ legis & Apoſtolicæ traditionis, vel ex pravitate hæreticorum, qui præſcriptos canones dedita opera violabant, vel arctatus ille mos ad ſolum diem Dominicæ

minicæ cœnæ, aut respicit tempus persecutionis, quo necessitas legem vincebat. Tertullianus *de corona militis cap.* 3. utrumque sacrificium matutinum & vespertinum commemorat his verbis. *Eucharistiæ sacramentum & in tempore victus & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu præsidentium sumimus.* Ac si diceret, *Tempore victus*, id est cœnæ, qua hora Christus hoc mysterium instituit, Eucharistiam sumimus; atque etiam *antelucanis cœtibus*, & consequenter ante omnem cibum. Clarius Cyprianus *ep.* 63. *ad Cæcilium* de utroque sacrificio agit, redarguens Aquariorum errorem, qui semel mane, semel vespere solebant offerre; sed in sacrificiis matutinis solam aquam, ne vinum redolerent: in vespertinis, quia post cœnam, vinum mixtum aqua offerebant. Utrumque autem morem reprobat tanquam absurdum, & Divinæ atque Apostolicæ traditioni contrarium. Similiter Augustinus *epist.* 118. respondens Januarii inquisitionibus, morem hunc bis offerendi mane & vespere viguisse docet in Africa in solo die anniversario Dominicæ cœnæ: *Quæris*, inquit, *quid per quintam feriam ultimæ hebdomadis Quadragesimæ fieri debeat, an offerendum sit mane, & rursum post cœnam: an jejunandum & post cœnam tantummodo offerendum: an etiam jejunandum & post oblationem, sicut facere solemus, cœnandum.* Respondet autem, quod si divina Scriptura, quid sit faciendum, præscribit, ita procul dubio faciendum ut legimus: & si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ esse. Tum ait casum propositum nec definitum in Scriptura, nec universalis Ecclesiæ consuetudine firmatum; sed ex eorum genere esse, quæ per loca & regiones variantur. Quamvis enim Ecclesiæ more receptum esset, quod mysteria semper à jejunis celebrarentur, nonnullos tamen probabilis quædam ratio delectavit, ut eo die quo cœna Domini recolitur, post cibum offerri & accipi deceat corpus & sanguinem Christi, tanquam in insigniorem commemorationem mysterii ab ipso post legalem cœnam instituti; quibus contradicere sanctus Pater non audet. Cur verò ipsa die mane & vespere oblatio fieret, ex eo putat institutum, quod quidam eâdem die corpus lavabant & prandebant, & propter illos mane offerebatur, vespere autem propter jejunantes. Missas quoque matutinas, & vespertinas reperimus in Concilio Agathensi c. 30. & in tertio Aurelianensi c. 28. eo sensu quo nocturnam Missam apud Cassianum, usurpato nomine Missæ non pro Liturgia, sed pro populi dimissione, quacumque hora & ad quamcumque ecclesiasticam functionem convenit, ut supra Cap. II. explicavimus. In quibusdam ecclesiis usus Missæ vespertinæ permanserat in vigiliis aliquarum festivitatum, solebant enim Missam nocturnam Nativitatis Domini, & matutinam quam nonnullæ ecclesiæ in diei Resurrectionis aurora celebrabant, in vigiliis earundem festivitatum vespere solemniter agere. Has autem & alias quascumque ejusdem generis sustulit Pius V. constitutione quarta revocatis omnibus privilegiis, & apposita pœna suspensionis.

IV. Missas nocturnas plures olim fuisse veterum monumenta declarant: at ex his ea sola permansit, quæ in nocte Nativitatis Domini ubique celebratur. Tribuitur ejus institutio Telesphoro Romano Pontifici, qui martyrio coronatus est anno 154. cujus decretum refert Gratianus *c. Nocte sancta, de consecr. dist.* 1. Sed epistola decretalis Telesphori, è qua canonem Gratianus excerpsit, supposititia est, nam præter alia argumenta id evidenter ex eo concluditur, quod pervigilium, & pernoctatio, imò & ipsa festivitas Nativitatis multis annis post Telesphorum stata die coli cœperunt, nempe sub Julio I. ut Florentinius in notis ad suum Martyrologium diffusè probat *Exercit.* 2. Missæ autem nocturnæ hujus diei, sicut & aliarum quæ diluculò, & hora tertia dicuntur, meminit Gregorius M. *in lib. Sacramentorum, & hom.* 8. *in Evangelia.* quòd verò Abnalhassatus Cophtita *cap.* 15. *constit. Ægyptiacarum*, citatus ab Abrahamo Ecchellensi *in præfatione concilii Nicæni quam ex Arabico in Latinum transtulit, pag.* 62. à Patribus ejusdem Concilii sancitum fuisse ait, ut in die Nativitatis & Epiphaniæ Missa nocturna ageretur, aliis examinandum relinquo. Hæc forsitan fuit Cophtorum traditio, postquam festum Nativitatis, quod die sexta Januarii simul cum Epiphania in plerisque regionibus agebatur, ab ipsa sejunctum est. Est & alia quædam Missa nocturna, nisi quis velit eam potiùs matutinam nuncupare, in quibusdam Provinciis, præsertim in Polonia, & Germania hodie usitata, tribus vel quatuor horis ante lucem, quæ ab initio Introitus Missa *Rorate* nuncupatur, & in adventu Domini ad honorem B. Virginis cum ingenti solemnitate cantatur. Reliquæ Missæ nocturnæ abierunt in desuetudinem, quarum præcipua erat Missa Sabbati sancti pertinens ad diei sequentis noctem,

ctem, in qua Christus creditur resurrexisse. Hieronymus *in Matth. cap.* 25. traditionem Apostolicam fuisse ait, ut in die Vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat. Ejusdem moris testis est Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 4. *Quis solemnibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit? Antiqui*, ait Hugo Victorinus lib. 3. de specialibus Missæ observat. cap. 21. *jam ferè transacto die Sabbati Officium hoc celebrarunt: Sed modernorum debilitas ad epulas festinans tempus prævenit destinatum.* Puto autem quod ritus paulò ante Hugonem alicubi cœperit immutari. Ipse enim obiisse dicitur anno 1140. At Concilium Claromontanum anno 1095. *can.* 26. statuit ut in Sabbato Sancto jejunium circa noctem protrahatur: & Guil. Durandus, vivebat anno 1280. *lib.* 6. *Rationalis cap.* 76. veterem ritum in quibusdam Ecclesiis usque ad sua tempora permansisse asseverat: idemque de suo tempore, post annum scilicet 1400. asserit Thomas Valdensis *cap.* 25. *Tom.* 3. *Doctrinalis*. Theodorus Balsamon *in can.* 90. *Trullanum* scribit Christianos religiosiores toto illo Sabbato in ecclesia manere solitos, & sexta noctis hora, id est media nocte divinis Sacramentis communicare, & hora septima ejusdem noctis Psalmodias matutinas audire. Idem statuit Ordo Romanus, non dimittendum scilicet populum ante mediam noctem, & in ipsa nocte matutina luce erumpente redeundum esse in ecclesiam ad nocturnas vigilias Paschæ celebrandas. In Monasteriis verò signa pulsari jubet, cum prima stella in cœlo visa fuerit, & tunc cantari Litaniam, ac posteà ad Missam procedi. quod autem præcipit Ordo Romanus, Ecclesia quoque Gallicana servabat, teste Amalario lib. 4. cap. 20. *In Sabbato Sancto*, inquit, *expectant omnes jejuni usque ad noctem, quando Missa celebratur Resurrectionis Domini.* Et infra cap. 40. *In nocte sancta Resurrectionis Domini Missam celebramus propter eandem Resurrectionem, quæ in ea completa est.* Nunc circa meridiem hanc Missam canimus, sed quamvis hora anticipetur, non sunt tamen mutatæ orationes, in quibus noctis mentio fit. Dicimus enim in collecta, *Deus qui hanc sacratissimam noctem gloria Dominicæ Resurrectionis illustras.* Et in præfatione; *In hac potissimum nocte*: & infra actionem, *Communicantes & noctem sacratissimam celebrantes.* quater item in anno, in Sabbatis nimirum quatuor temporum Missa noctu celebrari consuevit, sicut Leo primus testatur epist. 81. ad Dioscorum Alexandrinum; *Quod à Patribus nostris propensiore cura novimus esse servatum à vobis quoque volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus sacerdotalis vel levitica ordinatio celebretur, sed post diem sabbati ejus noctis, quæ in prima sabbati lucescit, exordia debeantur. Quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso Dominico die, continuato Sabbati jejunio, celebretur.* Ideò ut notat Micrologus cap. 29. *quatuor dominicæ quæ hujusmodi jejunia proximè subsequuntur, in libris Sacramentorum* vacantes *prætitulantur, eo quod propriis careant officiis. Hæ autem Dominicæ antiquitus ab officio vacabant, quia celebratio Ordinationum juxta decreta sanctorum Patrum tam serò fiebat in Sabbato, ut potius Dominicæ, quam Sabbato adscriberetur.* Hinc etiam præcepit Ordo Romanus, ne sabbato quatuor Temporum in quadragesima oratio super populum diceretur, qua revera carent antiqua Missalia, quia ad illam & capita & genua flectebant fideles, quod die Dominico nefas erat. Concilium Claromontanum *c.* 24. de his Sabbatis ita sancivit: *ut protrahatur jejunium usque ad vesperas, & si fieri potest usque in crastinum, ut magis appareat in die Dominico ordines fieri.* Alia Missa nocturna acta olim est in vigilia Pentecostes, in ipsa scilicet nocte quæ lucescit in Dominica, ut notat Menardus ad lib. Sacrament. *pag.* 161. At ordo Romanus statuit sic officium in hac vigilia disponi, ut hora octava diei ingrediantur ad vigilias vel Missarum solemnia, & hora nona expleta omnia consummentur. Certum est, etiam noctu ad Missas convenisse fideles, cum Tyrannorum persecutio vexabat Ecclesiam, de qua re notissima est Tertulliani sententia lib. de fuga in persecut. *Si colligere interdiu non potes, habes noctem.* Et ad uxorem l. cit. *Quis nocturnis convocationibus, si ita oportuerit à latere suo adimi libenter feret?* Eidem suffragatur Prudentius in hymno de S. Laurentio.

*Hunc esse vestris Orgiis*
*Moremque & artem proditum est,*
*Libent ut Auro Antistites.*
*Argenteis scyphis ferunt*
*Fumare sacrum Sanguinem,*
*Auroque nocturnis Sacris*
*Adstare fixos cereos.*

Subscribit Augustinus epist. 86. ad Casulanum, in qua differens de his, quæ Lucas in Actibus Apostolorum narrat Paulo accidisse cum esset Troade, ait: *Post peractum diem sabbati noctis initio fuerant congregati, quæ utique nox jam ad diem*

*Dominicum, hoc est ad unam Sabbati pertinebat; & ita eâdem nocte fracturus panem, sicut frangitur in sacramento Corporis Christi, produxit sermonem usque ad medium noctis, ut post sacramenta celebrata rursus usque ad diluculum alloquens congregatos, quoniam multum festinabat, ut lucescente proficisceretur Dominico die.* Huc etiam pertinent cœtus antelucani, propter quos natio Christianorum latebrosa & lucifugax dicebatur, de quibus Plinius *lib.* 10. *ep.* 97. ad Trajanum scribit, *quod soliti essent stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem.* In his autem conventibus sacramentorum celebrationem non defuisse ex moribus illius sæculi manifestum est.

V. Reddita postmodum Ecclesiæ pace certa hora rei divinæ celebrationi tributa est, diversa tamen pro dierum Temporumque diversitate. Scribit Anastasius in vita Telesphori, ipsum constituisse, ne quis præsumeret ante cursum horæ tertiæ Missas celebrare, quod decretum referunt Amalarius *lib.* 3. *cap.* 42. & Strabo *c.* 23. Sed hos decepit Pseudo-Isidorus, qui primorum Pontificum Epistolas decretales ausu temerario finxit, totique Ecclesiæ tanquam legitimas merces obtrusit. Quid enim magis alienum à conditione illius sæculi, quo Christiani furentium Imperatorum gladios declinantes summo studio latitabant, quàm hujus legis editio, quæ nullo modo poterat observari? Noctu & in occultissimis locis convenisse fideles ad Synaxin supra citatus Tertullianus nos docet, qui aliquot annis post Telesphorum florere cœpit imperante Severo; nec aliter sanè poterant, ut & dignitati Sacrificii, & propriæ vitæ securitati prospicerent. Probabilis igitur sententia est, magisque congrua, quam refert Baronius *anno* 382. hanc tertiæ horæ præfixionem à S. Damaso sancitam fuisse ex præscripto, ut ajunt, canonis Nicœni, qui tamen non extat. Hanc autem horam quolibet die festo servatam semper fuisse veterum Patrum pervincit auctoritas, quamvis Concilium Aurelianense tertium c. 14. refragari videatur, id servari præcipiens in præcipuis dumtaxat solemnitatibus, ob aliquam fortassis illarum partium specialem rationem, vel consuetudinem, quæ tunc temporis vigebat. Sidonius Apollinaris lib. 5. epist. 17. *Cultu peracto vigiliarum quas alternante mulcedine Monachi, Clericique Psalmicines concelebraverant, quisque in diversa secessimus, non procul tamen, utpote ad tertiam præstò futuri, cum sacerdotibus res divina facienda.* Gregorius Turonensis in vita S. Nicetii: *Hora tertia*, inquit, *cum Populus ad Missarum solemnia conveniret.* Gregorius Magnus *hom.* 37. in *Evang.* de Cassio Narniensi Episcopo sermonem habens ait, *Oblaturus sacrificium ad horam tertiam venerat.* Narrat Joannes Moschus in prato spirituali *cap.* 27. cujusdam villæ habitatores Presbyterum suum apud Episcopum accusasse, quod die Dominico nunc hora tertia, nunc hora nona Missam celebraret, non servans solemnem ac legitimum ordinem sanctæ oblationis. Theodulphus Aurelianen. in ep. ad Clerum suum *cap.* 45. quod à Gratiano *de consecrat. dist.* 1. *c.* 52. sub Augustini nomine perperam citatur, statuit, ut Missæ peculiares die Dominico non ita publicè fiant, ut per eas populus à publicis Missarum solemnibus, quæ horâ tertiâ canonicè fiunt, abstrahatur. In diebus autem jejuniorum extra Quadragesimam horam diei nonam sacrificio offerendo destinarunt Antiqui. Testatur id Epiphanius *sub finem lib.* 3. *adversus hæreses* differens de moribus primitivæ Ecclesiæ, ubi ait feria quarta & sexta per totum annum celebratam Liturgiam horæ nonæ, quia nimirùm fideles illis diebus jejunare solebant. Ambrosius in Psalm. 118. in explicatione versic. 62. *Indictum est jejunium, cave negligas. Et si te fames quotidianum cogit ad prandium, tamen cœlesti magis te servato convivio. Non epulæ paratæ extorqueant, ut cœlestibus sis vacuus sacramentis. Differ aliquantulum, non longe est finis diei: imò plerique sunt ejusmodi dies, ut statim meridianis horis adveniendum sit in Ecclesiam, canendi hymni, celebranda oblatio.* Ubi observandum quod ait plerosque esse, non omnes dies jejunii, in quibus post meridiem itur in Ecclesiam, canuntur hymni, & circa horam nonam fit oblatio: quadragesimalis enim jejunii alia ratio est, ut infrà ostendemus. Concinit Prudentius hymn. post jejunium, qui est 8. quotidianorum.

*Nona submissum rotat hora solem,*
*Partibus vix dum tribus evolutis,*
*Quarta devexo superest in axe*
*Portio lucis.*
*Non brevis voti dape vindicata*
*Solvimus festum, fruimurque mensis*
*Affatim plenis, quibus imbuatur*
*Prona voluptas.*

Idem hymno 6. de Coronis.

*Jejunamus ait, recuso potum,*
*Nondum nona diem resignat hora.*

Hæc

Hæc Prudentius docens, fideles solitos jejunare usque ad nonam. Ordo Romanus de jejunio Pentecostes sic decernit: *Jejunium faciant IV. & VI. feria, & in sabbato usque ad horam nonam.* Deinde præscribit quæ Lectiones ad Missam legi debeant. Concilium Moguntinum apud Ivonem Carnotensem *p. 4. cap. 35.* loquens de jejunio Quatuor Temporum, *Quarta*, inquit, *& sexta feria, & sabbato veniant omnes ad Ecclesiam hora nona cum Litaniis ad Missarum solemnia.*

VI. At in jejuniis quadragesimalibus Missa tardiùs agi solebat, & hæc *Statio sera* dicitur à Tertulliano lib. de jejuniis, *qui ad vesperam jejunans pinguiorem orationem Deo immolat.* Fideles enim ad vesperam hoc jejunium solvebant audito Sacro. Clarè explicat hunc ritum præcitatus Theodulphus cap. 39. *Solent plures, qui se jejunare putant*, loquitur autem de quadragesimali observatione, *mox ut signum audiunt ad nonam manducare, qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium. Concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemniis sive vespertinis officiis, largitis priùs eleemosynis ad cibum accedendum est. Si vero aliquis necessitate constrictus fuerit, ut ad Missam venire non valeat, æstimata vespertina hora, & completa oratione sua, jejunium solvere debet.* Refert hoc capitulum Gratianus *de consecr. dist. 1. c. solent*, ex Concilio Cabilonensi; at vir eruditissimus Lucas Dacherius Amalario tribuit ex M. S. Cod. Abbatiæ Corbeiensis *Tomo 7. sui Spicilegii pag. 173.* Cujuscumque autem sit, priscum morem celebrandi hora vespertina in diebus jejunii quadragesimalis apertissimè confirmat. Idem ritus servabatur olim in vigilia Nativitatis Domini, ut ex Ordine Romano palam fit. *In vigilia*, inquit, *Nativitatis Domini hora nona canunt Missam ad sanctam Mariam, qua expleta canunt vespertinalem synaxim, dehinc vadunt ad cibum.* Paulinus quoque Nat. 7 S. Felicis eundem ritum viguisse canit in ipsius pervigilio.

*Noctis eum morem, ut jejunare solemus*
*Ante diem, & serò libatis vespere sacris*
*Quisque suas remeare domos. Tunc ergò solutis*
*Cœtibus à templo Domini, post quam data fessis*
*Corporibus requies, sumpta dape, cœpimus hymnis*
*Exultare Deo, & psalmis producere noctem.*

Unde colligitur, etiam in aliis jejuniis extra quadragesimam dilatum quandoque sacrum usque ad vesperam. Hujus autem moris hæc ratio assignari solet, quia rigor pœnitentiæ & jejunii mœstitia gaudium illud & animi exultationem excludebat, quam fideles ex sacrificio & Eucharistiæ communione percipiebant, quæ salutis nostræ pignus est, & resurrectionis fiducia. Ita docet Joannes Zonaras *in c. 52. Concilii Trullani*, nimirum jejunii tempus expiandis intimo dolore criminibus institutum fuisse, sacrificium verò festivam habere solemnitatem & lætitiam; quæ simul stare non possunt: neque in sola ciborum abstinentia consistebat jejunium, sed omnes ad Ecclesiam diluculò confluebant inculto habitu ac cinere conspersi, cumque luctu & lachrymis tabescerent, dare locum Eucharistiæ mutuoque complexu & osculo signa præbere hilaritatis, inter corporis squalorem & animi tristitiam, incongruum existimabant: nam sacrificii alacritas jejunii mœrorem turbasset, & jejunii luctus sacrificii jucunditatem ademisset. Idem de baptismo asserit Tertullianus in fine libri, quem de illo conscripsit; cum enim dixisset, Christum post baptismum quadraginta diebus jejuniis functum, subdit: *Ergo & nos, dicit aliquis, à lavacro potiùs jejunare oportet. Et quis enim prohibet, nisi necessitas gaudii, & gratulatio salutis?* Quod si gaudii necessitas causa erat, ne recèns baptizati jejunarent; tantò magis æquum fuit, ut fideles ab omni jejunio, eique annexo mœrore eximeret Eucharistia, quæ totius hilaritatis fons est, & omnium gaudiorum plenitudo. Ideò Missa ad illud tempus differri solebat, quo jejunium solvi poterat, ut sacræ mensæ participes effecti, & modestâ refectione refocillati animo & corpore lætarentur. Eamdem ob causam festivitates Martyrum in Quadragesima peragi synodus Laodicena c. 51. prohibuit, quia veteris Ecclesiæ ritu festum agere & non jejunare connexa invicem erant, ac propterea Orientalis Ecclesia, quæ solam festivitatem Annunciationis in Quadragesima celebrat, ea die non jejunat: & patres decimi concilii Toletani festum ipsum Annunciationis ad diem XVIII. Decembris transtulerunt, qua adhuc in Hispania solemniter agitur sub nomine Expectationis partus B. Virginis, ea ratione permoti, quod minimè deceret tantam solemnitatem in Quadragesima celebrari, *sicut*, inquiunt, *auctoritate regulari cautum est.* Et ne viderentur id sine exemplo instituisse, addunt; *In multis namque Ecclesiis à nobis & spatio remotis & terris hic mos agnoscitur retineri.* Et quis scit, an hac de causa festum S. Patris Benedicti ad diem 11. Julii à Majoribus nostris translatum primitus fuerit; sed posteà in Italia abrogatum ob excitatam inter

Cassinenses & Floriacenses Monachos controversiam de translatione Reliquiarum ejusdem Sancti in Galliam? sed hæc mea & mera suspicio est, in qua hic immorari extram opus foret. Eodem zelo disciplinæ Ecclesiasticæ imbuti, qui canones pœnitentiales ediderunt, diem Dominicum aliosque festivos eximunt à jejunio. Concilium Turonense II. c. 17. prandium Monachis concedit, quando Missæ id est festivitates Sanctorum sunt. Sed regredior ad quadragesimam, à qua digressus sum. In ea Latini circa finem diei, imminente, ut dixi, jejunii solvendi hora, quotidie sacrificium offerre consueverunt: Græci verò Missa utuntur Præsanctificatorum, de cujus institutione & ritu egi suprà Cap. XV. Irrito conatu Romanam Ecclesiam calumniatur Nicetas Pectoratus Hieromonachus Studita, ac si antiquos canones & jejunii legem transgrediatur, quotidi in quadragesima celebrans, idque hora tertia, ut falsò supponit. Nam tempore Nicetæ annæo circiter 1050. adhuc vigebat mos vespere celebrandi, nec ullus extat legitimus canon, quo sacrificium iis diebus prohibeatur. Trullanum siquidem, à quo Missa præsanctificatorum præcipitur, ab Ecclesia reprobatum fuit: & Laodicenum, ad quod ejus originem nonnulli referunt, non fuit universale. Pluribus invehitur adversùs Nicetam Umbertus Silvæ Candidæ Episcopus, sed nimis acriter, nec semper appositè. Porrò Nicetas violati jejunii Latinos ante horam nonam celebrantes accusat, quia Græci falsâ quâdam persuasione, ne dicam superstitione decepti, Eucharistiæ perceptione violari jejunium putabant: quo etiam errore quosdam in Africa imbutos fuisse indicat Tertullianus in fine libri de oratione: *Stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit an magis Deo obligat? Nonne solemnior erit statio tua, si ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini & reservato, utrumque salvum est, & participatio sacrificii & executio officii.* Cujus sententiæ hic sensus est. Licet sumptio Eucharistiæ jejunio non obsit, si tamen hic te scrupulus angit, potes & jejunium servare, & sacrificio interesse, accepto corpore Domini & non manducato, sed reservato. Tunc enim Eucharistia manu accipi consueverat, & domum deferri, ac ibidem sumi, ut suo loco videbimus.

VII. Liquet ex dictis, quæ horæ olim sacrificio fuerint assignatæ, Tertia nimirum diebus festis, Nona diebus jejuniorum per annum, & in Quadragesima verspertina. De diebus ferialibus nihil antiqui canones determinârunt, ut Marcellinus Francolinus observat *lib. de tempore horarum Canonicarum c.* 29. Usus tamen obtinuit, ut illis hora sexta non incongruè tribueretur; nam cum hora tertia diebus lætitiæ, nona diebus luctus & afflictionis præfixa sit, rationi consentaneum videtur, ut diebus communibus, qui nec lætitiæ nec luctus sunt, sed quodammodò medii, Missæ item officium hora sexta, quæ inter tertiam & nonam media est, persolvatur. Horæ autem de quibus loquimur illæ sunt, quas Astronomi inæquales, planetarias, & naturales vocant, divisa semper die in duodecim horas, æquales quidem inter se, sed inæquales si cum aliis diebus comparentur. Nam dies æstivi in 12. horas secti eas longiores habent, quam hiemales, quorum horæ item 12. breviores sunt. Sic horam tertiam dicimus, cum quarta pars diei exacta est; sextam, cum meridies est; nonam cum tres diei partes elapsæ sunt. Vespertinum verò tempus totum illud spatium complectitur, quod à nona usque ad occasum Solis reliduum est. Fusiùs de his tractavi lib. de divina Psalmodia *cap.* 3. At hæc nunc horarum præscriptio contrario usu abrogata est, aliquo dumtaxat antiquitatis vestigio permanente in Missæ publicæ sive solemnis celebratione. Sic enim decernunt Rubricæ Missalis §. 15. *Missa conventualis solemnis sequenti ordine dici debet. In festis duplicibus & semiduplicibus, in Dominicis, & infra octavas dicta in choro hora tertia. In festis simplicibus & feriis per annum dicta sexta. In Adventu, Quadragesima, quatuor temporibus, & vigiliis quæ jejunantur post nonam.* Ita factum est, ut non prorsùs veneranda vetustas interierit, dum ordo à SS. Patribus præscriptus saltem in publica officiorum recitatione retinetur, quamvis legitimus horarum punctus nullo modo attendatur. Neque enim horæ nonæ officium tertia vel quarta post meridiem in vigiliis psallimus, neque Vesperas in quadragesima circa Solis occasum, sed una vel duabus horis ante meridiem: quæ anticipatio, ut doctissimus Francolinus scribit cap. 34. *quædam est nostri temporis calamitas, ne dicam abusus.* Cœpit hæc horarum præventio post sæculum duodecimum introduci, cum pristina severitate paulatim relaxata mollior disciplina successit, de qua satius est tacere quàm loqui. Missæ privatæ quacumque hora nunc dici possunt ab aurora usque ad meridiem, de qua re Francolinus disserit *cap.* 39. Amalarius Fortunatus *lib.* 3. cap. 42. post laudatũ Telesphori Papæ suprà à nobis reprobatum

cano-

canonem, ne quis præsumeret ante horam tertiam Missam celebrare, non licere ait hanc regulam transgredi, nisi urgente necessitate: tum narrat, se vidisse Leonem Papam, tertium scilicet, diluculò celebrasse. *Vidi*, inquit, *Leonem Apostolicum diluculò celebrare ad Missam, nescio utrum causâ necessitatis intercedente hoc ageret, an sola potestate.* Hanc verò temporis perversionem non probat, *Fulget enim*, ait, *potestas ratione decorata.* Sed Amalarius de summo Pontifice vitæ sanctitate conspicuo benigniùs loqui potuisset; ex ejus tamen zelo dignoscimus, legem sive consuetudinem non celebrandi, etiam privatim, ante horam tertiam eo tunc rigore servatam, ut ab illa nemo potuerit sine aliorum admiratione & censura deviare.

## CAPUT XXII.

*Quo signo fideles tempore persecutionis ad Synaxim convocarentur. Rejicitur quorundam opinio. Reddita pace, publica signa instituta & quæ. Lignorum usus apud Græcos, quæ semanteria dicuntur. A quo inventa campana. An à Paulino Episcopo Nolano. De veterum tintinnabulis. Campanæ nomen, ejusque etymologia. Quando cœperit Ecclesia campanis uti. Ad quem spectet campanas pulsare. De campanis Religiosorum.*

I. ORitur hæc disquisitio ex superiori, estque ejus veluti appendix; quamvis enim sacræ Synaxi certa fuerit hora destinata, quia tamen difficile potuit credentium multitudo ætate, sexu, conditione diversa, & habitatione ac loco diffidens, statis horis in Ecclesia adunari; credibile est aliquod signum antecessisse, quo omnes in unum cogerentur. quale autem hoc fuerit, conjicere quidem possumus, sed non certò definire. Amalarius *lib. 4. de div. off. cap. 21.* lignorum sonitu Christianum populum congregatum ait, quando latitabat per cryptas propter persecutores. Non assentitur Amalario Baronius *an. 58. num. 108.* & meritò: tum quia hujus rei nullum extat antiquum monumentum: tum etiam quia ratio ipsa non patitur, ut eo tempore, quo abdita loca ad conveniendum studiosissime quærebant, eo lignorum strepitu se proderent, & ad necem sibi inferendam Gentiles provocarent. Verisimilior videtur Strabonis conjectura *cap. 5. de rebus eccles.* quod nimirum sola devotio aliquos cogeret ad statutas horas concurrere; alii prænunciationibus publicis invitarentur, & in una solemnitate proximè futuras discerent. Sed hæc referre ad nascentis Ecclesiæ tempora difficillimum est, nam vexati fideles acerbissimis gentium persecutionibus, sæpe locum mutare, eumq; abditissimum nec inventu facilem quærere cogebantur, unde nec solo religionis studio convenire poterant, nec in uno conventu alterius præmoneri. Baronius *ibidem num. 102.* viros quosdam delectos arbitratur, qui cursores dicerentur, quorum munus esset singulos fideles perquirere, & privatim monere quando & quo loco convenire deberent. Ut autem probet hanc opinionem, nullum illorum temporum testimonium profert, præter Ignatii epistolam ad Polycarpum ita scribentis: *Decet, Beatissime Polycarpe, concilium cogere sacrosanctum, & eligere si quem vehementer dilectum habetis & impigrum, ut possit divinus appellari cursor, & hujusmodi creare, ut in Syriam profectus laudibus celebret impigram charitatem vestram ad gloriam Dei.* Hac solâ auctoritate fretus id astruit Baronius, cui ne assentiar ipsamet cogit epistola, quæ si attentè legatur, non de Cursore loquitur, qui Synaxim indiceret, sed de Legato qui mittendus erat in Syriam ad Antiochenos: unde circa finem ait, *Salutato eum qui designandus est, ut mittatur in Syriam.* Addo quod hanc epistolam non genuinum Ignatii fœtum esse, sed suppositicium viri eruditi dudum observârunt, & ad id probandum multa afferunt non parvi ponderis argumenta. quod si aliqua fides illi præstanda sit, potior apud me erit alia Baronii sententia, jussu nimirum Episcopi unumquemque secretò convocatum. Hoc verò colligit ex his verbis ejusdem epistolæ: *Crebriùs celebrentur conventus, nominatim omnes inquire, servos & ancillas ne fastidias.* At nutante fundamento firmum ædificium superstrui nequit. Fieri sic potuit, & fortassis sic factum est; sed nullum producere testem possumus, qui id factum asseveret. Aliquam sanè tesseram sive signum fuisse, quo Christiani & se mutuò agnoscerent, & loca scirent ac tempora synaxeos peragendæ, certæ fidei res est; sed quale hoc signum fuerit, ignoramus. In actis S. Cæciliæ dicitur Valerianus S. Urbanum Pontificem reperisse, qui ad vitandas paganorum insidias latebat, *signo quod acceperat*, quodque omninò necessarium erat, ut mutua inter fideles societas, atque germanitas conservaretur.

II. Converso ad fidem Constantino, cum pace & tranquillitate potiri cœpit Ecclesia, summa pietas Imperatoris, & Christianorum alacritas, quam describit Eusebius testis oculatus initio *libri* 10. *suæ historiæ*, nos dubitare non sinit, quin publicis signis, quæ ab omnibus percipierentur, populus ad Ecclesiam cœperit convocari. Ea diversa fuisse veterum Scriptorum monumenta testantur. Pachomius Abbas tubæ sonitu congregari Monachos præcipit, sicut olim Moysi imperavit Deus *Num. cap.* 10. ut duas tubas argenteas faceret, quarum sonitu ad movenda castra, ad festa, ad sacrificia multitudo convocaretur. *Cum audierit*, inquit Pachomius regulæ suæ cap. 3. *vocem tubæ ad Collectam vocantis, statim egrediatur.* Climacus item ait *Gradu* 19. signo sacræ tubæ canente coactos Fratrum cœtus. Alii malleo utebantur, quo singulorum cellæ pulsabantur. Historia ausiaca *cap.* 104. in vita Abbatis Adolii, *Excitatorio malleo*, inquit, *pulsabat cellas omnium eos congregans ad oratoria.* Cassianus libro 4. Institut. cap. 12. *Cum sonitum pulsantis ostium ac diversorum cellulas percutientis audierint, ad orationem eos scilicet, seu ad opus aliquod invitantis, certatim è cubilibus suis unusquisque prorumpit.* In Bethleemitico Monasterio hac voce *Alleluja* convocatas Moniales ad Collectam scribit Hieronymus *epist.* 27. Usi sunt etiam Græci lignorum percussione, quorum usum antiquissimum esse ex actis secundæ synodi Nicænæ constat. Ibi enim *Act.* 4. ex libro miraculorum S. Anastasii Martyris legimus, quod cum ejus reliquiæ Cæsaream appropinquarent, cives omnes lætitia magna perfusi ligna sacra pulsantes obviam facti sunt. Eorundem frequens habetur mentio apud Græcos scriptores. Theodorus Petreorum Episcopus in vita S. Theodosii Archimandritæ; *Monachi* ait, *lignum pulsabant præter solitam propemodùm horam.* Nicephorus Blemides in vita S. Pauli Latrensis, *Imperat ut ante tempus lignum congregans Monachos pulsetur, & sacra Mystagogia peragatur.* Theodorus Studita in carminibus. *Veluti tuba percute lignum tempore suo ut opus est.* Auctor vitæ S. Niconis cognomento *Metanœitæ*, *Et ligni pulsatione omnes fratres convocat.* Ea tubæ quidem ac mallei usus ad sola Monasteria pertinuisse videtur, ligna autem ab omnibus Ecclesiis Orientalibus usurpata fuerunt, longoque spatio permansit eorum consuetudo, quia, ut paulò post videbimus, campanas serius receperunt. Nunc quoque Græci & aliæ nationes sub tyrannico Turcarum imperio iisdem lignis utuntur, quæ à Græcis *Semanteria*, sive Chirosemantra, quod manibus teneantur atque pulsentur, nuncupantur. Ea sic describit Leo Allatius in dissertatione de recentiorum Græcorum templis: *Sacerdotes Græci ligneo instrumento ad Græcos in Ecclesiam convocandos utuntur. Id est lignum binarum decempedarum longitudine, duorum digitorum crassitudine, latitudine quatuor, quam optimè dedolatum, non fissum aut rimosum, quod manu sinistra medium tenens sacerdos vel alius, dextra malleo ex eodem ligno cursim hinc inde transcurrens modo in unam partem, modò in alteram, propè vel eminùs ab ipsa sinistra, ita lignum diverberat, ut ictum nunc plenum, nunc gravem, nunc acutum nunc crebrum, nunc extensum edens, perfecta Musices scientia auribus suavissimè moduletur.* Hæc Allatius, qui aliud Semanterion esse ait insignis magnitudinis, adeò ut quandoque sex palmos latitudo, unum crassitudo, triginta longitudo exæquet, quod in turribus catenis ferreis appenditur, & malleo pulsatur. Campanas verò usui Græcis esse cœpisse anno 865. refert Baronius ex historiæ Venetæ scriptoribus afferentibus Ursum Patritiacum Venetiarum Ducem primum omnium dono misisse duodecim mirificæ artis & valde sonoras Michaëli Imperatori, qui eas in turri ad S. Sophiam extructa collocavit. Ad Orientalem igitur Ecclesiam delatæ sunt sæculo nono, cum jam dudum in Occidentali receptæ fuissent. Sed à quo primum inventæ, cujusque opera vel auctoritate in Ecclesiam introductæ sint, incompertum est.

III. Polydorus Virgilius lib. de Inventoribus rerum id Sabiniano Pontifici adscribit, qui Gregorio Magno successit. De eodem Onuphrius Panuinius in epitome summorum Pontificum sic scribit, *Hic Papa Campanarum usum invenit, jussitque ut ad horas canonicas, & Missarum sacrificia pulsarentur in Ecclesia.* Sed Anastasius in ejus vita nihil de campanis ab eo inventis dicit, nec scio, à quo hoc didicerint Panuinius, & Polydorus. Angelus Roccha *in comment. de campanis cap.* 1. à S. Hieronymo, qui ducentis circiter annis ante Sabinianum vixit, campanarum mentionem factam credidit cap. 33. & 39. regulæ Monacharum, ejusdem regulæ per eam Hieronymo tributæ falsa inscriptione deceptus. Tum ait, S. Paulinum Episcopum in suam Nolanam Ecclesiam primum omnium hunc usum invexisse. Consentiunt passim recentiores, quod attinet ad Paulinum: & alii quidem adinventas ab eo tradunt,

dunt, alii verò earum usum à gentilibus acceptum ad Ecclesiam ab eodem translatum autumant, sive minora dumtaxat tintinnabula, quæ jam ubique in usu erant, Ecclesiæ tradiderit; sive ab his desumptâ forma, majora confici curaverit. Nemo tamen veterum Patrum, qui res Paulini accuratissimè prosecuti sunt, hanc memorabilem ejus inventionem laudat, vel attingit; unde fit, ut huic assertioni ægrè assensum præbeam, quæ nullo legitimo teste munita est. Auget scrupulum ipsemet Paulinus, qui epistola 12. ad Severum conditam à se Basilicam, & singulas ejus partes describens, nullam tamen campanarum sive turris campanariæ mentionem facit, cum alia nihilominus minora ædificia exactè commemoret. Agunt de campanis, earumque usu in Ecclesiis Alcuinus, Amalarius, Walfridus Strabo, qui Caroli Magni & Ludovici Pii temporibus claruerunt, quarto sæculo post Paulini decessum, sed de Paulino silent, sicut & alii sequentium sæculorum scriptores. Verba Strabonis omittenda non sunt. Ita enim loquitur cap. 5. rerum Ecclesiasticarum, *De vasis fusilibus vel etiam productilibus, quæ simpliciter signa vocantur, quia eorum sonoritate quibusdam pulsibus excitata significantur horæ, quibus in domo Dei statuta celebrantur officia: de his inquam hic dicendum videtur, quod eorum usus non adeò apud antiquos habitus proditur. Eorum usum primò apud Italos affirmant inventum. Unde & à Campania, quæ est Italiæ Provincia, eadem vasa majora quidem* campanæ *dicuntur: minora verò quæ & à sono tintinnabula vocantur, nolas appellant à Nola ejusdem civitate Campaniæ, ubi eadem vasa primò sunt commentata.* Fortassis sciolus quispiam, cum hæc apud Strabonem legisset, de suo addidit Paulinum, qui Nolæ in Campania Episcopus fuit, campanas & nolas in Ecclesiam induxisse, & hoc commento sequioris ævi scriptoribus fucum fecit. quisquis autem fuerit, qui hoc Paulino primùs adscripsit, cautiùs processisset, si campanæ, & nolæ vocabula Paulini sæculo & aliquot sequentibus inaudita fuisse considerasset. Res sanè vetus est, sed vox recentior. Non me latet Quintilianum, qui sub Domitiano vivebat, nolæ meminisse *lib. 8. institut. cap. ult.* ubi inter ænigmata recenset, quod Cæcilius dixit de quadam muliere, eam fuisse in triclinio Coam, in cubiculo Nolam: at hic nola longè diversa significatione accipitur, confictâ voce à nolendo sensu obscœno, quem peritiores Grammatici explicant apud Vossium *lib. 4. instit. Orator. cap. 11. §. 5.* rejecta falsa Cœlii Rhodigini & aliorum opinione, qui ex usu sui temporis hanc vocem interpretati sunt.

IV. Porrò Veteres pelvis, lebetis, æris, æramenti, codonis, & tintinnabuli vocibus usi sunt, donec nolæ & campanæ vocabula adinventa & communi quodam latinè scribentium consensu approbata fuerunt. Tintinnabulum describit Plautus in Trinummo *act. 4. sc. 2.* his versibus:

*Nunquam ædepol temerè timuit tintinnabulum*
*Nisi quis illud tractat aut movet, mutum est, tacet.*

Plutarchus *lib. 4. Sympos. iacon qu. 5.* Helluones & obsonatores eos dici notat, qui in foro piscatorio versantur, & tintinnabulum, quod græcè *codon* dicitur, celeriter exaudiunt. Eo enim sonitu signum dabatur vendendi pisces: cujus rei jucundissimam narrat historiam Strabo Geographus *lib. 14.* cujusdam Citharædi, quiæ cum artem suam in Jasso insula ostentaret, quamprimùm tintinnabulum increpuit, illicò omnes eo relicto ad pisces dilapsi sunt, præter unum surdastrum, cui Citharædus gratias egit, quod cæteris audito tintinnabuli signo abeuntibus solus remansisset: At ille, Numquid, ait, jam sonuit tintinnabulum? & eo affirmante, ipse item surgens protinùs digressus est. Scribit etiam Porphyrius *lib. 4. de abstin. animalium*, Samnæos, genus quoddam Philosophorum in India, ad codonis seu tintinnabuli sonum solitos congregari ad preces & ad cibum. Usos quoque tintinnabulis Sacerdotes Proserpinæ refert Apollodorus *lib. de Diis*, idemque testatur de Sacerdotibus Syriæ Lucianus *in dialogo de eadem.* Idem agens de viris mercede conductis ait in ditiorum ædibus familiam & mercenarios ad opera olim excitatos tintinnabulis, quorum ingens sonus esset, ut ab omnibus posset audiri. Ab Augusto posita tintinnabula in fastigio ædis Jovis Capitolini, refert Suetonius. Tumulo quoque Porsenæ regis eadem appensa asserit Plinius *lib. 36. cap. 13.* quæ vento agitata longè sonitum referebant. Nota est Juvenalis invectiva in verbosam mulierem sat. 6.

*Verborum tanta cadit vis,*
*Tot pariter pelves, & tintinnabula dicas*
*Pulsari: jam nemo tubas atque æra fatiget,*
*Una laboranti poterit succurrere Lunæ.*

Notum est Martialis distinchon lib. 14.

*Redde pilam, sonat æs thermarum, ludere pergis?*
*Virgine vis sola lotus abire domum.*

Notus est denique usus tintinnabulorum in veteri testamento: Exodi 28. *Ad pedes tunicæ quasi*

*quasi mala punica facies, mixtis in medio tintinnabulis, ita ut tintinnabulum sit aureum.* Et Ecclesiastici 45. *Cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro, dare sonitum in incessu suo.* Ex his & aliis testimoniis liquidò constat id quod supra diximus, campanæ & nolæ vocabulum recentius, rem ipsam antiquissimam esse. Unde autem campanæ nomen derivatum sit, Grammatici inquirunt, & quasdam afferunt notationes, quæ plus argutiarum, quàm veritatis habere noscuntur. Plerique à Campaniæ regione deducunt, vel quia ibi grandiores fieri cœperunt, vel quia primùm in ea provincia repertæ sunt: sic vasa fictilia ab Horatio lib. 1. sat. 6. *campana supellex* dicuntur, quia in Campania ex luto & argillâ pulcherrima fingebantur. quare idem lib. 2. sat. 3. ait,

*Qui Vejentanum festis potare diebus*
*Campana solitus trulla.*

Et Isidorus lib. 16. orig. cap. 24. *Campana*, inquit, *à regione Italiæ nomen accepit, ubi primùm ejus usus repertus est.* Loquitur autem de trutina, quæ constat scapo notis distincto ad librarum discrimina indicanda; nam subdit, *Hæc duas lances non habet, sed virga est signata libris, & unciis, & vago pondere mensurata.* Potest quoque campana ex ære campano desumi, quod omnium præstantissimum esse asserit Plinius lib. 34. cap. 8. *In reliquis palma Campano.* Licet enim supra *cap.* 2. Corinthium cæteris præferre videatur, illud tamen non erat purum æs, sed commixtio omnium metallorum, ut ex eodem Plinio notat Isidorus *lib. 16. orig. cap.* 19. ubi etiam ait æs campanum utensilibus, & vasis omnibus probatissimum esse. Nec est improbabile campanæ nomen tunc tintinnabulis inditum cum ex ipso ære majora fieri cœperunt: quo autem anno id contigerit, non liquet.

Hieronymus Magius cap. 2. libelli de Tintinnabulis, quem capta Cypro captivus & servus hominis Turcæ omnibus libris destitutus ex penu memori ingastulo scripsit, putat campanas tunc ecclesiarum turribus impositas, cum ethnicorum Principum odia adversùs Christianos jam satis refrixissent. Ejusdem sententiæ Baronius est *an.* 58. licet fateatur incompertum esse annum, quo id primitus factum est. Mihi autem vero propius videtur, statim ac reddita Christianis est pax, ad convocandum populum tintinnabula adhibita, primùm minora, deinde grandiora: etenim ad idem munus cœtum congregandi passim apud Ethnicos in usu erant: multoque aptiòr ad multitudinem coadunandam campanarum sonitus est, quam strepitus lignorum, aut clangor tubarum, quia & longiùs diffunditur, & faciliùs percipitur. Cum S. Benedictus circa annum 459. in specu Sublacensi monasticæ professionis fundamenta jaceret, Romanus monachus, à quo sanctæ conversationis habitum susceperat, panem ipsi portare certis diebus solebat, quem per funem in speluncam submittebat. *Restì autem*, inquit Gregorius lib. 2. dialog. cap. 1. *parvum tintinnabulum inserui, ut ad ejus sonum vir Dei cognosceret, quando sibi Romanus panem præberet.* Ex quo colligimus, tintinnabuli usum apud Monachos jam eo tempore percrebuisse: nec dubito, quin de tintinnabulo idem Benedictus intelligi debeat; cum de significanda hora operis Dei agens in regula cap. 43. ait: *Ad horam divini officii, mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus summa cum festinatione curratur.* Nam veteres signi nomine campanam metonymicè intelligebant, quia per eam datur signum divini officii. Gregorius Turonen. in vita S. Gregorii Lingonensis, *commotoque signo Sanctus Dei ad officium dominicum consurgebat.* Idem in Nicetio Lugdunensi, *quod Presbyter audiens jussit signum ad vigilias* commoveri. Et lib. 3. histor. Franc. cap. 15. *Dum per plateam præterirent, signum ad matutinas motum est.* Eulogius Martyr in Apologetico, *per idem tempus graviter in nos præsidialis grassabatur insania, ita ut excelsa pinnaculorum prosterneret, quæ signorum gestamina erant ad conventum canonicum quotidie Christi colis innuendum.* quidam ex actis S. Lupi Senonensis Episcopi nomen campanæ receptum credunt initio septimi sæculi, vel in fine sexti. In his enim hoc factum narratur. *Clotharius Rex ubi comperit campanam S. Stephani sonum edere gratissimum, jussit eam Parisios transferri, ut ejus tinnitu sæpius delectaretur. Displicuit ea res beato Episcopo. Itaque mox ut ablata est à Senonibus, omnem soni gratiam amisit. Id Rex intelligens ocùis jubet suo illam loco restitui. Vbi autem ad pontem Senonicum ventum est, rediit illi pristinus sonus, & ob sancti viri merita septimo milliario auditus est.* Idem confirmari potest ex Audoeno Rothomagensi in vita S. Eligii apud Surium *lib. 2. cap. 21.* his verbis: *Cum aliquando visitaret diœcesim suam, ut solent Episcopi, quadam ex causa interdixit, ne cursus id est preces canonicæ & sacrificium celebrarentur in Basilica quadam, donec ipse juberet. Erat illic Presbyter quidam sibi male conscius, ob cujus culpam id fecerat beatus Episcopus. Is parvipendens ejus sententiam, cum procul*

*procul illum recessisse arbitraretur, campanam horâ statutâ uti moris erat pulsare cœpit. Sed ut ejus temeritas reprimeretur, campana rationis expers Beato viro obtemperans nullum sanum reddidit. Perstitit ille trahendo restim campanæ, sed sonum exprimere non potuit.*

Verùm in his testimoniis ex actis sanctorum Lupi & Eligii advertendum est, in primis Scriptoribus nomen campanæ non reperiri sed à Laurentio Surio, qui priscas loquendi formulas recentioribus commutavit, contra fidem veterum Codicum substitutum fuisse, non sine gravi dispendio sacræ & profanæ eruditionis. Puram Eligii vitam, qualem scripsit Audoenus, edidit *tomo V. sui Spicilegii* Lucas Dacherius, cujus in veterum scriptis ab interitu vindicandis summam diligentiam & accutissimum judicium omnis posteritas collaudabit. Prænarratam igitur historiam sic proprio sermone scribit Audoenus. *Alio tempore cum Diœceses suas, ut episcopis mos est, visitaret; extitit quædam certa causa, ut in una Basilicâ interdiceret cursum vel oblationem, quousque ipse juberet, celebrari. Erat autem illic Presbyter quidam mala conscientia saucius, cujus videlicet ob culpam excommunicatio processerat, qui Episcopi jussis minùs obtemperandum credens, verbaque ejus leviter valdè ferens, cum longiùs eum à loco illo abiisse æstimaret, mox signum Ecclesiæ statuta hora, sicut mos erat, pulsare cœpit. Tunc ad confutandam humanam præsumptionem, magis insensibilis quam rationabilis creatura verbis Episcopi parens, veluti sibi interdicto silentio nullum ad pulsantis nisum signum reddidit sonum. Deinde Presbyter diutiùs funem terebrans, cum cerneret tinnulum omnino permanere mutum, egressus protinus Basilicam causam cunctis manifestat.* Tum illum refert pœnitentiam egisse, & loco ab Eligio reconciliato, *mox signo tacto sonus pristinus rediit in tintinnabulum.* In his autem apparet, Audoenum signi & tintinnabuli vocabulo, non campanæ usum esse. Beda tamen qui sexaginta circiter annis post Audoenum floruit *lib. 4. histor. cap. 23.* describens obitum Hildæ Abbatissæ auditum ait à quadam Moniali *notum campanum soniu, quo ad orationes excitari vel convocari solebant.* Eâdem voce utuntur passim octavi, noni, & sequentium sæculorum scriptores, ex quo conjicio nomen campanæ grandioribus tintinnabulis impositum circa finem septimi sæculi, & octavo, ac nono apud omnes diffusum esse. Anastasius in vita Leonis IV. *Fecit in Ecclesia S. Andreæ campanile, & posuit campanam cum malleo æreo & cruce exaurato.* Monachus Sangallensis *in lib. de ecclesiastica cura Caroli Magni cap. 31.* narrat tempore ejusdem Caroli vixisse opificem in omni opere æris excellentissimum, qui optimam campanam, seu campanum, ut ille loquitur, conflavit, cujus sonitum cum Imperator miraretur, promisit artifex, se multo præstantius conflaturum si pro stanno centum libras argenti illi daret. Accepto autem argento vir nequam stannum pro argento posuit, & campanam brevi tempore perfecit, quæ cum Regi placuisset immisso ferro pulsatorio jussit in campanario suspendi. Cumque custos ecclesiæ & reliqui Capellani eam movere ad sonitum niterentur, nec possent, indignatus auctor operis apprehenso fune pertraxit æramentum, & ecce ferrum elapsum in verticem ipsius decidit, & occidit. Argentum verò repertum jussit Carolus inter Palatinos egentes distribui. Alia ejusdem temporis testimonia frustra congererem, nam post Carolum Magnum omnes ferè scriptores voce campanæ vel signi indiscriminatim usi sunt. Sæculo item octavo barbara vox *Cloccæ* audiri cœpit. Ea utitur S. Bonifacius episcopus Moguntinus & martyr *epist. 9.* rogans Huetbertum Abbatem, ut unam sibi cloccam transmittat. Et Gutbertus ad Lullum episcopum *epist. 89.* inter reliquas ejusdem Bonifacii, *Cloccam*, inquit, *qualem ad manum habui tuæ paternitati mittere curavimus.* Rudolphus quoque in vita S. Liobæ Abbatissæ, *Mater ejus*, ait, *vidit per somnium se quasi signum ecclesiæ, quod vulgò cloccam vocant, in sinu suo habere, idque immissa manu tinniens extrahere.*

VII. Signum verò sive campanam pulsare pertinebat antiquitus ad Sacerdotes, & S. Benedictus *in regula cap. 47.* hoc munus Abbati imponit, ut ipse horam operis Dei diu noctuque nuntiet, aut tali sollicito fratri injungat hanc curam, ut omnia horis competentibus compleantur. Amalarius *lib. 3. cap. 1.* hoc officium non esse à Presbytero subterfugiendum ait: & in Capitul. Caroli Magni *lib. 6. cap. 168.* statuitur, ut Sacerdotes signa tangant horis canonicis. Idcircò Ordo Romanus & antiqua Ritualia, itemque concilium quartum Carthaginense materiam Ostiariatus in sola clavium traditione constituunt, nulla habita mentione pulsationis campanæ, quia hoc ad ejus officium non pertinebat. Sic olim præcepit Deus, ut filii Aaron sacerdotales tubis clangerent ad convocandam multitudinem: qui ritus ad novi Testamenti sacerdotes transivit, & in Ecclesia diu permansit. At hodie officium Ostiarii est, quem decet superpelliceo indutum esse, dum signa pulsat, quia munus sui ordinis exercet. Nec sine ratione Ma-

jores nostri decreverunt à Deo sacratis viris signa tangi, quia & sacra res est fidelem populum ad divinum officium, ad Missam, ad communionem; ad audiendum verbum Dei coadunare: & ipsæ campanæ episcopali benedictione, sanctique olei unctione consecratæ sunt, & inter sacra ecclesiæ vasa connumerantur. Et usum quidem benedicendi campanas scribit Baronius à Joanne XIII. traxisse originem, qui anno 968. campanam Lateranensem miræ magnitudinis, antequam super campanile elevaretur, sacris ritibus Deo consecravit, atque Joannis nomine nuncupavit, *quiritus*, inquit, *in ecclesia perseveravit.* Sed multò antiquiorem esse ex ritualibus libris integro sæculo ante Joannem XII. conscriptis palam fit, in quibus formula benedicendi & unguendi campanas reperitur, hoc præfixo titulo, *Ad signum Ecclesiæ benedicendum*, ut eruditissimus Menardus testatur in notis ad lib. Sacrament. pag. 207. ex Codice Rhemensi tempore Caroli Magni exarato. In ipsa verò consecratione nomine alicujus Sancti campana insignitur, sive ut à cæteris proprio veluti nomine distinguatur; sive quia ad pietatem magis conducere arbitrati sunt primi hujus ritus institutores, si voce alicujus Sancti plebs ad Ecclesiam convocari diceretur. Quod autem spectat ad usum campanarum, memini me legisse apud quosdam Juris canonici Interpretes, non licere Religiosis plures campanas habere, sed unam dumtaxat, sicut Joannis XXII. in constitutione, quam vocant extravagantem, *cap. unico, de offic. Custodis.* Atqui ea constitutio de solis Mendicantibus loquitur, eisque mandat ne plures campanas habeant sine licentia Apostolicæ sedis, propter lites inter ipsos & cathedrales Ecclesias hac de causa exortas: at ubi plures sine contradictione possidebant, illis deinceps liberè uti permisit. De Monachis nihil decernit, imò Zacharias Papa, & Callixtus II. Cassinensibus concesserunt quandocumque vellent, etiam in civitatibus signa pulsare, ut patet ex eorum Bullario *constit. 4. & 11.* & hoc quoque pro Monachis Angelis statuisse Callixtum narrat in suis Chronicis Gul. Thorne an. 1085. Favent prisca Monachorum Ritualia, quæ diebus festis omnia signa pulsari mandant, & hanc pulsationem *classicum* vocant. Templariis autem, Hospitalariis, & aliis habentibus in suis domibus oratoria, *C. patentibus de privilegiis*, campanarum usus à Celestino III. vetitus fuit.

## Caput XXIII.

*Qualis debeat esse panis qui offertur & consecratur in Missa. Quæ gentes azymo, quæ fermentato utantur. Discutitur de hoc controversia inter Græcos & Latinos. Quibus argumentis & conjecturis probari possit utramque Ecclesiam per multa sæcula infermentato sacrificasse. De more offerendi panem & vinum. Quid sit fermentum quod olim Pontifices ad Ecclesias Vrbis mittebant. Missam antiquitus Eucharistiam, necnon & panem communem in signum communionis. De forma seu figura panis consecrandi. Quo tempore & qua occasione panis azymus introductus. Hostiarum quibus hodie utimur origo. Quo studio olim factæ. Duplex panis & vini præparatio. Addita quædam de Eulogiis.*

I. CUm Sacramentum Eucharistiæ, quod singulari prærogativa & sacramentum est & sacrificium, ex pane & vino constet, nulla unquâ de vino inter Catholicos quæstio fuit; omnes enim vini nomine audito, illud statim mente concipiunt, quod ab uvis exprimitur, & hominibus in potum exhibetur. De pane verò inter Orientales, & Occidentales acerrimæ motæ sunt lites: nam Orientales fermentato utuntur, & hunc solum legitimam esse materiam hujus Sacramenti affirmant; Occidentales autem in azymis conficiunt, utentes tamen fermentato non damnant. Adhærent Latinis in usu Azymorum Maronitæ & Armenii, sed quo tempore his uti cœperint præter morem cæterorum Orientalium, difficile est invenire. Ajunt Maronitæ antiquissimam esse in suis Ecclesiis hanc consuetudinem, sed ejus initium designare non possunt. Morinus in præfatione ordinationis Maronitarum *p.* 383. ad probandam hujus ritus antiquitatem ex Davide illarum gentium Archiepiscopo, qui vivebat anno Domini 1053. testimonium affert excerptum ex notis Abrahami Ecchellensis ad catalogum librorum Chaldaicorum *cap.* 144. *editionis Romanæ*; sed nihil ex eo concluditur, nam David ibi citatus hoc solum refert, Christum in pane azymo sacramentum instituisse. De Armeniis diversæ sententiæ sunt. Quidam enim ajunt Magnum

Gre-

Gregorium Illuminatorem primum Armeniæ Patriarcham una cum Tiridate Rege ad fidem conversō Romam profectum fuisse, ut cum S. Silvestro Pontifice, & cum Imperatore Constantino, qui Christianam Religionem nuper etiam amplexus fuerat, fœdus & concordiam inirent, atque ibi sanctum Patriarcham azymorum usum didicisse, suæque Ecclesiæ tradidisse: sed quicquid sit de fide hujus narrationis, quam aliis examinandam relinquo, probandum his erat, non pro certo ponendum, quod Ecclesia Romana tunc azymis uteretur. Alii conjiciunt id moris eos usurpare cœpisse, cum Eutychianis adhæserunt, unam scilicet Christi naturam ea oblatione profitentes, sicut panis azymus nulla est unione commixtus, ut Isaac Catholicus Invectiva I. adversus ipsos ait cap. 7. *Panem azymum*, inquit, *Judæorum more offerentes nulla unione commixtum, unius naturæ mysterium faciunt.* Demetrius item Cyzicenus in tractatu de hæresi Jacobitarum Chatzitzariorum, qui sunt Armenii, editus à P. Combefis post historiam Monothelitarum ait: *Oblationem faciunt azymam, inque calicem communionis Jacobitarum more solum vinum infundunt, nec miscent aqua. Ac juniores quidem ex causa irrationabili id cæremoniæ inductum nugantur: veteres autem eorum doctores sanctum à Deo afflatum ac Martyrem Gregorium Magnæ Armeniæ Episcopum oblationem ejusmodi sine fermento, ac calicem sine aqua, eis ideò tradidisse calumniantur, quia inquiunt quem Christus panem discipulis tribuit in cœna mystica, azymus erat, ac calix sine aqua: quos tamen Ecclesia Catholica Apostolicam ac Patrum traditionem legitimè servans non probat.* Extat & quædam Armeniorum historia ipsorum schisma ac rituum mutationem Nierſi Patriarchæ adscribens, qui, ut rem gratam Regi Persarum tunc Armeniæ dominanti faceret, conciliabulum in civitate Thevin sexto sæculo inchoante coegit, in quo decretum fuit anathematizandam esse Synodum Chalcedonensem, ritusque veteres sacrificii innovandos, ut hoc religionis dissidio omnino à Græcis separarentur. At Clemens Galanus, qui omnes ferè Armeniorum libros perlustravit, de impio Nierse Patriarcha agens *lib. 1. conciliationis ejus Ecclesiæ cum Romana cap. 10.* consentit quidem in reliquis prænarratæ historiæ, negat tamen aliquid spectans ad sacrificium statutum fuisse in conciliabulo Thevinensi: inferius autem *cap. 17.* ex historia Armenia ea quæ sequuntur de Joannes Oznienſi Patriarcha recensēt. *Hic jussu Homarii Saracenorum Ducis, & auxilio Caliphæ Babilonis Synodum congregavit in urbe Manaschierti in confinibus Harcanæ Provinciæ, ubi convenientibus cum Armeniis sex Assyriis Episcopis, definita fuit in Christo una natura, una voluntas, & una operatio; fueruntque à sacris ablata mysteriis fermentum & aqua, canoneque statutum est non esse amplius in sacrificiis aquam vino miscendam.* Acta sunt hæc circa tempora sextæ Synodi generalis, dum Armenia sub durissimo Saracenorum jugo pœnas lueret schismatis & impietatis: ex quibus satis constat, azymum panem, & vinum sine aqua ab Armeniis offerri cœpisse in signum divisionis à Catholica Ecclesia, & in symbolum hæresis Eutychianæ. Ideò Patres Trullani, qui anno 692. canones sub nomine sextæ seu quinisextæ synodi ediderunt, decimo circiter anno post impia decreta à Joanne Oznienſi promulgata, ipsos Armenios acriter reprehendunt, quod vinum solum sine mixtione aquæ in sacra mensa offerrent, Apostolicam traditionem detestabili errore subvertentes: *Ad nostram*, inquit, *cognitionem pervenit, quod in Armeniorum regione vinum tantum in sacra mensa offerunt, aquam illi non miscentes*: id verò prohibent sub pœna depositionis. De panis autem mutatione ex fermentato in azymum silent, licet eodem tempore & in eodem sacrilego Oznienſis conciliabulo sancita fuerit; nec eos accusant quod fermentatum rejicere, & azymum introducere, nulla habita ratione veteris consuetudinis, ausi sint. An id fortassis ad eorum notitiam non venerat? vel potius de hac re siluerunt, quod indifferens existimarent, sive quis azymum, sive fermentatum panem in sacrificio offerret? Uterque enim verè est panis, nec ulla extat ecclesiastica regula, quæ alterutrum interdicat. Aquam verò vino miscere, mos est universalis Ecclesiæ ex divina & apostolica traditione: atque ideò Armenii in crimen vocati sunt, quia solum vinum sine aqua offerebant; non autem propter usum azymi panis, sive hunc perperam ab illis usurpatum nescierint Trullani Antistites, sive dissimulandum censuerint.

II. Orta deinde est, quatuor ferè sæculis post sextam synodum, controversia de azymo & fermentato, & diu agitata inter Græcos & Latinos, partium potius quam veritatis inveniendæ studio, ut in similibus fieri solet: atque hinc factum est, ut pertinaciter contenderint suam quisque consuetudinem à Christo & ab Apostolis ad nostra usque tempora derivare. Sed si omissis hac de re Scholasticorum subtilitatibus & argumentis,

quæ apud ipsos legi possunt, veritatem sincerè & sine affectu ad alterutram partem, ex veterum Patrum monumentis, & ex praxi Ecclesiæ investigare voluerimus, inveniemus proculdubio, quam parvi momenti sint, in re quæ à facto pendet, doctorum speculationes: tum perspicuè cognoscemus multùm interesse inter tempora quæ præcesserunt, & quæ postea sequuta sunt, eosque turpiter errare, qui ex præsenti rerum statu omnem æstimant antiquitatem. Inquirendum igitur hîc est quo pane usa sit in sacrificio vetus Ecclesia, azymone, an fermentato, an utroque indiscriminatim: specialiter verò utrum apud Latinos semper in usu fuerit azymus panis; vel potius antiquitus fermentatum adhibuerint, & postea azymum receperint, & quo tempore id factum sit. Brevem, sed luculentam de hac quæstione disquisitionem scripsit rei antiquariæ peritissimus Jacobus Sirmondus; ex qua ut ingenuè fateor me profeciſſe, ita etiam agnoscet benignus lector, quot argumenta, conjecturas, & testimonia adjecerim ad ejus sententiam confirmandam. Putat Sirmondus usum fermentati in Ecclesia Latina ab ipso susceptæ religionis exordio cœpisse, & multis exinde seculis perstitisse. Et mihi quidem hoc valdè probabile visum fuit, priusquam illius tractatum vidissem, & in hac sententia confirmatus sum, cum rem ipsam intimiùs perlustravi: non ita tamen illi adhæreo, quin paratus sim certiora docentibus statim & ex animo consentire.

III. Quod igitur vetus Ecclesia fermentato pane in partibus quoque occidentalibus diu usa sit, probatur primo loco ex more offerendi, qui olim vigebat. Nam ut idem Sirmondus sapienter advertit, vetus in Ecclesia Christianorum mos fuit, ut, qui ad Missas celebrandas conveniebant, suam unusquisque sacrificii partem adferret. Cujus consuetudinis apud priscos Antistites tanta fuit religio, ut hanc etiam synodicis decretis, ne obsoleſceret, sanciendam putarint, nec dissimulandum si quis violaret. Ita enim decrevit Concilium Matisconense II. c. 4. *Residentibus nobis in sacro Concilio, cognovimus quosdam Christianos relicto fratrum cœtu à mandatr Dei aliquibus locis deviasse; ita ut nullus eorum legitimo obsecundationis parere velit officio Deitatis, dum sacris altaribus nullam admovent hostiam. Propterea decernimus, ut omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis quam vini, ut per has immolationes & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel vel cæteris justè offerentibus promereantur esse consortes.* Ad hunc item morem respexit Concilium Nannetense c. 9. quo Presbytero mandat, ut de oblationibus quæ offeruntur à populo & consecrationi supersunt, partes incisas habeat in vase nitido, quas post Missam illis distribuat, qui non communicarunt. Liber Sacramentorum sancti Gregorii editus à Pamelio, postquam præcepit cantari Offertorium, ait: *& offeruntur à populo oblationes & vinum, è quibus in altari ponuntur, ut sacrentur.* Consonat Ordo Romanus his verbis: *Archidiaconus accipiens oblatas ponit tantas super altare, quantæ possunt populo sufficere.* Ejusdem oblationis factæ à fidelibus illustria habemus exempla in Theodosio Imperatore, celebrante Ambrosio, & in Valente, celebrante Basilio, ut narrat Theodoretus *lib. 4. eccles. histor. cap. 17. & lib. 5. cap. item 17.* Adeò autem initio Ecclesiæ mos iste invaluerat, ut digni reprehensione haberentur, qui nihil offerentes alienæ oblationis partem sumebant. Quo nomine Cyprianus divitem fœminam increpans, lib. de opere & eleemosynis; *Locuples*, inquit, *& dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?* Idem urget Augustinus, seu quisquis est auctor sermonis 215. de tempore dicens, *oblationes, quæ in altario consecrentur, offerte. Erubescere debet homo idonens, si de aliena oblatione communicaverit.* Et Eligius Noviomensis tract. de rectitud. catholicæ conversat. tom. 9 Augustini. *Ille bonus Christianus est, qui ad Ecclesiam frequentiùs venit, & oblationem, quæ offeratur Deo, in altari exhibet.* Hoc idem confirmant verba sacerdotis suum in Missæ precibus & populi sacrificium atque hostias sæpius commemorantis. *Orate*, ait, *fratres ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum.* Et infrà. *Memento Domine omnium pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium.* Item. *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ quæsumus ut placatus accipias.* Et in orationibus quæ Secretæ dicuntur: *Suscipe preces populi tui cum oblationibus hostiarum. Suscipe munera populorum tuorum.* Et clariùs Dominica V. post Pentecosten, *Propitiare Domine supplicationibus nostris, & has oblationes famulorum famularumque tuarum benignus assume, ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem.* Sunt & alia ejusdem generis multa, quæ priscum illud tempus respiciunt, quo populi oblationes consecrabantur. Quod si Sacerdos oblatum à fidelibus panem

panem pro sua & illorum communione consecrabat, non alium sanè quam communem & usitatum ac de more fermentatum, qui singulis tam divitibus quam pauperibus semper in promptu esset: cum præsertim primis Ecclesiæ sæculis propter metum persecutorum sæpe in cryptis & in carceribus sacrum occultè, & ex occasione celebrario aporteret, pane proculdubio communi, quia azymum nec ubique conficere, nec semper paratum habere poterant. Scio quidem virum doctissimum Albaspinæum *lib. 1. observ. 5.* & sequentibus ea quæ de oblationibus allata sunt, aliter interpretari; sed singularis ejus sententia est, & contra communem Doctorum sensum. Ait ille has oblationes, de quibus Cyprianus & alii loquuntur, nihil ad Eucharistiam pertinere; neque partem ex iis decerptam, ut consecraretur; sed referendas esse ad Eulogias, sive ad panem in fine Missæ distribuendum. Nam panis, inquit, qui offerebatur, fermentatus erat, Eucharistia verò ex pane sine fermento conficiebatur: quod genus argumenti quanti sit ponderis, nemo non videt. Imò quia panis fermentatus offerri solebat, consequens est ut & idem consecraretur. Nec ullo modo ad Eulogias trahi potest, quod Cyprianus scribit arguens mulierem, quæ partem sumebat de sacrificio, quod pauper obtulerat. Unde enim probare poterit, quod nomen sacrificii Eulogiis unquam tributum sit? aut quod tempore Cypriani Ecclesia azymis uteretur? Id demonstrandum erat, non tamquam indubitatum statuendum. Adhuc mos perseverat, ut in quibusdam solemnitatibus integer panis atque is fermentatus simul cum vino ab his quorum interest offeratur, ut cum Episcopi consecrantur, cum Reges Coronantur, cum aliquis in numerum Sanctorum adscribitur: ex quo veluti per rimulas antiqua panis fermentati offerendi consuetudo perspicitur, & olim quidem ipsemet panis, qui oblatus erat, consecrari solebat: at nunc remanente sola & nuda oblatione in his celebritatibus, quæ rarò accidunt, in reliquis disciplina mutata est. Sed pergo, & serinùs à Latinis recepta azyma aliis argumentis ostendo.

IV. Sedente Nicolao I. Pontifice Maximo Græcorum schisma adversùs Latinos exortum est, curante Photio viro improbo & turbulento, qui S. Ignatio è sede Patriarchali injustè deposito, thronum Constantinopolitanum invaserat. Hoc autem divortium ne temerè, & absque consilio fecisse videretur, magno ardore Latinos insectatus est, & illis tanquam gravissima crimina objecit quæcumque in eorum ritibus & disciplina à moribus Græcorum discrepabant. Eos itaque reprehendere cœpit quod Sabbatis jejunarent, quod uxores Presbyteris prohiberent, quod iisdem Presbyteris non permitterent Chrismate baptizatos linire, quod clerici barbas raderent, quod octo hebdomadas ante Pascha non observarent, quod Agnum Judæorum ritu in altari offerrent & benedicerent, quamquam id falsò objiceret; & si quæ sunt alia ejusdem generis, quæ Michaël & Basilius Imperatores ad Nicolaum Papam, hic ad Hincmarum & ad alios Galliæ Antistites misit discutienda & refellenda: de qua re extat ejusdem Hincmari Epistola ad Odonem Episcopum Bellovacensem, *edita tomo secundo operum ejus pag.* 809. De azymis autem nec verbum quidem, quam certè objectionem non omisisset, qui etiam falsa crimina de illis per calumniam finxit, & de multo levioribus litem movit. Ex quo silentio, si non evidenti, saltem probabili consecutione deducitur, azymi panis usum circa annum Christi 860. nondum in Ecclesia Latina viguisse. Quod si quis contendat ex Photii silentio nihil concludi, cum sit argumentum purè negativum: obsecro ut causam assignet mortæ postea de azymis controversiæ. Non enim video, cur de his tacuerit Photius, & post duo sæcula Michaël Cerularius Photii successor tam asperè loquutus sit; nisi quia vivente Photio non erant in usu, tempore autem Cerularii nuper recepta fuerant. De vi argumenti negativi nolo hic odiosam texere disputationem, sed neque necessarium est; nostra siquidem assertio non soli silentio Photii innititur, sed alia habet validiora firmamenta atque adminicula, quibus fulcitur & credibilis fit, ut ex progressu patebit. Precor etiam viros eruditos, ut me doceant, an post Christum & deinceps per annos mille ulla unquam de azymis, eorumque usu in sacrificio mentio habita reperiatur, nisi occasione Sectariorum, qui illis usi sunt, ut à consuetudine Catholicæ Ecclesiæ se alienos ostenderent, sicut de Armeniis diximus suprà, & de Ebionæis mox videbimus. Argumentum verò, quod plerique Scholastici tanquam insolubile opponunt, Christum scilicet prima die azymorum Eucharistiam instituisse, ideòque Ecclesiam ejus exemplo azymis usam esse, quanti roboris sit, viderint sapientiores Theologi & judicent. Nam Christus illo pane in ultima cœna usus est, qui apud Hæbræos in illa solemnitate communis erat: nec

ut ait Algerus lib. 2. de Sacram. corporis & sanguinis Domini cap. 10. *Ideò Christus azymum panem in ultima cœna consecravit, quia res sic exigeret; sed quia illa cœna alium panem non exhibuit.* Et si post Resurrectionem aliquando consecravit, ut communiter asserunt sancti Patres, panem communem & fermentatum adhibuisse credendus est, quo post dies azymorum omnes utebantur. Dato item & non concesso, quod semper azymis usus esset, nihil tamen ex hoc pro azymis concludi posset: certissimum est enim, non omnem Christi actionem præceptum continere, alioquin celebranda à nobis forent hæc mysteria post cœnam, quia cœnâ peracta ab ipso sunt instituta. Ex praxi quoque Ecclesiæ apparet, quanta sit vis in hoc argumento, nam usum fermentati ipsa approbavit. Deinde quis non videt Scholasticos ad hanc rem pertractandam præoccupatis mentibus accessisse? Cum enim ab infantia sola azyma offerri viderint, eaque sola in scholis & in exedris prædicari audierint, ea sola semper in usu fuisse crediderunt; & hoc posito, varias subinde convenientias, variaque argumenta excogitarunt, ut quod semel conceperant firmiùs stabilirent. Veræ autem sapientiæ nihil magis adversatur, quam à teneris annis certis quibusdam principiis sine delectu & examine mentem imbuisse. Unde jam olim notavit Ammonius Aristotelis commentator, eos qui falsis doctrinis innutriti erant, multa puerilia atque inepta adeò pertinaciter defendisse, ut nulla ratione potuerint ab iis divelli. *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu*, inquit Horatius. Pari quoque ratione qui ex præscripto proprii instituti, sive ex affectu erga præceptores, certis opinionibus adhærent, omnia secundùm illas dijudicant quacumque auctoritate & demonstratione posthabita, ad easdem trahentes quicquid audiunt, quicquid legunt. Non enim servant traditum à Beato Hilario Pictavienſi Episcopo *lib. 1. de Trinitate* salutare documentum, ut, cum Doctorum tractatus legunt, non præconceptas persuasiones illis inferre, sed veritatem potiùs ab his referre conentur. *Optimus enim Lector est*, ait ille, *qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potiùs, quam imponat; & retulerit magis, quam attulerit: neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum.* Sed redeo ad Scholasticos. Hi videntes usum fermentati dudum apud Orientales invaluisse, ejusque moris originem ignorantes, ne hanc difficultatem taciti declinasse viderentur, hanc historiam commenti sunt.

V. Ajunt utramque Ecclesiam græcam & latinam absque ulla controversia post hujus sacrificii institutionem & deinceps azymis usam fuisse exemplo Christi, qui in azymis consecravit. Postmodum superveniſſe hæresim Ebionæorum, qui docebant, legalia præcepta simul cum Evangelio servanda esse, ideoque in mysteriis azymo pane utebantur. In eorum verò detestationem universam Ecclesiam orientalem & occidentalem rejectis azymis fermentatum panem ad mensam Domini adhibuisse. Demum illa hæresi profligata, latinam Ecclesiam ad pristinum morem azymorum rediisse, Græcis receptam ea occasione fermentati consuetudinem retinentibus. At unde prodierit hæc historia, incertum est. Refert eam S. Thomas *in 4. sent. dist. 11. q. 2. art. 2. quæst. 3.* eamque tribuit Leoni Papæ. Sed quis fuerit iste Leo, nec ipse dicit, nec se reperisse ait Franciscus Suarez *To. 3. in 3. P. disp. 44. sec. 3.* Quis igitur huic narrationi fidem præstet, cujus apud antiquos scriptores per mille ferè annos nullum apparet vestigium? Agit diffusè de hæresi Ebionis Epiphanius *hær. 30.* sed quod ejus occasione fermentati usus introductus fuerit, nullo modo testatur, nec verbum quidem de hac re in aliis extat, qui de Ebionæis scripserunt. Quin potius idem Epiphanius inter cæteros illorum errores hunc recenset, quòd mysteria quotannis celebrabant ad Ecclesiæ & Sanctorum imitationem, in quibus panes azymos, & ad alteram mysterii partem solam aquam adhibebant, notans illos quòd utramque materiam Sacramenti perverterent. Scio quosdam scriptores hoc loco abuti ad probandum usum azymorum temporibus Apostolorum, ac si dixerit Epiphanius, Ebionæos mysteria feciſſe in azymis ad imitationem Ecclesiæ, & Sanctorum. Sed nisi vim inferamus textui, imitatio Sanctorum ipsa tantùm mysteria respicit, non eorum materiam; alioquin dicendum foret, eos aquam quoque adhibuisse ad imitationem Sanctorum. Eodem loquendi modo idem usus hæres. 46. quæ est Tatiani, dicens: *Mysteria quædam ad Ecclesiæ sanctæ imitationem instituit, sed ad ea tamen nihil præter aquam adhibuit.* Ubi patet Ecclesiæ imitationem, non rem oblatam, sed ipsam oblationem respicere. Illud itidem considerandum, quod si tunc temporis omnes Ecclesiæ azymis utebantur, cur reprehensi sunt Ebionæi, quod mysteria in azymis conficerent? aut quomodo Epiphanius notam eis erroris infert, si in hoc à præscriptis ritibus non aberrabant? An quia illi dicebant legales ceremonias servandas esse,

esse, quarum una erat usus azymorum; ideò Ecclesia azyma à sacris abstulisse credenda est? An propter paucorum abusum æquum fuit morem deserere, quem ipsi Scholastici à Christo, & ab Apostolis derivatum arbitrantur? Imò Ebionæi hac de causa rei habiti sunt, quia à communi usu fermentati recedentes azymum panem usurparunt, ut eo veluti symbolo ab orthodoxis discernerentur, suumque dogma de legis Hebraicæ observantia ejusdem azymi usu confirmarent. Hoc igitur commentum de pane azymo, primò quidem omnium consensu usitato, exinde in detestationem Ebionæorum explosо, demum extincta secta à solis Latinis rursum recepto, tanquam absurdum & incredibile respuendum est.

VI. Eodem cum Scholasticis præjudicio deceptus fuit Hugo Eterianus *lib. 2. de hæresib. quas in Latinos Græci devolvunt cap. 17.* dicens: *Latinorum sancta Ecclesia æternaliter azyma offert & immolat, secundum Christi traditionem.* Stephanus quoque Eduensis *lib. de Sacram. altaris cap. 17.* Romanam Ecclesiam de azymo pane immolare ait, Græcos autem de fermento; quod, inquit, *non consentit sanctorum Patrum doctrinæ, quia in sacro eloquio nunquam invenitur fermentum accipi in bonum.* Sed hi recentiores sunt, & nihil probant: si enim ex Christi traditione azymus panis immolaretur, quis unquam usus fuisset fermentato in adhibere? Nec verum est, ut luce clariùs constat, quod fermentato non consentiat sanctorum Patrum doctrina: non alio enim pane quam fermentato usi sunt Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, Cyrillus, & quotquot fuerunt sanctitate & doctrina conspicui Sacerdotes in ecclesiis orientalibus. Simili errore lapsus est Barlaamus Hieracensis Episcopus, qui se asserit vixisse quadringentis annis post schisma, post annum scilicet 1300. Hic ad amicos suos in Græcia constitutos sic scribit: *Ecclesia Romana ante inchoatum Schisma pluribus quam septingentis annis per azyma conficiebat sanctissimam Teletam. Alexander enim Romanus Pontifex, qui sub Adriano glorioso martyrio vitam finivit, hostiam de azymo Ecclesiæ Romanæ statuit.* Verùm hic aliis contradicit asserentibus Romanam Ecclesiam semper in azymis consecrasse ex Christi institutione. Deinde in actis legitimis S. Alexandri Papæ nihil ab eo de azymis statutum legimus: imò Romæ & in aliis occidentalibus Ecclesiis longo post ipsum tempore fermentatum in sacrificio adhibitum, multis argumentis probari potest. Occurrit primo loco mulier incredula, quæ, ut narrat Joannes Diaconus in vita Gregorii Magni *lib. 2. cap. 41.* sancto Pontifici celebranti solitas oblationes obtulerat: cui tempore communionis mysteria traditurus cum diceret, *Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam*, risit mulier: At ille dextram ab ejus ore convertens, partem illam Dominici corporis super altare deposuit. Expletis verò Missarum solemniis, matronam coram populo inquisivit, quam ob rem corpus Dominicum sumptura ridere præsumpserit. At illa ait, quia panem, quem propriis manibus me fecisse cognoveram, tu corpus Dominicum perhibebas. Tum Gregorius facta oratione pro mulieris incredulitate particulam panis in carnem, & ipsam carnem rursus in panem convertit. Porrò hæc mulier panem communem & usitatum obtulit, quem ipsa fecerat pro domo sua: si enim azymum fecisset & obtulisset, quo uti tunc in sacrificio mos foret, non potuisset ignorare, cui fini panis ille inusitatus destinatus esset, nec indicia sive incredulitatis sive ignorantiæ ridendo præbuisset. Credidit S. Thomas *3. p. qu. 74. art. 4.* Ecclesiam Romanam hujus Gregorii tempore azymum panem tanquam diu usitatum adhibuisse, ipsumque Gregorium in Registro ejus consuetudinis rationem reddidisse. At à viris eruditis dudum observatum fuit, eam sententiam suppositiam esse, nec in scriptis Gregorii reperiri. quidpiam simile legitur in Registro Gregorii VII. *lib. 8. epist. 1.* & hinc fortassis hallucinatio processit, & primo Gregorio tributum quod septimi est. De eodem pane communi Ambrosius loquitur lib. 4. de Sacram. c. 4. *Tu fortè dicis, Meus panis est usitatus, sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Dum autem nominat panem usitatum & in mensa communiter usurpatum, certè de azymo explicari non potest. Illustre etiam de hac re testimonium perhibent Concilii XVI. Toletani Patres, quod æra Hispanica 731. anno scilicet Christi 693. actum fuit, c. 6. *Ad conventus nostri agnitionem delatum est, quòd in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum partim nescientia impliciti, partim temerario ausu provocati, non panes mundos & studio præparatos supra mensam Domini in sacrificio offerant, sed passim quomodo unumquemque aut necessitas impulerit, aut voluntas coegerit, de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super altare cum vino & aqua pro sacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in sacræ auctoritatis hi-*

*storia*

*storia uspiam gestum perpenditur.* Et paucis interjectis, quibus ex Evangelio ostendunt Christum non particulam panis, sed integrum panem accepisse & consecrasse, atque ex eo particulas confregisse, quas particulatim discipulis tribuit, subdunt. *Unde temeritatis ejus, atque nescientiæ cupientes terminum ponere, id unanimitatis nostræ delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica tantùm oblata, secundùm quod ecclesiastica consuetudo retentat: cujus reliquiæ, aut ad conservandum modico loculo absque aliqua injuria conserventur, aut si ad consumendum fuerit necessarium, non ventrem illius qui sumpserit gravi sarciminis onere premat, sed animam alimonia spirituali reficiat.* Quid clarius hoc canone ad id quod intendimus astruendum? Si enim debuissent illi sacerdotes azymum panem consecrare, de hoc ante omnia redarguti fuissent, quod non azymum, prout mos ferebat, sed panem usualem & communem, & consequenter fermentatum consecrarent: atqui de hoc synodus tacet, & eo tantùm nomine illos castigat, quod panes non erant nitidi, & ad illud ministerium, sicut par erat, peculiari studio præparati, atque fortuitò & indecenter de communi mensa decerpti. Ad idem facere videtur Concilium Calchutense in Anglia anno 787. dum c. 10. præcipit oblationes fidelium tales fieri, ut panis sit non crusta. In Concilio quoque Nannetensi supra citato constituunt Patres, *Ut de oblationibus quæ offeruntur à populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus quos offerunt fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido, ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerunt parati, Eulogias omni die Dominico & in diebus festis exinde accipiant.* Quod decretum iisdem verbis extat inter capitula, quæ Hincmarus Remensis dedit Presbyteris suis anno 852. *cap.* 7. & hinc liquet, nullum fuisse tunc discrimen inter panem qui supererat consecrationi, & alium communi usui Presbyteri destinatum, quia vel ex illo vel ex isto indiscriminatim partes haberi pro Eulogiis illi Antistites decreverunt. Atque hinc etiam confirmatur, quod superiùs dictum est, orto jam schismate Græcorum adhuc in Ecclesia Latina usum fermentati permansisse.

VII. Quod si veteres Patres percurrere, & omnem evolvere antiquitatem libeat, inveniemus proculdubio sic à tempore Apostolorum & deinceps de pane eucharistico omnes loqui, ut nonnisi de communi & fermentato commodè intelligi, & explicari queant. De Apostolis legimus in eorum actis *cap.* 2. & 20. quod ibant per domos frangentes panem, & fideles erant perseverantes in communicatione fractionis panis, & unâ sabbati, id est die Dominica, conveniebant ad frangendum panem, qualem scilicet in domibus fidelium reperiebant. Ibi autem agi de perceptione Eucharistiæ, omnium interpretum concors sententia est. Tertullianus ad uxorem lib. 2. cap. 5. *Non sciet maritus quid secretò ante omnem cibum gustes. Et si sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur.* Scivisset autem, si panis ille diversus à communi fuisset. Augustinus *epist.* 59. loquens de pane Eucharistico, *Benedicitur*, inquit, *sanctificatur, & ad distribuendum communitur*: quia nimirum integer panis consecrari, & ex eo particulæ communicantibus distribui solebant. Narrat Gregorius Turonensis *lib.* 1. *de gloria Martyrum cap.* 87. Epachium Presbyterum, cum indignè celebrare præsumpsisset, sumpto Sacramento in terram corruisse, & projecisse ab ore sacri mysterii particulam, quam dentibus comminuere non potuit. Alia multa his similia occurrunt passim in sanctis Patribus & Conciliis, sed nimis in longum irem, si vellem singula recensere. Ruperto Abbati, & aliis recentioribus asserentibus Ecclesiam Romanam nunquam in sacrificio fermentum admisisse, quæ fides habenda sit, ex dictis manifestum est. Nec unquam Humbertus Cardinalis, & reliqui scriptores, qui primitus adversùs Græcos acerrimè pro azymis decertarunt, hanc perpetui moris præscriptionem in suæ causæ defensionem & robur afferre ausi sunt, scientes nihil in ea præsidii fore, quod seriùs à Latinis recepta azyma non ignorarent. Petrus Cluniacensis, qui integro sæculo post Humbertum floruit, lib. 4. epist. 17. ad S. Bernardum, *Testes*, inquit, *sumus & nos temporis nostri* (nostri ait, non antiqui) *qui Romanam Ecclesiam, & totam Latinam linguam offerre Deo salutare sacrificium azymi panis videmus, cum Græca Ecclesia & maxima Orientis pars, ac barbaræ sed Christianæ gentes sacrificare de fermentato dicantur.* Tum ait, ob has usuum dissonantias tam antiquos, quàm modernos à mutua charitate non desciviſse, quia in his nihil quod fidem læderet invenerunt. Græcus etiam homo Demetrius Chomatenus Bulgariæ Archiepiscopus, quem citat Sirmundus, cum animadvertisset, nullos usquam canones azymorum meminisse, rectè conjecit eorum morem seriùs & post Photii schisma in Romanam Ecclesiam se insinuasse. Hinc doctiores inter Græcos schis-

schismaticos controversiam de azymo & fermentato malè excitatam fuisse fatentur, nec propter hanc discrepantiam, quæ ritus est, non dogmatis, dissidium ab initio contigisse cognoscunt, & testantur. Illorum verò testimonia legi possunt apud Leonem Allatium in dissertatione de perpetuo consensu Ecclesiæ occidentalis atque orientalis ad Joannem Christianum de Boineburg edita cum ejusdem tractatu de Purgatorio, & in Hottingero convicto *cap.* 9. Consentit ex Latinis Hildebertus Turonensis Archiepiscopus, agens enim *epist.* 44. de quodam Sacerdote qui ex pane communi sacrificium obtulerat, gravius puniendum ait Ecclesiæ seu populi scandalum, qui ea novitate offensus fuerat, quàm delictum, in ea enim consuetudinem potius quàm fidem impugnatam fuisse. Non possum autem hoc loco omittere aut dissimulare Rabani Mauri sententiam, qui *lib.* 1. *de Institutione clericorum* (quem se scripsisse testatur anno Domini 819. *cap.* 31. ait, *Panem infermentatum & vinum aqua mixtum in Sacramentum corporis & sanguinis sanctificari oportet.* Quæ verba & alia, quæ sequuntur ad comprobandum azymorum usum, assertioni nostræ proculdubio adversari videntur. Sed dum attentiùs considero, nullam vivente Rabano de azymo & fermentato controversiam extitisse; nec ab aliis illius sæculi scriptoribus azymorum pro usu sacrificii mentionem fieri, suspicatus sum addita illa ab aliquo recentiore ex ritu sui temporis. Ut igitur hac de re certior fierem, ad codices M.SS. confugiendum esse existimavi, unumque reperi in Bibliotheca Vaticana *num.* 1149. sic inscriptum, *Rabani Mauri liber de officiis Ecclesiasticis*: & sic incipientem, *Qualiter ad divinum officium instrui oportet sanctissimum Ordinem clericorum, institutio Ecclesiastica narratione declarat multimoda.* Est autem lib. 3. citati operis *de institutione Clericorum*, isque in multis ab edito diversus. Ex quo meam suspicionè haud temerariam fuisse cognovi, librumque Rabani à recentioribus auctum, & interpolatum fuisse non inconsultè judicavi.

VIII. Ad eumdem fermentati usum comprobandum prætereri non debent Melchiadis, Siricii, & Innocentii Romanorum Pontificum decreta. De Melchiade hæc in ejus vita leguntur. *Hic fecit ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur; quod declaratur fermentum.* De Siricio hæc scripta sunt. *Hic constituit ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum.* Innocentius verò epist. ad Decentium cap. 5. sic scribit. *De fermento quod die Dominico per titulos mittimus, superfluè nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ: quarum Presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, ideircò fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se à nostra communione maximè illa die non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda sunt Sacramenta, nec nos per cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habent atque licentiam.* Ad statutum autem Melchiadis hæc in scholiis suis inditis addit Petrus Episcopus Urbevetanus. *Diebus enim Dominicis mittebat Romanus Ponti ex per titulos Vrbis fermentum confectum ab ipso per suos Acolythos, ut à communione ejus plebs non putaret se separatam, quia recipiebat corpus Christi de fermento ab ipso consecrato. Ad Ecclesias autem cœmeteriorum extra Vrbem positas non mittebatur, quia Sacramenta longè deferri non possunt.* Mos verò non deferendi in cœmeteria, de quo hìc mentio fit, postea abrogatus fuit. Nam in vitis Pontificum à Joanne III. constitutum lego, ut oblationes & amulæ, vel luminaria in cœmeteriis per omnes Dominicas de Lateranis ministrarentur. Et Gregorius III. disposuisse dicitur, ut in cœmeteriis circumquaque positis luminaria ad vigilias faciendas, & oblationes de Patriarchio per oblationarium deportarentur ad celebrandas Missas. Mittebant itaque Pontifices ad Ecclesias Urbis in signum mutuæ communionis panem, qui fermentum dicebatur, quo nomine ipsam Eucharistiam intelligendam esse, non autem Eulogias, ut contendit Baronius, ex verbis Melchiadis & Siricii manifest: deducitur: illi enim de pane consecrato loquuntur, non de Eulogiis, quibus nomen consecrationis aptari non potest. Et Innocentius rationem reddens propter quam illud fermentum non mittebatur extra Urbem, *quia*, inquit, *non longè portanda sunt Sacramenta.* De Sacramento igitur hic sermo est, non de Eulogiis, quæ non sunt Sacramentum. Nec puto hunc ritum non mittendi procul Sacramenta à Joanne & Gregorio tertiis abrogatum, cum in cœmeteria mitti oblationes è palatio Lateranensi decreverunt, nullam enim consecrationis mentionem faciunt, nomen autem oblationis pani oblato ad usum sacrificii tribui quoque solebat, antequam à Sacerdote consecraretur. Sed videamus qua ratione motus Baronius nunquam potuit adduci

ut crederet fermenti nomen tributum aliquando Eucharistiæ; *quia*, inquit, *notissimum est Romanam ac simul Occidentalem omnem Ecclesiam nomisi in azymo pane consuevisse Eucharistiam conficere.* Ita ille *a.* 313. agens de rebus Melchiadis. At ego ostendere hic enitor usum fermentati Romæ & in Occidentali Ecclesia diu viguisse: ideoque assero fermenti nomen à prædictis Pontificibus Eucharistiæ tributum, quia in pane fermentato conficiebatur. Narrat ibidem Baronius viros eruditos in hac re elucidanda admodum laborasse, & inter alios Latinium, à cujus sententia ait se dissentire. Optavi sanè, cum primùm hæc scriberem, Latinii de hoc fermento dissertationem, si fortè extaret, videre; sperabam enim me aliquid in ea repertuum, quo res obscurissima utcumque posset elucidari. Cumque aliquando de hoc colloquerer cum viro humanissimo, rerumque omnium, præsertim Ecclesiasticarum, notitia maximè imbuto Francisco Maria Brancatio S. R. E. Cardinali & Episcopo Viterbiensi, se prælo paratam habere dixit secundam partem Epistolarum ipsius Latinii ex suæ Ecclesiæ Bibliothecamox edendam studio Dominici Magri ejusdem canonici & Theologi notæ eruditionis, inter quas erant Latinii & Antonii Augustini de fermento opiniones duabus epistolis alterius ad alterum expressæ, quas protinus ad me mitti curavit. Et Latinius quidem ad ipsum Augustinum tunc Episcopum Ilerdensem scribens putat fermentum, de quo agitur, verum Sacramentum Eucharistiæ omnino fuisse, quod cum legissem gavisus sum me in eam sententiam venisse, quæ dudum homini doctissimo placuerat, eique propterea firmiùs adhæsi. Cur verò fermenti nomen ipsi Sacramento tributum sit, expendens Latinius duas causas comminiscitur, quæ pace tanti viri mihi prorsus absurdæ, & à moribus illorum temporum extoto alienæ visæ sunt. *Apellabatur autem fermentum*, inquit, *non quia aliquid haberet commune cum fermento quo utimur ad panem fermentandum, sed ea fortasse ratione, vel quia velut massa & conspersio esset utriusque partis Sacramenti, corporis videlicet & sanguinis, ita mixta, ut nullo modo separari posset. Vel quia eadem ipsa massa proprie fermenti vicem obtineret in alia majori massa fermentanda, quæ satis esse posset ad populum cujusque tituli communicandum.* Hanc verò mixtionem eo consilio factam arbitratur, ut Manichæi, qui à vino abhorrebant, detegerentur: nam mittens Pontifex illud fermentum Presbyteris præcipiebat, si Latinio credimus, *ut per eosdem Presbyteros plebi universæ astanti diligentissimè declararetur fermentum illud à summo Pontifice confectum & consecratum cum admixtione utriusque speciei eo consilio fuisse, ut qui cum Catholica Ecclesia sentirent, & in ejus communione manere vellent, dum illud sumerent profiterentur se sub specie panis & vini simul mixta Eucharistiam accipere, & tam panis quam vini creatorem Deum agnoscere, & non Principem tenebrarum, ut de vino in creatoris omnium injuriam Manichæi blasphemi asserebant.* At missum ex hoc motivo fermentum, nec ex Actis Melchiadis & Siricii, nec ex epistola Innocentii ulla ratione colligi potest. Nulla item assertæ mixtionis utriusque speciei apparet necessitas ad detegendos Manichæos; cum enim tunc sub utraque specie fideles communicarent, multò facilius deprehendi poterant, si à sanguinis poculo per Diaconum porrecto abstinerent; quo indicio sub Leone Magno eos proditos *ex ejus sermone 4. de Quadrag.* constat. Nihil etiam legimus in scriptoribus illorum temporum, quo Latinii conjectura inniti queat. Deinde mixtio corporis & sanguinis tunc inaudita fuit, & à moribus ac ritibus Ecclesiæ omnino per illa tempora dissidebat, ut Lib. II. palam fiet, cum de communione intincta disseremus. Porrò ad Latinii epistolam breviter respondens vir solidæ doctrinæ & eruditionis Ant. Augustinus, suamq; de hoc fermento opinionem exponens, missum à prædictis Pontificibus panem consecratum asserit, cum negari non possit quod illi clarissimè dicunt; sed ex præconcepta sententia de perpetuo azymorum usu in Ecclesia Latina putat, *fermenti appellationem non veram esse, sed usurpatam, & qua vulgus uteretur pro azymis illis sinceritatis & veritatis; inde fortasse appellationis origine sumpta, quod eadem die, qua læti omnes participes fierent sacræ mensæ post longam quadraginta dierum mediam, eadem verba de fermento audirent, & pro Græco azymorum verbo, Latino uterentur contrariæ significationis.* At hinc videre licet, magnos quoque viros errori obnoxios esse, cum alicui opinioni abinfantia adhærentes antiquos ritus ad illã expendunt & accommodant. Nam quid magis alienũ à communi usu lòquendi, quàm quod nomen fermenti pro azymis accipiatur? quia nimirum in die Paschatis audiebant fideles, *epulamini non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis*; idcircò Eucharistiam contraria significatione vocabant fermentum. Neminem futurum credo, cui hoc suaderi possit. Cæterum epistolæ Latinii & Augustini editæ jam sunt *parte 2. epistolarum ipsius*

*sius Latinii pag. 116. & sequentibus.* Diversa ab his est Sirmundi sententia, qui Eucharistiam ex eo fermentum à prædictis Pontificibus dictam existimat, non quod ex pane fermentato esset, sed quod ipsa, quocumque ex pane fieret, Ecclesiis ad quas mittebatur fermenti vicem præstaret, eisque unionis inter se vinculum esset, sicut fermentum massæ cui commiscetur. At nihil vetat quin utrumque verum sit, & Eucharistiam fermentum dictam, quia revera ex fermento erat: & symbolicè etiam fermentum nuncupatam, quod signum sit unitatis, & vinculum charitatis.

IX. Sic expedita videri poterat controversia de fermento ad Ecclesias olim misso: sed emergunt alii nodi, quorum difficilis valdeque perplexa solutio est: nec eos dissimulavit in præcitata epistola Latinius, sed proponit his verbis: *An autem titulares Presbyteri eodem die Dominico Missas integras celebrarent, id est an verè ipsi consecrarent & offerrent, & an una cum fermento à Pontifice misso propriam quoque oblationem peractâ consecratione sumerent; an tantùm alteram, & an soli ipsi vel etiam populus ex altera, vel utraque communicarent, ut in re valdè obscura nihil videtur temerè pronunciandum.* Hæc revera obscura sunt, nam cum supra dixerimus sacrificium peractum ex oblationibus fidelium, quomodo hi Pontifices à Lateranensi Patriarchio mitti oblationes decreverunt? & si panis quem mittebant, erat consecratus; certum est quòd ad Missam à Presbyteris titulorum celebrandam non pertinebat. An igitur à fidelibus solitas oblationes accipiebant in Missa consecrandas, ex quibus & ex pane consecrato, quem Pontifex miserat, tam Sacerdos quàm astantes in signum mutuæ Pacis, dilectionis, atque unitatis communicabant? Hoc planè verisimile, imò certum mihi videtur: nam vinum misisse Pontifices nusquam apparet, Missæ autem Sacrificium sine panis & vini oblatione & consecratione agi non poterat; quare fideles more tunc usitato utrumque offerebant, & ex ipsis muneribus sacrum agebatur, sine ullo respectu ad panem missum è Lateranensi palatio, nisi quòd illum cum oblationibus recenter consecratis communicaturis distributum putamus. Cohæret hic ritus cum aliis veteris Ecclesiæ consuetudinibus. Mos enim fuit, ut, qui ejusdem fidei essent, sibi mutuò mitterent Eucharistiam in signum communionis, sicut testantur Eusebius *lib. 5. hist. eccl. cap. 24.* Nicephorus *lib. 4. cap. 39.* & Joannes Moschus *in Prato spirituali cap. 29.* idque salvo jure celebrandi, quod sacrum illud munus non auferebat. Ita pari ratione missa per titulos Eucharistia, nullum præstabat impedimentum, quin possent & deberent eorum Presbyteri synaxim agere. Quia verò Sacramenta procul deferre vetitum erat absentibus & longè constitutis in symbolum fraternæ charitatis panis communis mitti solebat, cujus rei testes sunt Augustinus *epist. 34,* & Paulinus *epist. 41, 45, 46.* quem morem diu permansisse Flodoardus docet *lib. 4 hist. Remensis cap. 3.* scribens Formosum Papam Carolo Regi Francorum panem misisse pro pignore pacis & unanimitatis. Sic imminuto fidelium fervore, usui frequentissimo ac fere quotidiano communionis successit usus Eulogiarum, de quibus infrà. Aliam veterem consuetudinem describit Alcuinus *lib. de divinis off. cap. 37.* agens de ordinatione Episcopi in Romana Ecclesia, *Pontifex ad communicandum porrigit ei formatam, atque sacram oblationem, quam accipiens communicat super altare, cætera verò reservat sibi ad communicandum usque ad dies quadraginta.* Idem habetur in ordine Romano, ubi est etiam exemplar *Formatæ*, quæ datur Episcopo noviter consecrato. Ejusdem panis consecrati, quem acceptum ab Episcopo in die suæ odinationis Presbyteri consumere debent quadraginta diebus, quotidie ex eo particulam sumentes, historiam narrat Fulbertus Carnotensis Episcopus *epist. ad Finardum*, mysticam ejus ritus rationem reddens. Ex hac autem Fulberti epistola manifestum est, tunc Presbyteros per illos quadraginta dies quotidie celebrasse, & tempore communionis particulam hostiæ de manu Episcopi susceptæ, & eam quam ipsimet consecrabant, comedisse. *Sicut enim*, ait ille, *multæ Ecclesiæ sunt per universum orbem terrarum propter diversa loca, & tamen una est sancta Catholica Ecclesia propter unam fidem: sic & multæ sunt oblatæ propter vota offerentium, unus panis est propter unitatem Corporis Christi. Nam panis ab Episcopo consecratus, & panis à Presbytero sanctificatus in unum & idem corpus transfunditur, propter secretam unius operantis potentiæ virtutem.* Hinc autem suspicor sumendam originem & rationem duplicis panis, qui ab Episcopo in die ordinationis suæ offertur: olim enim uterque consecrabatur, alter pro consecrante & aliis Missæ assistentibus, alter pro prædicta quadraginta dierum Episcopi tunc promoti communione. Si ergo panis consecratus, quem Pontifex Episcopis, Episcopus Presbyteris in Missa ordinationis præbe-

bat, ut ex eo singulis diebus particulam ad communicandum decerperent, nullatenus impediebat quin quotidie sacris operarentur; nemo certè absurdum, aut à moribus Ecclesiæ, pro ut illa ferebant tempora, alienum existimabit, quod Presbyteri Romani accepta à Pontifice Eucharistia, quæ fermentum dicebatur, Missam nihilominus diebus Dominicis agerent, & alium panem oblatum de more à fidelibus consecrarent, atque ex utroque se & alios communicarent. Hæc mea opinio est, quam precor ut expendant viri docti & periti, & si quid certius magisque consentaneum repererint, libentissimè amplectar.

X. quæcunque verò de hac re hactenus scripta sunt, si quis attento animo, & à præjudiciis opinionum libero percurrit, fatebitur, ni fallor, azymorum usum non semper extitisse in Ecclesia occidentali: tum etiam agnoscet multa ab hodiernis ritibus prorsus diversa olim viguisse, quæ nunc legitimâ potestate immutata & antiquata sunt, ita exigente rerum, temporum, & hominum conditione. Quod si usus azymorum perpetuus in Romano Patriarchatu non fuit, inquirendum consequenter videtur, quo tempore & qua occasione introductus sit. Et quidem, quod spectat ad tempus, probabilis mihi semper visa est Sirmondi conjectura, existimantis tunc à Latinis recepta azyma, cum illis opponi tanquam grave crimen à Græcis schismaticis cœperunt. Hoc verò contigit sub Pontificatu Leonis IX. vel paulò ante, thronum Constantinopolitanum occupante Michaële Cerulario, qui primus omnium Latinæ Ecclesiæ azymorum causâ bellum indixit, quem alii postea sequuti Latinos per ludibrium *Azymitas* nuncupabant, eorumque sacrificium hac de causa execrabantur. Quamvis autem annus præcisè assignari non possit, quo panis azymus ad usum sacrificii initium habuit, saltem à scopo non aberrabit, qui illud ad tempus referendum censuerit, quod inter Photium & Cerularium, centum & septuaginta circiter annorum decursu, interceserit. Occasionem verò non sine manifestis indiciis inde natam arbitror, quod, cum paulatim Fidelium sacro assistentium, imò & Clericorum communio desierit; sufficeretque modicus panis pro celebrantis & Ministrorum in Missis solemnibus communione; in privatis verò pro solo sacerdote: cumque populus alicubi vel panem non offerret, vel minus aptum ad sacrificium, sensim factum est, ut ad exiguam quantitatem idem panis redigeretur, ejusque conficiendi cura ad Sacerdotes & Clericos pertineret: & quia azymus faciliùs parabatur, nec ullo canone vetitus erat, hic fermentato substitui cœpit, & per omnes Ecclesias paulatim propagari. Sed hæc clariora evadent, si altiùs perscrutemur, quænam olim panis consecrandi forma seu figura fuerit, & quomodo ad eam, qua nunc utimur deventum sit. A primis autem Ecclesiæ sæculis sumpto principio, cum dira persecutione per illa tempora vexaretur Ecclesia, integros ac solidos panes, quales vel præ manibus erant, vel à fidelibus offerebantur, cujuscumque formæ seu figuræ forent, in altari poni & consecrari, atque in partes comminui, & communicaturis distribui consueviſse, ex re ipsa explor atissimum est. Reddita verò pace servatam figuram rotundam sive orbicularem insinuant Patres Græci, & Latini. Epiphanius *in Ancorato num.* 57. loquens de pane qui in Corpus Christi convertitur, agnoscit in eo rotunditatem. Cæsarius Nazianzeni frater *Dialogo* 3. *de fide Cathol. interrog.* 169. comparans Corpus Christi inter nos degentis cum eodem in sacramento sub specie panis existente, illud ait esse artubus compositum, hoc rotundum. Severus Alexandrinus in *ordine Missæ* hostiam circulum appellat. Eamdem rotunditatem astruunt Patres Concilii XVI. Toletani supra citati. Gregorius *lib.* 4. *Dialogor. cap.* 55. refert Presbyterum quemdam duas secum oblationum coronas detulisse. Oblationibus autem coronæ nomen inditum à rotunditate notat Petrus Urbevetanus in scholiis ad vitam Zephyrini Papæ, qui ibidem constituisse dicitur, ut coronam consecratam de manu Episcopi acciperet Presbyter tradendam populo. Iso Monachus de miraculis S. Othmari Abbatis cap. 3. rotulas panis vocat Oblatas, quæ in ejus sepulchro mirabiliter repertæ sunt. Hanc ipsam figuram confirmant picturæ quæ in antiquis codicibus M. SS. & in parietibus veterum Ecclesiarum non alia forma quàm circulari easdem Oblatas repræsentant. Cruce quoque ac nomine Jesu Christi Salvatoris nostri signatas fuisse testantur Goar *in notis ad Euchologium pag.* 117. Arcadius *lib.* 3. *de Sacram. cap.* 38. & Sirmundus *de azymo cap.* 4. earumque formas æri incisas exhibent. Diversos verò fuisse in diversis ecclesiis Oblatarum characteres, ex Concilio Arelatensi V. discimus, quod anno 554. celebratum fuit: nam cap. 1. statuit: *Ut oblatæ, quæ in sacro offeruntur altario, à Comprovincialibus Episcopis ad formam Arelatensis offerantur Ecclesiæ*: non pro cujusque arbitrio signatæ seu formatæ. At progressu temporis pro signo crucis &

Jesu

Jesu nomine aliæ effigies inductæ sunt, in azymis præsertim quibus hodie utimur, Christi scilicet crucifixi, vel ad columnam alligati, vel è sepulchro emergentis & resurgentis, quas ex diversis partibus orbis sibi transmissas Aloysius Novarinus profert in Agno Eucharistico *cap.* 69. Quo verò tempore cœperint hostiæ eâ formâ cudi, quæ nunc passim viget in omnibus Ecclesiis occidentalibus, ex scriptoribus qui post annum Christi millesimum floruerunt, investigandum est.

XI. Differit de hac re, sed parum distinctè, Honorius in Gemma animæ lib. 1. cap. 66. *Fertur quod olim Sacerdotes à singulis domibus & familiis farinam accipiebant, quod adhuc Græci servant, & inde Dominicum panem faciebant, quem pro populo offerebant, & hunc consecratum eis distribuebant. Postquam autem Ecclesia numero quidem augebatur, sed sanctitate minuebatur; propter carnales statutum est, ut qui possent singulis Dominicis, vel tertia Dominica, vel summis festivitatibus, vel ter in anno communicarent. Et quia populo non communicante, non erat necesse panem tam magnum fieri, statutum est eum in modum denarii formari vel fieri; & ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret, pro quibus traditum Dominum recognoscerent, qui tamen denarii in usum pauperum, qui membra sunt Christi, cederent, vel in aliquid, quod ad hoc sacrificium pertinet.* Et supra *cap.* 35. de eâdem forma panis per modum denarii scribens ait. *Ideò imago Domini cum litteris in hoc pane exprimitur, quia in denario imago & nomen Imperatoris scribitur.* Hæc Honorius qui vivebat anno 1130. Ernulfus item Roffensis Episcopus, qui obiit anno 1124. *Epist. ad Lambertum tomo 2. sæpius laudati Spicilegii*, postquam probavit aliquos Ecclesiæ ritus alio modo cœpisse, & alio modo per ejus incrementa cucurrisse; *Patet*, inquit, *attestantibus scripturis, sacramenta Altaris, quæ jejuni modò accipimus, Discipulis Domini cœnatos accepisse. Patet etiam quod summus de mensa lapidea ac sacrata; illos sumpsisse de mensa lignea, non secundum morem Ecclesiæ sacrata, aut fortasse nulla. Illi panes quotidianos comederunt: nos in forma nummi panem accipimus.* In quibus verbis illud obiter notandum, quod ait Apostolos panes quotidianos comedisse, hoc est communes & fermentatos. His verò antiquior Humbertus Cardinalis in Responsione ad Michaelem Constantinopolitanum, & ad Leonem Acridanum scripta anno 1054. *Ad magnam Christi mensam illum solum adhiberi panem ait, quem Diaconicum subdiaconis, seu ipsi sacerdotes sacris amicti vestibus cum melodia Psalmorum consperstum & in ferro paratum ex secretario proferunt.* Et paulò post. *Nos tenues oblatas ex simila præparatas integras & sanas sacris altaribus superponimus, & ex ipsis post consecrationem fractis cum populo communicamur.* Antiquæ item consuetudines Cluniacenses à S. Uldarico collectæ circa annum 1070. *tom. 4. Spicilegii pag.* 217. communionem moribundi describentes, Sacerdotem ad ecclesiam accedere ajunt, Corpus Domini frangere, & partem quam allaturus est super calicem tenere. Ex quibus testimoniis liquet, etiam post recepta azyma non adeò tenuem fuisse panem, quin frangi posset & dividi in partes, quæ pro adstantium communione sufficerent. Non ergo videntur fuisse Oblatæ viventibus Humberto, & Uldarico per modum denarii; sed ad eam formam redactæ sunt propè finem illius sæculi; cujus rei testem habemus fide dignissimum Bernoldum Presbyterum Constantiensem, quem Trithemius ait ad utilitatem ecclesiasticæ Reipublicæ composuisse volumen, quod prænotavit Ordinem Romanum, claruisse autem anno 1060. Latet hic liber nondum typis editus, sed ex eo nonnulla excerpsit & transtulit in sua Liturgica tacito auctoris nomine Georgius Cassander. Idem tamen *epist.* 114. sic de illo scribit ad Jacobum Pamelium. *Est apud nos libellus quidam justæ magnitudinis, in cujus initio ponitur Ordo quidam Romanus, deinde ejus expositio, cujus Auctor scripsisse se testatur anno Domini* 1089. *quem suspicor esse Bernoldum Presbyterum Constantiensem.* Et bene suspicatus est, contestante Trithemio, & nota temporis non discrepante. Sed sive Bernoldus fuerit, sive alius, proposito nostro satis est, quod labente sæculo undecimo scripserit. Is igitur apud Cassandrum in Liturgicis *cap.* 27. de forma panis sic differit: *Manifestum est cujus mensuræ vel formæ debeant esse sacerdotum Oblatæ, quæ ex pugillo similæ fieri jubentur, & ad speciem coronæ, quod est tertam panis offerre. Mensura pugilli minima est omnium mensurarum, unde possit panis fieri, quæ scilicet mensura legitimo jure constituitur sacerdotibus ad ministerium altaris. Quod si minor mensura quam pugillus non invenitur in tota serie veteris & Novi Testamenti, & si nihil omnino debet fieri intra vel extra templum Domini absque mensura & ratione, videntur Oblatarum minutiæ ad Christum & ad Ecclesiam nihil pertinere, quia sunt absque mensura & ratione.* Hæc & alia plura Auctor ille expositionis Ordinis Romani, quæ se omisisse asserit Cassander ibidem his verbis. *Plura*

*ab eodem Auctore alioquin prudenti, pio, & Ecclesiasticarum traditionum studiosissimo in eam sententiam dicuntur, qui indignissimè tulisse videtur ætate sua in quibusdam ecclesiis Oblatas panis, quæ priscâ Ecclesiæ consuetudine ad usum sacrificii ad mensam Domini à populo fideli offerebantur, ad imaginem nummorum, & ad tenuissimam quandam & levissimam formam à veri panis specie alienam fuisse redactas: quare per contemptum minutias nummulariarum oblatarum appellat, imaginariam & umbratilem levitatem illis tribuit, & indignas esse panis vocabulo pro sua tenuitate; ac propter eas officium atque religionem Ecclesiastici officii multum per omnem modum confundi asserit, pluribusque & acerbioribus dictis eas insectatur, quæ omnia ut ascribam expedire hoc loco non putavi.* Et revera necessarium non fuit, ex supradictis enim, cumulatiùs quàm oporteret, habemus hujus scriptoris ætate cœpisse hostias, quibus nunc utimur, jam usu azymorum introducto, quæ acrius à Græcis impugnata fuissent, si formam nummi ab initio accepissent. In hac autem re credibile est majores nostros paulatim & per gradus processisse: nam vivente Humberto & pro azymis scribente, panis, ut diximus, tantæ erat mgnitudinis, ut ex eo consecrato tot particulæ frangi possent, quot erant necessariæ ad populum communicandum. Postea interjectis quadraginta ferè annis, cum præcitata Ordinis Romani expositio scripta est, ad hanc minimam formam redactus est, quam utpote novam & tunc incipientem scriptor ille tanta acerbitate insectatur. Quia verò novitates in Monasteriis à frequentia hominum remotis seriùs innotescunt, non statim à Monachis hujusmodi oblatæ nummulariæ receptæ sunt, ut ex earum forma in quibusdam Ritualibus præscripta evincitur: quod in aliis etiam ecclesiis contigisse evidens est; nam Petrus Abbas Cluniacensis, qui doctrina & sanctitate claruit anno 1150. *lib. 1. Miracul. cap. 5.* scribit hominem quemdam, qui Corpus Domini indignè susceperat, nunquam illud trajicere potuisse, *sed frustra omnia*, inquit, *comminuti Corporis Christi cum vino, quod susceperat, in vas quod ori suppositum fuerat, refundere coactus est.* Ex quo patet talem fuisse tunc panem, ut deglutiri non posset, nisi dentibus comminutus. Denique eodem tempore, quo nummulariæ Oblatæ introductæ fuerunt, præter oblatam majorem pro Sacerdote, aliæ item minores pro communione populi sunt institutæ, quæ licet integræ consecrentur, & singulis integræ porrigantur, nomen tamen particularum ex antiqua consuetudine retinuerunt.

XII. Simili modo in panis consecrandi præparatione diversi gradus pro temporum diversitate servati sunt. Primorum enim sæculorum mos fuit panem communem & propriis usibus paratum offerre & consecrare. Pacato postmodum Ecclesiæ statu placuit Patribus non vulgares panes, sed studio ad id paratos adhiberi. De S. Radegunde Regina legimus, quod oblatas manibus suis factas locis sacris dispensabat. Concilium Toletanum XVI. sancivit, ut non aliter panis in altari sanctificandus proponatur, nisi qui studio fuerit præparatus. Theodulfus Aurelianensis in suo Capitulari panes in sacrificium offerendos nitidè & studiosè fieri mandat; atque diligenter observari statuit, ut tam panis quàm vinum & aqua mundissimè tractentur, nihilque vile, nihil non probatum in his inveniatur. S. Wenceslaus Dux Bohemiæ in magno Belgii chronico laudatur, quod spicas propria manu colligeret, excuteret, & ex his panem sacrandum formaret. Nullo autem loco studiosiùs, quam in Monasteriis idem panis parabatur. Modum hîc breviter describam ex statutis Monachorum à B. Lanfranco Archiepiscopo Cantuarienfi collectis *cap. 6.* & ex antiquis consuetudinibus Cluniacensium à Luca Dacherio editis *tom. 4. Spicilegii*, atque ex aliis Monachorum Ritualibus. Et primò quidem frumentum quantumvis purum granatim eligebant, lavabant, & in sacculo mundo ad hoc solum opus destinato ponebant, honestoque famulo dabant, qui deferret ad molendinum. Tum hic lavabat molam, aliudque frumentum prius frangi curabat, ut sine aliqua sorde moleretur. Exinde reportabat farinam, quam Secretarius, sive, ut nunc loquimur, Sacrista indutus alba & amictu, cribro prius abluto & extensa circum cortina cibrabat. Demum Sacerdotes seu Diaconi alba induti, lotisque manibus, & psalmos recitantes, farinam aqua consperfam in vase nitidissimo coagitabant, igneque succenso lignis aridis ad hoc de industria præparatis hostias coquebant, summa cura caventes, ut nec proprius quidem flatus ad eas pertingeret. Tanta in illis erat erga panem consecrandum reverentia; tam severa & anxia in eo conficiendo sollicitudo. Venit hic in mentem dictum Tertulliani sæpius citatum lib. de corona militis cap. 3. *Calicis aut panis, etiam nostri, aliquid decuti in terram anxiè patimur.* Etiam nostri, inquit, id est communis & domestici, qui apud Christianos in summo semper honore fuit, quod

ex

ex eo Eucharistia conficiatur. Memini etiam me legisse peculiares olim vineas Ecclesiæ traditas, ut ex illis optimum vinum fieret in usum sacrificii. S. Remigius, teste Flodoardo *lib. 1. hist. Remens. cap. 18.* vineam reliquit, ut inde vinum diebus Dominicis, & aliis festis sacris altaribus offerretur. Ibas Edessenus in synodo Berytensi accusatus fuit quod vinum vile in usum sacrificii præberet. Qui verò sint hodierni mores in panis & vini præparatione; nimis notum omnibus est, nec me oportet in his enarrandis inutiliter occupari. Cæterùm panis & vini duplex est præparatio: una remota, de qua hactenus actum est; altera proxima, cum sacrificii instat celebratio. Hæc à Latinis in sacrario peragitur quod attinet ad panem, posita hostia super patena, additisque particulis pro his, qui sacræ communionis participes esse volunt. At vinum & aqua calici infunduntur cum oratione & benedictione immediatè * ante offertorium, qui ritus suo loco explicabitur. Græcos quoque eamdem præparationem quondam in Scevophylacio sive sacrario peregisse docet Goar in notis ad Liturgiam Chrysostomi *n. 22.* At ex Liturgiis quibus hodie utuntur, & ex communi eorum praxi constat manifestè, tàm panem quàm vinum in prothesi ab illis, sive in minori altari, præparari; priusquam Sacerdos & Ministri ad Sanctum Bema, quod est majus altare, sacris vestibus induti procedant. Olim cum panis fermentatus erat & justæ magnitudinis, dissectis ex ipso tot partibus, quot erant necessariæ ad sacrificium & ad fidelium communionem; ipsius residuum in alias partes scindi, & his qui non communicaverant in fine Missæ distribui solebat, qui ritus adhuc permanet in Ecclesia Orientali. Eulogiam vocant Græci, sive benedictionem; & Antidoron, quia datur loco doni, sive Eucharistiæ, quæ à sanctis Patribus donum nuncupatur. Eulogiæ nomen pro ipsa Eucharistia quandoque usurpatum reperitur, ut à Cyrillo Alex. epist. ad Nestorium: *Accedimus ad mysticas Eulogias & sanctificamur, participes facti sacræ carnis & pretiosi sanguinis omnium nostrum Salvatoris Christi*: & à Maximo martyre ad cap. 3. Eccl. hier. *Elevans Sacerdos sacrum panem, ostendebat Eulogiam dicens, Sancta Sanctis.* Frequentiùs tamen ab ea distinguitur, tamquam id quod ejus vices aliquo modo supplebat. Hoc concilium Nannetense indicat c. 9. decernens, ut Eulogiæ in fine Missæ iis, qui communicari parati non fuerint, distribuantur. Quod decretum quidam Canonum collectores S. Martyri & Pontifici Pio perperam tribuunt, non considerantes epistolam ejus, è qua sumitur, esse supposititiam: nec advertentes secundo sæculo, quo ille vixit, nondum fuisse Eulogias in Ecclesia, de quibus Tertullianus, Cyprianus, & alii æquales silent, quia quicumque tunc aderant sacrificio communicare solebant; Eulogiæ autem institutæ sunt, ut his darentur, qui mysteriorum participes fieri aut non poterant, aut nolebant. Earum meminit Nazianzenus *orat. in funere Patris.* Concilium quoque Laodicenum paulò ante Nicænum sub S. Silvestro celebratum c. 14. prohibuit, ne sancta instar Eulogiarum in festo Paschæ ad alienas parœcias mitterentur: ubi Balsamon in scholiis Latini ritus ignarus Latinos calumniatur, ac si panem consecratum perinde ac communem distribuerent. Vera autem hujus canonis expositio ex veteris Ecclesiæ consuetudine sumenda est. Tanta enim erat mutuæ unionis & societatis inter fideles religio & zelus, ut si omnes de uno & eodem pane ab eodem Sacerdote consecrato participare potuissent, id libentissimè in toto terrarum orbe feciissent, quo sic ostenderent se omnes in Christo unum esse. Ideò non solùm Romanæ, sicut suprà diximus, sed aliarum etiam quarundam Ecclesiarum usus fuit, ut ab Ecclesia primaria civitatis ipsa Eucharistia ad singulas parœcias ab Episcopo mitteretur, quatenùs scirent omnes, qui ab uno Episcopo regebantur, se cum illo unum corpus efficere. Id in Paschali festivitate fieri vetuit synodus Laodicena, vel quia oporteret omnes Presbyteros ea die Episcopo celebranti cum plebe sibi commissa adstare, & ritu tunc usitato cum eodem celebrare: vel alia de causa nobis ignota. Cætera, quæ de Eulogiis, earumque usu ac distributione dicenda forent, plenius Lib. II. pertractabimus, cùm de Communione disseremus.

* *f. Post.*

## CAPUT XXIV.

*De sacris indumentis Sacerdotum, Pontificum, & Ministrorum. Peculiares vestes easque pretiosas sacrum agentibus in usu semper fuisse. Quis olim earum color. Locus in quo condebantur, ejusque nomina. Diaconicon, Scevophylacion, Pastophorion, Vestiarium, Salutatorium. De singulis vestimentis seorsum agitur.*

I. SAcerdotem sacris operaturum non communi, & quotidiano habitu, sed alio peculiari,

liari, & augustiore uti oportere, notissimum est: quem ritum catholica Ecclesia ab Apostolis acceptum usque ad nostram transmisit ætatem, quamvis in vestium numero & forma aliquid fuerit successu temporis immutatum. Præcesserat hujus rei typus in veteri testamento, nam Sacerdotibus & Levitis specialia vestimenta certis ritibus & cæremoniis consecrata in usu erant, cum legales Deo victimas immolabant; quorum antitypum in Ecclesia reperiri congruum fuit, ut habeant legales umbræ aliquid sibi respondens non solum in cœlestibus exemplaribus, ad quæ jussit Deus omnia fieri; sed etiam in rebus nostris, quæ, ut ait Dionysius in ecclesiastica Hierarchia, partim sunt typi cœlestium, partim Mosaicarum umbrarum corpora, testante Apostolo *ad Hebr.* 10. quod habuerit lex umbram futurorum. Imò etiam in lege naturæ propria fuisse sacerdotibus indumenta, cum sacrificia Deo offerrent, auctores graves asseverant: & Hupertus Abbas *lib. de incendio oppidi Tuitiensis cap.* 16. postquam dixit juri primogeniti annexam fuisse sacerdotii dignitatem, ad ipsum spectasse putat vestes Esau valde bonas, quibus Rebecca induit Jacob, cum simulans fratris personam benedictionem ei surripuit. Huc autem pertinet Penula à Paulo Troade relicta, quam fuisse vestem sacerdotalem suo loco indicabo. Huc lamina, seu mitra episcopalis, quam gestasse Joannem Evangelistam Polycrates Ephesi Episcopus auctor est apud Eusebium *lib.* 3. *hist. cap.* 31. Huc infulæ, quarum meminit Tertullianus *lib. de Monogamia cap.* 12. Huc querelæ Optati Milevitani de profanatis à Donatistis Ecclesiæ ornamentis. Huc Stephani I. decretum, qui, ut ait Anastasius, sacerdotes & Levitas vestibus sacratis in usu quotidiano non uti, nisi tantùm in Ecclesia constituit. Huc tunica, qua Presbyter Nepotianus in ministerio Christi utebatur, quam sibi relictam Hieronymus scribit *in epist. de ejus morte ad Heliodorum.* Huc ejusdem Hieronymi testimonium in cap. 44. Ezechielis, ubi ait: *Religio divina alterum habitum habet in ministerio altaris, alterum in usu vitaque communi.* Huc deniq; exempla divinæ ultionis referenda adversùs eos, qui sacris vestibus abusi sunt, qualia legimus *lib.* 1. *Wandalicæ persecutionis*, apud Victorē de Proculo, qui cum divina ministeria, & Ecclesiæ ornamenta profanasset, sibi linguam frustratim comedens turpissima morte consumptus est: & apud Theodoretum *lib.* 2. *hist. Eccl. cap.* 27. de Thymelico saltatore, qui vestem sacram in theatro gestans expiravit. Serica autem, atque auro argentoque contexta hæc indumenta ut plurimùm fuisse, præsertim post Constantinum ex vitis summorum Pontificum apud Anastasium, qui eorum donaria recenset, & ex aliis scriptoribus haud obscurè colligimus: neque enim credimus aliquid vile aut indecorum divini sacrificii usibus adhibuisse fideles, qui omnia ad ipsum spectantia summa & incredibili veneratione prosequebantur. De colore nihil memini me legisse, nisi quod candidi in festis Paschalibus mentio fit à Gregorio Turon. in vita S. Nicetii Lugdunensis Episcopi: & nigri à Theodoro lectore, qui *lib.* 1. *Collectan.* refert Acatium Constantinopolitanum seipsum, & sedem, & altare nigro amictu operuisse in signum mestitiæ ob impium edictum adversùs synodum Chalcedonensem a Basiliseo Imperatore anno. 476. promulgatum. Hieron. quoque *lib.* 1. *adv. Pelagianos* candidæ vestis usum commemorat dicens, *Quæ sunt rogo inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem? Si Episcopus, Presbyter, Diaconus, & reliquus ordo Ecclesiasticus in administratione sacramentorum candida veste processerint?* Fidelium verò tanta fuit, ut dixi, erga ipsas vestes & pallas altaris reverentia, ut mulieribus eas contingere vetitum sit c. 37. concilii Antisiodorensis, imo nec ingredi quidem in Secretarium, in quo illæ conservabantur, nisi soli ministri sacrati poterant, sicut præcipit canon 66. concilii Agathensis. Et ne quis auderet in proprios usus eas tranferre, aut aliis vendere vel donare; idque sub pœna excommunicationis prohibuit concilium III. Braccarense *can.* 2.

II. Locus, in quo indumenta & vasa sacra reconduntur, à Græcis *Diaconicon, Scevophylacion, Pastophorion*; à Latinis *Vestiarium, Secretarium, Sacrarium*, & barbara voce *Sacristia* nuncupatur. Diaconici nomen passim hoc sensu reperitur in Euchologio: & Simeon Thessalonicensis describens Episcopi sacris vestibus induti comitatum usque ad altare; *Educitur*, inquit, *è Diaconico, & Diacono ipsum præcedente, & deducentibus Presbyteris duobus per portam templi dexteram & soleam iter agit usque ad sanctum Bema*, id est altare. Scevophylacii, & Scevophylacis, id est custodis sacræ supellectilis mentio est apud Balsamonem in Nomocanonem Photii *tit.* 2. *cap.* 2. apud eumdem Simeonem Thessalonicensem *lib. de templo*, & apud illos qui de dignitatibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ differunt. At hodie Græci non in Diaconico, sed in ipso Bemate sacris vestibus ad peragenda divini officia induuntur: nec ullum habent Scevophylacion junctum Ecclesiæ, quia sacra vasa & vestimenta in propriis ædibus, vel in loco tutiori

tutiori conservant, ut Leo Allatius observat in dissertatione *de Templis Græcorum recentiorum*. Pastophorium legimus 1 *Machab. cap.* 4. & 3. *Esdræ c.* 8. Radevicus Frisingensis lib. 4. de gestis Friderici cap. 13. *Vulpes*, inquit, *& Lepores Pastophoria Ecclesiæ & officinas canonicorum ingressæ*. De Vestiario hæc habentur in ritu antiquo Missæ apud Menardum pag. 273. *Sacerdos in vestiario, cæteriqueMinistri sanctis vestibus juxta ordinem induantur*. Et in restitutione Ebbonis Remensis in notis, *Ductus est Ebbo Episcopus in vestiarium, & indutus episcopalibus vestimentis, similiter & alii Episcopi processerunt cum eo ad celebrationem Missæ*. Secretarii vox passim occurrit in vitis Pontificum, ex quibus aliqui sepulti dicuntur prope Secretarium. Fortunatus in vita S. Radegundis, *Intrans in Secretarium Monachæ veste induitur*. Sacrarium sic definitur ab Ulpiano l. 1. Digestorum tit. 8. *Est locus in quo sacra reponuntur*. Sumitur aliquando pro Presbyterio, quod solis Sacerdotibus, sacrisque Ordinibus initiatis pervium, sæcularibus inaccessum erat. Appellatur & Receptorium à Sidonio Apollinari *l.* 5. *epist.* 17. *Et nuntiatum est progredi Episcopum de Receptorio*, ad sacrum scilicet faciendum. In Conc. Matisconensi I. c. 2. Salutatorium vocatur. Et Gregorius Magnus *lib.* 4. *epist.* 54. usum Pallii præscribens Mariniano Ravennæ Archiepiscopo, *Quo non aliter*, ait, *uti memineris, nisi in propria tuæ civitatis Ecclesia, dimissis jam filiis procedens à Salutatorio ad sacra Missarum solemnia celebranda: peractis verò Missis idem in Salutatorio curabit deponere*. Ex eo autem quod dicit, *dimissis jam filiis*, illorum temporum consuetudinem intelligimus. Solebant enim Episcopi ante Missarum celebrationem in ipso loco sedere, & salutationes fidelium excipere, qui se illorum orationibus commendabant, aut aliquod negotium ipsis communicabant: quibus dimissis, sacris vestibus induti ad altare procedebant: atque hinc factum est, ut idem locus Salutatorium diceretur. Hoc & Presbyteri faciebant, teste Severo Sulpitio *lib.* 2. *Dialog. cap.* 1. ubi ait sedisse Presbyteros in Secretario, vel salutationibus vacantes, vel audiendis negotiis occupatos, dum interim S. Martinus eo munere fungi detrectans sibi soli vacaret. Ejusdem salutatorii meminit Gregorius Turonensis *libro* 2. *hist. Franc. c.* 21. *& l.* 7. *c.* 22. in utroque loco indicans Episcopos ac Presbyteros interdum in eo mansionem habuisse. Græci sacerdotes, quoties rem divinam acturi sacra sumunt indumenta, ea solent benedicere & osculari, ut ex ordine Liturgiæ S. Johannis Chrysostomi constat: nec in eorum Euchologio ulla extat oratio ad ipsa semel & universim cultui divino dedicanda. At verò Latini postquam ea præscriptis verbis benedixerunt, benedictionem non repetunt; sed amictum dumtaxat; manipulum, & stolam in medio, ubi crux assuta vel texta est, osculantur. In Missa tamen veteri, quam ex codice Ratoldi Abbatis Corbiensis libro Sacramentorum S. Gregorii addidit Menardus, Episcopus sacris operaturus singula indumenta benedicit, deferente ea ministro & ante singula rogante, ut ipsa benedicat, sicut fert Græcorum mos. His præmissis ad omnia singillatim enucleanda transeundum est, eo ordine quo indui solent, à sacerdotalibus ducto principio, quæ sunt sex, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola & Planeta.

### *De Amictu, ejusque usu & nominibus. Dictus olim Anaboladium.*

III. PRima vestis, quam sacerdos sumit, est Amictus, qui primum capiti, deinde humeris injicitur. Antiquus scriptor de ritibus veteris Ecclesiæ sub nomine Caroli Magni, *Post sandalias in Ecclesiæ vestimentis sequitur superhumerale, quod fit ex lino purissimo*. Amalarius l. 2. cap. 17. *Amictus est primum vestimentum nostrum, quo collum undique cingimus*. Rupertus Abbas l. 1. de div. off. cap. 19. *Sacerdos in officio altaris Amictu caput suum obnubit*. Gemma animæ lib. 1. cap. 201. *Hinc humerale, quod in lege* Ephod; *apud nos Amictus dicitur, sibi imponit, & illo caput & collum & humeros, unde & humerale dicitur, cooperit, & in pectore copulatum duabus vitis ad mammillas cingit*. Sunt quidam, qui Amictui ex holoserico vel aurea textura plagulam assuunt colori & opificio casulæ sive stolæ consimilem; sed hujus assumenti nullum vestigium reperio apud antiquos scriptores. Ambrosiani tertio loco Amictum sumunt post Albam & Cingulum. Varia ei nomina tribuuntur, nam sicut vidimus, Humerale vocatur, & per analogiam ad legalium sacerdotum indumenta, *Ephod*, quia ut Hieronymus docet *epist.* 128. *ad Fabiolam*, ubicumque in Exodo seu Levitico Superhumeralelegitur, apud Hebræos *Ephod* appellatur. An verò Amictus noster idem prorsus sit cum Ephod veteris legis, quæstio anceps est, quam tractat Saussaius *Panopliæ Sacerdotalis parte* 1. *l.* 1. *c.* 2. In Ordine Romano *Ambolagium*, rectiùs autem Anabolagium, sive *Anaboladium*

nuncupatur: Anabole enim Græcè idem est ac Latinè Amictus. Isidor. lib. 19. Orig. cap. 25. *Anaboladium*, inquit, *amictorium lineum fœminarum, quo humeri operiuntur.* Eadem voce utitur Ambrosius *lib. de benedictionibus Patriarcharum*, nam ubi nos legimus Gen. 49. *Lavabit in sanguine uvæ pallium suum*, ipse legit *Anaboladium suum.* S. Columba Virgo, cujus vita breviter recensetur in Martyrologio Gallicano *die ultima Decembris*, ut à satellitibus spatium orandi ante Martyrium impetraret, dedit eis Anabolarium suum, quod pallii sericei genus Saussaius interpretatur.

### *De Alba & Cingulo. Albæ nomen unde. Dicta etiam Camisia. Lineæ tunicæ usus apud Ethnicos.*

LInea tunica talaris erat prima vestis sacerdotalis in veteri Testamento, quæ nobis secunda est. Græcè *Poderis* dicitur, quia descendit usque ad pedes, quos illi podas vocant. Paulinus Tyriorum episcopus orat. habitam in templi dedicatione apud Eusebium *lib.* 10. *cap.* 4. sic exorditur. *Amici & sacerdotes Dei, qui podere induti estis*, sacra scilicet tunica talari, ut Latinus interpres loquitur. A scriptoribus ecclesiasticis Alba à colore nuncupatur: cujus nominis mentio fit in concilio Carthaginensi sub Anastasio I. *can.* 41. quo præcipitur, ut Diaconus tempore tantùm oblationis vel lectionis Alba utatur. Et in Narbonensi sub Pelagio II. ubi decernitur, ne Diaconus aut subdiaconus vel lector, antequam Missa consummetur, Alba se præsumat exuere. Legitur quoque in Ordine Romano, & in tractatu de ritibus Ecclesiæ, quem sub nomine Caroli Magni edidit Wolfangus Lazius. Alii Camisiam vocant. Amalarius lib. 2. cap. 18. *Postea Camisiam induimus, quam Albam vocamus.* Isidorus lib. 19. originum cap. 21. *Poderis est tunica sacerdotalis linea corpori astricta usque ad pedes descendens. Hæc vulgò Camisia vocatur.* Et cap. sequenti, *Camisias*, inquit, *vocamus, quod in his dormimus in Camis, id est in stratis nostris.* Camisiæ igitur nomen ei tributum, quia similis est tunicæ lineæ interiori, qua utimur in camis, id est in lectulis nostris. Camas enim dixerunt Græci strata humilia, & terræ propiora. Anastasius in vita Benedicti III. inter donaria, quæ Rex Saxonum misit Ecclesiæ S. Petri, enumerat *Camisias albas sigillatas holosericas cum chrysoclavo.* Camisias autem auro clavatas non ad ornatum templi, ut credidit Casaubonus, sed ad usum Sacerdotum sacrificantium comparatas observavit Ferrarius *lib.* 3. *de re vestiaria c.* 5. Neq; enim hîc agitur de tunicis lineis interioribus; in quibus aurum mitti Alexander apud Lampridium dementiam judicabat propter auri rigorem & asperitatem; sed de Camisiis, quæ super alias vestes injiciuntur, in quibus auri rigor & asperitas gestantibus non est incommoda. Ordo Romanus, ubi loquitur de episcopi consecratione, *lineam* sine addito vocat dicens, *Induunt eum lineam & cingulum.* Lineam verò tunicam etiam ab Ethnicis in sacris adhibitam testatur Apulejus in Apologia, *Mundissima lini seges inter optimas fruges terra exorta, non modo indutui & amictui sanctissimis Ægyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris usurpatur.* Idem *fabulæ Milesiæ lib.* 2. sacerdotes describit lineæ vestis candore puro luminosos. De sacerdotibus Isidis nota sunt Ovidii carmina:

*Nec tu linigeram fieri quid possit ad Isim*
*Quæsieris.*

Et alibi:

*Nunc Dea linigerâ colitur celeberrima turbâ.*

Pythagorici quoque lineis vestibus utebantur, ut docet *Schefferus lib. de Italica Philosophia cap.* 14. de cujus rei causâ interrogatus Apollonius apud Philostratum *lib.* 8. respondit, *Quia me terra quæ alit, etiam vestit.* Et paulò post. *Vestem quam à morticinis plerique ferunt non puram esse ratus Pythagoras, linea veste usus est.* Porrò Alba ne defluat & gressum impediat cingulo stringitur, quod in lege baltheus, à Græcis Zona dicitur. De ejus profano usu multa congerunt Saussaius *lib.* 3. *citatæ Panopliæ*, & Ferrarius *lib.* 1. *de re vestiaria.* Varias autem cingulorum formas describit Isidorus *lib.* 19. *Originum cap.* 33.

### *De Manipulo. Olim Mappula, Sudarium, Fanon. Ejus forma, & usus.*

V. MAnipulus posterioris ævi additamentum est, neque in antiquis Ritualibus commemoratur, nec à priscis Patribus inter sacras vestes recensetur. Erat autem lintea sindon sive mappula brachio sinistro alligata, qua sudor & sordes abstergebantur, ut illi passim testantur, qui de divinis officiis tractatus ediderunt. Alcuinus. *Mappula, quæ in sinistra parte gestatur, qua pituitam oculorum, & narium detergimus, præsentem vitam designat, in qua superfluos*

*fluos humores patimur.* Amalarius lib. 2. cap. 24. *Sudarium ad hoc portamus, ut eo detergamus sudorem. In manu sinistra portatur, ut ostendatur in temporali vita tædium nos pati superflui humoris.* Robanus Maurus lib. 1. de Instit. Clericorum cap. 18. *Quartum Sacerdotis indumentum Mappula sive mantile est, quod vulgo Fanonem vocant.* Est autem Fano vox Saxonica, quæ expansum vel extensum significat, ut docet Vossius *lib. 2. de vitiis serm. cap. 7.* In Ordine Romano qualiter Missa celebretur: *Deinde Subdiaconus regionarius ponit Mappulam in sinistro brachio Pontificis super planetam.* Tempore Gregorii Magni soli clerici Romanæ Ecclesiæ Mappulis utebantur: Sic enim ille loquitur *lib. 2. epist. 54.* ad Joannem Archiepiscopum Ravennatem. *Illud autem quod pro utendis à clero vestro Mappulis scripsistis, à nostris est Clericis fortiter obviatum, dicentibus nulli hoc unquam alii cuilibet ecclesiæ concessum fuisse. Sed nos servantes honorem fraternitatis tuæ, licet contra voluntatem antedicti cleri nostri, primis Diaconibus vestris in obsequio dumtaxat tuo Mappulis uti permittimus: alio autem tempore, vel alias personas hoc agere vehementissimè prohibemus.* Duravit autem hic Mappulæ sive sudarii lintei usus, donec in locum ejus Manipulus, non ad tergendas sordes, sed ad ornatum suffectus est; qui propterea ejus materiæ & texturæ est, ex qua stola & planeta fieri solent. Hanc verò mutationem mappulæ in manipulum sæculo decimo factam conjicio: nam Alcuinus & Amalarjus, qui sæculo nono vixerunt, mappulis usum tunc viguisse ostendunt. Manipuli autem mentio fit in veteri Missa ex codice Ratoldi Abbatis Corbeiensis apud Menardum, qui Ratoldus vixit anno 980. Olim, ut apparet ex antiquis picturis, ejus forma longior erat & strictior, vix duos pollices excedens, quemadmodum & stola, & linea utrimque æquali à summo ad imum limbum defluebat: nec erat extrema pars latior, sicut nunc est. Quod verò Manipulus proprium subdiaconi indumentum, ut Scholastici existimant, veteri usu non fuerit, argumento esse inter cætera potest, quod illo uterentur, qui nullo ordine initiati erant. Testis est Lanfrancus Cantuariensis *epist. 13.* dicens: *In cœnobiis Monachorum etiam Laici cum Albis induuntur, ex antiqua Patrum institutione solent ferre Manipulum.* Verum hæc consuetudo, ut in notis ad eandem epistolam vir eruditus Lucas Dacherius observat, abrogata postmodum fuit in concilio Pictavienſi sub Paschali. II. c. 5. *Ut nemo Monachorum deinceps Manipulis utatur, nisi fuerit subdiaconus.* Manipulo nostro respondet apud Græcos *Epimanicion*, de quo agit Goar in notis ad Chrysostomi Liturgiam *num. 12.* Cùm Planeta totum corpus ambiret, ut mox videbimus, ea super brachia duplicata & triplicata, ut Gemma animæ ait *lib. 1. cap. 207. & 208.* Manipulus extremo loco brachio expedito imponebatur: qui ritus tunc omnibus Presbyteris communis, nunc in solis Episcopis remansit, quibus peracta confessione à Ministris imponitur; quia prisco more post confessionem casula elevari solebat.

*De Stola. Quid fuerit apud veteres Ethnicos, Judæos, Christianos. Cur nostra hoc nomen tributum. De palla linostima. Stola olim Orarium. Quædam de hoc, ejusque usu sacro & profano.*

VI. STolæ nomen apud profanos scriptores tam Græcos à quibus fluxit, quàm Latinos, muliebrem vestem significat ad talos usque demissam. Unde Cicero mores effœminatos Marci Antonii redarguens *Philip. 2.* ait, *Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti.* Erat autem propriè matronarum vestimentum, ut docet Ferrarius *de re vestiaria lib. 3. cap. 17.* adeò ut impudicæ mulieris nota foret brevior tunica, & Tertullianus *lib. de Pallio. cap. 4.* inter signa ejuratæ pudicitiæ recenset matronam in publico sine stola. Interdum tamen sumptam legimus pro quolibet genere vestimenti, Regum, Sacerdotum, & Privatorum. Nam *Genes. 41.* cùm Pharao constituit Joseph super universam terram Ægypti, vestivit eum stola byssina: & ipse Joseph *Genes. 45.* singulis fratribus suis proferri jussit binas stolas; Benjamin verò dedit quinque stolas optimas. In libro quoque Esther *cap. 6.* cum dixisset Aman, eum quem Rex honorare vellet, debere indui vestibus regiis: tum sequitur tulisse stolam, & induisse Mardochæum. Filium item prodigum ad se revertentem jussit Pater indui stola prima, eximia scilicet, & omnium quæ domi erant pretiosissima. Zozimus *lib. 4.* ait Julianum concessisse Procopio, ut regiam stolam haberet: & Diodorus Siculus *lib. 2.* narrat, Arbacem, qui primus ex Medis Assyriorum imperium defuncto Sardanapalo occupavit, indutum regia stola Regem appellatum fuisse. De stola summi Sacerdotis in lege veteri agit Josephus *lib. 15. Antiquit.*

*quit. cap.* 14. *& lib.* 18. *cap.* 6. Sacerdotes item ſtantes ante altare cum ſtolis Sacerdotalibus commemorat lib. 2. Machabæorum cap. 3. Zozimus *lib.* 4. loquens de titulo Pontificis Maximi Imperatoribus olim tributo ait. *ſimul ac ſummum Imperium quiſque conſequebatur, ſtola Sacerdotalis ei offerebatur à Pontificibus, & continuò Pontificis Maximi titulus ei tribuebatur*: tùm refert Gratianum eam ſtolam ſibi oblatam averſatum fuiſſe, quod illicitum exiſtimaret Chriſtianum eo habitu uti. Stolæ formam exprimit Zenophon *lib.* 8. *Cyripæd.* his verbis. *Elegit itaque ſtolam Medorum & ipſe ferre, & ut familiares ea induerentur perſuaſit. Hæc enim viſa eſt ea occultare ſi quis defectum aliquem haberet in corpore*: quia nimirum totum corpus tegebat præter caput & collum. Simili modo deſcribit ſtolam Sacerdotalem S. Germanus Conſtantinopolit. *in Theoria Liturgiæ*, quam eſſe ait ignicolorem, dimiſſiam uſque ad pedes inſtar poderis Aaron. Nec dubito, quin talis fuerit ſtola illa auro contexta, quam ſcribit Theodoretus *lib.* 2. *hiſt. cap.* 27. à Conſtantino Magno donatam Macario Epiſcopo Hieroſolymitano, ut ea indutus divini baptiſmatis miniſterium perficeret, à Cyrillo autem venditam, ut illi adverſarii objiciebant. Et hæc quidem erat ſtolæ forma apud veteres Ethnicos, Judæos, Chriſtianos: at nunc ſtola noſtra non veſtis, ſed veluti torques eſt à collo per humeros ad pectus pendens, & uſque ad genua protenſus. Quod ſanè ornamentum, quando cœperit à ſacerdotibus in ſacris adhiberi, & cur ei ſtolæ nomen tributum ſit, ſolerti indiget diſquiſitione. Quidam ævo Apoſtolorum cœpiſſe ſcribunt, eo quod legerint ſtolam S. Jacobi Apoſtoli miſſam fuiſſe à Theodoſio Hieroſolymorum Epiſcopo ad S. Ignatium Conſtantinopolitanum; & ſtolam ſancti Stephani Protomartyris à Marcario item Hieroſolymitano datam Heleñæ Auguſtæ, & ab ea Veſontionem tranſmiſſam. Sed hos ſcriptores vocis æquivocatione deceptos evidens eſt; ſtola enim illorum temporum, ut ex dictis conſtat, veſtis oblonga erat totum corpus ambiens, nihilque habet commune cum ſtola hodierna præter nomen. Durandus in Rationali *lib.* 3. *cap.* 5. ſtolæ initium ad illud tempus refert, quo Alba deferri cœpit. *Notandum*, inquit, *quod antiquitus ſtola erat veſtis candida pertingens uſque ad veſtigia, qua Patriarchæ utebantur ante legem: quam primogeniti, cum benedictionem Patris acciperent, induebant, & Domino victimas ut Pontifices offerebant. Sed poſtquam Alba cœpit portari, mutata eſt in torquem.* Hæc tamen levis conjectura eſt, & nos certiora hujus rei indicia dabimus ex Conciliis mox referendis. Unde autem nomen ſtolæ huic ornamento? An quia ſucceſſit veteri ſtolæ, ut innuit Durandus? An potius deducta eſt nomenclatura à faſcia, quæ in limbo ejus veſtis aſſuta erat, quæ olim ſtola dicebatur, retento totius veſtis nomine in parte quadam illius? Ita conjicit, & mea quidem ſententia probabiliter, Vincentius Riccardus *in Commentariis ad orationem ſextam ſancti Procli.* In extrema namque parte antiquæ ſtolæ, ut obſervat Bayſius *de re veſtiaria c.* 17. aſſuta erat faſciola ſeu limbus ipſam veſtem ambiens, cui cum ſit valde ſimilis hodierna ſtola, hinc fieri potuit, ut hoc illi nomen tributum ſit. In actis ſancti Silveſtri, quæ Damaſo adſcribuntur, ab eo conſtitutum legimus, ut Diaconi Dalmaticis in eccleſia uterentur, & pallâ linoſtimâ læva eorum tegeretur: Zoſimus item conſtitutum feciſſe dicitur, ut Diaconi lævas tectas haberent de pallis linoſtimis; ubi fortè legendum linoſtema, id eſt, ex lino & lana contexta, quæ ut ait Iſidorus *lib.* 19. *Orig. cap.* 22. dicta eſt linoſtima, quia in ſtamine linum; in trama lanam habet. Nomine autem hujus pallæ nihil commodius intelligi poteſt, quam ſtola Diaconalis, quæ in humero ſiniſtro ab ipſis defertur ad differentiam ſacerdotalis à collo ante pectus pendentis. Stolæ item mentio fit ſub nomine Orarii, in concilio Laodiceno tempore ejuſdem Silveſtri habito *cap.* 22. & 23. quibus Subdiaconis & Lectoribus prohibetur ne Orariis utantur. Ex quo duplici teſtimonio infertur, ante annos mille & trecentos uſum ſtolæ in eccleſia invaluiſſe.

Porrò nomine Orarii ſtolam, qua nunc utimur, intelligi, omnes eccleſiaſtici ſcriptores teſtificantur. Gemma animæ lib. 1. cap. 204. *Deinde circumdat collum ſuum ſtola, quæ & Orarium dicitur.* Rabanus Maurus lib. 1. cap. 19. *Quintum eſt quod Orarium dicitur, licet hoc quidam ſtolam vocent.* Alcuinus de div. off. cap. 39. *ſequitur Orarium, id eſt ſtola.* Ordo Romanus, *ſubdiaconi regionarii accipiunt ad induendum Pontificem veſtimenta; alius Orarium, alius Planetam.* Anaſtaſius in vita Agathonis, *eâ hora S. Synodus unà cum Principe ejus Orarium auferri juſſerunt à collo ejus*, Macarii ſcilicet Antiocheni. Adſtipulantur veterum conciliorum Patres, à quibus multa de uſu Orarii ſancita ſunt, quæ ſatis ſuperque conſtat ad ſtolam pertinere. Concilium Laodicenum jam ſupra citatum tempore S. Silveſtri. Bracarenſe I. anno 563. c. 27. *Placuit, quia in aliquantis hujus provinciæ Eccleſiis Diacones abſconſis infra tunicam utuntur Orariis, ita ut nihil differre à Subdiacono videantur, ut de cætero ſuppoſito ſcapulâ, ſicut decet, utantur Orario.* To-

leta-

letanum quartum sub Honorio c. 27. *Episcopus recipiat Orarium, annulum, & baculum: Presbyter Orarium & planetam: Diaconus Orarium & Albam.* Et c. 39. *Orariis duobus nec Episcopo quidem licet nec Presbytero uti, quanto magis Diacono, qui minister eorum est? Unum igitur Orarium oportet Levitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, adest, prædicat: dexteram autem partem oportet habere liberam, ut expeditius ad ministerium sacerdotale discurrat. Caveat igitur amodo Levita gemino uti orario, sed uno tantùm & puro, nec aliis coloribus, aut auro ornato.* Bracarense III. sub Adeodato c. 3. *Cum Sacerdos ad solemnia Missarum accedit aut pro se Deo sacrificium oblaturus, aut sacramentum corporis & sanguinis Domini Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quam Orario utroque humero circumseptus, ita ut de uno eodemque Orario cervicem pariter & utramque humerum premens signum in suo pectore præferat crucis.* Moguntinum sub Leone III. c. 28. *Presbyteri sine intermissione ut antur Orariis propter differentiam sacerdotis dignitatis*, quando scilicet ministeria sui ordinis obeunt: nisi forte hoc loco præter solitum sumatur Orarium impropriè pro veste talari, qua revera sine intermissione uti debent Sacerdotes. Quo item sensu interpretantur nonnulli canonem, quem Gratianus 17. *qu.* 4. *c.* 25. & Ivo *p.* 10. *c.* 139. tribuunt concilio Triburiensi: *Ut Presbyteri non vadant nisi stola vel orario induti. Et si in itinere spoliantur vel vulnerantur, aut occiduntur non stola vestiti, simplici emendatione sua solvantur; si autem cum stola, triplici.* Minor enim pœna infligitur illi, qui injuriam irrogat sacerdoti sine habitu incedenti, cum possit ignorantiæ exceptione excusare. Ex quo patet, Orarium hic accipi pro communi vestimento, quod ita proprium Sacerdotis foret, ut eum discerneret à sæculari. Quod si primam hujus vocis originem inspiciamus, profana est & ab eo sensu diversa quo nunc usurpatur. Antiquis enim scriptoribus tam Ethnicis, quàm Christianis Orarium nihil aliud est quàm sudarium, strophium, linteolum, quo facies abstergitur. Flavius Vopiscus in Aureliano, ipsum primum ait donasse oraria populo Romano, quibus uteretur populus ad favorem. Quia videlicet in altum sublatis orariis favoris signum obtendere, & Regem venerari censebantur. Ambrosius orat: quam habuit in obitu Satyri fratris describens tempestatem qua jactabatur, *Divinum*, inquit, *fidelium sacramentum ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare.* Quo loco orarium non stolam, ut quidam arbitrati sunt, sed vulgare linteum significat; nam Satyrus Laicus erat, ad quem stola sacra nullo pacto poterat pertinere. Ambrosius iterum *epist.* 54. de miraculis sanctorum Gervasii & Protasii: *Quanta oraria jactitantur? & tactu ipso medicabilia reposcuntur?* Similiter Augustinus lib. 22. de civ. Dei cap. 8. *Oculum lapsum ligavit orario, nec nisi post septem dies putavit esse solvendum.* Pontius in vita S. Cypriani, *Fratres inter amina & orariaante eum ponebant, ne sanctus cruor defluus absorberetur à terra.* Erat autem orarium magis longum quàm latum, instar fasciæ, ut ex loco citato Ambrosii de Satyro fratre ostendit Casaubonus in notis ad Vopiscum. Favet Gregorius Turon. *l.* 3. *hist. c.* 5. ubi refert Sigismundum Burgundionum Regem filium suum dormientem jussisse occidi. *Dormienti*, ait, *orarium sub collo positum ac sub mento ligatum, trahentibus ad se invicem duobus pueris, suffocatus* est. Ex hac autem orarii forma oblonga suspicor translatum hoc vocabulum in Ecclesiam, & sacræ stolæ tributum: cui suspicioni robur aliquod addit supra relatum Silvestri decretum de palla linostima ex lino, sicut & sudarium, contexta. Ejus verò etymon ab ora deductum non adeò inverisimile est, ut quidam scribunt, nam orâ vestis facies tergi solebat, antequam linteola in usu essent. Plautus in Mercatore act. 1. sc. 2. *Sume laciniam*, partem scilicet extremam vestimenti, *atque absterge sudorem tibi.* Ab ore tamen probabilius sumitur, quia orario os tergitur, quam notationem sequi videtur Prudentius *hymn.* 1. *de coronis*, hoc versu:

*Hic sui dat pignus oris, ut ferunt, Orarium.*

Alii ab orando derivant, eo quod sacris prædicatoribus sive oratoribus detur, ut ajunt Alcuinus & Rab. Maurus; quibus consentit Beda in collectaneis de septem Ordinibus: *Bene oratoribus convenit orarium, conveniens vestimentum officio.* Sitne Græca an Latina vox ambiguum est: crederem tamen à Latinis ad Græcos devenisse, quam Suidas homo Græcus, & auctor veteris Etymologici, Latinum vocabulum esse testantur. Qui verò Græcum esse contendunt, triplicem ejus afferunt etymologiam. Balsamon *in can. cit. Conc. Laodiceni* & Matth. Blastares *in synopsi canonum* à verbo oro, quod Græcis idem est ac observo sive custodio, deducunt, eo quod diligenter observent in mysteriis quæ agenda sunt, eaque orario significent Diaconis, qui sunt in Ambone. Simeon Thessalonicen. derivat ab ora, quæ Hesichio est pulchritudo seu venustas, quia Diaconum gratiæ venustate ornat, & divino decore illustrem reddit. Arcudius *lib.* 6. *cap.* 10. ab hora sive tempore, quia Diaconus accepta extremitate stolæ tribus digitis invitat populum ad orandum; cantores ad psallendum, ostenditque

horas & tempus, quo aliquid est faciendum : quæ consuetudo etiam hodie viget in Græcia. Quamvis autem orarium commune sit Diaconis & Presbyteris, à Græcis tamen Diacono propriè tribuitur, stolam verò sacerdotalem Epitrachelion vocant, quod latius est orario, nec ullis litterarum notis exaratum, sicut orarium Diaconorum, cui ter inscriptum est verbum *Agios*, id est *Sanctus*. Claudo hanc de orario tractationem Isidori sententiâ in regula Monachorum *cap.* 12. ubi ait, non licere Monacho orario uti, quod ante ipsum vetuerat concilium Aurelianense primum cap. 21. Sed hic orarium juxta primam vocabuli originem pro linteo accipitur ad tergendam faciem ; nam post pauca ait Isidorus, non debere Monachum vultus curam gerere, ne lasciviæ & petulantiæ crimen incurrat.

*De Planeta. Penula veterum quid fuerit. Quid Phænolium. Casulæ seu Planetæ diversæ significationes. Ejus in sacris origo, forma, & usus.*

VIII. POstremum Sacerdotis sacris operaturi indumentum quidam Penulam, alii Casulam seu Planetam vocant, quæ voces à profana significatione ad sacram translatæ sunt. Penula quid fuerit apud veteres Græcos & Latinos, quæ ejus forma, quis usus in communi vestitu, latè prosequuntur Bulengerus *lib. de sacris vestibus cap.* 20. Ferarius *de re vestiaria lib.* 1. *cap.* 36. *& sequentibus*, & Albertus Rubenius *lib. item* 1. *de re vestiaria cap.* 6. An verò Penula, quam Paulus Apostolus 2. *ad Timoth.* 4. se Troade apud Carpum reliquisse scribit, vestis sacra fuerit, an alia communis, frigori ac imbribus depellendis, an verò scriniolum seu theca libris & membranis referta, diversæ sunt sententiæ, quas illius epistolæ expositores, & Baronius *anno Christi* 58. *n.* 67. recensent. *Frustra sunt*, ait Gretserus lib. 1. comment. in Codinum cap. 16. „ qui Phænolium Latinè penulam vertunt, nulli „ penulæ inter vestes sacras locus est, tametsi non „ ignorem, quid de penula apud S. Paulum non- „ nulli philosophentur. Subscripsit primùm huic sententiæ Ferrarius in prima sui tractatus editione, at in secunda *in fine* 37. palinodiam cecinit his verbis. „ Hæc olim opinabamur, cum non- „ dum penulæ figuram in antiquis monumentis „ videre contigisset, decepti etiam clarorum vi- „ rorum auctoritate, qui penulam vestimentum „ apertum esse docuerunt. Sed postquam non una „ penulæ imago in manus venit, mutare opinio- „ nem cogimur, vestemque sacrificantium cum „ Baronio penulam fuisse fatemur. Agit idem de penulis toto lib. 2. partis secundæ, ubi ejus extat figura admodum similis Planetæ sacerdotali. Meminit Penulæ Pauli Tertullianus *lib. de oratione cap.* 12. Porrò Phænolium sive Phælonium Græcorum indumentum planetæ nostræ correspondens à Latinis interpretibus penulam dici, nequidquam reclamante Gretsero, aliquot testimoniis probat Baronius *loco citato num.* 69. Nam ut cætera omittam, Nicephorus Constantinopolitanus scribens & dona mittens Leoni III. ex antiqua translatione ait, *Misimus fraternæ vestræ beatitudini encolpium aureum, tunicam candidam, & penulam castaneam.* Pro Penula autem in textu Græco Phælonium legitur. De casula quoque sive Planeta pro communi vestitu olim à Latinis usurpata veterum Scriptorum testimonia habemus. Acta S. Fulgentii apud Bollandum die 1. Januarii cap. 18. „ Casulam pre- „ tiosam vel superbi coloris ipse non habuit, nec „ Monachos suos habere voluit. Subtus casulam „ nigello vel lactineo pallio circumdatus incessit. Regula Macarii cap. 27. inducit Monachum contumacem dicentem : *Hic ego durare non possum, sed accipiam casulam meam, & ibo ubi voluerit Dominus.* Casula autem hoc loco accipitur pro cuculla Monachali. Theodemarus Abbas in epist. ad Carolum Magnum, *Cucullam nos esse dicimus, quam alio nomine casulam vocamus.* Auctor vitæ sancti Cæsarii Arelatens. „ Ambu- „ lans *Cæsarius* per plateam civitatis, vidit con- „ tra in foro hominem, qui à Dæmonio ageba- „ tur, in quem cum attendisset, habens manum „ sub casula, ut à suis non videretur, crucem con- „ tra eum fecit. Joannes Diaconus in vita S. Gregorii *lib.* 2. *cap.* 45. quemdam fuisse Monachum ait, qui à fratre suo seculari vestem petiit dicens : *Casulam non habeo, sed fac charitatem, eme mihi.* Erat etiam casula quotidianum Ecclesiasticorum indumentum, nam in concilio habito apud Liptinas in pago Cameracensi anno 743. c. 3. decretum fuit, ut Presbyteri vel Diaconi non sagis laicorum more, sed casulis uterentur ritu servorum Dei. Pro veste servili accipitur casula à Procopio lib. 2. de bello Vandalico c. 26. *Areobindus*, inquit, *magister militiæ à Iustiniano missus in Africam ad Gontharin accessit non prætoria nec militari veste indutus, sed famulo vel privato homini propria, quam latinè casulam vocant Romani.*

*mani.* Pro veste item sæculari Planetæ nomen acceptum ex vita S. Fulgentii cap. 29. colligimus, cujus auctor scribit, eo ambulante tempore imbris, viros nobiles planetis suis super ipsum expansis imbrem repulisse. Cassianus describens habitum Monachorum *lib. 1. instit. cap.* 17. ait, illos planeticarum & birrorum pretia declinasse. Isidorus quoque in Regula Planetas Monachis interdixit. Cum sit igitur æquivocum casulæ & planetæ vocabulum, quo primùm tempore à profano & promiscuo usu ad sacrum translatum sit, non liquet. Legitur nihilominùs casulæ nomen in antiquo Ordine Romano, in libris Alcuini, Amalarii, Rabani Mauri, & aliorum qui de ritibus sacris scripserunt: & concilium quartum Toletanum cap. 27. *Presbytero*, ait, *in sua ordinatione Planeta datur, quæ idem est ac casula.* Fit etiam casulæ mentio in testamento S. Remigii apud Flodoardum *lib. 1. cap.* 18. Quod verò sacerdotes ante casularum usum Dalmaticis uterentur, quas postea Diaconis concesserint, cum casulis uti cœpissent, assertio singularis est Walfridi Strabonis *cap.* 24. cui favent Acta S. Sylvestri edita à P. Combesis, in quibus mentio fit Euphrosyni Pamphiliæ Episcopi, qui dum mysteria perageret colobium unum habebat, quod magni illius Apostoli ac fratris Domini Jacobi esse dicebat, quo indutus sacram oblationem explebat. Hinc factum ut Romani hactenus sacerdotes colobiis usi sint. Quod tamen brachiorum nuditas displiceret, Dalmaticas manicatas potius, quàm colobia placuit appellare. Hæc ille priscus scriptor. Porrò casula, teste Isidoro *lib. 19. origin cap.* 24. per diminutionem à casa dicitur, quod totum hominem tegat, quasi minor casa. Planetæ verò nomen ex eo deducitur, quia oris errantibus evagatur: & ut ait Gemma animæ *lib. 1. cap.* 207. limbus ejus errabundus utrimque in brachia sublevatur. In vita S. Popponis Abbatis apud Bollandum *die 25 Januarii num.* 58. Casubula nuncupatur, *In celebratione Missarum Casubulam, qua induebatur, lacrymis humectabat.* In Ecclesia Orientali Phænolium, sive casula Pontificalis à Presbyteriali in hoc differt, quod ista simplex, illa multis crucibus insignita est, & ideò *Polystaurium* dicitur, ac si Latinè *Multicrucium* diceremus. Olim casulæ rotundæ prorsus erant; totum ambientes hominem à collo usque ad pedes, unicam in medio aperturam habentes, per quam caput immittebatur; qua de causa necessarium erat, ut sacerdos operari ac manibus liberè uti posset, eas super brachia revolvere & complicare. Sic indutos Pontifices & sacerdotes in priscis ecclesiarum parietibus cernimus: suntque etiam hodie Græcorum casulæ ejusdem formæ. Latini verò ad vitandum incommodum ex amplitudine & propensione totum corpus cum brachiis circumcludente proveniens, eas paulatim à lateribus scindere & decurtare cœperunt, donec ad formam, qua hodie utimur, redacta sunt. In opere musivo, quod olim erat in Basilica Lateranensi, cujus Ectypon extat in Musæo Barberino, postea typis cusum à Cæsare Raspono nunc S. R. E. Cardinali *lib. 1. de Basilica Lateranen. cap.* 14. expressa est effigies Joannis XII. Papæ, quem ministri induunt planeta ex utroque latere aperta, & tam in parte anteriori quàm in posteriori in acumen definente, & ultra cubitum protensa; quam certè non erat necessarium in utroque brachio duplicare, aut triplicare, ut Gemma animæ ait. Factum autem fuit illud opus anno 960. Testatur Morinus *lib. de sac. ordinat. p. 2. innotis ad Græcorum ordinationes* antiquæ formæ casulas ducentos circiter annos præ se ferentes in multis Ecclesiis asservari: ex quo testimonio & ex pictura supra relata facilè conjici potest, quo tempore hujusmodi scissio fieri cœperit, & quomodo sensim propagata fuerit; quam nullo Pontificum seu synodorum decreto stabilitam invenio. Quia verò planeta totum olim involvebat sacerdotem, hinc ortus est usus ut à ministro elevetur, cum sacerdos hostiam & calicem elevat, quæ praxis antiquitùs necessaria, ne pedibus obversans flectenti genua impedimento esset, adhuc perserverat; tametsi cessante causâ superflua sit. Hinc etiam permansit usus, quem pauci fortassis intelligunt, ut in Quadragesima aliisque diebus jejuniorum, quibus Ministri utuntur planetis, complicatæ sint à parte anteriori, quod olim propter earum amplitudinem necessarium erat, ut expediti essent ad ministrandum: sicque paulatim introductum est, ut Diaconus, cujus in Missa potissimùm est ministerium, planetam exuat, ejusque loco stolam latiorem accipiat: quod ævi recentioris est, nam ordo Romanus non exui planetam, sed elevari mandat: & *Diacono*, inquit, *levant Planetas in scapulas.* Usum verò duplicis stolæ, ut ostendimus cum de stola ageremus, antiqui canones non permittebant.

De

*De vestibus Pontificalibus, ac primùm de caligis, & sandaliis seu compagis, eorumque vario usu.*

IX. ET hæc quidem sunt indumenta, quæ singulis sacerdotibus rem divinam facturis sunt necessaria: Episcopi autem, cum solemniter celebrant, alia supradictis adjiciunt, nempe sandalia & caligas, crucem pectoralem, tunicellam, dalmaticam, chirothecas, annulum, mitram, baculum, & si sit Archiepiscopus pallium: de quibus diffusè agunt Sausaius *in Panoplia Episcopali*, & Vicecomes *lib.* 3. *de Missæ apparatu*. Sandalia pedum sunt tegumenta, caligæ verò hîc pro tibialibus usurpantur, quamvis de caliga veterum diversa sit Eruditorum sententia. Sandalia ab antiquis compaga sive compagia, rectiùs compagi nuncupantur, qua voce pro calceo regio & senatorio usi sunt Trebellius Pollio, & Julius Capitolinus. In Ordine Romano accipiuntur compagi pro caligis, ait enim tit. de ordinatione Episcopi, *Induunt electum compagos, sandalia*, & reliqua. Eorum usum concessum aliquando Diaconis à summis Pontificibus Gregorius Magnus docet *lib.* 7. *epist.* 28. *Indic.* 1. ad Joannem Syracusanum scribens, Diaconos Ecclesiæ Catanensis calceatos compagis procedere præsumpsisse, quod solis Diaconis Ecclesiæ Messanensis à Prædecessoribus suis concessum fuerat. Alcuinus ait sandalia esse genus calceamentorum, quo induuntur Ministri Ecclesiæ. Extat etiam canon insertus Capitularibus Caroli Magni *lib.* 5. *cap.* 219. Ut omnis presbyter Missam celebret ordine Romano cum sandaliis. Ex Amalario autem *lib.* 2. *cap* 25. constat subdiaconos quoque sandaliis usos, nam diversa fuisse ait Episcoporum, sacerdotum, diaconorum, & subdiaconorum sandalia, quorum mysticam rationem edisserit. Primi enim nostræ religionis Antistites, cum semper studuerint, maximam divinis mysteriis reverentiam impendere, omnes eorum ministros splendidis vestibus tantoque ministerio congruis ornari decreverunt, adeò ut nec quidem sordidis & communibus calceis fas illis fuerit ad altare accedere, multò minùs nudis pedibus, quod nec ipsis Acolythis licere Ordo Romanus *de tit. die Parasceves* edixit. Varia ideò sandaliorum genera pro varietate ministrorum constituerunt, quæ nunc abierunt in desuetudinem, illis solis permanentibus, quibus utuntur Episcopi solemniter celebrantes. Ordo Romanus ad Abbates sandaliorum usum extendit, agens enim de illorum ordinatione, *Episcopus*, inquit, *dat ei baculum & pedules*. Sunt autem pedules idem ac sandalia, quæ Leo Nonus Abbatibus Casinensibus concessit, teste Leone Ostiensi *lib.* 2. *Chronici*: idque aliis postea ab Apostolica sede indultum fuit.

*De cruce pectorali. A Græcis Encolpion dicitur. Ejus usus recentior.*

X. DE signo crucis, ejusque veneratione & usu, deque parvis crucibus, quæ collo appendere instar amuleti ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Fideles consueverunt, à viris doctis ingentia volumina conscripta sunt: de cruce verò cum Sanctorum Reliquiis, quam nos pectoralem dicimus, quia ante pectus pendet, & Græci *Encolpion* vocant, eo quod sinu geratur, silent omnes rituum ecclesiasticorum scriptores, Alcuinus, Amalarius, Strabo, & alii etiam recentiores. In Missa Illyrici & in iis quas edidit Menardus, cum omnia indumenta pontificalia numerentur, nihil tamen de cruce; ex quo fit, ut hunc ritum non admodum antiquum existimem. Scio huc referri à nonnullis versum Gregorii Nazianzeni carm. 21. *Namque crucem in membris, medioque in corpore gesto*. Sed si contextus rectè expendatur, nihil hic de cruce pectori appensa ab Episcopo celebrante: nam crucem secum ferre, commune erat omnibus Christianis etiam laicis & mulieribus, quod latè probant qui de cruce commentaria ediderunt. Huc etiam refert Baronius *tom.* 9. *anno* 811. Encolpion aureum cum partibus ligni crucis Leoni III. missum à Nicephoro Constantinopolitano. Putat enim Encolpii nomine crucem pectoralem significari, de qua sermo nunc est; suæque opinioni confirmandæ octavæ Synodi œcumenicæ testimonium affert, in qua *Act.* 5. Helias Vicarius sedis Hierosolymitanæ narrans adventum suum in regiam civitatem, & qualiter ab Imperatore ipse cum sociis receptus fuerit, *Imposuit*, inquit, nempè Imperator, „ suo „ per colla nostra Encolpium suum, & dixit. Ec„ ce judicium Ecclesiæ exigat Deus à cervicibus „ vestris in die judicii. Ego autem non video, quomodo hinc colligatur Encolpium fuisse insigne Episcoporum: nam qui illud imposuit, fuit Imperator, Helias verò Presbyter erat, non Episcopus: neque hîc agitur de cruce, quam Pontifex sacris operaturus pectori appendit, ut ex contextu manifestum est.

De

*De Tunica & Dalmatica episcopali, earumque forma, colore & usu.*

XI. DE Tunica & Dalmatica quatenus Subdiaconi & Diaconi sunt indumenta, mox agam, cum de Ministrorum vestibus incidet sermo: nunc de illis agendum, quatenus inter sacras Episcoporum vestes recensentur. Ordo Romanus utriusque meminit, cum episcopalia enumerat indumenta, & unam quidem Dalmaticam minorem, alteram Dalmaticam majorem nuncupat. Tunicam Amalarius *lib.* 2. *cap.* 22. hyacinthini coloris fuisse ait, & subuculam nominari. In Missa Illyrici *subtilis* nomine indicatur, cui suffragatur Gemma animæ *lib.* 1. *cap.* 229. dicens, *Subdiacono supradictæ vestes conceduntur*, quæ scilicet sunt ministrorum inferioris gradus, *insuper duæ aliæ, id est* subtile *& sudarium adduntur. Subtile, quod & stricta tunica dicitur, portat ut se justitia quasi lorica induat.* Olim tunica episcopalis coccinei coloris erat, ut vel ipsæ picturæ veteres ostendunt; Dalmatica verò albi, purum referens & incontaminatum sacerdotis statum, ut scribit Simeon Thessalonicensis. Usum ejus antiquissimum esse Auctor quæstionum veteris & novi testamenti evincit, cujus hæc sunt verba quæst. 46. *Quasi non hodie Diaconi Dalmaticis induantur, sicut Episcopi.* Hic autem, sive sit Hilarius Diaconus, ut plerique existimant, sive alius quispiam, se scripsisse testatur *quæst.* 44. trecentis annis post Hierosolymæ excidium, quæ urbs capta & destructa fuit anno Christi LXXI. Non omnes tamen Episcopos passim Dalmaticis usos credendum est: sanctus enim Gregorius *lib.* 7. *epist.* 113. Aregio Episcopo sic scribit. „Communis filius „Petrus Diaconus nobis innotuit, quod fra„ternitas vestra, tempore quo hic fuit, popo„scerit, ut sibi & Archidiacono suo utendi Dal„maticis licentiam præberemus. *Et post pauca.* „Hujus auctoritatis nostræ serie petita concedimus, atque te & Archidiaconum tuum Dal„maticarum usu decorandos esse conceilimus, „eosdemque Dalmaticas filio nostro Cyriaco „Abbate deferente transmisimus. Ex cujus concessionis tenore deducitur, usum Dalmaticarum Episcopis ab Apostolica sede tributum fuisse. In Missa Ratoldi apud Menardum inter indumenta episcopalia unius dumtaxat tunicæ fit mentio, *Super hæc*, ait, id est accepta stola, *ministretur ei tunica gyris in tintinnabulis mirificè resecta*, ad similitudinem scilicet Aaron sacerdotis. Ut enim observat Stephanus Eduensis *lib. de Sacram. Altaris cap.* 11. quidam Pontifices una, alii duabus tunicis utebantur; quod etiam notavit Durandus *lib.* 3. *cap.* 10. *sui Rationalis.*

*De Chirothecis & earum usu.*

XII. CHirothecas Apostolicæ traditionis esse scripsit Honorius in Gemma animæ lib. 1. cap. 215. *Chirothecarum usus*, inquit, *ab Apostolis est traditus: ab Apostolis*, inquam, non *ab epistolis*, ut perperam in editis legitur. Sed hoc credibile non est, cum per aliquot sæcula nullum earum monumentum reperiatur, nec illis unquam usa sit Ecclesia orientalis. Porrò chirothecas latinâ voce manicas nuncupant antiqui scriptores, qua usus est Plinius *lib.* 3 *epist.* 5. *ad Macrum*, quæ de studiis & lucubrationibus Plinii senioris avunculi sui est: *Manus*, ait, *hyeme manicis muniebantur, ut ne cœli quidem asperitas ullum studiis tempus eriperet.* Ordo Romanus agens de ordinatione Episcopi, hanc orationem dicendam præscribit, quando electus induitur manicis. „Immensam clementiam tuam roga„mus omnipotens & piissime Deus, ut manus „istius famuli tui fratris nostri, sicut exteriùs „obducuntur manicis istis, sic interiùs asper„gantur rore tuæ benedictionis. In Missa Ratoldi apud Menardum manicæ etiam cum aliis Pontificalibus indumentis memorantur. Et in Missa Illyrici extat oratio ad induendas manus. Ex his autem colligitur, quanta sit earum vetustas. Usum denique chirothecarum à Leone IX. concessum Abbatibus Cassinensibus Leo Ostiensis suprà relatus asserit, & eo antiquior Ordo Romanus in ordinatione Abbatis ex canone Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, qui obiit anno 690. post datam ei ab Episcopo Regulam ait, *Tunc tradat ei chirothecas & baculum.*

*De Annulo, ejusque antiquitate & usu.*

XIII. NOn est hujus loci Annulorum originem investigare, sed & superfluum est: nam *Gen.* 38. Judam legimus annulum & armillam gestasse, nec ullus ferè liber est in veteri Testamento, in quo ejus mentio non fiat. Usum autem ferendi annulum à Christianis receptum fuisse, Clemens Alexandrinus *l.* 3. *sui Pædagogi c.* 11. testis est. At verò Episcopis inter reliqua sui Ordinis insignia traditos annulos, mille & amplius annorum testimonia habemus, tum in Ordine

Romano & aliis sacramentorum antiquissimis libris, tum apud Surium *die* 3. *Decembris* in vita S. Birini Dorcestrensis Episcopi, qui vixit anno 640. tum demum in quarto Concilio Toletano c. 27. quo sancitur, ut Episcopo injustè depositò tanquam suæ dignitatis signum annulus restituatur, qui dudum recepto in Ecclesia ritu in sua ordinatione ipsi dari consueverat. Neque obstat Alcuini, Amalarii, & Rabani de annulo silentium: nam istis tacentibus loquuntur alii, qui eos ducentis & amplius annis antecesserunt, ut ex allatis testimoniis luculenter apparet: & fortassis diversæ fuerunt diversis locis & temporibus hac de re consuetudines.

*De Mitra, ejusque usu sacro & profano. Quando cœperit idem usus in Ecclesia. Cur Græci ea non utantur. Quando & à quibus concessa Abbatibus.*

XIV. Mitra Pontificalis ex veteri Testamento sumpta est, ut rectè scribit Honorius *lib.* 1. *Gemmæ cap.* 214. Ea enim utebantur Sacerdotes, ut sacræ literæ indicant *Exodi* 29. *& Levitici* 8. Erat & prophanum capitis ornamentum, quo primùm Jonios, deinde Ægyptios, Syros & Lydos usus fuisse ethnici Scriptores tradiderunt. Olim etiam pro muliebri corona sumebatur, ex qua fasciolæ pendebant, unde Virgilius *redimicula mitræ* commemorat. Deo quoque sacratis Virginibus mitra in Africa imponi solebat, de qua Optatus Milevitanus lib. 2. „ Felix, *inquit*, inter crimina „ sua & facinora nefanda, ab eo comprehensam „ puellam, cui mitram ipse imposuerat, à qua „ paulò ante Pater vocabatur, nefariò incestare „ minimè dubitavit. Isidorus *lib.* 19. *orig. cap.* 31. „ Mitra est pileum Phrygium caput protegens, „ quale est ornamentum capitis devotarum. Sed „ pileum virorum est, mitra autem fœminarum. Ab Alexandro II. concessum mitræ usum Vratislao Duci Boëmiæ in signum intimæ dilectionis, Gregorius VII. testis est *epist.* 38. *libri* 1. asserens id Laicis nunquam antea tributum. Brachmanes sacerdotes mitra gemmis ornata uti consuevisse refert Philostratus *in vita Apollonii*. Eandem usurpasse summum sacerdotem Deæ Syriæ Lucianus *in Dea Syria* scripsit: idemque tradidit de Pontifice Maximo ethnicæ superstitionis Prudentius *hym.* 9. *de coronis* his versibus:

*Summus sacerdos nempe sub terram scrobe*
*Acta in profundum consecrandus mergitur,*
*Mirè insulatus, festa vittis tempora*
*Nectens, corona tum repexus aurea,*
*Cinctu Gabino sericam fultus togam.*

Mitræ nomina multa sunt, dicitur enim cidaris, tiara, infula, phrygium, corona sacerdotalis, cuphia, de quibus Lexicographi græci & Latini consulendi sunt. De ipsius usu in Ecclesia duæ sunt eruditorum sententiæ. Quidam enim existimant, recentem adinventionem esse, quæ circa annum Christi millesimum incœperit, quam opinionem probant primò ex tabulis & aliis veterum monumentis, in quibus tam summi Pontifices, quàm reliqui Episcopi omnibus quidem pontificalibus ornamentis induti, sed nudo semper capite delineati apparent. Secundò ex libris ritualibus ante annos septingentos scriptis, & ex antiquis rerum ecclesiasticarum scriptoribus, qui, cum satis accuratè omnia indumenta Episcoporum recenseant, de mitra tamen prorsùs silent. Alii è diverso mitræ usum putant ab ipsis Apostolis fluxisse, idque variis rationibus & testimoniis suadere conantur, contrariam verò sententiam fluxis dumtaxat argutiis niti ajunt, atque omni solido fundamento destitui. Propugnat acriter hanc mitræ antiquitatem Andreas du Saussay *lib.* 1. *Panopliæ episcopalis*, omnibus ad hoc argumentum spectantibus diligentissimè collectis, quæ apud ipsum legi possunt. Ego autem crediderim, utramque opinionem posse facillimè conciliari, si dixerimus, mitram quidem, qualis est hodie, nuperum ornatum esse, qui ante millesimum Christi annum vix fuerit in Ecclesia: negari tamen non posse, quin à temporibus Apostolorum aliquod fuerit capitis ornamentum, quo peculariter, si non omnes, aliqui saltem Episcopi usi sint. Hoc enim evincere videntur quæ ad probandam mitræ antiquitatem Saussaius congessit, præsertim ex Epiphanio, qui in hæresi Antidicomarianitarum affirmat Jacobum Apostolum bracteam seu petalum in capite portasse: ex Polycrate *apud Eusebium lib.* 5. *hist. cap.* 24. & ex Hieronymo *lib. de script. Eccl.* asserentibus Joannem item Apostolum laminam auream in fronte gessisse: ex Gregorio Nazianzeno, qui *orat.* 5. *post reditum à fuga* loquens de sua ordinatione, capiti suo cidarim impositam ait: ex Balsomone & aliis scriptoribus græcis, qui fatentur Patriarcham Alexandrinum, Phrygio uti, sive loro, ut græcè scribunt, ex eo quod illud miserit Cyrillo Celestinus Papa, cum eum jussit Ephesino

Ephesino concilio vice sua præsidere. Qua verò de causa Græci Antistites, dempto Alexandrino, olim Phrygio non uterentur, quæstio anceps est, quam tractat eruditissimus Goar in notis ad Episcopi ordinationem *p.* 34. Vera ratio illa videtur, quam ipsemet Balsamon, quamvis schismaticus, insinuat, quia reliqui hanc honoris prærogativam à Romano Pontifice non habuerunt. Quid verò & quale fuerit illud Phrygium sive lorum, non constat. Aliquos tamen inter Græcos extitisse, qui sibi jus Phrygii usurparint, idem Goar asseverat: communiter verò usque ad hodiernum diem ab hoc ornamento abstinuerunt, nec ullus est in Græcia mitræ usus. Reliqui Episcopi orientales Maronitæ, Nestoriani, & Jacobitæ Cidari utuntur, quæ ipsorum capiti imponitur, dum ordinantur, ut ex eorum Ritualibus apud Morinum manifestum est. De mitris verò sanctorum Sylvestri, Augustini, & aliorum Episcoporum, qui in occidente in annos mille & amplius floruerunt, ab hodiernis non multùm dissimilibus, & inter lipsana quarundam Ecclesiarum asservatis, non est meum ferre judicium. Nonnullis insignium monasteriorum Abbatibus tam mitræ quàm aliorum Pontificalium ornamentorum usum post annum millesimum concessum probatissima testantur monumenta. Alexandrum II. hoc privilegium concessisse Abbati S. Augustini Cantuariæ, Guill. Thorne ejus cœnobii Monachus refert in suis chronicis. In Bullario quoque Cassinensi extat ejusdem Pontificis constitutio, qua eadem gratia Abbati Cavensi conceditur. Extat item in Bibliotheca Cluniacensi simile privilegium Urbani II. pro Abbate Cluniacensi: & Petrus Diaconus *lib.* 4. *Chron. Cassin. cap.* 17. scribit eundem Urbanum facultatem dedisse Abbati Cassinensi utendi compagis, chirothecis, Dalmatica, & Mitra. Recentiora omitto. Privilegium autem Honorii I. & Theodori initio Bullarii Cassinensis relatum, quo mitram & alia insignia Pontificalia Abbati Monasterii Bobiensis à S. Columbano fundati largiuntur, aliis examinandum relinquo. Damnant usum Pontificalium in Abbatibus, Bernardus *epist.* 42. *ad Henricum Senonensem*, & Petrus Blesensis *epist.* 90. *ad Guill. Abbatem fratrem suum*: ille spiritu humilitatis, hic zelo zelatus pro Episcopis, quibus hæc Abbatum prærogativa displicebat, de qua re extat *epist.* 27. *lib.* 2. Goffridi Vindocinensis. Latè tandem propagata est mitræ gestandæ concessio, non solùm ad Abbates; sed etiam ad quarundam Ecclesiarum sæcularium Præpositos, & ad Cathedralium dignitates & Canonicos, quorum hic catalogum texere suscepti operis institutum non patitur.

### *De Baculo Pastorali, ejusque nominibus, figura, materia, & usu. Quid Subcinctorium, Epigonatium, Orale, Gremiale.*

XV. QUod Regibus sceptrum, id Baculus est Episcopis, insigne scilicet auctoritatis, sollicitudinis, & correctionis. Porrò baculi Episcopalis mentio fit in Ordine Romano, & in concilio quarto Toletano ante annos mille celebrato, tanquam præcipui & dudum usitati Episcoporum ornamenti. Virga pastoralis dicitur, & latina voce Pedum, quod Festo auctore est baculus recurvus, quo pastores utuntur ad comprehendendas oves vel capras, de quo Virgilius eccl. 5.

*At tu sume* pedum, *quod me cum sæpe rogaret,*
*Non tulit Antigenes.*

Honorius *lib.* 1. *cap.* 217. etiam ferulam vocari ait, quæ à feriendo nomen habet; est enim baculus sive virga, qua puerorum manus feriuntur, unde est illud Juvenalis Sat. 1. *Et nos ergo manum ferulæ subduximus.* In vitis sanctorum Galli & Magnoaldi *cambuta* vocatur, quæ significat baculum retortum. Honorio Capuita, aliis Gambuta, camboca, vel cambuca est; pro qua voce apud Durandum *lib.* 3. *Ration. cap.* 35. in omnibus ferè editionibus sambuca perperam irrepsit. Budæo dicitur lituus Pontificius, quali olim augures utebantur, de quo Cicero *lib.* 1. *de divinatione*, & Gellius *noct. Attic. lib.* 5. *cap.* 8. In testamento S. Remigii apud Flodoardum argentea cabuta figurata occurrit, ubi Brissonius legit cambutam. Erant igitur hujusmodi baculi aliquando argentei, nam Saussaius *lib.* 2. *Panopliæ* ait, se vidisse Rhemis Baculum S. Remigii auri laminis coopertum, cælaturisque artificiosis circumquaque exornatum. Fuerunt & cupressini, de quibus testimonium habemus in epistolis Stephani Tornacensis *epist.* 223. *& sequenti.* Nam in priori Abbas Sylvæ majoris ipsi Stephano scribens ait, *Mittimus vestræ carissimæ Paternitati munusculum indignum dignitate vestra, sed officio congruum, baculum videlicet cypressinum*: & in posteriori ad Episcopum Aurelianensem, *Munusculum vobis mittimus baculum pastoralem cypressinum, officio vestro & qualitate mysterii congruum, & quantitate ministerii condignum.*

Abbatibus quoque baculus pastoralis tribuitur in Ordine Romano, qui mos antiquissimus est. Apud Græcos item non solum Episcopis, sed præfectis etiam monasteriorum, baculum tradi in eorum ordinatione ostendit Goar *in notis ad Euchologium pag.* 313. ex Codino, & Simone Thessalonicensi. Forma tamen baculi apud orientales diversa est; non est enim in summitate curvus sive retortus, sed summa pars desinit in globum eburneum, vel in signum crucis, vel in lignum transversum ad instar litteræ Tau: vel duobus serpentibus ex ebore ornatur, qui reflexis capitibus se mutuò respiciunt.

In Missa ab Illyrico edita inter Pontificalia indumenta post Cingulum recensetur Præcinctorium, quod ab Honorio *lib.* 1. *Gemmæ cap.* 206. subcingulum, sive subcinctorium nuncupatur. Sed hodie nemo eo utitur in Ecclesia Latina, nisi solus Romanus Pontifex, cum solemniter celebrat, estque instar parvi cujusdam manipuli è sinistro latere pendens. Huic apud Græcos assimilatur Epigonatium formæ quadrangularis palmi & dimidii ex utroque latere, quòd è Zona appensum gestatur, soliisque Episcopis & aliis in dignitate constitutis permittitur. Latinè dici potest *supergenuale*. Est & aliud peculiare summi Pontificis ornamentum, quo utitur solemniter celebrans, estque velum sericum subtilissimum diversis coloribus distinctum & virgatum, quod post Albam & cingulum capiti imponit, & replicat super humeros & ante pectus. Orale olim dicebatur, nunc sanonem vocant. Quidam recentior putat subcinctorium idem esse ac Gremiale, sed errat: nam Gremiale pannus est, qui in gremio Episcopi celebrantis ponitur, cum sedet, & cum ordines confert; de quo agit Ceremoniale Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 11.

### *De Pallio Archiepiscopali. Quid sit. Quædam de usu ipsius. Quibus concedi soleat. Ejus origo. De Pallio Græcorum.*

XVI. POstremum Pontificale ornamentum est Pallium, quod solis Patriarchis & Archiepiscopis competit. Est autem Pallium fascia lanea candida tribus circiter digitis lata, & in modum circuli contexta, quæ super humeros imponitur, ex quo circulo alia similis fascia ante pectus, alia deorsum ex oppositò pendet, duæ super humeros demittuntur: quæ fasciæ purpureis crucibus sunt insignitæ. Ipsum autem pallium tribus aciculis, sive spinulis aureis alligatur. Fit ex lana Agnorum candidorum sine macula, qui in die sanctæ Agnetis in ejusdem Ecclesia via Nomentana singulis annis offerri ad Missam solemnem & benedici solent, ac subdiaconis Apostolicis consignari, & in aliquo Monasterio Sanctimonialium nutriri, donec veniat tempus ipsos tondendi. Ex quorum lana texuntur pallia, quæ in Basilicam Vaticanam delata super corpora sanctorum Apostolorum Petri & Pauli ponuntur in vigilia Natalis ipsorum, ibique tota nocte dimittuntur, ac die sequenti deputatis custodienda traduntur. Pallio semper & ubique utitur Romanus Pontifex, cujus est super omnes Ecclesias summum jus ac plenaria potestas: reliqui eo uti non possunt nisi intra Ecclesiam certis quibusdam & designatis diebus, cum Missarum solemnia celebrant, idque ex antiqua consuetudine, quam indicat Greg. Magn. *l.* 2. *epist.* 54. Joanni Archiepiscopo Ravennati sic scribens; „ Illud, Frater carissime, tibi non putavimus ignotum, quod penè „ de nullo Metropolitano in quibuslibet mundi „ partibus sit auditum, extra Missarum tempus „ usum sibi pallii vindicasse. *Et l.* 4. *epist.* 50. Vigilio Arelatensi, Pallium, *inquit*, transmisimus, „ quo Fraternitas tua intra Ecclesiam ad sola Missarum solemnia utatur. Idem statutum fuit in Synodo Romana sub Joanne VIII. edita ab Holstenio c. 3. „ Quicumque Metropolitanorum „ per plateas vel in Litaniis uti Pallio præsumpserit, & non tantùm in præcipuis festivitatibus, „ & ab Apostolica sede indictis temporibus, ad „ Missarum solummodo solemnia, careat illo honore. Si tamen verum est, quod Flodoardus scribit in historia Remensis Ecclesiæ lib 3. cap. 10. „ Hincmarus, *ejus Ecclesiæ Archiepiscopus*, pro „ suæ sanctitatis ac sapientiæ reverentia per interventionem Lotharii Imperatoris pallium ad „ quotidianum susscepit usum à quarto Leone Papa, à quo jam aliud perceperat in designatis sibi „ solemnitatibus debitè fruendum. Quem quotidianum pallii usum nulli unquam Archiepiscopo se concessisse, vel deinceps concessurum esse, „ idem Papa in epistola tunc ad eum directa testatur. Sed commentitiam esse hujusmodi concessionem ex epistola 47. Nicolai I. ad ipsum Hincmarum, & ex ejusdem ad Nicolaum responsione manifestum sit. Cum enim memoratus Pontifex sibi valde displicere scripsisset, quod ille pallio uteretur ultra dies sibi ab Apostolica sede indultos, respondet Hincmarus *tomo* 2. *editionis Sirmundi circa finem epist.* 26. his verbis. *Postremò de pallio à mea præsumptione non certis temporibus & juxta*

*& juxta morem aliis Metropolitanis definitis uso, unde vestræ Sanctitatis auribus intimatum esse indignitati meæ scripsistis, auctoritati vestræ veraciter fateor, quod & in istis regionibus per alios, si vobis placuerit, rescire valebitis, quia nisi in die Natalis Dominici, & in die sanctæ Resurrectionis ejus, vix in toto anno eodem pallio utor.* Falsa igitur est Flodoardi narratio, ipsomet Hincmaro teste, qui oppositam sibi usurpationem facilè potuisset diluere prolato Leonis privilegio, si extitisset. Concessum tamen Brunoni Colonienſi ab Agapito II. ut eo præter consuetudinem uteretur, quoties vellet, scribit Rogerus Monachus in ejus vita *cap.* 23. *apud Surium die* 11. *Octobris.* Milo quoque in vita S. Lanfranci Cantuarienſis *c.* 11. refert, Alexandrum II. duo pallia illi dedisse, unum quod de altari Romano more accepit: alterum quod sua manu ei porrexit, cum quo Missam celebrare solebat, in indicium sui amoris. Posset etiam pro usu quotidiano pallii afferri canon 6. Concilii I. Matisconenſis, quod anno 582. celebratum fuit, quo præcipitur, ut Archiepiscopus sine pallio Missas dicere non præsumat, nulla facta dierum solemnium, & non solemnium distinctione. Sed tunc forsitan non iidem erant mores, cum præsertim eo tempore solus Arelatenſis in Gallia usu pallii potiretur. Vel certè explicandus est canon non de quotidiana, sed de solemni dumtexat celebratione. Quod verò vir doctissimus ex eodem canone infert, duo tunc fuisse pallia, unum Romanum, Gallicanum alterum; & hoc quidem usos propria auctoritate Metropolitanos, quoties libuit; illud autem missum à Romano Pontifice pro certis dumtaxat & designatis diebus: hoc inquam accuratiùs examinandum foret; mihi enim nihil hactenus videre contigit, quo possit hæc conjectura stabiliri. Cæterùm non omnibus Archiepiscopis hunc honorem tributum, sed iis solummodo qui inter ipsos præcipui erant, nemo ignorat, qui in veteri historia versatus sit. Nam in Gallia nemini mittebatur, nisi soli Arelatenſi, de qua re extant epistolæ Vigilii ad Auxanium, Pelagii I. ad Sapaudum, & Gregorii Magni ad Childebertum Regem Francorum *lib.* 4 *epist.* 53. In Hispania soli Hispalenſi, in Dalmatia Salonitano, in Italia Ravennati, in Sicilia Syracusano, in Sardinia Caralitano, ut ex epistolis Gregorii liquet: sive hoc fieret intuitu Ecclesiarum seu civitatum præ cæteris eminentium: sive ob vicariatum Apostolicæ sedis illis Archiepiscopis tributum: quo titulo constat Pallio item à summis Pontificibus insignitos fuisse Archiepiscopos Corinthi, Thessalonicæ, & primæ Justinianæ. De S. Malachia hæc narrat Bernardus *vitæ ipsius cap.* 15. visum sibi Romam proficiſci, quia Metropoliticæ sedi deerat adhuc, & defuerat ab initio Pallii usus, quod est plenitudo honoris. Concessum postea fuit omnibus Archiepiscopis, ut hoc ornamento ab Episcopis destinguerentur. Nonnullos quoque Episcopos interdum hoc honore affecerunt Romani Pontifices, vel intuitu meritorum, vel alia justa de causa. A Marco Papa, qui obiit anno 336. concessum Ostienſi Episcopo refert Anastasius. Siagrio Episcopo Augustodunenſi à Gregorio Magno, cujus extat hac de re ad illum epistola 114. lib. 7. Actardo Nannetenſi ab Adriano II. ut ipse testatus est in Epistola ad eum directa his verbis: „ Decus tibi Pallii solo miserationis affectu contulimus, ut habeas pro exilio „ & catena Pallii ornamenta, non ad Ecclesiæ „ cui incardinandus es perpetuum institutum, sed „ ad tuum specialem certique temporis usum. Idem Privilegium habuit Theodulfus Aurelianenſis, de quo ipse sic cecinit:

*Solius illud opus Romani Præsulis extat,*
*Cujus ego accepi pallia sancta manu.*

Walo item sive Valenſis Metenſis Episcopus à Joanne VIII. Pallium suscepit, propter quod orta est controversia inter ipsum & Bertulfum Trevirenſem Archiepiscopum, quam Hincmarus Remenſis composuit. Extat epistola Joannis ad ipsum Walonem in supplemento Conciliorum Galliæ *pag.* 295. cui additæ sunt notæ hac de re ex historia Trevirenſi. Ipsum quoque pallium, ut de cæteris fileam, Gregorius VII. Brunoni Veronenſi *lib.* 1. *ep.* 24. pollicitus est, si Romam iret: *quia*, inquit, *Antecessorum nostrorum decrevit auctoritas, nisi præsenti personæ pallium non esse concedendum.* Nunc eo utuntur perpetuo privilegio episcopi Lucenſis & Ticinenſis in Italia, & Bambergenſis in Germania. Origo ejus in utraq; ecclesia Orientis & Occidentis antiquissima est. A Marco Papa concessum Ostienſi jam diximus, at Baronius *anno* 336. *num.* 62. Marco antiquiorem putat; est autem corrigendus, quod Phrygium à Celestino missum Cyrillo Alexandrino pallium esse crediderit, cùm proculdubiò capitis ornamentum fuerit, ut supra indicavimus. Ejusdem meminit Isidorus Pelusiota *lib.* 1 *ep.* 136. fusiùs differens de ejus usu & mystica ratione. Confirmat ejus vetustatem Liberatus Diaconus Carthaginenſis, qui in Breviario *cap.* 18. narrat sententiam damnationis à Felice Pontifice

latam adversus Acacium Constantinopolitanum, quam is recipere noluerat, à quodam Monacho pallio ejus alligatam fuisse, cum ad sacra celebranda ingrederetur. Posset & pallii antiquitas astrui ex rescripto Valentiniani Imperatoris, quo Metropoli Ravennæ anno 432. multas subjicit civitates, ejusque Archiepiscopo usum pallii concedit apud Rubeum in historia Ravennatum. At illud rescriptum omnino falsum & suppositititium esse ostendit Baronius *tomo 5. pag. 631. editionis Romanæ*: tum aliis de causis, tum quia non spectabat ad Imperatorem pallii usum largiri: quicquid in contrarium vir doctus scripserit, qui hoc non probat. Quod verò spectat ad canonicas conciliorum generalium sanctiones, nihil de eo sanctum legimus ante octavam synodum adversùs Photium, quæ de pallio agit can. 27. quia nimirum ejus concessio omnino pendet ab auctoritate summi Pontificis, à quo etiam constituta fuit forma juramenti, quod Archiepiscopi, antequam illud accipiant, præstare tenentur. Græci *Omophorion*, & *Epomadion* vocant, ut Theodorus Balsamon docet *in respons. ad 11. quæst. Marci Alexandrini*. Differentia tamen ingens est inter pallium Latinorum, & Græcorum Omophorion, sive Humerale, ut Latini interpretes vertunt: nam Latinum jam supra descripsimus; Græcorum verò est longa fascia ejusdem cum Latino aut paulò majoris latitudinis, collum primitus involvens, tum à collo per medium pectus infra genua descendens, crucibus itidem intertexta. Olim usque ad pedes protendebatur, nam Zonaras in vita Constantini Copronymi ait, Anastasium insistentem vestigiis Germani Patriarchæ Omophorion ejus calcasse, ut sic eum moneret, ne properaret. Aliud etiam discrimen inter utrumque reperitur, quod Latinum solis Archiepiscopis tribuitur, Græcum omnibus Episcopis commune est, qui illud deponunt, cum Euangelium legendum est, & reassumunt paulò ante communionem, ut docet Simeon Thessalonicensis *lib. de templo & Missa*. Plura de pallio Franciscus Florens *ad tit. Decretalium de usu & auctoritate pallii*: & de Omophorio Græcorum Goar *in notis ad Euchologium pag. 312. num. 8.* Habertus *ad partem secundam liturgiæ ordinum observat. 3.* & Morinus *de sacris ordinat. p. 2. in notis ad græcas ordinat. n. 19.* ubi latè ostendit, inter pallium Latinorum & Græcorum Omophorion magnum discrimen intercedere.

## *De vestibus Ministrorum, ac primùm de Cappa sive Pluviali.*

XVII. HActenus de vestibus celebrantium, sive in primo, sive in secundo Sacerdotio constituti sint. Quia verò Ministris rem divinam solemni ritu facienti assistentibus, Presbyteris videlicet, Diaconis, Subdiaconis, & Clericis specialia quoque indumenta assignata sunt, de his breviter agendum est. Ordo Romanus agens de ordine Processionis, quando Episcopus celebraturus est: *Duo*, inquit, *Presbyteri ita ut ad Missam, excepto quod Cappis induti sunt, vestiti ministrent ei.* Est autem cappa, prout sumitur hoc loco, vestis ecclesiastica à sola parte anteriori aperta, ab humeris usque ad pedes protensa, quam recentiores Pluviale vocant, quia olim pluviæ tempore sumebatur, ut Ferrarius *lib. 1. de re vestiaria cap. 39.* suspicatur. Et hinc fortè emanavit, ut à parte posteriori capitis tegumentum assutum haberet, quod caputium vocamus, cujus quædam forma seu vestigium in hodiernis pluvialibus remansit. Silent de hoc indumento veteres rerum Ecclesiasticarum scriptores; ejus tamen usum antiquiùs viguisse ordo Romanus evincit, cui suffragantur Lanfrancus *epist. 13. ad Ioannem Normanorum Archiepiscopum*, & alii quos refert Saussaius *prima parte Panopliæ sacerdotalis lib. 6. cap. 5.* Gulielmum Anglorum Regem sancto Hugoni Abbati Cluniacensi misisse cappam penè auream totam, narrat Auctor miraculorum ejus, in qua vix nisi aurum apparebat, vel margaritarum & gemmarum textus; inferiùs autem undique tintinnabula resonantia, ipsaque aurea pendebant. Latiùs post annum millesimum extensa est Cappæ significatio ad plures vestes sacras & profanas, ut ex Glossariis patet. Cappa pro quotidiana Monachi veste utitur Gaufridus Abbas in vita sancti Petri Tarantasien. cap. 27. *Tolle tibi cappam hanc manicatam.* Loquitur autem de cuculla monachali. Pro veste communi sæcularium Cæsarius Cisterciensis lib. 1. Dialog. cap. 38. *Videntes illum cappa trita atque vetusta indutum, æstimantes eum scholarem pauperem & vagum, suscipere renuerunt.* Pro habitu summi Pontificis Petrus Damiani *lib. 1. epist. 20.* ad Cadolaum Antipapam, *habes juxta morem Romani Pontificis rubeam cappam.* Sunt & cappæ Episcoporum & Canonicorum, quibus induti choro interfunt, de quibus non est hic locus differendi.

*De veste Diaconorum. Olim colobium, nunc Dalmatica. Ejus origo, forma, & usus.*

XVIII. Diaconorum proprium indumentum nunc est Dalmatica ex institutione sancti Sylvestri, qui, ut legimus in ejus actis, præcepit ut Dalmaticis in Ecclesia uterentur, cum antea teste Alcuino Colobiis uti solerent. Erant autem colobia tunicæ sine manicis, non quod prorsus manicis carerent, sed quia ad cubitum tantùm pertingebant. Dalmaticæ verò manicatæ erant, talares, sericæ, albæ, auro ornatæ, & plagulis seu clavis ex purpura assutis distinctæ. In Dalmatia primum inventæ, & illinc Romam translatæ sunt, unde & nomen acceperunt, sicut ait Isidorus *lib.* 19. *Orig. cap.* 22. Clavatas fuisse purpura præter Isidorum ibidem, asserunt alii scriptores Ecclesiastici diversis vocibus clavos explicantes. Ait enim Rabanus, habuisse duos tramites, Alcuinus duas virgulas, Amalarius duas lineas, alii duas zonas purpureas. Remansit itaque in Dalmaticis priscus mos angustorum clavorum, ut scribit Rubenius *lib.* 1. *de re vestiaria cap.* 8. qui ideo existimat, datam Diaconis Dalmaticam angusticlaviam, ut inferiores Presbyteris censerentur, qui latum clavum portabant, quæ erat vestis senatoria unico clavo purpureo distincta, qualia fuisse colobia Monachorum docet Dorotheus *serm.* 1. dicens, *signum purpureum assumimus in colobium nostrum, innuentes nos in Christi militiam adscriptos esse, & universas afflictiones ejus sustinere debere: etenim quando passus est Dominus noster, gestavit purpureum vestimentum.* Purpurâ autem etiam clericos quondam usos, patet ex Concilio Narbonensi apud Baronium *anno* 598. nam usum purpuræ Clericis interdixit. Hodie duobus angustis clavis ornatur Dalmatica, nullâ habita ratione coloris purpurei, imò aliquando sine clavis fit. Planeta verò uno lato clavo distinguitur, qui in multis adhuc apparet ex utraque parte in crucis figuram formatus, quia ut ait Tertullianus lib. de cor. mil. cap. 13. *Illic purpuræ tuæ sanguis Domini, & latus in cruce ipsius.* Dalmaticam Romanis in usu fuisse Lampridius testis est, qui de Commodo & de Heliogabalo Imperatoribus scribit in dedecus & probrum ipsorum, quod Dalmaticati in publicum processerint: vel quia mollium & delicatorum vestis censebatur, vel quia exotica & Romanorum oculis insueta erat. Ejus fit mentio in Actis S. Cypriani, sed sacrane an communis illa fuerit, diversæ sunt sententiæ. Ego omnino communem fuisse credo: illo enim ævo nondum ad usum sacrum translatum fuerat. Eutychianus Papa constituisse dicitur in libro Pontificali, ut, quicumque fidelium Martyrem sepeliret, sine Dalmatica aut colobio purpurato nullatenus sepeliret; quod honoris causa constitutum reor. Sed cum idem honos summis Pontificibus, ac ipsis etiam (*) Diaconis tribueretur, ut Gregorius indicat *lib.* 4. *Dialog. cap.* 40. decreto suo idem *lib.* 4. *epist.* 44. sancivit, ne feretrum, quo Romani Pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, Dalmaticis tegeretur. Differit de Dalmatica Baronius *in notis ad Martyrologium die ultima Maji*, cujus in ea describenda lapsus notavit Ferrarius *lib.* 3. *de re vestiaria cap.* 9. Proprium quoque Diaconorum ornamentum apud omnes nationes orientales & occidentales, est stola sive orarium in humero sinistro, de quo supra actum est.

(*) f. Martyribus.

*De vestibus Subdiaconorum. Olim sola Alba utebantur, postea Tunicam & Manipulum addiderunt. De Planetis, quæ antiquitus communes erant omnibus Ordinibus.*

XIX. Subdiaconi Romanæ Ecclesiæ, sedente in Apostolico throno Gregorio Magno, sola Alba induti suo ministerio fungebantur: quem morem alias Ecclesias ab ipsa Romana accepisse idem Gregorius asserit *lib.* 7. *epist.* 64. *ad Joannem Syracusanum.* Postea, teste Honorio in *Gemma animæ lib.* 1. *cap.* 229. duæ illis vestes peculiares tributæ sunt: Tunica, quam subtile vocat, quia subtiliùs contexta; & sudarium sive mappula, cui hodie successit Manipulus. Constat autem ex ordine Romano, magnum olim discrimen inter Dalmaticam Diaconi & Tunicam Subdiaconi extitisse: nam titulo de ordine processionis ante Missam loquens de vestibus Diaconorum stolas & Dalmaticas recenset; Subdiaconis verò sibi congruas vestes præbendas esse dicit, *quæ apud quosdam*, inquit, *Subdiacouales nominantur, & mappulæ in sinistra manu ferendæ*: sed quæ illæ fuerint nominatim non exprimit. Nulla nunc differentia reperitur inter Dalmaticam Diaconi, & Tunicam Subdiaconi, nisi quod hujus manicæ strictiores & breviores sunt: quæ differentia sæpè etiam negligitur. Diebus jejuniorum & in adventu tam Diaconi quàm Subdiaconi

diaconi planetis utuntur. Quando autem, & qua occasione hic ritus cœperit, non liquet. Ejus meminit ordo Romanus, à quo usus Planetæ etiam Acolythis tribuitur. Nam in ordine Ecclesiastico Romanæ Ecclesiæ, vel qualiter Missa celebratur, *Subdiaconus*, inquit, *tenet Pallium Pontificis in brachio suo super planetam.* Et paulò post, *Subdiaconus regionarius tenens mappulam Pontificis in brachio sinistro super planetam revolutam extens ad regiam Secretarii dicit.* Item, *Parat Evangelium qui lecturus est referato sigillo ex præcepto Archidiaconi super planetam Acolythi.* Et infra. *Archidiaconus suscipit amulas, quem sequitur cum scypho super planetam Acolythus.* Consentit Amalarius, qui lib. 2. cap. 19. *Casula*, inquit, *est generale indumentum sacrorum ducum, & pertinet generaliter ad omnes clericos.* Item, *Casula dupla est, post tergum inter humeros, & ante pectus.* Nullum autem tam ordo Romanus, quàm Amalarius ponunt discrimen inter planetam sive casulam sacerdotum & aliorum ordinum. Cum enim scriberent de re notissima, & eo tempore omnium oculis subjecta, non satis expressêrunt an & quomodo hujusmodi planetæ inter se differrent. In aliis autem auctoribus nihil reperio, quo hic ritus clariùs explicetur. Suspicor itaque, Planetæ nomen æquivocum tunc fuisse, & pro veste acceptum, qua sacerdotes & ministri postremò induebantur, quæcumque illa fuerit: sicut hodie, ut supra notavimus, cappam vocamus latum illud indumentum, quo Cardinales, Episcopi, & Canonici amiciri solent, cum publicas & ecclesiasticas functiones obeunt, vel choro assistunt sacris vestibus non induti: sicut etiam cappæ nomen tribuimus externo amictui multorum Religiosorum, atque etiam sæcularium; licet multum ab invicem discrepent. Quod si displicet hæc conjectura, viderint peritiores, quid de hac re statuendum sit; nam eadem fuisse Sacerdotum, Diaconorum, & Subdiaconorum, atque Acolythorum planetas non credo, nec conveniens & verisimile videtur.

### *De habitu sacro Clericorum. Quid & quale sit Superpelliceum.*

XX. NUnc Clerici minorum Ordinum, cum sacerdoti celebranti ministrant, superpelliceis utuntur, quæ vox barbara est, & ante annos sexcentos incognita: res autem sub aliis nominibus an fuerit ab antiquis designata, incertum est. Qui à temporibus Apostolorum usum superpellicei derivant, vetusta ei vocabula tribuunt; nam quidam esse Ephod contendunt, alii phelonium Græcorum, alii lacernam birrum, de quo in actis Cypriani: alii amphibalum, de quo Remigius in testamento ait, *futuro Episcopo successori meo amphibalum album* paschalem relinquo: quæ omnia accuratiùs examinare proposita mihi brevitas non patitur. Illud sanè certum est, tempore S. Hieronymi, ut ipse testatur *l. 1. adv. Pelagianos*, omnem clerum in sacrificii consummatione candidis vestibus ministrasse. Potest etiam hoc confirmari ex concilio Narbonensi anno 589. acto, quo sancitum fuit, ne Diaconus, Subdiaconus, aut Lector, antequam Missa consummetur, Alba se præsumant exuere. Ex quo colligitur, etiam Clericos alba indutos sacrificio astitisse. Sicut autem alba talaris est, ita etiam superpelliceum talare olim fuisse Stephanus Tornacensis, qui vivebat anno Christi 1180. testis est *epist. 123. ad Albinum Cardinalem*, cui mittit superpelliceum novum, candidum, & talare. Honorius similiter de indumentis Clericorum differens *lib. 1. cap. 232.* vestem esse ait laxam & talarem. Successu verò temporis decurtatam esse concilium Basileense ostendit *sess. 21.* ubi decernens quomodo divinum officium in ecclesia celebrandum sit, præcipit clericis habere tunicas mundas, & superpellicea ultra medias tibias longa. Nunc adeò detruncata sunt, ut vix ad genua pertingant.

---

## Caput XXV.

*De Missæ apparatu in vasis, supellectili, luminaribus, Incenso, Ministris, Cantoribus, & aliis, quæ infra separatim indicantur.*

POst Sacerdotum & Ministrorum indumenta sequuntur ea quæ propiùs ipsum sacrificium attingunt, sacra scilicet vasa, supellex & ornatus altaris, & reliqua ad Missæ apparatum pertinentia, de quibus breviter agendum est.

*De Calice, ejusque origine & materia. Ligneos quandoque fuisse, lapidios, & corneos; æneos item, & stanneos. Actum fusiùs de vitreis. Ecclesiam non nisi aureos & argenteos approbasse. Additæ his gemmæ & alia ornamenta. Quidam calices cum ansis. Quidam majores, & minores; ministeriales, & Baptismi.*

I. A Calice

I. A Calice incipio, in quo sanguis Christi, redemptionis nostræ pretium, consecratur. De ejus origine nemo qui credat Euangelio ambigere potest. Ibi enim legimus Redemptorem nostrum in ultima cœna, postquam tradidit discipulis suis sub specie panis corpus suum, accepisse calicem, & dedisse illis ac dixisse, ut omnes ex eo biberent sanguinem suum, qui mox pro illis & pro multis effundendus erat in remissionem peccatorum. Hoc testatur Apostolus se accepisse à Domino, & fidelibus tradidisse, *quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit & dixit*; Accipite & manducate, *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Similiter & calicem postquam cœnavit dicens, Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* Hinc Feria quinta majoris hebdomadæ, in qua hujus sacrificii institutio recolitur, *Natalis Calicis* ab antiquis Patribus vocabatur; quia tunc calix à profano usu ad sacrum Christo auctore translatus est. Præclarè Eligius Noviomensis Episcopus hom. 10. in cœna Domini, *Vocatur*, inquit, *hæc dies cœna Domini, vocatur & natalis Calicis, quia hac eâdemque die mysticum Pascha Dominus cum discipulis celebrans, Sacramenta corporis & sanguinis sui illis, atque per illos nobis tradidit, & ipse celebrationis initium fecit.* Qualis autem fuerit calix, quo Christus primùm usus est, describit Baronius *anno* 34. *nu.* 63. Bedæ nixus testimonio his verbis, „ Non præterimus tamen dicere, „ quod calix ille, in quo Redemptor noster Jesus „ Christus sacratissimam Eucharistiam consecra„ vit, ut egregium tantæ rei monumentum, à „ communi usu selectus, ac summa industria as„ servatus, ad huc Bedæ temporibus Hierosoly„ mis visebatur, de quo hæc ipse lib. de locis sa„ ctis cap. 2. In platea, quæ Martyrium & Gol„ gatha continuat, exedra est, in qua Calix Do„ mini scriniolo reconditus per operculi foramen „ tangi solet & osculari: qui argenteus calix hinc „ inde duas habens ansulas sextarii Galliçi mensu„ ram capit. A Christo igitur initium calicis habemus, quem ab Apostolis & deinceps à Patribus in sacrificiis adhibitum fuisse extra controversiam est, cum sacrum celebrari sine illo non possit. Ex qua verò materia primis ecclesiæ sæculis fabricari soleret, hîc primo loco investigandum est. In Concilio Triburiensi sub Formoso *cap.* 18. celebre apophthegma refertur S. Bonifacii Episcopi Moguntini: *Vasa quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, calices sunt & patenæ, de quibus Bonifacius Martyr & Episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere, respondit: Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc è contra lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus.* Honorius quoque in Gemma animæ lib. 1. cap. 89. *Apostoli*, inquit, *& eorum successores in ligneis calicibus Missas celebraverunt.* Sed Honorio id asserenti sine legitimo teste non credo: & ex verbis Bonifacii inferri non potest, quod usus lignei calicis communis fuerit in primitiva Ecclesia. Crediderim potiùs S. Antistitem zelo Dei succensum præteritorum comparatione sua tempora redarguisse, id quod homines passim solent. Fuisse in aliqua Ecclesia calicem ligneum vel propter rerum penuriam, vel propter incuriam sacerdotum, non inficior, neque enim concilium Triburiense loco citato statuisset, ne quis deinceps sacra mysteria in ligneis vasculis conficere præsumeret, nisi hic abusus alicubi irrepsisset. Canones quoque editi in Anglia sub Edgaro Rege *cap.* 41. calicem fusilem esse decernunt, vetantque ne omnino in ligneo fiat consecratio. Pixidem ligneam & in ea corpus Domini commemorat Rupertus Abbas *lib. de incendio Tuitiensi cap.* 5. Sed hæc conservandæ Eucharistiæ, non conficiendæ destinata erat. Inter abusus etiam recenseo lapideos & corneos calices. De lapideis sive marmoreis mentio fit in vita S. Theodori Archimandritæ apud Surium *die* 22. *Aprilis*; narrat enim Gregorius Presbyter ejus scriptor, quod cum monasterium ab illo ædificatum auctum esset, sed argentea supellectili careret, & vasa tantùm marmorea in mysteriis adhiberentur, misit sanctissimus Theodorus Archidiaconum suum ad regiam civitatem, ut argenteum vas ad sacrorum mysteriorum usum emeret. Ex lapide item onychino factos legimus, nam in synodo Duziacensi edita à Cellotio *pag.* 4. *cap.* 5. inter crimina Hincmari Laudunensis hoc numeratur, quòd calicem onychinum auro & gemmis ornatum à Rege donatum ab ecclesia substulerit. In actis S. Berneucardi episcopi Hildesheimensis scriptum est, plures ab eo calices datos ecclesiæ, & unum ex lapide onychino, alterum chrystallinum mira industria. Leo Ostiensis *in fine lib.* 3. *chronici Cassinen.* inter ornamenta à Victore III. Cassinensi ecclesiæ relicta, duos calices onychinos recenset. Similis lapidi onychino est sardonyx, ex qua gemma Sugerius Abbas se altaris officiis calicem pretiosum comparasse ait *in libro de gestis suis*, cum regnum administrabat. Cornei meminit Synodus Calcutensis in Anglia sub Adriano I. quæ ejus usum prohi-

buit *cap.* 10. Thomas item Bartholinus *lib. de medicina Danorum domestica* scribit, penes se esse calicem corneum, quo olim in sacrificio Missæ utebantur Norvegi. Fuerunt & calices vitrei, qui proculdubio mundiores & decentiores erant, & ideo antiquior ac frequentior eorum usus. Putant nonnulli, à Zephyrino Papa statutum fuisse, ut calices vitrei essent, in libro enim Pontificali sic de eo scriptum est. *Hic fecit constitutum de ecclesia, ut patenas vitreas ministri ante sacerdotes portarent, dum episcopus Missam celebraret.* At hic de calicibus nec verbum quidem, extendere autem ad calices statutum de patenis, ut plerique faciunt, ego non audeo, Pontifice nihil de illis decernente: cum præsertim nos lateat, ad quem usum portarentur illæ patenæ à ministris, quas probabiliter crediderim distribuendæ potius populo communioni, quàm sacrificio deservisse. Alii huc pertrahunt Tertullianum, qui lib. de pudicitia cap. 7. ait: *Procedant Picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius*, ovis scilicet perditæ & à Domino requisitæ, & humeris ejus revectæ. Et infra cap. 10. *Si fortè patrocinabitur pastor, quem in calice depingis.* Et post pauca. *At ego ejus pastoris scripturas haurio, qui non potest frangi.* Sed hic Tertullianus nihil de materia calicis exprimit, deque sola pictura loquitur, quæ non solum vitreis, sed etiam argenteis convenire possunt, illius præsertim scriptoris stylo, qui metaphoris abundat, & obscuritatem ubique affectavit, ut de illo testatur Lactantius *lib. 5. cap.* 1. Continent autem citata verba, ut hoc obiter notem, illius jam hæretici adversùs Catholicos amarulenta convitia, ac si pastorem ovem perditam gestantem in calicibus pingerent, ut hinc in omne scelus animarentur tanquam pœnitentiam summi Pastoris misericordia recepturi post lapsum, quam ipse negabat. Alii ad astruendum vitrei calicis usum plurima coacervant veterum Patrum testimonia, in quibus fracti calicis mentio fit, ac si nihil frangi possit, nisi sit vitreum. At hos redarguunt Grammatici, apud quos frangi dicitur, quicquid rumpi, discerpi, scindi, secari, collidi, conteri, comminui potest. Unde Cicero orat. 6. in Verrem, *Aureus annulus, quem habebat, fractus est & comminutus.* Et lib. 4. ad Atticum epist. 3. *Quinti fratris domus conjectu lapidum fracta est.* Certiores vitrei calicis probationes probæ notæ scriptores suppeditant. Apostolicis temporibus proximus fuit Marcus hæreticus & magus, qui testibus Irenæo *lib. 1. cap. 9.* & Epiphanio *hær.* 34. vitreum calicem, catholicorum morem æmulatus, ut putat Baronius, in mysteriis adhibens, vinum album præstigiis suis mutabat in rubrum, ac si per ejus invocationem sanguis stillaret in calicem. Donatus quoque episcopus Aretinus & martyr calice vitreo utebatur, quem fractum à Paganis fusa oratione reparavit, ut scribit Gregorius Magnus *lib. 1. Dialog. cap. 7.* S. Hieronymus *in fine epistolæ 4. ad Rusticum* laudans Exuperium Episcopum Tolosanum, *Nihil*, inquit, *illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, & sanguinem portat in vitro.* Cæsarius item Arelatensis, ut narrat Cyprianus ejus discipulus in vita ipsius, vitreo calice usus est, cujus illa verba referuntur, *An non in vitro habetur sanguis Christi?* quia nimirum aurea & argentea vasa pro redimendis captivis distraxerat. Calicis quoque vitrei fracti, & meritis S. Laurentii martyris in ejus Basilica Mediolanensi reparati meminit Gregorius Turonensis *lib. 1. de gloria Martyrum cap.* 46. Quod verò plures, præcipuè in Gallia, tam Episcopi, quàm Presbyteri vitreo calice usi sint, non in aliquam Ecclesiæ legem, neque in Ecclesiæ Gallicanæ consuetudinem, sed in temporum calamitatem referendum est ob barbarorum incursiones, quæ coegerant omne aurum Ecclesiæ pauperibus & in captivitate degentibus erogari, ut Hieronymus & Cyprianus supra citati asseverant. S. Benedictus Ananiensis, ut vitæ ejus scriptor ait, vasa ad conficiendum Christi corpus nolebat sibi esse argentea: siquidem primùm ei fuerunt lignea, deinceps vitrea, sic tandem conscendit ad stannea. Sanctus item Columbanus æneo calice usus est, cujus exemplum Gallus ejus discipulus imitatus, vasa argentea recusavit, ut habent ejus acta apud Surium *die 16. Octobris.* Verùm hæc privata illorum opinio fuit, & idem Benedictus mutata postmodum sententia non solum calices, sed & lampades & candelabra, aliaque ornamenta ex argento admisit. Porrò Gratianus *de consecr. dist. 1. c. 45.* & Ivo *p. 2. c. 131.* ex quodam concilio Rhemensi canonem afferunt, quo præcipitur, ne quis in ligneo aut vitreo Calice præsumat celebrare. At quale fuerit hoc concilium, & quo tempore celebratum, nec illi dicunt, nec mihi libet divinare, licèt non ignorem, à quibusdam recentioribus ad ævum Caroli Magni referri, qui tamen sui dicti nullam afferunt certam rationem. Pluries itaque vetitum, nunquam statutum aut approbatum legimus calicis lignei, aut vitrei, sive lapidei, vel cornei usum. Prohibetur similiter in eodem canone Rhemensi calix ex ære

vel

vel aurichalco, *quia ob vini virtutem parit æruginem, quæ vomitum provocat.* Mandat autem ut si non ex auro, saltem ex argento fiat. Quod si quis tam pauper est, ut argenteum habere non possit, saltem stanneum habeat. Richardus verò Cantuariensis Archiepiscopus immediatus S. Thomæ martyris successor in synodo à Rogero Hovedensi relata præcepit, ne consecraretur Eucharistia nisi in calice aureo vel argenteo, & ne stanneum calicem Episcopus benediceret. Cui consonans Petrus Damiani *opusc. 23. cap. 1.* acriter invehitur adversùs incuriam sacerdotum, qui stanneis, vel etiam supparis cujuscumque metalli calicibus, eisque sordidis utebantur, quos propriis adhibere labiis vir quilibet potens non dignaretur.

II. Hæc mihi de calicibus ex ligno, vitro, aliâve materia præter aurum & argentum non fabricandis ex veterum monumentis comperta sunt; ex quibus colligitur, orthodoxam Ecclesiam semper & ubique in hoc conspirasse, ut aureis vel argenteis calicibus sacerdotes uterentur. Urb. I. fecisse omnia ministeria sacrata argentea, & patenas argenteas 25. apposuisse narrat sub nomine Damasi auctor libri Pontificalis: non tamen hinc inferendum, ut quidam perperam faciunt, tunc primum ex argento cusos calices fuisse. Nam liber Pontificalis refert quid ille fecerit, quid verò ab aliis ante ipsum factum sit, & quibus vasis usi sint, non dicit. Contrarium potiùs evincitur ex facto S. Laurentii martyris integro ferè sæculo ante Urbanum, qui, ut scribit S. Ambrosius *lib. 2. de officiis cap. 28.* jussus à Sixto Pontifice aurum Ecclesiæ pauperibus erogare, martyrium subire maluit, quàm S. Pontifici non obedire. Aurum igitur egenis distribuit, vasa sacramentorum vendidit: quia in usus pauperum, ut ibidem docet Ambrosius, vasa ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet. Eleganter Prudentius *hym. 2. de coronis* persecutorem introducit petentem à Laurentio inter Ecclesiæ thesauros etiam vasa sacra his versibus.

*Hunc esse vestris orgiis*
*Moremque & artem proditum est,*
*Hanc disciplinam fœderis,*
*Litent ut auro Antistites.*
*Argenteis scyphis ferunt*
*Fumare sacrum sanguinem,*
*Auroque nocturnis sacris*
*Adstare fixos cereos,*
*Tunc summa est cura Fratribus,*
*Ut fermo testatur loquax,*
*Offerre fundis venditis*
*Sestertiorum millia.*

Hic mos fuit primorum Christi fidelium, qui venditis possessionibus pretia Apostolis in communem Ecclesiæ usum afferebant. Non ergo deerant Apostolis nummi, quibus & fratrum necessitatibus providerent, & quæ spectabant ad usum sacrificii compararent. Curasse autem ut ea maximè decentia essent, & ut vasa sacra ex pretioso metallo fabricarentur, non levi conjectura inferre possumus ex eorum pietate & maxima veneratione, qua divina mysteria corporis & sanguinis Christi prosequebantur. Derivata ab illis ad posteros hæc cura & religio est, adeò ut etiam sæviente persecutione aureos & argenteos calices ecclesiam habuisse fide dignissimi scriptores testentur. Optatus Milevitanus *lib. 1.* loquens de Mensurio episcopo, *Erant*, inquit, *ecclesiæ ex auro & argento quàm plurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec secum portare poterat.* In his autem ornamentis potiorem locum calices obtinuisse, nulli dubium esse potest; nam *lib. 6.* inter scelera Donatistarum hoc etiam recensetur, quod calices fregerint. *Fregistis*, inquit, *calices, Christi sanguinis portatores, quorum species revocastis in massas, mercem nefariis nundinis procurantes. Emerunt forsitan in usus suos sordidæ mulieres: emerunt Pagani facturi vasa in quibus incenderent idolis suis.* Ex quibus verbis duo evidenter deducuntur, unum quod etiam sub ethnicis Principibus Christianorum persecutoribus, quibus imperantibus Donatistæ eruperunt in Africa, habebat Ecclesia vasa aurea & argentea: alterum, quàm ineptè viri aliàs non indocti eam Optati sententiam, *Fregistis calices*, afferant ad probandum, quod calices tunc vitrei fuerint, à qua inconsulta opinione proculdubio recessissent, si integrum Optati textum legissent: neque enim vitri fragmenta vendi poterant, & in Paganorum vasa conflari. Extant acta Proconsularia adversùs traditores sub Diocletiano & Maximiano apud Baronium *to. 2. anno* 303. quorum meminit Augustinus *epist. 165. ad Generosum & in libris adversus Cresconium*, ex quibus constat, raditos à Donatistis non solùm sacros codices juxta edictum Diocletiani, sed etiam calices aureos & argenteos. Huc item spectat quod Gregorius Turonensis scribit *lib. 1. de gloria Martyrum cap. 38.* in cryptis subterraneis, in quibus olim fideles metu persecutionis sacris operari consueverant, varia ministeria argentea reperta fuisse. Sopitis verò persecutionibus sub Constantino Magno & deinceps, cœperunt Ecclesiæ aureis, argenteis, & gemmatis calicibus abundare. Ipse Constanti-

nus, ut liber Pontificalis in Sylvestro recenset, Ecclesias quas ædificavit, sacris donariis locupletans, inter cætera fecisse dicitur calices minores ex auro purissimo XL. pensantes singulos libras singulas: calices ministeriales L pensantes singulos libras binas: calices argenteos XX. pensantes singulos libras decem. Celebre est viri impii convitium, quem cum misisset Julianus Apostata ad expilandum templum Antiochenum, ut refert Theodoretus *lib. 3. hist. Eccles. cap. 8.* sacrorum vasorum, quæ Constantinus donaverat, magnificentiam admirans, *En*, inquit, *cujusmodi vasis filio Mariæ ministratur.* Basilicam Principis Apostolorum plurima ex auro & argento vasa & ornamenta possedisse, quando Alaricus Gothorum Rex Urbem diripuit, Paulus Orosius *l. 7.* jucunda & memorabili historia enarrat. Augustinus *conc. 2. in Psal. 113.* explicans versiculum *simulacra gentium, argentum & aurum*, ait: sed enim & nos pleraque instrumenta & vasa ex hujusmodi materia vel metallo habemus in usum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur. Chrysostomus aureum calicem & gemmis ornatum commemorat *hom. 51. in Matt.* Agathias *lib. 2. de reb. Justin.* gentem Alemannicam templa expilasse ait, amulas, calices, acerras, & alia vasa ex puro auro diripuisse. Ipsemet Chostoes Rex Persarum tametsi infidelis, ut refert Theophylactus Simocatta *lib. 5. histor. c. 13.* Sergio martyri crucem auream & gemmatam dono dedit ob victoriam ejus ope obtentam; itemque calicem, & discum, & thuribulum, aurea omnia, ut ejus intercessione prolem haberet à Sira conjuge, quæ erat Christiana. S. Perpetuus Turonensis Episcopus duos calices aureos Ecclesiæ suæ legavit, ut legimus in ejusdem testamento nuper edito *tomo 5. Spicilegii.* Childebertum Regem sexaginta calices aureos gemmis pretiosis ornatos ab Hispania in Galliam detulisse scribit Gregorius Turonen. *lib. 3. hist. Franc. cap. 10.* Omitto reliquos ejusdem vel sequentium sæculorum, quorum testimonia in re clarissima superflua sunt. Inter calices autem aureos, gemmis distinctos, & argenteos, quos Ecclesiis donatos legimus, nonnulli passim occurrunt magni ponderis, non usui, sed ornamento. Conradus Episcopus in Chronico Moguntino sacra vasa illius Ecclesiæ describens, calices recenset tantæ quantitatis, quòd cum ipsis divina mystetia nequaquam poterant celebrari: quorum unus duas habebat ansas, quæ poterant manus replere levantis. Carolus Magnus apud Anastasium in vita Leonis III. obtulisse dicitur calicem majorem cum gemmis & ansis duabus pensantem libras LVIII. Idem Anastasius in Gregorio III. commemorat inter donaria calicem cum gemmis pensantem libras XXXIV. & in Leone IV. calices majores ex argento purissimo, qui pendent, inquit, in arcu numero X. & alios qui pendent inter columnas numero XL. pensantes simul libras CCLXVII. Et in Paschali I. Fecit calices majores ex argento pendentes numero XLII. qui omnes simul pensant libras CCLXXXI. Habebant hi catenulas & ansas, quibus ante altare diebus Festis appendebantur. Iterum in Leone III. Fecit calicem majorem cum gemmis & ansis duabus pensantem libras XXXVI. Eumdem dedisse ait S. Petro calicem aureum præcipuum tetragonum spanoclystum diversis ornatum lapidibus pretiosis, pensantem libras XXXII. nec non & patenam auream spanoclystam miræ magnitudinis gemmis decoratam pensantem libras XXV. & unicas IX. In his observandum, non solùm majores, qui ad ornatum erant, sed alios etiam ad usum sacrificii ansatos olim fuisse. Ordo Romanus agens de officio Missæ, *Levat*, inquit, *Archidiaconus calicem per ansas, & tenet exaltans illum juxta Pontificem.* Magnum chronicon Belgicum calicem aureum commemorat habentem duas auriculas, quem S. Henricus Imperator Ecclesiæ sancti Laurentii obtulerat. Ideo autem ansatos fuisse puto, ut commodiùs tractari possent, & illis porrigi, qui ex ipsis Christi sanguinem haurire solebant. De calice sancti Remigii, qui propter imagines in eo incisas *imaginatus* dicebatur, & de versibus in eo sculptis legendus Flodoardus *lib. 1. hist. Rhemen. cap. 10. & 18.* Erant & calices baptismi, ut colligitur ex Anastasio in Innocentio I. quibus mysticum poculum lactis & mellis recens baptizatis porrigebatur, de quibus non est hic locus differendi. Constat quoque ex antiquis Ritualibus, plures in uno sacrificio adhibitos olim calices, quorum unus ipsi sacrificanti, & ministris, & aliis sacerdotibus, si qui erant prisco ritu concelebrantes, inserviebat: alii plures vel pauciores pro numero fidelium communicantium apponebantur, qui grandiores & capaciores erant, & dicebantur ministeriales, quorum sæpe fit mentio in vitis Pontificum. Respexit ad hanc calicum pluralitatem liturgia Jacobi, in qua Diaconis præcipitur, ut attollant discos, id est patenas, & calices ad impartiendum populo.

Simili

Simili modo in Constitutionibus Apostolicis monentur Diaconi prætervolantes bestiolas abigere, ne in pocula incidant. Permansit hæc consuetudo usque ad tempora Gregorii II. qui in epist. 14. qua respondet consultationibus S. Bonifacii, constituit, ne plures calices in altari ponerentur, eo quod hic usus institutioni Christi non conveniret, qui omnes de uno & eodem calice communicavit: cujus rationis pondus non est meum examinare. Observo tamen Gregorii II. sæculo communicantium numerum adeò imminutum fuisse, ut plures calices necessarii non fuerint. Sublata denique communione sub utraque specie, mos ille prorsus abolitus est. Armenii duos calices adhibent in Missa, sed alter patenæ Latinorum, sive Græcorum disci vicem gerit, in quo panem consecrandum ponunt, in altero autem vinum.

*De patena, ejusque forma & materia. Tangere vasa sacra quibus liceat. Ad quem olim spectaret illorum custodia.*

III. ANnexa calici est patena, quæ ejus operculum est, sic dicta à patendo, qua voce usus est Columella *l.* 12. *c.* 43. deque vasis apud profanos scriptores significat latis & patentibus labris. Græci *discon* vocant. Sed discus magis cavus & capacior est, ne panis & micæ excidant. Patenas magni ponderis, gemmisque ornatas sæpè memorat Anastasius inter donaria Pontificum pensantes XXV. vel XXX. libras. Et in Leone III. meminit patenæ majoris aureæ cum gemmis & ansis duabus. Porrò istæ cùm tantæ magnitudinis essent, usui esse non poterant sacerdoti celebranti. Erant autem & patenæ ministeriales cæteris ampliores, quæ distribuendæ populo Eucharistiæ deserviebant. Erant & Chrismales ad usum Baptismatis & Confirmationis. Ex eadem materia, quâ calices, conflatas fuisse, cum par utrorumque sit ratio, credibile est. Zephyrinus vitreas fieri sancivit, Urbanus argenteas, quod qualiter intelligi debeat, jam supra dictum est. An Christus consecratum panem in disco seu patena posuerit, non exprimunt Evangelistæ: ejus tamen usum ævi Apostolici esse Liturgia Jacobi ostendit. Sculptum in patena vultum Salvatoris referunt Anastasius in vita Gregorii IV. & Joannes Diaconus in vita sancti Anastasii Episcopi Neapolitani. Utriusque verò tam calicis quàm patenæ extat in Ordine Romano consecratio, unctione Chrismatis certisque precibus adhibitis, quem ritum è veteri testamento ad novum profluxisse reor. Ideò vetitus utriusque tactus profanis hominibus decreto Sixti I. à quo ait liber Pontificalis, constitutum, ut ministeria sacrata non tangerentur, nisi à Ministris. Decreto item Concilii Laodiceni sub S. Sylvestro c. 21. sancitum est, non oportere Subdiaconum vasa sacrata contingere. Et concilium Agathense cap. 66. statuit, non oportere in sacratos ministros vasa Dominica contingere. Quod verò attinet ad Subdiaconos, data illis facultas est ea tangendi in concilio Bracarensi primo sub Joanne III. cap. 28. *Placuit ut non liceat cuilibet ex lectoribus sacra altaris vasa portare, nisi his qui ab Episcopo Subdiaconi fuerint ordinati.* Acolythis etiam eamdem licentiam concessam ex ordine Romano manifestum est. His custodiendis sacrorum vasorum custos, quem Græci Scevophylacem & Cemeliarchen vocant, olim deputabatur, cujus inter officia & dignitates Ecclesiæ Constantinopolitanæ meminit Codinus *cap.* 1. Fungebatur hoc officio in Ecclesia Romana S. Laurentius, de quo Prudentius sic canit.

*Hic primus è septem Viris,*
*Qui stant ad aram proximi,*
*Levita sublimis gradu,*
*Et cæteris præstantior,*
*Clausuris Sacrorum præerat,*
*Cœlestis arcanum domus*
*Fidis gubernans clavibus.*

Neque licitum unquam fuit extra Scevophylaceum seu Diaconicon, quod Latini Secretarium dicebant, illa asportare, aut in domibus privatis conservare. Hinc Athanasius *Apolog.* 2. à calumnia contracti calicis, quam finxerant adversùs ipsum Ariani, sufficienter se purgat dicens locum, in quo confractum poculum jactitabant, Ecclesiam non fuisse, nec quemquam Presbyterum ei loco vicinum repertum esse, cum mysticum poculum nusquam nisi apud legitimos Ecclesiæ præsides inveniatur. In concilio item Chalcedonensi inter crimina, quæ Ibæ Episcopo Edessено objecta fuerunt, secundum hoc fuit, quod calicem gemmatum magni pretii inter vasa sancta Ecclesiæ sub custodis cura non reposuerit, & nescirent quid de eo factum esset. Idem mos semper & ubique in Ecclesia invaluit, ut vasa ministerii neque in privata domo, neque à profanis hominibus; sed in æde sacra à ministris Ecclesiasticis sollicitè & caurè servarentur.

*De aliis vasis seu instrumentis ad sacrificium spectantibus, ac primùm de fistula, qua sanguis Domini è calice hauriebatur. Varia ejus nomina. Cur sanguinis communioni Confirmationis nomen tributum. Locus Ambrosii perperam correctus restituitur. De usu fistulæ.*

IV. PRæter calicem & patenam alia sunt vasa & instrumenta, quæ remotiùs ad sacrificium spectant & ideo non consecrantur. Ea enumerat Ordo Romanus, ubi agit de ordine celebrandæ Missæ; & passim occurrunt apud Anastasium inter donaria summorum Pontificum. Ab his paucis me expediam, nam si fusiùs & singillatim cuncta prosequi vellem, nimis in longum extenderetur hæc disquisitio. Ordior à digniori divinum Sacramentum propriùs attingente, nempe à Fistula seu cannula aurea vel argentea, qua sanguis Christi olim è calice hauriri solebat. Ejus usum explicat Ordo Romanus his verbis. *Diaconus tenens calicem & fistulam, stet ante Episcopum, usque dum ex sanguine Christi quantum voluerit, sumat; & sic calicem & fistulam subdiacono commendet.* Conradus Episcopus in chronico Moguntino de Missæ apparatu scribens ait, *Erant fistulæ quinque ad communicandum argenteæ deauratæ.* Leo Ostiensis *in fine lib. 3. chron. Cassin.* inter donaria Victoris III. ad usum sacrificii fistulam unam auream cum angulo, & alias argenteas enumerat. Liber usuum ordinis Cisterciensis *cap. 53.* agens de ritu communionis in Missa solemni, fistulam inquit necessariam non esse, cum soli Ministri communicant: cum verò plures communicant, fistula uti debent, quam peracta communione ab utraque parte fugendo, sanguine Domini evacuari jubet. In aliis tamen antiquis Monachorum Ritualibus usus fistulæ præscribitur sacerdoti & ministris, cæterisque omnibus communicare volentibus. Ab Anastasio in Adriano *siphon* nuncupatur. *Obtulit calicem majorem fundatum cum siphone pensantem libras XXX.* Sunt enim siphones, tubi, sive fistulæ, quibus aqua in fontibus emittitur. Apud Miræum in codice piarum donationum cap. 21. extat testamentum S. Everardi comitis anno 937. in quo inter supellectilem sacram *Pipa aurea* nominatur, id est cannula ad hauriendum sanguinem ex calice, ut optimè Miræus in notis explicat. Antiqua Carthusianorum statuta *calamum* vocant. *Ornamenta*, inquiunt, *aurea vel argentea præter calicem & calamum, quo sanguis Domini sumitur, in Ecclesia non habemus.* Credo autem, quod per analogiam ad calamum, quo scribimus, etiam pugillarium nomen fistulæ inditum sit in Ordine Romano. Pugillares enim numero multitudinis numerantur inter instrumenta sacra, quæ Pontifici ad Stationem procedenti præferebantur: & numero singulari idem liber ait: *Deinde Archidiaconus tradit calicem subdiacono, qui tradit ei pugillarem, cum quo confirmat populum.* Scio quidem, pugillarium nomine à Latinis scriptoribus intelligi tabulas, in quibus olim scribebant, quæ Græcè *pinacidia* dicuntur: sed postea idem vocabulum translatum est ad stilos seu graphia, sive etiam pennas vel calamos significandos, quibus litteræ formantur; & ex hac similitudine idem nomen, ut dixi, fistulæ seu calamo tributum est, quo sanguis è calice exugebatur. Populum verò confirmare, est ipsum Dominico sanguine reficere & sanctificare: sicut enim baptizatus unctione Chrismatis & manus impositione ab Episcopo accepta perfici dicebatur, ut loquitur concilium Illiberitanum cap. 38. & 77. unde factum est, ut chrismatis sacramento Confirmationis nomen impositum sit: ita qui acceperant corpus Domini, accepto etiam calice, phrasi illius sæculi confirmari dicebantur, ac si sanguinis potus communionis complementum esset, ut ait Micrologus *cap. 19.* sicut chrisma complementum quoddam Baptismi censebatur; adeò ut nondum chrismate uncti, sicut observat Albaspinæus *ad cit. c. 77. Illiberitanum*, nec perfectè Christiani haberentur, nec ad Eucharistiam, quæ est maximum & perfectissimum Christianorum mysterium, admitterentur. Non quod baptismus sine chrismate non sit perfectum Sacramentum, sed quia per eam unctionem novum gratiæ robur additur ad fidei confessionem: & quia usus illorum temporum ferebat, ut fideles sub utraque specie communicarent, calicis participatio veluti complementum Eucharistiæ phrasi tunc usitata censebatur. Atque huc credo respexisse Tertullianum lib. 4. adv. Marcionem c. 40. dum ait, *In calicis mentione testamentum constituens sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmavit.* Hoc item seusu dixisse existimo Sixto Pontifici Laurentium Diaconum apud Ambrosium lib. 1. offic. cap. 41. *Experire certè utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem.* Sic enim

enim scriptum est in antiquis codicibus tam editis quam M SS. non *dispensationem*, ut in vulgatis libris correctum est. Huic autem lectioni nullatenus formidandæ aut corrigendæ, sed omninò restituendæ, favet contextus, nam sequitur, *cui consummandorum consortium sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?* Consors scilicet erat Diaconus consecrationis & consummationis sacramentorum, & Ambrosius modo loquendi illius sæculi, non de consecratione sacramentali sed ministeriali loquutus est. Certus est enim quod Diaconus non consecrabat sanguinem Christi; sed eo à sacerdote consecrato sanctificabat, confirmabat, & quodammodo consecrabat populum, ipsum sanguinem ministrando & dispensando. Petrus Blesensis *epist.* 123. *ad Episcopum Londonensem* præcitata Ambrosii verba sic explicat. *Nobis enim Diaconis consecratio illius salutaris hostiæ committitur, non ut conficiamus, sed ut conficientibus humiliter assistamus.* At verò hoc sensu non solùm Diaconus, sed omnes astantes dicerentur consecrare: & huc pertinet Guerrici Abbatis sententia *serm.* 5. *de Purificatione* dicentis: *Non solus sacerdos sacrificat, non solus consecrat; sed totus conventus fidelium qui astat, cum illo consecrat, cum illo sacrificat.* Hæc autem explicatio à sensu veteris Ecclesiæ remotior, & minus propria est, cui prior præferri debet, ut dicatur Diaconus consecrare, quatenus sanguinem dispensat, qui est consecratio & sanctificatio nostra, & fons atque essentia sanctificationis. Utitur nunc fistulâ summus Pontifex, cum solemniter celebrat, illâ hauriens quantum vult de sanguine, reliquum ministris relinquens, qui eâdem fistulâ ipsum absumunt. Idem usus adhuc permanet in celebri Monasterio sancti Dionysii in Francia Ordinis S. Benedicti, nunc congregationis sancti Mauri, quæ veteri disciplinâ restauratâ, monasticarum Congregationum & merito & numero nulli secunda, doctrinâ & sanctitate mirabiliter floret. Ibi enim Ministri more antiquo sub utraque specie communicant, & sanguinem è calice fistula hauriunt. Apud Græcos fistulæ usum nusquam reperio, nam cochleari communionem corporis simul & sanguinis ministrant, ut suo loco videbimus.

### *De Urceis, aliisque vasis ad infundendum calici vinum & aquam. De Calatorio & Aquamanili.*

V. UT vinum & aquam calici infundamus, urceis sive urceolis vitreis vel argenteis uti solemus, quos hodie ampullas vocamus. Olim verò singuli fideles vinum in scyphis sive amulis offerebant, ex quo Diaconus calici infundebat, quantum sacrificanti & communicantibus sufficiebat. Ita Ordo Romanus sæpe cum agit de Ordine Missæ, *Pontifice*, inquit, *oblationes populorum suscipiente, Archidiaconus suscipit post eum amulas, & refundit in calicem majorem, quem sequitur cum scypho*, continente scilicet aquam, *super planetam Acolytus.* Item *Ornato altari Archidiaconus sumit amulam Pontificis cum vino de subdiacono oblationario regionario, & refundit super colum in verticem.* Et alibi inter vasa sacri ministerii amulas argenteas recenset ad vina fundenda. In vitis quoque Pontificum passim reperiuntur donatæ Ecclesiis amæ argenteæ & scyphi argentei, ac etiam aurei & gemmis distincti, tum ad usum, tum ad ornatum: nam plures reperiuntur pensantes libras 12. 15. 20. & multò ampliùs. In actis Proconsularibus supra citatis cum aliis vasis sacris, quæ traditores juxta edictum Diocletiani dedisse leguntur, etiam urcei argentei nominantur. Ordo Romanus inter vasa sacra gemelliones argenteos numerat. quos ornamenta quædam gemmata esse putat Bulengerus *lib. de donariis Pontificum cap.* 50. Rectiùs autem Vossius *lib. de vitiis sermonis* gemelliones esse ait vasa & urceolos ejusdem generis & formæ similis, ut ferè solent gemini fratres. Non dissimili notione gemellarium lego apud Augustinum *in psal.* 80. & est genus vasis sic dictum quod geminam mensuram contineret. Urceolis sive amulis aut scyphis jungebant antiqui *Colatorium*, quod est vasculum concavum subtilissimis foraminibus in imo fundo perforatum, per quod vinum & aqua ex amulis sive urceolis in calicem refundebantur, ne quid impuri in ipsum effueret. Illud Ordo Romanus aliquando colatorium, nonnumquam colum & colam fœminino genere nuncupavit. Ejus meminit Anastasius in Sergio II. & Benedicto III. Chronicon Moguntinum sæpiùs citatum, *Erant*, inquit, *Colæ argenteæ novem, per quas vinum poterat colari.* In Musæo Barberino extat parvum colatorium instar cochlearis cum oblongo manubrio. Aliud item argen-

argenteum instar scutellæ, cujus minutissima foramina pulcherrimum opus reticulatum efformant. Mansit Colatorii memoria in antiquis quorundam Monasteriorum Ritualibus, an verò usus adhuc perseveret, incompertum mihi est. Lavandis manibus, quoties in ipsa actione Missæ opus est, Ordo Romanus Aquamanile, Aquimanile, & vas manuale assignat, quod etiam barbaro vocabulo Aquamanus dicitur, tum ibi, tum apud Anastasium. Reperitur quoque Aquimanile in Pandectis *de supellectili legata lib.* 3. sic dictum, ut notat illic Gotofredus, quod ex eo aqua manet in pelvim, vel quod aquam poscere solerent antiqui his verbis. *Aquam manibus*, ut apud Plautum in Truculento, & in Persa. Ait quoque Concilium Carthaginense IV. subdiaconum in sua ordinatione suscipere de manu Archidiaconi scyphum aquæ cum Aquamanili & manutergio, quia nimirum ad ipsum spectabat aquam ad ministerium altaris præparare, ipsamque lavandis manibus Episcopo, Presbyteris & Diaconis præbere.

*Recensentur sacra Græcorum instrumenta latinis ignota. Ea sunt lancea, Asteriscus, Dicerion, Tricerion, Cochlear & Flabella. Astruitur Flabellorum usus in Ecclesia latina.*

VI. ALia quædam sacri ministerii instrumenta habent Græci Latinis ignota, nempe *Lanceam*, sive gladiolum lanceæ figuram habentem, qua hostiam consecrandam ab integra panis massa secant. *Asteriscum*, qui duobus arcubus constat radiis ad instar stellæ fultis, quo hostias consecrandas cooperiunt, ne vela eas tangant, & ordinem particularum turbent. *Dicerion*, quod est cereus bisulcus, & *Tricerion*, quod est cereus trisulcus, quibus Episcopus celebrans sæpe populo benedicit, & utrumque frequenter manibus gestat. Cochlear ab ipsis *Labida* dictum, quo utuntur ad communionem fidelibus porrigendam. Hanc vocem Genebrardus & Hervetus in Liturgiis, quas ediderunt, forcipem interpretati sunt, sed malè, ut in notis ad Liturgiam Chrysostomi *p.* 152. doctissimus Goar observat. Habent denique *Flabella*; quibus duo Diaconi ex utroque latere altaris muscas & alias immundas bestiolas prætervolantes abigunt, ne sacra contingant. Sacra *Ripidia* vocant Græci, *ripis* enim & *ripidion* flabellum est. Horum usus in Ecclesia Orientali antiquissimus est, & expressè habetur in constitutionibus Apostolicis, *lib.* 8. *cap.* 12. atque in Liturgiis Basilii, Chrysostomi, aliisque Græcis & Syriacis. Manubrium habent ligneum satis longum, cujus extremitati facies Cherubini sex alis circumdata affigitur, ejusque motu ventilant Diaconi sancta dona certis temporibus, quæ in ordine Liturgiæ notantur. Quod si desint flabella, solent linteola & vela manu apprehendere, & iis ventilare. Nec solùm ad abigendas muscas inventa sunt, sed etiam propter quasdam mysticas rationes, quæ ad meum propositum non spectant, & legi possunt apud S. Germanum *in sua Theoria*, & apud Jobium Monachum relatum à Photio in sua bibliotheca *c.* 222. *lib.* 6. *cap.* 25. in Ordine Romano & in multis Latinorum ritualibus libris nulla fit mentio flabellorum, ex quo silentio colligunt quidam caruisse Latinos his instrumentis. Sed eorum usum aliquando viguisse tam in Romana, quàm in aliis occidentalibus Ecclesiis, fide dignissimis testibus demonstrabo. Joannes Moschus *cap.* 150. *Prati spiritualis* narrat Episcopum quemdam Italum coram Agapito summo Pontifice Romæ celebrantem, cum sanctæ oblationis orationem non concluderet, eo quod juxtà consuetudinem S. Spiritus descensum non videret, rogasse Pontificem, ut juberet ab altari recedere Diaconum, qui flabellum tenebat, quo amoto vidit continuò Episcopus Spiritus Sancti adventum, Hildebertus Turonensis *epist.* 8. cum misisset amico flabellum, de usu ipsius tropologicè disserit, tum ostendit ad usum sacrificii destinatum illud fuisse dicens: „ Dum igitur destinato tibi „ flabello descendentes super sacrificia muscas „ abegeris; à sacrificantis mente supervenientium „ incursus tentationum catholicæ fidei ventila„ bro exturbari oportebit. Ita fiet, ut quod „ susceptum est ad usum, mysticum tibi præ„ beat intellectum. In antiquis Cluniacensium consuetudinibus editis *tomo* 4. *Spicilegii lib.* 2. *cap.* 30. usus flabelli his verbis commemoratur. „ Unus ministrorum, qui semper duo debent esse, „ stans cum flabello prope Sacerdotem, ex quo „ muscarum infestatio exurgere incipit, donec fi„ niatur, eas arcere à sacrificio & ab altari, seu ab „ ipso sacerdote non negligit. Cæremoniale denique Pontificium tempore Nicolai V. quod M. S. extat in bibliotheca Barberina *cod.* 2365. cap. de his quæ servanda sunt circa ministerium, quando Episcopus Cardinalis Missæ solemnia celebrat, propè finem Capituli ait, *Deferant quoque æstivo tempore flabella ad ejiciendas muscas à ministerio.* Eadem quoque flabella sæpius com-

commemorat in descriptione Missæ, quam Papa solemniter cantat. Hodie in Ecclesia Romana, cum summus Pontifex solemniter celebraturus procedit, duo flabella ex pennis pavonum compacta hinc inde portantur, sed nulluseorum intra Missam usus est;

*De Candelabris, aliisque vasis ad usum luminum. Ea in Ecclesia antiquissima esse. Solvitur objectio ex Lactantio, & ex concilio Illiberitano.*

VII. COmmunia omnibus Ecclesiis sunt candelabra, lumina, crux, thuribulum, & libri; de quibus distinctè agendum est. Candelabra, aliaque vasa affabrè facta ex auro, argento, aliove metallo, quibus fixæ candelæ, vel ellychnia oleo fota accendebantur ad præbendum lumen, ab ipsis Apostolorum temporibus fuisse in Ecclesia, inde ostendit Baronius *anno* 58. quia hic usus jam ante vigebat apud Hebræos, quibus in templo & lucernæ succensæ erant, & aureum candelabrum pretiosissimum, *Exodi* 25. egregiè descriptum. Quàm verò sumptuosa hæc essent, satis expressum habemus apud Anastasium, & alios, qui summorum Pontificum & Principum donaria recensentes, frequenter enumerant pharos coronatos, lampades cum delphinis, canthara cereostata, & lucernas aureas atque argenteas, multique ponderis, in quibus non solùm cera & oleum commune, sed aliquando oleum pretiosissimum & opobalsamum incendebatur. His autem vasis dives erat Ecclesia etiam sub ethnicis Imperatoribus, qui ipsam devastabant: In actis enim Proconsularibus traditæ leguntur in Africa ministris Diocletiani lucernæ argenteæ septem, æneæ undecim cum catenis suis, cereofala duo, candelæ breves æneæ cum lucernis suis septem. Et Prudentius in hymno S. Laurentii in persona Tyranni cecinit;

*Argenteis scyphis ferunt*
*Fumare sacrum sanguinem,*
*Auroque nocturnis sacris*
*Adstare fixos cereos.*

Est & canon 3. Apostolorum, ne liceat aliquid aliud ad altare offerre præter oleum ad luminaria, & incensum tempore sanctæ oblationis. Athanasius in epist. ad orthodoxos de Arianorum persecutione, ethnicos ab illis in Ecclesiam introductos conqueritur, qui candelabra deposuerunt, & cereos idolis incenderunt. Eumdem luminum usum indicat Paulinus *Nat.* 3. *S. Felicis*;

*Clara coronantur densis altaria lychnis,*
*Lumina ceratis adolentur odora papyris.*
*Nocte dieque micant, sic nox splendore diei*
*Fulget: & ipsa dies cœlesti illustris honore*
*Plus micat innumeris lucem geminata luceriis.*

Ex quibus apparet, non solùm noctu, sed etiam interdiu succensa lumina, quem morem culpabat Vigilantius dicens, „ prope ritum gentilium vi„ demus sub prætextu religionis introductum in „ Ecclesias, sole adhuc fulgente moles cereorum „ accendi. At Vigilantio nervosè, ut solet, Hieronymus respondit, Ostendens eum morem universalem esse in oriente, & occidente, non ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Aliam addit rationem Isidorus *lib.* 7. *originum cap.* 12. ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Evangelio legitur. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Præclarè item Micrologus cap. 11. „ Juxta „ Romanum Ordinem nunquam Missam absque „ lumine celebramus, non utique ad depellen„ das tenebras, cum sit clara dies, sed potius in „ typum illius luminis, cujus sacramenta ibi con„ scimus, sine quo & in meridie palpamus, „ sicut in nocte. Hunc usum improbare videtur Lactantius Firmianus *lib.* 6. *div. instit.* cap. 2. sic scribens; „ Num igitur mentis suæ compos „ putandus est, qui authori & datori luminis „ candelas ac cereorum lumen offert pro mu„ nere? At si bene perpendatur, solos ethnicos, quos impugnat, reprehendit, quia lumina Deo accendebant tanquam in tenebris degenti, & luce indigenti. Difficilior objectio sese offert ex c. 34. concilii Illiberitani, *Cereos per diem placuit in cœmeteriis non incendi, inquietandi enim Sanctorum spiritus non sunt.* Qui sanè canon crucem fixit interpretibus, tum ob prohibitionem, quæ omnium Ecclesiarum consuetudini adversari videtur; tum ob ejus rationem, quia non satis constat, quomodo possint Sanctorum spiritus luminibus inquietari. Variæ Doctorum explicationes extant in commentariis ad ipsum concilium novissimè editis Lugduni, quæ ibidem legi possunt *pag.* 321. *& sequentibus.* Sed ut verum fatear, nulla eorum nodum solvere mihi videtur, nec meum est tantas componere lites. Forsitan in illa Provincia ex luminum in cœmeteriis accensione aliqua superstitio irrepserat, quæ citato canoni occasionem dedit, ex cujus ignorantia obscuritas & difficultas in ejus intelligentiâ orta est. Plura de usu luminum in Ecclesia congerit Baronius loco citato.

*Cur sine cruce celebrari Missa non debeat. De hujus ritus antiquitate.*

VIII. INter candelabra Crux in altari collocari solet, quem ritum antiquissimum esse ostendunt plerique ex canone 3. concilii secundi Turonensis habiti anno 570. *Ut corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.* De cujus legitimo sensu certant viri eruditi, & adhuc sub judice lis est. Alii verò multo antiquiorem meritò existimant, utpote qui ab Apostolica traditione profluxerit. Ab aspectu siquidem crucis sacerdoti celebranti passio Christi in memoriam revocatur, cujus passionis viva imago & realis repræsentatio hoc sacrificium est, mortem cruentam Salvatoris nostri incruentè exprimens, tanquam idem sacrificium, quod in cruce oblatum est, quamvis diverso modo offeratur. Ideò sancti Patres, ut seraphicus Bonaventura testatur *lib. de mysteriis Missæ*, statuerunt ne quisquam Missas agat, nisi in altari adsit imago crucifixi. Ideò etiam Christi cultores maxima semper veneratione signum crucis prosequuti sunt, adeò ut ad omnem aditum atque exitum, ad vetitum, ad calceatum, ad mensas, ad lavacra, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia frontem tererent crucis signaculo, ut loquitur Tertullianus *cap.* 3. *de corona militis*. Basilius lib. de spiritu sancto *cap.* 27. inter dogmata, quæ sine scripto recepimus ex Apostolica traditione, hoc primo loco commemorat, ut signò crucis signentur, qui spem in Christo collocarunt. Augustinus tract. 118. in Joannem, „ Quid est, *inquit*, signum „ Christi, nisi Crux Christi? quid signum nisi ad„ hibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi „ aquæ ex qua regenerantur, sive oleo quo chris„ mate unguntur, sive sacrificio quo aluntur; nihil „ horum ritè perficitur. Nec solùm crucis signaculo in omni actu se munire consueverunt fideles, sed & materialem ipsius crucis figuram venerari, de qua re antiquos canones Antonius Augustinus collegit *lib.* 16. *juris Pontificii tit.* 14. Crucis aureæ in altari meminit Beda *lib.* 2. *hist. cap.* 20. Et Jonas Aurelianen. adv. Claudium Taurinen. in præfat. lib. 2. „ Multa, *inquit*, sunt, „ quæ mos sanctæ Ecclesiæ, sicut à majoribus „ tradita sunt & derelicta, quadam insita atque „ nativa celebratione frequentat. Neque enim „ nostro tempore usus irrepsit, figuram crucis in „ basilicis Sanctorum statui, sed mos antiquæ ob„ servationis legitimus id instituit.

*De Thuribulis, & usu Incensi. Antiquissimum eum esse apud omnes nationes.*

IX. THuribulum sive Thymiamaterium, quod etiam suffitorium dicitur ab Anastasio, vas est in quo thura & varii odores incenduntur in solemni oblatione, idque ex Apostolica traditione, & Mosaicæ legis exemplo. Nulla est Ecclesiastica ceremonia, cujus crebrior mentio fiat in antiquis & recentioribus omnium gentium Liturgiis, quàm thuris & thymiamatis, quod sæpè inter sacrificandum adoletur. Solemne hoc fuit omni quantumvis barbaræ & veræ religionis experti, ut nullum sacrificum ritè peragi crediderint sine incenso vel aliquo saltem odorifero suffimento. Magi thure Christum Deum venerati & professi sunt: Simili modo Poëtæ à divinitatis protestatione thuris oblationem inseparabilem esse putabant; *Templa tibi statuam*, ait Ovidius, *reddam tibi thuris honorem.* Qua persuasione Christiani idolis sacrificasse censebantur, qui summis digitis aliquot thuris grana in ignem injecissent, quos *thurificatos* vocabant, ut ab aliis lapsis discernentur, qui libellatici, sacrificati, & idololatræ vocabantur, sicut ex Cypriano docet Baronius *to.* 2. *ann.* 253. Notum est dictum Tertulliani in Apolog. cap. 9. *examinatorem Christianorum adhiberi ut foculum ut acerram oportebat.* Est autem acerra vas, in quo thus reponi solet. Oblata thymiamateria duo à Constantino Magno ex auro purissimo pensantia libras XXX. itemque aliud aureum cum gemmis pensans libras XV. refert liber Pontificalis in Sylvestro. Idem in Sergio ait: „ Hic fecit thymiamate„ rium aureum majus cum columnis & cooper„ culo, quod suspendit ante imagines tres aureas „ B. Petri Apostoli, in quo incensum & odor „ suavitatis festis diebus, dum Missarum solemnia „ celebrantur, omnipotenti Deo opulentius mit„ titur. Usum verò adolendi altaria intra solemnia divini officii vetustissimum esse, indicat Ambrosius ad cap. 1. Lucæ dicens, *atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat Angelus.* Eundem ritum explicat expositor Ordinis Romani apud Cassandrum in Liturgicis, *post Credo*, inquit, *thuribula per altaria portantur, & postea ad nares hominum feruntur, & per manus fumus ad os trahitur.* Est & *can.* 3. Apostolorum supra citatus, quo sancitur, ne quid ad altare offeratur præter oleum pro luminaribus, & incensum tempore oblationis. In libro veterum consue-

consuetudinum monasterii Floriacensis diebus solemnioribus præscribitur, ut ante matutinum & vesperas sacrista thurificet omnia altaria. Idem olim monachi ante privatas orationes observare solebant, præsertim Græci, ut ex vitis eorum constat. Quod verò ministris altaris, ac postea circumstantibus etiam laicis, thuris suffitus præberi soleat; non ad dignitatis prærogativam, ut per abusum irrepsit, sed ad religionem pertinet, ut nimirum excitet ad orationem, & effectum divinæ gratiæ repræsentet. Unde Apoc. 8. incensa sunt orationes Sanctorum, & in Psalmo canimus, *dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Sacerdos item in Ordine Romano benedicens Incensum orat, ut omnes insidiæ & phantasmata dæmonum, omnesque languores vi odoris ipsius effugentur. Thuris denique usui à tempore Apostolorum in Ecclesia recepto non obstat Tertullianus, qui in apologetico *cap.* 30. ait nos puram precem offerre Deo, *non grana thuris unius assis, non arabicæ arboris lacrymas:* Non Arnobius, qui *lib. 7. adv. gentes* latè ostendit, thuris usum rem novellam esse, temporibus heroicis, Numæque Pompilio, ac matri superstitionis Etruriæ ignotam: non Athenagoras, cujus hæc sunt verba in legatione pro christianis; „opifex ille & pater universorum non sanguine „eget, non nidore, non floribus & suffimentis „fragrantibus, cum ipse sit odor longè suavissi„mus, cum nulla re indigeat, nihil extra se de„sideret. Isti, inquam, non obstant, quia de usu thuris in sacrificiis gentilium, deque illorum multiplici superstitione loquuntur: nos autem neque thure sacrificamus Deo, neque ipsi suffitum tanquam indigenti offerimus, nec solùm credimus sine interno cultu ad religionem sufficere, & ut loquitur Tertullianus *lib. de corona cap.* 10. thus quidem incendimus, *sed non eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud idola.* Esto, quod nova res fuerit suffimigatio in sacris ethnicorum scribente Arnobio, at non fuit nova in sacrificiis veri Dei, ut ex veteri testamento liquet, ex quo in novum profluxit.

*De libris Liturgicis, eorumque veneratione & ornamentis. Quid fuerit Cantatorium.*

X. DE libris Liturgicis & ritualibus superfluum videtur scribere, cum sine illis sacrum nequeat celebrari. Fuisse autem ab initio Ecclesiæ certas Liturgiarum formulas ab Apostolis & apostolicis viris compositas, ostendimus supra *c.* 8. Refert Gennadius *lib. de script. Eccles.* Voconium Castellanum Maurjtaniæ oppidi Episcopum, & Musæum Presbyterum Massilienſem, sacramentorum, officiorumque egregia volumina scripsisse, quæ si extarent, multa nobis de antiquis ritibus perspecta forent. Digessit quoque Missarum ordinem Gelasius Papa, & post eum Gregorius Magnus: quorum Missalia separatim extabant anno Domini 731. in Abbatia Centulensi, sive S. Richerii. Sic enim recensentur in chronico ejus Monasterii *lib. 3. cap. 3. tomo 4. Spicilegii*, in indice Bibliothecæ, *de libris sacrarii, qui ministerio altaris deserviunt, Missales Gregoriani tres; Missalis Gregorianus & Gelasianus modernis temporibus ab Albino ordinatus: Missales Gelasiani* XIX. Librum sacramentorum S. Gregorii edidit Pamelius *to. 2. Liturgicorum*, qui deinde correctior prodiit, notisque eruditissimis illustratus ab Hugone Menardo Monacho Benedictino Congregat. S. Mauri. Porrò Missali magna olim adhibita reverentia, & in Capitulari Caroli M. ex Concilio Aquisgranensi decernitur, ut, si opus sit Missale scribere, perfectæ ætatis homines scribant cum omni diligentia. Nulli autem sacrorum codicum divino sacrificio inservientium major veneratio exhibita, quàm libro Evangeliorum: Nam Evangelium typum gerit Christi in eo loquentis, & ideò in octava Synodo *cap.* 3. decretum est, librum Evangeliorum & sacram Imaginem Domini nostri Jesu Christi æquo honore adorari: & in conciliis idem codex Evangeliorum in sublimi throno editiori loco poni consuevit. Eum theca pretiosissima aurea vel eburnea, gemmisque distincta cum imagine Christi crucifixi includere, aureisque literis scribere mos priscus fuit, quem indicant Gregorius Magnus *lib. 12. epist. 7. ad Theodelindam*, & Gregorius Turonensis *lib. de gloria confess. cap. 63. & lib. 3. histor. Franc. cap.* 10. Consonat Aimonius *lib. 2. de gestis Francorum* narrans à Childeberto Rege avectas ab Hispaniis, inter Ecclesiastici ministerii utensilia, capsas XX. Evangeliorum solido auro fabricatas & gemmis ornatas. Libri quoque Evangeliorum gemmis forinsecus, & auro exornati mentionem facit Simeon Monachus *lib. 2. de Dunelmensi Ecclesia cap.* 12. Leo Ostiensis *lib. 3. chronici Casinensis cap.* 20. & 74. inter ornamenta illi Ecclesiæ acquisita & relicta à Desiderio Abbate, qui postea Victor III. Romanus Pontifex fuit, enumerat libros Epistolarum & Evangeliorum, ac sacra-

mentorum cum tabulis aureis & argenteis. Flodoardus item *lib.* 3. *cap.* 5. librum sacramentorum ebore, argentoque decoratum commemorat. Apud Goldastum *tom.* 1. *rerum Alemannicarum* extat liber de origine Monasterii S. Galli, in quo legimus Hartmotum Abbatem librum Evangeliorum auro, argento, lapidibusque pretiosis ornasse. Ducas in historia Byzantina *cap.* 2. capta Constantinopoli Evangelia adhibitis ornamentis mirâ arte compacta, auro argentoque inde revulsis partim venundata, partim projecta conqueritur. Alia multa passim occurrunt, sed hæc carptim relata sufficiunt, ut dignoscamus communem hanc librorum Liturgicorum venerationem fuisse. Horum ornamentorum rationem reddit Rupertus Abbas *lib.* 2. „ de div. offic. cap. 23. *dicens*, Co„ dices quoque Evangelici auro & argento, lapi„ dibusque pretiosis non immeritò decorantur, in „ quibus rutilat aurum cœlestis sapientiæ, nitet „ argentum fidelis eloquentiæ, fulgent miraculo„ rum pretiosi lapides, quæ manus Christi torna„ tiles aureæ plenæ hyacinthis operatæ sunt. Recolo me legisse in commentariis rerum Moscoviticarum, non audere Moscovitas Evangelium tangere, nisi prius laverint manus, seque signo Crucis munierint, & inclinato capite honorem ei exhibuerint: quorum tametsi schismaticorum reverentiam par esset omnes Orthodoxos imitari. Morem, qui nunc viget collocandi super pulvinar librum Missalem, antiquum esse colligo ex Ordine Romano, in quo statuitur, ut perlecto Evangelio accipiat subdiaconus pulvinar & Evangelium à diacono, eumque præcedat. In eodem libro inter ea quæ portantur ante Pontificem euntem ad Stationem, nominatur *Cantatorium*, quod nihil aliud esse conjicio, quàm librum seu potius tabulam, in qua scriptum erat Responsorium canendum post Epistolam; nam infra ait, *postquam legerit* subdiaconus Epistolam, *ascendit cantor cum cantatorio, & dicit Responsorium.* De tabulis, quas cantor in manu tenet, agit Amalarius *lib.* 3. *cap.* 16. sed cum omnia trahat ad sensum mysticum, nihil quod ad rem ipsam pertineat inde erui potest, nisi quod hujusmodi tabulæ ex osse fieri solebant. Forsan ad hoc cantatorium pertinet, quod Ostiensis *lib. cit. cap.* 20. de Abbate Desiderio refert, *Fecit & libellum ad cantandum ante altare sive in grada, eumque tabulis eburneis mirificè sculptis, & argento annexuit.* Nam Responsorium post Epistolam in gradu olim cantabant, & hinc Gradualis nomen accepit.

*De palla linea, quæ Corporale dicitur. Olim longior, & latior erat. De sudariolo seu Purificatorio, quo tergitur calix. De velo, quo tegitur. Addita quædam de aliis velis.*

XI. POst vasa & instrumenta proxima est supellex, & primò quidem palla linea sive sindon, in qua corpus Christi consecratur, cui propterea *Corporalis* nomen ab Ecclesiasticis scriptoribus inditum fuit. Apostolos non in nudo altari, sed pannis seu linteis ornato sacrum celebrasse omnino credendum est, ob maximam reverentiam, qua sanctissimum Christi corpus venerabantur. At verò Sylvester in libro Pontificali constituisse dicitur, ut sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto, sed tantùm in lineo ex terra procreato consecraretur; sicut corpus Domini in sindone linea & munda sepultum fuit. Græci etiam velo lineo quadrato utuntur instar nostri Corporalis, quod explicatur lecto Evangelio, & expleta synaxi complicatur. *Iliton* vocant, de quo Chrysostomus in Liturgia, & ejus discipulus Isidorus Pelusiota *lib.* 1. *epist.* 123. appositè ad Sylvestri constitutionem „ Pura, *inquit*, illa sindon, quæ sub divinorum do„ norum ministerio expansa est, Josephi Arima„ thensis est ministerium. Ut enim ille Domini „ corpus sindone involutum sepulturæ mandavit, „ per quod universum mortalium genus resurre„ ctionem percepit: eodem modo nos propositionis panem in sindone sacrificantes, Christi „ corpus sine dubitatione reperimus. Nomen Corporalis sæpe legitur in Ordine Romano, in quo etiam extant tres orationes ad illud benedicendum, quibus Antistes Deum precatur, ut ipsum linteamen cœlesti benedictione sanctificetur, ad consecrandum super illud corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi. In eodem libro palla corporalis nuncupatur: *Ubi*, inquit, *pallæ corporales lotæ fuerint, nullum aliud linteamen ibidem debet lavari.* Glaber Rodulfus Monachus *lib.* 5. *hist. cap.* 1. applicatione Corporalis fugatos morbos, extincta incendia narrans, vocat illud Chrismale: quod nomen illi etiam tribuitur à Beda in suo Pœnitentiali, nescio qua de causa. Olim multo longius & latius fuit, quàm hodie sit; nam totum altare eo tegebatur, & ideò palla ac linteamen vocabatur. Colligitur hoc manifestè ex ordine Romano, qui duorum Diaconorum operam exigit ad illud expandendum, & complicandum. Sic enim ait, „ Tunc venit subdiaconus

„ conus ferens in brachio dextro patenam, & in „ sinistro calicem, & super calicem corporale, „ quod accipiens Diaconus ponit super altare à „ dextris, projecto capite altero ad Diaconum „ secundum ut expandatur. *Item clarius.* Diaco- „ nus accipiens Corporale ab Acolytho, alio se „ adjuvante Diacono, super altare distendat; „ quod utique linteum ex puro lino esse contex- „ tum debet, quia sindone munda corpus Do- „ mini legitur involutum in sepulchro: & tantæ „ quantitatis esse debet, ut totam altaris superfi- „ ciem capiat. *Et infra post communionem.* His „ ita peractis duo Diaconi complicantes corpo- „ rale ponant super calicem. Ideò autem totum altare tegebat, ut tot in eo panes commodè possent collocari, quot necessarii erant pro multitudine communicantium, qua cessante & ipsum strictius factum est. Unicum quoque fuit olim corporale, nec aderat parva illa palla, qua nunc calicem operimus: cum enim palla corporis latior esset, ea etiam utebantur ad tegendum calicem. Liber antiquorum Usuum Cistercienſium c. 53. ait: *Diaconus posito offertorio super altare, ponat calicem super corporale in secundo plicatu anterioris & sinistræ dextræque partis & panem ante calicem, revolvens super eum Corporale.* Vetus item Ceremoniale Congregationis Bursfeldensis ordinis S. Benedicti cap. 44. ait, *Diaconus explicet corporale habens tres plicatus in latum, & quatuor in longum, medium latitudinis ponens in medio altaris.* Et infra. *Plicatu extremæ partis corporalis calicem operiat.* Manet hodie hic ritus apud Carthusianos. Ecclesia autem Romana ad tegendum calicem parvam adhibet pallam, de qua loquitur Innocentius *lib. 2. de mysteriis Missæ cap. 56.* dicens: *Duplex est palla, quæ dicitur corporale, una quam Diaconus super altare totam extendit, altera quam super calicem plicatam imponit.* Hunc usum Romanorum sequutos fuisse ævo suo Italos omnes, & Alemannos, Gallos verò uno tantùm Corporali usos testatur Radultus Tungrensis *lib. de canonum observantia prop. ultima.* B. Joannes de Parma Ordinis Minorum septimus Minister Generalis, ut ex annalibus Waddingi refert in ejus vita Henschenius die 19. Martii, fratribus suis præcipit, ut pallam divisam à corporali calici superponerent. At hic usus jam alicubi vigebat tempore S. Anselmi Cantuarienſis, ut constat ex ejus opusculo de sacramentorum diversitate ad Valeranum Episcopum, ipsi enim Anselmo scribens Valeranus ait, *inter consecrandum nonnulli ab initio calicem operiunt, quidam corporali, alii panno complicato instar sudarii, quod repertum legimus in monumento non cum linteaminibus positum; sed separatim involutum in uno loco.* Cui respondens Anselmus, neutram consuetudinem reprehendit, tutius tamen & decentius putat ut calix operiatur, ne quid immundum in ipsum cadat. In Missa Ambrosiana est oratio super sindonem, quam dicit sacerdos ante offertorium, cum Diaconus in Missa solemni Corporale expandit super altare. Thecam pretiosam sive peram ad reponenda corporalia memorat Conradus Episcopus in Chronico Moguntino. De sudariolo seu Purificatorio, quo nunc utimur ad tergendum calicem, nullam apud antiquos scriptores mentionem factam invenio. In Ordine item Romano nihil præscribitur de tergendo calice peracta communione. Ait enim, *Hoc officio juxta altare peracto, & pugillari cum quo confirmetur populus per subdiaconum regionarium jam accepto, traditur calix ab Archidiacono eidem subdiacono perferendus Acolytho, ut reponatur in paratorio.* Et alibi ait: *Diacono nimis cautè procurandum est, ne quid in calice aut patena sanguinis vel Corporis Christi remaneat.* Quomodo autem tam calix quàm patena abstergerentur, priusquam reponerentur in paratorio, non dicit. Obscurum similiter est, quid per *paratorium* intelligatur, an arca sive armarium, quo universa sacra supellex reconderetur, an capsula soli calici asservando destinata. Monachi olim ad tergendum calicem linteolo utebantur in cornu epistolæ cujusque altaris appenso, ubi etiam erat parva piscina, in quam secundam calicis ablutionem projiciebant, ut adhuc apparet in antiquis Ecclesiis, præsertim Cistercienſium. Græci spongia utuntur, qua & calicem & discum detergunt, ut docet Goar in notis ad Liturgiam Chrysost. *num.* 177. Eam verò in sacrificio incruento usurpant, quia sacrificii cruenti à Christo oblati pars fuit & instrumentum. Usus veli, quo calix operitur, antiquissimus est: nam c. 72. Apostolorum sancitur, ne quis velum sanctificatum in usus suos convertat: & in Conc. Bracarensi III. tempore Adeodati Papæ c. 2. illi excommunicatione damnantur, qui Ecclesiastica ornamenta & vela in usus suos transferre, vel aliis donare aut vendere præsumpserint. Hormisda quoq; Roman. Pontif. *epist.* 73. gratias agit Epiphanio Constantinopolitano ob calices & vela ab eo sibi directa. Græci tribus velis sacra tegunt: uno discum, altero calicem, tertio eoque majori utrumque simul. Hunc verò *Aërem* vocant, quia per modum aëris circa terram expansi sacra dona ambit, cujus nomen & formam ab

Ecclesia Hierosolymitana in reliquas orientales derivasse Typicon Sabæ testatur apud Goar in Liturgiam Chrysostomi *num.* 51. Notandum est autem, veli nomine sæpè aulæa seu peristromata intelligi, quibus Ecclesiæ parietes ornantur: itemque siparium sive cortina, quæ ante portas sanctuarii à Græcis appendi solet. Et ad hoc velum referendas puto orationes veli, seu velaminis, quæ in Liturgia Jacobi Apostoli, & in Basilii Magni Anaphora leguntur, non autem ad velum calicis, ut quidam existimavit. Erat olim apud Latinos aliud velum sive cortina, quæ inter chorum & Presbyterium, ubi chorus in medio Ecclesiæ ante altare & Presbyterium situs est, quadragesimali tempore expandi solebat, de qua usus antiqui Cistercienses *cap.* 15. & vetus ceremoniale Benedictinum *c.* 31. Ejus usum adhuc vigere in quibusdam Ecclesiis Gallicanis à viris doctis & fide dignis intellexi.

*Olim Acolythos sindonem & sacculos ad Missam portasse, & cur. De alia sindone pro recipiendis oblationibus. De velo offertorii.*

XII. IN Ordine Romano præcipitur Acolythis, ut sindonem in collo ligatam habeant: & ne absque sindone & sacculis procedant. Et sindone quidem utebantur, ne nudis manibus sacra vasa contingerent: in sacculis verò oblationes reponebant. Describens enim Ordo Romanus ritum Missæ post datam pacem ante communionem ait, „& accedentes subdiaconi „sequentes cum Acolythis, qui sacculos ad hæc „idoneos portant à dexteris & à sinistris altaris: „ipsi ergo subdiaconi extendentibus Acolythis „brachia cum sacculis sequentes à fronte, parant „sinus sacculorum Archidiacono ad ponendum „oblationes prius à dextris, deinde à sinistris. An verò istæ oblationes essent consecratæ, libenter à peritioribus discerem. Et sanè primo intuitu suspicatus sum, ne fortè essent eulogiæ post Missam distribuendæ, vel pauperibus mittendæ: sed verba quæ immediatè sequuntur, non conveniunt eulogiis, & satis apertè indicant, quod fuerint consecratæ. „Tum vadunt, *inquit*, acolythi dextra „lævâque post Episcopos sive Presbyteros circum altare, ut ipsi sacerdotes incipiant hostias „confringere, patena præcedente, quam duo „subdiaconi regionarii deferunt ad diaconos „causa confractionis, ut ipsi quoque frangant, „quando Pontifex annuerit eis. *Et paulò post.* „Expleta confractione diaconus minor levata de „subdiacono patena defert eam ad Pontificem, „ut communicet corpore Dominico. Tum describit communionem cæterorum tam Ecclesiasticorum, quàm laicorum. Accedit, quodistæ oblationes ab altari sumebantur mittendæ in sacculos; in altari verò illæ dumtaxat oblationes remanebant post offertorium, quæ consecrari debebant. Cujus verò formæ, vel ex qua materia essent isti sacculi, silet Ordo Romanus, morem enim describit tunc usitatum & omnibus notum; nec alibi occurrit mihi apud priscos scriptores vel minimum horum sacculorum vestigium. Viderint & judicent qui in evolvendis antiquorum monumentis magis versati sunt. Mihi libuit inter sacram Missæ supellectilem hos quoque sacculos ex ordine Romano recensere. Erat & sindon ad populi oblationes recipiendas. *Oblationes*, ait idem Romanus ordo, *à Pontifice suscipit subdiaconus & ponit in sindone.* Et alio loco clariùs. *Oblationes à Pontifice suscipit subdiaconus regionarius & porrigit subdiacono sequenti, & subdiaconus sequens ponit in sindone, quam tenent duo Acolythi. Reliquas oblationes post Pontificem suscipit Episcopus hebdomadarius, & ipse manu sua mittit eas in sindonem, quæ eum sequitur.* Adhuc viget aliquo modo hic ritus in Ecclesia Metropolitana Mediolanensi, nam in Missa solemni celebrans medius inter diaconum & subdiaconum descendit ad ingressum Presbyterii, ubi extensa sindone ante gremium, quæ per subdiaconum & diaconum hinc inde tenetur, recipit oblationes panis & vini à duobus senibus peculiari habitu vestitis: tum descendens ad ingressum chori inferioris easdem oblationes accipit à duabus mulieribus provectæ ætatis speciali item veste indutis. Erat & velum oblongum, quod ab ordine Romano offertorium nuncupatur, cujus etiam hodie & vocabulum & usus permanet. *Levat*, inquit, *calicem Archidiaconus de manu subdiaconi, & ponit eum super altare juxta oblationes Pontificis à dextris, involutis ansis cum offertorio suo.* Item. *Cum dixerit Pontifex:* Per ipsum, cum ipso, *levat Archidiaconus cum offertorio calicem per ansas.* Usus Ordinis Cistercienſis cap. 53. *Diaconus opertis manibus de offertorio tenens sinistra manu pedem calicis, dextra autem patenam, offerat sacerdoti.* Nunc communiter velum offertorii dicitur, & pendet è collo diaconi cùm offert calicem sacerdoti: eoque utitur subdiaconus cum tenet patenam, quam porrigit diacono circa finem Dominicæ orationis.

tionis. Hoc ipsum velum Fanonem vocat Ordo Romanus his verbis. *Postquam viderint calicem, in quo sanguis Domini est, fanone circumdatum, & audierint*, sed libera nos à malo, *vadunt & præparant calices.*

*Describuntur Altaris & Ecclesiæ ornamenta.*

XIII. SPectant etiam ad sacram supellectilem pro Missæ celebratione necessariam tegumenta altaris, lintea scilicet, quæ velamina, pallæ, operimenta, mappæ, & mantilia dicuntur: spectant & amicula anteriora, quæ pallia & Frontalia à recentioribus, ab antiquis vestes nuncupantur. Denique ad idem pertinent vasa aurea & argentea, flores, thecæ pretiosæ cum reliquiis Sanctorum, & alia ejusdem generis, quæ licet necessaria non sint, solent tamen ad ornatum altaris adhiberi. Extat in ordine Romano, & in antiquo ordine dedicationis Ecclesiæ apud Menardum benedictio linteaminum. Ivo Carnotensis 2. P. *decreti. cap.* 132. ex Concilio quodam Rhemensi ait: „ Observandum est, ut mensa „ Christi, id est altare, ubi corpus Dominicum „ consecratur, ubi sanguis ejus hauritur, ubi san„ctorum reliquiæ reconduntur, ubi preces & „ vota populi in conspectu Dei à sacerdote offe„runtur, cum omni veneratione honoretur: & „ mundissimis linteis & palliis diligentissimè „ cooperiatur, nihilque super eo ponatur, nisi „ capsæ cum Sanctorum reliquiis, & quatuor „ Evangelia. Optatus Milevitanus *lib.* 6. tanquam morem ubique receptum commemorat, quod altaria linteis operirentur. Ait enim, *quis fidelium nescit in peragendis mysteriis ipsa ligna*, altaria scilicet quæ in Africa lignea erant, *linteamine cooperiri? inter ipsa sacramenta velamen potuit tangi, non lignum.* Victor Episcopus *lib.* 1. *de persecut. Africana.* Proculum quendam ab impio Geiserico in provinciam Zeugitanam adversus Catholicos missum scribit, qui rapaci manu cuncta devastans de pallis altaris camisias sibi & femoralia fecit. Theodoret. *l.* 1. *hist. Eccl. c.* 29. loquens de Encæniis sive consecratione templorum, quæ à Constantino Magno Hierosolymis ædificata fuerunt, divinum altare aulæis regalibus, vasisque aureis omni genere gemmarum collucentibus ornatum fuisse refert. Justinianus epist. ad Hormisdam Romanum Pontificem se duo pallia serica eidem direxisse ait ad ornamentum altaris sanctorum Apostolorum. Adrianum fecisse vestes duas super altare testatur Anastasius, majorem unam ex auro purissimo atque gemmis, in qua expressa Dei genitricis in cœlum Assumptio: aliam de stauracio ornatam in ambitu blattis. Leo III. apud eundem fecit vestem super altare tyriam, habentem gryphas majores, & duas notas chrysoclavas cum cruce: aliasque pretiosissimas pro diversis Ecclesiis. Idem fecit ante Confessionem Principis Apostolorum Angelos ex argento purissimo dextra lævâque, pensantes libras CXLVI. Nec non & alios Angelos duos ex argento purissimo deauratos, stantes in trabe majori & pensantes simul libras LXIII. & alios Angelos quatuor minores ex argento purissimo deauratos, pensantes simul libras LXVIII. Paschalis fecit in altari sancti Petri vestem miræ magnitudinis, pulchram & decoratam nimis, ex auro gemmisque contextam, præfigurantem historiam, qualiter idem Apostolus à vinculis per Angelum ereptus est. Sergius II. fecit vela alba holoserica, ex quibus sacrum circumdatur altare. Narrat Procopius *lib.* 2. *de bello Wandalico cap.* 9. quod vasa templi Salomonis, quæ ab urbe Roma Giezericus Rex transtulerat in Africam, & Belisarius ex Africa victo Gilimere Constantinopolim detulerat, Justinianus Imperator Hierosolymam misit, Christianorumque Ecclesiis dono dedit, ut iis nimirum ad ornatum uterentur. Sunt & peristromata, quæ parietibus appendi solent, & ab antiquis vela nuncupantur, de quibus sæpè Anastasius in vitis Pontificum. Ait enim Gregorium III. vela serica alba fecisse ornata blatto circumquaque in Basilica pendentia. Zacharias item ex palliis sericis fecit vela pendentia inter columnas. Adrianus per universos arcus Basilicæ Principis Apostolorum fecit vela numero LXV. de palliis tyriis atque fundatis. Idem in Basilica S. Mariæ ad præsepe fecit vela num. XLII. & in Lateranensi per diversos arcus LVII. Leo III. plura in diversis Ecclesiis, & in Basilica S. Pauli pendentia in arcubus XLIII. Paschalis fecit in Ecclesia S. Petri vela de chrysoclavo per arcus Presbyterii habentia historiam de mirabilibus Apostolorum numero XLVI. Sergius II. obtulit cortinas Alexandrinas pretiosissimo opere contextas & alia vela holoserica & ex auro texta. Nicolaus fecit vela auro texta cum gemmis. De velis ante portas sic canit Paulinus. *Nat.* 6. *sancti Felicis.*

Cedo

*Cedo, alii pretiosa ferant donaria, meque*
*officii sumptu superent, qui pulchra tegendis*
*Vela ferant foribus, seu puro splendida lino,*
*Sive coloratis textum sucata figuris.*

Et suprà *Natali* 3.

*Aurea nunc niveis ornantur limina velis.*

Crebra velorum ante portas majores templorum, quas regias vocabant, mentio fit apud eundem Anastasium, ut in Leone III. de Basilica S. Petri, *fecit vela alba holoserica majora tria, quæ pendent ante regias in introitu*: De S. Maria ad Præsepe, *fecit velum aliud majus album, quod pendet ante regias majores in introitu.* Græci autem ex veteri instituto portis sacrarii vela appendunt, quæ in eorum Typicis & euchologiis passim commemorantur. De Floribus positis in altari testimonium habemus S. Augustin. *l.* 22. *de civit. Dei cap.* 8. ubi enarrans inter miracula Protomartyris Stephani virum primarium Martialem multum à Christiana religione abhorrentem, conversum ad Christum oratione pro ipso à genero ejus fusa in B. Stephani Oratorio, & admotis floribus ex ejus altari desumptis; „ Visum, *inquit*, „ est genero ejus, ut iret ad memoriam sancti Ste„ phani, & illic pro eo quantum posset oraret: „ deinde abscedens aliquid de altari florum quod „ occurrit tulit, eique cum jam nox esset, ad ca„ put posuit: & se credere dixit. *Hieronimus in* „ *epitaphio Nepociani*: Erat sollicitus si niteret „ altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta „ tersa, si janitor creber in porta, vela semper in „ ostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, & „ in omnes ceremonias pia sollicitudo dispositа. „ Basilicas Ecclesiæ & Martyrum conciliabula „ diversis floribus & arborum comis, vitiumque „ pampinis adumbravit. Sanctus Severus, ut de eo refert Gregorius Turonensis lib. de gloria Confess. cap. 50. *solitus erat flores liliorum tempore quo nascuntur colligere, ac per parietes hujus ædis appendere.* Loquitur autem de Ecclesia, in qua sepultus fuit. Paulinus *natali* 3. *S. Felicis*:

*Ferte Deo pueri laudem, pia solvite vota;*
*Spargite flore solum, prætexite limina sertis:*
*Purpureum ver spiret hiems, sit floreus annus*
*Ante diem, sancto cedat natura die.*

Sunt & alia hujusmodi multa apud veteres Patres, ex quibus deducitur, quanta fuerit illorum cura in adornandis templis & altaribus, non alia sanè de causa, nisi quia in ipsis peragitur sacrificium corporis & sanguinis Jesu Christi, Sanctorumque corpora in eisdem condita sunt.

*De his qui altari inserviunt, ac primum de Diacono. Hujus ordinis dignitas & origo.*

XIV. ET hæc quidem de apparatu, qui ad sacrificium extrinsecus adhibetur, dicta sufficiant: nunc de intrinseco agendum est, qui & Ministros sacerdoti inservientes complectitur, & cantores. Primus autem ministerii locus debetur Diacono, qui primo & præcipuo in sacrificii oblatione officio fungitur, cæterisque ampliorem dignitatem habet, quia propiùs ad altare accedit: ac propterea ab antiquis Patribus ministri nomen antonomasticè sortitus est. Hinc Commodianus, qui tempore sancti Silvestri vivebat, in Instructionibus pro Ecclesiastica disciplina per primas versuum literas *cap.* 68. sic ad Diaconos loquitur:

*Mysterium Christi Diacones exercite caste,*
*Idcirco Ministri jacite præcepta Magistri.*
*Nolite ludere personam Judicis æqui,*
*Integrate locum vestrum per omnia docti,*
*Sursum intendentes, semper Deo summo devoti.*
*Tuta Deo reddite sacra ministeria ara;*
*Rebus in adversis exemplum dare parati.*
*Inclinate caput vestrum Pastoribus ipsi.*
*Sic fiet ut Christo possitis esse probati.*

Præclarè Isidorus de Diaconis scribens lib. 2. de off. eccl. c. 8. „ Sine ipsis, *inquit*, Sacerdos „ nomen habet, officium non habet. Nam sicut „ in Sacerdote consecratio, ita in Ministro di„ spensatio Sacramenti. Illi orare, huic psallere „ mandatur. Ille oblata sanctificat, hic sanctifi„ cata dispensat. Ipsis etiam Sacerdotibus pro„ pter præsumptionem non licet de mensa Do„ mini tollere calicem, nisi eis traditus sit à Dia„ cono. Levitæ inferunt oblationes in altaria, „ Levitæ componunt mensam Domini, Levitæ „ aperiunt arcam testamenti. Non enim omnes „ vident alta mysteriorum, quæ operiuntur à Le„ vitis, ne videant qui videre non debent, & su„ mant qui servare non possunt. Eadem repetit & confirmat concilium Aquisgranense primum *c.* 7. & iis antiquior Epiphanius *hæres.* 75. tanti facit Diaconi ministeriunt, ut ne Episcopum quidem absque Diacono unquam fuisse, aut esse posse asseveret. Diaconorum originem multi Doctores S. Hieronymum sequuti *epist.* 85. *ad Evagrium* à Levitis antiquæ legis repetunt, quibus idcirco tum Diaconorum, tum Levitarum nomen indiscriminatim tribuere solent: quia sicut Presbyteri nostri filiorum Aaron, ita Diaconi Levitarum

vice

vice in Ecclesia funguntur, atque ideo in illis istorum typum agnoscimus. Sacri tamen & evangelici diaconatus primordia à libro Actuum Apostolorum *cap.* 6. sumenda sunt, quando Apostoli septem viros elegerunt, & orantes manus ipsis imposuerunt. Quo exemplo Patres Concilii Neocæsariensis *can.* 15. hanc legem ediderunt. *Diaconi septem esse debent ex canone, etsi magna sit civitas: Ejus autem rei fidem facit liber Actuum Apostolorum.* Sed cum postea crevisset in multis civitatibus numerus Diaconorum, adeò ut Justinianus Imperator *Novella* 3. *cap.* 1. Regiæ Urbis Diaconos centenario numero concluserit, ne hic numerus Apostolico exemplo adversari videretur, ausa est synodus in Trullo sine legitima auctoritate congregata præcitatum canonem Neocæsariensem sugillare, & insuper definire septem primos Diaconos non ab Apostolis sacramentali ordinatione initiatos, sed tanquam œconomos & dispensatores cibo & potui distribuendo destinatos, quam falsam opinionem fusè prosequitur can. 16. Chrysostomi testimonio pro se perperam allegato. At Chrysostomi in c. 6. Actuum, cæterorumque Patrum sensus est, si benè perpendatur, duplex illis ministerium Apostolicâ ordinatione & manuum impositione collatum fuisse, sacrificio scilicet assistendi, & bona Apostolis oblata pauperibus distribuendi; illud autem primarium eorum munus, hoc secundarium fuit, & præ illo vix attendendum. Qua de re scribens Ignatius Martyr epist. ad Trallianos ait: *Oportet autem & Diaconos ministros existentes mysteriorum Jesu Christi secundum omnem modum omnibus placere. Non enim ciborum & potuum sunt Ministri, sed Ecclesiæ Dei.* Clarissimè etiam Cyprianus ep. 65. *Diaconos post ascensum Domini in cælos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros.* Quod si profano dumtaxat ministerio incubuissent, non tam exactum de illis examen fieri jussisset Apóst. 1. *ad Timoth. cap.* 3. antequam ordinarentur. Ad idem astruendum plerique referunt hos Aratoris subdiaconi versus in historia Apostolica.

*Jura Ministerii sacris altaribus apti*
*In septem statuere viros, quos undique lectos*
*Levitas vocare placet: cùm splendida cæpit*
*Ecclesiæ fulgere manus, quæ pocula vitæ*
*Misceat, & latices cum sanguine porrigat Agni.*

Nec omittenda hoc loco Optati Milevitani sententia *lib.* 1. asserentis Episcopos in primo, Presbyteros in secundo, Diaconos in tertio sacerdotio constitutos, quâ loquendi formulâ manifestè ostendit, sacrum esse ipsorum officium, & pro sacro primis Ecclesiæ sæculis habitum. Imò quarundam in Gallia Ecclesiarum olim mos fuit, ut in Diaconorum ordinatione manus eorum chrismate ungerentur, ut docet Menardus in notis ad librum Sacramentorum sancti Gregorii *p.* 289. ex antiquo Pontificali, & ex Epistola Nicolai I. ad Rodulphum Archiepiscopum Bituricensem.

### *De officiis & muneribus Diaconorum. Addita quædam de Diaconissis.*

XV. NEminem latet, plura & diversa esse munera Diaconorum; sed quædam ex illis abierunt in desuetudinem, quædam adhuc perseverant. Differunt de his diffusissimè duo viri eruditissimi, Isaacius Habertus *ad partem IX. Pontificalis Græcorum*, & Joa. Mor. *l. de sacris ordinat. par.* 3. Ego paucis ea perstringam. Primum & præcipuum est Episcopo vel Presbytero sacrum facienti assistere, & quodammodo cooperari, ipsumque in omnibus adjuvare præscriptis ritibus, qui in diversis Ecclesiis diversi sunt. Deinde Evangelium legere, de qua re fusius suo loco: panem & vinum offerre, non quidem consecrando, ut ex can. 2. Concilii Ancyrani malè intellecto deducunt sectarii, sed utrumque sacerdoti consecraturo præsentando: munera enim, quæ olim Diaconus è manibus populi accipiebat, nunc ex Prothesi accipit, eaque offert Sacerdoti, Sacerdos Deo. Apud Græcos celebrantem sæpiùs admonet de iis quæ agenda sunt, unde in Liturgiis ea passim verba Diaconi ad sacerdotem occurrunt, *Benedic Domine, extolle, immola*, & his similia. Populum excitat ad attentionem elatâ voce dicens, *Attendamus.* Ministros inferiores officiis suis applicat, & illis signo, nutu, & aliquando sublato orario indicat quid & quando agere, seu psallere, aut legere debeant. Indignos à communione submovet: Catechumenis, pœnitentibus, energumenis, & infidelibus statotempore edicit, ut ab Ecclesia egrediantur. Postquam oblatio in altari posita est, flabellum tenet & ventilat, ut bestiolas prætervolantes abigat à sacris donis. Curabant olim Diaconi, ut quisque in Ecclesia suum locum teneret, portamque custodiebant, qua viri ingrediebantur. Dominicum sanguinem, imò & corpus fidelibus distribuebant, quod Cyprianus *lib. de Lapsis*, Justinus Martyr *circa finem* 2. *Apol.* Constitutiones Apostolicæ, & plures antiqui Patres clarè testantur. Hic autem mos ante concilium Nicænum adeò invaluerat, ut etiam presbyteris Eucharistiam porrigerent,

quam audaciam ipsa Synodus coërcuit *can.* 18. Insuper vetitum eis est *can.* 15. concilii II. Aurelianens. & 38. Carthaginensis IV. ne præsente Presbytero corpus Domini Fidelibus traderent. In consecratione Chrismatis, ac in omnibus ecclesiasticis officiis Episcopo assistunt, eidemq; astant prædicanti. Eorum etiam munus est prædicare, quod tamen primariò Episcopis convenit: itemque baptizare, si Episcopo & Presbytero absentibus necessitas id postulet, ut sancitum fuit in concilio Illiberitano *c.* 77. In solemni verò baptismatis administratione ad ipsos spectat baptizandos instruere, & ad exorcismum, ac deinde ad immersionem detractis vestibus præparare. Secundariò autem & extra mysteria eorundem erat distribuere, ut suprà diximus, eleemosynas, pauperum mensis ministrare, curam gerere Martyrum & Confessorum, qui in carcere ob Christi fidem detinebantur, eisque necessaria suppeditare; eorum vota & ultimam voluntatem excipere, & ad Episcopum deferre: ecclesiastica negotia apud Imperatorem procurare, sacris virginibus præesse. Missos quoque Diaconos, ut Episcoporum absentium in conciliis vices gererent, ex ipsorum Actis constat, ejusque moris exempla affert Lupus *in notis ad can.* 7. *Trullanum.* Denique Cyprianus *epist.* 13. permittit Diaconis pœnitentes reconciliare in absentia Episcopi & Presbyteri, eosque absolvere, non quidem sacramentaliter, sed à pœnis satisfactoriis, sive ab excommunicatione. Verba Cypriani hæc sunt: „Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos à „Martyribus acceperunt & prærogativa eorum „apud Deum adjuvari possunt, si incommodo „aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, „non expectatâ presentiâ nostrâ apud Presbyterum quemcumque præsentem, vel si Presbyter „repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, „apud Diaconum quoq; exomologesin facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace, quam „dari Martyres literis ad nos factis desiderave„runt. Quia verò Episcopi præcipua quæque per Diaconos agebant, hinc illi insolescere, se Presbyteris præferre, ante illos sedere ausi sunt, quorum superbiam sæpiùs carpunt antiqui Patres, & multoties Ecclesiasticis canonibus repressa est: sed hæc omitto, quia prorsus parerga sunt.

Erant & Diaconissæ, de quarum ordinatione & ministeriis in utraque Ecclesia græca & latina eruditè, ut solet, differit Morinus *lib. de sacris ordinat. p.* 3. *exercit.* 10. Multa etiam scitu digna de his congerit Goar in euchologio in notis ad earum ordinationem. Munus illarum præcipuum fuit, ea mulieribus officia præstare, quæ Diaconi viris. Ideò portas custodiebant, per quas illæ ingrediebantur, earumque confessus in Ecclesia ordinabant: principia fidei & ritus baptismi eis exponebant, ipsisque aderant, cum ad immersionem nudabantur. Jussa Episcopi ad easdem referebant, & si aliqua vellet Episcopum, Presbyterum, vel Diaconum alloqui, eam propter honestatis testimonium comitabantur. Viduarum quoque, & pauperum, sacrarumque Virginum simul cum diaconis curam gerebant. Ante annos ferè sexcentos cessavit in Occidente earum ordinatio & ministerium: in Oriente verò jam defierat vivente Balsamone, ut ipse ait in *notis ad can.* 15. *concilii Chalcedon.* Multa de illis extant veterum canonum statuta, sed in his immorari non est hujus loci. *Licet* enim, ut ait Ephiphanius hær. 79. *Diaconissarum ordo in Ecclesia sit*, non tamen ad sacerdotii functionem, aut ullam ejusmodi administrationem institutus est; sed ut muliebris sexus honestati consulatur. Extat earum benedictio in Ordine Romano, & in antiquis Ritualibus.

### *De Subdiaconis. Quando cœperit Subdiaconatus inter sacros ordines recenseri. Quæ sint officia Subdiaconi.*

XVI. SEcundus ministrantium locus Subdiaconorum est, quorum licèt expressa mentio in sacris literis non reperiatur, eorum tamen institutio vel ad Christum, ut recentiores Scholastici existimant, vel ad Apostolos referenda est. Fuisse Romæ septem Diaconos, totidemque Subdiaconos asserit Cornelius Papa in epist. ad Fabium Episcopum Antiochenum apud Eusebium *lib.* 6. *hist. Eccl. cap.* 43. Eodem ævo Optatum quemdam in Africa Subdiaconum à se ordinatum scribit Cyprianus *epist.* 24. Eorundem mentionem faciunt Ignatius epist. ad Antiochenos, Constitutiones Apostolicæ *lib.* 8. & concilium Laodicenum. Ab initio & deinceps per aliquot sæcula Subdiaconatus inter minores ordines numerabatur, nec ei annexus erat cœlibatus. Quamvis enim concilium Illiberitanum *cap.* 33. Subdiaconis indixerit continentiam, certò constat hanc legem nec alibi, nec in ipsa Hispania tunc fuisse receptam, ut Morinus demonstrat.

monstrat. p. 3. *Sacr. ordin. exercit.* 12. *cap.* 5. Post sextum verò sæculum vix aliqua memoria Subdiaconorum reperitur, qui non fuerint continentiæ voto adstricti. Et Romæ quidem jam ab his continentia servabatur tempore Pelagii II. qui sub Subdiaconis Siciliæ præcepit, ut more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis uxoribus miscerentur, ut testatur Gregorius Magnus ejusdem immediatus successor *epist.* 42. *lib.* 1. *&* 34. *lib.* 3. A Romana autem ad alias Occidentis Ecclesias eadem institutio propagata est: qua occasione paulatim cœpit hic ordo à minoribus separari, & majoribus ac sacris accenseri. Nam cum priùs extra sanctuarium & altare conferri soleret, invaluit postea quorumdam Episcoporum consuetudo, eum intra Missarum solemnia conferentium, & ita sensim majoribus æquiparatus est. Multum nihilominus tempus interciit, antequam certa & inviolabili lege inter sacros recensitus sit. Etenim Petrus Cantor, qui vivebat anno 1200. relatus à Menardo in lib. Sacram. *pag.* 280. ait: *De novo institutum est, subdiaconatum esse sacrum ordinem.* Subdiaconi officia ex Romano Pontificali hæc sunt. Aquam ad ministerium altaris præparare, Diacono ministrare, Pallas altaris & corporalia abluere, calicem & patenam in usum sacrificii diacono offerre, oblationes quæ veniunt ad altare suscipere, ut ex iis quantum satis est in altari ponatur. Eadem ferè referunt antiquissima Ritualia edita à Morino. Isidorus *epist. ad Ludrifredum Cordubensem Episcopum* ea sic recenset. *Ad Subdiaconum pertinet calicem & patenam ad altare Christi deferre, & levitis tradere, eisque ministrare: urceolum quoque & aquamanile & manutergium tenere Episcopo: Presbyteris & Levitis pro lavandis ante altare manibus aquam præbere.* Addit Alcuinus ejusdem ministerium esse, ut deferat Diacono linteum, super quod consecrandum est corpus & sanguis Domini: & ut peracto sacrificio, quæ superfuerint à diacono colligenda vel deportanda suscipiat. Olim nec calicem, nec patenam, nec oblationes in altari ponebant, sed hæc omnia porrigebant diaconis, eisque serviebant intra Sanctuarium; sed ad altare minimè accedebant. De legenda ab illis epistola nihil legimus in antiqua eorum ordinatione, nec apud veteres scriptores: hoc enim munere Lectores fungebantur, ut suo loco ostendemus. Ex concilio IV. Carthaginensi constat licuisse eis vasa sacra contingere, sed vacua: nam cum corpus & sanguinem Christi continent, id illis prohibitum fuit cap. 21. concilii Laodiceni, quo sancitur, non oportere ministrum (id est Subdiaconum qui diacono ministrat) locum habere in Diaconiis & sacra vasa tangere. Sic enim hunc canonem, & quidem rectè, Balsamon interpretatur. Apud Græcos Subdiaconi extra Sanctuarium ordinationem suscipiunt, vasa sacra contingunt, sed non in Missarum solemniis. Ipsa autem vasa absterguntur, ornant, disponunt, ut sacrificio apta sint. Jubente diacono profanos ab Ecclesia expellunt, cum scilicet diaconus dicit, ut catechumeni discedant. Portas Sanctuarii custodiunt, ne quis indignus ingrediatur: & propè illas commorantur, ut sint parati ad jussa diaconi capessenda; ad altare verò non accedunt. Tricerium & luminaria in sanctuario præparant, epistolam autem in Missa non legunt. Hæc sunt Græcorum Subdiaconorum munia ex Euchologio excerpta, ex quibus liquet eos à Latinis multum differre, nostrisque Acolythis magis quàm Subdiaconis similes esse.

*Minorum Ordinum antiquitas & origo. Afferuntur de singulis veterum Patrum testimonia. Apud Græcos soli Lectores ordinantur.*

XVII. TErtia classis ministrantium Clericos minorum Ordinum complectitur, Acolythos scilicet, Exorcistas, Lectores, & Ostiarios; quos antiquissimos esse, & ab Apostolis, vel ab immediatis eorum successoribus institutos Doctores scholastici asserunt, sed non probant. Suspicatur Arcudius *lib. 6. de Sacram. cap.* 9. omnes minores ordines unica hypodiaconi voce à priscis Patribus comprehensos, eo quod diacono singuli subessent; sed hæc levissima suspicio est. Eorum distincta mentio nec in actis aut epistolis Apostolorum, nec apud Patres primi & secundi sæculi reperitur. Constitutiones Apostolicæ, ex quibus testimonia pro aliquibus ex his Ordinibus accipiunt, posterioris ævi sunt, ut alibi diximus. Nec suffragatur illis epistola Ignatii ad Antiochenos, quam licèt admittamus ut legitimam, contra quam sentiant Critici etherodoxi, solidum tamen ex ea argumentum pro omnibus sumi non potest, quia nec singulos enumerat, & inter eos Laborantes recenset & Cantores, miscens simul ordines & officia eccle-

siastica. Dicendum igitur cum S. Thoma *in supplem. tertiæ. P. qu.* 37. *art.* 2. quod temporibus Apostolorum omnia ministeria, quæ ordinibus minoribus competunt, non à distinctis personis, sed ab uno dumtaxat ministro exercebantur, qui & Ostiarii & Lectoris & exorcistæ & Acolythi officio fungebatur. Verba Angelici Doctoris hæc sunt. „ In primitiva Ecclesia propter „ paucitatem ministrorum omnia inferiora mi„ nisteria diaconibus committebantur, ut patet „ per Dionysium cap. 3. eccl. hierarchiæ, ubi „ dicit, Ministrorum alii stant ad portas templi clausas, alii aliud proprii ordinis operantur; alii autem sacerdotibus proponunt super altare sacrum panem & benedictionis calicem. „ Nihi„ lominus erant omnes prædictæ potestates, sed „ implicitè, in una diaconi potestate. Sed postea „ ampliatus est cultus divinus, & Ecclesia quod „ implicitè habebat in uno ordine, explicitè „ tradidit in diversis. Contigit nimirum Ecclesiæ, quod hominibus solet, qui dum tenue patrimonium habent, uno servo contenti sunt, qui solus omnia administrat. Si verò reditus augeantur, servorum etiam augetur numerus; eoque magis crescit familia, quo illi locupletiores & spectabiliores evadunt. Sic Evangelicæ prædicationis initio parvula adhuc & latitans Ecclesia paucis indiguit Ecclesiasticarum functionum ministris. Crescente autem credentium multitudine, & auctis facultatibus ex fidelium oblationibus, cum soli diaconi non possent omnibus incumbere, diversa onera & officia diversis personis distributa sunt; ex quo factum est, ut splendidiori & augustiori apparatu ecclesiasticarum functionum ceremoniæ peragerentur. Græci ex his ordinibus unum tantùm agnoscunt, nempe Lectoratum, cæteros prætermittunt: quem morem in Ecclesia orientali vetustissimum esse euchologia ante annos octingentos scripta, antiqui quoque canones conciliorum, quæ in illis regionibus celebrata sunt, & Græcorum Antistitum, quorum doctrinam & sanctitatem Christianus orbis ubique colit & veneratur, exempla ac monumenta evincunt. Agit de hac re sæpe laudatus Morinus *par.* 3. *exerc.* 14. Quod si alicubi præter Lectores alios etiam legimus; certum est eos nudum ministerium habuisse absque ulla ordinatione vel manuum impositione, sed sola designatione & arbitrio Episcoporum. In Ecclesia autem occidentali distinctam mentionem omnium ordinum minorum habemus in concilio Romano sub Sylvestro, nam *can.* 7. Acolythi, Exorcistæ, & Lectores; *can.* 9. Ostiarii nominantur. In concilio item Carthaginensi IV. sub Anastasio *can.* 6. *& sequentibus* materia & forma singulorum præscribitur. Non ignoro hæc duo concilia à quibusdam Criticis supposititia censeri, sed quicquid de illis sit, alia suppetunt certiora ab antiquioribus testimonia. Nam Cornelius Papa in epistola supra citata ad Fabium Antiochenum apud Eusebium asserit, suo tempore fuisse in Ecclesia Romana Acolythos duos & quadraginta, Exorcistas & Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos. Tertullianus Lectorum meminit *lib. de præscript. Sap.* 41. ubi perstringens hæreticorum ordinationes tamquam temerarias & inconstantes, *Hodie*, inquit, *diaconus, qui cras Lector.* A Cypriano quoque memorantur *epist.* 24. 33. 34. Acolythos verò idem nominat *epist.* 42. 55. 78. & Exorcistas epist. 76. *Quod hodie etiam geritur*, ait, *ut per Exorcistas voce humana & potestate divinâ flagelletur, & uratur, & torqueatur diabolus.* Tertullianus item *lib. de spectaculis cap.* 26. exemplum refert mulieris, *quæ theatrum adiit, & inde cum dæmone rediit. Itaque in exorcismo cum oneraretur immundus spiritus, quod ausus esset fidelem aggredi; Constanter, & justissimè quidem, inquit, feci: in meo eam inveni.* Et ejusdem ævi Minutius Felix Exorcistas quoque describit adjurantes dæmones per Deum vivum, per Deum verum. An verò isti de Exorcistis loquantur, tamquam de clericis ad hoc officium specialiter ordinatis; vel potiùs Presbyteri eo tunc munere fungerentur, sicut revera sancti sunt Episcopi, ut narrat Eusebius *lib.* 5. *hist. cap.* 16. agens de Montano & falsis ejus Prophetiis, incertum est. Omitto alia Tertulliani loca, quæ à quibusdam afferri solent ad hujus ordinis antiquitatem ostendendam, *ut de Idololatria cap.* 11. *de anima cap.* 57. *de corona milit. cap.* 11. in his enim de solemni exorcismo sermo est, qui Baptismo præmitti solet. Negat Auctor constitut. Apostolicarum *lib.* 8. *cap.* 26. Exorcistam ordinari: *nam hoc munus*, inquit, *spontaneæ Dei erga homines benevolentiæ & gratiæ est, qui illud nimirum gratis dat cui vult.* Et quidem initio Ecclesiæ communis erat hæc gratia cunctis fidelibus, ut habetur Marci ult. *In nomine meo dæmonia ejicient.* Postea verò subtracta hac potestate constituit Ecclesia ordinem, qui dæmonia expelleret: & conc. Antiochenum *cap.* 10. facultatem tribuit Chorepiscopis ordinandi exorcistas. Illud autem hoc loco prætermittendum non est, quod narrat Severus in vita S. Martini,

tini. Nam cum dixisset Hilarium Pictaviensem Episcopum sæpe tentasse diaconi officium Martino imponere, & hunc semper restitisse, subdit: „Intellexit vir altioris ingenii hoc eum „modo posse constringi, si id ei officii impone„ret, in quo quidam locus injuriæ videretur. „Itaque exorcistam eum esse præcepit. Quam „ille ordinationem, ne despexisse tanquam hu„miliorem videretur, non repudiavit. Ex quo liquet tempore S. Hilarii, qui obiit anno, ut plerique existimant, 367. ordinem Exorcistarum ab aliis distinctum, & inter humiliores seu minores computatum extitisse, adeò ut injuriæ tribui posset, quod vir aliquis eximius ad illum assumeretur. S. Felicem primò Lectorem, deinde Exorcistam ordinatum fuisse Paulinus *in ejus Natali* 4. testatur his versibus.

*---- Primis* Lector *servivit in annis,*
*Inde gradum cepit, cui munus voce fideli*
*Adjurare malos, & sacris pellere verbis.*

*Quæ sint officia singulorum Ordinum minorum. Discrimen inter Ministros Regionarios, Stationarios, Basilicarios, & Oblationarios. De Archypresbyteris & Archidiaconis.*

XVIII. OFficia singulorum Ordinum ex Romano Pontificali hæc sunt. Acolythi debent ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum & aquam ad Eucharistiam ministrare. Olim ex ordine Romano ferebant patenam, sindonem, sacculos, & chrisma ante Pontificem, quando procedebat ad Stationes: vasa sacra diaconis porrigebant, manutergium portabant, & aquam ad lavandas manus ministrabant. Exorcistam oportet abjicere dæmones, & dicere populo, ut, qui non communicat, det locum; & aquam in ministerio fundere. Lectoris munus est scripturas in Ecclesia legere, unde & nomen accepit: & panem ac omnes fructus novos benedicere. Antiquitus epistolam & Evangelium legebant, ut suo loco patebit. Apud Græcos Lector, qui illis est Anagnostes, omnes scripturas legit præter Evangelium: cereos & lampades accendit: ignem affert, cum aqua calida calici infundi debet, de quo ritu infra agemus: luminaria fert ante mysteria in magno introitu, cum scilicet è prothesi ad altare deferuntur: hymnos Cantoribus præcinit: panem, vinum, & aquam defert Sacerdoti, cum sacris operaturus est: Ecclesiam ornat & præparat quæ in ea sunt necessaria. Ostiarius percutit cimbalum & campanam: Ecclesiam & sacrarium aperit & claudit: & librum aperit ei qui prædicat. Ex his autem ministris quidam in Ordine Romano, & apud Anastasium in vitis Pontificum dicuntur Regionarii, qui per Regiones distributi Pontifici in illis ministrabant. Alii Stationarii, qui eidem aderant in Stationibus celebranti. Erant & Basilicarii seu Palatini, qui in Basilica Lateranensi per vices serviebant. Erant denique Oblationarii, ad quos spectabat oblationes suscipere, & deferre Archidiacono. Abiit nunc in desuetudinem hæc distinctio, quæ Diaconos, Subdiaconos, & Acolythos tantùm comprehendebat. Desierunt quoque minorum ordinum officia, quæ plerumque à pueris, & ab hominibus mercede conductis, nullisque ordinibus initiatis exercentur. Priscis temporibus nemo clericus ordinabatur, qui alicui Ecclesiæ non esset addictus. Admissi autem pueri in consortium cleri primò literas, cantum, & ritus ecclesiasticos edoceri solebant, ut passim legimus in vitis Pontificum: tum Ostiarii, deinde Lectores ordinabantur, & sic per gradus ad reliquos ordines ascendebant, cum prius singulorum officia exercuissent. Atque hinc oriebatur, ut rerum Ecclesiasticarum peritissimi essent, in quibus fuerant ab ipsa penè infantia enutriti. Collabi cœpit hæc disciplina ante annos circiter quingentos, donec paulatim ad illos mores deventum est, quibus nunc utimur & vivimus.

Episcopo solemniter celebranti plures ministri assistunt, qui cum Presbyteri vel diaconi sint, non est de illis specialis disquisitio instituenda. Eminet inter Presbyteros Archipresbyter, inter Diaconos Archidiaconus, de quorum officio & dignitate quicquid ex prisco Ecclesiæ usu dici potest, vir diligentissimus Jo. Morinus in unum collegit, & solerter discussit lib. de Sacr. ord. P. 3. *exerc.* 16. Isaacius item Habertus de antiquo gradu & officio Archidiaconi eruditè disseruit *ad* P. 9. *Archieratici observat.* 6. His igitur prætermissis reliquum est, ut de Cantoribus agamus, quorum officium versatur in quibusdam Liturgiæ partibus decantandis.

*Cantus Ecclesiastici origo. Quando cœperit Organorum usus. Olim plebs fidelis in Ecclesia canebat: tum instituti Cantores.*

XIX. A Primordiis Ecclesiæ psalmos & hymnos in conventu Fidelium decantatos fuisse Apostolus asserit ad Ephesios scribens cap. 5. *loquentes vobismetipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus*: quæ verba de mutuo & alterno cantu intelligenda esse Interpretes docent: nec sectarii audent negare hunc usum semper in Ecclesia viguisse. *De hymnis & psalmis canendis*, inquit Augustinus epist. 119. c. 18. *ipsius Domini & Apostolorum habemus documenta, & exempla, & præcepta.* Uberrimè tractarunt hoc argumentum viri docti, quos cito in Tract. de Divina Psalmodia *cap.* 17. §. 2. *n.* 3. Sed & Plinius ethnicus scriptor de cantu primorum Christianorum testimonium perhibuit in epist. ad Trajanum, qua eorum mores describens ait, *solitos fuisse stato die ante lucem convenire, & carmen Christo quasi Deo dicere secum invicem*, alterna videlicet modulatione. Quod autem Theodoretus *lib.* 4. *hist. eccl. cap.* 26. Ephrem Syro, & Augustinus *lib.* 9. *confess. cap.* 7. Ambrosio Mediolanensi ecclesiastici cantus originem tribuisse videntur, id explicat Theodoretus de hymnorum modulatione, & certa quadam hormonia, quam Ephrem ad Harmonii impias cantiones explodendas instituit: Ambrosius verò ad fidelium in Ecclesia excubantium consolationem hymnos & psalmos secundùm morem orientalium partium cantari præcepit; quem morem à Mediolanensi Ecclesia ad alias penè omnes Occidentis migrasse asserit Augustinus: quod certè non absolutè de cantu intelligi potest, quem semper usitatum fuisse constat, sed de modo canendi alternatim, quem Ambrosius introduxit, cæteri imitati sunt. Notabile est quod Synodus Antiochena ad S. Dionysium Papam apud Eusebium *lib.* 7. *hist. c.* 30. scripsit: nam inter scelera Pauli Samosateni refert; quod psalmos in honorem Domini Jesu Christi cani solitos, ex quo arguitur ecclesiastici cantus antiquitas, aboleverit, & mulieres magno Paschæ die psalmos quosdam in Ecclesia canere ad sui ipsius laudem instituerit. Postea labentibus annis musicæ vocali addita est organica sive instrumentalis tempore Vitaliani Papæ, ut plerique existimant, de cujus usu in Ecclesia differui loco citato Divinæ Psalmodiæ *num.* 4. At in Galliis ignota fuisse organa ante Pipinum auctor est Sigebertus *anno* 766. referens à Constantino Imperatore ipsi dono missa; antea nunquam visa: idemque narrant Annales Metenses *anno* 757. Tempore Apostolorum & aliquot subsequentibus sæculis universus fidelium cœtus Sacerdoti solemniter celebranti respondere, & simul cum clero psallere solebat, ut ex Liturgia S. Jacobi, & ex l. 8. Constitut. Apostolicarum manifestum est. Cyprianus l. de orat. *Sacerdos*, inquit, *parat fratrum mentes dicendo* Sursum corda, *ut, dum respondet plebs* Habemus ad Dominum, *admoneatur nihil aliud se, quàm Dominum cogitare debere.* Justinus Martyr *Apol.* 2. idem asserit dicens, *Præpositum preces fundere, & populum fausté acclamare* Amen. Chrysostomus etiam *hom.* 36. *in* 1. *ad Cor.* Confirmat hunc morem dicens, *conveniebant olim omnes & psallebant communiter. Hoc nunc quoque facimus.* Et Hier. *Præf. l.* 2. *comment. in ep. ad Gal.* Romanæ plebis fidem laudat magno studio & frequentia ad Ecclesias & ad Martyrum sepulchra concurrentis, *ubi*, inquit, *ad similitudinem cœlestis tonitrui* Amen *reboat.* Cæsarius denique Arelaten. ut Cyprianus in ejus vita commemorat, compulit laicos & populares homines psalmos & hymnos promere, altâque & modulata voce instar clericorum alios græcè, alios latinè prosas & antiphonas decantare, ne illis spatium suppeteret ad fabulas in Ecclesia effutiendas. Quia tamen vix fieri poterat, quin ecclesiasticæ harmoniæ concentus populi canentis imperitiâ turbaretur, Patres concilii Laodiceni *c.* 15. statuerunt, *non oportere præter canonicos cantores qui suggestum ascendunt, & ex diphtera seu membrana cantant*, quod nos dicimus ex libro, non autem memoriter, *alium quemlibet in Ecclesia psallere.* Verùm hic canon non fuit ubique receptus, ut ex allatis Cæsarii & Chrysostomi testimoniis constat: idemque ipse Chrysostomus clariùs ostendit hom. 1. de verbis Isaiæ *vidi Dominum*, in qua acriter reprehendens psallentis populi cacophoniam & immodestiam, non eos ut sileant monet, sed ut scitè & modestè concinant. In Gallia popularis cantus consuetudinem sublatam existimo paucis annis post Cæsarium: Synodus enim II. Turonen. 4. sancivit, „ ut laici secus altare, quo sacra mysteria celebrantur, inter clericos tam ad vigilias quàm ad „ Missas stare penitus non præsumant; sed pars „ illa, quæ à cancellis versus altare dividitur, chori tantum psallentium pateat clericorum.

Schola

*Schola Cantorum Romæ & alibi instituta. Quale fuerit olim Ecclesiastici cantus studium. De Cantorum ordinatione in Ecclesia orientali.*

XX. CUm in cantu ecclesiastico & clericalis disciplinæ vigor, & christianæ religionis, sacrarumque functionum majestas maximè eluceat; summo semper studio Romani Pontifices, & aliarum Ecclesiarum Antistites curarunt, ut Clerici à teneris annis canendi regulas ediscerent, dato eis magistro, qui, ut scitè loquitur Tertullianus lib. de Pallio cap. ult. *primus* esset *in formator literarum & primus edomator vocis.* Ideò Romæ Schola Cantorum instituta fuit, cujus originem Petrus Episcopus Urbevetanus in scholiis ad vitam Leonis IV. sic describit. „ Quamvis „ circa tempora Sylvestri Papæ plures fuerint in „ Urbe Ecclesiæ, non tamen singulæ clericos vel „ Monachos habebant, qui in illis officia obirent. „ Presbyteri enim titulis, & Diaconiis præfecti, „ suo quisque tantùm officio vacabant, illi Sacra„ mentis administrandis, hi pauperibus procu„ randis. Ideoque ordinata fuit schola Cantorum, „ quæ in Urbe communis erat, & stationes, pro„ cessiones, ac festa principalia Ecclesiarum Urbis „ sequebatur: qua in schola pueri in cantu, le„ ctione, & moribus sacris instituebantur, in com„ muni vivebant, & Primicerium, cujus tunc ma„ gna erat in Urbe dignitas, Præfectum habe„ bant. Hinc ad reliquas civitates eadem institutio propagata est: nam Leidradus Lugdunensis Archiepiscopus ad Carolum Magnum scribens ait, *Habeo scholas Cantorum, ex quibus plerique ita sunt eruditi, ut alios etiam erudire possint.* Synodus Valentina sub Lathario c. 18. *Ut de scholis tam divinæ quàm humanæ literaturæ, nec non & ecclesiasticæ cantilenæ juxta exemplum Prædecessorum nostrorum aliquid inter nos tractetur, & si potest fieri, statuatur & ordinetur.* Crodogangus Metensis Episcopus, in regula Canonicorum à Luca Dacherio primum edita *to.* 1. *sui Spicilegii* de Cantoribus & schola Cantorum agit *cap.* 50. Primam verò hujus collegii sive scholæ institutionem quidam Hilario Papæ, alii Gregorio Magno tribuunt, cui etiam debetur Ecclesiastici cantus in meliorem formam instauratio. Licèt enim, ut diximus, ab initio Ecclesiæ usus canendi Romæ fuerit, nescimus tamen quales ante Gregorium fuerint ecclesiasticæ modulationes, quæ canentium disciplina. Joan. Diaconus in ejusdem Gregorii vita *lib.* 2. *c.* 6. scribit eum constituisse scholam Cantorum, & ei cum nonnullis prædiis duo habitacula fabricasse, unum sub gradibus Basilicæ B. Petri Apostoli, alterum sub domibus Patriarchæ Lateranensis. Porrò cantus ab eo institutus ille est planus & unisonus, quem ab ipso Gregorianum nuncupamus, progrediens per certos limites & terminos tonorum, quos modos seu tropos vocant Musici & octonario numero definiunt, secundùm naturalem generis diatonici dispositionem. Huic cantui, quo hactenus usa est Ecclesia occidentalis, cum Galli & Germani nonnulla miscuissent, Religiosissimus Imperator Carolus Magnus ad primigeniam S. Gregorii harmoniam restitui curavit, ut idem Joannes Diaconus ibidem asseverat. In vita ipsius Caroli à Monacho Engolismensi conscripta *c.* 8. inter scriptores historiæ Francorum, prolixè narratur: contentio habita Romæ inter Gallos & Romanos Cantores, quis meliùs caneret; quam litem diremit Carolus pro Romanis latâ sententiâ, utpotè qui à B. Gregorio instructi fuerant; petiitque ab Adriano Papa cantores, quos misit in Galliam, ut veram cantandi normam docerent. Qua in re admirabilis fuit pii Regis sollicitudo, ut fusiùs docet Monachus Sangallensis in lib. de ecclesiastica cura Caroli Mag. *c.* 5. *& sequentibus.* Ordo Romanus ait ex prædicta schola pueros nobiles cubicularios summi Pontificis fieri consuevisse. Transferebantur nimirum in Oratorium Pontificis, quod olim cubiculum vocabatur, ut docet Baronius in Martyrologio *ad diem* XI. *Junii*, & inter clericos Pontificios numerabantur. Sic à tenera ætate enutritus fuit Sergius I. de quo hæc regert Anastasius. „ Hic veniens Romam „ tempore Adeodati, quia studiosus erat & capax „ in officio cantilenæ, scholæ cantorum pro do„ctrina est traditus, & Acolythus factus per or„ dinem ascendens à Leone II. in titulo S. Su„ sannæ Presbyter ordinatus est. Sergius item II. cum puer esset à Leone III. scholæ Cantorum traditus ad erudiendum literis & cantilenæ melodiis, ascendens deinde per omnes gradus Summus Pontifex creatus est. Similia scribit Anastasius de Gregorio II. Stephano III. & Paulo I. Hujusmodi scholam, in qua pueri cantu & literis ac moribus instruerentur, ducentis ferè annis ante Gregorium Magnum extitisse in Africa, Victor Episcopus indicat *lib.* 5. *de persec. Africana sub impio Rege Hunerico*, ubi describens multitudinem fidelium pergentium in exilium, separatos ex illis ait, suggerente quodam Terchario,

chario, qui, cum Lector Catholicus esset, accesserat Arianis, duodecim infantulos strenuos & aptos modulis cantilenæ, quos ipse in Ecclesia discipulos habuerat. Hi revocati Carthaginem, & variis suppliciis affecti, ut orthodoxam fidem deserererent, in ea semper constantes tormentis supervixerunt. *Quos nunc Carthago*, ait victor, *miro colit affectu, & quasi duodecim Apostolorum, chorum conspicit, puerorum. Unà degunt, simul vescuntur, pariter psallunt, simul in Domino gloriantur.* Favet Augustinus, qui, quantum vigeret in Africa studium ecclesiastici cantus, luculenter ostendit *lib.* 10. *confessionum c.* 33. In Gallia quoque Carolus Magnus *lib.* 1. *capitularium c.* 72. hoc de eisdem scholis decretum edidit. *Scholæ legentium puerorum fiant: psalmos, notas cantus, computum, grammaticam, per singula monasteria vel episcopia discant.* Quandonam Romæ sublata sit schola Cantorum sub Primicerio communiter vivens, nusquam reperio. Adhuc tamen vigebat sæculo decimo tertio, nam Cæsar Rasponus Cardinalis in erudito opere de Basilica Lateranensi *lib.* 2. *cap.* 4. ponit conventionem anno 1232. initam inter Lateranensem Ecclesiam, & Primicerium ac scholam Cantorum, qua assignantur quidam proventus ipsi Primicerio cum decem Cantoribus pro officio in die sancti Joannis Baptistæ, & in Stationibus ejusdem Ecclesiæ. Apud Græcos ordinantur Cantores eodem ritu quo Lectores, ut constat ex Euchologio, & ex variis Ordinationum Græcarum libris editis à Morino. Diversum tamen à Lectore ordinem Psaltes sive Cantor non constituit, ut observat Habertus *ad partem IV. Pontificalis Græcorum observ.* 4. nisi quod ille recitat, hic concinit: unde illi in ordinatione liber Apostolicus, huic psalterium præbetur. At verò Maronitis diversa est Lectoris & Cantoris ordinatio, estque apud illos Cantoratus gradus ad Lectoratum. De disciplina psallendi hæc sancivit synodus Trullana can. 75. *Eos qui in Ecclesiis ad psallendum accedunt, volumus nec inordinatis vociferationibus uti, & naturam ad clamorem urgere; nec aliquid eorum, quæ Ecclesiæ non conveniunt & apta non sunt, adsciscere; sed cum magna attentione & compunctione Psalmodias Deo, qui est occultorum inspector, offerre.* Congessit in notis ad hunc canonem plura, quæ ad cantum ejusque disciplinam spectant, Christianus Lupus. Diaconos psallere in Ecclesia Gregorius Magnus prohibuit in Concilio Romano, cujus acta in ejus Regesto descripta sunt *lib.* 4. *epist.* 44. sed solos subdiaconos, & clericos minorum ordinum hoc munere fungi constituit; ac propterea scholam Cantorum pro puerorum institutione aut primus erexit, aut restituit. Clericos autem Ecclesiæ adscriptos debere per seipsos psallere Justinianus Imperator edixit *C. de Episc. & clericis leg.* 42. §. 10. additque causam edicti dignam ponderatione. *Nam qui constituerunt vel fundaverunt sanctissimas Ecclesias pro sua salute & communis Reipublicæ, reliquerunt illis substantias, ut per eas debeant sacræ Liturgiæ fieri, & ut in illis à ministrantibus piis clericis Deus colatur.* Et initio dixit se ideo hoc sanxisse, *ne ex sola ecclesiasticarum rerum consumptione clerici appareant, nomen quidem habentes clericorum, rem autem non implentes.*

FINIS LIBRI PRIMI.

RERUM

# RERUM LITURGICARUM LIBER SECUNDUS.

*Quo singulæ Missæ Partes ac ritus singillatim explicantur.*

Discussis in primo libro, ut vires meæ tulerunt, omnibus quæ ad Missam, ejusque originem, progressum, disciplinam, varioque ritus, & apparatum pertinere visa sunt; suscepti operis ratio exigit, ut in hoc secundo singulas ejus partes in ordinem digestas aggrediar, illarumque causas, institutionem, incrementa, mutationes, & si quid in illis abditum, obscurum, & difficile occurrit, ex antiquis monumentis & praxi Ecclesiæ, quantum fieri poterit, seorsum expediam & explanem. Ordior autem à proxima Sacerdotis ad celebrandum præparatione, post quam totum Liturgiæ contextum ab accessu ipsius Sacerdotis ad altare usque ad recessum, Deo opitulante, explicabo.

---

## Caput Primum.

*Sacerdotis ad celebrandum præparatio in quo consistat. Præmittenda peccatorum confessio. Quædam obiter de prisco usu confessionis. Apologiæ, preces præparatoriæ, & psalmi. Reconciliatio & pax cum omnibus. Puritas animi. Olim in usu erat noctis antecedentis Pervigilium. Jejunium necessarium, & carnis munditia. Lotio manuum, & nitor vestium. Orationes recitandæ à Sacerdote, dum sacris vestibus induitur. Panis & vini proxima præparatio.*

I. Sacerdos Missam auspicaturus primò se ipsum ad tantum opus disponit, ut sit purus mente & corpore: tum ea præparat quæ spectant ad sacrificium. Et animæ quidem puritatem comparat sacramentali confessione, si alicujus culpæ sibi conscius sit. Id enim Apostolus præcepit dicens: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.* Ecclesiastica autem consuetudo, sicut Patres Concilii Tridenti docent *sess. 23. cap. 7.* declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Ideò Chrysostomus initio suæ Liturgiæ ait: Sacerdos divinum mysterium peracturus, ante omnia confiteri, & cum omnibus reconciliatum se habere debet. Et in Liturgia Basilii exclamat Pontifex, *Sancta Sanctis*: cujus formulæ idem quoque Chrysostomus meminit *homil. 61. ad pop. Antioch. & homil. 17. in epist. ad Hebræos.* In Antiquo Missali Romanæ Ecclesiæ monetur Sacerdos celebraturus, conscientiam suam per puram confessionem optimè præparare. Atque ut antiquius testimonium proferam, hoc ipsum Cyprianus apertissimè docet lib. de Lapsis, ostendens quàm sit perniciosum ad Eucharistiam accedere, & corpori

Domini ac sanguini vim inferre ante expiata delicta, ante criminis exomologesim, ante purgatam conscientiam. Tum post narrata quædam exempla divinæ vindictæ adversus indignè communicantes, eos laudat, qui nullo crimine idololatriæ maculati, vel ob solas de illo cogitationes confitebantur. „ Quanto, *inquit*, & fide majores, „ & timore meliores sunt, qui quamvis nullo sa„ crificii aut libelli facinore constricti, quoniam „ tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud „ Sacerdotes Dei, dolentes & simpliciter confi„ tentes, exomologesin conscientiæ faciunt, ani„ mi sui pondus exponunt, salutarem medelam „ parvis licet & modicis vulneribus exquirunt. Quæ verba de secreta & auriculari confessione intelligenda esse quis dubitet? publicam enim de cogitationibus, deque modicis peccatis Ecclesia numquam admisit. Quod etsi parergon, nolui hoc loco tacitus præterire propter Eterodoxos, qui privatam pœnitentiam ex publica sumpsisse originem contendunt, cum potius publicæ delictorum pœnitentiæ privata confessio semper adnexa fuerit; quod fusiùs probare ad propositum mihi argumentum non spectat. Tertullianus lib. de Baptismo cap. 20. „ Nobis, *ait*, gratulandum est, „ si non publicè confitemur iniquitates aut turpi„ tudines nostras. *Et de Pœnitentia cap.* 10. Ple„ rosque hoc opus, *id est confessionem*, ut publica„ tionem sui aut suffugere, aut de die in dies dif„ ferre præsumo, pudoris magis memores quàm „ salutis: veluti illi, qui in partibus verecundio„ ribus corporis contracta vexatione, conscien„ tiam medentium vitant, & ita cum erubescentia „ sua pereunt. Hac autem comparatione Patres antiqui & recentiores uti solent adversùs illos, qui ob verecundiam turpia quædam & graviora crimina in arcano pœnitentiæ tribunali, quod semper in Ecclesia fuit, Sacerdoti abscondunt, momentaneam confusionem æternæ præferentes. Sed revertor ad Cyprianum, qui Confessionis necessitatem ante communionem rursum exaggerat epist. 10. clerum suum reprehendens, quod Lapsis ausus fuerit Eucharistiam dare, *nondum pœnitentiâ acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo, & clero imposita.* Quod licet de reconciliatione cum Ecclesia, & absolutione à pœnis intelligatur, hæc tamen sacramentalem confessionem adjunctam habebat. Si autem Sacerdoti rem divinam facturo nihil confessione expiandum occurrat, ejus tamen sententiæ meminisse debet, quam per os Sapientis protulit Spiritus sanctus, *de propitiato peccato noli esse sine metu*; quia nimirum de obtenta peccatorum remissione nemo in hac vita securus est. Ideò antiqui Sacerdotes suam semper infirmitatem suspectam habentes, humanique cordis pravos & profundissimos recessûs formidantes, in quibus sæpè latent minuta & occulta peccata, scientes quoque multa non advertentibus irrepere, multa è memoria excidere, cum timore & tremore in opera pœnitentiæ incumbebant, & sacris operaturi prolixis precationibus, quas Apologias vocabant, ad ostium divinæ misericordiæ pulsabant, ut ab omni macula expurgarentur. Plures hujusmodi Apologiæ extant in priscis Sacramentorum libris, quarum præcipuæ apud Menardum legi possunt pag. 242. & infra in Appendice. Dicuntur autem Apologiæ, quia in his Sacerdos excusat & purgat se, quod peccator & indignus ad sacra mysteria accedere præsumat. Observat Menardus, eas olim legi consueviſse ante offertorium, cum peractâ Missâ Catechumenorum incipiebat Missa Fidelium; sed in ea quam edidit Illyricus, & in Codice Chisio de quo Lib. I. Cap. XII. actum est, pleræque dicuntur ante Introitum, & dum *Gloria in excelsis*, & Graduale cantantur. Unam hîc transcribo, ex antiquissimo Missali Serenissimæ Reginæ Sueciæ, quod vetus Gallicanum esse ante tempora Pipini supra indicavi.

### *Apologia Sacerdotis.*

ANte tuæ immensitatis conspectum, & ante tuæ ineffabilitatis oculos, ô Majestas mirabilis, scilicet ante sanctos vultus tuos, magne Deus & maximæ pietatis ac potestatis omnipotens Pater, quamlibet non sine debita reverentia, attamen nulla officii dignitate, vilis admodum peccator accedo, & reus conscientiæ testis adsisto. Accuso me tibi, & non excuso: & coram testibus confiteor injustitiam meam tibi Domino Deo meo. Confiteor inquam, confiteor sub testibus injustitiam impietatis meæ, ut remittas impietatem peccati mei. Confiteor quod nisi remittas, rectè me punias. Habes me confitentem reum; sed scio, non nisi verbis emendantem. Verbis enim placo, operibus offendo. Culpam sentio, emendationem differo. Subveni ergò, subveni pietas ineffabilis. Ignosce, ignosce mihi Trinitas mirabilis. Parce, parce, parce supplico, Deitas placabilis. Exaudi, exaudi, exaudi me rogo his verbis illius Filii tui clamantem, Pater æterne Deus, peccavi in cœlum & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me ut unum de mercenariis tuis. Et nunc Pater misericors unicum miseri

misericordiæ tuæ portum. Christo favente peto, ut, quod per me vilescit, per illum acceptum ferre digneris. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

II. Præter Apologias erant aliæ orationes præparatoriæ, quas Georgius Pachymeres mox citandus *proteleſticas* vocat, quòd ante Teleten seu sacrificium dicerentur. Hujusmodi est celeberrima illa S. Ambrosii à celebri scriptore contra fidem veterum Codicum Anselmo Cantuariensi adscripta quæ incipit, *Summe Sacerdos, & vere Pontifex.* In Missa veteri ex codice Ratoldi Abbatis apud Menardum *pag.* 259. hæc initio leguntur. *Antequam Episcopus Missam celebret, ingrediatur quoddam oratorium, & secundum cordis compunctionem se ipsum libamine orationis Deo offerat.* Tum mandat dici hanc orationem, quam prisca Monachorum Ritualia recitari in ingressu Ecclesiæ præcipiunt post diei Dominicæ processionem. „ Via „ Sanctorum omnium Jesu Christe, qui ad te ve„ nientibus claritatis gaudium contulisti, introi„ tum templi istius Spiritus sancti luce perfunde, „ qui locum istum Sanctorum tuorum Martyrum „ nomine vel sanguine consecrasti: præsta quæsu„ mus omnipotens Deus, ut omnes isti in te cre„ dentes obtineant veniam pro delictis; ab omni„ bus liberentur augustiis, impetrent quicquid „ petierint pro necessitatibus suis, placere semper „ prævaleant coram oculis tuis, quatenus per te „ & per S. Petrum militem tuum muniti, merea„ mur aulam Paradisi introire. Amen.

Preces verò præparatorias, easque prolixas semper in usu fuisse, crebris Sanctorum exemplis docemur, qui tamdiu in oratione perseverabant, donec gratiâ Spiritus sancti mirabiliter imbuti, ejus virtute & impulsu ad celebrandum excitarentur. De summa enim puritate, quæ ad tantum ministerium requiritur, longè aliter ac nos sentiebant. Narrat Dionysius *epist.* 8. *ad Demophilum*, sanctum Carpum virum ob mentis puritatem ad Dei contemplationem aptissimum nunquam sacros mysteriorum ritus auspicatum fuisse, nisi prius ipsi inter præparatorias orationes sacra quædam & propitia visio apparuisset. Idem refert Joannes Moschus in Prato spirituali *c.* 27. de quodam presbytero, qui post nocturnos hymnos sedens propè sanctum altare Missarum solemnia non incipiebat, quousque vidisset Spiritum sanctum altare obumbrantem. Sic eodem referente *cap.* 150. quidam Episcopus coram S. Agapeto Pontifice celebrans tempore oblationis diu perstitit non concludens orationem, quia juxta consuetudinem Spiritus sancti descensum non vidit. Et hic quidem quorumdam Sanctorum mos fuit, omnibus autem Sacerdotibus indiscriminatim. S. Bonaventura *lib. de præpar. ad Missam cap.* 5. sic loquitur. „ Proba te ipsum ex „ quanta charitate, & quali fervore accedis. Non „ solùm enim mortalia vitanda sunt, sed etiam „ venialia peccata per negligentiam & otium mul„ tiplicata, & etiam per inconsiderationem ac per „ distractionem dissolutæ vitæ & malæ consue„ tudinis, licèt non occidant animam, tamen red„ dunt hominem tepidum, gravem, & obnubi„ latum, & indispositum & ineptum ad celebran„ dum, nisi dicti pulveres & stipulæ venialium „ per afflatum spiritus & flammam charitatis ven„ tilentur & consumantur exardescente igne cor„ dis, & ex consideratione propriæ vilitatis. Usus quoque quorumdam psalmorum ante Missam antiquus est. Vetus Missa ab Illyrico edita antequam Sacerdos sacris vestibus induatur, dici mandat, si tempus permiserit, flexis genibus coram altari septem Psalmos pœnitentiales cum Litania & aliis prolixis precibus, post quas sequuntur alii septem psalmi, nempe *Quam dilecta. Benedixisti. Inclina Domine. Fundamenta ejus. Domine Deus salutis meæ. Credidi propter quod. Memento Domine David.* Codex Chisius tres tantùm psalmos à Sacerdote sacris vestibus induto cum circumstantibus clericis dicendos præscribit, videlicet *Quam dilecta. Benedixisti. Inclina Domine.* Iidem præscribuntur in codice Tiliano apud Menardum *pag.* 266. Missale Hispalense editum anno 1534 jubet dici septem Psalmos Pœnitentiales, vel *Quam dilecta*, cum reliquis, qui hodie notantur in Missali Romano, & leguntur in plerisque Missalibus M. SS. Bibliothecæ Vaticanæ. Micrologus cap. 1. *Presbyter, cum se parat ad Missam, juxta* Romanam consuetudinem decantat hos psalmos; *Quam dilecta. Benedixisti. Inclina Domine. Credidi*, Deinde *Kyrie eleison. Pater noster*, cum precibus, & oratione pro peccatis. Quidam præmittunt hymnum *Veni creator Spiritus.* Cæterùm de his psalmis nec Ordo Romanus in prima, tertia, & quarta descriptione Missæ, nec Amalarius, nec Alcuinus loquuntur, ex quorum silentio conjicio, circa ann. Domini 900. ante Missas solemnes recitari cœpisse. Psalmos autem pœnitentiales cum Litania idem Ordo Romanus in secunda descriptione Missæ commemorat dicens: *Duo Presbyteri cum septem diaconis coram Episcopo stantes ministrent ei, cantantes cum illo septem psalmos pœnitentiales cum Litania.*

III. Spectat etiam ad animæ puritatem comparandam, ut Sacerdos, quantum est in se, pacem cum omnibus habeat, nec ulla sit ei querela adversùs aliquem. Ita Chrysostomus initio suæ Liturgiæ & Pontificale Græcorum in principio ordinis Liturgiæ Patriarchalis. Hoc autem Domini præceptum est: *si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.* Ita Matthæi c. 5. Cum enim sacrificium symbolum pacis sit, & mutuæ unionis professio ac protestatio, necessaria prorsus est ante sacram synaxim cum fratribus reconciliatio, ne sacramentum unionis & pacis sine pace & unione recipientes, mendaces coram eo inveniamur, qui est Deus pacis & dilectionis. Præclarè Tertullianus lib. de Oratione c. 10. „ Memoria præceptorum viam orationibus sternit ad „ cœlum, quorum præcipuum est, ne prius ascendamus ad Dei altare, quàm si quid discordiæ „ vel offensæ cum fratribus contraxerimus, resolvamus. Quid est enim ad pacem Dei recedere „ sine pace? ad remissionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit patrem iratus in „ fratrem? Habemus de hac re veterem formulam lib. 2. const. Apostol. qua diaconus clamabat, *ne quis contra aliquem, ne quis in simulatione.* Sequitur apud Chrysostomum loc. cit. expurgatio cordis à pravis cogitationibus, ut nimirum, sicut ait Augustinus tract. 26. in Joannem, *Innocentiam apportemus ad altare.* Scribit Dionysius *c. 3. eccl. hierarch.* à divina sacrificii excelsitate olim submotos non eos dumtaxat, qui à christianæ vitæ sanctitate defeciverant, sed & eos qui à deteriore quidem vita recesserant, nondum verò animos à pristinæ impuritatis phantasmatis expurgaverant. „ Ideò his demum tam augustæ patere mysteria, „ qui ad divini ac deifici habitus immobilitatem, „ vimque actuosam pervenere, qui soli Deo unicè „ adhæreant, quique omnino irreprehensibiles „ sint atque immaculati. Suffragatur Chrysostomus hom. 17. in ep. ad Heb. „ Vox illa, *ait*, in „ nostras aures incurrens, alios quidem repellit & „ ejicit, alios autem introducit & sistit. Nam „ quando dicit SANCTA SANCTIS, hoc „ dicit: si quis non Sanctus, non accedat. Non „ solum inquit à peccatis purus, sed etiam sanctus. „ Sanctum enim non facit solùm liberatio à peccatis, sed etiam præsentia spiritus & bonorum „ operum abundantia. Non solùm, inquit, volo „ vos à cœno esse liberatos; sed albos esse & speciosos.

IV. Olim quoque in usu erat apud Græcos totius noctis antecedentis pervigilium, cum postera die sacrum mysterium celebrandum foret, quod non solùm à Sacerdotibus, sed etiam à populo servabatur. Testatur Socrates *lib. 2. hist. eccl. cap.* 8. ubi referens Athanasii fugam ait, *vesperæ quidem erat, populus autem per totam noctem vigilabat, quia synaxis futura erat.* Et Georgius Pachymeres à Petro Possino magno rei literariæ bono novissimè editus, ex cod. M. S. Bioliothecæ Barberinæ lib. 1. hist. Michaelis Palæologi cap. 11. *Ad vesperam*, inquit, *nocturnæ decantatæ sunt preces, postera quippè die sacrum facere Præsul decreverat.* Nec aliena fuit ab hoc instituto Romana Ecclesia, nusquam enim legimus vel in Ordine Romano, vel in libris Sacramentorum Missarum solemnia peracta fuisse, nisi prius in Ecclesia vigiliæ nocturnæ cum laudibus persolutæ essent. Quem ritum etiam nunc servandum esse docent Regulæ Missali Romano præfixæ, quibus horam celebrandi determinant.

Hæc de animæ dispositionibus. Ad corpus pertinent jejunium & munditia. De jejunio, quod celebrans servare debet à media nocte antecedente, dictum est supra Cap. XXI. Lib. I. Munditia est duplex, in ipso corpore & in vestimentis. Prima in castitate consistit, quæ quantoperè sit necessaria Sacerdoti, passim docent sancti Patres, & alii doctissimi scriptores, qui de sacrorum hominum continentia integros tractatus ediderunt. An verò nocturna illusio sine culpa eveniens sequentis diei celebrationem impediat, quæstio anceps est, in cujus solutione dissident ab antiquis recentiores, sed nec illi quidem inter se conveniunt. Augustinus serm 244. de Temp. *Post pollutionem*, inquit, *quæ nobis nolentibus fieri solet, nobis communicare non licet; nisi prius præcedat compunctio & eleemosyna, &, si infirmitas non prohibet, etiam jejunium.* Simili rigore utuntur veteres libri Pœnitentiales. Antiqua verò Cistercienſium & aliorum Monachorum statuta eâ sorde fœdatos, non solùm à celebratione, sed ab omni quoque altaris ministerio arcebant. Alii arbitrio Patris spiritualis, vel propriæ cujusque conscientiæ dictamini rem decernendam dimittunt. Mihi regula servanda videtur à Gregorio Magno præscripta *lib. 12. epist. 31.* in responsione ad XI. interrogationem Augustini Episcopi Anglorum, quam Gratianus Decreto inseruit *distinct. 6. cap. 1.* ut nimirum quisq; consideret ex qua radice inquinatio illa processerit. Longior illa est, quam ut debeat hîc tota transcribi, & utiliùs legi poterit apud Grego-

Gregorium. Facit etiam ad hoc argumentum collatio XXII. Cassiani de nocturnis illusionibus, quæ est secunda Abbatis Theonæ.

V. Accedit lotio manuum, quam ex quodam naturæ instinctu ipsimet ethnici sacrificio præmittebant; nec manuum dumtaxat, sed etiam totius corporis. Id de Græcis & Ægyptiis testatur Herodotus in Euterpe. De Romanis Persius *Satyra* 2.

*Hæc sanctè ut poscas, Tiberino in gurgite mergis*
*Mane caput bis terque, & noctem flumine purgas.*

Et Tibullus lib. 2. eleg. 1.

*Casta placent superis, pura cum veste venite,*
*Et manibus puris sumite fontis aquam.*

Euclio item apud Plautum in Aulularia *act.* 4. *sc.* 2. *Nunc lavabo ut rem divinam faciam.* Est & illud Hesiodi, *Illotis manibus sacra tractare est nefas.* Eadem religio Hebræis fuit, legimus enim cap. 30. Exodi positum in templo labrum æneum cum aqua, ut, quando sacerdotes ingressuri erant tabernaculum testimonii, & accessuri ad altare, manus antea lavarent. Simile vas ad eumdem finem, sed multò capacius in ingressu templi posuit Salomon, quod *Mare æneum* nuncupavit. Hinc probabile est, hunc ipsum morem ad Christianos fluxisse, ut canthari & lutheres aqua pleni, vel etiam fontes ante fores templorum collocarentur, ut supra indicavi Cap. XX. Lib. I. quatenus sacrificia vel preces oblaturi puras ad Deum manus levarent, sicut Apostolus scripsit 1. *ad Timoth. c.* 3. & externa lotione internæ puritatis admonerentur. *Quæ ratio est*, ait Tertullianus lib. de orat. cap. 11. *manibus quidem ablutis, spiritu verò sordente orationem obire?* Et Chrysostomus hom. 61. ad pop. Antioch. „ Dic „ mihi, immundisne manibus ad sacrificium „ eligeres accedere? Non ut ipse puto; sed nec „ omnino malles accedere, quàm manibus illo„ tis. Ita in parvo quidem es tam reverens, sor„ didam autem habens animam accedis, & audes „ tangere. Eodem spiritu Anastasius Synaita orat. de sacra synaxi adversùs eos declamat, qui lotis quidem manibus, sed polluta conscientia corpus Domini suscipiunt. Dorotheus denique *serm.* 9. narrans cujusdam Monachi suspicionem, qui putabat se summo mane vidisse fratrem manducantem, ait: *Vidit ipsum manus abluentem, ut ad communionem accederet.* Ex veteri igitur Ecclesiæ instituto Sacerdos lavat manus ante sacrum, Deum interim exorans, ut, sicut exteriùs abluuntur manuum inquinamenta, sic ab eo mundentur interiùs sordes mentis: est enim corporis munditia interioris innocentiæ professio. Qua de causa non solùm à corpore, sed etiam à vestimentis omnis immunditia abesse debet: idque summoperè curabant prisci ævi Fideles ad Eucharistiam accessuri. Anastasius in præcitata oratione de sacra synaxi, „ Multi qui„ dem non laborant, qua puritate & pœnitentia „ ad sacram mensam adeant; sed quibus vesti„ mentis exornentur. Idem docet Chrysostomus hom. 52. in Matthæum, „ In nonnullis Eccle„ siis hunc morem corroboratum videmus, ut di„ ligenter multi studeant, quo modo manibus lo„ tis, mundis induti vestimentis in Ecclesiam in„ grediantur: quomodo autem animam atque „ mentem suam puram offerant Deo, nullam „ prorsus habent curam. Luculentiùs autem orat. de S. Philogonio; „ Hortor vos, *inquit*, ne „ negligenter ad divina mysteria accedatis. Ab„ surdum enim est, tantam habere curam corpo„ ralium, ut appetente festo multis ante diebus „ vestem è scriniis depromptam diligenter appa„ res, omnibusque modis temetipsum ornes, „ nititumque reddas: animæ verò neglectæ, sor„ dentis, squalidæ nullum habere respectum. Neq; damnat Chrysostomus corporis & vestium munditiam, sed animæ cultum præferendum docet: nam & ipse moriturus priusquam communionem acciperet, exutus prioribus vestimentis candida & nitentia sumpsit, ut Palladius scribit in ejus vita. Hebræos quoque templum ingressuros mundis se vestibus induisse doctissimus inter illos Philo testatur, qui *lib. de Cherubim* eos similiter reprehendit, qui dabant operam, ut candidis, & diligenter emaculatis vestibus amicti templum subirent: mentem verò maculosam in ipsa penitissima sacraria inferre non verebantur.

VI. Vestibus autem communibus superaddit Sacerdos sacrata vestimenta eo ordine quo supra *Lib. I. Cap. XXIV.* quo de illis disserui, recensita sunt, nisi quod quædam Ecclesiæ, ut Ambrosiana & Lugdunensis, amictum sumunt post albam. Ad singula verò certas preces in Missali descriptas recitat, quæ in diversis Ecclesiis diversæ sunt, verbis non sensu. Earum nec Ordo Romanus, nec Amalarius, nec alii ejusdem sæculi Scriptores mentionem faciunt. Desunt quoque in antiquioribus Missalibus M. SS. & in libro Sacramentorum S. Gregorii. Ex quo suspicor ante annum 900. non fuisse saltem ubique in usu. Extant autem apud Menardum in veteri

Missa ex codice Ratoldi Abbatis Corbeiensis, qui obiit ann. 986. sed versibus conceptæ, ministro ad singulas vestes petente ab Episcopo, ut eas benedicat. *Minister*, inquit, *administret superhumerale & dicat*, Jube benedicere, *respondet Episcopus.*

*Virtus summa Deus, cunctorum rector opimus,*
*Tu benedic nostrum, quo nunc ornamur, amictum,*
*Ut servire tibi valeamus corde pudico.*

Postea ministret ei albam, & dicat ut supra. Respondet Episcopus.

*Vestibus Angelicis induti, rex pietatis,*
*Possimus libare pii libamen odoris.*
*Clemens & pravæ purges contagia mentis,*
*Ac citius delenda malæ contagia mentis.*

Et sic de reliquis, ritu videlicet Græcorum, qui, ut constat ex Liturgia Chrysostomi, antequam sumant sacra indumenta, ea semper benedicunt. In alia Missa ex Codice Tiliano scripto anno 1032. extant ad singulas vestes breves orationes apud eumdem Menardum. Ad amictum, „ Obumbra „ Domine caput meum umbraculo sanctæ fidei; „ & expelle à me nubila ignorantiæ. *Ad albam*, „ Indue me Domine vestimento salutis, & circumda me lorica fortitudinis. *Ad Zonam*, Do„ mine accinge in me custodiam mentis meæ, nec „ ipsa mens inflectatur spiritu elationis. *Ad Sto„ lam*, Stolâ justitiæ circumda Domine cervi„ cem meam, & ab omni corruptione peccati „ purifica mentem meam. *Ad Casulam*, Indue „ me Domine ornamento charitatis & pacis, ut „ undique munitus virtutibus, possim resistere „ vitiis, & hostibus mentis & corporis. *Ad Ma„ nipulum*, Da mihi Domine sensum rectum & „ vocem puram, ut implere possim laudem tuam. Auctor Micrologi, quem Pamelius vixisse putat tempore Gregorii VII. de præparatione ad Missam ita scribit cap. 23. *Presbyter cum se parat ad Missam, in primis cantat psalmos*, Quam dilecta, Benedixisti, Inclina, Credidi. *Deinde* Kyrie eleison, Pater noster. *Vers.* Ego dixi Domine: Convertere Domine: Fiat misericordia: Sacerdotes: Protector noster: Domine exaudi. *Oratio.* Aufer à nobis Domine iniquitates nostras & peccata nostra, ut mereamur puris mentibus ad sancta sanctorum introire. *Alia.* Actiones nostras. *Paratus autem venit ad altare.* Nec alias commemorat orationes. In Missa Illyrici sunt speciales precationes ad singulas vestes, quæ infra legi possunt in Appendice. In alia Missa ex Codice Chisio sunt ipsæmet, quæ supra scriptæ sunt ex Codice Tiliano. In Missali Romano impresso Venetiis anno 1534. præmittitur ordo celebrationis Missæ seorsim etiam excusus *per D. Joannem Burchardum Argentinum, Decretorum Doctorem & Magistrum ceremoniarum D. Papæ*, qui ait orationes, dum induitur Sacerdos, non ex præcepto, sed ex devotione dici & posse iis dimissis recitari Psalmum *Miserere*, aut alium convenientem. An verò hodie hæc sententia tuta sit, scholasticis discutiendum relinquo.

VII. Sic indutus Sacerdos, & omni ornatus Missatica paratura, ut auctor vitæ S. Udalrici Episcopi Augustani loquitur, panem & vinum ad usum sacrificii præparat; quod à Latinis in Sacrario, à Græcis in Prothesi fit. Et Latini quidem nulla ceremonia in pane præparando utuntur, nisi quod hostiam patenæ superponunt & præparant ante Missam. Vinum verò infundunt calici & aqua miscent in altari, post panis oblationem eo ritu, qui infra suo loco explicabitur. At Græci majori apparatu hoc ipsum præstant in minori altari ad lævam majoris posito, in quo dona sacranda primò proponuntur, & primam quodammodo sanctificationem precibus Sacerdotis accipiunt. De qua re cum in concilio Florentino Græci à Latinis interrogati fuissent, illorum nomine Episcopus Mitylenensis legitimè ac canonicè respondisse fertur: & quamvis non sit scripta ejus responsio, credibile tamen est nihil aliud eum dixisse, quàm quod S. Germanus, & post eum Cabasilas, & alii Græcorum rituum explanatores scribunt, hæc omnia quæ fiunt in Prothesi ad præparationem pertinere, & ad ea referri, quę paulò post in summo altari gerenda sunt. Græcus itaque Sacerdos sacris vestibus indutus procedens ad prothesim seu mensam propositionis, lavat manus cum ministris dicens: *Lavabo inter innocentes manus meas*, & quæ sequuntur usque ad finem Psalmi. Tum Diaconus præparat discum sive patenam lancis profundioris figuram habentem & ponit in parte sinistra, calicem verò ad dexteram: sumitque Sacerdos manu sinistra panem, dextera sanctam lanceam, nempe gladiolum ad instar lanceæ huic ministerio deputatum, & cum ea signum crucis facit super sigillum oblatæ. Est autem sigillum crucis effigies pani impressa. Post hæc scindit ipsum sigillum in partes & ponit in disco, & attollit, adoletque incensum, & Diaconus infundit vinum & aquam in calicem; multæque interim orationes recitantur, qui in Liturgia Chrysost. legi possunt. Imitantur vini & aquæ præparationem, antequam

Missam

Missam inchoent quidam Latinorum, ut Carthusiani, Prædicatores, & veteri ritu Cistercienses ac quidam alii. Statim enim ac pervenerunt ad altare, vinum calici infundunt, & aquam miscent, brevique oratione benedicunt. Plerique autem sanguinis & aquæ, quæ de latere Christi emanarunt, mysterium commemorant: quem ritum in Ecclesiis Gallicanis passim viguisse testatur Saussaius in Panoplia sacerdotali *par.* 1. *lib.* 8. *c.* 20. *art.* 5. Sed redeo ad Græcos. Observant illi hunc morem, ut facta majoris hostiæ oblatione plures deinde particulas sigillatim offerant, quas *meridas* vocant: quia cum sacrificium plures fines & effectus habeat, iis significandis particulas multiplicant. Et primam quidem hostiam, ut debitum Deo cultum reddant, in memoriam Salvatoris nostri Jesu Christi offerunt. Secundam ad honorem gloriosæ Virginis Mariæ, ut Deus ipsius precibus sacrificium acceptare dignetur, sive ut gratias ei agant pro beneficiis ipsi Virgini & nobis per ipsam collatis. Tertia est in honorem sancti Joannis Baptistæ, sanctorum Apostolorum, & aliorum quos nominant. Quarta pro salute viventium, quorum nomina recitant quotquot voluerint, ut eis Deus peccata dimittat, & omnia bona largiatur. Quinta pro defunctis, eorum item nominibus recitatis. Quòd si Sancti alicujus solemnia ea die celebrentur, propriam illius veneration particulam secernunt & offerunt. Possunt etiam pro quocumque voluerint, singillatim offerre. Similiter & reliqui Sacerdotes celebranti assistentes, & Diaconi, si velint, tollunt particulas pro iis quoque nominatim, qui sibi commendati sunt. Nec Diaconi propterea censendi sunt officium sibi non debitum sacrilegè usurpare, ut credit Arcudius *lib.* 3. *de Sacram. c.* 13. non enim de hac oblatione loquuntur canones ab eo citati; sed de alia quæ fit in altari & ad solos Sacerdotes pertinet. In hac verò, quæ illi prævia est, & à consecratione longiùs remota, nihil aliud facit Diaconus, nisi quod particulas scindit, & in disco reponit à Sacerdote postea consecrandas. His peractis thus adoletur, tum ipsis donis, tum velaminibus, & protheſi, ac toti sacrario; & aliquot orationibus, psalmoque quinquagesimo recitatis finis imponitur primæ parti Liturgiæ, quæ est præparatio donorum, & primum offertorium. Porrò particulas illas simul cum majori hostia à Sacerdote consecrari certissimum est, quicquid in contrarium asserant quidam Græci recentiores hoc perperam negantes. Primus autem hujus erroris disseminator fuit Simeon Thessalonicensis, quem Arcudius egregiè confutat *lib. cit. à cap.* 10. *usque ad* 18.

## CAPUT. II.

*Sacerdotis ad altare duplex processio. De ritu Confessionis ante Missam, præmisso psalmo* Judica me Deus. *Confessio generalis omnium gentium more probatur. Variæ ejus formulæ. Sanctorum post eam commemoratio cum osculo Altaris.*

I. SAcerdotis ad offerendum sacrificium euntis duplex est processio: una è propriis ædibus ad Ecclesiam, altera in ipsa Ecclesia à Sacrario ad Altare. Et prima quidem, si de Episcopo sermo sit, fieri solebat cum ingenti pompa & apparatu. Crux enim & luminaria præibant, ut Nicephorus *lib.* 13. *cap.* 8. & Marcus Diaconus *in vita S. Porphyrii Episcopi* scribunt. Sequebatur Clericorum, & Presbyterorum ingens comitatus, cujus antiquissimum testimonium habemus in Concilio Laodiceno c. 56. *Quod non oporteat presbyteros ante processionem Episcopi introire sacrarium & sedere, sed cum Episcopo debent ingredi.* Magnum Basilium vidit Ephrem Syrus procedentem in Ecclesiam in die sancto Theophaniæ & circa eum venerandum clerum candidatum & obsequentem ei, ut auctor vitæ ejus asseverat. Ambrosius gestus indecoros reprehendens *lib.* 1. *de officiis cap.* 18. ait se jussisse, ne quidam Clericus unquam præiret sibi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos suos feriebat. Hinc procedere apud Antiquos nihil aliud est, quàm in Ecclesiam ad synaxim celebrandam convenire. Augustin. lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. *sedebam jam processurus*, nempe in Ecclesiam ad sacrificium offerendum. Leo Magnus *epist.* 81. ad Dioscorum Alexandrinum, *qui nostris processionibus atque ordinationibus frequenter interfuit.* Diurnus Pontificum *cap.* 45 de dedicando Oratorio intra Monasterium, *sic tamen ut non illic publica processio teneatur*, id est, publica Missa, quæ, ut alibi observavimus, in Monasteriis vetita erat. Altera processio ad altare, sive Episcopus celebret sive Presbyter, antiquo more qui adhuc viget, solemniter fieri solet. Utramque sic describit Ordo Romanus.

„ Denuntiata Statione diebus festis primo ma-
„ ne præcedit omnis Clerus Pontificem ad Ecclesiam,

„ cleſiam, exceptis qui in obſequio illius comitantur, qui ordine ſuo ſcribuntur, expectantes Pontificem in Eccleſia. Sed dum venerit Pontifex propè Eccleſiam, exeuntes Acolythi & Defenſores ex regione illa, cujus die ad officium fuerit in obſequio, præſtolantur eum loco ſtatuto, antequam veniat ubi deſcenſurus eſt. Porrò Defenſores qui fuerint, quando & à quo inſtituti, deque illorum ſtatu, munere, & jurisdictione, latè diſſerit Morinus l. de ſacris ordinationibus parte 3. exercit. 16. c. 6. & duobus ſequentibus. „ Similiter & „ Presbyter Tituli vel Eccleſiæ ubi ſtatio fuerit, „ una cum Majoribus domus illius civitatis, vel „ patre Diaconiæ, ſi tamen illa Eccleſia Diaconia „ fuerit, cum ſubdito ſibi Presbytero & manſionario thymiamateria deferentibus in obſequium „ illius, inclinato capite dum venerit. Acolythi „ quidem cum Defenſoribus primùm, deinde Presbyteri cum ſuis, petita benedictione diviſis hinc „ inde partibus, prout militant, præcedunt Pontificem uſq; ad Eccleſiam. Cum verò Eccleſiâ introierit Pontifex, non aſcendit continuò ad altare, „ ſed prius intrat in Secretarium ſuſtentatus à Diaconibus, qui eum ſuſceperunt de ſellari deſcendentem. Ubi cum intraverit ſedet in ſella ſua. Et „ Diaconi ſalutato Pontifice egrediuntur è ſecretario, & ante fores ejuſdem mutant veſtimenta „ ſua. Et parat Evangelium qui lecturus eſt, reſerato ſigillo ex præcepto Archidiaconi ſuper plaꝛ „ netam Acolythi. Pontifex autè per manus Subdiaconorum regionariorum mutans veſtimenta „ ſolemnia, ordinabiliter compoſitis per Primicerium & Secundicerium veſtimentis ejus ut benè „ ſedeant, noviſſimè per diaconum & ſubdiaconũ, cui ipſe juſſerit, pallio ſuperinduitur & configitur per acus in planeta pectore, & ante, & in humero ſiniſtro. Deinde Subdiaconus regionarius porꝛ rigit ei mappulã inclinans ſe ad genua ipſius. His „ ita compoſitis invitante ad regiam Secretarii „ præfato Subdiacono ſcholam, quartus ſcholę qui „ ſemper nuntiat Pontifici de cantoribus, adſtans „ ante faciem Pontificis, & nutum ejus ad pſallendum expectans, ſtatim dum innuit ei, egreditur „ ante fores Secretarii & dicit, *Accendite*. Qui „ dum incenderint, ſtatim Subdiaconus ſequens „ tenens thymiamaterium aureum pro foribus „ ponit incenſum, ut pergat ante Pontificem. Et „ ille quartus ſcholæ ad priorem, vel ſecundum, ſive tertium inclinato capite dicit, *Domini jubete*. Tunc ſtatuuntur duæ ãcies in choro per ordinem ab utroque latere, & mox incipit prior ſcholæ antiphonam ad introitum. Subdiaconi verò de ſchola levant planetas cum ſinu, „ ut nimirum expeditiores ſint ad miniſtrandum. „ Quorum voces, *cantorum ſcilicet*, Diaconi dum „ audierint, continuò intrant ad Pontificem in „ Secretarium. Tunc Pontifex elevans ſe dat manum dexteram duobus Presbyteris, & illi oſculatis manibus ipſius procedunt cum ipſo ſuſtentantes eum, præcedentibus ante eos Diaconi„ bus ſeptem. Tunc miniſtri cum thymiamaterio „ & thuribulis non amplius ternis procedunt an„ te ipſum mittentes incenſum, & ſeptem Aco„ lythi portantes ſeptem cereoſtata foras Eccle„ ſiam accenſa procedunt ante Pontificem uſque „ in chorum. Poſt thuribula portatur Evange„ lium propius Epiſcopo. Eadem autem proceſ„ ſio fit ab auſtro in ſeptemtrionem. Tunc proce„ dit Pontifex, & antequam veniat ad ſcholam, „ dividuntur cereoſtata quatuor ad dexteram, tria „ ad ſiniſtram. Et pertranſit Pontifex in caput „ ſcholæ, & in gradu ſuperiori inclinato capite ad „ altare primò adorat ſancta, & ſtat ſemper incli„ natus uſque ad verſum prophetalem; nimirum uſque ad verſum Pſalmi, qui poſt introitum cantatur. Hæc Ordo Romanus de proceſſione ſummi Pontificis ad Miſſam, prout illa ferebant tempora. Eadem multò fuſiùs deſcribitur in eodem libro in tertia Miſſæ deſcriptione. Turmas enim præcedentium Pontificem, eorumque ordinem & nomina accuratiùs exprimit. Tum ait equum Pontificis præceſſiſſe Acolythum ſtationarium geſtantem Chriſma in mappula involuta cum ampulla; alioſque Acolythos portantes ſacculos, ſindonem, aquammanus, calicem, patenam, ſcyphos, pugillares, gemelliones, colatorium, amas, cruces, Evangelia, & omnem ſacram ſupellectilem. Sunt & alia minutiora, quæ ibidem legi poſſunt. Hodie ſummus Pontifex ſolemniter celebraturus hoc ordine procedit. Præcedunt nobiles Laici, tum Acolythi, Clerici Cameræ Apoſtolicæ, Subdiaconi, & unus Acolythus ferens thuribulum, & alii ſeptem Acolythi cum ſeptem candelabris. Sequitur Subdiaconus, qui epiſtolam lecturus eſt, ferens crucem, quem ab utroque latere comitantur duo oſtiarii cum virgis. Deinde Pœnitentiarii cum planetis, tum Abbates, Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchæ cum mitris: Poſtea Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi Cardinales: & poſt eos Pontifex ſub conopæo, quod octo Principes ſive oratores Regum, aut alii ex nobilioribus portant. Aſſiſtunt Pontificiduo Diaconi Cardinales, eo præcedente, qui lecturus eſt Evangelium, poſtremam Pluvialis Pontificii partem ſuſtinente nobiliori Laico,

Laico, qui ibi adsit, quacumque fulgeat dignitate. Subsequitur longo ordine familia Pontificia, omnesque Palatini, ac demum Protonotarii & Prælati, qui non sunt induti vestibus sacris, omnes cum cappis quas vocant, seu specialibus indumentis, quibus in publicis functionibus uti solent.

II. Cæterorum Episcoporum processio erat secundo loco in ipso Ordine Romano, ubi Missa describitur ex Patrum Occidentalium institutione. Ejus modus hic est. Processionem coram Episcopo acturis à custode Ecclesiæ in Sacrario ornamenta præbenda sunt, Presbyteris cappæ, Diaconis stolæ & Dalmaticæ, Subdiaconis sibi congruæ vestes & mappulæ in sinistra manu ferendæ, Acolythis candelabra & thuribulum portaturis casulæ. Tertia verò impleta procedunt Diaconi de sacrario dividentes se in duas partes, quatuor ad dexteram, tres ad sinistram. Et tunc procedit Episcopus, eoque innuente cantatur Introitus. Post hæc ponit incensum in thuribulo, & osculatur Evangelium: & procedunt Acolythi cum candelabris; primùm unus, deinde duo & duo, & Subdiaconi similiter, atque post eos Diaconi. Et sic procedit Sacerdos in chorum ducentibus cum duobus Presbyteris cappis indutis. Hæc summatim ibidem. Nunc autem quomodo fiat hujusmodi processio, Ceremoniale Episcoporum, & alii libri rituales indicant, qui omnium manibus teruntur. Sunt tamen diversarum Ecclesiarum diversæ consuetudines, quas si vellem singillatim describere, nimis in longum hoc caput protraheretur. Unam ex his non omittam, quæ est Ecclesiæ Turonensis, ex libro de processionibus Ecclesiasticis Jacobi Eveillon Canonici Andegavensis cap. 5. „In Ecclesia, *inquit*, Turonensi magno splen„dore & apparatu procedit hæc pompa. Agmen „ducit Thesaurarius longo intervallo præcedens „& cereum accensum candelabro argenteo præ„ferens, assectante apparitore, qui turbam sub„moveat. Sequuntur ordine singulatim inceden„tes, sed longo ab invicem spatio sejuncti, se„ptem pueri symphoniaci albis & tunicis ve„stiti cum singulis candelabris & cereis ardenti„bus. His succedunt sex subdiaconi tunicis quo„que, & cætero sui ordinis cultu insignes, quo„rum unus crucem sublimen effert, tres deinde „Sanctorum Reliquias, duo reliqui libros argen„teos inauratos Epistolarum & Evangeliorum „missalium gestant. Tum Diaconus & Subdia„conus majores ad præcipuum altaris ministe„rium præcincti: post hos qui crucem Archie„piscopalem & pastoralem baculum præferunt. „Postremo loco progreditur Archiepiscopus „Pontificali ornatu conspicuus cum duobus assi„stentibus Canonicis, & totidem Clericis seu „Capellanis Pluviale Pontificium ab utraque „parte sublevantibus. Hoc ordine procedunt à „secretario in navim Ecclesiæ secundùm dex„trum chori latus, atque inde per medium cho„rum ad altare: exceptis dumtaxat pueris cero„ferariis, qui cum ad summum chorum vene„rint, ibi ad lineam directi consistunt, quatuor „à dextera, tres à sinistra parte, & prætereunte „Pontifice omnes candelabra sua ordinatim di„sposita in solo ante aquilam pulpiti collocant, „atque inde se cedentes duo ad altare pergunt, re„liqui scholæ cantorum se adjungunt. Atque „hunc procedendi ritum antonomastice *Ordinem* „vocant. Ejusdem processionis mentionem faciunt Amalarius *lib.* 3. *cap.* 5. Rupertus Abbas *lib.* 1. *cap.* 28. & Gemma animæ *lib.* 1. *cap.* 7. qui tamen symbolicas dumtaxat ipsius rationes edisserunt.

III. Sacerdos cum pervenerit ad altare stans in infimo ejus gradu, præmisso psalmo *Judica me Deus*, recitat cum ministris Confessionem, quâ finitâ ascendens ad altare dicit orationes *Aufer à nobis*, & *Oramus te Domine*: & si sit Episcopus solemniter celebrans, osculatur Evangelium. Deinde ipsa Ara incensatur, choro interim introitum concinente. In Ordine Romano cum sint quatuor Missæ descriptiones, quæ ferè coincidunt, non nisi in secunda, quæ ex institutione Patrum occidentalium dicitur esse, mentio fit confessionis, nulla tamen ejus formula præscripta. *Pontifex*, inquit, *postquam in medietatem chori perducitur, Presbyteris qui eum ducebant sive Diaconibus manus ejus osculantibus, propriaque repetentibus loca, inclinans se Deum pro peccatis suis deprecatur. Tunc erectus primùm duobus Presbyteris, deinde Diaconis omnibus pacis oscula dabit per ordinem.* Post hæc ascendens ad altare, primò Evangelium, deinde ipsum altare osculatur. Quæ quidem oscula tum ministrorum, tum Evangelii, & altaris, in omnibus ferè antiquis Ritualibus sancita sunt. Quod verò Missam generalis confessio antecedat, ritus antiquissimus est, ut mox ostendam; sed diversæ in diversis Ecclesiis ejus formulæ sunt. Præmittitur signum crucis, à quo omnia auspicari semper christianis solemne fuit, teste Tertull. qui *l. de cor. mil. c.* 3. inter ea quæ ex traditione sine ullius scripturæ testimonio usurpantur,

hoc etiam recenſet. Sequitur Pſalmus *Judica me Deus*, cum Antiphona *Introibo ad altare Dei*; quem tempore S. Ambroſii dici conſueviſſe aſſerunt recentiores, qui de Miſſæ ſacrificio ſcribunt, ſed perperam: liber enim de initiandis *cap.* 8. & liber quartus de Sacramentis *cap.* 2. quæ duo loco ab illis citantur; nec de ſacerdote, nec de Miſſa loquuntur; ſed de recenter baptizatis. *His ablutis plebs*, ait Ambroſius loco priori, *dives inſignibus ad Chriſti contendit altaria dicens*: Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Depoſitis enim inveterati erroris exuviis, renovata in aquilæ juventutem, cœleſte illud feſtinat adire convivium.* Et libro citato de Sacramentis, *Veniebas*, inquit, *deſiderans ad altare, quo acciperes Sacramentum. Dicet anima tua*, Introibo ad altare Dei mei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Depoſuiſti peccatorum ſenectutem, ſumpſiſti gratiæ juventutem. Hoc præſtiterunt tibi ſacramenta cæleſtia*, Baptiſmi videlicet & Confirmationis, de quibus in præcedentibus ſermo fuit. Citant quoque in hunc pſalmum Auguſtini commentarium; verùm ſi quis ipſum attentè legerit, nihil reperiet de ejus ante ſynaxim recitatione. In Miſſa edita ab Illyrico ponitur hic pſalmus peracta confeſſione ab Epiſcopo recitandus poſtquam oſculum pacis præbuit miniſtris. In alia veteri Miſſa codicis Chiſii idem pſalmus cum Antiphona *Introibo* à Sacerdote & miniſtris alternatim dici ante confeſſionem ſtatutus eſt, ut hodie fit. Micrologus quoque cap. 23. *Paratus*, inquit, *Sacerdos venit ad altare dicens Antiphonam*, Introibo ad altare Dei; *& pſalmum* Judica me Deus, *poſt quem ſequitur confeſſio.* Alia Miſſa ex codice Tilſiano apud Menardum, poſtquam Epiſcopus indutus eſt veſtibus ſacris, ait, *oſculetur duos Presbyteros & duos diaconos incipiens per ſe*, Introibo ad altare Dei *cum pſalmo* Judica me Deus. Ex Miſſali antiquo Bibliothecæ Vaticanæ num. 4772. Sacerdos hunc pſalmum recitat cum antiphona, dum pergit ad altare, quò cum pervenerit, dicit confeſſionem. Eumdem ritum ſervant Carmelitæ. Miſſale Romanum à Paulo III. recognitum & Lugduni editum ann. 1550. dici hunc pſalmum præcipit à ſolo ſacerdote manifeſtè vel ſub ſilentio antequàm accedat ad altare. In aliis verò tam editis quàm M. SS. Miſſalibus multò ante Paulum III. idem mos ſtatuitur, quo nunc utimur: cujus etiam mentionem faciunt Stephanus Brulefer Armoricus, qui vivebat ann. 1480. *in declaratione myſteriorum Miſſæ*, & Guibertus de Tornaco, qui floruit ann. 1266. *lib. de officio Epiſcopi cap.* 17. vir denique ſacrorum rituum peritiſſimus Paris Craſſus in M. SS. ceremoniali ſummi Pontificis *cap.* 65. arbitrarium ſuo tempore fuiſſe ait hunc pſalmum dicere vel omittere. Licet enim ex conſuetudine etiam in Miſſis pro defunctis diceretur, nulla tamen id lege ſtabilitum erat. Ex his autem benè perpenſis intelligimus, ante annos ferè octingentos, quò tempore ſcriptus fuiſſe videtur Codex Chiſius, hunc pſalmum cum ſua Antiphona ante Miſſam recitari conſueviſſe, eum tamen ritum nec ubique receptum, & quandoque mutatum, donec Pius V. in poſtrema Miſſalis recognitione ab omnibus, qui Romanis ritibus utuntur, eum confeſſioni præmitti præcepit.

IV. Expleto pſalmo, tam Sacerdos, quàm miniſtri confitentur alterutrum peccata ſua, aſſerentes generalibus verbis ſe in multis deliquiſſe; quod naturæ inſtinctu fit. Juſtus enim in primordio ſermonis accuſator eſt ſui, ut ait Sapiens *Prov.* 18. ſecundùm verſionem ſeptuaginta Interpretum. Hinc ſacerdotes & prophetæ veteris teſtamenti ea verba veluti formulam conſuetam deprecationibus ſuis præmittebant, *Peccavimus, Domine, injuſtè egimus, iniquitatem fecimus*: & hæc generalis confeſſio omnia illorum ſacrificia præcedebat, ut teſtatur R. Moſes Majemonides in lib. Jad tract. de pœnitentia, & tract. de precibus totius anni. Hinc etiam Jacobus Apoſtolus Liturgiam ſuam à peccatorum accuſatione exorditur his verbis: *Peccatorum multitudine inquinatum ne me ſpreveris, Domine Deus noſter. Ecce enim accedo ad divinum hoc & ſupercœleſte myſterium; & indignus quidem, ſed de tua bonitate confiſus emitto tibi vocem: Deus ſis mihi peccatori propitius. Peccavi in cœlum & coram te, neque dignus ſum qui oculos obvertam huic ſacræ & ſpirituali menſæ, in qua unigenitus filius tuus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus mihi qui peccator ſum & omnibus maculis labefactatus myſticè proponitur in ſacrificium.* Sic in ea, quæ Marci Evangeliſtæ nomen præfert, Sacerdos initio petit à Deo remiſſionem peccatorum & propitiationem omni populo ſuo. Sic Baſilius in precatione, qua ſacris operaturus uti ſolebat, totus eſt in petenda peccatorum remiſſione. „ Ne reſpexeris, *inquit*, me impuriſ-„ ſimum peccatorem, meâve cauſa iratus ſis po-„ pulo tuo. Ne memineris Domine turpium ſer-„ monum, quos ex ore meo protuli, ut non exau-„ dias preces meas. Parce pravitati meæ, elue „ maculas peccatorum meorum, exterge ſordes „ cordis

„cordis mei, emunda mentem meam ab omni pu-
„tredine delictorum. Simili modo in Ordine o-
blationis, quem scripsit Severus Patriarcha Alex-
andrinus, Sacerdos initio petit veniam peccato-
rum, recitans psalmum quinquagesimũ. Et paucis
interjectis ait: „peccavi tibi, propitius esto pec-
„catori, suscipe deprecationem meam, & condo-
„na mihi delictum meum, Domine dominator
„omnium miserere mei Consentiunt Æthiopes,
quorum Sacerdos initio Missæ sic ait: „Tu scis
„Domine, quod huic mysterio sancto, quod ex te
„procedit, immundus sum. Non est mihi facies
„appropinquandi, neque os laudem tuam ape-
„riendi, & gratias agendi. Sed solùm propter
„multitudinem miserationum tuarum parce mi-
„hi Domine quia peccator sum. Iisdem ferè ver-
bis Basilius Magnus Liturgiam inchoat, quam ex
veteri lingua Ægyptiaca & ex Arabica in Lati-
num transtulit Victorius Scialach Maronita.
„Domine, *inquit*, qui nosti corda omnium: san-
„cte qui quiescis in sanctis: qui solus sine peccato
„es: qui potes dare veniam peccatis. Tu Do-
„mine nosti nos non esse dignos, neq; esse paratos,
„sed indignos hoc ministerio tuo sancto. Non
„mihi est facies ut accedam ad ingrediendum,
„atq; ut os aperiam coram gloria sancta tua: sed
„secundùm multitudinem clementiæ tuæ parce
„mihi peccatori. Eumdem ritum servant Maro-
nitæ, quorum Sacerdos in principio Liturgiæ re-
citat ante altare hanc orationem, „Rogo te Deus,
„ut facias me dignum accedere ad altare tuum
„mundum sine macula & sordibus, quia servus
„peccator sum, & commisi peccata & absur-
„da coram te, neque sum dignus accedere ad al-
„tare tuum mundum, neque ad sacramenta tua
„sancta: sed rogo te, ô pie, ô misericors, ô ama-
„tor hominum, respice me oculo misericordiæ.
Et postea dicit totum psalmum *Miserere mei Deus*.
Sacerdos quoq; Armenus cum vestibus sacris in-
dutus est, ante altare inclinatus dicit confessio-
nem more Latinorum, ut ex eorum Liturgia con-
stat edita Romæ typis Congregationis de Propa-
ganda fide; cui consonat ejusdem synopsis apud
Cassandrum cap. 12. Liturgicorum. Idem mos
reperitur in aliis Liturgiis orientalium, atque huc
pertinent tot Latinorum Apologiæ, de quibus
supra loquutus sum.

V. Confessionem, qua nunc utitur Romana
Ecclesia, Pontianum Papam, sive Damasum
instituisse ajunt plerique recentiores, quorum
assertio sine legitimo teste nullius apud me ponde-
ris est. Non dubito, quin aliqua formula generalis
confessionis antiquissima sit & Apostolicæ tradi-
tionis; sed hanc specialem, quæ hodie in usu est,
Pontiano vel Damaso assignare, tacentibus hac de
re priscis scriptoribus, non audeo. Ad eam alludit
in suo Pœnitentiali Egbertus Episcopus Ebora-
censis, qui vivebat anno 730. „Dic ei cui con-
„fiteri vis peccata tua: mea culpa, quia nimis in
„cogitationibus, locutione, & opere peccavi. *Tunc*
„*sequitur benedictio super pœnitentem.* Misere-
„tur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia
„peccata tua, liberet te ab omni malo, conservet
„te in omni opere bono, & perducat ad vitam æ-
„ternam. Quæ formula extat in antiquis Missa-
libus Romanis, & aliarum Ecclesiarum, ex quibus
nonnullæ sunt, quæ adhuc ea utuntur. In Missa
Illyrici non exprimitur forma confessionis, sed
omittitur; sicut & alia, quæ communia erant &
omnibus nota. *Coram altare*, inquit, *stans cum pro-
cessione proferens confessionem det indulgentiam mi-
nistrus.* Missa vetus Menardi ex codice Ratoldi
Abbatis loco confessionis ponit hanc orationem:
*Suscipe confessionem meam unica spes salutis meæ*:
quæ extat in Missa Illyrici. Eadem oratio Con-
fessionis vicem supplet in Codice Tiliano, alia ad-
dita quæ incipit, *Deus propitius esto mihi peccatori.*
In Codice Chisio confessio his verbis concepta
est: „Confiteor Deo omnipotenti & istis, *quorum*
„*scilicet Reliquiæ in eo altari sunt*, & omnibus
„Sanctis ejus, & vobis fratribus, quia ego miser
„peccavi nimis in lege Dei mei, cogitatione, ser-
„mone, & opere, pollutione mentis & corporis,
„& in omnibus malis, quibus humana fragilitas
„contaminari potest; propterea precor vos, ut
„oretis pro me misero peccatore. Sequuntur ora-
tiones pro absolutione, ut infra in Appendice.
Brevius concipitur apud Micrologum cap. 23.
„Confiteor Deo omnipotenti, istis & omnibus
„Sanctis, & tibi frater; quia peccavi nimis co-
„gitatione, locutione, opere, & in pollutione
„mentis & corporis. Ideò precor te, ora pro me.
„Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi
„omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, &
„confirmet te in omni opere bono, & perducat
„nos pariter Jesus Christus filius Dei vivi in vitam
„æternam. Amen. Indulgentiam & remissionem
„omnium peccatorum nostrorum tribuat nobis
„omnipotens & misericors Dominus. Amen. In
antiquis consuetudinibus Monasterii Cluniacensis
*l.* 2. c. 30. apud virum eruditissimum Lucam Da-
cherium to. 4. *sui Spicilegii* statuitur, ne confessio
verbis amplioribus quàm istis dicatur. *Confiteor
Deo & omnibus Sanctis ejus, & vobis Pater, quia*

*peccavi in cogitatione, locutione, & opere: mea culpa, precor vos orare pro me.* Harum consuetudinum vetustum exemplar vidi in Bibliotheca Vaticana Palatina nu. 564. In Missali Romano M. S. Bibliothecæ Barberinę num. 1861. confessio his verbis exprimitur. *Confiteor Deo omnipotenti, & B. Mariæ Virgini, & beatis Apostolis Petro & Paulo, S. Augustino, S. Hieronymo, & omnibus Sanctis, & vobis Pater, me graviter peccasse per superbiam in lege Dei mei, cogitatione, delectatione, omissione, consensu, verbo, & opere, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatissimam & gloriosam Virginem Mariam, & omnes Sanctos & Sanctas, & vos Patrem orare pro me.*

VI. In Missali Ecclesiæ Sarisburiensis in Anglia, edito Parisiis an. 1555. hic ritus inchoandi Missam præscribitur. Cum Sacerdos induit se, incipit, *Veni Creator spiritus*, cum oratione, *Deus cui omne cor patet.* Sequitur psalmus *Judica me Deus*, cum Antiphona, *Introibo*, qua post Psalmum repetita, dicit *Kyrie eleison, Pater noster, Ave maria.* His dictis accedit ad gradum altaris & ait, *Confitemini Domino quoniam bonus: Quoniam in sæculum misericordia ejus. Confiteor Deo, B. Mariæ, omnibus Sanctis, & vobis, quia peccavi nimis cogitatione, locutione, & opere; mea culpa: Precor S. Mariam, omnes Sanctos, & Vos orare pro me. Misereatur tui omnipotens Deus, dimittat tibi peccata tua, liberet te ab omni malo, conservet & confirmet in omni opere bono, & perducat te ad vitam æternam. Absolutionem & remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam & consolationem S. Spiritus tribuat vobis omnipotens & misericors Dominus. Adjutorium nostrum in nomine Domini: Sit nomen Domini benedictum.* Deinde osculatur Diaconum & Subdiaconum dicens, *Habete osculum pacis & dilectionis, ut apti sitis sacrosancto altari ad perficiendum officia divina.* Missale Hispalense de mandato Alfonsi Manrique Cardin. & Archiepiscopi editum an. 1574. hanc habet confessionem. *Confiteor Deo B. Mariæ, & omnibus Sanctis ejus: & vobis fratres manifesto omnia peccata mea, quia peccavi nimis per superbiam cogitatione, locutione, opere & omissione, & in cunctis vitiis meis malis, mea culpa. Misereatur*, ut in Romano. *Indulgentiam & remissionem & absolutionem omnium peccatorum nostrorum, & spatium veræ ac fructuosæ pœnitentiæ per gratiam S. Spiritus tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus.* Sequuntur tres orationes, *Auser à nobis, Sancti Spiritus Domine corda nostra mundet infusio. Exaudi quæsumus Domine supplicum preces.* Item oratio, *Deus qui de indignis dignos facis.* Tum signat se & accedit ad altare.

Missale Augustanum ab Othone Cardinali Episcopo ante annos centum editum initium Missæ sic exhibet. Sacerdos stans ante altare ait, *Sancti Spiritus adsit nobis gratia. Amen.* Sequuntur versus, *Et introibo ad altare Dei. Confitemini Domino quoniam bonus.* Tum flexis genibus sic confitetur. „ Ego reus & conscius omnium malorum „ meorum, Confiteor Deo Patri omnipotenti, & „ B. Mariæ semper Virgini, & omnibus Sanctis, „ & vobis in Christo, quod ego miser & indignus „ peccator peccavi nimis in vita mea, mala cogi„ tatione, locutione, consensu, visu, ore, opere, „ & omissione, mea culpa, mea gravissima culpa. „ Ideò precor glorioßissimam Virginem Mariam, „ sanctos Apostolos Petrum & Paulum, atque An„ dream, Udalricum, Sebastianum, Vitum, san„ ctas Mariam Magdalenam, Catharinam, Bar„ baram, Afram cum sodalibus suis, istos & ho„ diernos, & omnes Sanctos Dei & patronos, & „ vos orare pro me peccatore. Amen. *Absolutio.* „ Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis „ omnibus peccatis vestris perducat vos Dominus „ noster Jesus Christus sine macula cum gaudio „ in vitam æternam. Amen. *Oratio.* Indulgen„ tiam, remissionem, & absolutionem omnium „ peccatorum nostrorum, spatium vitæ ac veræ „ pœnitentiæ, cor semper pœnitens, & felicem „ consummationem per gratiam Spiritus Sancti „ Paracliti tribuat nobis pius Pater & misericors „ Dominus. Amen. *Versus.* Exurge Domine ad„ juva nos. Domine Deus virtutum converte „ nos. Domine exaudi orationem meam. Do„ minus vobiscum. *Oratio.* Exaudi quæsumus „ Domine supplicum preces.

Ecclesia Lugdunensis sic peragit Confessionem. „ Et introibo ad altare Dei. Pone Domi„ ne custodiam ori meo. Confitemini Domino „ quoniam bonus. Confiteor Deo omnipotenti. „ Misereatur vestri omnipotens Deus. Amen. „ Fratres per virtutem sanctæ crucis, & per inter„ cessionem beatæ & gloriosæ semperque Virgi„ nis Mariæ, & per merita omnium Sanctorum „ Dei. Misereatur nostri omnipotens Deus, & di„ mittat nobis omnia peccata, & perducat nos Do„ minus noster Jesus Christus cum suis Sanctis ad „ vitam æternam. Amen. Absolutionem & veram „ remissionem omnium peccatorum vestrorum „ per confessionem, contritionem, pœnitentiam, „ & per satisfactionem & emendationem vitæ „ tribuat nobis omnipotens Pater, pius & miseri„ cors Dominus. Amen. Adjutorium nostrum in „ nomine Domini. Sit nomen Domini benedictũ„ *Orationes.* Conscientias nostras. Adsit nobis „ quæsumus Domine virtus Spiritus Sancti, Amen.

„ Amen. Et gratia S. Spiritus illuminare digne-
„ tur hodie sensus, corda, & corpora nostra.
„ Amen. Pœnitentiam peto pro omnibus pec-
„ catis & offensionibus meis. Pater noster. Et
„ vobis fratres. Ave Maria. *Oratio ante altare.*
„ Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desi-
„ deras peccatorum, me miserum fragilemque
„ peccatorem à tua non repellas pietate, neque
„ aspicias ad peccata & scelera mea, & immun-
„ das turpesque cogitationes, quibus flebiliter à
„ tua disjungor voluntate; sed ad misericordias
„ tuas, & fidem devotionemque eorum, qui per
„ me peccatorem tuam expetunt misericordiam.
„ Et quia me indignum medium inter te & popu-
„ lum tuum fieri voluisti, fac me talem, ut dignè
„ possim exorare misericordiam tuam pro me,
„ & pro eodem populo tuo. Et adjunge voces
„ nostras vocibus Angelorum tuorum, ut, sicut
„ illi te laudant in excelsa beatitudine, ita nos
„ quoque eorum interventu mereamur te laudare
„ in hac peregrinatione. Per Dominum.

VII. In Missa, cui S. Gregorii nomen tributum est, edita Parisiis studio Joannis à S. Andrea cum interpretatione græca Georgii Codini, Sacerdos sic incipit, *Confitemini Domino quoniam bonus*; & respondet minister, *Quoniam in sæculum misericordia ejus.* Deinde Sacerdos dicit: *Confiteor Deo, B. Virgini Mariæ, & omnibus vobis fratres, quia peccavi nimis verbo, opere, cogitatione, & omissione. Ideo precor vos ut oretis Deum pro me.* Tum respondent qui adsunt per ministrum. *Misereatur tui omnipotens Deus, & tribuat tibi remissionem peccatorum tuorum, & liberet te ab omni malo, salvetque te & confirmet in omni opere bono, & perducat ad vitam æternam. Per Dominum nostrum.* Deinde precatur Sacerdos: *Absolutionem & remissionem omnium peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens Dominus.* Sequitur, *Adjutorium nostrum*, & oratio, *Auser à nobis.*

Missale Romanum Pauli III. auctoritate editum hanc brevissimam confessionis formulam habet. *Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariæ semper Virgini, B. Petro, & omnibus Sanctis, & vobis fratres, quia peccavi, mea culpa: precor vos orare pro me.* Verumtamen in multis M. SS. ante annum 1300 eadem prorsus legitur, quæ nunc in Missali Pii V. statuta est. In veteri ritu Mozarabum nulla erat confessio, sed eam addidit Cardinalis Ximenez: vicem autem confessionis supplebant aliæ orationes, quæ Libro I. Cap. II. in illius Missæ descriptione legi possunt. In ordine Romano & aliis vetustissimis Ritualibus multæ sunt formulæ confessionis generalis admodum prolixæ, & multa peccata continentes, quæ vix queant in uno homine reperiri. Hæ verò à publicè pœnitentibus in Ecclesia fieri solebant, & non pertinent ad nostrum institutum. In ipsa autem generali confessione pectora tundimus latentes in conscientia culpas eâ tunsione accusantes & castigantes, cujus ritus mentionem faciunt antiqui Patres. Gregorius Nazianzenus orat. 15. *Templum cum ciliciis ingrediamur, ac diu noctuque inter gradus & altare pectora tundamus.* Augustinus serm. 8. de verbis Domini. „ Sequutus est
„ sonus tunsionis pectoris vestri, audito scilicet
„ quod Dominus ait, *Confiteor tibi Pater.* Tun-
„ dere autem pectus, quid est, nisi arguere,
„ quod latet in pectore, & evidenti pulsu occul-
„ tum castigare peccatum? Confiteor audistis,
„ qui confitetur non attendistis. Adeò videlicet assueti erant fideles tunsioni pectoris, cum peccata confitebantur, ut audito hoc verbo *Confiteor*, statim pectus manu pulsarent. Idem Augustinus in Psal. 146. „ Quid aliud significat pe-
„ ctorum tunsio? Nisi fortè putamus ossa nostra
„ aliquid peccasse cum tundimus pectus. Sed
„ significamus nos cor conterere, ut à Domino
„ dirigatur. Sic Publicanus apud Lucam percutiebat pectus suum dicens, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Et qui morti Christi Domini præsentes fuerant videntes prodigia quæ facta sunt, revertebantur percutientes pectora sua. Hoc autem ductu naturæ fit, quia de corde exeunt cogitationes malæ & omnia peccata, & percutientes pectus culpas nostras agnoscimus & fatemur.

VIII. Confessioni subduntur aliquot versiculi ex Psalmis, qui in diversis Ecclesiis diversi sunt: tum sequitur oratio, *Auser à nobis*, quæ extat in vetustissimis Missalibus & in Ordine Romano in officio dedicationis Ecclesiæ post Litanias, ejusque meminit Micrologus *cap.* 23. sed apud illum præcedit confessionem. Est etiam in Missali Mozarabico sic concepta: „ Auser à nobis quæsu-
„ mus Domine cunctas iniquitates nostras, & spi-
„ ritum superbiæ & elationis cui resistis, & reple
„ nos spiritu timoris, & da nobis cor contritum
„ & humiliatum quod non spernis, ut ad sancta
„ sanctorum puris mereamur mentibus introire.
„ *Eodem sensu Maronitæ initio Missæ sic orant:*
„ Fac nos Domine Deus lotis jam cordibus no-
„ stris & emundatis ab omni conscientia mala
„ & cogitationibus sordidis dignos introire ad
„ sancta sanctorum tua alta & excelsa, & splen-
„ didè ac purè stare ante altare tuum sanctum, &

„ ministrare tibi victimas spirituales & excelsas „ in fide & veritate. Denique Sacerdos ascendens ad altare ipsum in medio osculatur dicens hanc orationem : *Oramus te Domine per merita sanctorum tuorum, quorum Reliquiæ hic sunt, & omnium sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea.* Ideò autem Sanctos commemorat, quorum Reliquiæ ibi sunt, quia sine illis altare non consecratur, ut supra ostendimus, cum de Templis ageremus. Nota verò Orthodoxæ fidei apud veteres erat Sanctorum memoriis communicare ; & illic offerre sacrificium, ubi illorum corpora asservantur. Testis est Optatus Milevitanus lib. 2. arguens Macrobium Donatistam, quod memoriis Sanctorum non communicaret tamquam Schismaticus. *Ibi*, inquit, id est Romæ, *sunt duorum memoriæ Apostolorum. Dicite si ad has ingredi potuit, ita ut obtulerit illic, ubi Sanctorum memorias esse constat.* Testis Hilarius lib. adversus Constantium, *Audi hæretice*, ait, *damnationis publicum sensum & intellige te divinæ religionis hostem, & inimicum memoriis Sanctorum.* Quamvis enim communicatio cum Sanctis per fidem, spem, & charitatem præcipuè intelligatur ; semper tamen Christiani Martyrum sepulchra venerati sunt, & super illa altaria erexerunt, eorumque Reliquias habere optaverunt, ut cum iis etiam mortuis, quantum fieri potest, communicarent.

## Caput III.

*De Introitu & ejus institutione. Antiphona quid sit. Hymnum* Gloria Patri *Apostolicæ traditionis esse. Omnes introitus ex Psalmis, paucis exceptis. Tropi aliquando iis additi. Quædam illorum exempla. De veteri versione Psalmorum, quæ Italica dicitur, ejusque usu in Missa. Eam adhuc vigere apud nonnullos in divinis officiis. Græcorum duplex Introitus.*

I. DUm Sacerdos ad altare procedit, chorus psallit antiphonam, quæ ritu Romano *Introitus*, Ambrosiana *Ingressa* dicitur ; quia nimirùm tunc canitur, cum Sacerdos intrat ad altare. Ejus institutio ab his qui Ecclesiasticos ritus explanant, Cælestino Papæ unanimi ferè consensu tribui solet. Auctor enim libri Pontificalis in ejus vita sic scribit. *Hic constituit ut CL. Psalmi David ante sacrificium psallerentur antiphonatim, quod ante non fiebat, nisi tantùm recitabantur epistolæ Pauli & S. Evangelium & sic Missæ fiebant.* Quomodo autem hæc Psalmorum modulatio intelligenda sit, an de aliquibus tantùm versiculis, & de quibus, an de aliquo integro psalmo diverso pro diversitate officiorum, an de antiphona ex psalmis excerpta, obscurum est. Amalarius *lib. 3. c. 5.* postquam dixit additum Missæ hoc officium à Cælestino, ait : *Quod nos ita intelligebamus, ut ex psalmis excerperet antiphonas, quæ psallerentur in officio Missæ. Nam antea inchoabatur Missa à lectione : qui mos adhuc retinetur in vigiliis* Paschæ & Pentecostes. Consentit Valtridus Strabo *cap. 22.* dicens : *Antiphonas ad Introitum dicere Cælestinus Papa instituit, sicut legitur in gestis Pontificum Romanorum, cum ad ejus usque tempora lectio una Apostoli tantùm & Evangelium legerentur.* Subscribunt Micrologus & Berno Abbas, uterque cap. 1. At Honorius in Gemma animæ libro 1. *Cælestinus*, inquit, *Psalmos ad introitum Missæ cantari instituit, de quibus Gregorius Papa postea antiphonas ad Introitum Missæ modulando composuit.* Ego autem Honorio, tametsi recentior sit, libentiùs adhæreo, quàm Amalario. Priscus enim auctor, qui gesta Pontificum scripsit, ait, Cælestinum constituisse, ut psalmi antiphonatim cantarentur. Quid est autem canere antiphonatim, nisi alternis choris ? quem modum loquendi licet recenseat Vossius inter vitia sermonis *lib. 4. c. 31.* non audet tamen de hac voce ut barbara contendere, cum in re nova novam fingere licuerit. *Antiphona* teste Isidoro l. 6. c. 19. Originum, *ex græco interpretatur vox reciproca, duobus scilicet choris alternatim psallentibus.* Statuit igitur Cælestinus psalmos alternatim cantari ante Missam, sed posteà Gregorius Magnus unam ex illis antiphonam selegit pro Introitu, & alias pro Responsorio, offertorio, & communione, quas in unum congessit, & ex his librum composuit, quem Antiphonarium nuncupavit. Alii Gradualem vocant, quia nonnullæ ex illis, quæ post epistolam dicuntur, in loco eminentiori cantari solebant, ad quem Cantores per gradus ascendebant. Cum autem Introitus & reliqua omnia reverà antiphonæ sint, in codice tamen Gregoriano solus Introitus antiphonæ nomen peculiariter sortitus est ; post quem olim integer psalmus cani consueverat. Testatur Augustinus, qui eodem quo Cælestinus tempore vixit, *lib. 2. Retractat. c. 11.* cœpisse tunc apud Carthaginem hunc morem, ut hymni ad altare de Psalmorum libro dicerentur, sive ante oblationem, sive cum distribueretur populo quod fuisset oblatum : quod cum Hilarius

vir

vir Tribunitius acriter reprehenderet, asserens fieri non oportere, scripsit adversus ipsum Augustinus, pro defensione introductæ Psalmodiæ: quem librum sic recenset Possidius in Indiculo, *Contra Hilarium de canticis ad altare liber unus.* Atque utinam hîc extaret, multa enim in ipso haberemus, quibus hic tractatus illustrior redderetur. Genebrardus lib. de Apostolica Liturgia *c.* 17. manifesti erroris eos arguit, qui dicunt Cœlestinum instituisse, ut Psalmi in Introitu Missæ cantarentur, antiquiorem enim ritum putat ex Dionysio *l. de Eccl. hierar. c.* 3. §. 2. ubi ait: „ Pontifex precem sacram ad altare Dei celebra„ turus ab ejusdem suffitione initium faciens uni„ versum circuit chori ambitum, donec rursum „ ad altare divinum rediens sacrum infit Psalmo„ rum melos, omni ordine ecclesiastico sacram „ ipsi Psalmodiam succinente. Supponit autem Genebrardus tamquam certum, id quod suprà ostendimus valde dubium esse, hunc scilicet Dionysium esse illum Areopagitam Pauli Apostoli prædicatione ad fidem conversum. Quod licet ei concedamus, non tamen inde sequitur errasse priscos scriptores, qui hanc institutionem Cœlestino tribuerunt. Scimus enim diversos fuisse mores græcorum & latinorum, & forsitan Cœlestinus consuetudinem, quæ dudum viguerat in orientalibus Ecclesiis, transtulit ad occidentales. Sunt etiam quidam recentiores aliàs non indocti, qui tempore Cassiani Psalmos in monasteriis Ægypti ad Missam decantatos fuisse asseverant, quia nimirum *lib.* 3. *Institut. cap.* 11. ille scripsit, „ die Dominico unam tantummodo Miss„ sam ante prandium celebrari, in qua Psalmo„ rum, atque orationum seu lectionum pro ipsius „ Collectæ vel communionis dominicæ reve„ rentia solemnius aliquid ac propensius impen„ dentes in ipsa Tertiam Sextamque pariter con„ summatam reputant. Verum Missa hoc loco non pro sacrificio, sed pro conventu Monachorum ad persolvendum divinum officium accipitur, quamvis in hoc conventu ipsum etiam sacrificium comprehendatur. Sensus igitur Cassiani est, quod cum cæteris diebus Tertiam & Sextam per intervalla persolverent, sicque fierent duæ Monachorum dimissiones, sive Missæ; die Dominico semel tantùm ad Ecclesiam convenie bant, ac ibidem unico contextu Tertiam, & postmodùm Liturgiam, ac demum Sextam recitabant, quâ peractâ discedebant, & sic una tantùm Missa seu dimissio agebatur.

II. Post Introitum olim, ut dixi, integer Psalmus; nunc unus ejusdem versiculus decantatur cum *Gloria Patri*: qui versus ab antiquis Patribus hymnus glorificationis dictus est. Nicephorus *l.* 9. *eccles. histor. c.* 24. ejus auctorem facit Flavianum Monachum Antiochenum: alii verò à Synodo Nicæna institutum asserunt; sed vetustiorem esse & ab Apostolis traditum fusiùs demonstravi in Lib. de divina Psalmodia *c.* 16. §. 6. Athanasii & Basilii testimonio. Cum enim fideles ab initio Ecclesiæ in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti baptizati essent, ipsis tribus personis hunc hymnum glorificationis canere didicerunt. Primus qui eum mutavit, Aëtius fuisse dicitur Ecclesiæ Antiochenæ diaconus Arianismi instaurator, sic cani instruens, *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto:* quæ verba licet per se nullam hæresim contineant, subdolè tamen ab Arianis usurpabantur, ut illorum æquivocatione suam impietatem celarent. Illis in sensu Orthodoxo usus est S. Leo serm. 1. de Nativitate dicens, *Agamus, dilectissimi, gratias Deo Patri per Filium ejus in Spiritu Sancto.* At verò Basilius cum iisdem verbis sermonem ad populum concluisset, catholicis displicuit, & pro illorum defensione librum apologeticum edidit, quem de Spiritu sancto ad Amphilochium inscripsit, sed non omnibus satisfecit. Adeò verum est, oportere Catholicum Doctorem irreprehensibilem esse, & à vocibus abstinere, quæ communiter suspectæ habentur, & pias aures offendunt, quamvis veræ sint & Orthodoxæ in eo sensu, quo scribentes vel prædicantes eas concipiunt & docent. Ideò Apostolus Timotheo præcepit, ut depositum custodiret, & profanas vocum novitates devitaret. Sed non est hujus loci hæc fusiùs prosequi. Additamentum *Sicut erat in principio*, putat Baron. *ann.* 325. *num.* 173. hymno glorificationis accessisse concilii Nicæni decreto adversùs Arianos, qui dicebant de Filio, erat quando non erat. Alii verò existimant antiquiùs esse, & ad illud alludere Tertullianum lib. de spectaculis cap. 25.

III. In Antiphonario S. Gregorii omnes Introitus ex Psalmis Antiquo more desumpti sunt, paucis exceptis, quos Durandus *lib.* 4. *Rationalis cap.* 5. vocat irregulares, ut *Puer natus est nobis* in die Nativitatis Domini: *Viri Galilæi* in die Ascensionis: *Spiritus Domini* in die Pentecostes: *Nunc scio verè* in die sancti Petri: & alii pauci ex aliis scripturis. Sunt & aliqui, qui nec quidem ex Scriptura sacra excerpti sunt, ut *Salve Sancta parens*, *Gaudeamus omnes in Domino*, *Benedicta sit Sancta Trinitas*, quibus caret Antiphonarium Grego-

Gregorianum. Dicto versu *Gloria Patri* repetitur Introitus, quem nonnullæ Ecclesiæ ter psallunt in diebus solemnioribus. Ambrosiani nunquàm repetunt, nisi in Missis defunctorum, sed ipsa Ingressa, quam vocant, semel sine Psalmo & Gloria recitata, Sacerdos dicit *Dominus vobiscum*, & sequitur immediatè *Gloria in excelsis Deo*, si dici debeat, alioquin oratio. Mozarabes postremam tantùm partem bis repetunt, eo ritu quo Responsoria cantat Romana Ecclesia: ut in Missa Nativitatis Domini, „ Benedictus qui ve„ nit, alleluja, In nomine Domini, alleluja, alle„ luja. *Versus.* Deus Dominus & illuxit nobis. „ In nomine Domini. Gloria & honor Patri & „ Spiritui Sancto in sæcula sæculorum, Amen. „ In nomine Domini. *Joannes Beleth* in suo libello de divinis officiis cap. 35. & Guillelmus Durandus testantur suis temporibus in quibusdam Ecclesiis tropos ante Introitum cantari consuevisse diebus solemnioribus ad majus gaudium repræsentandum. Tropus autem idem est ac conversio, quoniam, ut ait Beleth, istic quædam fieri solent conversiones. Ad Troparia Græcorum hujusmodi Tropos accedere ait Pamelius in Præfatione Tomi secundi Liturgicorum. Nullum eorum vestigium inveni apud Scriptores, qui ante annum Christi millesimum libros de divinis officiis ediderunt. Quare Durando nullo modo credendum est, illorum institutionem Gregorio Magno adscribenti, nec Joanni Petro Ferrero Ravennati, viro alioquin erudito, qui Durandum sequitur lib. 6. de mirifici verbi libamine, qui extat M. S. in Bibliotheca Vaticana. Aliquando tropus ponitur immediatè ante Introitum, ut in festo Nativitatis ante illum Introitum *Puer natus est nobis* præcedit Tropus iste, *Ecce adest de quo Prophetæ cecinerunt dicentes.* Puer. Aliquando ipsi intermiscetur, una parte chori ipsum Tropum, altera Introitum concinente: quorum extant exempla in antiquis Monasteriorum libris; à Monachis enim privata quorumdam Abbatum auctoritate, ut prisca ferebant tempora, hæc additamenta originem traxisse puto, qui non solum Introitus, sed alias etiam Liturgicas preces eodem modo, ut suis locis indicabo, interpolarunt.

### *In die Pentecostes.*

HOdie *Spiritus Sancti gratia repleantur corda nostra, dicite ea.* Spiritus Domini, *Missus à sede Patris*, Replevit orbem terrarum alleluja, *igneis linguis.* Et hoc quod continet, *penetralia sutuendo*, omnia. *Omnipotentia Patri atque Filio æqualis.* Scientiam habet vocis. *Quod dies testatur præsens & fidelibus & incredulis.* Alleluja, alleluja, alleluja. Addo me Tropos aliquando legisse exametro carmine compositos, quales sunt isti.

### *In die sancti Stephani.*

ETenim sederunt Principes, & adversum me loquebantur. *Nulli unquam nocui, neque legum jura resolvi.* Et iniqui persequuti sunt me. *Christe tuis fueram tantum quia vitè minister.* Adjuva me Domine. *Ne ruus in dubio frangar certamine miles.* Quia servus tuus exercebatur in tuis justificationibus.

### *Dominica Palmarum.*

I*Srael egregius Psaltes, claruſque poeta, sic quondam Christo David cantaverat almo.* Domine ne longè facias miserationes tuas à me, *Sed celerem mihi confer opem, rex inclite cœli.* Ad defensionem meam aspice, libera me de ore leonis, *Qui cupit insontem morsu lacerare ferino.* Et à cornibus unicornium humilitatem meam.

IV. Illud autem hoc loco non est prætermittendum, quod, cum omnes Introitus ex psalmorum versibus ut plurimum compositi sint, Gregorius eorum auctor non eam Psalterii versionem sequutus est, qua hodie omnes Ecclesiæ in divinis officiis utuntur; sed veterem quæ ante S. Hieronymum in usu erat, & à sanctis Patribus Irala & vulgata dicebatur: atque idem in Responsoriis, Tractibus, Offertoriis, & Communionibus exactissimè observavit. Quæ res cum nonnihil habeat caliginis, breviter elucidanda est; plerique enim ignorant quæ fuerit ista versio, & ex quibus fontibus emanarit. Id verò ut clarius explicetur, paulò altius ejus initium repetendum est. Notum est omnibus vel mediocriter eruditis, quantæ olim auctoritatis fuit ante & post Christi adventum septuaginta duorum interpretum Græca ex Hebraico sermone translatio. Illa enim Judæi in Synagogis utebantur, teste Tertulliano, qui de ea differens c. 18. Apologetici in fine ait, *sed & Judæi palam lectitant.* Eadem usi sunt Hebræorum doctissimi Philo, & Josephus, ut ex libris ipsorum liquet. Sed & Apostoli ac fideles in exordio nascentis Ecclesiæ eam publicè in Ecclesiasticis conventibus legebant, ut Cyrillus Hierosolymitanus docet *Catech.* 4. in qua differens de his Interpretibus, eorumque auctoritate, *Hos*, inquit, *solos studiosè meditare, quos & in Ecclesia securè tutòque recitamus.*

mus. *Multò prudentiores te erant Apostoli, veteresque illi Episcopi Ecclesiæ antistites, qui hos tradiderunt.* Idem asserit Irenæus *l.3. c.25.* dicens postquam enarravit ipsorum Interpretum historiam. „ Apostoli consonant prædictæ interpreta-„tioni, & interpretatioc onsonat Apostolorum „traditioni. Etenim Petr. & Joan. & Matth. & „ Paulus & reliqui deinceps, & horum sectatores „prophetica omnia ita annunciaverunt, quemad-„modum Seniorum interpretatio continet. Qua de causa apud Christianos in magna semper veneratione fuit. Sed cum postea scriptorum vitio corrupta fuerit, ut Sancti Patres Justinus martyr *in dial. cum Triphone*, Augustinus, *de civit. Dei lib. 15. cap. 13.* & Hieronymus *Epist. 108.* conqueruntur; eam primum Origenes, deinde Lucianus martyr, postmòdum Hesychius, ac denique Hieronymus à mendis expurgarunt. An verò Origenes prototypon viderit, quod Tertullianus loco citato Apologetici credidit suo tempore integrum Alexandriæ extitisse; & quando illud interierit, incertum est; nec mei instituti aut otii est in hujus rei disquisitione immorari. Cum igitur græca ista translatio tantæ apud omnes auctoritatis fuerit, omnes Latinæ versiones, quæ post Christi Domini in cœlum ascensionem ac deinceps primis illis temporibus ante sanctum Hieronymum factæ sunt, non ex Hebræis fontibus immediatè, sed ex Græco textu LXX. expressæ sunt. Erant autem eæ versiones innumerabiles, quia ut scribit S. August. *l.2. de doct. Christ. c. 11.* quicumque sibi videbatur aliquantulum facultatis utriusque linguæ Græcæ & Latinæ habere, ausus est novam cudere interpretationem. Verùm inter omnes illa præstantissima, & communiter ac ubique recepta fuit, quæ Itala dicebatur, teste ipso Augustino qui libro citato cap. 15. ait: *in ipsis interpretationibus Itala cæteris præferatur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ.* Cùm autem Vulgatæ & Veteris nomine tempore S. Hieronymi hæc insignita fuerit, consequens est, eam cæteris antiquiorem fuisse, majoremque inter alias auctoritatem habuisse. Dicta est etiam Romana, quia illam ab initio recepit Romana Ecclesia. Et fortassis hæc prima fuit ex græco textu translatio ab aliquo Apostolorum discipulo facta, & à primis Ecclesiæ fundatoribus visa & approbata, atque ab his ad Successores simul cum depósito fidei tradita, qua non solùm sedes Apostolica, quæ Latina versione nullo unquam tempore caruit; sed & reliquæ Occidentales Ecclesiæ utebantur; quamvis in eam aliquot mutationes irrepserint, vel Scriptorum audacia sive oscitantia, vel Episcoporum licentia, qui quædam verba vel sententias ad suæ regionis idiotismos accommodarunt. Porrò hujus versionis integrum corpus nullibi extat, solumque psalterium remansit cum canticis, quæ in divinis officiis recitantur. Sunt & aliquot ejus particulæ in expositionibus sanctorum. Cùm enim versio sancti Hieronymi, ut Isidorus scribit *lib. 6. orig. cap. 3.* cæteris melior & Hebraicæ veritati magis consona æstimaretur, ac ideò cœperit in Ecclesiis legi, in conciliis citari, in commentariis exponi, vetus illa, quasi jam minimè necessaria esset, paulatim negligi cœpit, donec tandem omnino interiit, ac perpetua oblivione sepulta est. Suspicor autem id contigisse ducentis & amplius annis post Hieronymum: nam tempore Gregorii Magni utraque in usu erat & vetus & nova, ut ipse in fine Epistolæ dedicatoriæ expositionis in Job ad S. Leandrum Episcopum indicat, ubi novam versionem, Hieronymi scilicet, se exponere dicit, & quando causa comprobationis exigit, nunc novam nunc veterem assumere: *ut quia*, inquit, *sedes Apostolica, cui auctore Deo præsideo, utraque utitur, mei quoque labor studii ex utraque fulciatur.* Solum autem Psalterium antiquissimæ illius versionis, quæ fidem Ecclesiæ nascentis in Occidentalibus regionibus nutriverat, deplorabile naufragium evasit, quia cùm illo in decantandis divinis officiis uterentur fideles, ipsumque longo usu memoriæ mandassent, non potuit ab illis obtineri, ut novam translationem ediscerent, ac veterem, cui assueti erant, dimitterent. Hoc est illud Psalterium, cujus, occasione ad ista digressus sum, ex quo Gregorius Introitus & reliqua excerpsit, quæ in suo Antiphonario continentur. S. Hieronymus jussu Damasi Papæ hujus Italicæ versionis errores quosdam magis conspicuos correxit: tum plebeios aliquot & soli Italiæ familiares loquendi modos usitatioribus commutavit, reliquam versionem ob perspicuitatem latinis sermonis reliquit: istudque Psalterium sic emendatum illud est, quod nunc in Breviariis & in corpore Bibliorum extat, atque ideò à veteri non differt, nisi in his quæ Hieron. emendavit. Sed quia hæc versio sic correcta hebraicis fontibus in plurimis non respondebat, aliam iterum fecit quæ extat inter opera ejus, & quoniam ex hebraico textu immediatè translata est, à vulgata nova & veteri ex Græco textu LXX. Interpretum desumpta, plurimum discrepat tam in verbis quàm in sententiis, ut quisq; potest ex utriusq;

collatione perſpicere. Hæc autem ideò recepta non fuit, quia duæ priores quotidiano uſu in Eccleſiis frequentatæ ſine magna divini officii perturbatione non poterant abrogari. Priori editione pura, qualis erat ante S. Hieronymum, utebantur olim omnes Eccleſiæ Occidentales; Romana præſertim cum omnibus ſuburbicariis, ut conſtat ex antiquorum Patrum commentariis in Pſalmos; donec idem Pſalterium ab ipſo Hieronymo interpolatum primùm quidem in Gallia, neſcio quo tempore, unde Gallicanum nuncupatum eſt, deinde in aliis regionibus introductum fuit. In omnibus autem Urbis Romæ Eccleſiis vetus illud permanſit uſque ad Pium V. qui ipſum ſuſtulit, & in ſola Baſilica Vaticana reliquit, in qua nunc etiam religioſiſſimè recitatur, & noviſſimè ſublatis mendis, quæ irrepſerant, priſtinæ integritati reſtitutum eſt.

V. Eadem verſione utuntur hodie vetuſto more Ambroſiani, licet alicubi diſcrepet à Romana. In Breviario quoque veteri Hiſpanico ſecundùm regulam S. Iſidori, quod Mozarabicum dicitur, extat idem Pſalterium, quo utuntur in divinis laudibus Clerici ex inſtitutione Franciſci Ximenez Archiepiſcopi Toletani hoc ritu pſallentes. In Italia extra diœceſim Romanam & Mediolanenſem ſuſpicor ejus uſum ſublatum ante annos plus minus ſexcentos, nam Bruno Aſtenſis ex Abbate Caſſienſi Epiſcopus Signienſis, qui obiit anno 1125. initio expoſitionis Pſalterii ait, „ Cum adhuc adoleſcentulus eſſem, expoſui Pſal„ terium ſecundùm aliam tranſlationem, quæ vi„ delicet tranſlatio pluribus in locis tantum dif„ fert ab hac, qua utitur Romana Eccleſia, ut „ nullo modo ſecundum illius expoſitionem hæc „ tranſlatio intelligi poſſit. Et illa quidem multos „ habet expoſitores: hanc autem ſi aliquis ex„ poſuerit neſcio. Exponit autem Pſalterium illud vetus, quo ſuo tempore utebatur Romana Eccleſia, & poſtmodum ſemper uſa eſt uſque ad Pium V. ut dixi. Ex quo fit, ut Romæ dumtaxat recitaretur, in aliis verò Italiæ Provinciis illud in uſu erat, quod adoleſcens expoſuerat, quodque jam multos habebat expoſitores, utpotè ubique receptum. Alexander IV. in ſua Conſtitutione quæ eſt ſexta in Bullario Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, mandat Priori Generali & reliquis fratribus in Tuſcia, ut recitent officium juxta morem Romanæ Eccleſiæ, excepto Pſalterio, quia nimirum vetus illud jam ſolius Urbis Romæ proprium erat. Miror autem, cur Bruno dicat ſe neſcire, an Romanum aliquis expoſuerit: nam expoſuit Caſſiodorus, cujus elegantiſſima Commentaria eo tempore non erant ignota. Auguſtinus quoque in ſua explanatione hanc verſionem ſequutus eſt, quam omnibus præferendam eſſe docuerat. Magnus item Gregorius ſemper in ſcriptis ſuis teſtimonia ex pſalmis ſecundùm hanc verſionem profert, ut ex collectione S. Paterii conſtat. Qua de cauſa ſemper dubitavi, ne expoſitio in ſeptem Pſalmos pœnitentiales, in qua verſio à Hieronymo interpolata explicatur, perperam illi adſcripta ſit. Licet enim Apoſtolica ſedes utraque verſione nova & veteri uteretur, ut ex ipſo ſupra oſtendimus, Pſalterium tamen excluditur, quod ſemper Romæ ſecundùm veterem tranſlationem permanſit. Accedit alia conjectura ex ipſa expoſitione, in qua ſtylus & ſpiritus Gregorii deeſſe videtur. Sed hoc obiter à me obſervatum peritioribus diſcutiendum relinquo. In Bibliotheca Cardinalis Barberini extat Breviarium M.S. in quo habetur Pſalterium Romanum. Inter Codices item M. SS. Bibliothecæ Chiſiæ ſunt aliquot Breviaria ad uſum Eccleſiarum ſeu Monaſteriorum Romanæ diœceſis, in quibus idem Pſalterium legitur. At hæc ſcripta videntur circa annum Chriſti milleſimum: in aliis poſt annum MC. vel propè ſcriptis extat Pſalterium commune: ex quo ſuperior conjectura confirmatur, quod nimirum Italica verſio extra Urbem deſierit ante annos propè ſexcentos. Atque utinam qui hujus mutationis fuerunt auctores, rem attentius conſideraſſent, ſacrorumque rituum & Eccleſiaſticæ antiquitatis peritos in conſilium adhibuiſſent; non tamen facilè à Gregorii Magni inſtitutione diſceſſiſſent. Hoc enim ſemper & ſollicitè præcaverunt ſapientiſſimi Patres, à quibus divina officia Deo inſpirante ordinata ſunt, ut ſumma uniformitas eſſet inter ea, quæ in horis canonicis & in Miſſa cantari debent, ſibique mutuò conſonarent Miſſale & Breviarium. Hoc Iſidorus & Ambroſius ſeu quicunque fuerunt antiqui ritus Hiſpanici & Mediolanenſis auctores, in illis Eccleſiis ſedulò obſervarunt. Et ob hanc ipſam cauſam Romana Eccleſia vetus Pſalterium non mutavit, quia ex illo Introitus & reliqua, quæ ex Pſalmis in Miſſa cantantur, deſumpta ſunt. Inconveniens enim & meritò viſum eſt, quod idem pſalmus & idem canticum aliis verbis in officio cantaretur. Hæc autem diſſonantia ablato nunc veteri Pſalterio ſæpe occurrit. Cæterùm iſta hoc loco notare libuit, non ut quemquam carperem, ſed ne priſca Eccleſiæ diſciplina ignoraretur.

VI. Græci

VI. Græci duplicem habent ad altare accessum sive introitum, parvum & magnum. Parvus seu minor fit, cum Diaconus traditum sibi à Sacerdote librum Evangeliorum defert ad altare; magnus, cum Sacerdos sacra dona è prothesi ad sanctum bema solemni ritu deportat. Parvi ritus hic est. Diaconus petit à Sacerdote benedictionem, cui ille benè precatur dicens: *Benedictum regnum Patris & Filii & Spiritus sancti, nunc & semper & in sæcula sæculorum.* Tum à Diacono alta voce dicuntur preces, quas irenicas id est pacificas vocant, quia à precatione pro pace incipiunt. His intermiscentur tres Antiphonæ, seu, ut illi loquuntur, tria Antiphona, vel typica, aut alia cantica juxta diei exigentiam. Quibus peractis, Sacerdos acceptum librum Evangeliorum tradit Diacono, qui egrediens è porta prothesis elevatum ante faciem suam defert per Ecclesiam præcedentibus luminaribus, & Sacerdotibus, ipsoque celebrante subsequentibus, & *Venite adoremus Christum* alta voce concinentibus. Diaconus verò elevans & ostendens S. Evangelium dicit, *Sapientia: Recti*, monens populum, ut sapientiam teneat, quæ in Evangelio continetur, & erectus stet. Porrò omnes ipsum Evangelium profunda inclinatione venerantur, & modulis quibusdam decantatis in altari collocatur. Major introitus post dimissionem Catechumenorum initio Missæ fidelium solemniori apparatu, præsertim cum Pontifex celebrat, fieri consuevit. In porta enim, quæ prothesi proxima est, Clerici cereas faces accensas præferentes Diaconos egredientes excipiunt & præcedunt longa per Ecclesiam processione. Ipsi autem Diaconi thus continuò adolent, tum unus Sacerdos panem in disco repositum & opertum velamine gestat; & alius calicem etiam opertum ante pectus defert. Hos sequuntur Sacerdotes concelebrantes more ipsorum, qui altaris sacra instrumenta, lanceam, spongiam, librum, vel sacras reliquias portant, cantoribus interim hymnum cherubicum concinentibus, donec ad altare pervenientes sacranda in eo dona deponunt. Hi sunt Introitus Græcorum, quos eleganter & diffusè explicant Cabasilas in expositione Liturgiæ, Simeon Thessalonicensis lib. de templo, & sanctus Germanus in theoria rerum Ecclesiasticarum.

## CAPUT IV.

*Alterni cantus origo. De precatione* Kyrie eleison. *Eam semper & ubique in usu fuisse. Cur à latinis græcè dicatur. Quò ritu cantari consueverit. Ipsi addita aliquot verba. Prolixæ preces olim post* Kyrie eleison. *Hymnus* Gloria in excelsis *à quibus compositus & auctus. Prisco more à solis Episcopis dicebatur. Inserti eidem quidam versiculi.*

I. POST introitum chorus divinam implorat misericordiam alternatim psallens *Kyrie eleison.* Cantum verò alternum scribit Socrates *lib. 6. cap.* 8. à S. Ignatio Episcopo Antiocheno in Ecclesiam introductum fuisse, ostensâ ei cœlitus Angelorum visione, qui Hymnos alter ad alterum Sanctissimæ Trinitati concinebant. At Theodoretus *lib. 2. cap.* 24. eam consuetudinem ad Flavianum & Theodorum refert, qui sub imperio Constantii Antiochiæ floruerunt: quod tamen non absolutè de quocunque alterno cantu, sed de Psalmis Davidicis alternatim canendis intelligendum esse ex verbis ipsius Theodoreti colligitur. De quo ritu psallendi agens Basilius Magnus *Epist.* 63. *ad Clericos Neocæsarienses*, eo testatur usos fuisse Ægyptios, utramque Lybiam, Thebæos, Palæstinos, Arabes, Phœnices, Syros, & qui ad Euphratem habitabant. Constantinopoli autem hunc morem inter Catholicos B. Joannem Chrysostomum introduxisse, asserunt Socrates *lib. 6.* & Sozomenus *lib. 8. cap. 8.* Verumtamen in monasteriis serius receptus est, nam tempore Cassiani, ut ipse scribit *lib. 2. Instit. cap.* 5. 8. & 10. unus in medio cæteris audientibus & tacentibus psalmos modulabatur. Quod si loquamur de Ecclesia Occidentali, Paulinus in vita Ambrosii, & Augustinus in confessionibus *l. 9. cap. 6. & 7.* testes sunt ab eodem S. Ambrosio id primum Mediolani institutum secundùm morem Orientalium partium, cæteris per orbem Ecclesiis imitantibus. Hunc verò canendi ritum primus omnium Damasus Papa Apostolica auctoritate confirmasse dicitur, & ubique servari præcepisse. Porrò ipsum *Kyrie eleison* non humana institutione, sed occulto quodam naturæ instinctu usurpari cœpisse manifestum est. Cum enim homo multis miseriis ab ipsa infantia ob culpam primi parentis veluti hæ-

reditario jure subjectus sit, ad illius opem implorandam natura ipsa impellente excitatur, qui solus miseris misericordiam prestare, & tot malis oppressam sublevare potest. Ideò in veteri testamento hæ precandi formulæ frequentissimæ sunt, *Domine miserere*: *Miserere mei Deus*: *Miserere nostri Deus omnium*, & aliæ ejusdem generis. Quin etiam gentes fidei lumine destitutæ, duce proculdubio natura, à suprema omnium causa præsidium iisdem verbis postulabant, ut scribit Arrianus *l. 2. dissertat. Epictetic. 7.* dicens, *Deum invocantes precamur eum Kyrie eleison.* Primæ siquidem notiones omnibus ratione utentibus communes sunt, utque ait Minutius Felix, omnium iste est consensus, vulgi iste naturalis est sermo, non solius Christiani confitentis oratio. Eadem precatio in Ecclesiasticis officiis apud omnes nationes in usu est. Sæpè enim repetitur in Jacobi Apostoli, Græcorumq; Patrum Liturgiis: ipsamque suo idiomate usurpant Syri, Armeni, & alii Christiani Orientales, quorum ritus antiquissimi sunt. Quis autem à Græcis eam ad Latinos traduxerit, incertum est. Amalarius, Strabo, Micrologus, & alii ferè omnes Officiorum Ecclesiasticorum explanatores tam veteres quam recentiores, Gregorio Magno hoc tribuunt. Sed multis annis ante Gregorium viguisse hanc consuetudinem in Romana Ecclesia ex Concilio secundo Vasensi sub Felice IV. constat *c. 3. Quia*, inquit, *tam in sede Apostolica, quam etiam per totas Orientales atque Italiæ Provincias dulcis & nimium salutaris consuetudo est intromissa, ut* Kyrie eleison *frequentius cum grandi affectu & compunctione dicatur; placuit etiam nobis, ut in omnibus Ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo & ad Matutinos, & ad Missas, & ad Vesperam Deo propitio intromittatur.* Imò ipse Gregorius *lib. 7. epist. 64. ad Joannem Syracusanum*, respondens quorumdam murmurationibus, qui dicebant, ipsum velle in Romanam Ecclesiam ritus Constantinopolitanæ introducere, ait: Kyrie eleison *nos neque diximus, neque dicimus sicut à Græcis dicitur: quia in Græcis simul omnes dicunt; apud nos autem à Clericis dicitur, & à populo respondetur: & totidem vicibus etiam* Christe eleison *dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur.* Quod autem Gregorius asserit, à Græcis simul dici, id nunc etiam observant: universus enim cœtus simul concinit *Kyrie eleison.* Ex his item Gregorii verbis patet, olim toties dici consuevisse *Christe eleison*, quoties *Kyrie* dicebatur: at nunc ter tantùm *Christe*, sexies *Kyrie* dicimus.

Cur verò hæc supplicatio græcè potius quam latinè à latinis dicatur, varias comminiscuntur rationes sacrorum rituum expositores, quas non est mei instituti examinare. Dicunt Latini in Missa *Kyrie eleison* græcè, dicunt etiam Hebraicè *Amen, Alleluja, Sabaoth, & Osanna*: quia fortassis sic ab initio Ecclesiasticarum precum institutores voces istas usurparunt, ut ostenderent, unam esse Ecclesiam, quæ ex Hebræis & Græcis primum, deinde ex Latinis coadunata est: vel quia mysteria nostræ fidei tribus hisce linguis ab Apostolis & Evangelistis, eorumque immediatis Successoribus conscripta fuerunt: quæ quidem linguæ in titulo crucis quodammodo consecratæ sunt. Sed quæcumque fuerit causa hujus institutionis, certissimum est, eam antiquissimam esse. Nam Augustinus Epist. 178. quæ est publica ipsius altercatio cum Pascentio Ariano, testatur, quod, sicut hac voce *Homousion* à cunctis fidelibus una creditur Trinitatis substantia; ita ista *Kyrie eleison* unius Dei natura à cunctis Latinis & barbaris rogatur ut misereatur. Tum ait licere non solùm barbaris lingua sua, sed etiam Romanis dicere *si hora armen*, quod interpretatur *Domine miserere*, lingua scilicet Gothica, quam Roma à Gothis capta didicerat.

II. In quorumdam monasteriorum libris M. SS. ad usum chori vidi ipsum *Kyrie* interpositis quibusdam clausulis interpolatum, quas privata auctoritate introductas puto. Legi in Chronico Angliæ sub nomine Joan. Bromtoni Abbatis Cisterciensis inter X. scriptores rerum Anglicarum edito *p. 879.* B. Dunstanum semel soporatum Angelos audivisse cum suavi nota *Kyrie eleison* psallentes, cujus modulos harmoniæ adhuc, inquit, continet tropus ille apud Anglos famosus, *Kyrie rex splendens*, qui in majoribus festis Sanctorum cantari solet. Sed de harmonia, non de tropo hic sermo est: nam sæculo X. quo Dunstanus vixit, non credo hujusmodi tropos in usu fuisse, quorum nulla mentio ante sæculum XIII. reperitur. Insulsi sunt ut plurimùm, nec benè sensui cohærent. Quidam extant in Missali Romano sub Pontificatu Pauli III. edito Lugduni hac prefixa inscriptione. *Sequuntur quædã devota verba super* Kyrie eleison, Sanctus, & Agnus Dei, *ibi ob nonnullorum Sacerdotum pascendam devotionem posita, licet non sint de Ordinario Romanæ Ecclesiæ, tamen in certis Missis ib. annotatis licitè dicenda.* Aliquot in exemplum subjiciam ex eodem Missali, & ex l. 3. Elucidatorii Ecclesiastici Jodoci Clictovæi, itemq; ex Missali M. S. Bibliothecæ Vaticanæ Palat. n. 501.

*In festis Solemnibus.*

KYrie fons bonitatis, à quo bona cuncta procedunt, *eleison.*
*Kyrie* qui pati natum mundi pro crimine, ipsum ut salvaret, misisti, *eleison.*
*Kyrie* qui septiformis das dona Pneumatis, à quo cœlum & terra replentur, *eleison.*
*Christe* unice Dei Patris genite, quem de Virgine nascituram mirificè Sancti prædixerunt Prophetæ, *eleison.*
*Christe* agie, cœli compos regiæ, cui melos gloriæ semper astans pro munere Angelorum decantat apex, *eleison.*
*Christe* cœlitus adsis nostris precibus, quem pronis mentibus in terris devotè colimus ad te pie Jesu clamantes, *eleison.*
*Kyrie* spiritus alme cohærens Patri Natoque, unius usiæ consistendo, flans ab utroque, *eleison.*
*Kyrie* qui baptizato in Jordanis unda Christo effulgens specie columbina apparuisti, *eleison.*
*Kyrie* ignis divine pectora nostra succende, ut digni pariter proclamare possimus semper, *eleison.*

*In festivitatibus Christi Domini nostri.*

KYrie cunctipotens genitor Deus omnicreator, *eleison.*
Fons & Origo boni, pie, luxque perennis, *eleison.*
Salvificet pietas tua nos bone rector, *eleison.*
*Christe* Dei splendor, virtus, Patrisque Sophia, *eleison.*
Plasmatis humani sator, lapsi reparator, *eleison.*
Ne tua damnetur Jesu factura benigne, *eleison.*
Amborum sacrum spiramen, nexus, amorque, *eleison.*
Purgator culpæ, veniæ largitor optime, *eleison.*
Offensas dele, sacro nos munere reple, *eleison.*

*In festis B. Mariæ Virginis.*

KYrie virginitatis amor, inclite Pater, & creator Mariæ, *eleison.*
*Kyrie*, qui nasci Natum volens de Virgine, corpus elegisti Mariæ, *eleison.*
*Kyrie* qui septiformi repletum Pneumate pectus consecrasti Mariæ, *eleison.*
*Christe* unice de Maria genite, quem de Virgine nascituram stirpis Davidicæ sancti prædixerunt Prophetæ, *eleison.*
*Christe* usiæ gigas fortis geminæ, qui pro homine homo sine virili semine prodiisti de ventre Mariæ, *eleison.*
*Christe* cœlitus adsis nostris laudibus, quas pro viribus ore, corde, actuque psallimus, proles pie Jesu Mariæ, *eleison.*
*Kyrie* Spiritus alme, amborum nexus, amorque, cœlestis gratiæ rorem infudisti Mariæ, *eleison.*
*Kyrie*, qui incarnato de Mariæ carne Christo sub nostra specie, semper florem servas Mariæ, *eleison.*
*Kyrie* simplex & summe, Chrismate sacro nos reple, ut digno carmine decantemus laudes Mariæ, *eleison.*

*In aliis Festivitatibus.*

KYrie rex genitor ingenite, vera essentia, *eleison.*
*Kyrie*, luminis fons, rerumq; conditor, *eleison.*
*Kyrie*, qui nos tuæ imaginis signasti specie, *eleison.*
*Christe* Deus formæ humanæ particeps, *eleison.*
*Christe* lux oriens, per quem sunt omnia, *eleison.*
*Christe*, qui perfecta es sapientia, *eleison.*
*Kyrie* spiritus vivifice, vitæ vis, *eleison.*
*Kyrie* utriusque vapor, in quo cuncta, *eleison.*
*Kyrie* expurgator scelerum & largitor gratiæ, quæsumus propter nostras offensas nos non reliquere, consolator dolentis animæ, *eleison.*

*Dominicis diebus.*

ORbis factor, rex æterne, *eleison.*
Pietatis fons immense, *eleison.*
Noxas nostras omnes pelle, *eleison.*
*Christe*, qui lux es mundi, dator vitæ, *eleison.*
Arte læsos dæmonis intuere, *eleison.*
Conservans te credentes, confirmansque, *eleison.*
Patrem, Natum, teque Flamen utrorumque, *eleison.*
Deum scimus unum, atque trinum esse, *eleison.*
Clemens nobis adsis Paraclite, ut vivamus in te, *eleison.*
Omitto alia ejus generis, quibus homines simplices majus obsequium ac solemniorem cultum se Deo exhibere arbitrabantur.

III. Post *Kyrie eleison* sequitur hymnus *Gloria in excelsis Deo*, si dicendus sit, alioquin præmissa populi salutatione *Dominus vobiscum* dicitur oratio, sive collecta, de quibus sigillatim agendum erit, si prius notavero, olim diebus, quibus omittitur *Gloria in Excelsis*, immediatè post *Kyrie* prolixas preces pro omni statu hominum recitari consuevisse, iis prorsus similes, quas Irenicas sive Diaconicas Græci vocant, & initio Liturgiæ Diacono præcinente, choro respondente decantant.

Permansit hic ritus in Ecclesia Latina usque ad sæculum IX. ut observat Goar in notis ad Missam Chrysostomi *n.* 62. & nunc etiam permanet in Ecclesia Mediolanensi diebus Dominicis Quadragesimæ. Sicut enim alibi ostensum est, veteris Ecclesiæ mos fuit, ut officium cum Missa conveniret, ac propterea quibus diebus preces in officio dicebantur, in Missa quoque dici solebant. Agit de his Columbanus in Regula *cap.* 7. ubi modum psallendi describens à Senioribus statutum ait, „Cum versiculorum augmento inter„venientium pro peccatis primum nostris, dein„de pro omni populo Christiano, deinde pro „Sacerdotibus & reliquis Deo consecratis sacræ „plebis gradibus, postremò pro eleemosynas „facientibus, postea pro pace Regum, novis„simè pro inimicis, ne illis Deus statuat in pec„catum quod persequuntur nos & detrahunt „nobis, quia nesciunt quid faciunt. Has autem preces pro variis rebus & personis compositas Diaconus in Missa pronunciare solebat; Diaconi namque, ut ait Concilium Aquisgranense sub Stephano Papa cap. 7. „clarâ voce in modum „præconis admonent cunctos sive in orando, sive „in flectendo genua, sive in psallendo, sive in „lectionibus audiendis. Auctor antiquitatum Liturgicarum *tom.* 3. *pag.* 307. harum precum hanc formulam affert, quam Missalem Litaniam vocat, ex antiquo Codice Bibliothecæ Fuldensis à Wicelio transcriptam.

*Dicamus omnes ex toto corde, totaque mente: Domine exaudi & miserere.*

*Qui respicis terram, & facis eam tremere.* Oramus te Domine exaudi & miserere.

*Pro altissima pace & tranquillitate temporum nostrorum.* Oramus te Domine, &c.

*Pro sancta Ecclesia Catholica, quæ est à finibus usque ad terminos orbis terrarum.* Oramus te.

*Pro Patre nostro Episcopo, pro omnibus Episcopis ac Presbyteris & Diaconis, omnique clero.* Oramus te Domine.

*Pro hoc loco & habitantibus in eo.* Oramus te Domine.

*Pro piissimo Imperatore & toto Romano exercitu.* Oramus te Domine.

*Pro omnibus qui in sublimitate constituti sunt, pro virginibus, viduisque & orphanis.* Oramus te Domine.

*Pro pœnitentibus & catechumenis.* Oramus te Domine.

*Pro his qui in sancta Ecclesia fructus misericordiæ largiuntur. Domine Deus virtutum exaudi preces nostras.* Oramus te Domine.

*Sanctorum Apostolorum & Martyrum memores sumus, ut orantibus eis pro nobis veniam mereamur.* Oramus te Domine.

*Christianum ac pacificum nobis finem concedi à Domino comprecamur.* Præsta Domine, præsta.

*Et divinum in nobis permanere vinculum charitatis, Dominum comprecamur.* præsta Domine, præsta.

*Conservare sanctitatem ac puritatem catholicæ fidei, sanctum Deum comprecamur.* præsta Domine, præsta.

*Dicamus omnes, Domine exaudi & miserere.*

His similes sunt preces, quæ ritu Ambrosiano hodie dicuntur Dominica prima Quadragesimæ immediatè ante Collectam, incipiente Diacono & choro respondente.

*Divinæ pacis & indulgentiæ munere supplicantes ex toto corde & ex tota mente precamur te.* Domine miserere.

*Pro Ecclesia Sancta Catholica, quæ hic & per universum orbem diffusa est, precamur te.* Domine miserere.

*Pro Papa nostro N. & Pontifice nostro N. & omni clero eorum, omnibusque Sacerdotibus ac ministris precamur te.* Domine miserere.

*Pro famulis tuis N. Imperatore, & N. Rege, Duce nostro, & omni exercitu eorum precamur te.* Domine miserere.

*Pro pace Ecclesiarum, vocatione gentium, & quiete populorum precamur te.* Domine miserere.

*Pro civitate hac & conservatione ejus, omnibusque habitantibus in ea precamur te.* Dom. miserere.

*Pro aëris temperie ac fructu & fœcunditate terrarum precamur te.* Domine miserere.

*Pro virginibus, viduis, orphanis, captivis, ac pœnitentibus precamur te.* Domine miserere.

*Pro navigantibus, iter agentibus, in carceribus, in vinculis, in metallis, in exiliis constitutis precamur te.* Domine miserere.

*Pro iis qui diversis infirmitatibus detinentur, quique spiritibus vexantur immundis, precamur te.* Domine miserere.

*Pro iis qui in sancta Ecclesia tua fructus misericordiæ largiuntur, precamur te.* Domine miserere.

*Exaudi nos Deus in omni oratione atque deprecatione nostra, precamur te.* Domine miserere.

*Dicamus omnes, Domine miserere.*

Aliæ hujusmodi deprecationum formulæ extant apud Clementem *lib.* 8. *constit. Apostolic.* & in Liturgiis Græcorum, quæ cum suprà scriptis ferè coincidunt. Porrò Diaconus eas recitaturus ascen-

ascendebat ambonem ut notat Goar in ordine sacri ministerii *n.* 27. atque id observant Græci. Quod si desit ambon, in Ecclesiæ medio stat, ejusque centrum quæ ad se pertinent recitaturus occupat, quasi vicarium ambonis locum.

## *De Hymno* Gloria in excelsis.

IV. QUia initium hujus hymni in Nativitate Salvatoris nostri Jesu Christi ab Angelis decantatum fuit, inde Angelici nomenclaturam accepit. Aptè verò inter hymnos numeratur, quia omnia illi conveniunt, quæ ad hymni constitutionem requiruntur, cantus scilicet in laudem Dei. Præclarè Augustinus in psal. 148. „Si laudas „ Deum & non cantas, non dicis hymnum. Si „ laudes quod non pertinet ad laudem Dei, etsi „ cantando laudes, non dicis hymnum. Hymnus „ ergo tria ista habet, & canticum, & laudem „ & Dei. Addidit Beda *præf. in psalmos* aliam conditionem, ut sit metricè scriptus; sed hanc non requiri ad rationem hymni, constans est Sapientium sententia, idque præter alios adnotavit Cœlius Rhodiginus *lib. 7. antiq. lect. cap.* 5. exemplo Platonis, apud quem in Symposio & in Phædro hymni leguntur solutâ oratione: utque alia desint exempla, hic solus sufficit de quo hic loquimur; nam ab omnibus antiquis Patribus hymnus nuncupatur. Plura de hymnis, eorumque usu ex sacris & profanis scriptoribus congesti in meo tractatu de divina Psalmodia *Cap. XVI. §.* 9. Nullus autem hoc nobilior reperiri potest, sive auctorem respiciamus, sive antiquitatem, sive usum, sive tandem divinarum laudum, quæ in eo cantantur, excellentiam & sublimitatem. Nam quid nobilius, ut cætera omittam, quam quod Deo gratias agimus propter magnam gloriam suam? Hoc videlicet idem est si diceremus, Tibi propter te gratias agimus, non propter bonum nostrum quod inde emanat, sed propter gloriam tuam: quia gloria tua hæc est sanctificatio nostra, & ad unam tui gloriam est, quod sancti sumus: quia sanctificans nos, participes nos facis gloriæ tuæ in via & in patria; atque ideò nostra interest, quod magni & glorioši Domini servi sumus; eamque ubique propagari, ac ea te perfrui magis gaudemus, quam si nostra esset; quia tu solus laudabilis & gloriosus es, & nulla est vera gloria extrà te. Prima hujus hymni verba. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, è cœlo ad nos Angelorum voce derivata sunt; cætera quis addiderit, incertum est. Quidam Apostolis tribuunt, eò quod integer habeatur *lib. 7. Constit. Apost. cap.* 47. sed jam norunt viri docti, quid de illarum Constitutionum auctore & ætate sentiendum sit. Alii auctorem faciunt Telesphorum Papam, qui vivebat anno Christi 150. ejusque sententiæ sunt Sigebertus in Chronico, & Innocentius III. *l. 2. de mysteriis Missæ cap.* 20. Alii Symacho adscribunt, qui anno quingentesimo Christi floruit. Plerique recentiores sequuti Alcuinum *c.* 40. Hugonem Victorinum *l. 2. de div. offic. c.* 11. Remigium Antisiodorensem *in expositione Missæ*, Honorium *in Gemma lib. 1. c.* 87. & Joannem Belethum *lib. de divin. offic. c.* 36. à B. Hilario Pictavienši Episcopo completum fuisse asseverant: sed in vita & scriptis Hilarii, & in scriptoribus, qui quatuor post ipsum sæculis floruerunt, nullum hujus rei vestigium extat: atque insuper observo Athanasium, qui synchronus Hilario fuit, ejus meminisse *lib. de Virginitate* versus finem his verbis: *Matutino tempore hunc psalmum dicito*, Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. *Ubi diluculum fuerit, hunc recitabis*, Benedicite omnia opera Domini Domino, *hymnumque dicito* Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas. Laudamus te: Benedicimus te: Adoramus te: *& quæ sequuntur.* Ex quibus jam eo tempore usitatum fuisse, & per varias regiones dispersum. Cautius loquuti sunt Patres Concilii IV. Toletani, qui can. 12. ajunt: *Reliqua quæ sequuntur* post verba Angelorum *Ecclesiasticos Doctores composuisse*, quicumque illi fuerint. Auctor libri Pontificalis in vita Telesphori ait ipsum constituisse, ut ante Sacrificium hymnus diceretur Angelicus, hoc est *Gloria in excelsis Deo*, sed non dicit ipsum reliqua adjecisse: & tunc forsitan verba tantùm evangelica in usu erant, sicut extant in Liturgia Jacobi, non autem integer hymnus. Symmachus verò præcepit, ut omni die Dominico, & in natalitiis Martyrum diceretur: nam Telesphorus in Missa tantùm nocturna Nativitatis Domini cantari decreverat, si vera sunt, quæ Sigebertus & Innocentius prædicti tradunt. Statutum autem Symmachi ad totum hymnum extenditur, qui jam antea compositus erat, ut ex Athanasio ostendimus. Etherius Episcopus & Beatus Presbyter *lib.* 1. adversus Elipandum Archiepiscopum Toletanum, consueviše ajunt in Hispania cantari ritu Mozorabico, de quo ibi loquuntur, Dominicis diebus & in quibusdam festivitatibus. A Græcis magna doxologia nuncupatur, &

ab

ab iisdem in matutinis laudibus recitatur. Jubent quoque dici ad Laudes toto tempore Paschali S. Valerianus Episcopus Arelatensis, qui vivebat anno 550. & S. Tetradius in suis regulis.

V. Refert Anastasius in vita Stephani IV. statutum ab illo, „ ut omni die Dominico à septem „ Episcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui „ in Ecclesia Salvatoris observabant Missarum „ solemnia super altare B. Petri celebrarentur, & Gloria in excelsis *diceretur*. Ratio hujus edicti est, quia olim à solo Episcopo dici poterat, à Presbyteris verò in solo die Paschatis dicebatur, ut initio libri Sacramentorum S. Gregorii legimus: non quia ad Episcopos maximè pertineat Missam celebrare, ut explicat Suarez *to. 3. in 3 p. disput. 83. sect.* 1. sed quia revera sic ferebat mos priscus Ecclesiæ, ut soli Episcopi hunc hymnum dicerent, sicut soli in prima populi salutatione dicunt *Pax vobis* iis diebus, quibus *Gloria in excelsis* dici solet. Adeò verum est, quod sæpiùs monui, non debere ex hodiernis moribus veterem Ecclesiæ institutionem æstimari. Walfridus Strabo c. 22. *Statutum est*, inquit, *ut ipse hymnus in summis festivitatibus à solis Episcopis usurparetur, quod etiam in capite libri Sacramentorum designatum videtur.* In Bibliotheca Vaticana Palatina Cod. 495. extat antiquissimus Ordo Missæ Romanæ initio sic statuens, *Dicitur Gloria in excelsis Deo si Episcopus fuerit, tantummodo die Dominico, sive diebus festis. A presbyteris autem minimè dicitur, nisi in solo Paschа.* Frustrà hunc ritum convellere nititur Berno Augiensis cap. 2. de rebus ad Missam spectantibus. „ Cur non liceat, *inquit*, omni „ die Dominico vel natalitiis Sanctorum Presbyteros illum hymnum canere, quem nato in carne Domino Angeli cecinere? Quod si concessum est illum cantare in Pascha secundùm „ prætitulationem Missalis, non multò minus licitum puto in Nativitate Domini, quando primum cœpit audiri ab hominibus in terris, qualiter ab Angelis canebatur in cœlis. Proferant „ contradictores in medium, ubinam sit à sanctis Patribus vel ab ipso Sanctissimo Papa Gregorio interdictum; & si ad hæc respondere „ non valemus, meritò manus damus. Hæc ille, quem non disputare, sed obedire par erat, nam Gregorius id vetat initio libri Missalis, ut ipse Abbas Augiensis agnoscit, & illius auctoritas sufficere ei debuerat, ne contradicere auderet. Nunc verò sublata est illa restrictio, & ab omnibus idem hymnus cantatur, quod sensim introductum suspicor paulò post Bernonem, qui vivebat anno 1040. ac deinde pro lege habitum.

VI. Scribit Jodocus Clictoveus lib. 3. Elucidatorii, huic hymno Angelico insertas fuisse quasdam particulas ex Ecclesiastica constitutione, sed quæ sit ista constitutio, non liquet. Potius crediderim, privatâ quorundam licentiâ id primò cœpisse, postea invaluisse, adeò ut quibusdam Missalibus hujusmodi clausulæ insertæ fuerint. Passim in libris ad usum chori tam editis, quam M. SS. sequens interpolatio pro Missa Beatæ Virginis reperitur. Post *Domine Fili, unigenite Jesu Christe* additur: spiritus & alme orphanorum Paraclite. Post *Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris*: Primogenitus Mariæ Virginis matris. Post *Suscipe deprecationem nostram*: Ad Mariæ gloriam. Tum sequitur: *Quoniam tu solus Sanctus*, Mariam sanctificans. *Tu solus Dominus*: Mariam gubernans. *Tu solus altissimus*: Mariam coronans, *Jesu Christe*: *cum Sancto spiritu*, &c. Refert autem Paris Crassus in ceremoniali summi Pontificis inedito cap. 67. Nicolaum V. prohibuisse, ne in sua capella diceretur. Apud Pamelium in fine Tomi II. Liturgicorum duæ extant hujus hymni interpolationes, quarum prima hæc est pro die Nativitatis Domini.

*Laudamus te.* Laus tua Deus resonet coram te rex. *Benedicimus te.* Qui venisti propter nos rex Angelorum Deus. *Adoramus te.* Glorioſum regem Israël in throno Patris tui. *Glorificamus te.* Veneranda Trinitas. *Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis.* In sede majestatis tuæ. *Quoniam tu solus sanctus.* Deus fortis & immortalis. *Tu solus Dominus.* Cælestium, terrestrium, & infernorum rex. *Tu solus altissimus.* Rex Regum, regnum tuum solidum permanebit in æternum. *Jesu Christe.*

Altera est in dedicatione Ecclesiæ. *Gloria in excelsis Deo.* Quem cives cœlestes sanctum clamantes laude frequentant. *Et in terra pax.* Quem ministri Domini verbo incarnatum terrenis promiserant. *Laudamus te.* Laudibus cujus astra matutina insistunt. *Benedicimus te.* Per quem omne sacrum & benedictio conceditur, atque augetur. *Adoramus te.* Omnipotens, adorande, colende, tremende, Venerande. *Glorificamus te.* Ut creatura creantem, plasma plasmantem, figulum figmentum. *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Hymnum majestati, gratias autem pietati ferentes. *Domine Deus rex cœlestis*, & reliqua usque ad *Suscipe deprecationem nostram.* Quem quisquis adorat, in spiritu & veritate oportet adorare. *Qui sedes ad dexteram Patris* usque ad

*altissimus*

*altissimus Jesu Christe*: Unigenite, qui es unà *cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.*

Non desunt alia exempla, sed ista superflua sunt, ut quisque agnoscat temerario quorundam ausu, seu potius simplicitate ac zelo, qui non erat secundum scientiam, inserta hæc Angelico hymno fuisse, quæ Ecclesiasticam gravitatem minimè redolent, cultumque divinum non augent, sed diminuunt.

## CAPUT V.

*Origo & usus Sacerdotalis salutationis* Dominus vobiscum. *Græcorum salutatio* Pax omnibus. *Episcopi quoque pacem precantur. Quare præmitti soleat ante collectam* Oremus, *& aliquando* Flectamus genua. *Collectæ nomen æquivocum. A quo primum collectæ sive orationes inventæ, & quæ forma in iis servanda. Earum conclusio explicatur. Cur dum recitantur, manus & brachia extendantur. De Laudibus quæ olim post Collectam dicebantur.*

1. SAcerdos hymno Angelorum recitato salutat populum dicens *Dominus vobiscum*, quæ salutatio è veteri Testamento in Ecclesiam derivata est. Booz enim, ut in Libro Ruth *cap.* 2. legimus, salutans messores suos ait, *Dominus vobiscum*: & Propheta missus à Deo ad Asam Regem Judæ, cum victor è prælio cum exercitu suo reverteretur dixit 2. *Paralip. cap.* 15. *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo.* Vim autem & efficaciam accepisse videtur ex verbis Christi, *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Quia verò tanquam pluribus dicitur *Dominus vobiscum*, decreverant olim majores nostri, ne quis celebrare præsumeret, nisi duobus saltem præsentibus & adstantibus, ut Lib. I. Cap. XIII. dictum est. Sed hoc deinde antiquatum fuit, non quia celebranti adesse credantur Angeli, ut piè scripsit Innocentius *III. lib.* 2. *de myst. Missæ cap.* 25. quasi ex hoc inferret, nunquam celebranti deesse adstantes; sed quia Minister, licet sit solus, personam gerit Ecclesiæ: alioquin cum quis recitat solus divinum officium, hanc salutationem prætermittere deberet, quod quam absurdum sit, docet Petrus Damiani in libro quem de hoc argumento ex professo conscripsit, eique propterea titulum præfixit *Dominus vobiscum*. Non solùm igitur qui celebrat, sed etiam qui ministrat, personam publicam gerunt, & sicut ille salutat Ecclesiam, ita iste Ecclesiæ nomine salutanti respondet. Est autem hæc salutatio propria Sacerdotis, quam cum in Africa ex præsumptione lectores usurparent, vetitum id fuit can. 4. Concilii *III.* Carthaginensis. Apud Græcos nullus est usus hujus salutationis, nec reperitur in eorum Liturgiis, & formula *Dominus sit semper cum omnibus nobis*, semel tantùm extat in Liturgia S. Marci. Cum verò salutant populum, dicunt *pax omnibus*, sicut constat ex Liturgiis Basilii & Chrysostomi. Hinc ipsum Chrysostomum, sicut refert Socrates *lib.* 6. *cap.* 14. ab exilio revocatum rogabat multitudo ejus reditu gaudens, ut in Episcopali throno resideret, & pacem populo pro more precaretur. Idem quoque Chrysostomus *hom.* 3. *in epist. ad Coloss.* de hoc ritu differens ait, *Cum ingressus fuerit is qui præest Ecclesiæ, statim dicit* pax omnibus. *Quando sermonem facit & concionatur*, pax omnibus. *Quando benedicit*, pax omnibus. *Quando jubet osculari*, pax omnibus. *Peracto sacrificio*, pax omnibus. Ita etiam Cyrillus in Joannem *lib.* 12. *Salutat discipulos usitata illa forma, pax vobis, legem veluti quandam constituens Ecclesiæ filiis. Quo fit, ut in sanctis potissimum conventibus & synaxibus circa ipsa mysterii initia hoc invicem dicamus.* Athanasius tandem epistola ad Eustathium invehitur in quosdam Episcopos, qui, cum initio sacrificii & sermonis blandum illud proferrent *pax vobis*, tragœdias tamen excitabant, & alios affligebant. Ex hac Græcorum consuetudine, quæ ex Christi exemplo & doctrina traxit originem, dimanasse reor, ut etiam latini Episcopi cum prima vice salutant populum, dicant *pax vobis*, illius vocem usurpantes, cujus pontificio funguntur. Optatus Milevitanus *lib.* 3. *Non potuistis*, inquit, *prætermittere quod legitimum est, utique dixistis*, pax vobiscum. *Quid salutas de quo non habes? quid nominas quod exterminasti? Salutas de pace, qui non amas.* Hujus item salutationis meminit Ambrosius, *lib. de dignit. sacerdot. cap.* 5. quam formulam cum quidam Episcopi præter Ecclesiæ consuetudinem frequentarent, adeò ut altera presbyteris communi nuquam uti vellent,

concilium Braccarense primum hoc decretum edidit can. 21. *Placuit ut non aliter Episcopi, & aliter presbyteri populum, sed uno modo salutent dicentes, Dominus sit vobiscum, sicut in libro Ruth legitur; & ut respondeatur à populo & cum spiritu tuo: sicut & ab ipsis Apostolis traditum omnis retinet oriens, & non sicut Priscilliana pravitas immutavit.* Priscillianus enim, ut ad hunc canonem notat Garsias Loaisia, non semel tantum ut moris est, sed semper ab Episcopis dicendum esse *pax vobis* contendebat. In hunc autem canonem mendum irrepsisse, ut pro occidens oriens legatur, dudum viri docti observarunt: nam in Ecclesia Orientali alium fuisse usum, quæ modo allata sunt, manifestant. Omnes ferè recentiores de hac salutatione Dionysium loquutum esse arbitrantur *cap. 3. eccles. hierarchiæ* §. 8. ubi eam divinissimam vocat; sed ex textu evidens est de osculo pacis eum loqui, cujus rationem reddit his verbis: *Non enim possunt ad unum colligi, atque unius pacificæ unionis participes existere, qui secum ipsi dissident.* Sive autem dicatur *pax vobis*, sive *Dominus vobiscum*, tessera hæc est mutuæ communionis & pacis, qua fideles in Christi fide & charitate copulantur. Ideo Tertullianus hæreticos reprehendit, quod omnes sine personarum distinctione salutarent. *Pacem*, inquit, *cum omnibus miscent.* Legimus etiam Marcionis salutationem à Polycarpo recusatam, quia extra Ecclesiam erat. Primis item Ecclesiæ sæculis hac ipsa de causa infideles, pœnitentes, & catechumeni sermoni interesse non poterant, quia Episcopus ipsum inchoaturus prius populum salutabat. Non enim, inquit Optatus Milevitanus, aliquid incipit Episcopus ad populum dicere, nisi primo in nomine Dei populum salutaverit. Athanasius *tom. 2. edit. Commeliniane pag. 245.* peracturis sacra aut doctu-ris, blandissima illa in ore est salutatio, pax omnibus. Notabile est, quod Michaël Glycas refert 4. parte Annalium ex historia Ecclesiastica Philonis Philosophi, tempore scilicet persecutionum fuisse quendam Ecclesiasticum, qui ab Episcopo à communione fidelium segregatus fuit. Accidit autem ut ab ethnicis comprehensus pro testimonio fidei occisus sit; & in ipso loco templum constructum est. Cumque Episcopus in eo celebrans verba illa proferret *pax omnibus*, è templo egrediebatur, idque pluries contigit, donec ab Episcopo absolutus, nunquam deinceps exire visus est. Cum verò Sacerdotes dicunt *pax vobis*, sive *Dominus vobiscum*, nos per ipsos salutat Christus cupiens in nobis mansionem facere, & nos secum unire, ac templum suum Eucharistici Sacramenti perceptione efficere; sicut Angelus B. Virgini dixit *Dominus tecum*, antequam in ejus utero carnem susciperet. Respondet populus sacerdoti, *& cum spiritu tuo*, quæ verba accepta videntur ex epist. 2. ad Timoth. cap. 4. ubi Paulus ait, *Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo*: & extant in antiquissimis Liturgiis. Optimè Chrysostomus hom. 18. in 2. ad Corinth. *In tremendis mysteriis ut Sacerdos pro plebe, ita plebs pro sacerdote vota facit. Hæc enim verba* & cum spiritu tuo, *nihil aliud quam hoc significant.* Olim universus populi cœtus sacerdoti respondebat, ut ex Liturgiis, earumque expositoribus apparet; idque Micrologus statutum ait in occidente à concilio Aurelianensi, ut scilicet non solum clerici, sed omnis populus responderet, *& cum spiritu tuo.* At nunc soli Clerici vel ministri respondent, de qua re fusius egi supra Lib. I. Cap. XXV. §. 19. Sensum autem prædictę responsionis Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 112. ita explicat: *Illud quod à plebe respondetur* & cum spiritu tuo, *hanc habet sententiam. Pacem quidem nobis præbuisti Domine, hoc est mutuam inter nos concordiam; pacem autem nobis da, hoc est hujusmodi tecum conjunctionem, quæ nullo modo divelli possit, ut cum spiritu tuo pacati, quam nobis in creationis initio indidisti, à tua charitate distrahi nequeamus.* Et Florus magister in expositione Missæ scribit, nihil melius inveniisse Ecclesiam, quod optaret Sacerdoti, nisi quod Sacerdos optat ecclesiæ, ut idem Dominus, qui dignatur esse cum Ecclesia, dignetur etiam esse cum spiritu sacerdotis.

II. Sacerdos post salutationem & seipsum & populum excitat ad orandum dicens, *Oremus.* Qua monitione audita omnes sacro adstantes sub silentio olim orabant, tum peracta brevi oratione omnium preces sacerdos brevi item deprecatione concludens, collectam alta voce recitabat. Cum autem sacerdos exclamabat dicens *Oremus*, veteris ecclesiæ phrasi orationem dare dicebatur: quem ritum perspicuè explicat Uranius in vita S. Paulini describens obitum sancti Joannis Episcopi Neapolitani: *Ad Ecclesiam*, inquit, *processit*, & *ascenso tribunali populum ex more salutavit, resalutatusque à populo orationem dedit, & collecta oratione spiritum exhalavit.* Eadem phrasi utitur Anastasius in vita Ser-

Sergii II. ipsum referens Ecclesiam ingressum cum Ludovico Francorum Rege, omnes autem prostratos ad confessionem B. Petri orasse, *& data à Pontifice super populum oratione* regressos esse. Synodus idem Romana sub Zacharia cap. 14. decrevit, *ut Episcopus aut presbyter, dum ingressus fuerit ad Missarum solemnia celebranda, nullo modo audeat data oratione recedere, ut ab alio Episcopo aut presbytero suppleantur Missarum solemnia, sed qui initium ponit, suppleat usque in finem.* Describunt eumdem ritum acta S. Susannæ apud Baronium *anno* 294. *num.* 10. ex quibus colligitur, consuetas tunc fuisse hujusmodi preces non solum in ecclesiasticis conventibus, sed etiam in privatis domibus, cum sacerdotes alios visitabant, vel ad se venientes excipiebant. Narrant enim, Gabinium presbyterum in adventu aliorum ejusmodi orationem dedisse, *Oremus*, illisque humi prostratis sic orasse: *Domine Deus qui dispersa congregas, & congregata conservas, respice in opus manuum tuarum, & illumina omnes in te credentes, quia tu es lumen verum in sæcula sæculorum.* Cui orationi omnes responderunt, *Amen.* Similiter Cajus in domo Gabinii omnibus prostratis *dans orationem*, dixit, *Oremus. Domine Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui omnibus ad salutem & vitam æternam misisti Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, ut nos è mundi tenebris erueret, da nobis servis tuis constantiam fidei, quia tu regnas in sæcula sæculorum.* Responderunt omnes *Amen.* Aliquando indicta oratione per verbum *Oremus*, monebat Sacerdos pro quibus orandum foret ea formula, qua nunc utitur ecclesia in officio feriæ sextę majoris hebdomadæ, cum pro omni statu hominum preces fundit: ad quem morem alludit Augustinus epist. 107. ad Vitalem Carthaginensem, qui perperam docebat non esse orandum pro incredulis. *Exerce*, inquit, *contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas, & quando audis sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem: & pro Catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret: & pro fidelibus, ut in eo quod esse cœperunt, ejus munere perseverent; subsanna pias voces.* In ordine Romano sæpius memorato Reginæ Sueciæ ante annos nongentos scripto plures extant ejusmodi formulæ. Unam transcribo, pro iis qui agapen faciunt. *Oremus dilectissimi nobis Deum omnipotentem pro filio nostro* illo, *qui recolens divina mandata de justis laboribus suis victum indigentibus subministrat, quatenus hæc devotio ipsius sicut nobis est necessaria, ita sit Domino semper accepta.* Et immediatè sequitur hæc Collecta. *Deus qui post baptismi Sacramentum secundam ablutionem peccatorum eleemosynis indidisti, respice propitius super famulum tuum* illum, *pro cujus operibus tibi gratiæ referuntur, fac eum præmio beatum, quem fecisti pietate devotum. Per Dominum nostrum.* Certis diebus dicto à Sacerdote *Oremus*, Diaconus subdit, *Flectamus genua*: qui ritus in præcitato libro sic describitur: *Sacerdos dicit* Oremus, *& annuntiat Diaconus* Flectamus genua, *& post paululum dicit*, Levate. Ex qua rubrica duo eruuntur; primum non à Subdiacono ut nunc fit, sed à Diacono dictum olim *Levate*: alterum, flexis genibus post Diaconi monitionem aliquantulum orasse fideles, tum monitos ut levarent se, surrexisse, & Sacerdotem illis stantibus collectam recitasse. Alludit ad hunc ritum Basilius Magnus lib. de Spiritu sancto cap. 27. dicens: „ Quoties genua flectimus & rursus erigimur, „ ipso facto ostendimus, quod ob peccatum „ in terram delapsi sumus, & per humanitatem „ ejus qui creavit nos in cœlum revocati sumus. De hac ipsa re Cæsarius Arelatensis *hom.* 34. sic loquitur plebi suæ. „ Rogo vos & admoneo „ fratres carissimi, ut quotiescumque juxta „ altare à Clericis oratur, aut oratio Diaco- „ no clamante indicitur, non solum corda, sed „ etiam corpora fideliter inclinetis. Nam dum „ frequenter sicut oportet, & diligenter atten- „ do, Diacono clamante *Flectamus genua*, ma- „ximam partem populi velut columnas erectas „ stare conspicio, quod Christianis omnino „ nec licet nec expedit. Jesse item Ambianensis in epist. de Baptismo: *Postmodum admoneantur à Diacono, Orate electi, flectite genua, & postquam oraverint dicat*, levate. Et in Codice Remensi apud Menardum, *Nuntiat Diaconus* Flectamus genua, *& populus silet.* Et in Codice Tilianо apud eundem in officio feriæ VI. majoris hebdomadæ, *dicat Diaconus*, Flectamus genua, *& oret diutissimè*: nam ea die prolixior fiebat oratio, qua peracta dicebat Diaconus *Levate.* At hodie cum nullum fiat intervallum inter *Flectamus genua & Levate*, sancitum est, ut primum à Diacono, & alterum dicatur à Subdiacono. Quod autem Collecta omnibus erectis à sacerdote recitaretur, Cassianus confirmare videtur, qui *lib.* 2. *Institut. cap.* 7. de disciplina orandi agens ait: *Cum is qui orationem collecturus est è terra surrexit, omnes pariter*

*riter erigimtur; ita ut nullus antequam inclinetur ille, genuflectere; nec cum è terra surrexerit, remorari præsumat.*

III. Nomen verò Collectæ æquivocum est, nam sumitur aliquando pro qualibet hominum multitudine in unum congregata, ut in Capitulari Caroli Magni lib. 3. cap. 74. *Si quis super missum dominicum cum collecta & armis venerit.* Et lib. 5. cap. 130. *De iis, inerantibus, ut eos per Collectam nemo ausus sit adsallire.* Et magis presse pro conventu & congregatione fidelium ad orationem simul convenientium: atque hoc sensu phrasis est antiquis Patribus & historicis Ecclesiasticis valde usitata, collectas agere, convenire ad collectam, adesse collectæ; adeò ut hoc nomen ad ipsum divinum officium & ad Missæ sacrificium translatum sit, ut supra ostendimus, cum de nominibus Missæ ageremus. Etiam in veteri Testamento *Levit.* 23. *Deuter.* 16. 2. *Paral.* 7. cœtus fidelium, diesque solemnes Collectæ dicebantur. Eadem voce Paulus Apostolus usus est 1. *ad Cor.* 16. pro eleemosynis, quæ ad alendos pauperes colligebantur. *De collectis*, inquit, *quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite, ut non, cum venero, tunc collectæ fiant.* Extat apud Chrysostomum insignis oratio de eleemosyna & collectis: de quibus etiam agunt Justinus Martyr *Apolog.* 2. Tertullianus *cap.* 39. *Apolog.* Cyprianus *epist.* 60. *ad Januarium & reliquos Numidiæ Episcopos*, & Leo Magnus *in sermonibus de Collectis.* Hæ vero indicebantur intra Missarum solemnia, & sæpius in sermone pro subsidio indigentium, sive ad redimendos captivos, de qua re diffusè tractat Ferrarius *lib.* 1. *de ritu Sacrarum concionum cap.* 26. Accipitur tandem Collectæ nomen pro brevi oratione, quam Sacerdos salutato populo recitat, quæ ideò Collecta dicitur, quia populo in unum congregato & collecto recitatur; vel quia sacerdos legatione apud Deum pro omnibus fungens omnium vota in unum colligit: vel quia ex selectis sacræ Scripturæ & Ecclesiæ verbis compendiosa brevitate colligitur: vel quia omnes collectis animis affectus suos & mentem ad Deum attollunt; quas notiones fusiùs prosequitur Claudius Espencæus *tract. de Collectis Ecclesiasticis.* Innocentius III. *lib.* 2. *de mysteriis Missæ cap.* 27. & Joannes Beleth *lib. de div. off. cap.* 37. Collectam propriè dici volunt eam orationem, quæ olim super populum fieri solebat, quando collectus in unum erat cum universo clero in una Ecclesia, ut ad aliam procederet, in qua statio celebranda erat. Tunc enim Episcopus sive sacerdos collecta omni multitudine brevi oratione super populum uti solebat; ex quo fieri potuit, ut ad reliquas hujusmodi orationes Collectæ nomen dimanarit. Hinc liber Sacramentorum S. Gregorii in festo Purificationis S. Mariæ duplicem habet orationem, quarum una inscribitur, *Ad Collectam ad S. Adrianum*, ubi populus & Clerus colligebantur, ut inde procederent ad S. Mariam Majorem, & incipit, *Erudi quæsumus Domine plebem tuam*: altera dicitur ad Missam, scilicet, *Omnipotens sempiterne Deus majestatem tuam, &c.* Lego etiam tributum quandoque Collectis nomen benedictionis: nam in ordine coronationis Caroli Calvi, quæ in ejus Capitulari *pag.* 486. describitur, Collectis, quas singuli Episcopi super Regem recitarunt, hic titulus præfigitur: *Benedictiones super Regem Carolum ante Missam & altare S. Stephani.* Explicat luculenter hujus nominis rationem Amalarius lib. 2. cap. 9. *Episcopus*, inquit, *vel sacerdos dicit* Oremus, *ac deinde sequitur benedictio. Utroque nomine benedictionis & orationis vocatur oratio sacerdotis. De benedictione dicit Apostolus.* Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ quomodo dicit *Amen* super tuam benedictionem, quia nescit quid dicas? *Hanc benedictionem vocat Ambrosius orationem dicens, Imperitus audiens quod non intelligit, nescit finem orationis, & non respondet* Amen, *id est verum, ut confirmetur benedictio.* Hactenus Amalarius; sed sententia, quam tribuit Ambrosio, Hilarii Diaconi est, cujus esse commentaria in Paulum Ambrosio adscripta nonnulli existimant. Quod verò benedictio pro collecta accipi soleat, probatur etiam ex Regula S. Benedicti *cap.* 11. in quo disponens vigiliarum ordinem pro Diebus Dominicis præcipit, ut dicto hymno *Te Deum laudamus*, Abbas legat Evangelium: lecto autem Evangelio, *& data*, inquit, *benedictione incipiant Matutinos.* Hæc autem benedictio nihil aliud est quàm collecta currentis officii, postquam laudes immediatè subsequuntur. Idem confirmat his omnibus antiquior Augustinus lib. de dono perseverantiæ cap. 23. *An quis Sacerdotem super fideles Dominum invocantem, si quando dixit, da illis domine in te perse-*

*verare*

*verare usque in finem, non solum voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere, ac non potius super ejus talem benedictionem & corde credente & ore confitente respondit Amen?* Ex hoc autem Augustini testimonio, & ex epistola ad Vitalem supra citata, itemque ex actis S. Susannæ evidens fit collectarum usum, quocunque nomine vocarentur, viguisse in Ecclesia ante sanctos Pontifices Gelasium, & Gregorium Magnum, quibus plerique primam illarum institutionem attribuunt.

IV. S. Pontifex Cælestinus in Epistola ad Galliarum Episcopos de Gratia Dei pro Prospero, & Hilario cap. 11. ea quæ solemus in collectis à Deo petere commemorans, eas orationes ab Apostolis traditas asserit his verbis: „ Obsecrationum Sacerdotalium Sacramenta „ respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto „ mundo atque in omni catholica Ecclesia uni„ formiter celebrantur, ut legem credendi lex „ statuat supplicandi. Cum enim sanctarum „ plebium Præsules mandata sibimet legatio„ ne funguntur, apud divinam clementiam „ humani generis agunt causam, & tota se„ cum Ecclesia congemiscente postulant & „ precantur, ut infidelibus donetur fides, ut „ idololatræ ab impietatis suæ liberentur er„ roribus, ut Judæis ablato cordis velamine „ lux veritatis appareat, ut hæretici catholici „ fidei perceptione resipiscant, ut Schismati„ ci spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut „ lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, ut „ denique catechumenis ad regenerationis Sa„ cramenta perductis cœlestis misericordiæ „ aula referetur. Hæc Cælestinus, cujus verba libro Gennadii de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 29. & 30. ejus interpolator inseruit. Genebrardus quoque *lib. de Apostolica Liturgia cap.* 20. Collectarum institutionem Apostolis adscribit, sed nullo prolato teste. Mihi verò hæc distinctio adhibenda videtur: nam si præcisè de Collectis loquamur, quibus nunc utimur, verissimum esse reor earum primos auctores fuisse Gelasium & Gregorium: id enim omnes rerum Ecclesiasticarum scriptores asserunt, & antiqua monumenta evincunt. Quod si nomine Collectarum breves orationes collectis Gregorianis similes intelligimus, quibus summa petendorum à Deo paucis verbis continetur, nulli dubium esse potest, eas Gelasio antiquiores esse, atque ab Apostolis eorumque immediatis successoribus in sacris conventibus usurpatas, ut ex actis S. Susannæ, aliisque testimoniis supra citatis probatum est: quibus adjungi possunt ex Concilio Milevitano canon. 12. & ex III. Carthaginensi 23. præcipientes, ne quis orationes in Missa recitare præsumeret, nisi prius in Synodo approbatæ fuissent. Cum enim crescret pro arbitrio cujusque Episcopi earum numerus & diversitas, nimia licentia coercenda fuit, ne quid in Ecclesia audiretur aut à fide absonum aut Ecclesiasticæ gravitati incongruum. Quod verò Gelasius orationes composuerit, testatur Anastasius in ejus vita: *Fecit*, inquit, *Sacramentorum præfationes & orationes cauto sermone.* Neque Gregorius omnes, quæ extant in ejus libro Sacramentorum, de novo composuit; sed ut ait Joannes Diaconus in ejusdem vita *lib.* 2. *cap.* 17. Gelasianum Codicem de Missarum solemniis, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla adjiciens, in unius libri volumine coarctavit. Et Valfridus cap. 22. „ Curavit, *inquit*, B. Gre„ gorius rationabilia quoque coadunare, & se„ clusis iis quæ vel nimia, vel inconcinna vi„ debantur, composuit librum qui dicitur „ Sacramentorum. Observo autem, quod non obstante Gregoriana correctione, Missales S. Gelasii diu permanserunt, nam ut supra notavi Lib. I. Cap. XXV. §. X. inter libros sacros qui anno 831. in Monasterio Centulensi erant, tres Missales Gregoriani numerantur, & XIX. Gelasiani, ubi videmus, multò plures Gelasianos fuisse quam Gregorianos, quia nimirum illis potiùs quam istis ibidem utebantur. Nec dubito, quin hodie alicubi lateat aliquod Gelasii Sacramentarium, ut vocant: imò cum evolverem codicem illum antiquissimum Ordinis Romani Petavianum, qui nunc est in Bibliotheca Reginæ Sueciæ, suspicatus sum ordinem S. Gelasii in eo contineri, adeò multa habet diversa à Gregoriano, nisi fortè ex utroque mixtum sit. Sunt in hoc plures collectæ diversæ à Gregorianis, ut in Ascensione Domini: „ Deus „ qui ad declaranda tuæ miracula majesta„ tis post resurrectionem à mortuis hodie „ in cœlos Apostolis adstantibus ascendisti, „ concede nobis tuæ pietatis auxilium, ut „ secundum tuam promissionem & tu no„ biscum semper in terris, & nos tecum in „ cœlo vivere mereamur. A Gregorianis item, paucis exceptis, diversæ sunt Ambrosianæ

à S. Ambrosio & ab aliis ejus Ecclesiæ Pontificibus compositæ. In Missali autem Mozarabum non solùm diversæ omnino sunt orationes, sed diversa quoque ipsarum formula est: nam & longiores sunt & ritu dissimili recitantur. Ut in Dominica prima Adventus immediatè post Introitum dicit Sacerdos alta voce, *Per omnia sæcula sæculorum.* Respondet clerus, *Amen.* Tum Sacerdos hanc recitat orationem. *Deus qui per Angelicos choros adventum Filii tui Domini nostri Jesu Christi annunciare voluisti: qui per Angelorum præconia gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis adclamantibus demonstrasti, concede ut hujus Dominicæ resurrectionis festivitate pax terris reddita convalescat, & fraternæ dilectionis charitate innovata permaneat.* Respondet Clerus, *Amen.* Mox ait Sacerdos. *Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus & vivis & omnia regis in sæcula sæculorum.* Et responso *Amen*, Sacerdos salutat populum dicens, *Dominus sit semper vobiscum.* In Liturgiis Græcorum quamvis multæ sint precationes, nulla tamen extat, in qua Latinæ Collectæ modus observetur. Multas etiam Collectas composuerunt Alcuinus & Grimoldus Abbas, quas Pamelius collegit *tom. 2. Liturgicorum*: itemque Musæus Presbyter Massilienſis, & Voconius Episcopus Castellanensis in Mauritania, ut refert Gennadius *lib. de viris illustribus*; sed quales hæ fuerint nescimus, quia eorum opera interierunt. Sunt & aliæ à recentioribus editæ, quæ facilè dignoscuntur, si cum antiquis & Gregorianis conferantur. Elucet enim in antiquis veteris Ecclesiæ spiritus: elucet in rebus ipsis apostolica quædam gravitas; in sensu & in collocatione verborum grata quædam & perspicua concinnitas, adeò ut brevi compendio multa contineantur. Et primò quidem Dei benevolentia captari solet vel ab aliquo ejus attributo, vel à commemoratione alicujus beneficii nobis collati, vel proposita nostra infirmitate & indigentia. Sequitur expositio rei, quæ petitur, addito nonnunquam motivo, quo Deus flectatur ad ea nobis concedenda quæ postulamus. Addit eis venustatem ipsum genus compositionis non solutum & vagum; sed certo ambitu definitum, variisque schematibus exornatum. Docet Petrus Cirvelus Darocensis in procœmio expositionis libri Missalis editæ Compluti anno 1528. in prima Collecta explicari moraliter Introitum Missæ, in secreta offertorium, in oratione finali communionem: quæ observatio quamvis in nonnullis locum habere possit; omnibus tamen aptari nequit, nisi sensus literalis violento quodam ingenii conatu ad eam moralitatem subtiliter quidem, sed sine ullo fundamento, ut in similibus sæpè contingit, pertrahatur.

V. Concluditur demum oratio obsecratione & obtestatione per Christum, qui est mediator & redemptor noster. Ad Patrem enim dirigitur oratio, ut Concilium Carthaginense III. decrevit, & per Filium terminatur, sicut ipse olim præcepit dicens, *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Atque ideò Tertullianus dixit *cap. 21. Apolog.* Christianos Deum per Christum colere. *Dicimus & palam dicimus, & vobis torquentibus lacerati & cruenti vociferamur, Deus colimus per Christum. Per eum & in eo se cognosci vult Deus & coli.* Meminit ejusdem ritus Optatus Milevitanus lib. 3. *Paganum vocas eum, qui Deum Patrem per Filium ejus ante aram rogaverit.* Et Haymo Halberstatens. in cap. 7. epist. ad Hebræos, *Unde*, inquit, *& Sacerdotes Ecclesiæ altari assistentes dicunt, Suscipe Domine sancte Per preces populi tui, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.* Nemo autem copiosius & elegantius totam hanc clausulam Orationum exposuit, quam Fulgentius Ruspensis Episcopus in Epist. ad Ferrandum Diaconum de quinque quæstionibus, quarum quarta est ista, *Unum*, inquit, *Regnum Patris & Filii & Spiritus Sancti credimus & fatemur, simul eos dominari creaturis omnibus sentientes: quare ergò in orationibus Sacerdotum*, Per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti, *per universas penè Africæ regiones catholica dicere consuevit Ecclesia, tanquam solus Filius cum Patre possideat regnum, in unitate scilicet Spiritus sancti, ut regnantes adunare, non simul regnare Spiritus sanctus timetur?* Respondet Fulgentius admodum prolixè, asserens nos per Jesum concludere orationem, quod ille mediator sit. Tum ex doctrina B. Augustini ait, ideò nos unitatem Spiritus sancti cum Patre & Filio prædicare, ut ex ipso unitatis nomine una essentia, & ex hoc unum regnum, & in eodem

eodem uno regno una Trinitatis potestas, unaque majestas a Fidelibus agnoscatur: ne putetur aut Filius, aut Spiritus sanctus secundum divinam naturam ita cum Patre regnare, quemadmodum cum potiori regnat inferior; sed illa unitas Spiritus sancti, quæ est communio Patris & Filii, dum in illo regno unitatem Divinitatis monstrat, unam esse regnandi æternitatem, unam potestatem, atque majestatem, unamque dominationem summæ Trinitatis edoceat. *Nullum* autem *præjudicium Filio vel sancto Spiritui comparatur*, ut idem Fulgentius scribit lib. 2. ad Monimum cap. 5. *dum ad Patris personam precatio ab offerente dirigitur, cujus consummatio, dum Filii & Spiritus sancti complectitur nomen, ostendit nullum esse in Trinitate discrimen: quia dum ad solius Patris personam honoris sermo dirigitur, bene credentis fide tota Trinitas honoratur, & cum ad Patrem litantis destinatur intentio, sacrificii munus omni Trinitati uno eodemque offertur litantis officio.* Ad solum igitur Patrem omnes ferè Collectæ directæ sunt, paucæ ad Filium, nulla ad Spiritum sanctum: non quia is donum est, & à dono donum non petitur, ut nonnulli cum Durando in suo Rationali philosophantur; sed quia Missa repræsentatio est ejus oblationis, qua Christus se Patri obtulit, ac propterea ad ipsum Patrem Liturgicæ precationes diriguntur. Porrò ex dictis antiquitas hujus clausulæ *Per Christum* dignoscitur: quæ potest etiam ex Tertulliano confirmari, qui *lib. de spectaculis cap.* 25. æonas æonum id est sæcula sæculorum alii omnino dicere vetat nisi Deo & Christo. Et ex Irenæo *lib.* 1. *cap.* 1. ubi redarguens Valentini Hæresiarchæ portentosum commentum de triginta Æonibus, variisque Æonum generationibus, refert discipulos Valentini conatos fuisse illius erroribus participes facere Catholicos, quod in orationibus dicerent æonas æonum id est sæcula sæculorum.

VI. Post Collectam totus cœtus accinit *Amen*: de qua voce, ejusque usu post precationem loquitur Apostolus 1 *ad Cor. cap.* 14. & post eum antiqui Patres. Justinus Martyr Apol. 2. *Absolutis precibus & gratiarum actione quilibet de populo qui adest faustis* vocibus *acclamat* Amen. Hieronymus *Præf. librorum* 2. *in epist. ad Galatas* in Ecclesiis Urbis audiri testatur quasi cœleste tonitru populum clamantem & reboantem *Amen*. Augustinus lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 7. *cum Episcopus solus intus est, populus orat cum illo, & quasi subscribens ad ejus verba respondet* Amen. Idem in fragmento sermonis ad populum contra Pelagianos, *Amen vestrum subscriptio vestra est, consensio vestra est, adstipulatio vestra est.* Dionysius Alexandrinus in epist. ad summum Pontificem Sixtum apud Eusebium lib. 7. hist: cap. 9. *Qui gratiarum actionem frequenter audierit, & cum cæteris responderit,* Amen. Theodoretus in epist. 2. ad Cor. cap. 1 *Non solus Sacerdos orans offert hymnum, sed etiam qui* Amen *adjungit, est oblatæ glorificationis particeps.* Cyrillus Catech. mystago. 5. obsignari ait per *Amen* orationem, sicut eâdem voce obsignatas olim epistolas, quas *formatas* vocabant, docet Ferrarius *lib.* 1. *de antiquo genere Epistolarum Ecclesiasticarum cap.* 5. Alia quædam de hac voce notavi in tractatu de Divina Psalmodia *cap.* 6. ¶. 17. *n.* 5. Quod verò attinet ad numerum Collectarum, sunt quidem recentiores qui asserunt, Ecclesiam Romanam à temporibus Apostolicis tres orationes recitare consuevisse: nullum tamen hujus assertionis testimonium afferunt: imò illi refragantur. Ordo Romanus & antiqui Sacramentorum libri, in quibus pro singulis Missis una tantùm Collecta assignatur. Neque obstat Concilium Laodicenum, à quo sancitum fuit can. 19. tres in Missa orationes fieri, unam pro catechumenis, alteram pro pœnitentibus, tertiam pro fidelibus: cui sanctioni favet Chrysostomus *hom.* 72. *in Matth.* Nam ritus græcus in usu Collectarum, ut supra indicavimus, discrepat a Latino; & in locis citatis tam Concilium quàm Chrysostomus non loquuntur de collecta, quæ à nobis, post Introitum dicitur; sed de orationibus, quæ post Evangelium & homiliam fieri solebant super catechumenos & pœnitentes, antequam veteri ritu dimitterentur, & super Fideles qui in Ecclesia remanebant. Puto autem orationes apud latinos multiplicari cœpisse in Monasteriis, quod ex Synodo Matisconensi habita, ut notat Sirmondus an. 627. deduco. In ea siquidem Agrestinus Monachus Luxovienfis vir pravi & arrogantis ingenii regulam S. Columbani tanquam superstitiosam impugnavit, inter cætera objiciens, Columbanum à cæterorum Ecclesiasticorum more desciscere, & sacra Missarum solemnia multiplicatione orationum vel Collectarum celebrare.

brare. Cui obstitit Eustasius ejusdem Monasterii Abbas dicens, multiplicationem orationum omnibus proficere Ecclesiis, quia dum plus Dominus quæritur, plus invenitur; & cum uberiùs oratione pulsatur, eò citiùs exaudire probatur. Narrat diffusè hanc disputationem Jonas Aurelianensis in vita prædicti Eustasii sive Eustachii, ut alii eum vocant. Huc etiam spectat quod Matth. Paris refert in vita Abbatum S. Albani, Joannem scilicet ejus Monasterii Abbatem constituisse, ne numerus Collectarum in Missa septenarium excederet. Non solùm autem in Missæ, officiorumque divinorum solemniis Collectæ olim recitari solebant; sed in quocumque Clericorum seu Monachorum conventu, quoties simul orabant, qui præsidebat brevi Collecta conventum dimittere solebat. Testis est hujus consuetudinis Walfridus Strabo capite 22. dicens, consuevisse veteres Patres, qui cæteris eminentiores erant, non solùm inter officia Missæ; verùm etiam in aliis conventibus, & colloquutionibus brevi oratione opus concludere. *Quod*, inquit, *& in sanctorum Patrum exemplis agnoscimus, dum alii alios honorificentiæ causa orationes colligere postulabant. Sicut etiam nunc solent sacerdotes in conclusionibus nocturnæ vel diurnæ Synaxeos orationes breves id est Collectas Subjungere. Sunt enim tales, ut non alibi quàm circa sacrificii celebrationem sint dicendæ. Sunt verò aliæ quibus & in officio Missæ & non minus in aliis locis possumus uti.* Confirmatur ex regula Magistri cap. 15. ubi loquens de oratione pro fratre fluctuante ab universa congregatione facta, postquam omnes diutissime orassent, surrexisse omnes ait, & ab Abbate completam fuisse orationem. Cæterùm hoc loco præterire non debeo, ab hoc Magistro, quicumque ille fuerit, Collectam inusitato, sibique peculiari, ac planè barbaro vocabulo vocari *Rogus Dei*. Sic ille passim in Regula, cap. 33. *Extra lectiones, versum, & rogus Dei.* cap. 35. *Psalmi matutini dici debent omni tempore sex, responsorium unum versum, lectionem Apostoli & Evangelii, quam semper dicit Abbas, & rogus Dei.* Et infra. *Post ipsam rogus Dei* c. 37. *Psalmi Completorii tres dici debent, Responsiorium, lectionem Apostoli, lectionem Evangeliorum, post quam semper præsens Abbas dicat rogus Dei, & versum clusorem.* Glossator hujus regulæ putat *rogus Dei* esse *Kyrie eleison*, sed proculdubio collecta est, ut ex ipsa officii serie, & ex communi usu Monachorum manifestum fit. Credo autem sic dictam, quia per illam rogatur Deus. Hæc obiter. Usum verò collectarum extra divina officia astruit etiam Gregorius Magnus *lib. 3. dialog. cap. 17.* Agens enim de Mortuo, quem Monachus quidam fusis ad Deum precibus suscitavit, *cum diutius*, inquit, *orassent*, Monachus scilicet & Quadragesimus Subdiaconus, *complere orationem Quadragesimum Subdiaconum servus Dei petiit: qua completa ab altaris crepidine pulverem colligit, atque cum eodem Quadragesimo ad defuncti corpus accessit, se sequè ibidem in orationem dedit. Cumque diutius orasset, jam non sicut prius fecerat, orationem compleri per Subdiaconum voluit, sed ipse benedictionem dedit*, collectam nimirum recitavit, quam diximus supra benedictionis nomine intelligi, *stetimque surrexit.* Erant autem ut plurimùm hujusmodi orationes, quæ ad complendum dicebantur, ferè similes collectis nostris Liturgicis, ut ex antiquis Monachorum usibus constat. In officiis Græcorum concluduntur orationes Dei glorificatione diversis formulis idem significantibus. *Quia convenit tibi omnis gloria, honor, & oratio Patri & Filio & Sancto Spiritui, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen. Quia tua est potentia, tuum est regnum, virtus & gloria Patris & Filii, & Spiritus sancti, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen. Quia tu es rex pacis & salvator animarum, & tibi gloriam referimus Patri & Filio & Spiritui sancto, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.* Ita quoque completam orationem à B. Maximo Reiensi Episcopo narrat in ejus vita Dynamius Patricius, *His verbis*, inquit, *complevit officium: sit gloria Dei benedicta in æternum & in sæcula sæculorum: reliquis respondentibus Amen.*

VII. Collecta expansis manibus, brachiisque protensis recitatur, eo scilicet habitu qui fidelibus orantibus in utroque testamento solemnis fuit. Ideò psallebat David: *Cum extollo manus meas ad templum sanctum tuum: In nomine tuo levabo manus meas: Expandi manus meas ad te.* Nam sicut Adam extensa manu ad vetitæ arboris fructum Dei præceptum transgressus est; ita credimus ipsum pœnitentem noxias manus ad Deum exten-

extendisse, cum ab ipso veniam prævaricationis in oratione petebat; eumque ritum filios & nepotes suos edocuisse. Hac ipsa de causa Christum in cruce manus suas extendisse adversùs primi parentis manus incontinenter extensas Nazianzeni sententia est. *Idcircò*, ait ille orat. 1. *lignum adversùs lignum, & manus adversus manum: illæ fortiter extensæ adversùs incontinenter extensam; illæ clavis confixæ atque constrictæ adversùs remissam & solutam; illæ orbis fines conjungentes adversùs eam quæ Adamum è paradiso exturbavit.* Utroque autem mysterio Christianos hac forma orasse existimo, ut & Adami transgressionem, & Christi è patibulo pendentis ac pro nobis satisfacientis imaginem exprimerent. Apparent passim in cryptis & cœmeteriis Romanæ Urbis virorum & mulierum extensis brachiis, & elevatis manibus orantium antiquissimæ picturæ, quas Bosius spectandas exhibet in Roma Subterranea. Nec aliud Apostolus significat, cum Timotheo scribens ait, *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus.* Consonant antiqui Patres. *Crucis signum est*, ait Minutius Felix, *cum homo porrectis manibus Deum pura mente veneratur.* Et Tertullianus in Apologetico cap. 30. *Manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus, precantes semper sumus.* Idem lib. de orat. cap. 11. *Nos*, inquit, *non attollemus tantùm manus, sed etiam expandimus è Dominica passione modulatum & orantes confitemur Christo.* Eundem usum S. Pachomio familiarem fuisse scriptor vitæ ejus tradit his verbis: *consueverat stans in oratione manus expandere, quas per aliquot horarum spatia minime colligebat.* Et in hymno de sanctis Fructuoso Episcopo & sociis eleganter Prudentius ait excidisse illis vincula in flammis, ut manus & brachia ad Deum levarent.

*Non ausa est cohibere pœna palmas*
*In morem crucis ad Patrem levandas,*
*Solvis brachia, quæ Deum precentur.*

Hunc ipsum habitum petentium à Deo auxilium, ipsi etiam infideles natura duce agnoverunt, Apuleio teste, qui lib. de mundo ait: *Habitus orantium hic est, ut manibus extensis ad cœlum precemur:* qua de re plura congerit eruditissimus Brissonius lib. 2. de formulis.

VIII. Non est autem prætermittendus, antequam finem imponam huic Capiti, ritus quidam Romanæ Ecclesiæ, qui olim post dictam à celebrante Collectam in Missa solemni servabatur; & à Cencio Camerario tunc præfecto Ceremoniarum, postea summo Pontifice Honorio III. in suo Ceremoniali M. S. cap. 2. accuratè describitur. Diaconi Cardinales, Subdiaconi, & alii ordines cum scriniariis faciebant laudes Domino Papæ immediatè post collectam hoc ordine. Archidiaconus cum aliis Diaconibus & Subdiaconibus stabant juxta altare, & incipiebant alta voce, *Exaudi Christe.* Scriniarii verò stantes in choro cum Pluvialibus respondebant, *Domino nostro Papæ vita.* Idque tertio repetebatur. Deinde Archidiaconus dicebat tribus vicibus *Salvator mundi*, ad singulas respondentibus scriniariis *Tu illum adjuva.* Tum sequebantur Litaniæ, videlicet *Sancta Maria, Tu illum adjuva. S. Michael, Tu illum adjuva*; & quæ sequuntur. Quibus finitis dicebat Archidiaconus, *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison:* idem semper respondentibus scriniariis. Et post hæc Subdiaconus legebat Epistolam. Hodie laudes hoc loco fieri solent Domino Papæ eodem ferè ritu in die dumtaxat suæ coronationis. Similes laudes sive acclamationes intra Missarum solemnia fieri quoque solebant Imperatoribus, & illis absentibus ipsorum imaginibus; sicut legimus initio libri XI. Epistolarum Gregorii Magni. *Venit icona Phocæ & Leontiæ Augustorum Romam, & acclamatum est eis in Laterano in Basilica Julii ab omni Clero vel Senatu. Exaudi Christe. Phocæ Augusto & Leontiæ Augustæ vita.* Excommunicatis autem ob varias hæreses Græcis Imperatoribus, non sunt factæ eis laudes, quas postea factas Carolo Magno à Leone Papa coronato more antiquorum Principum refert Chronicon editum ab Henrico Canisio tom. 3. antiquarum lectionum, & auctiùs tom. 2. scriptorum historiæ Francorum Andreæ du Chesne. Apud Goldastum to. 2. parte 3. antiquitatum Alamannicarum extant hujusmodi Laudes & Litaniæ, quæ ante epistolam fieri solebant in plerisque Germaniæ Ecclesiis tempore Nicolai I. Finita oratione post *Gloria in excelsis Deo*, dicit sacerdos tribus vicibus semper respondente clero, *Christus vincit, Christus regnat. Christus imperat.* Tum ait *Sacerdos, Exaudi Christe.* Respondet clerus, *Nicolao summo Pontifici, & universali Papæ vita.* Sequitur Litania, *salvator mundi, Tu illum adjuva. S. Petre, S. Paule, S. Andrea, S. Clemens, S. Xixte, S. Cyriace.* Et singulis respondetur, *Tu illum adjuva.* Sequitur, *Exaud*

*Christe. Ludovico à Deo coronato, magno & pacifico Regi vita & victoria. Redemptor mundi, Tu illum adjuva S. Michael, S. Gabriel, S. Raphael, S. Joannes, S. Stephane, S. Theodule,* cum responsione ad singulos, *Tu illum adjuva.* Addit Sacerdos: *Exaudi Christe. Hemmæ Reginæ nostræ vita. S. Felicitas, Tu illam adjuva:* eodemque modo invocantur *S. Perpetua, S. Petronilla, S. Lucia, S. Agnes, S. Cæcilia.* Iterum ait Sacerdos. *Exaudi Christe. Nobilissimæ proli regali vita. S. Sylvester, Tu illam adjuva. S. Laurenti, S. Nazari, S. Pancrati, S. Anastasia, S. Genovefa, S. Columba.* addita singulis responsione, *Tu illam adjuva.* Rursum dicit sacerdos. *Exaudi Christe. Omnibus Judicibus vel cuncto exercitui Francorum & Alamannorum vita & victoria, S. Hilari, Tu illos adjuva, S. Martine, S. Mauriti, S. Dionysi, S. Albane, S. Crispine, S. Crispiniane, S. Gereon: Tu illos adjuva.* Post hæc repetit sacerdos, *Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.* & hæc quæ sequuntur Christi attributa commemorat, atque ad singula respondet Clerus, *Christus vincit,* &c. *Rex regum. Christus vincit,* &c. *Rex noster. Spes nostra. Gloria nostra. Misericordia nostra. Auxilium nostrum. Fortitudo nostra. Liberatio & Redemptio nostra. Victoria nostra. Arma nostra invictissima. Murus noster inexpugnabilis. Defensio & exaltatio nostra. Lux, via, & vita nostra.* Christus vincit, &c. Denique Sacerdos ait: *Ipsi soli gloria, & potestas per immortalia sæcula sæculorum.* Respondet Clerus, *Amen. Ipsi soli honor, laus, & jubilatio per infinita sæcula sæculorum, Amen. Ipsi soli virtus, fortitudo, & victoria per omnia sæcula sæculorum, Amen. Christe audi nos,* ter. *Kyrie eleison,* ter. *Feliciter,* ter. *Tempora bona habeas,* ter. *Multos annos,* ter. Hæc Goldastus ex Codice M. S. Monasterii S. Galli. Romanis verò Pontificibus quando fieri desierint hujusmodi laudes in singulis Missis, ignotum mihi est. Scribit Joannes Lucius *lib. 2. de regno Dalmatiæ cap. 6.* adhuc in ea provincia laudum sive acclamationum intra Missarum solemnia consuetudinem permanere.

## CAPUT VI.

*Epistolæ nomen cur lectionibus Liturgicis tributum sit. Earum usus antiquissimus. Lectæ aliquando Pontificum Epistolæ. Ordo Lectionum à quo primùm institutus. Quo olim ritu & à quibus legerentur. De Graduali seu Responsorio, ejusque origine & variis ritibus. Vox Alleluja quando primùm audita. Usus ejus in Missa. Cur omittatur in Septuagesima. Tractus quid sit. De Sequentiis & illorum auctoribus.*

I. ANtiqui Codices Sacramentorum, tam editi quam M. S. *Post collectam,* inquiunt, *sequitur Apostolus,* id est lectio ex Apostolo. Tametsi enim ipsa lectio ex aliis quoque libris Veteris & Novi Testamenti desumatur, ut plurimum tamen ex epistolis Pauli accipitur, ac propterea solius Apostoli in prædictis codicibus mentio fit. Atque inde orta est epistolæ nomenclatura, quæ huic lectioni communiter tribui solet, licet non ex epistolis, sed ex Prophetis sive ex aliis Scripturæ sacræ libris desumpta sit. Walfridus Strabo cap. 22. non adeò certum esse ait, quis ante celebrationem sacrificii lectiones Apostolicas vel Evangelicas primum statuerit. „Creditur tamen, „ait, à primis successoribus Apostolorum eandem dispositionem factam, ea præcipuè causa, quia in evangeliis eadem sacrificia celebrari jubentur: & in Apostolo qualiter celebrari debeant, docetur. Quod si de lectione sacræ Scripturæ generaliter sermo sit, nulli dubium esse potest, eam legendi in Ecclesia consuetudinem ab Apostolis emanasse, ad quos hic ritus è Veteri Testamento profluxit. Nam *Exodi 24.* assumens Moyses volumen fœderis & immolatis victimis legit audiente populo coram altari: idemque *Deuteronomii 31.* verba ejusdem libri legi præcepit omni populo in unum congregato, ut discerent omnes timere Dominum, & verba ejus custodire. Sic Levitæ 2. *Esdræ 8.* in conspectu totius populi divinæ legis codicem legebant distinctè & aptè ad intelligendum. Sic ipse Christus Redemptor noster *Lucæ 4.* intravit secundùm consuetudinem die sabbati in synagogam, & surrexit legere

gere. Sic Paulus *Actor.* 13. Hebræos arguit voces Prophetarum ignorantes, quæ per omne sabbatum legebantur. Hunc verò morem servatum fuisse ab Apostolis, cum fideles ad synaxim conveniebant, ipsemet Paulus asseverat ad Corinthios scribens, epist. 1. cap. 14. *Cum convenitis unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet*: quem textum de Psalmis & lectionibus ante sacrificium quidam interpretantur. Idem expressius ad Colossen. 4. *Cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut in Laodicensium Ecclesia legatur; & eam quæ Laodicensium est, vos legatis.* Et in fine epist. 1. ad Thessalonicenses, *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.* Quamvis enim præcisè non jubeat fieri hanc lectionem in Missarum solemniis, verisimile tamen est, esse illi tempori reservatam, quo solebant fideles ad sacra mysteria percipienda convenire; cum præsertim temporibus illis extra hanc occasionem publicos conventus in ecclesia factos nusquam legamus. Clarè item hic ritus in Liturgia Jacobi Apostoli præscribitur, ut nimirum legantur singulis diebus in sacra & divina Missa oracula sacra Veteris Testamenti & Prophetarum, & incarnatio Filii Dei. Idem asserunt antiqui Patres, Tertullianus in Apolog. cap. 39. *Coimus ad literarum divinarum commemorationem.* Et lib. 2. ad uxorem cap. 6. *ubi*, inquit, *fomenta fidei de Scripturarum interjectione*, sive ut Pamelius legit, *interlectione?* Quæ verba cum aliis, quæ ibidem leguntur, ad Missam pertinere ex antecedentibus evincitur. Justinus Martyr Apolog. 2. Sacrum Christianorum describens ait, *& commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur.* Cyprianus ep. 33. & 34. Lectorum meminit, quorum munus erat legere in ecclesia. Dionysius initio c. 3. Ecclesiasticæ hierarchiæ ordinem Liturgiæ describens, *Consequenter*, ait, *sacrarum scripturarum lectio recitatur.* Eadem in Apostolicis constitutionibus, & in Basilii, Chrysostomi, aliorumque Liturgiis præcipitur, tanquam sacri ministerii notabilis pars, per quam ad divini Sacramenti participationem fidelium animi disponuntur. Augustinus *lib. 3. de civ. Dei, cap.* 8. Sinaxim diei Paschatis commemorans, *Salutavi*, inquit, *populum & facto tandem silentio scripturarum divinarum sunt lecta solemnia.* Idem initio serm. 33. de verbis Domini utriusque lectionis argumentum proponit: „ Lectiones sanctæ propositæ sunt, & quas audiamus, & de quibus aliquid sermonis adjuvante Domino proferamus. In lectione Apostolica gratiæ aguntur Deo de fide gentium: „ in Evangelio ad cœnam vocati sumus. Et serm. 10. de verbis Apostoli: *Primum lectionem audivimus Apostoli, fidelis sermo & omni acceptione dignus.* Ita etiam serm. 49. de temp. *Audivimus Apostolicam lectionem.* Et sic passim in aliis sermonibus. Leo Magnus serm. 4. Quadrag. prædicaturus jejunium ex verbis Apostoli se incipere ait, & dicere quod lectum est, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Chrysostomus hom. 3. in 2. ad Tessal. *Quando lector dicit*; Hæc dicit Dominus: *& stans Diaconus silentio indicto omnibus os obstruit, non lectori honorem habens hoc facit, sed ei qui per illum cum omnibus loquitur.* Idem hom. de David & Saule, qua elegantissimè declamat adversus spectacula, eos redarguit, qui iisdem oculis, quibus obscœna spectacula inspexerunt, sacram mensam intuentur, in qua tremenda mysteria peraguntur: & iisdem auribus Prophetam & Apostolum audiunt, quibus scortum audierunt. Ex his autem, omissis recentiorum testimoniis, evidenter deducitur, morem legendi in Ecclesia, & specialiter initio Missæ, Scripturam, non ab Alexandro I. Romano Pontifice, ut quidam perperam scribunt, sed ab Apostolis incœpisse.

II. Usus veterum Patrum fuit, non solùm scripta Prophetarum & Apostolorum legere in ecclesia, cum fideles ad Missarum solemnia conveniebant, sed summorum item Pontificum, aliorumque Episcoporum epistolas, eas præsertim quas Irenicas sive Pacificas, aut Communicatorias vocabant: quarum commercio unitas, pax & communio inter supremum Ecclesiæ caput Romanum Pontificem, & reliquos Episcopos, atque universa Ecclesiæ membra unâ fidei consensione conservabatur; ita ut Orthodoxi ab Hæreticis facilè ab omnibus ex illarum litterarum participatione discernerentur. Mittebantur enim ab una Ecclesia in aliam, ut scirent fideles, cum quibus Episcopis communicandum esset. Negat hac de causa Augustinus epist. 162. se litteras communicatorias scripsisse Donatistis, quas jam olim, ait, propter suam perversitatem, ab unitate Catholica, quæ toto orbe diffusa est, non accipiunt, sed privatas, qualibus nobis uti etiam ad Paganos licet. Et quia cum illis, qui longo regionum intervallo dissiti erant, com-

municatio per oſculum pacis fieri non poterat, neque per Euchariſtiam, aut per Eulogias; per hujuſmodi epiſtolas fieri ſolebat. Præclarè Chryſoſtomus hom. 30. in 2. ad Cor. *Vide quemadmodum omnes tam corporibus longè diſſitos, quàm vicinos inter ſe conciliet, hos nempe per oſculum, illos per literas.* Epiſtolam Clementis ad Corinthios publicè lectam in Eccleſia teſtatur Hieronymus lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Apud Euſebium *lib. 4. cap.* 15. extat ejus generis epiſtola Smyrnenſis Eccleſiæ ad omnes orthodoxos, qua S. Polycarpi Martyrium deſcribitur. Et infrà *cap.* 23. agens de epiſtolis à Dionyſio Corinthiorum Epiſcopo ſcriptis, ait: ex quibus una eſt ad Lacedæmonios, rectæ fidei inſtitutionem continens, pacemque & unitatem inſinuans. Aliam ſimilem refert *lib.* 5. *cap.* 1. Eccleſiæ Lugdunenſis & Viennenſis ad Eccleſias Aſiæ & Phrygiæ de Martyribus illius provinciæ. In collatione Carthagine habitâ pro defenſione Felicis & Cæciliani legimus, quod pro executione impii edicti Diocletiani traditæ ſunt etiam literæ ſalutatoriæ ſimul cum ſacris codicibus, qui legebantur in eccleſia. Auguſtinus epiſt. 165. hæc de Donatiſtis ſcribit: *Legunt in codicibus ſanctis Eccleſias, quibus Apoſtoli ſcripſerunt, & nullum in eis habent Epiſcopum. Quid autem perverſius & inſanius, quàm Lectoribus eaſdem epiſtolas legentibus dicere, Pax tecum, & ab earum Eccleſiarum ſe pace ſeparare, quibus ipſæ epiſtolæ ſcriptæ ſunt?* Seriem verò & ordinem lectionum, atque Epiſtolarum & Evangeliorum, quæ ſingulis diebus per annum in Miſſæ ſacrificio legi debent, communis Eruditorum ſententia eſt, paucis licet negantibus, S. Hieronymum diſpoſuiſſe in libro, quem Comitem inſcripſit, ediditque Pamelius tom. 11. Liturgicorum. Sed & Cornelius Schultingus initio ſuæ Bibliothecæ eccleſiaſticæ ſe eumdem Comitem M. S. habuiſſe aſſerit multo ampliorem quàm ſit editus à Pamelio, quem typis mandare non potuit deficientibus ad id ſumptibus neceſſariis. Citant hunc librum nomine Lectionarii omnes antiqui ſacrorum rituum ſcriptores, quidam ſine nomine auctoris, alii expreſſo nomine S. Hieronymi, & titulo Comitis. Ita Micrologus cap. 25. *Liber etiam Comitis ſive Lectionarius, quem S. Hieronymus compaginavit.* Et Berno Augienſis cap. 1. *Beatum Hieronymum credimus ordinatorem Lectionarii, ut ipſius teſtatur prologus appoſitus in capite ejuſdem Comitis.* Sed hic prologus non extat in præcitato Codice Pamelii. Hugo item à S. Victore lib. 2. de off. eccleſ. cap. 11. *Hieronymus Presbyter Lectionarium, ut hodie habet eccleſia, collegit: ſed Damaſus Papa, ut nunc moris eſt, legi inſtituit.* Verè autem hunc librum à Hieronymo conſcriptum eſſe, ex eo quidam confirmant, quod Patres eo antiquiores lectionum duntaxat utriuſque teſtamenti generaliter mentionem faciunt: poſteriores verò certas lectiones ſingulis diebus aſſignatas commemorant. Sed certas fuiſſe ante Hieronymum lectiones ex Hippolyti Martyris canone Paſchali evincitur, in quo ſtatæ lectiones in cellulis ſive laterculis deſignantur. Extat autem hic canon latinè tranſlatus, & notis illuſtratus ab Ægidio Bucherio in ejus commentario de doctrina temporum. Græcè verò legitur apud Grutерum in Inſcriptionibus pag. CXL. ex eo deſcriptus, qui ſculptus eſt in lateribus antiquiſſimæ ſedis lapideæ cum ſtatua ipſius Hippolyti in ea ſedentis, è ruderibus Urbis ante annos centum effoſſæ & in ingreſſu Vaticanæ Bibliothecæ collocatæ. Auguſtinus quoque, qui Hieronymo contemporaneus fuit, certas & proprias lectiones ſtatis diebus ſuo tempore in Africa lectas fuiſſe docet initio expoſitionis in epiſtolam Joannis, his verbis: *Meminit Sanctitas veſtra Evangelium ſecundum Joannem ex ordine lectionum nos ſolere tractare. Sed quia nunc interpoſita eſt ſolemnitas ſanctorum dierum, quibus certus ex Evangelio lectiones oportet in Eccleſia recitari, quæ ità ſunt annuæ, ut aliæ eſſe non poſſint: ordo ille, quem ſuſceperamus, neceſſitate paulum intermiſſus eſt, non omiſſus.* Et infra tract. 9. ejuſdem expoſitionis, *Intercеſſerunt*, inquit, *ut intermitteremus textum hujus epiſtolæ, quædam pro diebus feſtis ſolemnia lectionum, quæ non potuerunt niſi legi & ipſa tractari.* Hunc autem morem, qui tunc vigebat in Africanis Eccleſiis, credibile eſt in aliis quoque ſervatum: Hieronymum verò ſuum Lectionarium per ſingulos dies diſtributum ordinaſſe jubente Damaſo Papa, qui ordinem illum in Romana Eccleſia ſervari præcepit, ex qua ad alias dimanavit. A concilio Laodiceno can. 59. & à Carthaginenſi, quod Tertium dicitur, c. 47. ſancitum fuit, non oportere in eccleſia libros legere, qui ſunt extra canonem, ſed ſolos canonicos veteris & novi Teſtamenti. Toletanum IV. cap. 16. Apocalypſim legi mandavit Miſſarum tempore à Paſcha uſque ad Pentecoſten. Et Bracarenſe I. cap. 20. decrevit, ut per ſolemnium

nium dierum vigilias vel Missas omnes easdem & non diversis lectiones legant.

III. Solebant autem antiquitus tam epistola quàm Evangelium legi in ambone seu pulpito, ex quo etiam Episcopus conciones habebat: quem locum antiqui Patres honoris causa tribunal Ecclesiæ appellarunt. Cyprianus epist. 34. agens de Celerino, quem post confessionem lectorem ordinaverat: *Quid aliud*, inquit, *quàm super pulpitum, idest super tribunal Ecclesiæ oportebat imponi, ut loci altioris dignitate subnixus & plebi universæ pro honoris sui claritate conspicuus, legat præcepta & Evangelium Domini, quæ fortiter & fideliter sequitur?* Prudentius hymno de sancto Hippolyto.

*Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal*
*Tollitur Antistes, prædicat unde Deum.*

Gregorius Turonen. lib. 2. de gl. Martyrum cap. 2. *Denique oratione facta erigo oculorum aciem ad tribunal.* Sidon. carm. 16. Aram vocat:

*Seu te conspicuus gradibus venerabilis aræ*
*Concionaturum plebs sedula circumsistit.*

Cathedræ item nomen accepit, unde Ecclesia Cathedralis. Græcis propriè Ambones dicuntur loci excelsi & montani, sive montium cacumina, & quicquid in plano prominet & exurgit: atque inde translatum est nomen ad ecclesiæ suggestum significandum, in quo præter prædictas lectiones etiam Diptycha recitari, & sermones haberi consueverant. Walfridus Strabo falsò credidit nomen esse latinum, & ab ambiendo deduci. In eo quoque stabant cantores, graduale & reliqua cantaturi: unde concilium Laodicenum cap. 15. non oportere ait præter canonicos cantores, qui ambonem ascendunt & ex membrana psallunt, alios cantare in ecclesia. Et can. 33. Concilii Trullani quarundam ecclesiarum damnatur abusus, in quibus laici suggestum ascendentes lectoris & cantoris officio fungebantur. Erat autem discrimen inter epistolam & Evangelium, nam illa in inferiori, istud in superiori loco legebatur. Ita Ordo Romanus. *Subdiaconus qui lecturus est, mox ut viderit post Pontificem Presbyteros residentes, ascendit in ambonem ut legat, non tamen in superiorem gradum, quem solus solet ascendere, qui evangelium lecturus est.* In quibusdam ecclesiis duo sunt graduum ordines, unus à sinistris versùs orientem, quo ascendebant; alter à dextris Occidentem spectans, quo descendebant. In aliis subdiaconus viâ unâ, diaconus alterâ ibat. Adhuc Romæ extat veteris ambonis forma in ecclesiis S. Clementis, S. Pancratii, & S. Laurentii extra muros. Priscis temporibus Lectoris partes erant epistolam & evangelium legere, ut notum est ex epistolis Cypriani 33. & 34. supra relatis; & ex concilio I. Toletano can. 2. quo statuitur, ut pœnitens non admittatur ad clerum, nisi exigente necessitate inter Ostiarios deputetur, vel inter Lectores, ita tamen ut evangelium & epistolam non legat: quod frustra prohibitum esset, nisi ad Lectoris officium id tunc spectasset. Accedit quod in antiqua subdiaconi ordinatione, sive ex concilio Carthaginensi, sive ex Aquisgranensi, sive ex Ordine Romano, nihil prorsus reperitur, quod ad legendam epistolam referri possit: idque fusiùs ostendunt Hallier de materia & forma Ordinationis §. 16. & Morinus de sacris ordinationibus P. 3. *exerc.* 12. *cap.* 2. Lector autem olim per traditionem codicis ordinabatur, qui ritus adhuc hodie perseverat, & in ecclesia orientali traditur eis codex epistolarum S. Pauli, quas publicè legunt in ecclesia. Quo verò tempore cœperint subdiaconi legere epistolam dubium est. Suspicor autem sæculo octavo id contigisse; Amalarius enim, qui initio sæculi noni claruit lib. 2. cap. 11. *Miror*, inquit, *qua de re sumptus sit usus in ecclesia nostra, ut subdiaconus frequentissimè*, non ergò semper, *legat lectionem ad Missam, cum hoc non reperiatur ex ministerio sibi dato in consecratione commissum, neque ex literis canonicis, neque ex nomine suo.* Et in fine capitis subdit. *Sed postquam statutum est à Patribus nostris ut Diaconus legeret Evangelium, statuerunt ut & Subdiaconus legeret epistolam sive lectionem.* At quando id statutum fuerit non dicit Amalarius; & ego existimo ante cœpisse Diaconos legere Evangelium, quàm Epistolam Subdiaconos, ut ostendam cum de Evangelio sermo erit. Favet supradictæ conjecturæ concilium Remense I. anno 813. celebratum; in quo cap. 4. asseritur, quod *præsidentibus cunctis lectæ sunt Epistolæ Pauli, qualiter subdiaconi ministerium est eumdem Apostolum legere, ut officium sibi commissum implere rectiùs potuissent.* Apud Anastasium Benedictus III. qui vixit in Pontificatu anno 856. librum perditum restituisse dicitur, *in quo erant lectiones, quæ à subdiaconibus more solito leguntur per cunctas Ecclesiarum stationes: in quo græcas & latinas lectiones, quas die sabbato sancto Paschæ, simulque & Pentecostes subdiaconi legere soliti sunt, adjungi præ-*

*cepit ; miræque operationis tabulis argenteis decenter adornavit.* Ex quo vides, hunc morem à Romana Ecclesia ad cæteras dimanasse. Atque id Micrologus cap. 8. confirmat, dicens, *solis Subdiaconibus inter inferiores gradus Romana auctoritas concedit, ut sacris vestibus induti epistolam legant ad Missam. Quod tamen non ex eorum consecratione, sed potius ex ecclesiastica concessione meruerant obtinere.* Prisco ritu in multis Ecclesiis lectioni Epistolæ lectio aliqua ex Prophetis præmitti solebat, diebus præsertim solemnioribus, quibus in Comite S. Hieronymi assignata est: & extat etiam hodie in quibusdam Missalibus pro vigilia Nativitatis Domini, & pro tribus Missis ejusdem festivitatis ; quibus etiam diebus olim erat in Missali Romano, ut Radulfus testatur *Proposit.* 23. antequam scilicet fratres Minores Romanum ritum immutarent. Hic autem mos ab Ecclesia Mediolanensi quotidie servatur, itemque à Mozarabica, ut in eorum Missalibus patet. Eundem ritum viguisse in Gallia, priusquam Romanis usibus uterentur, Gregorius Turonensis testis est lib. 1. Mirac. S. Martini cap. 5. *Factum est*, inquit, *ut illa Dominica, prophetica lectione jam lecta, ante altarium staret, qui lectionem B. Pauli proferret.* De Ecclesia Orientali testimonium Pachymeris habemus, qui exponens cap. 3. Eccles. Hierarchiæ Dionysii, ait : *Deinde per lectores divinarum scripturarum, Prophetarum, Apostoli, & Divini Evangelii lectio fit.* Finita epistola respondent ministri nomine totius populi *Deo gratias*, quæ vox antiquissima est, nam ejus meminit S. Benedictus *cap. 66. suæ Regulæ* tanquam à Monachis passim usurpatæ : & August. *in Psal.* 132. Donatistas redarguit, qui Catholicorum *Deo gratias* irridebant.

IV. Dum perfectâ epistolâ præparat se Diaconus ad legendum Evangelium, Chorus Responsorium concinit, quod Graduale nuncupatur, non à gradibus altaris, ut quidam recentiores scribunt ; sed à gradibus ambonis sive pulpiti, ut docet Ordo Romanus dicens, *Finita lectione illis qui Gradualem & Alleluja cantaturi sunt, juxta pulpitum in inferiori gradu standum est.* Et vetus ejusdem ordinis expositio apud Cassandrum in Liturgicis cap. 21. *Responsorium*, inquit, *quod ad Missam dicitur, pro distinctione aliorum Graduale vocatur, quia hoc psallitur in gradibus, cætera verò ubicunque voluerit clerus.* Idem asserit Amalarius lib. 3. cap. 17. *Lector*, inquiens, *& cantor in gradum ascendunt more antiquorum.* Nomen autem Responsorii inde accepit, quia lectioni convenire & respondere debet : sive ut ait Rabanus *lib.* 1. *cap.* 33. quia uno desinente alter respondet. Asserit Isidorus *lib.* 1. *cap.* 8. *de eccl. off.* Responsoria ab Italis inventa esse, sed à quo præcisè & quo tempore instituta sint, incertum est. Sunt qui eorum auctorem Cælestinum faciunt, sunt qui Gregorium Magnum. Et Gregorius quidem ea in suo Antiphonario per ordinem digessit, quæ in singulis Missis per annum cantari solent : at usum psallendi vel aliquot Psalmi versiculos, vel integrum Psalmum, inter Epistolam & Evangelium, multò antiquiorem Gregorio fuisse, saltem in Africa, ex Augustino clarè ostenditur. Nam initio serm. 33. de verbis Domini recenset, quid in lectione Apostolica, quid in Psalmo, quid in Evangelio lectum sit. Et de verbis Apostoli serm. 8. *Apostolum*, inquit, *audivimus, Psalmum audivimus, Evangelium audivimus, consonant omnes divinæ lectiones.* Et infra serm. 10. *Primam lectionem audivimus Apostoli, deinde cantavimus Psalmum : post hæc Evangelica lectio decem leprosos mundatos nobis ostendit.* Plerique Missæ expositores tam veteres quàm recentiores, de Gradualis antiquitate agentes, gravi se difficultate involvunt propter decretum Concilii quarti Toletani, quod celebratum fuit sub Honorio Papa an. 633. In eo siquidem can. 12. non obstante, quod dudum Greg. M. Responsorium post Epistolam cantari statuisset, sancitum fuit, ut immediatè post Epistolam Evangelium legeretur, nulla facta Responsorii interpositione. Verba canonis hæc sunt. *In quibusdam Hispaniarum Ecclesiis Laudes post Apostolum decantantur, priusquam Evangelium prædicetur ; dum canones præcipiunt post Apostolum non laudes, sed Evangelium annunciari. Præsumptio est enim, ut antea ponantur ea, quæ sequi debent. Nam laudes ideò Evangelium sequuntur propter gloriam Christi, quæ per idem Evangelium prædicatur. Circa omnes igitur Sacerdotes hic ordo deinceps retineatur, excommunicationis pœnam suscepturos, qui hunc ordinem perturbaverint.* Putat Berno Augiensis cap. 1. tempore hujus Concilii Gradualia frequentari cœpisse, & Hispanos novitate rei perculsos restitisse;

tisse; postea verò Romanæ Ecclesiæ auctoritate constitutum fuisse, ut Responsoria & Alleluja ante sanctum Evangelium canerentur. Idque ait Valfridus Strabo c. 22. usu Romano commendatum ad omnes deinde Latinorum Ecclesias perveniisse. Sic omnes ferè ignorantiâ facti hunc nodum evadunt, sed non solvunt. Ad ritum enim Mozarabicum, quo tunc Hispania utebatur, & longo post tempore ibidem viguit, pertinet citatus canon: quem ritum cum quidam Sacerdotes perverterent, meritò in illos Toletani concilii Antistites, Isidoro Hispalensi in eo præsidente, animadverterunt. Sunt autem laudes, quæ post Evangelium prisco more Hispaniarum dicuntur, non hymnus trium puerorum, ut ait in notis ad præcitatum canonem Garzias Loaysa, sed versiculis cum Alleluja ei prorsus similis, qui ritu Romano post Responsorium cantatur. Ipsum verò Responsorium cantabant Hispani post lectionem veteris testamenti, quæ in eorum Missali epistolæ præmittitur. At post epistolam chorus respondet *Amen*, & sequitur immediatè Evangelium. Eodem ferè ritu utuntur Ambrosiani, nam post lectionem veteris Testamenti sequitur Psalmellus quem vocant, instar Gradualis Romani. At versum cum Alleluja concinunt post epistolam. In Liturgia Maronitarum post lectam Epistolam dicit Sacerdos hæc verba: *Gloria Domino Pauli & Prophetarum & Apostolorum. Misericordia Dei sit super lectores & super auditores, & super civitatem hanc, atque omnes habitatores ejus in sæcula Amen. Alleluja, Alleluja. Ferte oblationes, & introite in atria Domini, & adorate eum in templo sanctitatis ejus, & confitemini ei ac benedicite nomini ejus, à quo vita datur, Alleluja.*

V. Quod verò attinet ad hanc vocem *Alleluja*, quæ post Responsorium certo anni tempore simul cum versiculo, & tempore Paschali sine Responsorio geminato versu decantatur, plura congessi in tract. de divina Psalmodia *c.* 16. §. 7. Auctor libri de vita & morte Prophetarum inter opera S. Epiphanii Aggæum Prophetam primum fuisse ait, qui Alleluja cantavit, cum novam templi structuram vidit. Sed ex psalmis constat primum ejus auctorem fuisse David Regem, de qua re eleganter Cassiodorus in Ps. 104. *Hoc verbi decus, ait, à præsenti psalmo fecit initium, nec ante à quoquam reperitur positum, quamvis multi scriptores fuerint primitus Hebræorum. Hoc Ecclesiis votivum, hoc sanctis festivitatibus decenter accommodum: hinc ornatur lingua cantorum, istud aula Domini læta respondet, & tanquam insatiabile bonum tropis semper variantibus innovatur.* Extat etiam in libro Tobiæ *c.* 13. nec alibi legitur in tota serie veteris testamenti. At in nova lege Joannes Apostolus in sua admirabili Apocalypsi *c.* 19. refert se audisse in cælo supernarum virtutum choros psallentes *Alleluja:* ut inde cognoscamus nobilissimum hoc canticum è cœlis in Ecclesiam descendisse. Quidam secuti Sozomenum *lib. 7. cap.* 19. existimarunt, Ecclesiam Romanam in solo die Dominicæ Resurrectionis cecinisse Alleluja: de qua re Latinos reprehendit Michaël Constantinopolitanus, cui respondens Umbertus Cardinalis, ait nos toto anno psallere Alleluja, exceptis novem hebdomadibus, quibus id intermittere à Patribus nostris accepimus, à Septuagesima nimirum usq; ad Pascha. S. Augustinus epist. 119. cap. 17. diversas hac de re Ecclesiarum consuetudines fuisse testatur. *Ut Alleluja*, inquit, *per solos dies quinquaginta in Ecclesia cantetur, non usquequaque observatur. Nam & in aliis diebus varie cantatur alibi atque alibi, ipsis autem diebus ubique.* Idem in Psalmum 106. ait, *Alleluja cantare certo tempore solemniter morì est, secundum Ecclesiæ antiquam traditionem.* Gregorius Magnus lib. 7. epist 63. murmurasse quosdam scribit, quod Alleluja ad Missas dici fecisset extra tempora Pentecostes, quibus ita respondet, *Ut Alleluja hic diceretur, de Hierosolymorum Ecclesia ex B. Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ traditur tractum.* Quod ita intelligendum est, ut, cum olim tempore tantùm Paschali cantaretur, tunc sancitum sit, etiam extra illud frequentari. Cur verò novem prædictis hebdomadibus omittatur, variæ traduntur causæ à scriptoribus rerum Ecclesiasticarum, quas Theophilus Raynaudus coacervat libro de attributis Christi *sec.* 2. *cap.* 11. *nom.* 294. *& sequentibus.* Vivente sancto Benedicto mitio tantum Quadragesimæ dimitti solebat, ut constat ex capite 15. Regulæ: verùm omitti Dominica Septuagesimæ paucis post ipsum annis cœpit, ut in Antiphonario S. Gregorii statuitur, ubi pro Alleluja ponitur Tractus aliquot versibus, & interdum integro psalmo constans; cui à trahendo hoc nomen inditum est, quia tractim & graviter, notarumque seu vocum prolixo decursu cantatur. *Dum verò psallimus* Alleluja, *jubilamus magis quàm canimus*, ut observat Rupertus Abbas *lib.* 1. *de div. off. cap.* 35, *Unamque brevem digni sermonis*

*syllabam*

*syllabam in plures neumas protrahimus, ut jucundo auditu mens attonita repleatur, & rapiatur illuc, ubi sancti exultabunt in gloria, & lætabuntur in cubilibus suis.* Sunt autem neumæ sive neumata, vel neumatum distinctiones, ut vocant Musici, notæ illæ quæ in fine ejus vocis Alleluja prolixè decantantur, de quibus Seraphicus Bonaventura lib. de expos. Missæ cap. 2. *Solemus*, ait, *longam notam post Alleluja super hanc literam A prolixiùs decantare, quia gaudium sanctorum in cœlis interminabile & ineffabile est.* Et Stephanus Eduensis lib. de sacram. Altaris cap. 12. *Allelujatici cantus modulatio*, inquit, *laudes fidelium Deo dicatas exprimit, & gratiarum actiones quibus suspirant ad æterna gaudia. Verbum est breve: sed longo protrahitur pneumate.* Porrò his notis, quæ post Alleluja sine verbis cantantur, Jubili sive Jubilationis nomen tribuerunt Antiqui. Ab aliis Sequentiæ dictæ sunt, quia sunt quædam veluti sequela & appendix cantici Alleluja, quæ sine verbis post ipsum sequitur. Utriusque nominis meminit Amalarius lib. 3. cap. 16. dicens: *Hæc jubilatio, quam cantores sequentiam vocant, statum illum ad mentem nostram reducit, quando non erit necessaria locutio verborum: sed sola cogitatione mens menti monstrabit quod retinet in se.* Et Ordo Romanus, *sequitur*, ait, *jubilatio, quam sequentiam vocant.*

VI. Hinc factum est, ut Prosæ illæ seu Rythmicæ modulationes, quæ rariùs in Romana Ecclesia, in aliis quibusdam frequentiùs post Alleluja cantantur, sequentiæ dictæ sint, quia loco sequentiæ psalli cœperunt. Radulfus Tungrensis propos. 23. *Abbas Notgerus sequentias aliquas pro neumis de Alleluja composuisse dicitur.* Et paucis interjectis. *Jubili autem seu neumata gradualium & de Alleluja resecandi non sunt, nisi cum illorum loco sequentiæ decantarentur.* Hugo Victorinus de mysteriis Ecclesiæ cap. 7. *Quando sequentia dicitur, posterius Alleluja non habet pneuma; sed chorus loco ejus sequentiam concinit.* Guibertus Tornarensis lib. de offic. Episcopi cap. 23. *Additur sequentia, & non protrahitur secundum Alleluja; sed sequentia loco ejus canitur.* De Auctoribus sequentiarum diffusè tractat Cornelius Schultingus *to.* 1. *p.* 2. *cap.* 6. *&* 7. *Bibliothecæ Ecclesiasticæ*, & de singulis judicium suum profert, sed non semper exactum: multas enim perperam tribuit sanctis Pontificibus Gelasio & Gregorio aliisque Patribus, quas stylus evincità recentioribus scriptas esse. Communis autem sententia est, primum earum auctorem fuisse Notgerum Abbatem S. Galli, qui earum volumen Lituvardo Vercellarum Episcopo obtulit, ut Eccherardus Monachus in vita ejusdem Notgeri scribit c. 16. & sequentibus, apud Goldastum to. 2. rerum Alamannicarum. Plures etiam sæculo XII. composuisse fertur Adam de S. Victor. Crevit deinde earum numerus, & irrepserunt nonnullæ prorsus ineptæ: non enim servati sunt canones concilii Milevitani, & tertii Carthaginensis, ut nihil publicè in Ecclesia recitaretur, quod in synodo comprobatum non esset, sed multi multas introduxerunt, ut ait Radulfus, quia quisque gaudet suis novitatibus. Lugdunenses proprias habent in singulis ferè Missis: propriæ item extant in Missali Norvegiæ, & in aliis diversarum Ecclesiarum, quarum maximam partem explicat Jodocus Clictovæus lib. 4. sui Elucidatorii. At in Romana Ecclesia quatuor dumtaxat cantari solent, Paschalis nimirum, quæ incipit *Victimæ Paschali*, cujus auctorem esse Notgerum Herrera scriptor recentior asserit *lib.* 2. *de origine & progressu rituum Missæ cap.* 12. Altera est diei Pentecostes, *Veni Sancte spiritus*, quæ Roberto Galliarum Regi adscribi solet, licet à nonnullis tribuatur Hermanno contracto. Tertia est S. Thomæ Aquinatis pro festo corporis Christi, *Lauda Sion Salvatorem.* Quarta denique canitur in Missis defunctorum, *Dies iræ, dies illa*, quam diversis diversi tribuunt. Leander Albertus Litino Cardinali Ursino ordinis Prædicatorum adscribit: Lucas Wadingus Thomæ de Celano ordinis Minorum: alii apud eundem Wadingum S. Bonaventuræ vel Matthæo Aquaspartano ex Generali Minorum Cardinali. Possevinus in Appar. sacro tribui ait Augustino Bugellensi Pedemontano ord. S. Augustini, subdens ibidem verum auctorem esse Umbertum V. Generalem ordinis Prædicatorum. Arnoldus Uvion *lib.* 5. *ligni vitæ c.* 70. à quibusdam adjudicari asserit S. Gregorio Magno, nec desunt qui S. Bernardo assingant. Notat autem Petrus Cirvelus in expositione Missalis *lib.* 2. *cap.* 115. impropriè dici sequentiam in Missis Defunctorum, quia hoc officium, nec Alleluja, nec sequentiam debet habere, quæ sunt cantica lætitiæ: idque ex eo quod suprà ostendimus confirmari potest; nam Sequentia neumati post Alleluja addito suffecta est: atque inde deducitur, hanc nulli Antiquorum tribuendam esse, sed alicui recentiori,

tiori, cum ritus ecclesiastici immutari cœperunt. Porrò sequentiæ in vita Pauli Abbatis S. Albani Troparia nuncupantur. A Græcis aliter quam à Latinis epistola legi consuevit. Nam præmissis antiphonis & precibus, sequitur Trisagion, deinde Alleluja cum duobus versibus ex psalmis, qui Propositum dicuntur, post quos legitur epistola, & eâ completâ iterum chorus psallit Alleluja.

## CAPUT VII.

*Lectum Evangelium in Ecclesia à tempore Apostolorum. Non statim hoc munus tributum Diaconis. Varii ritus legentium & audientium. Libro Evangeliorum habitus honor in Ecclesia, in Synodis, publicè & privatim. Vetus quidam Monachorum mos. Sermones, homiliæ & monitiones ad populum post Evangelia. Quædam de solemni Pœnitentium absolutione.*

I. MOrem legendi Evangelium in Ecclesia antiquissimum esse, nemo dubitare potest, qui in evolvendis veterum Patrum monumentis versatus sit. Cœpit enim in solemni fidelium conventu legi, statim ac scriptum fuit. Et quidem de Lucæ Evangelio testimonium perhibet Apostolus 2. *ad Corinth. cap.* 8. dum fratrem commemorat comitem suæ peregrinationis, *cujus, laus*, inquit, *est in Evangelio per omnes Ecclesias*, quod non de Barnaba, ut Græci putant, sed de Luca intelligendum esse Hieronymus & alii testantur; favetque Ignatius Martyr. *qui epistola ad Ephesios* hoc Pauli elogio utitur dicens, ut testatur Lucas, cujus laus est in Evangelio. Clariùs autem Eusebius *lib.* 2. *Eccles. hist. cap.* 15. scriptum à Marco Evangelium ait Romanorum precibus: *Quod cum Petrus per revelationem sancti Spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in ecclesiis legeretur. Refertur id à Clemente in sexto Institutionum libro, cui testis etiam accedit Papias Episcopus Hierapolitanus.* Hæc Eusebius, cui, quod attinet ad publicam Evangelii recitationem, adstipulantur Justinus Martyr, & Cyprianus superiori Capitulo relati, & alii Patres, quorum testimoniis paginas implere in re clarissima superfluum foret. Neque obstat canon XVI. Concilii Laodiceni, quo sancitum fuit, ut Evangelium cum aliis scripturis sabbatho legeretur: nam fortassis in ea provincia die tantùm Dominico, & quartâ ac sextâ feriâ, quæ tunc solemniores erant, & Missæ sacrificio celebrantur, ut suo loco ostendimus, legi consueverat; eumque ritum Patres illius concilii ad diem quoque sabbati extenderunt: vel aliam specialem nobisque ignotam illius edicti causam fuisse credendum est. Simili modo in concilio I. Arausicano tempore Leonis I. *can.* 18. statutum est, ut Evangelia, quæ foris fidelibus antea legebantur, deinceps etiam Catechumenis legerentur. Idem decrevit concilium Valentinum in Hispania c. 1. *Ut sacrosancta Evangelia ante munerum illationem, in Missa Catechumenorum in ordine lectionum post Apostolum legantur, quatenus salutaria præcepta Domini nostri Jesu Christi, vel sermones sacerdotis non solùm fideles, sed etiam Catechumeni ac Pœnitentes, & omnes qui ex diverso sunt, audire licitum habeant.* Ut nimirum Evangelium, quod excluſis catechumenis & cæteris, qui mysteriis interesse non poterant, antea legi consueverat, mox illis præsentibus & audientibus legeretur. Neque etiam obstat, quod Gregorius Magnus asserit in epistola sæpius citata ad Joannem Syracusanum, morem Apostolorum fuisse, recitatâ dumtaxat oratione Dominicâ oblationis hostiam consecrare: ex quo infert Morinus *parte* 3. *exercit.* 9. *cap.* 1. *numero* 12. multorum annorum decursu Evangelium in Missæ celebratione lectum non esse. Id enim omninò de illis annis intelligi debet, cum Evangelium nondum erat scriptum: alioquin mendacii arguerentur Clemens & Papias Apostolorum sæculo proximi, qui, ut vidimus referente Eusebio, testati sunt Evangelium Marci à Principe Apostolorum approbatum, publicè in ecclesia lectum fuisse: quod de aliis quoque à Matthæo, Luca, & Joanne scriptis contigisse non dubito. Nam cum Scripturæ ex prisco Synagogæ usu in conventibus legerentur, fidelium pietas & amor erga Dominum & Salvatorem nos credere compellit, ejus gesta à viris tantæ auctoritatis Deo inspirante conscripta, publicè perlegi statim cœpisse: cui lectioni tamquam sacræ functioni, destinatus ab initio fuit ordo Lectorum, ad quos spectabat

tam Evangelium, quàm reliquas scripturas in Ecclesia recitare, ut suprà demonstravimus, donec successu temporis munus legendi epistolam Subdiaconis, Evangelium Diaconis tributum est. Certum verò est, multo ante Diaconum Evangelium legere cœpisse, quàm Subdiaconum, nullum reperio testimonium, nisi circa finem sæculi: at lectionem evangelii tribuunt Diacono antiquissimi scriptores. Lib. 2. Constitut. Apostolic. cap. 57. Hieronymus epist. ad Sabinianum. *Evangelium Christi quasi Diaconus lectitabas.* Concilium Vasense an. 529. celebratum, quod à nonnullis II. ab aliis III. dicitur „ can. 2. Si presbyter aliquâ infirmitate prohi„ bente per seipsum non potuerit prædicare, „ sanctorum Patrum homiliæ à Diaconibus re„ citentur. Si enim digni sunt Diaconi, qua Chri„ stus in Evangelio locutus est legere, quare in„ digni judicentur sanctorum Patrum expositio„ nes publice recitare? Isidorus l. 2. de div. offic. c. 8 inter Diaconi officia recenset evangelizare. Sozomenus *l. 7. hist. eccl. c.* 19. sacrum codicem Evangeliorum Alexandriæ à solo Archidiacono, apud alios à Diaconis, & in multis Ecclesiis à solis Sacerdotibus atque diebus solemnibus ab Episcopis legi testatur. Observant tamen viri eruditi, hanc solemnen Evangelii lectionem non fuisse olim tributam Diacono ex vi ordinationis, licet enim antiqui codices Sacramentorum mentionem faciant Evangelii à Diacono lecti, in eorum nihilominùs ordinatione nusquam apparet, traditum eis librum Evangeliorum, nec ea verba prolata, quæ hodie in usu sunt: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Domini.* Imò hæc forma, quamvis habeatur in ordine Romano, à multis tamen antiquis codicibus abest, & Durandus 4. *sent. dist.* 24. *qu.* 3. non extitisse ait in antiquo Rituali Ecclesiæ Anicien sis, cui præfuit, & additam in margine manu sua, ne ab aliis Ecclesiis discreparet. Neque dicendum est cum quibusdam scholasticis, illam Ecclesiam in hoc errasse, nam multæ cum illa in eodem ritu tunc consentiebant. Ratio igitur propter quam Diacono Evangelica lectio ab antiquis Patribus demandata est, ab ipsa potiùs Evangelii sanctitate & majestate petenda videtur, quæ cum maximam exigat reverentiam & venerationem, & semper cum ingenti pompa atque apparatu legi consueverit, Ecclesiasticæ gravitati congruum fuit, tantum munus non lectoribus committere, qui ut plurimùm in puerili ætate eligebantur; sed Diaconis, qui ad sacerdotalem dignitatem proximè accedunt.

II. Priscum morem legendi Evangelium sic describit Ordo Romanus. *Diaconus osculans pedes Pontificis, petitâque benedictione venit ante altare, & osculans Evangelium, levat in manus suas codicem, in quo lecturus est, & partem ejus in dextero humero ponens vadit ad ambonem: & procedunt ante ipsum duo subdiaconi cum duobus thuribulis, sive uno, levantes thymiamaterium de manu subdiaconi sequentis, mittentes incensum. Et duo Acolythi portantes duo cereostata, venientes ante ambonem dividuntur à se, & transeunt Subdiaconi & Diaconi cum Evangelio per medium eorum. Subdiaconi autem duo cum thuribulis ante Evangelium in ambonem ex una parte ascendentes, & ex altera parte statim descendentes, redeunt stare ante gradum descensionis ambonis. Ille autem absque thymiamaterio vertens se ad Diaconum, porrigit ei brachium suum sinistrum, in quo ponit Evangelium, ut manu Subdiaconi apertiatur ei locus, in quo signum lectionis positum fuerit. Inventoque loco lectionis ascendit in ambonem in superiorem gradum, & dicit* Dominus vobiscum. *Quo audito vertit se Pontifex, omnis Sacerdotalis gradus sicut & omnis populus fidelis ad Orientem. Et postquam dixerit* Sequentia sancti Evangelii, *facit crucis signum in fronte sua, idem Diaconus & in pectore, similiterque Episcopus & omnis populus & revertuntur ad Evangelium. Sed & baculi omnium deponuntur de manibus, & in ipsa hora neque corona, neque aliud operimentum super capita eorum habetur. Ipse verò Diaconus stat versus ad meridiem, ad quam partem viri solent confluere, alias autem ad septemtrionem. Sed & candelæ in pavimento, prædicante eo Evangelium, de manibus Acolythorum juxta ambonem deponuntur, usque ad finitum tempus Evangelii. Perlecto Evangelio, iterum se signo S. Crucis populus munire festinat, & descendente Diacono de ambone, Subdiaconus qui inferius stat, recipit Evangelium, quod tenens ante pectus suum super planetam porrigit osculandum, primùm Episcopo aut Presbytero, deinde omnibus per ordinem graduum, qui steterint, & universo clero, nec non & populo, deinde conditur in loco suo.* Hæc susiùs ex ordine Romano transcribere libuit, quo plura antiqui ritus monumenta uno aspectu conspicerentur. Occurrunt autem hîc multa notatu digna, nam primò Diaconus priusquam legat, petit à celebrante benedictionem, licentiam videlicet legendi, quia, ut dicit Rupertus

pertus Abbas *lib.* 1. *cap.* 12. Nemo nisi missus aut permissus officium prædicandi usurpare debet: quomodò enim prædicabunt, nisi mittantur? Porro hic ritus benedictionis, antequam publicè quidpiam legatur, antiquissimus est, in homiliis siquidem M. SS. hæc verba veteri more petendi benedictionem præfixa reperiuntur, *Benedic Pater*. Vulgata verò benedictio, *Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis*, extat in tertia Missæ descriptione ipsius Ordinis Romani. Hodie ante omnia librum Evangeliorum defert Diaconus ad altare, tum genuflexus in inferiori ipsius gradu dicit orationē *Munda cor meum*. Postea accipiens librum de altari, petit à celebrante benedictionem, & osculata illius manu pergit ad legendum. Oratio *Munda cor meum* similibus ferè verbis habetur in Liturgiâ S. Jacobi ante thurificationem. Etherius & Beatus *lib.* 1. adversùs Elipandum Archiepiscopum Toletanum, de ritu sacrificii differentes ajunt: *Cum Evangelium & Levita super altare levatur, à Levita primùm dicitur, Laus tibi, & ab omnibus respondetur, Laus tibi Domine Jesu Christe, rex æternæ gloriæ.* Accepto libro de altari instituitur processio ad ambonem, præcedente cereorum lumine in signum gaudii & lætitiæ, quem ritum adversùs Vigilantium S. Hieronymus eleganter defendit. Thus quoque præfertur more consueto, ut ex antiquissimis Liturgiis liquet: & in quibusdam Ecclesiis præcedit etiam Crux, ut scribit Durandus *lib.* 4. *Ration. cap.* 24. Præcedunt & Subdiaconi, aliique ministri, modo in Ritualibus expresso. Apud Græcos solemnior est hujusmodi processio, quę Introitus sancti Evangelii dicitur. Sacerdos enim tollens de altari librum Evangelii tradit illum Diacono, & ambo exeuntes de sacrario per portam septentrionalem veniunt ad locum consuetum, ubi Sacerdos dicit orationen ingressus. Quâ finitâ dicit Diaconus Sacerdoti, ut benedicat sanctum introitum. Deinde accedit ad Episcopum, sive ad Sacerdotem, eique porrigit librum osculandum. Tum persoluto quodam modulo levat & ostendit Sanctum Evangelium dicens, *Sapientia, Recti*; ipsumque Evangelium deponit in altari; & interjectis orationibus ac benedictionibus quinquies per intervalla clamat Diaconus ante ostium sacrarii, *Attendamus*. Mox altari atque sacrario thus odolet, susceptoque Evangelio & accepta benedictione, prætereuntibus cereis & thuribulis, factâque Evangelio reverentiâ, accedit ad ambonem: & sacerdos altâ voce ait, *Sapientia, Recti. Audiamus S. Evangelium.* Cùm verò Diaconus dixit, *Lectio S. Evangelii*, chorus respondet, *Gloria tibi Domine*: & rursùm ait Sacerdos, *Attendamus*. Lecto autem Evangelio Diaconus revertitur ad fores sacrarii, librumque reddit sacerdoti, qui ei pacem precatur dicens, *pax tibi*. In Missa Æthiopum Diaconus similiter circuit Ecclesiam, elatâ voce dicens: *Surgite, audite Euangelium & bonam annunciationem Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Sacerdos autem accepto Evangelio ter illud incensat, & factâ solemni benedictione introitus in Ecclesiam, ipse cantat Evangelium accensis luminaribus, & reliquo apparatu ex more adhibito. Cùm summus Pontifex Missam solemniter cantat, tam epistola, quàm Evangelium Græcè & Latinè leguntur. Diacono Latino, qui Cardinalis est, præcedunt septem Acolythi cum septem candelabris & cereis accensis, eidemque legenti assistunt: & post ipsum idem Evangelium Græcè legit Diaconus græcus. Eumdem morem cantandi Græcè & Latinè epistolam & Evangelium servatum in monasterio Casinensi narrat in Chronico *lib.* 1. *c.* 32. Leo Ostiensis: & hunc ipsum adhuc vigere diebus solemnioribus in monasterio S. Dionysii in Francia retulit mihi vir fide dignus. De ascensu in ambonem egimus suprà. Præmittit Diaconus titulum Evangelii signans primò librum, deinde seipsum signo crucis in fronte, ore & pectore, quod etiam astantes faciunt veteri more: in fronte quidem sede pudoris, ut profiteantur se non erubescere Evangelium. *Usque adeò*, inquit Augustinus in Ps. 141. *de cruce non erubesco, ut non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem*: In ore autem, & in pectore, quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Respondet populus *Gloria tibi Domine*, quæ responsio Græcis & Latinis communis est. Respondemus, inquit Rupertus Abbas l. 1. de div. offic. c. 36. *Gloria tibi Domine*, glorificantes Dominum, quia misit nobis verbum salutis.

III. Item antiquo ritu statim ac Diaconus incipiebat evangelium, omnes baculos deponebant: cujus rei plures causas, sed symbolicas afferunt Amalarius *lib.* 3. *cap.* 18. Honorius *lib.* 1. *Gemmæ cap.* 24. Durandus *lib.* 4. *Rationalis c.* 24. & alii recentiores. Veram autem & lit-

teralem eam esse arbitror, quam insinuat Amalarius his verbis: *Usque ad istud officium baculis sustentabamur, modò ut oportet servos ante Dominum stare, humiliter stamus deponentes baculos è manibus.* Consonat Hugo in speculo Ecclesiæ c. 7. dicens: *Nunc considera, quod plebs hic baculos deponit, reclinatoria relinquit, caput detegit, stans audit.* Quæ omnia uno versiculo comprehendit Hildebertus lib. de mysteriis Missæ: *Plebs baculos ponit, stat, retegitque caput.* Qua igitur ratione à sanctis Patribus sancitum fuit, ut ad Evangelium omnes adstantes surgerent & recti starent; eâdem introductum fuit, ut baculos deponerent, quibus ad sustentandum corpus homines uti solent. Baculos item depositos eamdem ob causam à pœnitentibus, cum ad confessionem accedebant, antiquus Ordo Romanus docet apud Morinum, *lib. 4. de Pœnit. cap.* 18. Omnes autem assurgere & stare dum legitur Evangelium, ritus antiquissimus est, ut tamquam servi ante Dominum se promptos & paratos ostendant ad exequenda mandata Dei, quæ in Evangelio promulgantur. Cumque in aliquibus ecclesiis irrepsisset abusus sedendi, Anastasius Papa, teste Anastasio in ejus vita, constituit, ut quotiescumque sancta Evangelia recitarentur, sacerdotes non sederent, sed curvi starent in signum reverentiæ. Damnat Nicephorus Callistus *lib.* 12. *hist. c.* 34. morem ecclesiæ Alexandrinæ, in qua episcopus non assurgebat, cùm Evangelium legeretur. *Id verò,* inquit, *in ulla plane ecclesia antiquitùs factum esse nemo vel vidit, vel audivit.* Et supra *lib. 9. cap.* 18. à Theophilo, qui cognominatus est Indus, multa refert apud Indos correcta fuisse, quæ non ritè agebantur, præsertim quod sedendo Evangelium audirent contra placitum ecclesiæ. Hoc de Theophilo narrat Philostorgius *lib. 3. hist. Eccles. cap. 5.* ipsum summis laudibus efferens, utpotè ejusdem cum illo sectæ Arianæ, quod non satis advertit Nicephorus, qui tacito ipsius nomine historiam ejus exscripsit, & suæ inseruit. Optimè de hoc ritu Isidorus Pelusiota, lib. 1. epist. 136. *Cum verus Pastor per adorandorum Evangeliorum apertionem accedit, tum demum Episcopus assurgit, atque imitationis habitum deponit, hinc nimirum Dominum ipsum Pastoralis artis ducem ac Deum & herum adesse significans.* Apud Græcos enim non solùm surgit episcopus ad Evangelium, sed etiam Omophorium deponit, servitutem & subjectionem suam erga Dominum demonstrans, ut explicat Simeon Thessalonicensis. Ritus autem deponendi baculos diu mansit in ecclesia, nam Nicolaus de Plove Presbyter Posnoniensis, qui claruit ann. 1434. in expositione Missæ ait: *Cum legitur Evangelium, arma vel baculi deponuntur, in signum quod juxtà doctrinam Evangelicam, parati sunt fideles non armis, sed patientia se defendere.* Nunc milites Religiosi & equestris ordinis viri, ensi manum admovent, vel educunt de vagina, cum recitatur Evangelium, ut eo gestu testentur se paratos esse, pro Evangelii defensione viriliter pugnare & sanguinem effundere. Commendant in Polonis hanc consuetudinem Matthias de Michovia Chronicorum Polonic. *lib.* 2. *cap.* 1. Alex. Guaguinus in Miecislao Rege, qui fidem Christi primus suscepit anno 965. & eum morem introduxit, & alii qui gentis illius historiam scripserunt. Antiquitus cùm Evangelium in ambone legebatur, erantque in templo pro viris & mulieribus loca distincta, Diaconus vertebat se versùs meridiem ad partem scilicet virorum: at nunc vertitur ad aquilonem, cujus mutationis causam & originem ex Missis privatis processisse, in quibus sacerdos non in ambone, sed in altari versùs Septentrionem legit Evangelium, sic Micrologus explicat lib. de eccl. observ. cap. 9. *Quod Presbyteri ad legendum Evangelium, non se ad meridiem vertunt, hoc ideò inolevisse credimus, quia nec ordo illis injunxit, ut in ambonem ad legendum, sicut Diaconi ascenderent, ubi necessariò ad masculos potius, quàm ad fœminas se vertere deberent. Nam juxtà ecclesiasticam consuetudinem ad altare legunt, ubi nulla diversitas auditorum approximat, quæ legentes magis in hanc partem, quàm in aliam converti exigat. Nusquàm ibi fœminæ, sed soli Religiosi ad dexteram & ad sinistram permittuntur stare. Ad sinistrum verò cornu altaris habent librum cum legunt Evangelium, vel cum sacrificant, ut in dextera parte sint expeditiores ad suscipiendas oblationes, sive ad conficienda altaris sacramenta. Unde ad aquilonem magis, quàm ad meridiem versi videntur, cum annunciant Evangelium. Hinc itaque illa usurpatio emersisse videtur, ut etiam Diaconi in ambone contra Romanum Ordinem se vertant ad aquilonem, potiusque se ad partem fœminarum, quàm masculorum vertere non vereantur. Quæ usurpatio jam adeò inolevit, ut apud plerosque quasi pro ordine teneatur. Sed quia certissimè contra ordinem est & inhonesta, à diligentioribus Ordinis servatoribus meritò refutatur.* Hinc apparet

paret quàm verum sit, quod à nobis in hoc tractatu sæpius inculcatur, multa hodie pro lege haberi in his, quæ pertinent ad ecclesiasticas observationes, quæ sensim ex abusu irrepserunt; quorum originem cum recentiores ignorent, varias conantur congruentias & mysticas rationes invenire, ut ea sapienter instituta vulgò persuadeant. Porrò isti, ut scitè Hieronymus de Origine dixit, ingenii sui adinventiones faciunt ecclesiæ sacramenta.

IV. Lecto Evangelio fideles olim dixisse *Amen* Beleth in explicatione divinorum officiorum *cap.* 39. & Durandus *lib.* 4. *cap.* 24. testes sunt; quod etiam in Missa Mozarabum, & in Regula Sancti Benedicti *cap.* 11. præscribitur. Alensis item 4. p. Summæ in tract. de offic. Missæ, *Perlecto*, inquit, *Evangelio dicunt assistentes* Amen, *quasi dicant: Faciat nos Deus perseverare in doctrina Evangelii. Alii dicunt* Deo gratias, *in gratiarum actionem pro beneficio tantæ doctrinæ & tam salutaris.* Nunc dicimus, *Laus tibi Christe.* Addit Alcuinus ex Ordine Romano populum se signo crucis munire tunc consuevisse, ut, quod ex divinis eloquiis ad salutem percepit, signatum sigillo crucis atque munitum permaneat. Tandem ipsum Evangelium tam celebrans, quàm Diaconus osculantur, quod olim universo clero, omnique populo ad osculandum circumferri & porrigi à Subdiacono solebat, in signum venerationis & communionis cum Domino Jesu Christo & doctrina ejus, ut Jonas Aurelianensis egregiè docet in Præf. lib. 2. de cultu imaginum adversùs Claudium Taurinensem. *Sacræ*, inquit, *religionis usus in sancta ecclesia adhuc servatur, si tamen apud te, ut perlecta S. Evangelii lectione, ab Episcopo vel presbytero, cæterisque sacri ordinis religiosis codex in quo Evangelii lectio recitata est, multiplicibus osculis veneretur. Sed hoc cujus causa, nisi illius, cujus esse verba creduntur, agimus?* Liber enim Evangeliorum typum gerit Christi in eo loquentis, qua de causa idem liber in conciliis honorifico apparatu in throno collocatur. Cyrillus Alexandrinus in Apologia ad Theodosium id servatum scribit in Synodo Ephesina: „Sancta Synodus, *ait*, in sancta Ecclesia, „quæ Maria dicitur, congregata, Christum „veluti caput constituit. Venerandum enim „Evangelium in sancto throno collocatum e„rat, illud tantùm sanctorum sacerdotum au„ribus insinuans, justum judicium judicate. Idem in actis aliorum conciliorum apparet. Hinc etiam mos receptus tactis Evangeliis jurandi, ac si Deus in iis præsens agnoscatur. Hinc Evangelia collo item appensa legimus tamquam amuleta: & in Synodo 8. c. 3. idem honor sacris imaginibus decernitur; qui sanctis Evangeliis exhibetur. *Sacram*, ait, *imaginem Domini nostri Jesu Christi æquo honore cum libro sanctorum Evangeliorum adorari decernimus.* Id verò sancitum fuit adversùs quorumdam Galliæ Episcoporum errorem, qui sacrum quidem Evangeliorum codicem, & signum S. Crucis honorari debere docebant, imagines non item.

V. Non est omittendus hoc loco ritus, quo Maronitæ legunt Evangelium. Ante ipsius lectionem ponitur incensum in thuribulo cum quibusdam orationibus: tum dicit Sacerdos, *Pax omnibus vobis:* Respondet populus, *Et cum spiritu tuo.* Minister ait, *Estote in attentione.* Subdit Sacerdos. *In tempore gubernationis Domini nostri & Dei nostri, ac Salvatoris Jesu Christi, dixit discipulis suis & turbis.* Populus *Pater noster benedic.* Sacerdos vertens se ad populum signat eum signo Crucis & dicit: *Dextera Domini nostri Jesu Christi & brachium excelsum fortitudinis ejus ac virtus abscondita majestatis ejus, illa quæ continet omnes benedictiones ac omnia dona vitæ, illa quæ requievit super Apostolos sanctos in cœnaculo sancto Sion & sanctificavit eos; & in monte olivarum benedixit eos; ipsa veniat, habitet, & requiescat super fratres meos lectores atque auditores, & custodiat eos, & custodiat locum hunc & habitatores ejus fideles in omni tempore, & in omni momento in sæcula.* Populus *Amen.* Sacerdos, *In tempore itaque gubernationis Domini nostri Jesu Christi Salvatoris nostri Verbi Dei, quod incarnatum est pro nobis, hæc sic facta sunt.* Populus, *Domine noster miserere nostri.* Post hæc Sacerdos legit Evangelium & in fine osculatur librum dicens: *Et pax sive securitas omnibus nobis.* Populus, *Amen.* Tandem Sacerdos ait: *Ipsi Jesu Christo sint laudes & gratiarum actiones & benedictiones, propter verba sua viva, quæ sunt erga nos, & Patri ejus qui misit eum propter salutem nostram, & spiritui ejus vivo & sancto, nunc & in sæcula, Amen.*

VI. Notat Rupertus *lib. de div. off. c. ult.* Evangelium esse principale omnium, quæ dicuntur in Missa, cui cætera omnia intellectuali ratione consentiunt. Idem asserit Petrus Cirvelus in procœmio expositionis libri Missalis, ubi ait, Evangelium inter cæteras partes Missalis offici-

esse, veluti basim & fundamentum veræ & rectæ intelligentiæ omnium aliarum auctoritatum tam novi, quàm veteris testamenti, quæ in eodem officio adducuntur, ad quas talem habet analogiam, qualem subjectum ad totam scientiam, & centrum ad lineas. Difficile tamen est, hanc convenientiam in singulis reperire, nisi violentæ quædam & mysticæ explicationes adhibeantur, quæ ut plurimum voluntariæ sunt, adeò ut ex illis solida ratio haberi non possit, asserente Dionysio, Theologiam symbolicam non esse argumentativam. Accedit quod firmo manente reliquo officio, sæpè in aliquot missis evangelia mutata sunt: neque una est causa, propter quam hoc potiùs evangelium, quàm illud in tali Missa recitetur. Ut enim observat Beleth c. 39. aliquando legitur secundùm historiam, ut in die Resurrectionis: aliquando secundùm allegoriam, ut in festo Assumptionis B. Mariæ: aliquando propter aliquam partem, ut in festo S. Crucis ponitur evangelium de Nicodemo ob extremam particulam, *sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis*: aliquando secundùm totum, ut in die Circumcisionis. Ritu monastico immediatè post Evangelium fiunt solemnes monachorum Professiones, modo in eorum Ritualibus expresso. Verùm hic mos non ubique viget, nam in aliquot congregationibus fieri solent post Offertorium. Olim quoque post evangelium pueri à parentibus monasterio offerebantur, involutâ manu pueri in palla altaris, ut S. Benedictus decernit in Regula c. 59. Puer autem panem & vinum pro usu sacrificii offerebat, quem ritum eruditè & diffusè explicat Menardus ad c. 66. concordiæ Regularum: ubi etiam ostendit, quod pueri sic oblati, tametsi ad intelligibilem ætatem nondum pervenissent, tenebantur in Monasterio permanere, vota servare, nec poterant post annos pubertatis parentum promissionem irritare, & ad sæculum redire. Æquali enim vinculo Monasterio obstricti censebantur, tam qui proprio arbitrio & voluntate profitebantur, quam qui parentum devotione offerebantur: idque sancitum fuit can. 48. concilii 4. Toletani his verbis. „ Monachum aut paterna „ devotio, aut propria professio facit: quicquid „ horum fuerit alligatum, tenebit. Proinde his „ ad mundum revertendi intercludimus aditum, & omnes ad sæculum interdicimus ingressus. Scio multa his opponi à recentioribus, qui ex moribus hodie usitatis veterem disciplinam æstimant: at mihi propositum est à scholasticis concertationibus abstinere; neque ad hunc locum hujus rei explicatio pertinet. Certum est, pueros etiam quinquennes & septennes olim hoc modo Deo in Religione dicatos, qui mos adhuc vigebat tempore sancti Bernardi, sed paulò post à Celestino III. sublatus fuit, cujus de hac re decretum refertur *c. cum simus* de Regularibus.

VI. Honorius in Gemma animæ lib. 1. cap. 25. *Deinde*, inquit, nimirùm post Evangelium de quo egit capite antecedenti, *episcopus ad populum sermonem facit*. Hic mos numquam interruptâ serie ab initio ecclesiæ, usque ad nostra tempora servatus est, ut proximè post Evangelium sermo sive homilia vel tractatus ad populum haberetur. Huc respexit proculdubio Tertullianus jam in hæresim lapsus *lib. de Anima c. 9.* ubi Priscillæ Montani sociæ revelationes commendans, quas in ecclesia inter Dominica solemnia diabolico spiritu decepta per extasim habebat, *Jam verò*, ait, *prout scripturæ leguntur, aut psalmi canuntur, aut adlocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ita inde materiæ visionibus submini strantur*. Hæc ille, Missam catechumenorum accuratè describens, cantum scilicet Psalmorum, orationes, lectiones, & adlocutiones sive homilias. Idem confirmat Justinus Mart. *Apol. 2.* conventum Christianorum die solis enarrans, in quo commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum legebantur. *Deinde*, inquit, *lectore quiescente præsidens sermonem habet, quo populum instruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur*. Auctor item constitutionum Apostolicarum l. 8. c. 4. præcipit Episcopo, ut post lectionem legis & Prophetarum atq; evangelii, populum alloquatur sermonibus exhortatoriis. Ejusdem ritus testimonia frequentissima sunt apud Origenem, Hilarium, Ambrosium, Augustinum, Gaudentium, Chrysostomũ, Cyrillum Alexandrinum, Chrysologũ, Leonem, Gregorium Magnum, & alios, quorum sermones habemus. Extant etiam in conciliis sanctiones multæ huc spectantes, & Cassianus idem astruit jucunda narratione *l. 11. Instit. c. 15.* Quicquid autem pertinet ad hoc argumentum, summâ eruditione tractavit Ambrosiani Collegii Dr. Ferrarius libris duobus de ritu sacrarum concionum. Hebræos, è quorum fontibus non pauci è nostris ritibus emanarunt, post legis & prophetarum lectionem loqui ad populum in synagoga consuevisse Lucas testatur; tum evangelii

cap. 4.

*cap.* 4. narrans Jesum secundùm consuetudinem intrasse die sabbati in synagogam & legisse Isaiam Prophetam, & cum plicuisset librum, sermonem habuisse: tum Actuum *cap.* 13. de Paulo & Barnaba referens, post lectionem à principibus synagogæ invitatos fuisse, ut sermonem exhortationis ad plebem facerent. Consonat Philo lib. *Quod omnis probus sit liber*, dicens: *Quoties sacras ædes, quas synagogas vocant, adeunt, pro ætatis ordine juniores ad audiendum se componunt. Ibi alius ex libro prælegit, alius quippiam e peritioribus accedens quæ obscura sunt explicat.* Porrò munus prædicandi propriè & præcipuè ad Episcopos pertinere tum usus veteris ecclesiæ & omnium sanctorũ Episcoporum exemplum; tum ipsa docet episcopalis consecratio, in qua dicitur, *Accipe Evangelium, vade, prædica populo tibi commisso.* Ideo Paulus ad Timotheum scribens, ipsum terribili adjuratione obtestatur per Deum & Jesum Christum, ejusque adventum & regnum, ut instanter prædicet, moneat, increpet in omni patientia & doctrina. Et de seipso ad Corinthios *Epist.* 1. *c.* 6. ait, *Si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit; væ enim mihi est, si non evangelizavero.* Teneri autem per seipsos hoc officium exercere, Synodus Tridentina edixit, antiquos canones secuta, nisi fuerint legitimè impediti. Quam obligationem ab omnibus episcopis, qui doctrina & sanctitate floruerunt, agnitam fuisse evidens est; semper enim lecto evangelio in suggestum ipsi ascendentes verbum salutis populo prædicarunt. Multa in hanc rem congerit Christianus Lupus in notis ad canonem XIX. concilii Trullani: mihi satis est hoc obiter tetigisse. Concilium Aurelianense apud Ivonem P. 2. decreti cap. 120. decrevit, *ut in diebus Dominicis vel festis post sermonem intra Missarum solemnia habitum, plebem sacerdos commoneat, ut juxta Apostolicam institutionem omnes in Commune pro diversis necessitatibus preces fundant ad Dominum, pro Rege & episcopis & rectoribus ecclesiarum, pro pace, pro peste, pro infirmis qui in ipsa parochia lecto decumbunt, pro nuper defunctis, in quibus singulatim precibus plebs orationem Dominicam sub silentio dicat. Sacerdos verò orationes ad hoc pertinentes per singulas admonitiones solemniter explicat. Post hæc sacra celebretur oblatio.* Idem generaliter præcipitur in Capitulari Caroli Magni *lib.* 1. *cap.* 165. & 166. Hanc verò functionem Galli *Pronum* sive Præconium vocant, cujus quatuor sunt munia. Nam primò versi ad populum sacerdotes animarum curæ præpositi indicunt preces: secundò docent ipsum populum rudimenta fidei, Deique præcepta & Ecclesiæ, sicut constituit catechismus Romanus: tertiò admonent quæ festa, quæ vigiliæ, quę processiones ad hebdomada occurrant: quartò promulgant edicta, excommunicationes, futura matrimonia, & quicquid demum ad populi notitiam pervenire oportet. Olim hæc omnia fieri solebant ante communionem, postquam sacerdos dixerat, *Pax Domini sit semper vobiscum*, ut suo loco indicabimus. Hincmarus Remensis *epist.* 7. *tom.* 2. mandat Presbyteris suis, ut excommunicationem adversus quosdam depręd icatores, non post evangelium sicut mos erat, populo denuntiarent, sed statim post epistolam, quia nonnulli ejus criminis rei lecto evangelio protinus ab ecclesia recedebant. Item post Evangelium plerisque ab ecclesiis publicis Pœnitentes absolvi & reconciliari solebant, ut ostendit Morinus *lib.* 8. *de Pœnit. cap.* 14. At verò in aliis hanc absolutionem impendebant sacerdotes post consecrationem, antequam oratio Dominica recitaretur, cujus rei testis lib. 2. Optatus Milevitanus dicens: *Etenim inter vicina momenta dum manus imponitis & delicta donatis, mox ad altare conversi Dominicam orationem prætermittere non potestis.* Alia quædam *de Pœnitentium* absolutione Lib. I. in fine Capitis XVII. allata sunt.

## CAPUT VIII.

*Incipit Missa Fidelium. Symbolum ejus initium. Traditum ab Apostolis sine scripto. Quotuplex sit, & quando cœperit in Ecclesiis cantari. Offertorium, ejusque ritus. Mos panem & vinum offerendi, antiquissimus. Alia quædam his addita. De agno à Romanis oblato calumnia Photii. Discrimen inter munera & oblationes. Non omnium dona ab Ecclesia recepta. Communio duplex. Non semper qui offerebant, communicabant. Offerentium nomina publicè olim recitabantur. Offerendi mos quando desierit. Oblationum chartæ positæ in altari.*

I. EJectis extra Ecclesiam Catechumenis, Pœnitentibus, & aliis, quibus peracto sermone nefas erat in ea permanere, incipit Missa.

sa Fidelium, quæ, cum severior disciplina vigebat, clausis januis agebatur, easque custodiebant Ministri, ne quis intraret immundus vel indignus; de qua re egimus ex professo Cap. XVII. lib. I. Ejus initium à symbolo, quod diebus Dominicis & in aliis quibusdam festivitatibus cantari solet. In eo præcipua Christianæ fidei dogmata continentur, de quo Tertullianus initio libri de velandis Virginibus ait, *Regula fidei una omnino est, sola immobilis & irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, & filium ejus Jesum Christum, natum ex Virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum à mortuis, receptum in cœlis, sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos per carnis etiam resurrectionem.* Et in præscriptionibus cap. 37. *In ea regula*, inquit, *incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit.* Loquitur autem de symbolo, quod ab Apostolis compositum fuisse, priusquam in varias orbis partes ad prædicandum Christi Evangelium dispergerentur, ut eo veluti signo seu tessera veri fideles à falsis discernerentur, communis Patrum sententia & vetus Ecclesiæ traditio est. Cur verò symboli nomen impositum illi fuerit, diffusè explico *in tract. de divina Psalmodia cap.* 16. §. 3. Sicut enim symbolum apud profanos scriptores idem est ac signum, tessera, collatio & indicium: ita regula fidei religionis nostræ signaculum est, brevis credendorum collectio, & mutua ac certa credentium contesseratio. Extat ejus expositio inter opera Cypriani, quæ consensu omnium Eruditorum est Rufini Presbyteri Aquileiensis, ubi testatur non fuisse ab Apostolis scripto traditum, sed sola voce & traditione, ne fortè ad infideles perveniret, aut à falsis christianis depravaretur. Cui consonans Hieronymus Epist. 61. ad Pammachium cap. 9. ait, *In symbolo fidei & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem Trinitatis & unitatem Ecclesiæ, omne Christiani dogmatis sacramentum carnis resurrectione concluditur.* Sola igitur voce fidelibus tradi consuevit, ut tutò possent eos dumtaxat ad communionem admittere, qui hoc signaculum christianæ professionis tamquam arcanam solisque fidelibus notam tesseram memoriter proferrent: idque tanta secreti fide inviolabiliter servatum est primis Ecclesiæ sæculis, ut nec quidem à catechumenis memoriæ juvandæ causâ describi permitteretur. Sed nec ullus scriptor ante Constantinum Magnum ipsum libris suis inserere ausus est, nisi solus Tertullianus loco supra citato, compendio tamen usus, & quibusdam articulis prætermissis. Hermias item Sozomenus, ut alibi scripsi, symbolum Nicænum in sua historia referre veritus est, quod eum librum ab his, qui initiati non essent, lectum iri timeret. Verùm Athanasius, Basilius, Leo, aliique Patres illud scriptis suis inserere non dubitarunt, quia tunc pacatâ ecclesiâ nullas à gentilibus & Judæis insidias metuebant. Trecentis & amplius annis Apostolico symbolo usa est Ecclesia, donec Arius detestandæ hæresis impiissimus auctor emersit, pro cujus damnatione coacta Nicæna Synodus, novam fidei tesseram tradidit Orthodoxis, qua ab Arianis discernerentur. Quare Athanasius in Epist. ad Episcopos Africanos Nicænam synodum trophæum & columnam esse dixit, in qua omnes hæreses ostentui inscriptæ sunt & triumphantur. Et Gregorius Nazianzenus in encomio Heronis Philosophi Alexandrini, eandem ait Divinitatis doctrinam certis finibus ac verbis circumscripsisse. Hoc verò symbolo in eâdem synodo recitato omnes Episcopos exclamasse legimus, *Hæc est Catholicorum fides, huic omnes credimus, in hanc baptizari sumus, in hac baptizamus.* Postquam enim publicatum fuit, omnes Ecclesiæ orientales illud statim receperunt, & catechumenis ac fidelibus edisendum tradiderunt, adeò ut Arianus censeretur quicumque ipsum non profitebatur. In partibus verò Occidentalibus à quibusdam Ecclesiis citiùs, ab aliis seriùs receptum fuit, pro ut seriùs vel citiùs Arianâ hæresi contaminari cœperunt. Novis postea exortis hæresibus secunda synodus Oecumenica Constantinopoli coacta est, in cujus primo congressu aliud symbolum editum fuit, quod Marcus Ephesinus in synodo Florentina tanquam ex communi Græcorum Patrum sententia à Gregorio Nazianzeno compositum fuisse asseruit. Utrumque autem tam Nicænum quàm Constantinopolitanum pro uno & eodem semper habitum fuit: & quod nunc cantamus in Missarum solemniis, quamvis sit Constantinopolitanum, à Magistro sententiarum *lib. 1. dist. 11.* & ab aliis scholasticis Nicænum nuncupatur. Utrumque etiam confundunt Patres, quia quicquid additum est à Constantinopolitano, jam virtute in Nicæno continebatur: & cum fides una sit, unum etiam symbolum est.

est, quamvis Nicænum Apostolico, Nicæno autem Constantinopolitanum quædam majoris explicationis gratia adjunxerint. Hoc verò ultimum in Missa cantari potius quàm Nicænum antiqui Patres instituerunt, non quia modulis musicis aptius sit, ut parum rectè autumat Walfridus Strabo *cap.* 22. sed quia in eo dogmata orthodoxa clariùs exprimuntur, & omnes hæreses eò usque exortæ pleniùs confutantur.

II. Quis omnium primus illud Liturgiæ inseruerit, aut cantari præceperit, incertum est. Radulfus Tungrensis *prop.* 23. à Marco Papa, Sylvestri successore sancitum fuisse ait, ut symbolum Nicænum in Missa diceretur. At Innocentius III. *lib.* 2. *de mysteriis Missæ cap.* 49. & alii passim scribunt, S. Damasum id recitari jussisse ad exemplum Græcorum. In hoc autem conveniunt omnes, quod publicè cantari cœperit in Ecclesiis orientalibus adversus pravas hæreticorum opiniones, à quibus postea ad Occidentales laudabilis usus transfusus est. Verùm Græciæ vivente Damaso hunc ritum nondum admiserant, ait enim Theodorus Lector *lib.* 2. *Collectaneorum*, Timotheum Patriarcham anno 510. Constantinopoli instituisse, ut symbolum fidei per singulas synaxes diceretur, cum antea semel tantùm in anno diceretur in magno die Parasceves, cum Episcopus catechumenos instruebat. Eandem symboli recitationem in omni conventu Petro Gnapheo tribuit Nicephorus Callistus *lib.* 15. *cap.* 28. Sed hic fortassis in Antiochena, ille in Constantinopolitana Ecclesia hunc morem induxerunt; quem postea Hispani primi inter latinos receperunt. Extat de hac re decretum Concilii tertii Toletani anno 589. can. 2. „ Pro reverentia sanctissimæ fi„ dei, & propter corroborandas hominum in„ validas mentes, consultu Piissimi & glorio„ sissimi Domini nostri Reccaredi Regis sancta „ constituit Synodus, ut per omnes Ecclesias „ Hispaniæ & Galliciæ secundùm formam „ orientalium Ecclesiarum, Concilii Constan„ tinopolitani, hoc est CL. Episcoporum sym„ bolum fidei recitetur, & priusquam Domi„ nica dicatur oratio, voce clara à populo de„ cantetur, quo & fides vera manifestum testi„ monium habeat, & ad Christi corpus & san„ guinem prælibandum pectora populorum „ fide purificata accedant. Exprimit hic canon ritum Hispanicum, qui adhuc permanet in Missali Mozarabico, in quo post consecrationem & aliquot brevissimas preces dicit Presbyter, *Fidem quam corde credimus, ore autem dicamus.* Tum elevat corpus Christi, ut videatur à populo, & dicit chorus symbolum fidei, videlicet: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ: Visibilium omnium & invisibilium conditorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero. Natum non factum Omousion Patri, hoc est ejusdem cum Patre substantiæ per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo & quæ in terra. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Passus sub Pontio Pilato, sepultus, tertia die resurrexit. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum vivificatorem, & ex Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio adorandum & glorificandum, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.* Sic ibi cantatur symbolum, post quod dicitur oratio dominicalis. Hispanicas Ecclesias Gallicanæ & Germanicæ postmodum imitatæ sunt regnante Carolo Magno post Felicis hæretici damnationem, ut Walfridus testatur *cap.* 22. Refert Baronius *tom.* 9. *ann.* 809. Dialogum de symbolo inter Leonem III. & Legatos Caroli Magni: cum enim Franci licentiam à Leone accepissent ipsum canendi in Ecclesia, illudque canerent cum additamento *Filioque*, quod verbum adversus Priscillianistas Episcopi Hispani adjunxerant approbante & consentiente Leone Magno, ut idem narrat Baronius *ann.* 447. dubitatum fuit in synodo Aquisgranensi, non quidem de processione Spiritus S. ex Patre & Filio, sed utrum illa particula *Filioque* licitè addita esset. Quam ob causam Legatos misit ad Leonem Carolus Imperator, quorum cum Pontifice colloquium sive disputationem Baronius refert loco citato. Ipse autem Leo, teste Anastasio, duas tabulas argenteas pensantes libras XCIV. & uncias VI. in Basilica S. Petri propè ipsius confessionem affigi mandavit, in quarum altera latinè, in altera græcè symbolum legebatur absque illo additamento *Filioque*; tũ ob venerationem antiquitatis,

cujus tenaciſſimus fuit; tum quia minimè neceſſarium putabat, ut omnia fidei dogmata ſymbolo inſererentur. Poſtea tamen Romanorum Pontificum decreto hoc ipſum additamentum receptum fuit, ut oſtendit Baronius *anno* 883. ad retundendam Schiſmaticorum pervicaciam, qui catholicum dogma de proceſſione Spiritus ſancti à Patre & Filio impugnabant. Quando cœperit Romæ in publica Miſſarum celebratione cantari, narrat teſtis oculatus Berno Augienſis cap. 2. libri de rebus ad Miſſam pertinentibus, *Romani*, inquit, ſymbolum poſt Evangelium *uſque ad hæc tempora Divæ memoriæ Henrici Imperatoris nullo modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati cur ita agerent; me coram aſſiſtente, audivi eos hujuſmodi reſponſum reddere, videlicet quod Romana Eccleſia non fuiſſet aliquando ulla hæreſeos fœce infecta; ſed ſecundùm S. Petri doctrinam in ſoliditate catholicæ fidei permaneret inconcuſſa. Et ideò magis hîc neceſſarium eſſe illud ſymbolum ſæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæreſi potuerunt maculari. At Dominus Imperator non antea deſiit, quàm omnium conſenſu id Domino Benedicto Apoſtolico perſuaſit, ut ad publicam Miſſam illud decantarent.* Contigit hoc anno MXIV. quo illud ſuis Annalibus conſignavit Baronius, hæc verba ex ſolida ſua ſapientia adjiciens: *Placent iſta, ſed nobis gratius, ſi venerandæ antiquitati annorum mille magis delatum fuiſſet, quàm novitati.* Et juſtam ſanè cauſam Romani Presbyteri attulerunt Imperatori, propter quam ſymbolum non canebant in Miſſa: nam Rufinus Aquileienſis S. Hieronymi celeberrimus antagoniſta initio expoſitionis in ſymbolum Apoſtolorum, in diverſis eccleſiis ait aliqua ipſi ſymbolo adjecta fuiſſe. Tum ſubdit, *In Eccleſia tamen Urbis Romæ hoc non deprehenditur factum*: & rationem reddit, *quod neque hæreſis ulla illic ſumpſit exordium, & mos ibi ſervatur antiquus.* Agit autem de ſymboli recitatione, quæ à catechumenis audiente populo ante baptiſmi ſuſceptionem fieri ſolebat. Ab anno igitur milleſimo decimo quarto jubente Benedicto VIII. cœpit Romæ cantari ſymbolum; & ideò nec in Ordine Romano, nec in priſcis Sacramentorum Codicibus, nec apud Alcuinum, Amalarium, Rabanum, Remigium, & alios qui ante prædictum annum Romanæ Miſſæ ordinem explanarunt, ulla ſymboli mentio reperitur: cum tamen multò ante in Hiſpania, Gallia, & Germania cantaretur. Extat in omnibus Liturgiis Græcorum, Maronitarum, & cæterarum gentium, quæ in Oriente ſunt.

III. Poſt ſymbolum, & quando non dicitur, poſt Evangelium, ſacerdos ſalutat populum & excitat ad orandum. Tum chorus canit Antiphonam, quæ Offertorium nuncupatur, quia antiquo more populus interim ſua dona offerebat. Nomine autem Offertorii ſive offerendæ, ut Amalarius & alii veteres loquebantur, ea omnia comprehenduntur, quæ à ſacerdote & Miniſtris fiunt & recitantur à prædicta ſalutatione uſque ad ſecretæ orationis concluſionem, cum excelſa voce ſacerdos intonat, *Per omnia ſæcula ſæculorum.* Quis eam antiphonam cantari inſtituerit, non liquet. Plerique à Gregorio Magno primò inſtitutam aſſerunt, quia in ſuo Antiphonario propriam ſingulis Miſſis aſſignavit. Sed jam vigebat in Africa hæc conſuetudo, ut ſcribit Auguſtinus *lib. 2. Retract. cap. 11.* Apud Gregorium ſingula offertoria plures verſus habent adjunctos, & quandoque integer pſalmus repetita poſt ſingulos verſus antiphona cantari ſolebat, ut toto illo tempore, quo populus offerebat, pſallentium clericorum voces audirentur: ſicut olim in veteri Teſtamento, cum populus offerret holocauſta, in voce, & tubis & cymbalis laudes canebant Deo, ut ea nimirum modulatione ſe hilari mente munera Deo offerre indicarent. Hac ipſa de cauſa ſolent cantores eadem verba ſæpius repetere, ne citiùs finiat cantus, quàm ſacra functio abſolvatur. Ideò non rectè quidam recentiores hanc repetitionem inter muſicæ hodiernæ abuſus enumerant, cum præſertim quædam ejus exempla habeamus in ipſo Gregorii Magni Antiphonario, ut in Offertorio Quinquageſimæ bis dicitur, *Benedictus es Domine, doce me juſtificationes tuas.* Et in offertorio hebdomadæ XXI. poſt Octavam Pentecoſtes in Verſu primo bis dicuntur hæc verba, *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram meruí*; verbum autem *Et calamitas* ter repetitur. Crebræ etiam repetitiones fiunt in ſequentibus verſiculis: in IV. *Quoniam non revertetur oculus meus ut videam bona*, ter dicitur *Quoniam*, & novies *ut videam bona.* Rationem hujus repetitionis, ſed myſticam ut ſolet, affert Amalarius l. 3. c. 39. *Officit auctor*, inquit, *ut affectanter nobis ad memoriam reduceret ægrotantem Job, repetivit ſæpius verba more ægrotantium.* Hodie ab Offertorio ſublati ſunt verſus, ſed his reſecatis ipſum offertorium moroſiùs decantari debet, ut notavit Radulfus Tungrenſis *prop.* 23. Retinuerunt

runt versus Offertorii Lugdunenses in aliquot Missis, Romani verò & alii eos sustulerunt, tum quia populi oblationes cessarunt, quæ longam psallendi moram exigebant; tum quia Organa introducta sunt, quæ cum pulsantur, nec ipsum quidem Offertorium decantatur.

IV. Mos fuit in veteri Ecclesia, ut, qui ad sacram synaxim conveniebant, panem & vinum portarent & offerrent, sicut supra ostendi Lib. I. Cap. XXIII. §. 3. ex conciliis & Patribus. Addo Optatum Milevitanum, qui initio libri VI. reprehendit Donatistas, quod altaria frangerent, in quibus vota populi portabantur, *in quibus fraternitatis munera non jussit Salvator poni, nisi quæ essent de pace condita.* Loquitur autem de oblationibus, quę in altari consecrabantur, nam subdit: *Quid est enim altare nisi sedes corporis & sanguinis Christi?* Ideò Tertullianus *lib. de exhort. Castitatis cap. 7.* omnes sacerdotes esse dixit, non quod omnes potestatem consecrandi habeant, ut Anonymus quidam perperam explicavit, egregiè à Petavio confutatus in Diatriba de potestate consecrandi; sed quia omnes panem & vinum ad altare Dei offerebant. Ritus autem priscus fuit ea dumtaxat offerre, quæ sacrificio usui erant, panem scilicet & vinum: reliqua supra altare offerri prohibet *can. 3.* Apostolorum. Permittit autem offerri & benedici oleum ad luminaria, & incensum, novasque spicas & uvas ex quibus fiunt panis & vinum, quæ sunt propria hujus sacrificii elementa. Reliquos fructus domum mitti jubet Episcopo & presbyteris, qui diaconis & clericis distribuant. Hunc Canonem explicans Zonaras, *Fructus*, inquit, *legumina & alia hujusmodi offeruntur altari, non ut sacrificium, sed tamquam primitiæ. Oleum permittitur offerri, ut per hoc lumen vero lumini accendatur, & incensum tempore oblationis.* Posteà concilium Trullanum uvam vetuit offerri can. 28. propter abusum, qui in diversis ecclesiis irrepserat, ut eam ministri incruento sacrificio conjungentes simul cum Eucharistia populo distribuerent. Ideò decrevit, ut Sacerdos solam oblationem populo porrigeret, & uvam tanquam primitias seorsim benediceret, & petentibus tribueret ad fructuum datoris gratiarum actionem. Idem sancivit can. 57. quod ad altare mel & lac offerre non oportet. Concilium verò Carthaginense, celebratum anno 397. ut habetur in codice Ecclesiæ Africanæ, hæc omnia clariùs edisserit *can. 37.* his verbis. „ Ut in „ Sacramenti corporis & sanguinis Domini nihil offeratur, quàm quod ipse Dominus tradi„ dit, hoc est panis & vinum aqua mixtum. Pri„ mitiæ verò, seu lac & mel, quod uno die so„ lemnissimo in infantum mysterio solet of„ ferri, quamvis in altari offerantur, suam tamen „ habeant propriam benedictionem, ut à Sa„ cramento Domini corporis & sanguinis di„ stinguantur: nec amplius in primitiis offera„ tur, quàm de uvis & frumentis. Primitiarum igitur oblationem absque ulla temporis limitatione concedit: mel autem & lac offerri præcipit semel tantùm in anno in die Paschalis festivitatis, quo solemne baptisma celebrari, & egressis è sacro fonte mel & lac dari consueverat; de quo ritu egimus Lib. I. Cap. XVI. Solebat etiam populus in die Cœnæ Domini oleum offerre in ampullis ipsa die ab Episcopo consecrandum, ut ex libro Sacramentorum S. Gregorii apud Pamelium, & ex Ordine Romano constat. Mos enim veteris Ecclesiæ fuit non conficere Sacramenta, nec quidpiam ad ea pertinens benedicere, nisi ex oblatis.

V. Inter calumnias adversùs Ecclesiam Romanam, quas Photius Bulgariæ Regi, hic Romano Pontifici Nicolao misit, una hęc fuit, quod in Paschate more Judaico Agnum super altare simul cum Dominico corpore offerret & benediceret. Sed hoc putidum mendacium est: quamvis enim Romana Ecclesia Agni carnibus Sacerdotalem benedictionem impertiri soleret; non eas tamen aut super altare collocabat, aut simul cum Christi corpore offerebat seu benedicebat. Extat Agni benedictio pro die Resurrectionis in Ordine Romano, ipsa enim die Agni carnes sacerdotali benedictione sanctificatas Fideles comedebant ob reverentiam Christi Agni immaculati pro nobis occisi: idque olim in ejus figuram Domino præcipiente constituit Moyses tanquam præcipuam Judaici Paschatis ceremoniam. Nimio zelo hunc ritum tamquam superstitiosum & erroneum Walfridus Strabo reprehendit cap. 18. nec video, cur adeò acerbè morem antiquissimum ab ecclesia approbatum, & hodie adhuc vigentem insectetur: cum præsertim fateatur, quod neque in altari, sed sub ipso vel juxta ipsum poneretur, neque simul cum Dominico corpore, ut nequiter Latinis imposuit Photius, sed propria benedictione & à consecratione corporis Christi multùm diversa benediceretur. Aliquem fortassis abusum improbat, quem non indicat: aut respexit ad præcitatum canonem Africanum,

quo inter ea quæ offerri permittuntur, Agnus non recenſetur. At omiſſo Straboneillud inſuper obſervandum eſt, quod ſicut omnia indiſcriminatim offerre illicitum erat ; ita Sacerdotes non omnium paſſim oblationes recipiebant. Nam primò omnia dona in locum deputatum ante Miſſam deferre mos erat, qui Gazophylacium ſive Secretarium vocabatur, in quo & oblationum & offerentium diligens inquiſitio à Diacono præmittebatur. Deinde ejectis ſive ſegregatis qui offerre non poterant, ipſa dona conſuetis ritibus, de quibus infra, fideles offerebant per manus Diaconorum altari inferenda. Mos autem antiquus erat, ut, qui communicandi jus nos habebant, iidem offerre prohiberentur, ut ex concilii Illiberitani can. 28. manifeſtum eſt. *Epiſcopum, placuit ab eo qui non communicat, munera accipere non debere.* Omnes enim, qui Miſſæ intererant & communicabant, panem quoque & vinum offerebant, ex quibus Euchariſtia conficeretur ; atque ideo cum jure communicandi annexum erat jus offerendi. Lites ſerunt ſuper hujus canonis intelligentia viri eruditi, ſed facilè componi poſſunt duplicis communionis, munerumque & oblationum adhibita & benè perpenſa diſtinctione. Quod enim attinet ad munera, Baronius *tom. 7. anno* 523. hoc inter ea & oblationes ponit diſcrimen, quod munera ea dicerentur, quæ nulla habita ratione donantis, in Eccleſiam tamquam in Gazophylacium inferebantur : oblationes autem eſſent, quæ à ſolis Fidelibus Orthodoxis ſolemni ritu offerri & recipi conſueverunt, de quibus ait Irenæus lib. 4. cap. 34. *Is qui offert glorificatur ipſe in eo quod offert, ſi acceptetur munus ejus.* Et munera quidem etiam ab infidelibus acceptata fuiſſe, ex eo probat Baronius, quod Anaſtaſius refert in vita Hormiſdæ, Theodoricum Italiæ Regem Arianum obtuliſſe B. Petro Apoſtolo cereoſtrata argentea duo penſantia libras LXX. Non ſemper tamen hoc obſervatum fuit ob varias rerum & perſonarum circumſtantias. Cum enim Euſebius Conſtantii Imp. Ariani eunuchus multa B. Petro munera obtuliſſet, Liberius Papa cuſtodem Eccleſiæ acriter increpavit, quod illa inferri in Eccleſiam paſſus eſſet, ipſaque tamquam illicita & execranda ab Eccleſia projici mandavit. Rem narrat Athanaſius epiſt. ad ſolitariam vitam agentes. Imò aliquando ſi quid Hæretici Eccleſiæ intulerant, antequam in hæreſim laberentur, id eis poſt lapſum reſtitutum fuit ; idque Tertullianus de Marcione refert lib. de Præſcript. c. 30. dicens ; „ Ubi tunc Marcion, ubi „ Valentinus? Nam conſtat illos in Catholicam „ primò doctrinam credidiſſe apud Eccleſiam „ Romanenſem ſub Epiſcopatu Eleutherii be„ nedicti, donec ob inquietam ſemper eorum „ curioſitatem, quam fratres quoque vitabant, „ ſemel & iterum ejecti ; Marcion quidem cum „ ducentis ſeſtertiis quæ Eccleſiæ intulerat, no„ viſſimè in perpetuum diſſidium relegati, ve„ nena doctrinarum ſuarum diſſeminarunt. Adeò munera illius hæreſiarchæ Eccleſia deteſtata eſt, ut CC. ſeſtertia, quæ, ut ſupputat Budæus, quinque aureorum millia valebant, illi, cum è cœtu fidelium expelleretur, ultro reſtituerit, nihil ipſius volens retinere. Hoc verò diſcrimen munerum & oblationum paſſim negligunt probati ſcriptores, nam quæcumque res Deo offeruntur, ſive teſtamento ſive alia quavis donatione ; ſive res ſoli, ſive mobiles ſint ; ſive pertineant ad ſacrificium ; ſive pauperum vel Eccleſiaſticorum ſuſtentationi deſtinatæ fuerint, oblationes dicuntur, qua voce uſus eſt Ulpianus in Pandectis *lib. 24. tit. 1. de donationibus inter virum & uxorem lib. 5. §. 12.* ubi ait, locum ſacrum fieri, ſi maritus ad oblationem Dei uxori donaverit. Veteres, teſte Feſto, offerumenta vocabant. Unde colligimus, oblationis nomen æquivocum eſſe : nam primò ea munera ſignificat, quæ non altari, ſed Eccleſiæ extra Miſſam offerebantur : ſecundò arctatur idem vocabulum ad ea, quæ intra Miſſarum ſolemnia altari inferuntur, ſive ad ſacrificium pertineant, ſive ab eo aliena ſint. Eſt & alia magis preſſa ſignificatio, qua oblationis nomine ipſum ſacrificium à ſacerdote Deo oblatum intelligimus, de qua aliquid diximus, cum de nominibus Miſſæ ageremus.

VI. Eadem æquivocatio in nomine communionis reperitur, quæ neceſſariò explicanda eſt, ut palam fiat, de qua communione loquamur, cum dicimus, illorum oblationes non fuiſſe receptas, qui ad communionem jus non habebant. Quod ergo attinet ad præſentem Diſſertationem, duæ erant communionis ſpecies. Una erat participatio cum fidelibus in communi converſatione & conſortio, atque etiam in oratione, qua qui donati erant, poterant in omnibus cum fidelibus convenire, ſed non in perceptione Euchariſtiæ. Altera, quæ maxima dicebatur, jus præbebat ſumendæ Euchariſtiæ. Qui utrâque privabantur, hi ab Eccleſia omnino præciſi erant

erant, quales sunt hodie excommunicati, de quibus nullum est dubium, quod nihil poterant altari offerre, cum ab ipso Ecclesiæ ingressu, sicut & Pœnitentes primi gradus, arcerentur. Idem dicendum est de Catechumenis & Pœnitentibus secundi & tertii ordinis, & de reliquis qui peracto sermone ab Ecclesia egrediebantur, & januis clausis adesse mysteriis non poterant. Pœnitentes autem, qui ad quartũ gradum pervenerant, illi etiã, qui aliquod minus grave peccatum sola Eucharistiæ communione privabantur, licet sacris interessent & orationum participes fierent, atque pauperibus eleemosynas erogare possent, nihil tamen poterant offerre ad altare: cum enim non liceret eis Christi corpore reficì, consequens erat, ut eorum oblationes reficerentur, quia potestatem offerendi, & jus sumendi corpus Christi sibi invicem connecti tunc Ecclesia arbitrabatur; nec putabat gratas fore & acceptabiles Deo illius hostias & oblationes, qui à perceptione divinorũ munerum abstentus erat. Confirmat hunc morem epistola Augustini nomine scripta ad Bonifacium virum illustrem, qui tempore Augustini vivebat & Romani imperii perduellis erat. Hæc est 6. *in Appendice tom.* 2. eamque Baronius *an.* 427. esse putat alicujus Episcopi Africani. *Oblatio*, inquit, *domus tuæ à clericis ne suscipiatur indixi, communionemque tibi interdico, donec peracta pro auctibus vel errore à me definita tibimet pœnitentia & tempore condonato, pro hoc facto corde contrito & humiliato dignum offeras sacrificium Deo.* De utrâque communione loquitur concilium Ancyranum: ut optimè explicat Baron. *tom.* 3. *an.* 314. nam quibus dumtaxat permissum erat cum fidelibus orare, illos ait communicasse sine oblatione: qui verò ad Eucharistiæ perceptionem admittebantur, ii dicebantur communicare cum oblatione. De communione laica & peregrina suo loco commodiùs agam. De Energumenis statuit concilium Illiberitanum *can.* 27. ne ipsorum nomen cum oblatione ad altare recitaretur. De Pœnitentibus autem subitò mortuis concilium Vasense I. c. 2. decrevit, ut eorum oblationes reciperentur, & nomina recitarentur. Decreti causam reddidit Concilium Arelatense II. c. 12. quia pœnitentiam honoraverunt. Idem sancivit concilium Toletanum XI. can. 12. Atq; inde originem accepit quorumdam in Africa superstitio, qui ori mortuorum Eucharistiam infundebant, ut communi Ecclesiæ restituti crederentur, quæ damnata est in codice canonum Ecclesiæ Africanæ c. 18. Cum autem in Ecclesia primævus rigor vigeret, ita fideles cum mortuis communicabant, quemadmodum communicaverant cum viventibus: atque ita qui vivens inter *Flentes* erat, sive inter *Audientes*, aut *Substratos*, vel *Consistentes*; etiam defunctus similem gradum habebat, ejusque corpus in eodem Ecclesiæ loco collocabatur, in quo vivens stare consueverat; atque inde ad sepeliendum efferebatur. De his verò, qui animo jam deficientes pœnitentiam postulabant, & ante reconciliationem sive absolutionem moriebantur, Leo Manus *epist.* 92. ad Rusticam Narbonensem Episcopum sic scripsit, *Horum causa Dei judicio reservanda est, in cujus manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.* Porrò communio in his verbis pro absolutione & venia accipitur, quo sensu antiqui canones graviorum quorumdam criminum reis hanc pœnam imposuerunt, ut nec quidem in fine communionem acciperent, quod de reconciliatione & restitutione consortii cum fidelibus omnino accipiendum est. Mitigata deinde fuit hæc severitas, nec illi serò pœnitenti venia denegata est, adeò ut secunda Synodus Aurelianensis c. 15. illorum etiam oblationes recipi concesserit, qui in aliquo crimine fuerant interempti, iis tantùm exceptis, qui propriis sibi manibus necem intulissent.

VII. Sed regredior ad oblationes, & quia supra indicavimus simul cum oblationibus offerentium quoq; nomina oblata seu recitata fuisse, ideò inquirendum, quid sit hujusmodi nominum oblatio seu recitatio. Quidam putant, hoc nihil aliud fuisse quam pro illis orare, illorumque meminisse in orationibus seu publicis seu privatis. Verè tamen alicujus nomen offerre idem erat, ac ipsum in sancto sacrificio recitare & enuntiare; qui ritus manifestè colligitur ex epistola decima Cypriani adversùs Presbyteros, qui lapsos nondum peracta pœnitentia ad consortium fidelium, & ad oblationem ac perceptionem Eucharistiæ admittebant: *Ad communicationem*, inquit, *admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo & clero imposita, Eucharistia illis datur.* Eidem adstipulatur Innocentius I. ep. qua respondet Decentii Episcopi Eugubini consultationibus, ubi ait: *De nominibus recitandis antequam precem sacer-*

*dos*

*dos faciat, atque eorum oblationes quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quàm superstuum sit, & ipse pro tua prudentia recognoscis, ut cujus hostiam necdum Deo offeras, ejus ante nomen insinues, quamvis illi incognitum sit nihil. Prius ergo oblationes sunt commendandæ ac tunc eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia quæ ante præmittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus.* Rursum Cyprianus *epist.* 60. de redemptione captivorum ad Episcopos Numidiæ, eorum nomina se misisse scribit, qui aliquid in illud opus contulerant: non frustrà, ut ad eam notat Rigaltius, nec supervacuè, nam in sacrificiis ipsorum nomina offerebantur. Hæc autem recitatio ad Diaconum spectabat, teste Isidoro, qui epist. ad Ludifredum Episcopum Cordubensem de Diacono agens ait, *Ad ipsum pertinet officium precum & recitatio nominum.* Idem Hieronymus docet in cap. 18. Ezechielis dicens, *Multos conspicimus qui opprimunt per potentiam vel furta committunt, ut de multis parva pauperibus tribuant, & in suis sceleribus glorientur, publiceque Diaconus in Ecclesia recitet offerentium nomina: tantum offert illa, tantum ille pollicitus est: placentque sibi ad plausum populi, torquente conscientia.* Ex quo discimus vitio reproborum in ambitionem degenerasse, quod pro Numinis cultu institutum fuerat. Quare idem Hieronymus lib. 2. in Hieremiam cap. 11. ait: *Nunc publicè recitantur offerentium nomina, & redemptio peccatorum mutatur in laudem.* Græci nomina recitant, cum scindunt panes, & pro singulis tam vivis quam defunctis particulam seponunt, & offerunt, sicque eos sacrificii participes faciunt. Latini in canone distinctis locis vivorum & mortuorum memoriam agunt, quod olim fieri solebat recensitis nominibus. Ex verbis enim S. Innocentii modò citatis constat, recitata fuisse nomina inter sacra mysteria, id est in canone, post munerum commendationem: idque confirmatur ex Concilio Emeritensi sub Vitaliano Papa cap. 19. quo statuitur, *Ut in singulis Ecclesiis, in quibus Presbyter jussus fuerit præesse, singulis diebus Dominicis sacrificium Deo procuret offerre, & eorum nomina à quibus eas Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid his sanctis Ecclesiis videntur aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore Missæ: quod si ab hac decesserunt aut discesserint luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur in suo ordine.* Nomina verò legebantur ex Diptychis, de quibus & de aliis ad hanc nominum recitationem spectantibus commodior agendi locus erit, cum verba illa Canonis explicabimus, *Memento Domine.* Occurrunt autem hoc loco duo quædam ex Walfrido Strabone, quæ pertinent ad oblationem; nec mihi omittenda videntur. Nam primò sic loquitur c. 22. *Sciendum quosdam inordinate offerre, qui attendentes numerū oblationū potius quàm virtutem sacramentorum: sæpè in illis transeunter offerunt Missis, ad quas persistere nolunt. Rationabilius siquidem est ibi offerre, ubi velis persistere, ut qui munus Domino obtulisti, offeras pariter pro eodem munere suscipiendo postulationem devotam. Non enim frustra in actione dicitur,* Qui tibi offerunt: *non dicit,* Qui obtulerunt, *ut intelligamus eos persistere debere in offerendo, donec oblata ad hoc perveniant ad quod oblata sunt.* Ex quibus verbis discimus sæculo nono, quo Walfridus claruit, eos qui offerebant non semper communicasse, imò aliquando facta oblatione statim ab Ecclesia discessisse, quem abusum acriter reprehendit. Deinde aliam perstringit consuetudinem, dicens, *Sed & in hoc error non modicus videtur, quod ajunt quidam se non posse aliter plenam commemorationem eorum facere, pro quibus offerunt, nisi singulas oblationes pro singulis offerant; vel pro vivis & defunctis non simul æstimant immolandum, cum vere sciamus unum pro omnibus mortuum, & unum panem esse & sanguinem, quem universalis Ecclesia offert. Quod si cui placet pro singulis singulatim offerre, pro solius devotionis amplitudine & orationum augendarum delectatione id faciat, non stulta opinione, qua putet unum Dei sacramentum non esse generale medicamentum. Quodammodo enim in fide imperfectus est, qui putat Dominum non discernere, quando una petitione pro multis rogatur, quid cuique sit necesse: vel fastidire cum æstimat, cum eadem oblatio nunc pro uno, nunc pro alio exhibetur.* Hactenus ille, cujusque Sacerdotis arbitrio seu devotioni relinquens unum pro multis offerentibus sacrificium, aut singula pro singulis celebrare. Nostrorum verò temporum alia conditio est, alii mores: nec ullus ignorat, quid de hac re ab Apostolica sede statutum sit.

VIII. Adhuc viget mos offerendi in multis Ecclesiis præsertim in pagis & oppidulis Rusticorum, qui, cum priscarum consuetudinum tenaciores esse soleant, supervenientibus mutationibus haud facile acquiescunt. Verùm hujusmodi oblationes non in usum sacrificii cedunt,

dunt, sed Parocho vel pauperibus tribuuntur, imò plerumque pecunia offertur, nam cum populi communio refrigescente charitate cessasset, & ad usum celebrantis modica panis particula sufficeret; panis verò pro usu sacrificii à clericis formaretur, cœpit populus, ut ait Honorius *in Gemma animæ lib. 1. cap. 66.* pro oblatione panis sive farinæ, denarios offerre. Erat hoc in usu tempore Petri Damiani, ipse enim scribit *l. 5. epist. 13.* quod sibi Missarum mysteria celebranti uxores Principum Bizanteos obtulerunt: erant autem Bizantei nummi aurei. Porrò usum offerendi eo tempore apud Latinos desiisse existimo, quo panis azymus à ministris altaris pro Missæ sacrificio confici cœpit: nam si quid postea oblatum legimus, id nequaquam ad sacrificium, sed ad clericorum vel pauperum sustentationem, vel ad Ecclesiarum & monasteriorum constructionem pertinebat; & sic omnino intelligendæ sunt Conciliorum sanctiones, quæ post annum millesimum aliquid offerri præcipiunt. Synodus Romana V. sub Gregorio VII. cap. ult. *Omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre:* aliquid inquit, non panem aut vinum; *& duci ad memoriam quod Deus per Moysen dixit*, Non apparebis in conspectu meo vacuus. *Etenim in collectis sanctorum Patrum liquidò apparet, quod omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu sanctorum Patrum debeant.* Synodus Eboracensis sub Celestino III. prohibet Sacerdotem aliquid accipere pro Missarum celebratione, nisi hoc dumtaxat quod oblatum fuerit. Sunt & alia statuta, quibus decernitur, ne quis laicorum de oblationibus partiepet, quæ offeruntur ad altare, quæ proculdubio non de his, quæ ad sacrificium spectabant, sed de aliis rebus loquuntur ad usum Ecclesiæ vel pauperum oblatis: quæ quidem oblationes diu apud fideles permanserunt. Agit de his Baronius *ann. 44. num. 68.* ubi de indicta à Paulo collecta sermonē habet, pluraque congerit ad comprobandum earum usum ex Tertulliano, Cypriano, Justino, & aliis Patribus, quibus nonnulla addit infra *ann. 57. num. 72. & 167.* Easdem oblationes respiciunt decreta concilii Gangrensis *c. 7. &* 8. Vasensis I. apud Sirmondum. *c. 4.* Arelatensis II. *c. 28.* Aurelianensis I. *c. 14.* Matisconensis I. *c. 4.* Engilenheimensis *cap. 8.* Tempore Goffridi Vindocinensis in usu erant oblationes in Ecclesiis Monasterio subjectis, quæ in utilitatem Monachorum cedebant, uti constat ex epist. 40. libri 3. Vivebat autem Goffridus a. 1130. Oblationum in ecclesia Græca prisca formula hæc fuit: *Tua de tuis offerimus tibi Domine.* Similiter Latini, *Offerimus*, inquiunt, *præclaræ Majestati tuæ de tuis donis ac datis.* Nam quicquid homo habet, Dei donum est, & ideò in his quæ offert, reddit Deo quod suum non est, illo recipiente quod suum est. In Capitulari Caroli Magni l. 6. c. 285. alia formula oblationum recensetur his verbis: „Quisquis nostrum suas res ecclesiæ tradit, Do„mino Deo illas offert atq; dedicat, sitisq; san„ctis & non altari, dicendo talia & agendo ita. „Facit enim scripturam de ipsis rebus, quas „Deo dare desiderat, & ipsam scripturam co„ram altari aut supra tenet in manu dicens ejus„dem loci sacerdotibus atque Custodibus: Of„fero Deo atque dedico omnes res quæ in hac „chartula tenentur insertæ, pro remissione pec„catorum meorum ac parentum & filiorum, aut „pro quocunq; illas Deo deliberare voluerit ad „serviendum ex his Deo in sacrificiis, Missa„rumq; solemniis, orationibus, luminariis, pau„perum ac clericorum alimoniis, & cæteris di„vinis cultibus, atq; illius ecclesiæ utilitatibus. „Si quis autem eas inde, quod fieri nullatenus „credo, abstulerit, sub pœna sacrilegii ex hoc „Domino Deo, cui eas offero atque dedico, di„strictissimas reddat rationes. Hoc antiquis solemne fuit, ut chartas donationum ponerent super altare, ut patet ex Marculfo Monacho, qui vivebat an. 660. l. 1. formularum c. 1. *Nec de hoc quod à Dominum timentibus hominibus transmissum, aut in altario offertum fuerit, auferre præsumat.* Anastasius quoque in Adriano, donationem factam Romanæ Ecclesiæ à Carolo Magno positam ab eo fuisse refert super altare S. Petri. Idem confirmat Gregorius Turonensis *lib. 1. de gloria Martyrum cap. 61.* ubi narrat baltheum ex auro purissimo cum omni apparatu studiosissimè fabricatum ab homine devoto oblatum super altare basilicæ S. Nazarii. Alia quædam testimonia affert Bignonius in notis ad locum citatum Marculfi; quibus plura addi possent ex breviculis sive instrumentis donationum, quas Ecclesiis & locis religiosis Reges, Principes, & alii passim fecerunt. Adhuc vigebat hæc consuetudo tempore Innocentii III. qui *cap. ex literis, de consuetudine*, rescribens Archiepiscopo Lundensi in Dania, non Lugdunensi, ut perperam scribitur in Decretalibus, perfectæ donationis signum esse ait, cum quis modicum terræ illius possessionis quam offert Ecclesiæ, ponit super altari.

Eo-

Eodem modo Monachi cum per solemnem professionem seipsos offerunt Deo, ipsius professionis chartam ponunt in altari, ut S. Benedictus præcipit in Regula *cap.* 58. Et Regula Tarnatensis, sive Agaunensis Monasterii *cap.* 1. agens de his qui sæculo renuntiantes se & sua donabant Monasterio, *oblationem ejus*, inquit, *ad integrum devotio sincera commendet, & super altare statuat.* Consonat Regula Magistri *cap.* 89. dicens: *Si quis cum rebus suis introierit, tunc ille brevis, & donatio rerum suarum Deo vel Monasterio facta ipsius donatoris manu super altare ponatur, dicente ipso fratre: Ecce Domine cum anima mea & paupertate mea quicquid mihi donásti tibi reconsigno & offero: & ibi volo ut sint res meæ, ubi fuerit cor meum & anima, sub potestate tamen Monasterii & Abbatis, quem mihi Domine in vice tua timendum præponis.* Ad hunc morem alludere videtur Gregorius Magnus *lib.* 4. *expositi. in* 1. *Regum cap.* 4. cum de Novitiis disserens ait: *Quod coram nobis promittunt, Deo offerimus, ut ipse jam de manibus nostris teneat, quod exquirat. Cum ergo ea quæ Novitii promittunt Deo offerimus, quasi chirographum quod nobis faciunt, illi damus.* Quia nimirum chartam professionis positam à Novitio super altari Abbas Missam celebrans accipit, & loco Dei acceptat, & ipsi offert. Idem olim servabant Abbates, cum benedictionis munere accepto ab Episcopo diœcesano, obedientiam illi & reverentiam pollicebantur, nam chartam ejus sponsionis seu professionis altari imponebant: quem ritum commemorat Innocentius III. *lib.* 1. *epist.* 58. sic scribens Episcopo Burgensi: *Cum autem ab eo* Episcopo *fuerit benedictus, reverentiam ei super his tantummodo quæ præscripta sunt repromittat, professione hujusmodi super altare in scriptis oblata.* Ad quæ verba quædam erudite observat Franciscus Bosquetus in notis. Ejus autem professionis formulam exhibet Honorius III. *cap.* 43. Ne Dei Ecclesiam: de Simonia.

## CAPUT IX.

*Ritus oblationum describitur. An omnes offerentes accederent ad altare. Orationes, quibus munera offeruntur, diversas esse in diversis Ecclesiis. Vinum aqua miscere ex Christi institutione. Græci bis aquam miscent. Quo apparatu dona sacranda deferant à prothesi ad altare. Thurificatio, & lotio manuum. Sacerdotis pro se ad populum deprecatio. Orationes Secretæ.*

I. RItum olim in oblatione adhibitum sic describit Ordo Romanus. *Cantores cantant offertorium cum versibus & populus dat oblationes suas, ideſt, panem & vinum, & offerunt cum fanonibus candidis primò masculi, deinde fœminæ.* Erant autem fanones, sindones, ut notat ipsius ordinis expositio apud Cassandrum. *Novissimè verò Sacerdotes & Diaconi offerunt, sed solum panem, & hoc ante altare. Subdiaconus verò cum calice vacuo sequitur Archidiaconum, & Pontifice oblationes populorum suscipiente, Archidiaconus suscipit post eum amulas, & refundit in calicem majorem.* Amula hic accipitur pro vasculo, quo vinum continebatur, antiquis verò amula erat vasculum quo religionis gratiâ aqua portabatur, qua voce usus est Columella de culto hortorum:

*Aut habilem lymphis amulam, Bacchove lagenam.*

*Oblationes autem à Pontifice suscipit Subdiaconus & ponit in Sindonem, quæ cum sequitur, quam tenent duo Acolythi. Tunc Episcopus redit in sedem & lavat manus,* quibus lotis *accedit ad altare. Tunc Subdiaconi levantes oblatas de manu Subdiaconi sequentis porrigunt Archidiacono, & ille componit altare. Ornato verò altari, Archidiaconus sumit amulam Pontificis cum vino de Subdiacono, & refundit super colum,* id est, super colatorium, *in calicem. Deinde descendit Subdiaconus sequens in Scholam, & accipit fontem de manu Archiparaphoniſtæ & defert Archidiacono, & ille ex amula infundit faciens crucem in calicem.* Porrò Subdiaconus ideò ad scholam cantorum accedit, ut ab eis aquam accipiat vino miscendam, quia cantores, ut docet Amalarius *libro* 3. *capite* 19. propter instantem cantandi necessitatem non habent licentiam huc illuc discurrendi, & ne penitus extorres essent à sacrificio, aquam pro cæteris offerebant. *Mox Pontifex salutat altare,* ipsum videlicet osculando, *& suscipit oblatas de manibus Presbyterorum & Diaconorum, quibus licitum est accedere ad altare. Deinde Archidiaconus suscipit oblatas duas de oblationario, & dat Pontifici: quas dum posuerit Pontifex in altari, levat calicem Archidiaconus de manu Subdiaconi, & ponit eum super altare juxta oblationes Pontificis à dextris, involutis ansis cum offertorio suo,* id est cum velo,

velo, quod nunc quoque offertorium dicitur, quia eo utimur, cum dona offeruntur, *quod etiam ponit in dextro cornu altaris. Post oblationem ponitur incensum super altare, & Pontifex inclinans se paululum ad altare respicit scholam & annuit ut fileant, & convertit se ad populum dicens, Orate.* Hæc Ordo Romanus in prima Missæ descriptione; idemque ferè repetitur in tertia, & quarta. An verò populus sua dona oblaturus cancellos ingredi & ad altare accedere permitteretur, non potest facilè explicari nisi tempora distinguamus & regiones. Apud Græcos omnes laicos à sacrario semper exclusos, excepto Imperatore cum dona sua Creatori offerri volebat, canon Trullanus LXIX. ostendit, multique comprobant Græci scriptores, quos Leo Allatius citat in dissertatione de templis recentiorum Græcorum. Eumdem morem diu apud latinos viguisse ex Ordine Romano liquet in secunda Missæ descriptione, quæ est Patrum occidentalium. *Pontifex*, inquit, *dum cantatur offertorium, à Presbytero & Archidiacono ad locum ubi oblationes à fidelibus laicis sive viris sive fœminis offeruntur, eàsdem accepturus ducatur.* Et in tertia, quæ propria Romanæ Ecclesiæ est: Pontifex descendit ad *Senatorium & suscipit oblationes Principum.* Et infra: *Pontifex antequam transeat in partem mulierum, descendit ante Confessionem & suscipit oblatas Primicerii defensorum.* Idem confirmat Capitulare Caroli Magni l. 5. c. 219. *Ut per omnes dies dominicos oblationes Deo offerant, & ut ipsa oblatio foris septa altaris recipiatur.* Heraldus etiam Turonensis Archiepiscopus *cap. 7.* sui Capitularis disertis verbis constituit, *Ut populus extra cancellos stet, ejus oblatio extra cancellos recipiatur.* At Theodulfus Aurelianensis in suo item Capitulari cap. 6. solas fœminas excludit, quas in locis suis stare jubet, atque ibi sacerdotem earum oblationes accipere. De viris nihil statuit, ex quo licet inferre, quòd illi ad altare accederent, & ibi offerrent. Sic paulatim eversâ ecclesiasticâ disciplinâ omnes indiscriminatim cujuscumque sexus & conditionis ad sacrum altare sibi aditum usurparunt.

II. In Ordine Romano nulla fit mentio orationum quæ dici solent à sacerdote, dum oblationes & reliqua peraguntur, quas nec Gregorius Magnus in libro Sacramentorum, nec Alcuinus, nec Amalarius, nec alii Romanæ Missæ expositores commemorant; quia, ut observat Micrologus cap. 11. Romanus Ordo nullam orationem instituit post Offerendam ante secretam; & ideò omnis ista actio sub silentio complebatur. Ex hac autem consuetudine Romanæ Ecclesiæ quorumdam Scholasticorum opinio convellitur, asserentium oblationem istam cum orationibus eidem assignatis ad sacrificii integritatem pertinere. Fatentur quidem & agnoscunt omnes Theologi oblationem esse intrinsecam sacrificio, sed in qua ejus parte consistat; an cum Sacerdos præscripto ritu panem & vinum offert, an cum peracta consecratione eà verba profert, *Unde & memores no omine servi tui offerimus præclaræ majestati tuæ hostiam puram*, & quæ sequuntur; quæstio inutilis est. Oblatio enim, cum sit inseparabilis à sacrificio, à certa precum sive rituum formula non dependet; alioquin sacrificium Apostolorum & cæterorum, qui nondum institutis hujusmodi orationibus vixerunt, oblatione caruisset. Quicquid igitur offertorii nomine comprehenditur, simplex ceremonia ac merè accidentalis est, mox futuri sacrificii præparatoria. Hinc etiam discimus, qua de causa orationes, quæ in offertorio dicuntur, in diversis Ecclesiis diversæ sint; quia cum diu Romana Ecclesia illis usa non fuerit, unaquæque Ecclesia sibi peculiares instituit. Micrologus duas tantum profert ex Ordine Gallicano, nempè *Veni sanctificator*, & *Suscipe S. Trinitas.* Ordo Romanus in secunda descriptione Missæ hanc solam commemorat, *Veni sanctificator*, quæ non est Romanæ Ecclesiæ, sed partium occidentalium. In antiquis Missalibus Monasticis hac unica oratione panis & vinum offeruntur.

*Suscipe S. Trinitas unus Deus, hanc oblationem quam tibi offerimus in memoriam beatæ Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, & in honorem B. Mariæ semper Virginis genitricis ejusdem Domini nostri, & omnium sanctorum & sanctarum, cœlestium virtutum & vivificæ crucis: ut eam acceptare digneris pro nobis peccatoribus, & pro animabus omnium fidelium defunctorum. Qui vivis.* Ita olim Cistercienses.

Ritu Ecclesiæ Lugdunensis cum Sacerdos calicem discooperit, ait: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Tum accipiendo calicem dicit: *Hanc oblationem quæsumus omnipotens Deus ut placatus accipias, & omnium offerentium & eorum pro quibus tibi offertur peccata indulge.* Deinde elevat calicem dicens, *In spiritu humilitatis*, &c. Et post incensatum altare

& lotas manus ait: *Veni sancte spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.* Tum inclinat se ante altare & dicit: *Suscipe S. Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, & in honorem Virginis Mariæ, & in honorem omnium sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, seu eorum quorum hodie festivitas celebratur, & quorum nomina & reliquiæ hic habentur, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem; ut illi omnes sancti pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Per eumdem Dominum nostrum.*

Ritu Ecclesiæ Sarisburiensis panis & vinum simul offeruntur hac oratione: „ Suscipe S. „ Trinitas hanc oblationem, quam ego indignus „ peccator offero in honore tuo, B. Mariæ & „ omnium Sanctorum tuorum, pro peccatis & „ offensionibus meis, & pro salute vivorum & „ requie omnium fidelium defunctorum. In no„ mine Patris & Filii & Spiritus sancti acce„ ptum sit omnipotenti Deo hoc sacrificinm „ novum.

In Missali Hispalensi ad hostiam offerendam dicitur hæc Oratio. *Acceptabilis sit majestati tuæ omnipotens Deus hæc oblatio, quam tibi offerimus pro reatibus & facinoribus nostris, & pro stabilitate sanctæ Dei Ecclesiæ catholicæ.* Ad calicem. *Offerimus tibi Domine calicem Christi filii tui, humiliter deprecantes clementiam tuam, ut ante conspectum divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat.*

In antiquo Missali M. S. Bibliothecæ Vaticanæ cod. 4772. quod alicujus Monasterii fuisse constat, sic fit oblatio. Quando Diaconus offert calicem Presbytero, calicem scilicet cum patena & hostia superposita, dicit: *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Et sacerdos accipiens oblationem dicit: *Calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.* Et consequenter dicit hanc Orationem: *Suscipe S. Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, & nostræ congregationis salute, & pro omnibus in Christo fratribus & sororibus nostris, & pro omni populo Christiano, & pro omnibus eleemosynas nobis facientibus, & pro his etiam qui se commendaverunt in nostras orationes, & qui nostri memoriam in suis orationibus habent, ut hic veniam recipiamus peccatorum, & in futuro præmia consequamur æterna.* Cum superposita fuerit oblatio in altari dicat: *Acceptum sit Domino Deo omnipotenti istud sacrificium altari suo superimpositum, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Sit signatum & consecratum, & benedictum sacrificium.* Super oblata: *Sanctifica Domine hanc oblationem, ut nobis unigeniti tui corpus fiat.* Super calicem: *Sanctifica quæsumus Domine hunc calicem, ut nobis Unigeniti tui sanguis fiat.*

In Missa codicis Tiliani apud Menardum, & in ea quam edidit Illyricus, diversæ habentur formulæ oblationum, generales, & particulares. Sunt & aliæ in aliis Missalibus quæ ferè cum suprascriptis coincidunt. Omnium brevissima est sequens oratio, qua panem & vinum simul offerunt Fratres Prædicatores. „ Suscipe S. Tri„ nitas hanc oblationem, quam tibi offero in „ memoriam passionis Domini nostri J. Chri„ sti, & præsta ut in conspectu tuo tibi placens „ ascendat, & meam & omnium fidelium salu„ tem operetur æternam.

Ritu Ambrosiano Sacerdos offerens hostiam dicit: *Suscipe Clementissime Pater hunc panem sanctum, ut fiat Unigeniti tui corpus, in nomine Patris* &c. Et dum offert calicem ait, *Suscipe clementissime Pater hunc calicem, ut fiat Unigeniti tui sanguis, in nomine Patris* &c. Deinde junctis manibus & inclinatus dicit, *Omnipotens sempiterne Deus, placabilis & acceptabilis sit tibi hæc oblatio, quam ego indignus pro me misero peccatore, & pro delictis meis innumerabilibus tuæ pietati offero, ut veniam & remissionem omnium peccatorum meorum mihi concedas, & iniquitates meas ne respexeris, sed sola tua misericordia mihi prosit indigno.* Tum stans manibus extensis prosequitur: *Et suscipe S. Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro regimine & custodia atque unitate catholicæ fidei, & pro veneratione quoque B. Dei genitricis Mariæ, omniumque simul sanctorum tuorum: & pro salute & incolumitate famulorum famularumque tuarum, & omnium pro quibus clementiam tuam implorare polliciti sumus, & quorum quarumq; eleemosynas suscepimus, & omnium fidelium Christianorum tam vivorum quam defunctorum; ut te miserante remissionem omnium peccatorum, & æternæ beatitudinis præmia in tuis laudibus fideliter perseverando percipere mereantur, ad gloriam & honorem nominis tui, Deus misericordissime rerum conditor. Per Christum dominum nostrum.* Diebus Dominicis & in festis Sanctorum dicit Orationem incipientem, *suscipe sancta Trinitas*, parum differentem ab ea quæ supra descripta est in ritu Lugdunensi. Deinde manus expansas tenens super oblata ait, *Et suscipe S. Trinitas hanc oblationem pro emundatione mea, ut*

*mundes & purges me ab universis peccatorum maculis, quatenus tibi dignè ministrare merear, Deus & clementissime Domine.* Postea benedicit oblata his verbis: *Benedictio Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus sancti copiosa de cœlo descendat super hanc nostram oblationem, & accepta tibi sit hæc oblatio Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, misericordissime rerum conditor. Amen.* Tandem si solemniter celebrat, incensat oblata.

Mozarabes dicunt duas orationes ex Missali Hispalensi supra descriptas, quibus addunt *In spiritu humilitatis*, & *Veni sanctificator.*

III. More Romano Sacerdos offert primò patenam cum hostia dicens orationem, *Suscipe sancte Pater omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hostiam*, &c. De qua oratione Joannes Hofmeister ordinis S. Aug. in expositione Missæ cum viro docto magnam fuisse disceptationem scribit, objiciente illo se mirari, quomodo auderemus panem & vinum vocare hostiam immaculatam, quam Deus suscipiat pro salute vivorum & defunctorum: cui ipse respondit: *Non panem & vinum vocamus immaculatam hostiam, sed corpus & sanguinem Domini, quæ ex illis conficiuntur. Igitur non ob hoc, quod jam sunt, sed quod paulò post futura sunt, tali digna æstimantur appellatione, locutionis quodam modo à sacris litteris non alieno. Sicut Judas ab initio suæ vocationis vocatus est proditor, quia talis futurus erat.* Dicimus ergo immaculatam hostiam per relationem ad terminum substantiæ panis & vini mox subrogandum: neque enim aliter pertinent panis & vinum ad rem immolatam, nisi quia ex Christi institutione in his conficitur sacrificium, & subeorum speciebus per verba consecrationis Christi corpus & sanguis verâ & reali transubstantiatione collocantur. Pane autem oblato ponit sacerdos vinum in calice & aquam miscet, idque ex Christi institutione, ut antiquæ Liturgiæ Jacobi, Marci, Basilii, & Joannis Chrysostomi testantur, dicentes Christum postquam cœnavit, accepisse calicem, & vino aquam miscuisse. Idem definitum fuit in Concilio III. Carthaginensi c. 24. *Ut in Sacramentis corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aqua mixtum.* Et in Concilio IV. Aurelianensi c. 4. *Ut nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, & hoc aqua mixtum offerre præsumat; quia sacrilegium judicetur aliud offerri, quam quod in mandatis sacratissimis Salvator instituit.* At in antiquis editionibus hujus canonis textum corruptum fuisse pridem observarunt viri eruditi; nam sic legebatur, *& hoc sine aqua mixtum:* repugnat autem quod mixtum sit & sine aqua; quare delenda vox *sine* vel in *nisi* mutanda, quod forsitan verius est. Concilium quoque Antissiodorense c. 8. Vormatiense *cap.* 4. Triburiense *c.* 19. vinum aqua mixtum offerri decreverunt, idque antea constituisse dicitur Alexander I. non quod auctor hujus mixtionis fuerit, ut nonnulli perperam scribunt, sed quia adversùs hæreticorum errores, quod ex Domini & Apostolorum traditione acceperat, scripto firmavit. Longam de hoc argumento epistolam scripsit ad Cæcilium Cyprianus, quam laudat Augustinus *l.* 4. *de doctr. Christiana c.* 21. hoc Domini præceptū esse affirmans, cujus transgressio gravissimum peccatum sit, & hujus ineffabilis Sacramenti mutilatio. Justinus Mart. Apol. 2. panem, vinum, & aquam offerri ait. Irenæus l. 4. c. 57. *Dominus*, inquit, *accipiens panem, suum corpus confitebatur, & temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit.* Damascenus lib. 4. de fide Orthod. capite 14. *Consimili modo*, ait, *acceptum calicem & vino & aqua constantem impertivit eis.* Gennadius de Ecclesiasticis Dogmatibus c. 75. *In Eucharistia non debet pura aqua offerri, ut quidam sobrietatis falluntur imagine, sed vinum cum aqua mixtum.* Ambrosius *l.* 5. *de Sacram. c.* 1. aquam vino misceri docet, tum quia Christus petra est, quam illa præfiguravit, ex qua Moyses aquam eduxit: tum quia ex latere Christi sanguis & aqua fluxerunt. August. in sermone ad Neophytos, *Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: hoc accipite in calice, quod manavit de Christi latere.* Theodulphus item Aurelianensis duplicem ejusdem mixtionis causam agnoscit in libello de Ordine Baptismi, quem edidit Menardus in notis ad librum Sacramentorum, *c.* 18. sive quia de latere Domini aqua cum sanguine fluxit: vel quia per vinum Christus, per aquam populus significatur. Hanc verò secundam rationem elegantissimè pertractat Cyprianus in lau- „ data epist. ad Cæcilium. Videmus in aqua „ populum intelligi, in vino ostendi sanguinem „ Christi. Quando autem in calice aqua vino mi- „ scetur, Christo populus adunatur, & credenti- „ um plebs ei in quem credidit copulatur & „ conjungitur. Quæ copulatio & conjunctio „ aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, ut „ commixtio illa non possit abinvicem separari, „ Unde Ecclesiam, id est plebem in Ecclesia

„ constitutam, fideliter & firmiter in eo quod „ credidit perseverantem, nulla res separare po- „ terit à Christo. Sic autem in sanctificando ca- „ lice Domini aqua sola offerri non potest, quo- „ modo nec vinum solum potest. Nam si vinum „ solum quis offerat, sanguis Christi incipit esse „ sine nobis: si verò aqua sit sola, plebs incipit „ esse sine Christo. Hæc & alia multa Cyprianus, quæ Patres Concilii tertii Bracarensis *can.* 1. transcripserunt. Hydroparastatas sive Aquarios & Encratitas, qui sola aqua utuntur in mysteriis; itemque Armenos, qui solum vinum adhibent, semper damnavit Ecclesia. Aquariorum mentionem faciunt Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Stromatum*, Irenæus *lib.* 5. *cap.* 1. Chrysostomus *hom.* 83. *in Matth.* Augustinus *de hæresibus cap.* 64. Epiphanius *hæres.* 46. *adversùs Encratitas*, Theodoretus *lib.* 1. *hæretic. fabul. cap.* 20. Aliam Aquariorum speciem Cyprianus impugnat in prædicta epist. 63. eorum nimirum, qui, cum vespere calicem cum vino & aqua, sicut Dominus obtulit, offerrent; in matutinis tamen & antelucanis cœtibus sola aqua utebantur, ne Gentiles ex odore vini eos agnoscerent. Armenos damnavit concilium Trullanum *can.* 32. eosque egregiè confutat Clemens Galanus *Tomo II. secundæ partis Conciliationis Ecclesiæ Armenæ cum Romana, tract. de nova lege, quæst.* 4. §. 3. *sect.* 2. Hi stultorum more, dum Aquariorum hæresim vitant, in contrarium errorem lapsi sunt, solum vinum offerentes: sive per solum vinum unam dumtaxat in Christo naturam designarint, à Jacobo Syro Eutychianæ blasphemiæ propagatore seducti, ut Nicephorus indicavit *lib.* 18. *Ecclesiast. cap.* 53. sive aquam detraxerint, ut à Græcis separarentur, ut ex quadam illorum historia colligitur, quam supra commemoravimus *Lib. I. Cap.* XXIII. Refert Bernard. *ep.* 69. quorundam opinionem existimantium, aquæ mixtionem necessariam esse ad sacramenti integritatem; sed certa est Theologorũ sententia omissâ aquâ validam esse consecrationem, quamvis omittens graviter peccet. Cùm verò aqua mysterii causâ apponatur, vel minima gutta sufficiens est: de qua re Antonius Augustinus vir doctissimus in Synodalibus Constitutionibus Tarraconensibus Pii V. ad illius civitatis Archiepiscopum, constitutionem affert, in qua nonnullos arguit, qui non guttam tantummodo aquæ, sicut fieri debet, calici infundebant; sed plus aquæ quàm vini, aut tantũdem aquæ quàm vini, quod omnino corrigi & emendari præcepit. Hunc autem excessum præcaventes quædam ecclesiæ, aquam vino miscendam parvo cochleari excipere solebant, & ex eo in calicem fundere, qui mos adhuc permanet in Ecclesiis Carthusianorum. Romano ritu dum aqua miscetur vino, dicitur Oratio, *Deus qui humanæ substantiæ dignitatem*, quæ extat in Missa veteri edita ab Illyrico, & in Tilliana apud Menardum. Ecclesiæ omnes Orientales & plures Latinæ in eâdem mixtione sanguinem & aquam è Christi latere fluxisse commemorant. Sic enim Ambrosiani dicunt, cum aquam infundunt, *De latere Christi exivit sanguis & aqua pariter, in nomine Patris*, &c. Sic Lugdunenses, *De latere Domini nostri Jesu Christi exivit sanguis & aqua tempore passionis: id est mysterium S. Trinitatis. Joannes Evangelista vidit & testimonium perhibuit, & scimus quia verum est testimonium ejus.* Sic Hispalenses; *Ex latere Domini nostri Jesu Christi sanguis & aqua exiisse perhibetur, & ideò pariter commiscemus, ut misericors Deus utrumque ad medelam animarum nostrarum sanctificare dignetur.* Sic Cistercienses prisco ritu, *Sicut de latere Domini nostri Jesu Christi exivit sanguis & aqua, sic fiat pariter commixtio vini & aquæ in remissionem peccatorum nostrorum.*

IV. Græci bis aquam miscent, semel frigidam, cum in prothesi sancta dona præparant, pungente sacerdote panem sancta lancea & dicente, *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit, statimque exivit sanguis & aqua*: & Diacono infundente vinum & aquam. Deinde calidam post consecrationem, immediatè ante communionem, petente Diacono à sacerdote ut aquam fervidam benedicat, illo vero benedicente his verbis: *Benedictus fervor sanctorum tuorum jugiter, nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen.* Tum Diaconus infundit in calicem dicens, *Fervor fidei plenus Spiritu sancto Amen.* Rationem reddunt hujus secundæ mixtionis scriptores Græci apud Goar in notis ad missam Chrysostomi *num.* 167. & apud Arcudium *lib.* 3. *suæ concordiæ cap.* 39. tum quia aqua calida è latere Christi exivit, tum quia per eam fervorem S. Spiritus intelligi volunt. Addi potest Theodorus Antidorum Episcopus apud Allatium in Hottingero convicto cap. 9. *Dictum est*, ait ille in expositione Missæ, *in principio Prothesis quo præparentur modo à Diacono tunc infundente partem pusillam aquæ. Et sic manent quousque sanctificentur & transmutentur Spiritu sancto, & ad tempus exaltationis pretiosi Corporis*

*poris Christi & Dei nostri. Tum verò adducitur aqua calida in parvo lebete, ex eaque infundunt in sacræ mensæ appositæ, sive crateres sint sive poculæ: ut sicuti supra naturæ vires tamquam ex vivente utraque tunc processerunt ex sacro latere caliditatis plena; pari modo & aqua perquam maxime calida tempore communionis immixta perfectum typum absolvit eorum qui communicant ex calice, tamquam qui per illam lateri vitam exhibenti contigui fiunt.* Hunc autem Græcorum ritum quidam è nostris Theologis ignorantes, vel utramque mixtionem confundunt, ut Estius vir alioquin doctissimus *orat. Theologica 16.* vel putant, eos aquam non apponere, ut Guido Carmelita *lib. de hæresibus*; vel aquæ calidæ infusionem impugnant, ut Umbertus Sylvæ candidæ Episcopus invectiva adversùs Nicetem Pectoratum. Sed immeritò hac de causa Græci vexantur, hunc enim ritum in suis Liturgiis præscribunt sancti Patres Basilius & Chrysostomus, usuque perpetuo orientalis Ecclesiæ Sacerdotes doctrina & sanctitate conspicui comprobarunt. Hunc eumdem Græcorum morem convellit S. Thomas 3. *p. qu.* 83. *art.* 6. *ad* 4. dicens: *Nullo modo debet aqua vino jam consecrato misceri, quia sequeretur corruptio Sacramenti pro aliqua parte.* Quæ doctrina ex ignoratione approbati ritus procedens, Latinis præbuit ansam Græcos impugnandi in concilio Florentino, pro quibus optimè respondit Episcopus Mitylenensis, & Eugenio Papæ plenè satisfecit. Solent etiam Græci ingenti pompa & apparatu è Prothesi ad majus altare sacra dona consecranda deferre, quam ceremoniam majorem ingressum vocant. Egressi enim tam celebrans quàm ministri è porta minoris aræ per Ecclesiam procedunt, incipientes à parte virorum. Antecedunt lectores cereas faces præferentes, & Diaconi cum thuribulis thus adolentes. Sequitur Diaconus, sive sacerdos qui panem in disco positum & opertum velamine in capite gestat: & post illum alius, qui calicem item opertum ante pectus defert. Quod si adsint plures sacerdotes concelebrantes, hi processionem comitantur, vacuos calices ornatus gratia, & alia altaris instrumenta sive Sanctorum reliquias portantes. Cantores interim gravi cantu Cherubicum hymnum modulantur, & Episcopus omnibus benedicit. Populus verò procumbens, ipsa nuda elementa panis & vini nondum consecrata, ac si jam essent in corpus & sanguinem Christi transmutata, venerabundus adorat. Jacobus Goar ad Liturgiam Chrysostomi *numero* 110. hanc adorationem sustineri posse tanquam Orthodoxam existimat, utpotè exuberans devotionis argumentum, quo consecratio prævenitur: & cultum exhiberi ait vel signo crucis in pane impresso; vel Christo ipsi, qui paulò post sub illis speciebus præsens aderit; fatetur tamen plebem erudiendam & admonendam, ne fortè Christum jam ibi præsentem esse opinetur. At vir doctissimus natione Græcus Petrus Arcudius *lib.* 3. *de Eucharistiâ à cap.* 16. *ad* 25. hanc adorationem inter Græciæ eterodoxæ errores commemorat, rudemque populum errandi occasionem hausisse docet ex pompa qua dona circumferuntur: vel ex eo quod non distinguat inter ingressum, qui fit in Missa Præsanctificatorum, in qua verum Christi corpus, & ingressum aliarum Missarum in quibus panis nondum consecratus circumfertur. Scripsit librum pro hac adoratione Gabriel Archiepiscopus Philadelphiæ: cui doctè & diffusè respondit Arcudius.

V. Sed regredior ad Sacerdotem Latinum, qui calicem aqua mixtum Deo offert dicens: *Offerimus tibi Domine calicem salutaris*, &c. cumque in panis oblatione singulariter dixerit *Offero*, hic pluraliter ait *Offerimus*, quia nimirum Romano ritu eandem orationem simul cum Sacerdote in Missa solemni recitat Diaconus, qui antea vinum calici infudit, & olim sanguinem populo ministrabat. Neque obstat, quod privatæ Missæ sine Diacono celebrantur, & nihilominus Sacerdos dicit *Offerimus*, quia formulæ pro solemni Missa institutæ in privata non mutantur. Hujus verbi *Offerimus* meminit Augustinus *libro* 20. *adv. Faustum Manichæum cap.* 21. dicens: *Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo qui Martyres coronavit.* Orat item Sacerdos in ipsa oblatione, ut calix oblatus *in conspectu divinæ majestatis cum odore suavitatis ascendat*: cum illo scilicet mystico odore, qui ex ipso calice, cum consecratus fuerit, suavissimè expirat. Post hanc orationem collocat Sacerdos calicem in altari, hostia ante calicem constituta. At in hoc Græci differunt à Latinis, non enim in longum coram se, sed in transversum, panem & vinum ordinant; qui mos etiam à Latinis diu ob-

servatus est. Nam in Ordine Romano in postre
» ma Missæ descriptione sic legimus: Archidia-
» conus suscipit oblatas Pontificis de oblatio-
» nario & dat Pontifici: quas dum posuerit Pon-
» tifex in altari, levat calicem Archidiaconus de
» manu subdiaconi regionarii, & ponit eum su-
» per altare juxtà oblatam Pontificis à dexteris.
» *Et Micrologus cap.* 10. Ita, *inquit*, juxta Roma-
» num Ordinem in altari componenda sunt, ut
» oblata in corporali posita, calix ad dextrum
» latus Oblatæ ponatur, quasi sanguinem Domi-
» ni susceperus, quem de latere Dominico pro-
» fluxisse credimus. His autem recentior B. Jo-
annes de Parma, septimus Ordinis Minorum Minister Generalis, qui obiit ann. 1289. in epist. ad Fratres Provinciæ Thusciæ, quam Lucas Wadingus refert in Annalibus, præcepit illis, ut juxta ritum Romanæ Ecclesiæ, à quo fortassis aliqui tunc deviare incipiebant, hostiam ad sinistram Sacerdotis, calicem ad dextram ex transverso altaris componerent. Posteà hic ordo mutatus est, nam calix in medio altaris, & inter calicem & sacerdotem hostia collocatur. Sequitur deprecatio *In spiritu humilitatis* ex verbis Azariæ apud Danielem, quę in multis Missalibus M. SS. reperitur: itemq; alia, *Veni sanctificator*, quæ communior & antiquior est, & dirigitur, ut plerique explicant, ad Spiritum sanctum, ut veniat & præparatum sacrificium benedicat. Invocare autem Spiritum sanctum ad oblationem sanctificandum mos antiquissimus fuit Ecclesiæ Africanæ, ut ex Fulgentio constat, qui *lib.* 2. *ad Monimum à cap.* 6. *& deinceps* hanc sibi propositam quæstionem solvit, cur sancti Spiritus tantùm missio postuletur ad consecrandum sacrificium corporis & sanguinis Domini; cum ipsum sacrificium omni Trinitati offeratur. Ad eandem postulationem alludit Optatus Milevitanus l. 6. reprehendens Donatistas, qui altaria fregerant: *In quibus*, inquit, *vota populi & membra Christi portata sunt: quo postulatus descendit Spiritus sanctus.* His peractis adoletur incensum, quod à Leone I. institutum ex quibusdam Chronicis scribit Radulfus Prop. 23. Sed illis Chronicis nulla fides adhibenda est, nam si sermo sit de quocumque usu thuris in Missa, jam suprà ostendimus, ab initio Ecclesiæ Apostolorum decreto thus adhibitum in solemni sacrificio. Si verò loquamur de thurificatione oblatorum in altari, testis est Amalarius in præfatione librorum de ecclesiasticis officiis, Romanos post Evangelium incensum olim super altare non obtulisse. Et Micrologus c. 9, ait, *Romanus ordo præcipit, ut incensum semper præcedat Evangelium, cum ad altare sive in ambonem portatur: non autem concedit ut oblatio in altari thurificetur.* Et Amalario quidem testi oculato credendum est, licet ordo Romanus, ut nunc extat, in prima descriptione Missæ post oblationem dicat incensum poni super altare, nam hæc descriptio recentior est, cum symboli post Evangelium mentionem faciat, quod Romæ post annum millesimum cantari cœpit. Tertia verò & quarta, quæ verè Romanæ sunt, Amalario & Micrologo consentiunt, tunc tantùm incensi usum præscribentes, cum legendum est Evangelium. Porrò fideles fumum incensi manu ad os trahere & naribus applicare solebant, ut ordo Romanus ait in præcitata prima descriptione. Thure etiam utebantur in monasteriis, in privatis ædibus tam Religiosi quàm Laici ante privatas orationes. Sed istæ & aliæ thurificationes ad hunc tractatum non pertinent.

VI. Postquam Sacerdos thus adolevit, lavat manus in signum puritatis animæ, ut ait Clemens *libro* 8. *constit. cap.* 11. Dionysius quoque *cap.* 3. *Eccles. hierarch.* non solùm Pontificem sacris operantem, sed omnes etiam Presbyteros manus abluisse docet, cujus lotionis prolixa ibidem Theoria legi potest. Adstipulatur Cyrillus Hierosolymitanus initio catecheseos quintæ mystagogicæ dicens, *Vidistis Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti, & illis qui circum altare Dei stabant Presbyteris.* Communis est omni nationi hic ritus manus abluendi post oblationem, Græcis, Latinis, Maronitis, & aliis orientalibus. Sed singulare est, quod scribit in expositione Missæ Nicolaus de Plove presbyter Posnoniensis, hanc ablutionem in Ecclesia sua dilatam usque ad finem præfationis immediatè ante canonem, & alios quidem recitasse tunc psalmum, *Lavabo inter Innocentes manus meas*: ab aliis verò convenientiùs omissum propter sequentis canonis continuationem. Post lotionem recitat Sacerdos aliam orationem incipientem *suscipe sancta Trinitas*, qua rursùm dona sacranda offert Deo in memoriam Passionis Christi, & in honorem B. Virginis, S. Joannis Baptistæ, sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli, & *istorum*, quorum videlicet Reliquię in eo altari conditę sunt. Franciscus Archiepiscopus Rothomagensis in collationibus de Missa *parte* 2. *art.* 3. ait quosdam pro *istorum*, legere *justorum*, quam lectio-

nem

nem vulgatæ præfert, sed perperam, nam illa vox *justorum* non benè cohæret, & superflua foret, cum statim sequatur & *omnium sanctorum*. quam antiqua sit hæc oratio, non liquet. Extat paucis mutatis in codice Tiliano apud Menardum, & in Missa Illyrici quotidiana & generalis nuncupatur; sitque in ea expressa mentio sanctorum, quorum ibi Reliquiæ habentur. Tum memor sacerdos fragilitatis suæ, cum sit & ipse circumdatus infirmitate, orationum suffragia ab astantibus postulat dicens: *Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.* In codice Tiliano hæc postulatio sic exprimitur; *Orate pro me misero peccatore ad Dominum nostrum Jesum Christum, ut meum ac vestrum sacrificium sit acceptabile in conspectu divinæ pietatis.* In Missa Illyrici: *Orate pro me peccatore fratres & sorores, ut meum & vestrum sacrificium acceptum fiat Domino Deo omnipotenti ante conspectum suum.* Aliæ Ecclesiæ apud Alensem P. 4. summæ tract. de off. Missæ dicunt: *Obsecro vos fratres, orate pro me, & ego pro vobis, ut meum pariterque vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.* Respondent ministri vel circumstantes ex Missali Romano, *suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem & gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ.* Ab aliis præscribitur hæc oratio, *Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis, suscipiatque de manibus tuis sacrificium istud; orationes tuæ ascendant in memoriam apud Deum, pro nostra & totius populi salute.* In Codice Tiliano, *Orent pro te omnes sancti Dei. Memor sit Dominus sacrificii tui, & holocaustum tuum pingue fiat. Exaudiat te Dominus pro nobis orantem. Misereatur tui omnipotens Deus & dimittat tibi omnia peccata tua.* Eadem oratio additis nonnullis, habetur in Missa Illyrici. Alii apud Alensem sic respondent: *Spiritus sanctus superveniat in te, & virtus Altissimi obumbret tibi.* Græci quoque sacerdotes pro se in sua Liturgia populi orationes poscunt, ut notat Goar ad Missam Chrysostomi *num.* 113. Quod verò fideles circumastantes à sacerdote fratres appellentur, id ex veteri consuetudine simul cum religione exorta ad nos profluxit. Nam Christiani fratres se invicem mutuæ charitatis causa nuncupabant; sed quia gentiles sacris nominibus fratris & sororis ad libidines tegendas abutebantur, ut ex Petronio & Martiali, aliisque constat; ideo Cæcilius apud Minutium Felicem hanc fratris & sororis nomenclaturam Christianis exprobrat, inde arguens stupra & libidines ab illis perpetrari. Cui respondens Octavius ait, *sic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei coheredes.* Rectè Arnobius in Psal. 133. *Unde estis omnes fratres? De uno patre Christo, de una matre Ecclesia.* Denique omnia ad offertorium pertinentia secretis orationibus concluduntur, quæ super oblata recitantur, ut ea Deus ad gloriam suam, & ad salutem nostram acceptare dignetur. Ad earum originem & antiquitatem spectant quæcumque de Collectis dicta sunt suprà. His utuntur omnes Ecclesiæ Latini ritus, & in fine ipsarum extollens vocem Sacerdos intonat, *Per omnia sæcula sæculorum.* Græci item aliquot Liturgiæ orationes secretò legunt, quarum postremam clausulam voce elata pronuntiant, ut ab omnibus audiatur.

## CAPUT X.

*Præfatio Missæ, ejusque ratio, nomina, & institutio. Usus ipsius Antiquissimus in omnibus Ecclesiis, sed formulæ diversæ. Tot erant olim Præfationes, quot Missæ. Postea in Romana Ecclesia redactæ ad novem. Tributa perperam hæc restrictio Pelagio Papæ. Addita una communis, & altera de B. Virgine. Clauditur Præfatio hymno Seraphico. Ejus ritus & origo. Duplex Trisagion. Quot sint hymni liturgici.*

I. LEctis secretò orationibus super oblata, incipit Sacerdos Præfationem præmissâ populi salutatione. Est autem Præfatio veluti proloquium astantes excitans & disponens ad præcipuam actionem, in qua propriè sacrificium consistit. In vetustissimo codice Missarum Sereniſſimæ Christinæ Reginæ Sueciæ sæpius laudato, Præfationi præfigitur hic titulus, *Immolatio*, & interdum *Contestatio Missæ*, quia in ea Sacerdos auditâ voce populi, vel Cleri, sive Ministri asserentis dignum & justum esse Deo gratias agere, contestatur veram esse hanc populi assertionem: tum solemni gratiarum actione se & fideles disponit ad tremenda mysteria, quibus Christi corpus immolatur. In Missali Mozarabico inscribitur *Inlatio*, quia, ni fallor, ex verbis fidelium infert Sacerdos verè dignum & justum esse Deo omnipotenti gratias agere, ipsum

ipsumqûe laudare & prædicare. De primo Præfationum auctore hæc scribit Walfridus Strabo c. 22. *Præfationem actionis, qua populi affectus ad gratiarum actiones incitatur, ac deinde humanæ vocis supplicatio cœlestium virtutum laudibus admitti deposcitur, quis primus ordinaverit, nobis ignotum est.* Alii earum institutionem Gelasio I. tribuunt, ea ducti ratione, quod in libro Pontificali sacramentorum præfationes & orationes cauto sermone composuisse dicatur. Sed quamvis concedamus, plures à Gelasio, plures item ab Ambrosio & à Gregorio Magno, aliisq; Patribus editas fuisse: certum nihilominus est, in ipsis Eccl. primordiis jam usum Præfationũ extitisse, earumq; institutionẽ vel Apostolis vel Apostolicis viris tribuendam, quod facilè probari potest: nam integra, nostrę q; similima legitur in Jac. Apostoli Liturgia, ejusque mentio reperitur apud sanctos Patros Gelasio & Ambrosio antiquiores. Et ut incipiam à Cypriano, illi etiam ex nomine nota fuit, ut ex libro de oratione manifestum est. *Quando stamus*, inquit, *ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quàm id solum cogitet, quod precatur. Ideò & sacerdos ante orationem præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo,* Sursum corda, *ut, dum respondet plebs* Habemus ad Dominum, *admoneatur, nihil aliud se quàm Dominum cogitare debere.* Hanc Cypriani sententiam recitat & laudat Eligius Noviomensis Episcopus *hom.* 11. Cypriano autem addo Augustinum, cujus plura afferri possunt hac de re testimonia. Epist. 57. ad Dardanum, *Nosti in quo sacrificio dicatur*, Gratias agamus Domino Deo nostro. Et ad Honoratum epist 120. cap. 19. *Hinc gratias agimus Domino Deo nostro, quod est magnum Sacramentum in sacrificio novi Testamenti, quod ubi, & quando, & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus invenies.* Itemque ad Probam epist. 156. *Anima Christiana non frustrà audit Sursum cor, nec frustra respondet se habere ad Dominum.* Idem de vera Religione cap. 3. *Quotidie per universum orbem humanum genus una penè voce respondet, sursum corda se habere ad Dominum.* De dono perseverantiæ cap. 13. *Quod ergò in sacramentis fidelium dicitur, ut sursum cor habeamus ad Dominum, munus est Domini: de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere à sacerdote post hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonentur; & dignum & justum esse respondent.* De bono viduitatis cap. 16. *Inter sacra mysteria cor habere sursum jubemur, ipso adjuvante id valemus, & ideò sequitur, ut de hoc tanto bono Dominio Deo gratias agamus; quia hoc dignum, hoc justum est recordari.* Eadem ferè ait in Psal. 10. & 85. De spiritu & littera *cap.* 11. *& serm.* 44. *& 54. de tempore.* Concilium Milevitanum, cui interfuit ipse Augustinus can. 12. *Placuit ut preces, vel orationes, seu Missæ, sive Præfationes, quæ probatæ fuerint in concilio, ab omnibus celebrentur.* His suffragatur Cæsarius Arelatensis hom. 12. Consonant etiam Patres Græci. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi quinta mystagogica diffusè & eleganter, *Clamat*, inquit, *Sacerdos* Sursum corda. *Verè enim circa illam maxime tremendam horam sursum ad Deum corda levare necesse est, & non deorsum ad terram terrenaque negotia deprimere. In hanc igitur sententiam omnibus præcipit Sacerdos, curas scilicet vitæ hujus omnes, & domesticas sollicitudines illâ horâ relinquere, & cor in cœlo habere apud Deum generis humani amatorem: Vos deinde respondetis.* Habemus ad Dominum, *assentientes ei profitendo. Nullus autem sic consistat, ut ore quidem dicat*, Habemus ad Dominum, *mente verò circa vitæ hujus curas vagetur. Dicit deinde sacerdos*, Gratias agamus Domino. *Certè gratias agere debemus, quod nos adeò indignos ad tantam gratiam vocavit. Ad hæc vos subjicitis;* Dignum & justum est. *Cum enim nos Deo gratias agimus, dignum profectò & justum opus facimus.* Et paucis interjectis, quibus totius Præfationis seriem texit, Angelosque commemorat apud Isaiam canentes *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*; quem hymnum nos cum illis modulamur, hujus modulationis rationem reddit dicens; *Propterea enim traditam nobis hanc seraphicam Theologiam recitamus, ut in illa cœlesti hymnodia cum supramundana militia communicemus.* Chrisostomus hom. 18. in 2. ad. Cor. *In tremendis mysteriis*, ait, *ut sacerdos pro plebe, ita plebs pro sacerdote vota facit. Neque enim ipse solus gratias agit, sed etiam plebs universa. Nam cum priu illorum vocem sumpsit, atque illi assenserunt id justè ac digne fieri, tum demum gratiarum actionem auspicatur.* Et hom. de Euchar. *Quid facis ô homo? Non promisisti sacerdoti; qui dixit*, Sursum mentem & corda, *& dixisti*, Habemus ad Dominum? Anastasius Synaita serm. de sacra synaxi: *Hæc testatur nobis Sacerdos dicens:* Sursum corda. *Deinde quid nos ad ista respondemus?* Habemus ad Dominum. *Quid ais, quid facis? Mens*

*tua*

*sua ad corruptibilia & temporalia temerè attollitur, & tu dicis, Habeo ad Dominum?* Occurrunt passim aliorum testimonia, sed in re clarissima superflua sunt.

II. Præfationes autem ubique receptas atque usitatas fuisse, ex Liturgiis omnium Ecclesiarum & nationum palam fit. Diversæ quidem in diversis Ecclesiis illarum formulæ fuerunt, omnes tamen idem argumentum prosequuntur. Nam primò sacerdos corda sursum attolli jubet, quæ verba ex Alcuino hunc sensum habent. „ Jam „ Apostolicis & Evangelicis præceptis sufficien„ ter instructi & confirmati, corda vestra à terre„ nis curis sursum ad Dominum dirigite, ut sa„ crificium, quod Deo offerendum mihi obtu„ listis, dignè offerre valeam. Ait populus se cor habere ad Dominum & sacerdos iterùm hortatur ad gratias agendas; quod populus dignum & justum esse profitetur. Mox ille assumens fidelium vocem vertit se ad Deum Patrem omnipotentem, ipsique laudem concinit & gratias agit magnificis verbis. Demum Angelicis immixtus choris tam ipse quam omnis populus unanimi concentu & quasi uno ore sacrum Trisagion modulantur. Quæ omnia Jacobus Apostolus in sua Liturgia his verbis exprimit. „ Verè dignum & „ justum est, decens & debitum, ut te laudemus, „ te hymnis celebremus, tibi gratias agamus „ omnis creaturæ visibilis & invisibilis opifici, „ thesauro æternorum bonorum, fonti vitæ & „ immortalitatis, omnium Deo ac Domino, „ quem cæli & cœli cœlorum laudibus cele„ brant, ac omnis virtus eorum, sol & luna, „ universusque astrorum chorus, terra, mare, & „ omnia quæ in eis sunt, Hierusalem cœlestis „ congregatio, Ecclesia Primogenitorum de„ scriptorum in cœlis, spiritus Justorum & Pro„ phetarum, animæ Martyrum, Apostolorum, „ Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, „ Principatus, Potestates, ac Virtutes tremen„ dæ, Cherubimque multos oculos habentia, & „ Seraphim sex alis prædita, quæ duabus quidem „ alis operiunt facies suas, duabus verò pedes, „ & reliquis duabus volantia clamant alterum ad „ alterum inessabili voce, perpetuis laudibus „ hymnum triumphalem tuæ magnificæ gloriæ „ clara voce canentia; Sanctus, Sanctus, San„ ctus, &c. Hæc est Præfatio Jacobi, quam expressit supra relatus Cyrillus ejus in throno Hierosolymitano successor; nec multum ab eo discrepat Basilius in sua Liturgia. Chrysostomus verò aliis verbis, eadem sententia ait. „ Dignum „ & justum est te celebrare, te benedicere, te „ laudare, tibi gratias agere, te adorare in omni „ loco dominationis tuæ. Tu enim es Deus in„ effabilis, qui nec mente percipi, videri, nec „ comprehendi potes. Qui semper es, eodem„ que & simili modo existis tu, & Unigenitus Fi„ lius tuus, & Spiritus tuus sanctus. Tu è nihilo „ ad esse nos eduxisti; & cum lapsi essemus, nos „ rursus erexisti, & omnia facere non destitisti, „ donec nos in cœlum deduceres, & futurum „ tuum regnum largiteris. Pro his omnibus agi„ mus tibi gratias, & Unigenito Filio tuo, & „ Spiritui sancto, pro omnibus quæ nescimus & „ scimus, manifestis & occultis tuis beneficiis. „ Agimus tibi gratias etiam pro hoc sacro mini„ sterio, quod ex manibus nostris suscipere di„ gnatus es: etsi tibi adsistant millia Archange„ lorum, & myriades Angelorum, Cherubim & „ Seraphim sex alas & multos oculos habentes, „ sublimes & alti, qui triumphalem hymnum ca„ nunt, vociferantur & dicunt: Sanctus, Sanctus, „ Sanctus, &c. Eodem ferè tenore procedunt reliquæ orientalium gentium Præfationes, quas prolixi operis foret singillatim referre. Diffusissima autem illa est, quæ tribuitur Clementi *lib. 8. Constit. Apost. cap. 16.* In ea siquidem Dei perfectiones & attributa, ac æterna Verbi generatio, tum productio omnium creaturarum, earumque dispositio, atque in eis regendis admirabilis Dei sapientia & providentia, & erga homines benignitas eleganti sermone recensentur. Demum concluditur more usitato Angelorum commemoratione canentium & dicentium, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, &c. In Missa Maronitarum Sacerdos dicit, *Sursum sint pendentes intellectus nostri, mentes nostræ, & corda omnium nostrum.* Respondet populus, *Sunt ad te Domine.* Sacerdos, *Confiteamur Domino in timore, & adoremus in tremore.* Populus, *Dignum & justum est.* Sacerdos, *Corde, intellectu, & lingua confiteamur tibi Domine Pater & Fili & Spiritus sancte, qui es unus Deus verus. In congregationibus invisibilibus & ordinibus innumerabilibus commisceantur seraphicè voces nostræ. Populus tuus fidelis Domine ter laudant, exclamant, & dicunt ter: Sanctus, Sanctus, Sanctus*, &c. Porrò Græci & aliæ in Oriente nationes unicam habent Præfationem, quæ in singulis Missis repetitur; Latinis variæ sunt. Ambrosiani unam communem Romanæ similem habent: at in Missis propriis sive de festo, sive de Dominica, aut de feria, propriam item canunt Præfationem. Simili modo Mozarabes propriis semper

utuntur, in quibus vel mysteria ejus festivitatis, quæ tunc celebratur, vel Sancti de quo est Missa laudes & encomia stylo sublimi, variisque sententiis exornato decantantur. In libro Sacramentorum S. Gregorii propriæ item extant in singulis Missis ab Ambrosianis diversæ, quarum usus diu permansit, ut ex antiquis codicibus M. SS. constat. Extant aliquot libelli Præfationum in Bibliotheca Vaticana: & Cornelius Schultingius *to.* 2. Bibliothecæ Ecclesiasticæ *parte* 2. *cap.* 12. laudat librum editum Coloniæ ab Henrico Gravio, in quo sunt ducentæ quadraginta Præfationes propriæ. Apud Ennodium Ticinensem una etiam legitur dictione sacra quinta pro Missa, in qua Episcopus consecratur.

III. Baronius *to.* 7. *Annalium an.* 590. & Binius *to.* 4. *conciliorum*, aliique passim citant & referunt Pelagii II. Epistolam ad Episcopos Germaniæ & Galliæ, qui ipsum rogaverant, ut ordinem Præfationum eis mitteret, quem S. Romana Ecclesia tunc habebat, quibus sic respondet: „ De vestra voluntate & studio bono multum gavisi sumus, & sacrum Ordinem Romanorum, sacraque constituta nostrorum Antecessorum solerter relegentes, invenimus has novem præfationes in sacro Catalogo tantummodo recipiendas, quas longa retrò veritas in Romana Ecclesia hactenus servavit. Unam in albis Paschalibus, aliam de Ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione, sextam de Apostolis, septimam de S. Trinitate, octavam de Cruce, novam de jejunio & Quadragesima tantummodo dicendam. Has Præfationes tenet & custodit S. R. E. Has tenendas mandamus. Hoc ipsum decretum in antiquis editionibus Gratiani de *consecr. dist.* 1. *cap. Invenimus*, Gelasio adscribitur. Sed hanc Epistolam dum attentiùs considero, hac suspicione vehementer perculsus sum, ne alterius fortè Pontificis recentioris sit, & Pelagio per errorem tributa. Si enim ætate Pelagii illis tantum Præfationibus Romana Ecclesia tamquam dudum in ea receptis & approbatis utebatur, quomodo Gregorius ejus immediatus successor, sacrorumque rituum tenacissimus custos, alias novas instituit? Auget suspicionem Joannes Diaconus, qui, cum res à Gregorio gestas in vita ipsius minutissimè prosequatur, nullam tamen de Præfationibus ab eo contra morem diu receptum institutis mentionem facit. Ipse item Gregorius in Epistola sæpius relata ad Joannem Syracusanum, in qua de additis vel immutatis in ritibus sacrificii, propter quæ reprehensus fuerat, rationem reddit, de Præfationibus silet: sicut & de Epistola Pelagii silent scriptores illius & aliquot sequentium sæculorum. Quod si mea suspicio æquo lectori non placet, hoc saltem negare non poterit, „ usum Romanæ Ecclesiæ, de quo Pelagius testatur, post ejus decessum antiquatum fuisse, ejusque decretum de novem Præfationibus nullibi receptum, nec executioni mandatum, nisi sæculo X. vel XI. Evidens enim est in libris antiquis sacramentorum, qui Romanæ Ecclesiæ titulum præ se ferunt, plures reperiri Præfationes, vixque ulla Missa est, cui propria & peculiaris non assignetur. Accedit testimonium Guitmundi ex Monacho S. Benedicti Episcopi Aversani, qui obiisse dicitur anno MLXXX. Romanis ritibus jam ubique receptis. Nam *l.* 1. de Eucharistia adversus Berengarium, „ Ne quis, *inquit*, existimet me „ hanc sententiam ex meo sensu commentatum, „ Præfationem istam, quæ per totum penè orbem Latinum inter Epiphaniam & Septuagesimam in quadam die Dominica habetur, hic supposui hæc continentem. Æterne Deus: Et tibi hanc immolationis hostiam offerre, quæ est salutifera, & ineffabile divinæ gratiæ sacramentum: quæ offertur à plurimis, & unum corpus Christi sancti Spiritus infusione perficitur. Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet in singulis. Propterea ipsi, qui sumimus communionem hujus sancti panis & calicis, unum Christi corpus efficimur. Ejusdem Præfationis auctoritate utitur Algerus Monachus Cluniacensis, qui anno MCXXX. floruit *lib.* 1. *de sacram. Corp. & sanguinis Domini cap.* 5. Extat autem in libro sacrament. S. Gregorii Dominica V. post Epiphaniam, & in hodierno Missali Ambrosiano VI. quamvis Algerus eam ex Ambrosio Dominica V. citet. Quo verò tempore tot Præfationes desierint, non liquet; nisi quod in Missalibus scriptis post annum MCC. illæ novem dumtaxat reperiuntur à Pelagio enumeratæ; quibus duæ additæ sunt, una communis antiquissima, quæ Gelasii sive Gregorii creditur esse, altera de B. Virgine ab Urbano II. instituta. Et hæ undecim sunt, quibus omnes Ecclesiæ ritui Romano adhærentes hodie utuntur.

IV. Sequitur hymnus, quem Epinicion, sive triumphalem vocant Græci. Hunc in omnibus Liturgiis Ecclesia militans à triumphante edocta Deo exercituum modulatur, *cui*, ut loquitur

Ter-

Tertullianus lib. de oratione, *illa Angelorum circumstantia non cessat dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Vidit Isaias cap. 6. Dominum sedentem super solium excelsum, & audivit seraphicos Spiritus alterna modulatione psallentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. Plena est omnis terra gloriâ ejus.* Et Joannes in Apocalypsi cap. 4. quatuor mystica animalia plena oculis describit, requiem non habentia die ac nocte & dicentia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est.* Præclarè Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. *Cherubim & Seraphim indefessis vocibus laudant & dicunt*, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. *Non semel dicunt, ne singularitatem credas: non bis dicunt, ne Spiritum excludas: non sanctos dicunt, ne pluralitatem æstimes: sed ter repetunt & idem dicunt, ut etiam in hymno distinctionem Trinitatis, & divinitatis intelligas unitatem. Hæc cum dicunt, Deum prædicant.* Additum hunc Hymnum sacrificio Missæ à Sixto I. plerique scribunt, sed liber Pontificalis hoc solùm à Sixto constitutum ait, ut sacerdote ipsum incipiente, etiam populus eumdem cantaret. Quia verò progressu temporis quidam abusus irrepserat, ut non nisi in solemnibus Missis diceretur, eo tollendo hic canon à Concilio Vasensi anno 529. editus est; *Ut in omnibus Missis sive matutinis, sive Quadragesimalibus, vel quæ in defunctorum commemorationibus fiunt, semper* Sanctus, Sanctus, Sanctus, *eo ordine quo ad Missas publicas dici debeat: quia tam dulcis & desiderabilis vox etiamsi diu noctuque posset dici, fastidium non potest generare.* Altera pars hymni, *Benedictus qui venit in nomine Domini. O sanna in excelsis*, Christo Domino à turbis in solemni Jerosolymæ ingressu ante passionem decantata fuit. Antiqua Ritualia statuunt ut Trisagion psallentes, inclinent se chorus contra chorum, & incipientes, *Pleni sunt cœli*, erigant se. Idem præcipit Lanfrancus in suis statutis cap. 5. *nisi*, inquit, *versus interponantur.* Solebant enim alicubi eo tempore versus quidam interponi, licentia, quam, ut alibi notatum est, sequioris ævi Religiosi sibi inconsultò usurparant. In vetusto quodam Missali sequentes rythmos interpositos reperi pro festis Domini.

*Cœleste præconium*
*Sonet vox fidelium*
*Ad Dei magnalia.* Sanctus.
*Virgo parit Filium*
*Castitatis lilium*
*Dei plena gratia.* Sanctus.
*Cujus natalitia*
*Stella prodit prævia,*
*Quem paterna proprium*
*Vox testatur Filium*
*Ad Jordanis flumina.* Sanctus.
*Cujus Sancta Passio,*
*Mors, & Resurrectio*
*Mundi lavit crimina.* Pleni sunt &c.
*Jam in Patris dextera*
*Sedens super æthera*
*Regnat super omnia,*
*Cum paterno Numine,*
*Et cum sancto Flamine.* O sanna in excelsis.
*Ipsi laus & gloria,* in excelsis.

Alia similis interpolatio rythmica extat in Missa Thomæ Aquinati adscripta de sanctissimo Sacramento.

Sanctus. *Sanctum divinum mysterium semper declaratur,*
*Et mens infidelium tumens excæcatur.*
*Firma spes credentium fide roboratur.*
Sanctus. *Fides est summopere credere in Deum,*
*Panem sanctum edere, & tractare eum,*
*Jubens dicit: Sumite, Hoc est corpus meum.*
Sanctus. *Panis prius cernitur, sed dum consecratur,*
*Caro Christi sic mutatur, quomodo convertitur,*
*Deus operatur.* Dominus Deus Sabbaoth.
*De vino similiter si sit benedictum,*
*Et tunc est veraciter sanguis Christi dictum,*
*Credamus communiter verum & non fictum.*

Pleni sunt cœli & terra gloria tua, O sanna in excelsis.

*Nobis celebrantibus istud sacramentum,*
*Et cunctis fidelibus fiat nutrimentum,*
*Judæis negantibus sit in detrimentum,*
Benedictus qui venit, &c.

V. Sunt autem hoc loco duo quædam advertenda. Unum quod duplex est Trisagion. Istud nimirum de quo nunc agimus omnibus Ecclesiis commune: & illud, quod Græci quotidie, Latini semel in anno Græce simul & Latinè concinunt in magna Parasceve, nempè *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis miserere nobis*, cujus originem Felix III. Pontifex narrat in Epistola ad Petrum Cnaphæum. Cum enim Constantinopolis terræ motu quateretur, & populus in campo oraret cum Proclo Patriarcha, Puer parvulus spectante multitudine in cœlum

raptus est, & post horam in terram demissus narravit se hunc hymnum à cœlestibus spiritibus cantari audivisse, sibique præceptum impositum, ut populo denuntiaret, Deum illi propitium futurum, si eumdem hymum devotè cantarent; atque ita eo decantato ab imminenti clade liberati sunt. Addidit postea huic hymno nequissimus vir Petrus Cnapheus Patriarcha Antiochenus hanc clausulam, *Qui crucifixus es pro nobis miserere nostri*, eâ dolosè tegens hæresim Eutychetis, qua infectus erat. Facti seriem, hujusque additamenti condemnationem, & quicquid pertinet ad hoc Trisagion, congessit in notis ad can. 81. Concilii Trullani Christianus Lupus.

Alterum notandum est, quatuor esse Liturgicos hymnos, ut ait Goar in notis ad Missam Chrysostomi, quorum primus est Angelicus *Gloria in excelsis Deo*, quem nato Domino Angeli cecinerunt. Secundus Cherubicus, quem Græci Cherubim voces æmulantes ante magnum introitum cantant dicentes „Qui Cherubim mystice repræsentamus, & vivicanti Trinitati ter „sanctum hymnum canimus, omnem sæcularem deponamus sollicitudinem, tanquam Regem omnium suscepturi, Angelicis invisibili„ter stipatum agminibus. Alleluja. Hujus institutionem ad Justini tempora revocat Cedrenus. Tertius Trisagion, de quo supra, nempe *Sanctus Deus, Sanctus fortis*, &c. Quartus Epinicion, Deo tanquam Victori & omnium triumphatori ab omnibus post Præfationem decantatum. Observo nihilominus, plures ex Græcis scriptoribus secundum à tertio non distinguere, & tam illis quàm ultimo Cherubici & Seraphici nomen passim tribuere.

## Caput XI.

*Transitur ad Canonem. Ipsum interpolare illicitum. Varia ejus nomina. Origo & auctores investigantur. Agitur de prima Canonis oratione. In ea mentio Papæ, Episcopi, & Regis fit. Orat sacerdos generaliter pro cunctis fidelibus. Tum specialiter pro offerentibus. De nominum recitatione.*

1. HActenus sacerdos seipsum & astantes iis omnibus, quæ præcesserunt, ad tremenda mysteria in sacra Synaxi perficienda, tanquam præviis initiationibus disposuit & præparavit: jam propiùs ad ea accedit, & elevatis in cœlum oculis, sursumque expansis manibus, quasi ingressus in Sancta Sanctorum, secretò cum Deo loquitur, ut rei divinæ hac silentii gravitate major reverentia concilietur. Multa verò à sacerdotibus secretò dici usus antiquissimus est, ut ex Jacobi & aliorum Liturgiis, & ex *can.* 19. Concilii Laodiceni evidenter ostenditur. In vetustissimis Sacramentorum codicibus inter Præfationem & Canonem Christi crucifixi imago picta conspicitur, qui ritus etiam hodie servatur, ut ejus aspectus in mentem celebrantis revocet cruentum illud sacrificium, quod in cruce semel oblatum quotidie in Ecclesia verè & realiter, sed actione incruenta renovatur. Ipsi imagini osculum figendum à sacerdote, priusquam canonem incipiat, scribit Nicolaus de Plove in expositione Missæ, sed ex more singulari suæ Ecclesiæ Posnoniensis. Addit Petrus ab Opmeer in assertione Missæ *pag.* 362. hanc orationem post hymnum triumphalem Canoni præmittendam. „Domine Jesu Christe fili Dei vivi, adjuva infirmitatem meam, & conforta me nunc in hac „hora: quia imperfectum meum vident oculi „tui. Adoramus te Domine Jesu Christe & benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam „redemisti mundum. Qui passus es pro nobis, miserere nostri. At hujusmodi interpositiones, ut sæpe dictum est, inconsulta quorumdam devotione introductas nunquam approbavit Ecclesia. Ut enim rectè ait Micrologus cap. 12. „Nimis temerarium videtur, ut nos aliqua Canoni ad nostrum libitum adjiciamus, nisi quæ „à sanctis Patribus adjecta vel adjicienda esse cognovimus; præcipuè cum inter ipsos sanctos „Patres nulli aliquid adjecisse legantur, nisi qui „Apostolica auctoritate prædicti hoc facere potuerunt. Optimum ergo videtur, ut in hac „causa terminos patrum nostrorum non excedamus, nec nos Apostolicæ auctoritatis reos efficiamus, si, quod soli Apostolicæ auctoritati „competit, Canonem nostris interpositionibus „augmentare præsumamus. Ideò expunctæ sunt ab ipso Canone diversæ oratiunculæ, quæ in antiquis Missalibus M. SS. variis in locis interjectæ leguntur, quia tametsi ex se bonæ sint, ei tamen actioni non conveniunt: & hæc semper summorum Pontificum cura fuit, ne quid irreperet inordinatum, superfluum, aut superstitiosum. Incipit ab oratione *Te igitur clementissime Pater*, usque

ad

ad orationem Dominicam, quæ absoluto Canone alta voce recitatur. Nomen canonis tempore Gregorii Magni in usu erat, nam *lib. 7. epist. 64.* referens quorumdam adversus se murmurationes, hoc inter cætera querelarum caput enumerat, quod orationem Dominicam mox post canonem dici statuisset. Et *lib. 11 epist. 59.* narrat Januarium Episcopum Calaritanum tempore, quo sacrificium celebrabat, tantam passum frequenter angustiam, ut vix post longa intervalla ad locum Canonis, quem reliquerat, redire valeret. Canon autem regula est, qua voce usa est Ecclesia, ut indicaret hanc esse regulam fixam & stabilem, qua novi Testamenti sacrificium celebrandum est. Idem Gregorius *eadem epist. 64. lib. 7.* precem vocat, eo loquendi genere, quo nonnunquam Patres utuntur, dum verba consecrationis preces nuncupant, quia sunt verba sacra: neque enim totus Canon ex precibus contextus est. Haymo Halberstatensis explicans cap. 2. epist. 1. ad Timoth. *Orationes*, inquit, *sunt, quas fundit Sacerdos in consecratione Eucharistiæ.* In Concilio Eboracensi tempore Celestini III. *Secretum* Missæ nuncupatur his verbis: „ Quia *secretum* Missæ frequenter invenitur, aut Scriptorum falsitate, aut „ librorum vetustate corruptum, ita ut distinctè „ legi non possit, Archidiaconorum sollicitudo „ provideat, ut in singulis Ecclesiis ad verum & „ probatum exemplar Canon Missæ cum omni „ diligentia corrigatur. Ab aliis Actio dicitur, quia in eo, ut ait Walfridus, dominica sacramenta conficiuntur. Atque hinc intelligitur, qua de causa, cum aliquid in ipso canone in oratione quæ incipit *Communicantes* addendum est, quod in Christi Domini festivitatibus fieri solet, titulus apponatur, *Infra actionem*, quia nimirum actio sacrificii ibi propriè continetur. Hic verò titulus *Infra actionem* ante ipsum *Communicantes* in editis Missalibus passim reperitur.

II. Auctorem canonis quidam fuisse putant Gelasium Papam, alii Musæum Presbyterum Massilienſem, alii Voconium Episcopum Castellanensem in Mauritania, qui teste Gennadio libros sacramentorum composuerunt. Aldelmus Episcopus *lib. de laudib. Virginitatis cap. 23.* à Gregorio Magno editum existimat. At ipse Gregorius Epist. præcitata ait à Scholastico compositum, sed quo tempore id factum fuerit, non dicit. Jacobus Janssonius in suis Liturgicis *lib. 3. cap. 11.* per precem, quam Gregorius ait à Scholastico compositam, non putat canonem intelligi debere, sed aliquam orationem actioni Missæ insertam. Reverâ tamen de canone ibi Gregorium loqui, ipse contextus Epistolæ evincit. Miras nugas de hoc Scholastico quidam scribunt, præsertim Eterodoxi Misoliturgi; cum manifestissimum sit, in prædicta Gregorii Epistola nomen Scholastici non esse proprium alicujus hominis, sed accipi pro viro docto & erudito, quales olim fuerunt qui scholis Christianorum præficiebantur, ut conversos ad fidem erudirent. Augustinus tract. 7. in Joannem, *Qui habent causam, & volunt supplicare Imperatori, quærunt aliquem Scholasticum Jurisperitum, à quo sibi preces componantur.* Salvianus in Præfatione libri de gubern. Dei. *Id facere annisi sunt, ut Scholastici ac diserti haberentur.* Hieronymus de viris Illustr. *Serapion Episcopus ob elegantiam ingenii cognomen Scholastici meruit.* Quicunque autem fuerit ille Scholasticus, à quo Canonem compositum indicat Gregorius, certum est antiquiorem fuisse Gelasio & aliis supra nominatis. Nec credendum Polydoro Virgilio, qui *lib. 5. de Invent. rerum cap. 10.* à multis Pontificibus compactum asseverat: licet enim aliqui paucula quædam verba adjunxerint; ipsum tamen, ut ait Vigilius Papa Epist. ad Eucherium, *ex Apostolica traditione suscepimus.* Concilium quoque Tridentinum *sess. 22. cap. 4.* constare Canonem docet ex ipsis Domini verbis, ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum Pontificum institutionibus. Observandum nihilominus, neminem ex Pontificibus post Gregorium Magnum quidpiam addidisse aut immutasse. Hoc solum legimus apud Anastasium, quod sæviente Leonis Isaurici Imp. adversus imagines & reliquias Sanctorum acerrima persecutione, Gregorius III. Oratorium ædificavit in honorem omnium Sanctorum, quorum reliquias toto orbe collectas in eo collocavit, ac ibidem eorum natalitia à Monachis trium Monasteriorum Basilicæ S. Petri servientibus celebrari præcepit, & à sacerdote in ipso Oratorio Missas agente hanc clausulam in canone post illa verba, & *omnium sanctorum tuorum*, dici instituit: *Quorum solemnitas hodie in conspectu tuæ majestatis celebratur, Domine Deus noster, in toto orbe terrarum.* At hoc specialiter pro illo oratorio institutum fuit, atque ideò, ut notat Walfridus *cap. 22.* non est Canoni, qui generaliter dicitur, adnotatum: cumque plura viderim Missalia M. SS. in uno dumtaxat hæc verba adscripta reperi, quod extat in Bibliotheca Barberina cod. 1858. Idem Walfridus canonem per partes compositum fuisse ex eo arguit, quia nomina

Sanctorum in duobus locis posita sunt; quæ sanè leviſſima conjectura ſive ſuſpicio eſt, nullâ veterum Patrum auctoritate comprobata. Primam verò partem ex eo conjicit antiquiſſimam eſſe, quia nomina Apoſtolorum non ſunt eo ordine digeſta, quo in emendatioribus Evangeliis inveniuntur. Idque fortaſſe hac de cauſa eveniſſe putat, quia pars illa prius compoſita eſt, quam Evangelia ad eam veritatem, quæ nunc habetur apud Latinos, corrigerentur, cujus rei S. Hieronymum teſtem producit. Porrò Canon penè ad verbum reperitur apud Ambroſium *lib.* 4. de ſacramentis. Auctor item quæſtionum veteris & novi Teſtamenti apud Auguſtinum *tom.* 4. qui *quæſt.* 44. ſe ſcribere teſtatur annis trecentis poſt elapſas Danielis hebdomadas, hoc eſt integro ſæculo ante Gelaſium, aſſerit *quæſt.* 109. Melchiſedech eſſe quidem ſacerdotem, ſed non ſummum, *ut*, inquit, *in oblatione præſumunt Antiſtites*: in oratione ſcilicet quæ incipit, *Supra quæ propitio ac ſereno vultu.* Alludere etiam ad Canonem mihi videtur Optatus Milevitanus *lib.* 2. his verbis: *Offerre vos dicitis pro Eccleſia toto terrarum orbe diffuſa.* Sed his generaliter præmiſſis operis ratio poſtulat, ut ſingulas ejuſdem Canonis partes percurramus.

Prima oratio eſt, *Te igitur Clementiſſime Pater*, quam referens Haymo Halberſtatenſis *in* 1. Timoth. *c.* 2. omittit hæc verba *ſupplices rogamus*, brevitatis cauſa, ut puto, nam extant in omnibus M. SS. Ad hanc reſpexit Vigilius Papa ſic ſcribens in epiſt. ad Juſtinianum Imperatorem: *Omnes Pontifices antiquâ in offerendo ſacrificia traditione depoſcimus, ut Catholicam fidem adunare, regere Dominus, & cuſtodire toto orbe dignetur.* Et primò quidem offert Sacerdos pro Eccleſia, deinde pro Papa. Hæc teſſera unitatis Eccleſiæ eſt, *in qua*, ut ait Cyprianus epiſt. 76. ad Magnum, *nonniſi concordes & unanimes habitant*: hæc nota unionis membrorum cum capite, qua, ut idem Cyprianus ſcribit *epiſt.* 52. & 55. cum Eccleſia Catholica ille communicat, qui cum Romano Pontifice conſentit: & à Petri cathedra unitas ſacerdotalis exoritur. Teſte item Irenæo *lib.* 3. *cap.* 3. ad Romanam Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam: quia nimirum, ut ſcribit Auguſtinus epiſt. 162. *ſemper in ea viguit Apoſtolicæ cathedræ principatus.* Unde conſtat, inquit Pelagius Papa citatus ab Alcuino, ab univerſi orbis communione ſeparatos eſſe, qui qualibet diſſenſione inter ſacra myſteria Apoſtolici Pontificis memoriam ſecundùm conſuetudinem frequentant. Refert Nicephorus *lib.* 16. *cap.* 17. Acacium Conſtantinopolitanum primum omnium Papæ nomen (erat tunc Felix. II.) è ſacris tabulis eraſiſſe, quod nemo ante eum tentaverat, quamvis in eo throno plures Epiſcopi hæretica labe infecti ſediſſent. Idem auſus eſt in Eccleſia Alexandrina impius Dioſcorus, pronunciato adverſus Leonem Magnum anathemate. Epiſcopi quoque orientales eodem ſpiritu diviſionis imbuti, Athanaſium cauſâ fidei perſequentes, ut ſcribit Sozomenus *lib.* 3. *cap.* 10. à Julio Romano Pontifice receſſerunt. Patres verò orthodoxi ſemper Papæ nomen in Liturgicis precibus commemorarunt; quod cum in aliqua Galliarum Eccleſia fortaſſis prætermitteretur, id Concilium Vaſenſe II. præcepit hac lege edita can. 4. *Nobis juſtum viſum eſt, ut nomen Domini Papæ, quicunque Apoſtolicæ ſedi præfuerit, in noſtris Eccleſiis recitetur.* Ennodius Ticinenſis in Apologia pro ſynodo, nullo unquam tempore à nominis Papæ, Symmachi videlicet, commemoratione ceſſatum eſſe aſſerit, dum ſacra Miſſarum ſolemnia celebrarentur, quo argumento oſtendit ipſum, non Laurentium, legitimum Pontificem fuiſſe. In Liturgia quæ Marci nomine inſcripta eſt, Papæ mentionem ter fieri legimus, ſed cujus ævi illa ſit ignoramus. In Liturgiis Jacobi, Baſilii, & Chryſoſtomi generalis commemoratio omnium Epiſcoporum fieri ſolet hac formula: „ Memento Domine ſanctorum Pa„ trum, qui in Eccleſia catholica ſunt, & fratrum „ noſtrorum ac Epiſcoporum, qui per univerſum „ orbem orthodoxè adminiſtrant verbum veri„ tatis tuæ. An verò primis ſæculis Græcia orthodoxa mentionem fecerit Romani Pontificis, non liquet. Iſaacius Habertus *ad partem VIII. Pontificalis Græcorum obſervat.* 12. tunc putat Papam cœpiſſe in ſacris nominari, cum reliquorum Patriarcharum mentio fieri cœpit, cujus conjecturæ nihil habeo quod opponam, niſi aliquid certius eluceſcat. Nunc teſte Arcudio *lib.* 3. *cap.* 39. Antiſtitum mentio à Græcis hoc ordine fit. Presbyter pro ſuo Epiſcopo orat, Epiſcopus pro Archiepiſcopo, ſeu Metropolita, is verò pro Patriarcha: Hunc autem oraſſe olim pro ſummo Pontifice addit Arcudius, nullum afferens teſtimonium ad ſuæ ſententiæ confirmationem. Teſtatur Habertus in quibuſdam exemplaribus Liturgiæ Chryſoſtomi legi hæc verba. *Nicolai ſanctiſſimi univerſalis Papæ longa ſint tempora*, quæ vivente Nicolao primo ab aliquo Patriarcha addita putat. Habemus autem hujus rei anti-

antiquius monumentum in Divali sacra Constantini Pogonati Imperatoris ad Agathonem Papam Concilio sexto præfixa, in qua asserit se Patriarchis illarum partium restitisse postulantibus ut nomen Papæ à Diptychis expungeretur, donec eorum, quæ inter Romanam & Constantinopolitanam sedem controversa erant, inquisitio fieret & satisfactio. Hinc quoties actum est de unione utriusque Ecclesiæ, id semper inter cætera stabilitum fuit, ut nomen Papæ in sacrificio recitaretur. Petiit hoc à Michaele Palæologo Urbanus IV. ut scribit Nicetas *lib.* 5. Hoc idem exegit Gregorius X. teste Nicephoro Gregora, qui factam refert concordiam sub certis conditionibus, quarum prima fuit, ut in sacris hymnodiis Papæ mentio fieret cum quatuor Patriarchis: quam conditionem adimpletam fuisse narrat Gregorius Pachymeres in historia nuper edita ex Bibliotheca Barberina *lib.* 5. *cap.* 22. duo asserens subsecuta esse ex adventu legatorum pacem factam referentium, Patriarchæ schismatici exauctorationem, & publicam Papæ in sacro commemorationem. Celebratâ enim synaxi die primâ Augusti, mentio Papæ proprio loco per Diaconum facta est, & Gregorius summus Pontifex Apostolicæ Ecclesiæ ac Oecumenicus Papa proclamatus. Ducas quoque in historia Byzantina *cap.* 36. celebratam ait Constantinopoli Liturgiam in magna Ecclesia anno 1452. præsente Isidoro Cardinali Legato, in qua Nicolai Papæ facta est commemoratio, plerisque repugnantibus, & à sacris donis abstinentibus ob initam concordiam cum Latinis, quos acriter perstringit Ducas, eosque meritò ait in Turcarum manus deveniisse. Summo Pontifici singulæ Ecclesiæ proprii Antistitis commemorationem subjungunt, quæ in omnibus M. SS. sacramentorum libris, & in omnibus Græcorum Liturgiis reperitur.

Addunt Græci nomen Imperatoris, & aliquot Latinæ Ecclesiæ nomen Regis ex Apostolica traditione, præcipiente Paulo 1. *ad Timoth. cap.* 2. ut fiant orationes pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, idque etiam pro infidelibus, quales erant qui Paulo vivente regnabant. *Sacrificamus pro salute Imperatoris*, ait Tertullianus ad Scapulam cap. 2. *sed Deo nostro & ipsius, sed quomodo præcepit Deus, pura prece.* Idem hoc argumentum fusiùs prosequitur in Apologetico *cap.* 30. & 31. Sic etiam Arnobius loquitur *lib.* 5. contra gentes. „ Nostra scripta cur ignibus „ meruerunt dari? cur immaniter conventicula „ dirui, in quibus summus oratur Deus, pax cun„ctis & venia postulatur, magistratibus, exerci„tibus, Regibus, familiaribus, inimicis, adhuc „ vitam degentibus, & resolutis corporum vin„ctione. Sic Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. hist. cap. 11. „ Nos unum Deum „ rerum omnium opificem, qui Valeriano & „ Hallieno sacratissimis Augustis imperium tra„didit, colimus & adoramus. Huic continuas „ preces offerimus pro imperio illorum, ut sta„bile & inconcussum permaneat. Sic Origenes *lib.* 8. respondens Celso qui Christianos hortabatur ad gerenda bella pro Imperatore; *Laboramus*, inquit, *pro imperio Romano, dum juste viventes pro eo vota facimus.* Et suprà jam dixerat, nos ferre auxilia Imperatori, sed divina, idque Apostoli monitis obedientes. Consonant Justinus martyr *Apolog.* 2. Melito Sardianus in libro pro Christianis ad Antoninum Imperatorem, quem laudat Eusebius *lib.* 4. *hist. cap.* 26. Athenagoras in fine suæ legationis. Imò etiam pro Constantio Imperatore hæretico Liturgicas preces habitas testatur Athanasius in Apologia ad ipsum Constantium. Quod si pro impiis & infidelibus in sacris conventibus deprecationes fieri consueverunt, quantò magis pro christianis & orthodoxis? Ita lib. 3. arguit Optatus Milevitanus dicens, „ Meritò Paulus docet orandum esse pro „ Regibus & Potestatibus, etiamsi talis esset Im„perator, qui gentiliter viveret. Quantò magis „ quod Christianus, quantò quod Deum timens, „ quantò quod religiosus, quantò quod miseri„cors? *Sequitur.* Et omnibus Orthodoxis, atque „ Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus. Quæ verba desunt in antiquo Ordine Romano, & in libro Sacramentorum S. Gregorii M. S. Bibliothecæ Vaticanæ Palatinæ cod. 495. itemque in vetusto Missali Vaticano cod. 4770. Eaque superfluè poni notat Micrologus. c. 13. *Nam Ordo*, ait, *statim in sequenti versu, ubi dicitur* Memento Domine, *nobis concedit, ut omnium vivorum commemoremus quoscunque voluerimus.* Et *cap.* 23. describens Canonem ea omittit, sequutus nimirum Ordinem Romanum, in quo non extant. Sed meritò addita esse nec superflua censeri ex eo evidens fit, quod per ipsa omnes fideles vivi generaliter commemorantur: at in sequentibus *Memento Domine*, offerentium dumtaxat commemoratio propriè fit, & ibi olim ex sacris tabulis quorumdam nomina legebantur, ut mox videbimus. Ita sanè Alcuinus. „ Cum dicitur *Memen„to Domine famulorum famularumque tuarum*, „ &c.

„ & sic deindè subjungitur, *& omnium circum-*
„ *stantium*, manifestum est, quod quasi qui-
„ dam locus sit, ubi aliquibus specialiter nomi-
„ natis, etiam cæterorum qui assistunt in Ec-
„ clesia commemoratio adjungatur. In quo lo-
„ co liberum est Sacerdoti, quos desideraverit
„ peculiariter nominare. Aut certè illud ab an-
„ tiquis est observatum, ut ibi offerentium no-
„ mina recitarentur.

V. Post illa verba *& omnium circumstantium*, sive circumadstantium, addunt quidam libri *omniumque fidelium*: sed omninò rejicienda hæc additio tanquam superflua; nam in fine præcedentis orationis præmissa est pro omnibus fidelibus deprecatio illis verbis, *& omnibus orthodoxis*. In aliis codicibus post eadem verba *& omnium circumstantium*, hæc adduntur; *Et eorum quorum nomina ad commemorandum conscripsimus, ac super sacrum altare tuum scripta adesse videntur.* Hæc autem suspicor substituta à quibusdam nominum recitationi, postquam prætermitti cœpit, ut saltem generalis eorum mentio fieret, pro quibus orandum erat, posita super altari charta, in qua singillatim omnes descripti forent. Hæc formula orandi per verbum *Memento*, extat in omnibus Liturgiis, Jacobi, Marci, Basilii, Chrysostomi, & aliorum, & in quibusdam sæpius repetitur: quod à SS. PP. sapientissimè constitutum est, nam ut ait Augustinus, meminisse Dei adjuvare est. In quibusdam M. SS. priusquam sacerdos pro aliis oret, hanc pro seipso orationem præmittit. „ Memento mei quæso & „ miserere, licèt hæc indignè tibi sancte Pater „ omnipotens, æterne Deus, meis manibus offe-„ rantur sacrificia, qui nec invocare nomen tuum „ dignus sum. Sed quoniam in honore, laude & „ memoria glorioßissimi dilecti filii tui Domini „ Dei nostri Jesu Christi offeruntur, sicut incen-„ sum in conspectu divinæ majestatis tuæ cum „ odore suavitatis accendantur. In Missali Vaticano num. 4770. oratio incipiens *Memento*, sic concepta est: „ Memento Domine famulorum „ famularumque tuarum, quorum commemo-„ rationem agimus, & qui nobis bona fecerunt, „ & qui de eleemosynis suis commemorave-„ runt loca sanctorum, & qui nobis confessi „ sunt, & qui se nostris orationibus commenda-„ verunt, & pro quibus orare polliciti sumus. Re-„ tributor omnium bonorum retribuat illis bona „ in vitam æternam. Et omnium circumstantium. Eadem ferè formula reperitur in Missali Palatino ejusdem Bibliothecæ Vaticanæ num. 499. „ Memento Domine mei peccatoris & pessimi „ in bonum æternum: & omnium quorum ego „ eleemosynas suscepi, & quorum confessionem „ peccatorum audivi, & quorum manus in me-„ moriam familiaritatis suscepi, & qui mihi ami-„ citia vel cognatione junguntur, etiam illorum „ qui mihi emendabiles inimici sunt; & famulo-„ rum famularumque tuarum, &c. In Missali Bibliothecæ Barberinæ num. 1858. post illa verba primæ orationis, „ Apostolicæ fidei cultoribus, „ *hæc subduntur*: Mihi quoque indignissimo fa-„ mulo tuo propitius esse digneris, & ab omnibus „ meis delictorum offensionibus me clementer „ emundare dignare. Et immediatè sequitur *Memento*, præmissa hâc inscriptione, *Petitio secunda. Recita nomina.* In multis post *Memento* hæc vox parenthesi inclusa vel minio exarata legitur, *Nomina*, quia videlicet hoc loco nomina recitabantur. In aliis vel diverso charactere, vel in margine scriptum est: *Hic recitantur Nomina.* In Missali ejusdem Bibliothecæ Barbarinæ circa annum 900. conscripto num. 326. post verba: „ Et nota devotio, *hæc interseruntur*, Mi-„ hi quoque indigno famulo tuo peccatori pro-„ pitius esse dignare, & cum his omnibus me à „ cunctis emunda delictis, pro quibus tibi offeri-„ mus, &c. In alio quod erat Cardinalis Bessarionis, in margine è regione verbi *Memento* scriptum est *Bessarionis Episcopi, Theodulæ matris ejus, Georgii & Basilii.* Hæc verba, *Pro quibus tibi offerimus*, desunt in antiquo Ordine Romano, & in aliquot M. SS. eaque omittit Micrologus *cap.* 23. & superflua esse ait *cap.* 13. quia in antiquioribus & veracioribus sacramentariis, offerentes nonnisi in tertia persona reperiuntur. At non esse superfluas, ut alias rationes omittam, usus omnium Ecclesiarum evincit. In libro Sacramentorum sæpiùs laudato ante annos nongentos scripto, Dominica tertia Quadragesimæ, in qua fieri olim solebat Scrutinium electorum, fit specialis mentio susceptorum his verbis: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, qui electos tuos suscepturi sunt ad sanctam gratiam baptismi tui: & recitantur nomina virorum & mulierum, qui ipsos infantes suscepturi sunt.* Quo verò tempore omitti cœperit hæc nominum recitatio, incertum est. Remigius Antisiodorensis, qui vivebat anno Christi 900. lib. de celeb. Missarum, *Etiam hodie*, inquit, *Romana Ecclesia recitat nomina ex Diptychis.* Auctor item Micrologi, quem post annum 1085. claruisse ex eo apparet, quod Gregorii VII. & Anselmi

Anſelmi Lucenſis meminerit, recitanda nomina monet poſt *Memento*, ſed non die Dominico. Idem mos recitandi nomina in ſacrificio, vigebat eo tempore in monaſteriis, ut patet ex Victore III. Rom. Pontifice, olim Deſiderio Abbate Montis Caſini lib. 1. Dialogorum, ubi refert miracula Joannis Lucenſis Præpoſiti Monaſterii. De iiſdem nominibus agit Honorius ſcriptor XII. ſæculi in Gemma animæ *lib.* 1. *cap.* 107. eâ tamen ratione, ut ſatis clarè indicet, jam tunc illam recitationem in deſuetudinem abire cœpiſſe. Cur verò die Dominico nomina non recitarentur, fateor me ignorare.

## CAPUT XII.

*Diptycha quid ſint, & quot eorum genera, qui uſus. Inſcripta eis nomina vivorum & defunctorum. De ſolis vivis hic agitur. Cur fiat in Canone quorumdam Sanctorum commemoratio. Quædam notatu digna de Coſma & Damiano. Diverſos fuiſſe mores Eccleſiarum in hac Sanctorum commemoratione. De oratione* Hanc igitur oblationem, *ejuſque variis formulis apud Antiquos.*

I. QUoniam de Diptychis ſæpe mentio facta eſt, & oratio, quæ *Memento* incipit, in quibuſdam Miſſalibus M. SS. *Oratio ſuper Diptycha* ſuſcribitur, explicare hic breviter oportet, quid ea ſint, & quis eorum in ſacris uſus fuerit. Diptychorum nomen à Ptychis, id eſt plicis derivatur: unde Diptycha tabulæ ſunt, quæ duas habent plicas, de quibus, earumque profano uſu plura ex Ethnicis ſcriptoribus congerit Heribertus Roſvueydus in Onomaſtico ad Vitas Patrum. Erant & Triptycha atque Pentaptycha, triplices nimirum & quintuplices tabulæ, de quibus Turnebus *libro* 9. *Adverſar. cap.* 23. Publica etiam ratiocinia Polypticha à Græcis dicta aſſerit Gothofredus *ad l.* 2. *de diſcuſſoribus lib.* 10. *Codicis*, quod illæ chartæ multas plicas haberent: quæ vox à Gregorio Magno *lib.* 7. *epiſt.* 40. *Indict.* 2. à Caſſiodoro *lib.* 5. *epiſt.* 16. à Marculfo in Formulis, & ab aliis paſſim Latinis ſcriptoribus eo ſenſu uſurpatur. Invenio autem tria fuiſſe genera Diptychorum ſive tabularum, quibus nomina in ſingulis Eccleſiis inſcribebantur. Primum erat peculiare Epiſcoporum, eorum præſertim, qui illam Eccleſiam rexerant, dummodò probitate ac ſanctis moribus claruiſſent. Secundum vivorum, in quibus eorum nomina deſcripta erant; qui adhuc viventes, dignitate aliqua, vel beneficiis illi Eccleſiæ collatis conſpicui, vel alio titulo benemeriti erant. In his primo loco Romanus Pontifex, tum alii Patriarchæ, & proprius Antiſtes; ac reliqui clero adſcripti recenſebantur: poſtea Imperator, Principes, Magiſtratus, & populus fidelis. Tertium erat mortuorum, qui in catholica communione deceſſerant. Uſum verò Diptychorum, eorumque lectionem intra Miſſarum ſolemnia vel ab Apoſtolis, vel ex illorum inſtitutione ſeu traditione, ab immediatis ſucceſſoribus cœpiſſe ſatis conſtat ex iis, quæ ſupra Cap. VIII. de nominum recitatione ex priſcis Patribus allata ſunt. Quod autem ſpectat ad primum genus pro ſolis Epiſcopis cum opinione ſanctitatis vita functis, eam inſcriptionem ſpeciem quamdam habuiſſe canonizationis ſeu beatificationis, fidem facit Dionyſius in theoria capitis tertii eccleſ. Hierarchiæ. „ Sacrarum, „ inquit, tabularum recitatio deprædicat eos, qui „ ſanctè vixerunt, & ad ſtudioſæ vitæ perfectio„ nem conſtanter pervenerunt. Nos quidem eo„ rum imitatione ad beatiſſimum illum ſtatum „ quietemque deiformem adhortando ac manu„ ducendo: illos verò ceu viventes celebrando; „ quippe ut Theologia docet, nequaquam mor„ tuos, ſed ex morte ad vitam diviniſſimam „ tranſlatos. Ideo Eccleſia ſollicitè ſemper cavit, ne ſanctorum Epiſcoporum nomina ob quorundam pravorum hominum calumnias, vel ob errores proborum è ſacris Diptychis expungerentur. Hæc enim expunctio pœna erat illis ſolis irrogata, qui vel à fide defecerant, vel ob aliquod crimen à communione Fidelium abſtenti erant. Notæ ſunt diuturnæ altercationes de Chryſoſtomi nomine in Diptycha referendo, in quibus ipſum ſcribere multi renuebant, eò quòd à Theophilo Alexandrino exauctoratus, tametſi iniquâ ſententiâ, & non abſolutus mortuus eſſet: qua de re referibens Theodoretus *lib.* 5. *hiſtor. cap.* 34. ait Epiſcopos Occidentis non prius cum Epiſcopis Ægypti, Orientis, Boſphori, & Thraciæ communicare voluiſſe, quàm nomen illius ſanctiſſimi viri in tabulas defunctorum Epiſcoporum retuliſſent. Et quidem S. Cyrillus Theophili nepos, & in Cathedra Alexandrina ſucceſſor, diu renuit Chryſoſtomum recipere, ut ex ejus & Attici litteris conſtat, quarum partem

Facundus Hermanienſis *lib.* 4. integras affert Nicephorus *lib.* 14. ſed tandem ceſſit, eumque recepit, ne gratiam & communionem Romanæ Eccleſiæ amitteret. Ex eodem more Adrianus II. in epiſt. commonitoria ad ſynodum Tricaſſinam Epiſcopis mandat, ut deceſſorem ſuum Nicolaum Papam Apoſtolicæ recordationis in Diptychis Eccleſiarum ſcribi, & nomen ejus inter ſacra Miſſarum ſolemnia recitari faciant. Plures occurrunt ſimiles hiſtoriæ in actis Conciliorum, & in epiſtolis veterum Patrum. Nec ſolùm Epiſcopi, ſed etiam Oecumenica concilia Diptychis inſcripta ſunt. In ſynodo Conſtantinop. ſub Menna act. v. ſæpius à fidelibus conclamatum eſt, ut Diptycha portarentur ad ambonem. *Quatuor ſynodos Diptychũ, Leonem Epiſcopum Romanum Diptychũ, Diptycha ad ambonem*; nempè ut publicè legerentur, & populus audiret nomina quatuor ſynodorum & Leonis Papæ, & Macedonii, atque Euphemii reſtituta. „Tempore autem Diptychorum cucurrit omnis „multitudo cum magno ſilentio circumcirca al„tare: & cum lectæ fuiſſent à Diacono appel„lationes ſanctarum quatuor ſynodorum, & ſan„ctæ memoriæ Archiepiſcoporum Euphemii „& Macedonii & Leonis, voce magnâ univerſi „clamarunt, Gloria tibi Domine, & poſt hoc „cum omni modeſtia completa fuit cum Deo „Divina Liturgia. Juſtinianus item Auguſtus in epiſt. ad Epiphanium Conſtantinop. quam Codici inſeruit L. 7. de ſumma Trinitate §. 5. ait: „Nullus fruſtra nos turbet ſpe vana innixus, „quaſi nos contrarium quatuor conciliis feceri„mus, aut faciamus, aut fieri à quibuſdam per„mittamus, aut aboleri eorumdem ſanctorum „quatuor conciliorum piam memoriam ex Ec„cleſiæ Diptychis ſuſtineamus.

II. Cæterùm cum de Diptychis ſermo eſt, id minimè prætermittendum, quod præter tabulas quæ ſola nomina in Eccleſiis recitanda complectebantur, aliæ erant ab his diverſæ, in quibus omnium, qui ad baptiſmum accedebant, nomina deſcribi ſolebant. Quam tabularum ſeu Diptychorum diverſitatem quidam non attendentes, exiſtimarunt omnium prorſus fidelium nomina intra ſacram ſynaxim à Diacono lecta fuiſſe. Atqui hoc abſurdum omnino eſt: Fide enim jam propagatâ & eversâ idololatriâ ad eam recitationem nec menſes nec anni ſuffeciſſent; præſertim in civitatibus, quæ innumerabilem populi multitudinem continebant. Delectus itaque habebatur, & in Diptychis tam viventium quàm defunctorum, quæ publicè in Eccleſia recitabantur, eorum tantùm nomina notabantur, qui inter cæteros aliqua ſpeciali nota præeminebant, facta de reliquis generali commemoratione. Jacobus Goar in variis lectionibus Liturgiæ Chryſoſtomi *pag.* 97. ex codice M. S. ducentorum & amplius annorum Bibliothecæ Chriſtianiſſimi Regis hanc brevem exhibet formulam commemorationis vivorum. „Memento mei, & cun„ctorum, & cunctarum. Joſeph ſanctiſſimi & „univerſalis Patriarchæ, *nempe Conſtantinopo„litani, nomen enim Papæ ſcriptor ſchiſmaticus „omiſit*, Philothei Alexandriæ, Marci Antio„chiæ, Theophili Hieroſolymorum, & pro „offerente Domino Deo ſancta dona N. hono„rando Sacerdote: Sacerdotum etiam adſtan„tum, venerandi Presbyterii, miniſterii in „Chriſto, & omnis ſacri ordinis cœtus. Pro ſa„lute, victoria, permanentia devotiſſimorum & „Chriſtum diligentium Imperatorum noſtro„rum: devotiſſimæ & Chriſtum amantis Do„minæ noſtræ Hypomenes monialis: devotiſ„ſimæ & Chriſtum amantis Dominæ noſtræ „Eugeniæ Monialis: devotiſſimorum & Chri„ſtum diligentium Imperatorum noſtrorum „Joannis & Mariæ. Pro pace & conſiſtentia to„tius mundi, & ſanctarum Dei Eccleſiarum: „pro redemptione fratrum noſtrorum captivo„rum: proſperitate & firmitate Chriſtum dili„gentis exercitus: reſidui populi ſalute, & cun„ctorum & cunctarum. Porro hæc formula contractior eſt, alias autem ampliores eſſe non dubito. De Diptychis mortuorum infra agam. Vivi autem dicuntur offerre *pro ſe ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ*: memoriæ Sanctorum *communicantes* & eos venerantes; Eccleſia enim, quæ militat in terris, cum ea communicat, quæ in cœlis triumphat. Uſus autem commemorandi B. Virginem & Sanctos in Miſſa omnium Eccleſiarum immemorabili conſuetudine comprobatur, ut patet ex earum Liturgiis. Cyrillus Hieroſolymitanus ſacram ſynaxim deſcribens Cathech. V. Myſtagogica aſſerit Sacerdotem memoriam in ea facere SS. Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum, & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras. Auguſtinus lib. de Virginitate cap. 45. „Fidelibus, inquit, notum „eſt, quo loco Martyres, & quo defunctæ ſan„ctimoniales ad altaris ſacramenta recitentur. Idem tract. 84. in Joannem. „Ideo ad menſam

Domini

„ Domini non sic Martyres commemoramus, „ quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, „ ut etiam pro eis oremus; sed magis ut ipsi orent „ pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus. *Et serm.* 17. *de verbis Apostoli*, Martyres eo loco „ recitantur ad altare Dei ubi non pro ipsis ore„ tur: pro cæteris autem commemoratis defun„ ctis oratur. Agit de hac Sanctorum commemoratione apud Græcos Nicol. Cabasilas *in expos. Liturgiæ cap.* 33. Maronitæ in sua Missa hanc ipsam commemorationem sic peragunt. „ Memoriæ Domini Dei, & salvatoris nostri „ Jesu Christi, & totius dispensationis illius sa„ lutaris quæ est erga nos, recordamur in hoc „ momento. Item patris nostri Adam, & ma„ tris nostræ Evæ, & omnium hominum, qui „ placuerunt ante Deum ab Adamo usque in ho„ diernum diem, scienter autem & nominatim „ sanctæ & laudabilis Virginis, & in omni tem„ pore beatæ genitricis Dei Mariæ, & Pro„ phetarum, Apostolorum, Martyrum, Con„ fessorum, Justorum, Sacerdotum, Patrum „ sanctorum, & Doctorum, Rectorum, Reli„ giosorum, & omnium Virginum, & Sancti N. „ supra cujus altare offerimus.

III. In canone Romano post B. Virginem & Apostolos, Martyres duodecim nominantur. Confessorum nulla fit mentio, vel quia Martyres passionem & mortem Domini, quæ in hoc sacrificio repræsentatur, effuso sanguine imitati sunt: vel quia canon editus est, antequam Confessorum memoria celebraretur, de quibus silent tribus prioribus sæculis Ecclesiastica monumenta. Quarto verò Gregorius Nyssenus Basilii laudes celebravit in die anniversaria obitus ejus, Gregorius quoque Nazianzenus Athanasii. Obiit eodem sæculo Martinus Turonensis, cujus festivitas statim coli cœpit, ut alibi notavimus, & ideò solus ex Confessoribus officium proprium in vetustissimis Breviariis habet, quia ipsi primo publicus ab Ecclesia cultus tributus est. Cur autem Lini, Cleti, Clementis, & cæterorum potius quàm aliorum mentio fiat, evidens ratio assignari non potest, & fortassis non una & eadem omnium & singulorum est. Porro omnes, qui hic nominantur, vel Romæ passi sunt, vel in locis Romano Patriarchatui immediatè subjectis: ex qua consideratione hæsi diu anceps, nesciens qua de causa soli inter orientales Cosmas & Damianus Arabes, & in Ægæa civitate martyrio coronati, hoc loco recenserentur. Sed tandem inveni tria fuisse paria sanctorum ejusdem nominis Cosmæ & Damiani: unum Martyrum in Arabia, alterum Confessorum in Asia, tertium Martyrum qui Romæ martyrium subierunt. Extat de his ex M. SS. græcis syntagma historicum Viennæ in Austria editum, interprete Simone Wangnereckio. Arabum memoria in Menæis legitur die XVII. Octobris, Romanorum I. Julii, Confessorum I. Novembris. Quomodo autem Latini solos Arabes colant die XXVII. Septembris, qua Romano Martyrologio inscripti sunt, quomodo confusa sint horum omnium acta, & quid in notis ejus diei peccaverit Baronius, eruditè pertractat Reinoldus Dehnius in Præfatione Apologetica prædicto Syntagmati præfixa. Credibile est amissa fuisse acta Romanorum, & per ignorantiam seu negligentiam substitutos Arabes, quorum passio illustrior fuit. Omnes professione Medici fuerunt, & dicti Anargyri, quia sine pretio ægrotos curabant. Ex qua professionis, & nominum similitudine facilè æquivocatio & confusio oriri potuit. Agit etiam de his Florentinius in suo Martyrologio ad diem XXVII. Septembris, ubi optimè advertit, Romanis in Urbe dicatam Ecclesiam, eorumque Natalitia tum in veteri Kalendario, tum in libro Sacramentorum S. Gregorii V. Kalend. Octobris inscripta fuisse. Et hos proculdubio esse censeo, qui in canone nominantur. Ambrosiani post Apostolos addunt Xystum, Laurentium, Hippolytum, Vincentium, Cornelium, Cyprianum, Clementem, Chrysogonum, Joannem & Paulum, Cosmam & Damianum, Apollinarem, Vitalem, Nazarium & Celsum, Prothasium & Gervasium, Victorem, Natborem, Felicem, & Calimerum. In libro Sacramentorum Petaviano post nomina Cosmæ & Damiani hæc addita sunt, Dionysii, Rustici, & Eleuterii, Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti. In Codice Bibliothecæ Vaticanæ Palatinæ paris antiquitatis cum superiori *num.* 495. adduntur nomina Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti, & manu recentiori Uldarici, Adalberti. Codex item Vaticanus num. 4772. addit Donatum, Hilarinum, Laurentinum, & Pergentinum. Et alius num. 4770. Hilarium, Martinum, Augustinum, Gregorium, Hieronymum, Ambrosium, Benedictum, Isidorum. Eadem nomina Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, & Benedicti leguntur in libro Sacramentorum, quem edidit Menardus.

At hæc additamenta particularium Ecclesiarum fuerunt: nam Ordo Romanus eos tantùm Martyres admisit, qui in hodierno Canone sunt, Confessoribus semper exclusis. Quare nonnulli haud temerè existimarunt Lucam & Marcum Evangelistas non esse in Canone, quia dubium est an fuerint Martyres. Adjungunt aliqui Codices nomen Sancti, cujus eâ die festivitas celebratur, quod ex Liturgiis Basilii & Chrysostomi desumptum est. Refert etiam Matthæus Paris in vita Guillielmi Abbatis S. Albani interrogatum Innocentium III. an liceret addere in secreto Missæ nomen illius Sancti, cujus corpus in Ecclesia requiescit, respondisse id sibi dignum jurique consonum videri; Sed nihil addendum esse jam supra ostensum est.

IV. In sequenti oratione, *Hanc igitur oblationem*, rogat Deum Sacerdos, ut oblationem ipsius, cunctæque familiæ suæ, omnium videlicet assistentium, qui olim oblatis muneribus, nunc voto & animo offerunt, placatus accipiat: tum pacem petit in præsenti sæculo, ereptionem à perpetua damnatione, & æternam patriæ felicitatem. Hæc autem verba, *Diesque nostros in tua pace disponas*, cum reliquis usque ad finem orationis, addidit Gregorius Magnus, ut referunt in ejus vita Joannes Diaconus & Anastasius. In festivitatibus Paschæ & Pentecostes fit specialis oblatio pro renatis ex fonte baptismatis, quæ in omnibus antiquis codicibus extat. In vetustissimo autem sacramentorum libro Reginæ Sueciæ specialis intentio sæpe in hac oratione exprimitur, propter quam sacrificium offertur.

In Missa Dominicæ tertiæ Quadragesimæ pro scrutinio Electorum. „ Hanc igitur oblationem „ Domine ut propitius suscipias deprecamur, „ quam tibi offerimus pro famulis & famulabus „ tuis, quos ad æternam vitam & beatum gratiæ „ tuæ ..... dinumerare, eligere, atque vo„ care dignatus es. Et recitantur nomina Electorum, & postquam recensita fuerunt, dicitur: „ Hos Domine fonte baptismatis innovandos, „ spiritus tui munere ad sacramentorum tuorum „ plenitudinem poscimus præparari. Porrò hîc notandum, quod in *Memento* hujus Missæ recensentur nomina susceptorum, & hoc loco nomina electorum.

Feria V. in cœna Domini. „ Hanc igitur ob„ lationem Domine cunctæ familiæ tuæ, quam „ tibi offerunt ob diem jejunii cœnæ Domini„ cæ, in qua Dominus noster Jesus Christus tra„ didit discipulis suis corporis & sanguinis sui mysteria celebranda, quæsumus Domine placatus „ intende, ut per multa curricula annorum salva „ & incolumis munera tua tibi Domine mereatur „ offerre; diesque nostros, &c. In Missa de Pascha annotino, quam festivitatem, qui in Paschate baptismi gratiam susceperant, anno sequenti celebrabant, die anniversaria suæ regenerationis. „ Hanc igitur oblationem famulorum famula„ rumque tuarum, quam tibi offerunt annua re„ colentes mysteria, quibus eos tuis adoptasti re„ galibus institutis, quæsumus Domine placatus „ intende, pro quibus supplices preces effundi„ mus, ut in eis & collata custodias, & promissæ „ beatitudinis præmia largiaris; diesque no„ stros.

In dedicatione novæ Basilicæ. „ Hanc igitur „ oblationem famuli tui vel famulæ tuæ illius, „ quam tibi offerunt hanc dedicantes Ecclesiam „ quæsumus Domine placatus accipias, nostras„ que preces dignanter exaudias, ut sint oculi „ tui aperti super domum istam die ac nocte, „ templumque hoc in honorem Beatorum Mar„ tyrum tuorum illorum, vel illarum Sanctarum, „ & Confessorum sacris mysteriis institutum, cle„ mentissimus dedica, miserator illustra, propi„ tius splendore clarifica. Cunctam familiam „ tuam ad aulæ hujus suffragia concurrentem be„ nignus exaudi, ejusdemque conditorum omnia „ desideria cordis complacita tibi pius adimple, „ votisque responde. Augmenta eis annos vitæ „ & temporum felicitatem, ut per spatia longæva „ viventes melioribus ornamentis studio eorum „ locus iste refulgeat: diesque nostros.

In natali consecrationis Presbyteri, qualiter sibi Missam debeat celebrare. Mos enim antiquorum fuit, singulis annis diem recolere suæ Ordinationis, seu Professionis quoad Religiosos, qui ritus in sola die anniversaria consecrationis Episcoporum hodie remansit: & hunc diem natalem vocabant, diem verò nativitatis ex utero matris, natalem genuinum nuncupabant. „ Hanc igitur oblationem quam tibi offero ego „ tuus famulus hodie, ob diem quo me nullius „ dignum meriti, sed solo tuæ misericordiæ dono „ ad hunc locum perducere dignatus es Presbyte„ rii, quæso placatus accipias: diesque nostros.

In consecratione sacræ virginis, quæ in Epiphania, vel secunda feria Paschæ, aut in Apostolorum natalitio celebratur. „ Hanc igitur obla„ tionem famulæ tuæ quam tibi offert ob diem „ natalis sui, in quo eam tibi socians sacro vela„ mine protegere dignatus es, quæsumus Domine pro-

„ propitiatus sanctifica, ut tibi Domino, ac spon-
„ so suo venienti cum lampade sua inextinguibili
„ placitura occurrere mereatur.

In Missa pro his qui Agapen faciunt. „ Hanc
„ igitur oblationem Domine famuli tui illius,
„ quam tibi offert cum justis eleemosynis suis,
„ quas in pauperes tuos operatur; ut placatus
„ suscipias deprecamur, pro quo majestati tuæ
„ supplices fundimus preces, ut adjicias ei tem-
„ pora vitæ, ut per multa curricula annorum læ-
„ tus tibi in pauperes tuos hæc operetur, atque
„ annua tibi vota persolvat.

In trigesimo vel annuali nuptiarum. „ Hanc
„ igitur oblationem famulorum tuorum, quam
„ tibi offerimus ob diem trigesimum vel annua-
„ lem, quo eos jugali vinculo sociare dignatus es,
„ ut placatus suscipias deprecamur, pro quibus
„ tremendæ pietati tuæ supplices fundimus pre-
„ ces; ut pariter bene & pacificè senescant, & vi-
„ deant filios filiorum suorum usque in tertiam &
„ quartam progeniem, & te benedicant omnibus
„ diebus vitæ suæ.

In natali genuino. „ Hanc igitur oblationem
„ famuli tui illius, quam tibi offert ob diem ge-
„ nuinum natalis sui, quo eum de maternis visce-
„ ribus in hunc mundum nasci jussit ad recogno-
„ scendum Deum vivum & verum, ut placatus
„ suscipias deprecamur: pro quo majestati tuæ
„ supplices fundimus preces, ut adjicias ei annos
„ & tempora vitæ, ut per multa curricula anno-
„ rum lætus tibi hæc sua vota persolvat, atque
„ ad optatam perveniat senectutem, & te benedi-
„ cat omnibus diebus vitæ suæ.

Pro defuncto. „ Hanc igitur oblationem ser-
„ vitutis nostræ quam tibi offerimus pro anima
„ famuli tui illius, quæsumus Domine placatus
„ intende, pro quo majestati tuæ supplices fun-
„ dimus preces, ut eum in numero sanctorum tuo-
„ rum tibi placentium facias dignanter adscribi:
„ diesque nostros, &c. Sunt & alia multa ejus-
dem generis in eo Codice, sed hæc in exemplum allata sufficiunt.

## CAPUT XIII.

*De Consecratione, ejusque forma & ritu. Olim Fideles post verba Consecrationis respondebant* Amen. *Mos elevandi Sacramentum antiquissimus apud Græcos. Quando cœperit apud Latinos. Explicantur reliqua usque ad commemorationem defunctorum. Error Græcorum schismaticorum perstringitur. Latini ab eorum calumnia vindicantur.*

I. ACcedimus ad Consecrationem, cui præmittitur hæc oratio, *Quam oblationem &c.* quæ à Paschasio *lib. de corp. & sang. Christi cap.* 12. sic explicatur. „ Rogamus hanc oblationem
„ benedictam, per quam nos benedicamur: ad-
„ scriptam, per quam nos omnes in cœlo adscri-
„ bamur: ratam, per quam in viscera Chri-
„ sti censeamur: rationabilem, per quam à be-
„ stiali sensu exuamur: acceptabilemque facere
„ dignetur; quatenus & nos per hoc quia in no-
„ bis displicuimus, acceptabiles in ejus unico
„ Filio simus. Hæc Paschasius sub Augustini nomine citatus à Gratiano *de consecr. dist.* 2. *cap.* 72. & à S. Thoma 3. *p. qu.* 83. *art.* 4. Reperitur hæc ipsa oratio apud Ambrosium *lib.* 4. *de Sacram. cap.* 5. Tum ait Sacerdos, *Qui pridie quam pateretur, accepit panem*, & quæ sequuntur, ut possit in persona Christi formam ipsam proferre, qua idem Dominus & Salvator usus est in hoc Sacramento conficiendo. Observat Innocentius *lib.* 4. *mysteriorum Missæ cap.* 5. tria hîc commemorari, quæ non sunt in Evangelio, videlicet *elevatis oculis in cœlum*: & in calicis consecratione *æterni testamenti*, & *mysterium fidei*: quæ tamen asserit addita ex Apostolica traditione. Walfridus & Micrologus opinati sunt, ab Alexandro Papa additam hanc clausulam, *Qui pridie*: sed rectiùs sentit Alcuinus etiam Apostolis in usu fuisse. Extat autem in Liturgia Jacobi & Clementis, & apud Ambrosium *lib. de Sacramentis*. Christum autem, cum gratias Patri acturus erat, oculos in cælum elevare consuevisse, notum est ex Evangelio: nec dubitare licet, quin eumdem ritum in hac maxima actione servaverit, licèt non scripserint Evangelistæ. Forma consecrationis panis in Liturgiis Græcorum hæc est: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur*; addunt Jacobus & Marcus, *& datur*, sive *distribuitur, in remissionem peccatorum*. In Missali Mozarabum, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*. Integra formula qua vinum consecratur, ex Evangelistis accepta est, his vocibus additis *æterni & mysterium fidei*: quæ in Liturgiis Græcorum non extant. In Missali Mozarabum sic concepta est; *Hic est calix novi Testamenti in meo sanguine, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissio-*

*missionem peccatorum.* In Liturgia Jacobi, *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis & multis effunditur & datur in remissionem peccatorum.* Apud Basilium & Chrysostomum eadem est, excepto verbo *& datur.* Hæc verba *Mysterium fidei* non sunt in Ordine Romano; sunt tamen in omnibus antiquissimis Missalibus M. SS. quos vidi. Erasmus Roterodamus temeritatem suam ac impietatem ostendit cum in Annotationibus *ad cap.* 11. primæ ad Corinthios optare se ait, ut Scriptura nobis exprimeret, quibus verbis Christus consecravit, & quibus nos oporteat consecrare. Utrumque enim Scriptura expressit, & manifestè tradidit Ecclesia divino magisterio edocta, debere nos facere quemadmodum fecit Dominus, à quo Apostolus accepisse se ait quod & tradidit nobis: & quandoquidem Erasmus ad antiquos Patres provocare solet, docere eum poterat, si aures audiendi habuisset, Latinorum antiquissimus Tertullianus, qui lib. 4. adv. Marcionem cap. 40. ait: *Acceptum panem & distributum discipulis corpus illum suum fecit, dicendo, Hoc est corpus meum.* De qua Tertulliani sententia cum his quæ sequuntur, nos alibi fusiùs. Græci & alii Orientales verba consecrationis elatâ voce pronuntiant, & populus respondet *Amen.* Dionysius Alexandrinus de hoc ritu testimonium perhibet epist. ad Xystum Romanum Pontificem apud Eusebium lib. 7. hist. eccl. cap. 9. *Qui gratiarum actionem*, inquit, *frequenter audierit, & qui cum cæteris responderit* Amen, *qui ad sacram mensam astiterit*, & quæ sequuntur. Eumdem morem servabat olim Ecclesia occidentalis, omnes enim audiebant sanctissima & efficacissima verba, quibus Christi corpus conficitur. Hinc Tertullianus *lib. de spectaculis cap.* 25. in eos invehitur, qui *eo ore quo* Amen *in sanctum protulerant*, gladiatori testimonium reddere non verebantur. Ambrosius lib. de iis qui initiantur ait: *Ante consecrationem aliud dicitur: post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis* Amen, *hoc est, verum est.* Alcuinus idem asserit, & ex eo Florus magister in expositione Missæ: „ Amen autem quod ab omni Ecclesia „ respondetur, interpretatur verum, non ubicum„ que & quomodocumque, sed mystica religione. „ Hoc ergo ad tanti mysterii consecrationem, „ sicut & in omni legitima oratione respondent „ Fideles, & respondendo subscribunt. Postea statutum est, ut Canon submissa voce recitaretur, & sic desiit ea consuetudo sæculo decimo, ut conjicio, quia post Florum, qui nono labente vixit, ejus mentionem non reperi apud ævi posteriores scriptores.

II. Latini peracta consecratione, Græci paulò ante communionem, ut ex Liturgiis Jacobi, Basilii, & Chrysostomi manifestum est, corpus Dominicum & calicem elevant, ut à populo adoretur. Idque ab antiquo tempore fieri solitum indicant scriptores Græci; Dionysius cap. 3. Eccl. hierarchiæ, *Divinissima*, inquit, *consecrat mysteria, & in aspectum ducit quæ celebravit.* Et infra. *Obtecta munera in apertum producit.* Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. *Invocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis, quis sanctorum scripto nobis reliquit?* S. Germanus in contemplatione rerum Ecclesiasticarum circa finem: *elatio autem in altum venerandi corporis repræsentat crucis elationem.* Anastasius Synaita serm. de sacra synaxi: *sacerdos post sanctificatum sacrificium incruentum, attollit panem vitæ, & omnibus illum ostendit.* Maronitæ post orationem Dominicam & alias preces eamdem hoc ritu peragunt elevationem. Sacerdos elevat corpus Christi, & vocem attollens dicit: „ Sancta sanctis in perfectione, puri„ tate, & sanctitate dentur. *Respondet populus*, „ unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, unus „ Spiritus sanctus. Gloria Patri, & Filio, & „ Spiritui sancto. *Tum elevat calicem dicens*: Ita „ Domine in veritate & verè credimus in te, si„ cut credit in te Ecclesia sancta Catholica, „ quia es unus Pater sanctus, cui gloria, Amen; „ unus Filius sanctus, cui gloria, Amen; unus „ Spiritus sanctus, cui gloria & gratiarum actio „ in sæcula, Amen. Eumdem ritum sequuntur Æthiopes, nam sancta dona elevant ante communionem dicente Diacono, *Inspiciamus.* Tum ait Sacerdos, *Sanctum date sanctis.* Subdit populus, *unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, unus Spiritus sanctus.* Et sacerdos elevans Sacramentum dicit alta voce, *Domine Jesu Christe miserere nobis.* Habet exemplum in veteri Testamento hæc hostiæ elevatio: nam passim legimus partem victimæ à sacerdotibus elevatam coram Domino, *Exodi* 29. *Levitici* 7. *&* 23. *Numerorum* 5. 6. *&* 8. David quoque Eucharistiæ nostræ elevationem prædixisse dicitur *Psal.* 71. *vers.* 17. Siquidem verba illa, *Et erit firmamentum in terra in summis montium*, paraphrasis Chaldæa sic legit, *Erit placenta tritici in capitibus sacerdotum*, sicut in commentario ejusdem Psalmi refert Genebrardus, quod Hebræorum magistri, qui ante Christum vixerunt, de sacrificio venturi Messiæ expli-

explicarunt, si vera tradit Galatinus *lib.* 10. *arcanorum Catholicæ veritatis cap.* 4. & ante ipsum Raimundus Martinus in Pugione Fidei *Parte* 3. *dist.* 3. *cap.* 15. De campana pulsanda, dum fit elevatio, extat statutum Guillelmi Parisiensis Episcopi To. VII. conciliorum Binii p. 1. c. 14. „ Sicut alias, *inquit*, statutum fuit, in celebratio„ ne Missarum, quando Corpus Christi elevatur, „ in ipsa elevatione vel paulò ante, campana pul„ setur, ut sic mentes fidelium ad orationem ex„ citentur. Et Ivo Carnotensis, qui eodem tempore vixit, ejus ritus meminit *epist.* 142. qua gratias agit Matildi Anglorum Reginæ ob campanas quas dederat Ecclesiæ B. Virginis, quarum sonitu renovari ait in cordibus fidelium ipsius Reginæ memoriam, tunc præsertim, „ quando illa „ salutaris hostia pro nobis redimendis in ara cru„ cis oblata per novi sacerdotii ministros in Do„ mini mensa quotidie consecratur. Ex quibus discimus, hanc piam consuetudinem viguisse in Gallia initio sæculi XII. At verò in Germania sequenti sæculo introducta fuit à Guidone Cardinali, qui prius fuit Abbas Cistercii, cum legatus Apostolicæ sedis Coloniam missus est ad confirmandam Othonis Imperatoris electionem. Hic enim, ut scribit Cæsarius Heisterbacen. lib. 9. Dialog. cap. 51. „ bonam illic consuetudinem „ instituit, ut ad elevationem hostiæ omnis po„ pulus in Ecclesia ad sonitum nolæ veniam pe„ teret, sicque usque ad calicis benedictionem „ prostratus jaceret. Contigit hoc anno 1203. ut refert Odoric. Raynaldus tom. 13. Annalium Ecclesiasticorum. Quo verò tempore in Italia, aliisque regionibus hic mos incœperit, incertum est. Nec etiam liquet, quæ prima origo fuerit in Ecclesia Latina elevandi sacra mysteria statim ac consecrata sunt: in antiquis enim Sacramentorum libris & in codicibus Ordinis Romani tam excusis, quàm M. SS. nec in priscis rituum expositoribus Alcuino, Amalario, Walfrido, Micrologo, & aliis aliquod ejus vestigium reperitur. Ea dumtaxat in Ordine Romano elevatio commemoratur, qua calix attollitur ante orationem Dominicam, *Cum dixerit*, Per quem hæc omnia Domine, *erigit se Archidiaconus solus, & cum dixerit* per ipsum & cum ipso, *levat cum offertorio calicem per ansas & tenet exaltans illum juxta Pontificem.* Stephanus Durandus, *lib.* 2. *cap.* 40. ab ipsis Ecclesiæ incunabulis consuetum putat Eucharistiam in altum tollere, Græcorum Patrum testimonio suffultus, qui de Latinis ritibus nihil probant. Scriptor Eterodoxus id primum introductum comminiscitur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. sed crassâ juris & facti ignorantiâ, ut ex Guillelmo & Ivone supra citatis evincitur, qui integro sæculo Innocentium antecesserunt: quibus accedit Hildebertus Turonensis ipsam elevationem commemorans in versibus de sacrificio Missæ. Solent quædam Galliarum Ecclesiæ, dum tollitur in altum hostia, eos versiculos canere, *O salutaris hostia, &c.* idque rogante Ludovico XII. ab Episcopis illius regni ingruentibus undique bellis statutum fuit: cum tamen satius sit Christum in silentio adorare, sicut consuevit Romana Ecclesia: quod etiam sancitum est in Concilio Provinciali Colonienſi *P.* 2. *can.* 14. Synodus verò Augustana c. 18. quamvis permittat Antiphonas ad sacrificium pertinentes sub elevatione decantari, rectè tamen subdit, melius fore & veteri Ecclesiæ convenientius præsentiam Dominici corporis in altissimo silentio prostratos venerari. Missale Carmelitarum post elevationem calicis recitari præcipit diebus ferialibus Quadragesimæ in Missa conventuali psalmum, *Deus venerunt gentes*, cum hac oratione; „ Pientissime Deus, qui iniquita„ tum ad te conversorum non recordaris, sed eo„ rum gemitus clementer exaudis, respice tem„ pla tua infidelium manibus profanata, & tui e„ lecti gregis afflictionem: reminiscere hæredi„ tatis tuæ effusione pretiosissimi sanguinis tui „ Unigeniti acquisitæ: vineamque tua planta„ tam dextera, quam ferus aper exterminare co„ natur, ferventer visita: ac illius cultores ad„ versùs devastantium rabiem tua virtute corro„ bora, victores effice, in eâque bene ope„ rantes tui fac regni possessores. Per eumdem. Diebus verò Dominicis & festis eodem loco dicunt Psalmum. *Lætatus sum*, cum orationibus *Ecclesiæ tuæ. Hostium nostrorum. Deus à quo sancta desideria.*

III. Peracta consecratione, in omnibus Liturgiis Christi mandatum commemoratur præcipientis, ut ipsum sacrificium in ejus memoriam peragamus, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Quis enim auderet ad altare Dei accedere, & augustissimum mysterium celebrare, nisi Dominus tanti sacramenti institutor præcepisset? Ideò, ait Gaudentius tract. 2. de Paschate, „ Discipulis mandavit, quos pri„ mos Ecclesiæ suæ constituit sacerdotes, ut „ indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exerce„ rent, quæ necesse est à cunctis sacerdotibus per „ singulas totius orbis Ecclesias celebrari, usque

quo

„ quo iterum Christus de cœlis adveniat, quò & „ ipsi sacerdotes & omnes pariter fideliuui pôpu- „ li, exemplar Passionis Christi ante oculos ha- „ bentes quotidie, & gerentes manibus, ore eti- „ am sumentes ac pectore, redemptionis nostræ „ indelebili memoriâ teneamus. Propterea Ec- clesia Domini mandato obsequens, sequentia ver- ba recitari constituit: *Unde & memores Domine nos servi tui, sed & plebs tua sancta*, fidelis scili- cet & in Ecclesiæ gremio consistens; sancta, non quidem actu, cum non omnes sancti sint, sed vocatione, debito, & professione; quæ vel præsens adest sacrificio, vel in unitate Ecclesiæ ubique degens particeps est sacrificii, „ ejusdem „ Christi filii tui Domini nostri tam beatæ pas- „ sionis, nec non & ab inferis resurrectionis, sed „ & in cœlos gloriosæ Ascensionis, offerimus „ præclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis ho- „ stiam puram, & quæ sequuntur. Eadem hoc lo- co expressit Chrysostomus in sua Liturgia his ver- bis. „ Memores igitur salutaris hujus mandati, „ & omnium quæ pro nobis facta sunt, crucis, se- „ pulchri, triduanæ resurrectionis, in cœlos ascen- „ sionis, à dextris sessionis, secundi & glorioſi rur- „ sus adventus, tua ex tuis tibi offerimus per om- „ nia & in omnibus. Auctor libri Pontificalis in vita Alexandri I. ait, *Hic passionem Domini mis- cuit in precatione sacerdotum, quando Missæ cele- brantur.* Ad quæ verba notat in scholiis ineditis Petrus Urbevitanus, *ibi videlicet, tam beatæ pas- sionis.* Alii etiam passim scribunt hanc oratio- nem, *unde & memores*, ab Alexandro institutam. Sed si præcisè de memoria passionis sermo sit, sive istis sive aliis verbis fiat, ea certè non fuit ab hoc sancto Pontifice instituta, ut præclarè obser- vat Baronius *anno* 132. *num.* 3. habemus enim hac de re expressum in Evangeliis præceptum Domini: & Paulus 1. *ad Cor. c.* 11. luculentum ejusdem rei testimonium præbet dicens, *Quoties- cumque manducabitis panem hunc & calicem bibe- tis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*: quia nimirum durabit hoc sacrificium usque ad secundum Christi adventum in fine mundi. Extat apud Ambrosium hæc oratio *lib.* 4. *de Sacramen- tis*, simul cum sequenti, qua propitium Dei vul- tum super munera nostra precamur, quatenus nostra sunt, ne fortè propter iniquitates nostras minus grata sint Deo, quæ alioquin ex parte rei oblatæ, & ex parte primarii offerentis, qui est Christus, semper illi placita sunt: Similia habentur in Liturgia Jacobi & Basilii, & ad ea verba, qui- bus Melchisedech summus sacerdos nuncupatur, respexit auctor quæstionum veteris & novi Te- stamenti supra à nobis citatus Cap. II. §. 2. Ana- stasius in vita Leonis Magni refert, eum consti- tuisse, ut infra actionem sacrificii diceretur *san- ctum sacrificium, immaculatam hostiam*, quæ sunt postrema verba hujus orationis. An verò hæc sola verba huic orationi, an ipsam integram ora- tionem Canoni Leo addiderit, Pamelius nolvit definire *Tom.* 1. *Liturgicorum pag.* 572. At ego censeo, nihil addidisse nisi prænotata verba, ipsius enim orationis memoratus auctor quæstionum utriusque Testamenti mentionem facit, qui Leo- ne antiquior fuit. Maronitæ quoque in sua Li- turgia veterum Patrum sacrificia commemorant hac oratione. „ Deus qui acceptasti sacrificium „ Abel in planitie, & Noë in arca, & Abrahæ in „ summitate montis, & Davidis in area Doson „ Jebusæi, & Heliæ in monte Carmelo, & qua- „ drantes viduæ in gazophylacio, tu Domine „ Deus accipe oblationes istas, quæ offeruntur „ tibi per manus meas infirmas & peccatrices, „ & fac in eis Domine Deus memoriam bonam „ vivis & defunctis, pro quibus offeruntur, „ & benedic habitationem offerentium eas. A- men.

IV. Post hæc Sacerdos externo gestu sum- mam indicans animi demissionem, supplex Deum rogat, ut præferri jubeat, non ipsa cor- poris & sanguinis Christi mysteria; sed vota, fi- dem, & preces fidelium, in sublime altare suum, de quo Irenæus ait lib. 4. cap. 34. *Est altare in cœlis, illuc preces nostræ & oblationes diriguntur* per manus S. Angeli sui, cujus ministerio fide- lium orationes in cœlum deferri testatur Scriptu- ra, *Tobiæ* 12. *& Apoc.* 8. Unde Tertullianus *lib. de orat. cap.* 12. eorum irreverentiam acriter reprehendit, qui sedendo orant, *sub conspectu*, in- quit, *Dei vivi, Angelo adhuc orationis astante.* Id autem à Deo poscit Sacerdos, ut quotquot Chri- sti corpus & sanguinem ex ea altaris participatio- ne sumpserint, omni benedictione cœlesti & gra- tia repleantur. Nam cum olim, qui aderant, com- municarent, pro illis est hæc deprecatio: & hinc deducitur eam antiquissimam esse, cujus etiam meminit Ambrosius *lib. cit. de Sacramentis.* Ex hac oratione scriptor schismaticus Nicolaus Ca- basila in expositione Liturgiæ Latinis appingit recentioris Græciæ pessimum ac detestandum errorem, consecrationem scilicet non fieri verbis in persona Christi à Sacerdote prolatis, sed pre- catione ejusdem Sacerdotis postea orantis & di- centis; *Fac hunc panem pretiosum corpus Christi*

*tui,*

*tui*, quæ post verba consecrationis extat in Liturgia Chrysostomi; ac si verba Christi ad conficiendum Sacramentum inefficacia forent, aut forma Eucharistiæ deprecatoria sit. Sed præstat verba Cabasilæ audire, quibus Latinos hujus hæresis assertores efficere conatur ex verbis orationis, *supplices te rogamus*, de qua nunc agimus, perperam intellectis, & ad pravum sensum violentâ explicatione pertractis. Postquam enim *cap.* 29. dixit verba Christi narrativè tantùm proferri, & non sufficere ad donorum sanctificationem, subdit cap. 30. „Quod autem os eis, „*qui contradicunt*, omnino obstruit, est quod „etiam Latinorum Ecclesia, ad quam se referre „videntur, post verbum Domini pro donis ora„re non recusat. Ii autem ideò falluntur, quod „Latini non statim post Domini prolatum ser„monem orant, & quod non apertè petunt san„ctificationem, & mutationem in corpus Do„minicum, sed aliis utuntur nominibus eò feren„tibus, & quæ tantumdem valent. Quæ est autem „oratio? Jube sursum ferri dona hæc in manu „Angeli ad supercœleste tuum altare. Dicant „enim: quid est hoc, sursum dona deferri? Vel „enim localem eis translationem precantur à „terra & inferioribus locis in cœlum, vel di„gnam aliquam & ab humilioribus ad altiora „mutationem. *Et paucis interjectis.* Unde „manifestum est, eos omnino scire, ea adhuc „esse panem & vinum, quæ sanctificationem „nondum susceperunt, & propterea pro ipsis „quidem orant, quæ oratione adhuc indigent. „Orant autem ut ea sursum ferantur, ut quæ ad„huc inferiùs sita sint; & ad altare, ut quæ non„dum sint sacrificata, ut illic posita sacrificentur. Hæc Cabasilas, Latinæ Ecclesiæ Catholicam deprecationem ad suam hæresim distortâ interpretatione detorquens. At Græci orthodoxi veterum Patrum suorum ac fidei sententiæ adhærentes, hac de re in Concilio Florentino à Latinis interrogati, apertè professi sunt, panem & vinum in corpus & sanguinem Christi per ipsius verba transubstantiari: illam verò orationem, *Fac hunc panem pretiosum corpus, &c.* quam postea adjungunt, hunc sensum habere, ut quod jam consecratum est verbis Christi, fiat suscipientibus in salutem. Hæc ipsorum verba sunt *sess.* 25. Concilii. *Fatemur nos diximus, per hæc verba* Hoc est corpus meum, *transubstantiari sacrum panem & fieri corpus Christi: sed postea quemadmodum & vos dicitis*, Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum; *ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus sanctus descendat super nos, & efficiat in nobis panem hunc pretiosum corpus Christi sui, transmutetque ipsa* dona *Spiritu sancto suo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remissionem peccatorum, & non fiant in judicium aut condemnationem nostram.*

V. Hanc autem veram & orthodoxam esse illorum verborum *Fac hunc panem, &c.* explicationem, hunc legitimum sensum, quem Græci Antistites professi sunt; quarumdam etiam in Occidente Ecclesiarum consensus evincit. Ritus enim Mozarabicus, quo omnes Hispaniæ & Galliarum Ecclesiæ olim utebantur, ut Lib. I. Cap. XI. & XII. ostensum est, post consecrationem brevem ponit orationem quæ *Post Pridie*, sive *post Secreta* inscribitur: & in ea sacerdos precatur, ut descendat Spiritus sanctus & dona benedicat atque sanctificet, ac si nondum benedicta & sanctificata forent. Ita legimus in Missa S. Germani, quam ex veteri codice M. S. transcripsimus supra Cap. XII. *Descendat super hæc, quæ tibi offerimus, Verbum tuum sanctum: descendat inæstimabilis gloriæ tuæ Spiritus, ut fiat oblatio nostra hostia spiritalis.* Ita sæpius in Mozarabico. In die Natalis Domini: *In altare tuum panis ac vini holocausta proponimus, rogantes ut has hostias Trinitas indivisa sanctificet.* Dominica secunda post octavam Epiphaniæ: *Quæsumus ut oblationem hanc Spititus tui permixtione sanctifices, & corpus ac sanguinem Domini nostri Jesu Christi plena transformatione conformes.* Dominica V. *Ut has hostias intendas propitius, sanctifices, & benedicas.* Dominica I. Quadragesimæ: *Emitte Spiritum tuum de sanctis cœlis tuis, quo sanctificentur oblata.* Dominica III. *Digneris hæc oblata sanctificare.* In die Paschatis: *Ut hic panis cum hoc calice in Filii tui corpus & sanguinem te benedicente diteſcat.* Dominica III. post Pascha: *His sacrificiis propitiatus illabere, hisque benedicturus descende.* Hæc & alia plura his similia in Missali Mozarabico legimus jam peracta consecratione. At ea prorsus eumdem sensum orthodoxum habere, quo Patres Græci in synodo Florentina suam orationem *Fac hunc panem pretiosum corpus Christi tui* explicarunt, ut nimirum hostia jam consecrata nobis nostræque saluti sancti Spiritus illapsu sanctificetur, ipsimet Mozarabicæ Missæ institutores in hac ipsa oratione *Post pridie* evidenter declarant. Nam Dominica III. Adventus hoc modo concepta est:

„ His quoque te quæsumus sacrificiis nostris ita „ sanctificationem tuam infunde, quo ex his „ sumpturi nullo decidamus in crimine; sed „ sanctificati tuum mereamur adventum impavi- „ di sustinere. Dominica VI. post Pascha: „ Oramus ut hæc libamina Spiritus tui sancti be- „ nedictione respergens, sumentium viscera „ sanctificationem accommodes. Dominica I. post Pentecosten: „ Imposita hæc altaribus tuis „ munera benedicere nobis & sanctificare digne- „ ris. Nobis, inquit, id est pro nostra salute & sanctificatione. Et hæc quidem vera & catholica expositio est, sed recentioribus non est visa sufficiens ad vindicandam Græcorum precationem ab omni nota & suspicione erroris: Ritum autem Mozarabicum in hoc convenire cum Græco nemo hactenus observavit. Ideò nonnulli existimarunt, Græcos ab initio ea precatione usos ante consecrationem; postea ad eum locum translatam, in quo nunc est. Sed huic conjecturæ obstant antiqui Codices M. SS. in quibus legitur eo ipso loco, in quo hodie reperitur. Omnes autem corruptos fuisse nefas est suspicari. Deinde eadem extat eodem loco in Liturgiis Jacobi, Marci, Clementis, & Basilii, paucis verbis additis vel immutatis, sensu tamen integro præmanente. Extat etiam in Liturgia Armeniorum, quæ dum hæc scribo, data est mihi examinanda à S. Congregatione de propaganda Fide in Latinum translata à Sacerdote filius nationis Basilio Barsech. Verba eorum hæc sunt. „ Adoramus, „ rogamus & petimus à te benefactor Deus, „ mitte in nos & in proposita hæc munera con- „ sempiternum tuum & coëssentialem S. Spiri- „ tum: Per quem panem hunc benedicens cor- „ pus verè facies Domini nostri & Redemptoris „ Jesu Christi: *& dicitur ter.* Et calicem hunc „ benedicens sanguinem certè facies Domini „ nostri & Redemptoris Jesu Christi: *& dicitur* „ *ter.* Alii ipsam sic intelligendam putant, ut respiciat non tempus quo profertur, sed quod consecrationem antecedit: ac si Sacerdos tanti mysterii sublimitate extra se raptus, suæque memor fragilitatis, id quod jam factum ex fide credit, quasi efficiendum consideret, ac propterea oret, Fac panem hunc pretiosum corpus Christi tui: neque enim absurdum videtur, quod jam concessum est, ac si nondum concessum foret, iteratis precibus postulare. Alii dicunt corpus Christi duplex esse, verum quod ipsius verbis conficitur; & mysticum quod est Ecclesia, supra quod Sacerdos Spiritum sanctum jam facta consecratione descendere precatur, ut participatione Sacramenti unum corpus Ecclesia cum Christo efficiatur. Alias aliorum explicationes omitto, ne actum agam. Tractant de hac controversia Bessarion Cardinalis *lib. de Eucharistia.* Goar *ad Liturgiam Chrysostomi num.* 139. Allatius *lib.* 3. *de perpetua utriusque Ecclesiæ consensione cap.* 15. Diffusissimè autem Petrus Arcudius *lib.* 3. *suæ concordiæ cap.* 27. *& novem sequentibus.*

## CAPUT XIV.

*Refertur & rejicitur quædam interpolatio. Memoria defunctorum recitatis eorum nominibus. Cur Dionysius sola Diptycha mortuorum commemoret. Specialis ritus Mozarabum. Quare cum mortuis nomina simul Sanctorum recenseant. Qua ratione sacrificium oblatum pro Sanctis. De oratione* Nobis quoque peccatoribus. *Olim post eam benedictiones frugum & aliarum rerum fieri solebant. Omnes sacræ & ecclesiasticæ functiones intra Missarum solemnia. Finis Canonis.*

I. IN Missali Bibliothecæ Vaticanæ *nu.* 4770. ante annos sexcentos scripto post orationem *Supplices te rogamus*, ante commemorationem defunctorum interponitur hæc oratio. „ Omnipotens sempiterne Deus, dignare susci- „ pere hanc oblationem & hoc sacrificium, quod „ ego peccator præsumo offerre in honorem „ Domini nostri Jesu Christi: in memoriam In- „ carnationis, Nativitatis, Resurrectionis, A- „ scensionis ejus: in honorem Beatæ & gloriosæ „ semper Virginis Dei genitricis Mariæ, sancto- „ rumque omnium Angelorum, Archangelo- „ rum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolo- „ rum, Martyrum, Confessorum, & Virginum, „ & omnium Sanctorum tuorum, & eorum ad „ quorum honorem in isto altario reliquiæ ha- „ bentur, & cujus hodie festa celebrantur, & pro „ me misero peccatore, & pro omnibus meis pa- „ rentibus, & pro omnibus benefactoribus meis. „ Ut & ipsi pro nobis intercedere dignentur in „ cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

Per

„ Per Christum Dominum nostrum. Amen. Constat autem vel ex ipsius orationis textura, privata alicujus scriptoris licentia eam hic alieno loco insertam esse. In alio item Missali paris antiquitatis *num.* 4772. eodem loco sequens deprecatio scripta est, cujus meminit Durandus lib. 4. Rationalis c. 45. „ Memento mei quæso peccatoris, Domine Deus misericors, & miserere „ mei, licet hæc sancta indignè tibi sancte Pater „ omnipotens, æterne Deus, meis pollutis manibus offerantur sacrificia, qui nec invocare „ sanctum ac venerabile nomen tuum dignus „ sum: sed quoniam in honorem & memoriam „ gloriosissimi & dilecti filii Domini nostri Jesu „ Christi tibi offeruntur, quæso Domine tibi „ placeant & sicut incensum in conspectu divinæ „ majestatis tuæ in odorem suavitatis accendantur. Per eundem Christum Dominum nostrum. „ Amen. Sed & hæc inconsultò hîc posita est, nam sacerdos pro se orare debet, cum fidelium viventium meminit ante consecrationem. In eodem codice post hanc orationem hæc leguntur. *Sequuntur nomina. Ingizo Præpositus, Petrus Presbyter*, & alia nomina in sequenti oratione, *Memento etiam Domine*, recitanda. In aliis Codicibus hæc ipsa oratio sic inscribitur, *Super diptycha*. Nomina enim fidelium defunctorum tabulis inscribere, & intra Missarum solemnia recitare, ut supra indicavi, antiquissima consuetudo est, & Apostolicum institutum. Habent mortuorum commemorationem omnes Liturgiæ, & de hac salubri institutione testimonium perhibent omnes ferè antiqui Patres, quos recensui in *tract. de Divina Psalmodia cap.* 13. Chrysostomus hom. 69. ad pop. Antioch. *Non temere*, inquit, *ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio.* S. Monica moritura filio Augustino, ut idem refert *in fine lib. 9. confessionum*, mandavit memoriam sui fieri ad altare Dei. Et ipse Augustinus *lib. de cura pro mortuis gerenda cap.* 1. universæ Ecclesiæ consuetudinem esse testatur, ut in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habeat commendatio mortuorum. Serm. item 32. de verbis Apostoli ait, „ Hoc à Patribus traditum „ universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in „ corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium suo loco „ commemorantur, oretur, ac pro illis quo„ que id offerri commemoretur. Epiphanius quoque *hær.* 75. antiquum morem fuisse testatur, defunctorum nomina proferendi & pro eis orandi. Hinc aliquem post mortem excommunicari, nihil aliud erat quàm nomen ejus è sacris diptychis eradi, & à suffragiis Ecclesiæ excludi, ut ostendit Pamelius *ad epist. 66. Cypriani.* Florus Magister in explicatione Missæ, cujus duo exemplaria M. SS. vidi in Bibliotheca Serenissimæ Reginæ Sueciæ *num.* 927. & 1348. ex quibus suppleri possunt multa, quæ in editis desunt. *Usus*, inquit, *antiquorum fuit, sicut etiam usque hodie Romana agit Ecclesia, ut statim recitarentur ex diptychis, id est tabulis, nomina defunctorum; atque ita post lectionem nominum subjungerentur verba sequentia*, Ipsis Domine &c. *Ipsis videlicet quorum nomina memorantur, & cæteris omnibus in Christo quiescentibus.*

II. Hunc autem ritum orandi pro aliquibus, prolatis eorum nominibus, & pro reliquis generali commemoratione, commendat Augustinus eodem libro de cura pro mortuis dicens: „ Non „ sunt prætermittendæ supplicationes pro spi„ ritibus mortuorum, quas faciendas pro om„ nibus in Christiana catholica societate defun„ ctis, etiam tacitis nominibus quorumcumque „ sub generali commemoratione suscepit Eccle„ sia, ut, quibus ad ista desunt parentes, au filii, „ aut quicumque cognati, vel amici, ab una eis „ exhibeantur matre communi. In Monasteriis viguit olim hic mos, & in plerisque adhuc manet, ut mitterent sibi invicem Fratrum, amicorum, & benefactorum defunctorum nomina, ut diptychis inscriberentur. Postquam verò diptychorum usus desiit, in libro, quem Necrologium vocabant, scribebantur; & quotidie post lectionem Martyrologii ex ipso Codice eorum nomina legebantur, qui ipsa die obierant, & pro ipsis psalmus *De profundis* cum oratione competenti cantari solebat, sicut hodie fit in Cœnobiis benè institutis post generalem defunctorum commemorationem. Ven. Beda *lib. 4. hist. Anglic. cap.* 14. loquens de obitu Osuvaldi Regis, *Quærant*, inquit, *in suis codicibus, in quibus defunctorum est adnotata depositio, & invenient illum hac ut diximus die raptum esse de sæculo.* Plura ejusdem consuetudinis testimonia exhibent epistolæ S. Bonifacii Martyris: nam *epist.* 24. Fratrum defunctorum nomina se mittere scribit Aldherio Abbati: & *epist* 52. scripta nomina trium monasteriorum ait, „ Nomina nostrarum „ defunctarum sororum ego Cneuburg memori„ aliter te habere, ò Vuitberte Presbyter fide„ lis, deprecor, & omnibus circumquaq; „ amicis

„ amicis transmittere, quarum prima fuit Quon-
„ gyth soror mea germana, & Ellu. Epist. item
74. *Nomina Presbyterorum vestrorum, Diaconorum-
que ac Monachorum vel Monacharum per monaste-
ria & Ecclesias nostræ diœcesis direximus.* Et sic
alibi sæpè, *ut epist.* 62. 84. 95. 106. Similia le-
guntur in antiquis Statutis & Ritualibus Mo-
nachorum. Non est autem hoc loco prætermit-
tendum, quod Dionysius *cap.* 3. *Eccles. hie-
rarchiæ* divinæ Liturgiæ mysteria edisserens,
nusquam meminit nomina viventium recitata
tunc fuisse, sed mortuorum dumtaxat, idque
ante consecrationem. Hoc in scholiis tanquam
dignum observatione à S. Maximo notatum
est. *Notandum*, ait, *mortuorum tantùm eo Pon-
tifice recitari solita fuisse nomina.* Cujus rei cau-
sam investiganti illud venit in mentem, in ea
Ecclesia cui præfuit Dionysius, omnes fideles,
qui pauci erant, nondum extincto ethnicismo sa-
cris solemniis interfuisse: atque ideò defunctо-
rum, qui soli aberant, factam dumtaxat com-
memorationem. At ubi postea vel aucto fide-
lium numero, vel diminuto fervore, plures
abesse cœperunt, illorum quoque nomina reci-
tata sunt, vivorum quidem ante consecratio-
nem, & post illam defunctorum. Sunt qui scri-
bunt à Pelagio II. sancitum, ut mortuorum me-
moria post consecrationem fieret, sed hi recenti-
ores sunt, nec ullam afferunt ex antiquis scripto-
ribus sui dicti confirmationem.

III. Ritu Mozarabum nomina eodem con-
textu leguntur paulò post offertorium; primò
quidem vivorum, deinde defunctorum. Sacer-
dos enim generaliter Ecclesiam catholicam,
omnesque lapsos, captivos, infirmos & peregri-
nos Deo commendat: tum sacrificium offerri
ait pro universa fraternitate dicens, ut suo loco
notavimus: offerunt Papa Romensis & reliqui
pro se & pro omni clero. Item, Offerunt uni-
versi Presbyteri, Diaconi, clerici, ac populi
circum adstantes in honorem Sanctorum pro se
& suis. Et chorus respondet: *Offerunt pro se &
universa fraternitate.* Hîc verò recitabantur no-
mina vivorum offerentium, seu pro quibus ipse
celebrans offerebat. Deinde præmissa commemo-
ratione B. Virginis, Zachariæ, Joannis, In-
fantium, Petri, Pauli, & reliquorum Apostolo-
rum, atque Evangelistarum, & omnium Mar-
tyrum, ait Sacerdos: *Item pro spiritibus pausan-
tium.* Et recitat nomina Hilarii, Athanasii, Mar-
tini, & aliorum plurimorum, ex quibus nonnulli
Sanctorum catalogo adscripti sunt, alii non item;
quibus recitatis ait chorus, *Et omnium pausantium.*
Tum sequitur oratio in singulis Missis diversa,
in qua sæpe mentio fit offerentium, itemque de-
functorum, & omnium ipsorum: ex quo palam
fit, ante hanc orationem ipsa nomina ex tabulis lec-
ta fuisse. Inscribitur autem. *Post nomina*, ejus-
que formula hæc est. Dominica III. Adventus.
„ Tu offerentium nomina illuc adscribe, quo ip-
„ se præcessisti in corpore, ut quos hic adventus
„ primi gratia redemisti, in secundi adventus
„ examinatione nulla exurantur pœna supplicii:
„ sicque nunc pro defunctorum quiete exaudia-
„ mur, quo te opitulante æterno cum illis pa-
„ riter fruamur consortio Beatorum. In Missa S.
Andreæ Apostoli. „ Nominibus sanctorum
„ Martyrum, offerentiumque fidelium, atque
„ eorum qui ab hoc sæculo transierunt, à mini-
„ stris jam sacri ordinis recensitis, te Dominum
„ Deum nostrum per intercessum sancti tui An-
„ dreæ Apostoli & Martyris deprecamur, ut, &
„ Martyrum patrocinia nobis semper opitulen-
„ tur, & offerentium obsequia à te clementer
„ accipiantur, ac defunctorum fidelium anima-
„ bus cœlestium receptacula mansionum, & sem-
„ piterna quietis tutamina tribuantur. In Missa
Circumcisionis in fine orationis. „ Offerentium
„ sacrificia sanctificanda suscipias, atque spiri-
„ tus quiescentium, quorum est facta commemo-
„ ratio nominum, in requiem electorum perdu-
„ cas. Dominica ante Cineres. „ Recensita Do-
„ mine tuorum Fidelium nomina quæsumus ut
„ liber vitæ æternæ contineat: & defunctos
„ eruas à tenebrosa infernali caligine. In festo
Apostolorum Petri & Pauli. „ Quorum nomi-
„ na ore prolata sunt recitantium. Et sic alibi
sæpe. Nullibi autem clariùs distinctio nomi-
num, quæ legebantur, apparet, quam in Mis-
sa Dominicæ quartæ Adventus, cujus oratio-
nem *Post nomina* hic exhibeo. „ Sanctorum
„ tuorum Domine communicantes memoriæ,
„ Patriarcharum, Prophetarumque tuorum non
„ sumus immemores, ipsis enim renunciantibus,
„ adventus tuus claruit mundo. Memoramus
„ etiam Apostolos tuos, qui adventum tuum à
„ Prophetis, Patriarchisque prædicatum, oculis
„ suis cernere meruerunt. Facimus quoque & tuo-
„ rum Martyrum mentionem, qui te Dominum
„ redemptorem jam venisse confessi, ad mortem
„ usque sunt certati pro veritate. Fidelium præte-
„ rea tuorum in hac adhuc peregrinatione degen-
„ tium nomina recensemus, protestantes, ut eo-
„ rum vitæ cursum & perfectionem consummes,
„ quos

„ quos sanctos tuos apud te in cœlesti habitaculo „ cautos perfectosque jam retines (*quos scilicet ad „ vitam æternam prædestinasti.*) Non obliviscimur quoque defunctos naturæ nostræ ac fidei „ socios: sed precamur te Dominum amplissimæ „ pietatis, ut eis refrigeria tribuas sempiternæ „ quietis. In Missali item antiquissimo Reginæ Sueciæ, de quo supra actum est Lib. I. Cap. XII. extant hujusmodi orationes *post nomina*, ex quibus idem ritus probatur, nomina enim offerentium & defunctorum audita & recensita multoties commemorantur; oratque Sacerdos, ut ea Dominus in libro vitæ inscriptione sempiternâ figere dignetur.

IV. Quia verò inter defunctos, pro quibus hoc ritu sacrificia offerri dicuntur, illi etiam enumerantur, quos catholica Ecclesia sancti Spiritus infallibili magisterio edocta cum beatis æternæ patriæ civibus veneratur; legentium scrupulo occurrendum est, ne mores antiquos ex præsentis ævi usu æstimantes in suspicionem erroris trahant, quod à sanctis & orthodoxis Patribus institutum fuit. Tempora igitur distinguenda sunt, ut omnis offensionis occasio præcidatur. Quamvis enim tempus præcisum ignoremus, quo à sanctis Hispaniæ Episcopis hæc Missa instituta fuit; credimus tamen ejus originem illi ævo adscribendam, quo solis Martyribus publicus & solemnis cultus concedi solebat: reliqui autem, præsertim Episcopi, qui in pace Ecclesiæ, etiam cum opinione sanctitatis decedebant, sacris defunctorum tabulis inscribi, eorumque nomina promiscuè legi consueverant; ita ut nullum discrimen esset inter illos qui postea sancti nuncupati sunt, quales fuerunt Hilarius, Athanasius, Martinus, Ambrosius, Augustinus, Fulgentius, Leander, Isidorus; & cæteros quibus hic titulus nunquam tributus fuit. Cùm igitur eo tempore utrorumque par causa esset, nec ulla Ecclesiæ declaratione constaret, quemquam ex illis Dei visione perfrui, & consequenter viventium non indigere suffragiis, pro omnibus indiscriminatim preces & sacrificia offerebantur: eâdem prorsus ratione, qua nunc solemus pro singulis defunctis orare, tametsi aliqui ex illis cum opinione sanctitatis decesserint: nec tamen erramus, quia, donec à summo Pontifice Sanctorum numero adscripti sint, certò scire non possumus in quo statu reperiantur. Ecclesia autem per Sacerdotem ministrum suum sacrificium offert pro mortuis intentione conditionata, ut, si quidem eo indigent, illis prosit; alioquin aliis indigentibus applicetur. Illud insuper advertendum, quod veteris Ecclesiæ phrasi etiam pro justis & sanctis, atque adeo pro ipsis Martyribus sacrificium offerri dicebatur, non quidem pro eis orando, non enim ignorabant antiqui Patres superfluum id fore, cum persuasissimum omnibus esset, Martyres Christi statim post obitum supernæ patriæ felicitate frui, sed pro illorum honore & commemoratione. Testatur hoc Cyprianus *epist.* 34. in qua differens de Martyribus, qui *palmas à Domino & coronas illustri passione meruerunt*, ait: *Sacrificia pro eis semper ut meministis offerimus*: quod pro illorum commemoratione intelligendum esse idemmet clariùs edisserit *epist.* 37. dicens, *Dies eorum*, qui scilicet in carcere & vinculis propter Christum detenti decesserant, *quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* Et infra. *Celebrentur hic à nobis oblationes & sacrificia ob commemorationes eorum.* Aliter explicat hanc phrasim, qua etiam in Liturgia utuntur Græci, Nicolaus Cabasila in ejusdem Liturgiæ expositione *cap.* 33. ut offerri dicatur sacrificium pro Sanctis in gratiarum actionem Deo pro donis ab ipso eisdem collatis. „ Hi enim, *ait, id est „ sancti*, sunt Ecclesiæ agendarum Deo gratia„ rum causæ. Pro iis offert rationabilem hunc „ cultum, tanquam Deo gratiarum actionem, & „ præ cæteris omnibus pro Beata Dei matre, ut „ quæ omnem sanctitatem excedat. Propterea ni„ hil pro eis orat Sacerdos, sed potius eos orat, „ ut ab eis in orationibus adjuvetur. Quia non ad „ supplicationem, sed ad gratiarum actionem, ut „ dictum est, facit pro ipsis donorum oblationem. Sic Caius Papa, ut refert Baronius *an.* 295. *num.* 9. à die quo Susanna virgo neptis ejus martyrio coronata fuit, in loco ubi percussa est, jugiter obtulit sacrificium pro ejus commemoratione. Innocentius quoque Tertius *c. cum Marthæ, de celebr. Missarum* secretam orationem S. Leonis, pro ut legitur in antiquis codicibus, videlicet: *Annue nobis Domine ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio*, ita explicat, ut profit illi ad honorem, adeò ut magis à fidelibus glorificetur, quod fit in ejusdem annua commemoratione. Sive igitur in commemorationem, sive in gratiarum actionem, sive in honorem modo explicato sacrificium pro Sanctis offerri dicatur, nihil in hoc vel fidei catholicæ, vel ecclesiasticis ritibus dissonum est. Sed ex hoc diverticulo in semitam redire oportet.

V. Orationi pro defunctis alia subnectitur inci-

incipiens, *Nobis quoque peccatoribus*, qua seipsum & adstantes Deo Sacerdos commendat, ut sibi & aliis sanctorum societatem, & partem aliquam beatitudinis donare dignetur. Rursum autem aliquot Sancti hîc recensentur, quorum in priore parte Canonis mentio facta non est. Et primo quidem loco nominatur Joannes, non evangelista, ut putat Alexander Alensis in expositione Missæ, non Marcus item evangelista, qui & Joannes ex quorundam sententia dictus est, ut Honorius asserit *lib.* 1. *Gemmæ cap.* 107. sed Joannes Baptista præcursor Domini, quem etiam commemorant post consecrationem Basilii & Chrysostomi Liturgiæ. Cæteri ex diversis ordinibus selecti sunt, ut idem Honorius observat *ibidem cap. sequenti*, ex Diaconis Stephanus, ex Apostolis Matthias, ex discipulis Barnabas, ex Episcopis Ignatius, ex summis Pontificibus Alexander, ex Presbyteris Marcellinus, ex clericis minorum ordinum Petrus, ex conjugatis Felicitas & Perpetua, ex virginibus, quas à Gregorio Magno canoni adjunctas scribit Aldelmus Episcopus *lib. de Virginitate cap.* 25. Agatha, Lucia, Agnes, Cæcilia, Anastasia. Florus Magister post Marcellinum & Petrum addit Hilarium & Martinum, & in quibusdam codicibus Vaticanis adjungitur Augustinus, in aliis Juliana, & Euphemia: sed solos Martyres in canone admitti, nec ulli licere aliquid adjicere, jam supra ostendimus, *alioquin*, ut ait Honorius, *præsumptioni non devotioni adscribetur.* Finita hac oratione post illa verba *Largitor admitte*; si novæ fruges, aut quælibet alia humanis usibus inservientia benedicenda erant, ante altare collocari olim solebant, & hîc à Sacerdote benedici, & terminata benedictione solita clausula: *Per Christum Dominum nostrum*, sequentem addebant orationem, *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas*: quæ, ut notat Lucas Dacherius in præfatione ad Lectorem *tomo* 4. sui spicilegii præfixâ, non solùm referuntur ad oblata, sed etiam ad res tunc benedictas, quas Deus continuò creat sive producit, easque petimus ejus benedictione sanctificari nostris usibus profuturas. In libro antiquissimo sacramentorum Reginæ Sueciæ ponitur hoc loco benedictio ista novarum frugum in die Ascensionis Domini. „Benedic „Domine & has fruges novas fabæ, quas tu „Domine rore cœlesti & inundantia pluviarum „ad maturitatem perducere dignatus es, ad per„cipiendum nobiscum gratiarum actionem in „nomine Domini nostri Jesu Christi, Per quem „hæc omnia Domine, &c. In antiquo item Missali Vaticano *num.* 470. inserta est eodem loco benedictio Agni in die Paschatis, quæ legi potest in Ordine Romano. In aliis plerisque tam Vaticanæ, quàm Barberinæ Bibliothecæ, lac & mel benedicuntur pro Catechumenis in Missa sabbathi sancti hac oratione: „Benedic Domine „& has creaturas fontis, lactis & mellis, & pota „famulos tuos de hoc fonte perenni, qui est spi„ritus veritatis, & enutri eos de hoc lacte & mel„le. Tu enim Domine promisisti patribus no„stris Abrahæ, & Isaac, & Jacob dicens: Intro„ducam vos in terram fluentem lacte & melle. „Conjunge Domine famulos tuos spiritu chari„tatis & pacis, sicut conjunctum est hoc lac & „mel, in Christo Jesu Domino nostro. Per „quem hæc omnia, &c. Antiqua statuta monasterii Cluniacensis edita à Dacherio *tomo* 4. *spicilegii*, alterius benedictionis mentionem faciunt, *lib.* 1. *cap.* 35. quæ olim communis erat in die Natalis S. Sixti Martyris, uvarum scilicet, si tamen eâ die essent maturæ. „Sed si nondum sunt „maturæ, *inquiunt statuta*, custos Ecclesiæ ob„servat, quando primò maturescant, ut faciat eas „ad Ecclesiam deferri: allatas Armario repræ„sentat, & Armarius Sacerdoti inter canonem „ad horam competentem & prænotatam, ut eas „benedicat. Postea in Refectorio per Sacerdo„tem distribuuntur. Porrò Armarius voce barbarâ is dicebatur, cui Armarii, id est, cellarii cura commissa erat, quem Latini promum-condum vocant. Eadem benedictio uvæ in die S. Sixti in libro sacramentorum S. Gregorii legitur apud Menardum, à quo quædam adduntur in notis. Hanc ipsam habent Græci die item sextâ Augusti in Euchologio edito à Goar *pag.* 695. Ritus autem ejus sic describitur ipsâ die S. Sixti in Missali Lugdunensi. *In canone Missæ antequam Sacerdos dicat*, Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, *ponantur à Diacono, super altare ad partem dexteram prope manum Sacerdotis dexteram acini uvarum in vase mundo, & Sacerdos dicat*: Benedic Domine hos fructus novos uvæ, quos tu Domine rore cœli, & inundantiâ pluviarum, & temporum serenitate atque tranquillitate, ad maturitatem perducere dignatus es, & dedisti eos ad usus nostros cum gratiarum actione percipere in nomine Domini nostri Jesu Christi. „Deinde Sacerdos aspergat acinos uvarum a„quâ benedictâ, & postea subjungat, *Per quem* „*hæc omnia*. Diaconus verò elevet vas acino„rum de altari, & tradat Vicemagistro chori, quo

„quo accepto, ipse videlicet Vicemagister chori, distribuat acinos uvarum omnibus de conventu in choro existentibus, & omnibus aliis laicis in Ecclesia. Hæc nimirùm majorum nostrorum religio fuit, ut omnes sacræ & ecclesiasticæ functiones, sacramentorum administrationes, & quæcunque benedictiones intra Missarum solemnia peragerentur; omnium enim, ut diximus suprà Lib. I. Cap. III. ultima perfectio & consummatio Eucharistia est, à qua vim energeticam & sanctitatem accipiunt. Sive fœdus sanciendum foret, sive iniunda concordia, sive aliquid Deo offerendum, sive hæretici excommunicandi; sive Sanctorum natalitia, aliæque Festivitates denunciandæ, sive indicenda jejunia & Litaniæ, sive reconciliandi pœnitentes, sive imponendæ manus super initiandos, sive Episcopi consecrandi, sive Reges inungendi, sive chrisma conficiendum; hæc & alia ejusdem generis ab Eucharistia auspicari solebant, nec quidquam sine sacrificio rectè institui existimabant. Sed tepescente successu temporis fervore, multa ex his, ne Missa prolixior evaderet, ab ea paulatim sejuncta sunt; adeò ut etiam ipsa communio post Missam differatur, non sine magna rituum ecclesiasticorum perturbatione; quia orationes, quæ post communionem à Sacerdote dicuntur, pro ipsis communicantibus sunt. Porrò Ecclesia finem canoni imponit hac oratione, *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas*, qua veluti epilogo, supremam Christi excellentiam strictim commendat, quia *per ipsum, & cum ipso, & in ipso est Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti omnis honor & gloria.* Primam hujus partem putant nonnulli apud Cyprianum reperiri, *serm. de cœna Domini*; sed dudum observarunt Eruditi, tractatum illum, qui de operibus Christi cardinalibus inscribitur, perperam tribui Cypriano, cum sit Arnoldi Abbatis Bonævallis.

## CAPUT XV.

*De prisco usu Orationis Dominicæ in sacrificio. Gregorii Magni hac de re sententia expenditur. Ipsius orationis præfationes. Olim interdicta Catechumenis. Brevis ejus expositio. Addita oratio* Libera nos, *quæ Emboliſmus nuncupatur. Hostiam frangi, & particulam in calicem mitti, mos est omnium Ecclesiarum. Horum rituum antiquitas.*

I. DIgnum & conveniens fuit post actionem sanctissimam sacrificii, orationem recitari quam Christus docuit, ut ejus acerbissimæ passionis præmissâ commemoratione, fidelium petitiones faciliùs à Deo Patre exaudiri mereantur. Errant autem, qui putant hoc à Gregorio Magno statutum fuisse; veterem quippè & Apostolicam consuetudinem esse, ipsemet Gregorius testatur *lib. 7. ep. 64.* dicens, „Orationem „Dominicam idcircò mox post precem dici„mus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam „solummodò orationem oblationis hostiam „consecrarent. Quæ verba, quâ ratione intelligenda sint, suprà explicavimus Lib. I. Cap. V. §. 3. Deindè illa dictio exceptiva, *solummodò*, aut irrepsit in textum Gregorii, aut ad alias orationes restringenda est, quæ consecrationem antecedunt & subsequuntur. Nam verba, quibus Christus hoc sacrificium instituit, Apostoli proculdubio recitabant non omissâ memoriâ passionis ejus, sicut ille præcepit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Hieronymus etiam ait *lib. 3. adv. Pelagianos*, Apostolos quotidiè orationem Dominicam solitos dicere in sacrificio, sed non addit solam. De prisco autem ipsius usu in Missæ celebratione testimonium perhibent, tum omnes Liturgiæ, tum sancti Patres Gregorio antiquiores. Optatus Milevitanus lib. 2. *Inter vicina momenta, dum manus imponitis & delicta donatis, mox ad altare conversi, dominicam orationem prætermittere non potestis.* Quia nimirùm absolutio Pœnitentium, de qua loquitur, fieri solebat ante orationem Dominicam & communionem. Augustinus *epist. 59. ad Paulinum*, explicans de sacrificio Missæ obsecrationes & orationes, quas Apostolus commendat *1. ad Timoth. c. 2.* orationes tunc fieri dicit, dum id, quod est in Dominica mensa, benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur: *quam totam petitionem*, inquit, *fere omnis Ecclesia dominicâ oratione concludit.* Idem hom. 42. inter 50. *In Ecclesia ad altare Dei quotidiè dicitur oratio dominica, & audiunt illam fideles.* Cyrillus Hierosolymitanus catech. mystag. 5. *Post hæc*, inquit, nempe post commemorationem fidelium defunctorum, *dicimus orationem illam, quam Salvator suis discipulis tradidit.* Cæsarius Arelatensis hom. 12. quæ est de sacrificio Missæ, ait, *Quando oratio dominica dicitur, quis est, qui humiliter aut veraciter clamet*, Dimitte nobis debita nostra? Ejusdem meminit Ambrosius *lib. 6. de Sacram. cap. ult.* illique addita ait hæc verba, quibus caret hodiernus ritus:

„Audi

„ Audi quid dicat sacerdos. Per Dominum nostrum Jesum Christum, in quo tibi est, cum „ quo tibi est honor, laus, gloria, magnificentia, potestas, cum Spiritu sancto à sæculis, & „ nunc & semper & in omnia sæcula sæculorum. Quod si usus universæ Ecclesiæ à temporibus Apostolorum fuit, hanc orationem in singulis Missis recitare, nescio cur Gregorius in præcitata epistola dicat, inconveniens sibi visum eam omittere, ac si suo tempore in usu non esset: nec video, cur hac de causa à quibusdam reprehensus fuerit, ac si novos & græcanicos ritus introduxisset. An fortè in quotidianis Missis omittebatur, ipse autem pristinum morem restituit? Sanè hunc abusum in Ecclesiis Hispaniarum invaluisse, eodem sæculo, quo Gregorius decessit, concilium IV. Toletanum nos docet c. 9. *Nonnulli*, inquit, *sacerdotum in Hispaniis reperiuntur, qui dominicam orationem, quam Salvator noster docuit & præcepit, non quotidie, sed tantùm die Dominica dicunt.* Id autem vetat deinceps fieri, & singulis diebus dici constituit, eum verò, qui præterierit, ordinis sui honore mulctari jubet. Verùm si attentiùs verba Gregorii considerentur, & cum iis conferantur, quæ de illo Joannes Diaconus scribit *vitæ ejus lib. 2. cap. 20.* nihil aliud à Gregorio statutum fuisse constat, nisi ut loco congruo recitaretur. *Orationem dominicam*, ait Joannes, *mox post Canonem super hostiam censuit recitari.* Notat autem Gregorius in eadem epistola, apud Græcos ab omni populo, apud nos à solo sacerdote dici, qui mos etiam hodie in utraque Ecclesia græca & latina perseverat. Præmittitur item ab omnibus brevis Præfatio, quâ sacerdos se indignum & degenerem Dei filium agnoscens, protestatur se non audere Deum patrem compellare, nisi Christus monitis & præceptis fiduciam præbere dignatus esset. *Dignos nos redde Domine*, ajunt Græci, *qui cum fiducia absque condemnatione audimus invocare te Deum patrem cœlestem, & dicere:* Pater noster. Maronitæ hâc formulâ utuntur. „ Aperi Domine Deus ora nostra „ & labia nostra, sanctifica corpora nostra „ atque animas omnium nostrum, & purifica „ intellectus ac mentes nostras, adeò ut supplici„ ter clamemus ad te Deus Pater misericordia„ rum, atque oremus & dicamus: Pater noster, &c. Mozarabes diversas habent formulas in singulis Missis, ut in die Natalis Domini. „ Quod via, ut sequeremur, ostendit, quod vi„ ta, ut loqueremur, docuit: quod veritas, ut „ teneremus, instituit; tibi summe Pater cum „ tremore cordis proclamamus è terris, Pater noster. In die Resurrectionis. „ Christe Jesu „ bone, qui ad Patrem de cruce clamasti, tu nos „ in hac die, qua ipse de tumulo surrexisti, ad te „ clamantes exaudi: quo Resurrectionis tuæ hi„ laritate, gaudentium ora repleantur jubilo lau„ dis, & corda effectum percipiant exorationis, „ cum nunc exoraverint ea quæ præcepisti, cla„ mantes atque ita dicentes è terris, Pater noster, qui es in cœlis. In assumptione B. Mariæ. „ Do„ mine Jesu Christe, qui sic Virginem matrem „ honorificasti, quousque Assumptionis gratia „ eam coram te evexisti suffragatricem incom„ parabilem, indigni quæsumus divinitatis tuæ „ clementiam, quatenus per obtentum illius Bea„ tissimæ Genitricis, emundati ab universis con„ tagiis, audeamus exclamare & dicere è terris; Pater noster qui es in cœlis. Romana Ecclesia uno semper tenore dicit, *Præceptis salutaribus moniti, & divina institutione formati, audemus dicere*, Pater noster. Conveniunt semper cum Romanis Ambrosiani, excepto die Cœnæ Domini, quo hâc formulâ utuntur. „ Ipsius præceptum „ est Domine quod agimus, in cujus nunc te præ„ sentia postulamus. Da sacrificio authorem „ suum, ut impleatur fides rei in sublimitate my„ sterii, ut, sicut veritatem cœlestis sacrificii exe„ quimur, sic veritatem dominici corporis & „ sanguinis hauriamus, per eumdem Christum „ Dominum nostrum dicentes, Pater noster. Discrepant etiam aliquantulum in die S. Paschæ, nam dicunt: *Divino magisterio edocti, & salutaribus monitis instituti, audemus dicere*, Pater noster. Hujus autem formulæ antiquitatem indicat Hieronymus lib. 3. adv. Pelagianos: *sic docuit Apostolos suos, ut quotidie in corporis illius sacrificio credentes, audeant loqui, Pater noster.* Ad eamdem alludit Chromatius Aquileiensis *tract. de octo beatitudinibus*, Deum nobis indulsisse dicens, ut ipsum patrem dicere audeamus.

II. Hanc olim orationem recitare solis initiatis licitum erat, *Qui enim nondum initiatus est*, inquit Chrysostomus hom. 21. in Matth. *non potest patrem appellare Deum.* Ideò Competentibus tradi consueverat feria 4. post Dominicam quartam Quadragesimæ, ut ex Ordine Romano constat: & in Africa feria 2. majoris hebdomadæ, ut ostendit Augustinus *hom.* 42. superiùs citata, quam dixit illa die. Tradebatur autem brevi & nervosâ expositione adjuncta, quæ in Ordine Romano & in antiquis codicibus

M. SS.

M. SS. extat: neque extra propositum meum erit, aut legenti inutile, eam hîc transcribere.

*Pater noster qui es in cœlis.* Hæc libertatis vox est, & plena fiduciæ. Ergo nobis his moribus est vivendum, ut & filii Dei & fratres Christi esse possimus. Nam patrem suum Dominum, quâ temeritate dicere præsumit, qui ab ejus voluntate degenerat? Unde vos dilectissimi dignos exhibete adoptione divinâ: quoniam scriptum est, Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.

*Sanctificetur nomen tuum.* Non quod Deus nostris sanctificetur orationibus, qui semper est sanctus; sed petimus ut nomen ejus sanctificetur in nobis, ut, qui in baptismate ejus sanctificamur, in eo quod esse cœpimus, perseveremus.

*Adveniat regnum tuum.* Deus namque noster quandò non regnat maximè, cujus regnum est immortale? Sed cùm dicimus: Adveniat regnum tuum, regnum petimus advenire à Deo nobis promissum, Christi sanguine & passione quæsitum.

*Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Id est, in eo fiat voluntas tua, ut, quod tu vis in cœlo, hoc nos in terra positi irreprehensibiliter faciamus.

*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hic spiritalem cibum intelligere debemus. Christus enim panis est noster, qui dixit, Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Quem quotidianum dicens, ita nos semper immunes præcipit esse peccati, ut digni simus cœlestibus alimentis.

*Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hoc pactum est significans nos non aliter peccatorum posse veniam promereri, nisi priùs nos in nos delinquentibus aliis veniam relaxemus, sicut in Evangelio Dominus noster dicit: Nisi dimiseritis peccata hominibus, nec vobis Pater vester dimittet peccata vestra.

*Et ne nos inducas in tentationem.* Id est, ne nos patiaris induci ab eo, qui nos tentat pravitatis auctore: nam dicit Scriptura, Deus enim intentator malorum est, diabolus verò est tentator, ad quem evincendum Dominus dicit, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.

*Sed libera nos à malo.* Hoc ideò ait, quia dixit Apostolus, Nescitis quid vobis oporteat orare. Unde Deus omnipotens ita à nobis orandus est, ut, quicquid humana fragilitas cavere non prævalet, hoc ille propitius nobis conferre dignetur Jesus Christus Dominus noster. Qui vivit & regnat cum Deo Patre & Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Hactenus antiquus Paraphrastes, qui in petitione 4. subobscurè loquitur de sacramento Eucharistiæ, quod ante baptismum non licebat Catechumenis clarè explicare. Sequutus est autem in hujus petitionis expositione illorum sententiam, qui putant, hîc peti panem spiritualem sive Eucharisticum. Et hunc quidem principaliter petimus, secundariò autem quicquid pertinet ad vitæ sustentationem. Sacerdotes Græci recitata à populo hac oratione dicunt elata voce: *Quia tibi convenit regnum & virtus & gloria Patri & Filio & sancto Spiritui, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.* Qua exclamatione à Græcis omnes orationes terminantur. Postrema petitio latiùs extenditur sequenti deprecatione, *libera nos*, quam prisci rituum expositores græca voce Embolismum vocant, latinè interpositionem, sive excrescentiam, aut superaugmentum. Ea siquidem magis exprimitur, à quibus malis liberari petamus, à præteritis scilicet, præsentibus, & futuris, intercedente B. Virgine, cum beatis Apostolis Petro & Paulo, atque Andrea, qui primus ad Apostolatum vocatus fuit. Usus erat antiquus hîc addere plures sanctos ad arbitrium sacerdotis. Ita Micrologus asserit cap. 13. *Aliorum Sanctorum nomina annumerare non debemus, nisi quos in canone invenimus antiquitus descriptos, excepto post* Pater noster *in illa oratione* Libera nos, *ubi juxta ordinem quorumlibet Sanctorum nomina internumerare possumus.* Honorius in Gemma *lib. 1. cap.* 109. idem testatur. Vetus Missale M. S. Bibliothecæ Vaticanæ Palatinæ *num.* 483. post hæc verba, *atque Andrea*, ait: Hîc nominat quoquot sanctos voluerit. In aliis plerisque M. SS. additos legimus Patronos illius Ecclesiæ, ad quam codex ille pertinebat. Ambrosiani addunt Ambrosium. Nonnulli teste Sultingio *to.* 4. *Biblioth. Eccl. P.* 1. *pag.* 74. post hanc orationem, perperam usurpata licentia, sequentem recitant: *Respice Domine Jesu Christe Deus noster de sancto habitaculo tuo, & de sede gloriæ regni tui, & veni ad sanctificandum nos, qui sursum cum Patre sedes, & hic nobiscum invisibiliter ades, & dignare potenti manu tua participes nos facere immaculati corporis tui & pretiosi sanguinis, & per nos omnem populum. Qui vivis.*

III. Orationi *Libera nos* consueta clausula apponitur *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, quam dum profert Sacerdos, hostiam frangit ritu antiquissimo, & cum ipsa hujus sacramenti institutione exorto. Christus enim in mystica cœna

accepit panem, benedixit & fregit, deditque discipulis suis dicens: *Hoc est corpus meum.* Et quia præcepit Apostolis, ut idem in ejus commemorationem facerent, eumdem morem & ipsi sequuti sunt, & Ecclesiæ tradiderunt. Ideò in actis ipsorum legimus *cap.* 20. quod die Dominico conveniebant cum Fidelibus ad frangendum panem: ipsique fideles supra cap. 2. perseverasse narrantur in communicatione fractionis panis. Non utique panis communis, sed Eucharistici, de quo ait Apostolus 1. *ad Cor. cap.* 10. panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Hunc igitur ritum ex Domini traditione accepimus, qui passionem suam mox futuram ea fractione designavit. Ideò Ecclesia, quæ hoc sacrificio incruento eamdem passionem quotidie repræsentat, corpus ejus sub specie panis immolatum quotidie frangit, quia quæ fiunt in speciebus panis, in Christi corpore dicuntur fieri, quod sub illis rëipsa existere non dubitamus. Frangitur autem & dividitur ad divisionem specierum, ipso in se integro permanente & in qualibet particula existente; sicut anima rationalis, ut præclarè dixit Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 6. *Et in toto corpore tota est, & in qualibet ejus parte tota est.* Aptè id explicat Cæsarius lib. 3. dialog. Interrog. 169. *Credimus secundùm sermonem divinum id esse corpus dominicum, quod in divina mensa sanctè consecratur, & universo cœtui sacro absque sectione dividitur, & absque defectu participatur.* Hoc sensu Chrysostomus *hom.* 24. *in* 1. *ad Corinthios* exponens Pauli verba, *Panis quem frangimus*, ait: „ Hoc licet vi„ dere fieri in Eucharistia, in cruce autem non „ item, sed utique ei contrarium, os enim, inquit, „ ejus non conteretur: Sed quod non est passus in „ cruce, hoc in oblatione patitur propter te, & patitur frangi, ut omnes impleat. Dividitur enim, ut scitè dixit Cæsarius, sine sectione; frangitur incruenta fractione, eodem modo quo Christus in cœna corpus suum fregit absque scissura & dolore: quod multò magis nunc fit, cum ejus corpus immortale est, nullique passioni obnoxium. Sed hæc obiter dicta sint: nam fusior hujus mysterii explicatio ad Theologos spectat. Hujus fractionis tamquam in Ecclesia semper & ubique à temporibus Apostolorum usitatæ mentionem faciunt sancti Patres, & alii Ecclesiastici scriptores. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. „ Cum Eucharistiam, ut mos est, divisserint, per„ mittunt unicuique ex populo ejus partem su„ mere. Dionysius cap. 3. Eccl. Hierarch. §. 13. „ Pontifex obtecta munera in apertum producit, „ ipsorumque unitatem in plura dividit. Gregorius Nazianz. epist. 240, ad Amphilochium. „ O Dei cultor sanctissime, ne cunctéris orare & „ intercedere pro nobis, quando dicto allicis „ Verbum Dei: quando incruenta sectione cor„ pus & sanguinem Dominicum secas, vocem „ adhibens pro gladio. Augustinus epist. 59. ad Paulinum loquens de pane Eucharistico: *Cum benedicitur*, inquit, *& sanctificatur, & ad quoque distribuendum comminuitur.* Omitto alios innumeros, præsertim recentiores. Liturgiæ quæcumque extant, hanc fractionem præscribunt, ejusque mysteria edisserunt sacrorum rituum expositores Amalarius *lib.* 3. *cap.* 31. Walfridus *cap.* 22. Micrologus *cap.* 18. & 23. Ivo Carnotensis *tract. de convenientia vet. & novi sacrificii propè finem.* Hugo à S. Victore *lib.* 2. *de Eccl. off. c.* 39. Honorius in Gemma *lib.* 1. *c.* 63. Germanus in expositione Liturgiæ; quibus addi possunt S. Thomas 3. *parte, qu.* 83. *art.* 5. Ernulfus Roffensis Episcopus *epist.* 2. *tom.* 2. *Spicilegii, quæst.* 2. & alii passim.

IV. Latini dividunt in tres partes, Græci & reliqui orientales in quatuor, Mozarabes in novem. Olim fracta hostiâ, una pars servabatur usque ad finem Missæ, ut ex Sergio Papa refert Gratianus *de consecr. dist.* 2. *c.* 22. quam prò infirmis reservatam fuisse asserit Micrologus. Ordo quoque Romanus ait, particulam oblatæ quam frangit Pontifex, ab eo relinqui super altare. Maronitæ, dum hostiam frangunt; „ Credidimus, „ inquiunt, & obtulimus, signamus & frangimus „ Eucharistiam hanc, panem cœlestem, corpus „ Verbi Dei vivi in calice salutis & gratiarum „ actionis; signamus in face ardenti, propitianti, „ & plena mysteriis ab excelso: in nomine Pa„ tris vivi in vitam: & Filii Unigeniti & sancti, „ geniti ab eo, & illi consubstantialis in vitam: & „ Spiritus sancti principii & finis & sigilli totius „ quod factum est & fit in cœlo & in terra. Una „ virtus, una potestas, una voluntas: unus Deus „ verus, benedictus & excelsus, in quo non est „ divisio, à quo est vita in sæcula sæculorum. Amen. Græci frangunt statim post elevationem hoc modo. Diaconus stans à dextris sacerdotis ait: *Divide Domine panem sanctum.* Sacerdos verò frangit in quatuor partes dicens: „ Frangitur, „ & dividitur Agnus Dei, Filius Patris; qui fran„ gitur, & non comminuitur: qui semper come„ ditur & non consumitur: sed eos qui sunt participes sanctificat. Tum accipit partem unam, & in manu

manu tenet, & Diaconus ostendens sacrum calicem dicit, *Imple Domine sanctum calicem.* Ait Sacerdos, *Plenitudo fidei Spiritus sancti.* Et exprimens signum crucis immittit in sanctum calicem. Quid verò per plenitudinem Spiritus sancti Patres Græci hoc loco intelligant, luculenter edisserit Isaacius Habertus *ad partem X. Liturgiæ ordin. observ.* 4. Ritu Ambrosiano post orationem *Per quem hæc omnia*, sacerdos dividit hostiam super calicem dicens, *Corpus tuum frangitur Christe, calix benedicitur.* Tum aliam detrahit particulam dicens, *Sanguis tuus sit semper ad vitam: & ad salvandas animas, Deus noster.* Mox particulam ponens in calicem ait: *Commixtio consecrati corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi nobis edentibus & sumentibus proficiat ad vitam & gaudium sempiternum.* Interim chorus concinit Antiphonam, quam vocant Confractorium, statimque sequitur oratio Dominica, & post eam *libera nos:* deinde, *Pax & communicatio Domini nostri Jesu Christi sit semper vobiscum.* Et Diaconus subdit, *Offerte vobis pacem*: choro respondente *Deo gratias.* Romano more Sacerdos fracta hostia in duas partes æquales; unâque deposita super patena, ex altera parte, quam tenet sinistra manu, aliam particulam decerpit, qua ter signans calicem, dicit, *Pax Domini sit semper vobiscum:* quæ salutatio in Ordine Romano, & in omnibus antiquis Missalibus reperitur. Illam verò particulam mittit in calicem dicens: *Hæc commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam æternam.* Abest à quibusdam codicibus vox *consecratio*, quæ de exteriori quadam consecratione ex corporis & sanguinis mixtione intelligenda est: quamvis enim nec corpus sine sanguine, nec sanguis sine corpore sit, quia tamen seorsum corpus sub specie panis, & sanguis sub specie vini consecrantur, justis de causis, quas tradunt Missæ expositores, statutum est, ut corpus sanguini misceretur. Extat hæc mixtio in Liturgia Jacobi, & in vetustissimo Ordine Romano, aliisque Missalibus, sed oratio quæ miscendo dicitur, in diversis codicibus aliis verbis concepta est, quæ tamen idem significant, ut ex infra scriptis formulis apparet. In codice Rotaldi apud Menardum: *Hæc sacrosancta commixtio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat omnibus sumentibus salus mentis & corporis, & ad vitam capiendam æternam præparatio salutaris.* In codice Tiliano apud eumdem: *Sancti sanguinis commixtio cum sancto corpore Domini nostri Jesu Christi prosit omnibus sumentibus ad vitam æternam.* Apud Micrologum cap. 23. *Fiat commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi accipientibus nobis in vitam æternam.* Ritu Maronitarum dum sacerdos ponit particulam in calice, dicit: „Conjunxisti Domine divinitatem tuam „cum humanitate nostra, & humanitatem no„stram cum divinitate tua, & vitam tuam cum „mortalitate nostra, & mortalitatem nostram „cum vita tua. Tu nostrum tulisti nobis tuum „in vitam & salutem animarum nostrarum. Tu „gloria in sæcula. Amen.

## CAPUT XVI.

*Benedictiones Episcopales ante communionem, & priscus earum usus. De duplici benedictione in Missa. Olim preces indictæ post Orationem Dominicam. Mos antiquus denuntiandi festa, jejunia, aliasque functiones post fractionem hostiæ. Ritus dicendi* Agnus Dei, *quando vel à quo institutus. Orationes ante communionem. Osculum pacis. Quædam obiter de osculo.*

I. OLim post orationem *Libera nos*, antequam Sacerdos diceret, *Pax Domini sit semper vobiscum*, interponi solebat benedictio, quam Scriptores sacrorum rituum Episcopalem vocant, quia ad solum Episcopum pertinebat. Extant hujusmodi benedictiones in vetustis libris Sacramentorum, & in Romano Pontificali edito sub Leone X. Sunt etiam seorsum M. SS. in codicibus Vaticanis. Constant tribus capitulis seu precationibus, & nonnunquam quatuor, addita conclusione, ut mox videbimus: singulis autem respondetur *Amen.* Ex recentioribus Pontificalibus expunctæ sunt, earum tamen usum in quibusdam Ecclesiis adhuc vigere testatur Menardus in notis ad librum Sacramentorum Gregorii *pag.* 30. Earum meminit Ordo Romanus in prima Missæ descriptione his verbis. *Post solutas, ut in hâc partibus mos est, Pontificales benedictiones, cum dixerit*, Pax Domini sit semper vobiscum, *mittit in calicem de sancta oblatâ.* Et in secunda ait idem Ordo: *Episcopo dicent.* Per omnia sæcula sæculorum, *nempè post* libera nos, *accipiat Diaconus benedictionalem librum, & conversus ad populum dicat*, Humiliate vos ad benedictionem; *& clero respondente* Deo gratias,

porrigat Episcopo librum. Expleta autem benedictione, veniens Presbyter accipiat pacem ab Episcopo, eandem cæteris oblaturus. Ejusdem benedictionis ritus sic fusiùs discribitur in Missali Vaticano M. S cod. 4743. Responso Amen post orationem Libera, Pontifex ponit particulam super patenam. Tum Diaconus ad populum conversus cambucam, ita baculum pastoralem vocant medii ævi scriptores, in manibus tenens dicit alta voce: Humiliate vos ad benedictionem, & chorus respondet Amen. Et statim cantat alta voce, Princeps Ecclesiæ, pastor ovilis, tu nos benedicere digneris. Mox diaconus rursus ait: Cum mansuetudine & charitate humiliate vos ad benedictionem. Chorus dicit: Humili voce clamantes atque dicentes Deo gratias semper agamus. Quibus dictis Pontifex convertit se ad populum ante medium altaris, & legit benedictionem solemnitati congruentem, qua data ait: Et pax ejus sit semper vobiscum: tum particulam mittit in calicem dicens, Fiat commixtio. Idem ferè ritus habetur in Pontificali M. S. Bibliothecæ Barberinæ num. 1866. & in aliis codicibus apud Menardum p. 27. Ritu Mozarabum non solum episcopi, sed omnes presbyteri hanc benedictionem in singulis Missis impertiri solent; de qua re loquitur canon 17. Concilii IV. Toletani: „ Nonnulli „ Sacerdotes post dictam orationem Dominicam „ statim communicant, & postea benedictionem „ in populo dant, quod deinceps interdicimus, „ sed post orationem Dominicam, & conjun- „ ctionem panis & calicis benedictio in populum „ sequatur.

II. Harum benedictionum formulam pro singulis Missis, apud Pamelium habemus tom. 2. Liturgicorum post librum sacramentorum Grimaldi Abbatis, quarum prima hæc est in Adventu Domini.

*Omnipotens Deus, cujus Unigeniti adventum & præteritum creditis & futurum expectatis, ejusdem adventus vos illustratione sanctificet, & sua benedictione locupletet.* Respondet chorus. *Amen.*

*In præsentis vitæ stadio vos ab omni adversitate defendat, & se vobis in judicio placabilem ostendat. Amen. Quo à cunctis peccatorum contagiis liberati, illius tremendi examinis diem expectetis interriti. Amen.*

*Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & gloriatur Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

*Benedictio Dei Patris & Filii & Spiritus sancti, & Pax Domini sit semper vobiscum.*

Item in Nativitate S. Joannis Baptistæ.

*Benedicat vobis omnipotens Deus B. Joannis Baptistæ intercessione, cujus hodie natalitia celebratis, concedatque, ut cujus solemnia colitis, patrocinia sentiatis. Amen.*

*Illius obtentu ab omnibus adversis tueamini, & bonis omnibus perfruamini, qui adventum Redemptoris mundi necdum natus agnovit, matris sterilitatem nascendo abstulit, patris linguam natus absolvit. Amen.*

*Quatenus ipsius Agni, quem ille digito ostendit, cujus immolatione estis redempti, ita virtutum lanis vestiri, & innocentiam valeatis imitari, ut ei in æternæ patriæ felicitate possitis adjungi. Amen.*

*Quod Ipse præstare. Benedictio Dei Patris*, ut supra. Istæ enim clausulæ semper postremo loco adjunguntur: & per ultimam, ut patet, connectitur antecedenti benedictioni subsequens salutatio, *Pax Domini*. Ultima verò clausula in præcitato codice Vaticano *num.* 4743. his verbis concipitur: *Benedictio Dei patris omnipotentis & Filii & Spiritus sancti descendat super vos & maneat semper. Amen.* Tum additur hæc notula: *Isto loco Indulgentia pronuntiatur: & postea dicit*, Et Pax ejus sit semper vobiscum; *faciendo cum hostia, sicut est fieri consuetum, tres cruces.*

Mozarabes hanc benedictionem conferunt hoc ritu. Dicit Diaconus, *Humiliate vos benedictioni.* Tum ait Sacerdos, *Dominus sit semper vobiscum.* Respondet chorus, *Et cum Spiritu tuo.* Deinde Presbyter legit benedictiones: quarum formula hæc est. Dominica prima Adventus.

*Illustret vos Unigenitus Dei Filius lumine adventus sui, qui vos redimere non dedignatus est pretio sanguinis proprii. Amen.*

*Accingat vos virtutibus pacis, & ditet muneribus copiosis. Amen.*

*Ipsumque Dominum semper habeatis protectorem, quem omnipotens Pater suscitavit de tribu Juda victorem. Amen.*

*Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus & vivit, & omnia regit in sæcula sæculorum. Amen.*

In veteri quoque Missali, quod Gallicanum supra nuncupavimus, similes benedictiones reperiuntur, quæ quatuor vel quinque continent petitiones, ut in Missa S. Cæciliæ.

*Summe, optime, misericordissime Deus, benedic famulos, & famulas tuas. Amen.*

*Tribue eis per interventum S. Cæciliæ virgi-*

*nis*

*nis cor in tuo amore sollicitum, in tuo timore devotum, in tuo fervore perfectum. Amen.*

*Da eis tranquillitatem temporum, salubritatem corporum, salutem animarum. Amen.*

*Mereantur te fide quærere, operibus invenire, gratia promereri. Amen.*

*Et illa studeant agere te teste, quæ digna fiant in remuneratione te judice. Amen.*

*Quod ipse præstare digneris, qui in Trinitate perfecta vivis, dominaris, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.*

De hac benedictione loquitur Cæsarius Arelatensis hom. 8. inter eas quas nuper edidit Stephanus Baluzius, his verbis: *quia præmissa oratione Dominica benedictio vobis non ab homine, sed per hominem datur, grato & pio animo, humiliato corpore, & corde compuncto, rorem divinæ benedictionis accipite, ut fiat in vobis fons aquæ salientis in vitam æternam.* Similes benedictiones plura capita continentes leguntur apud Hincmarum in coronationibus Regum Caroli Calvi, & Ludovici, in fine tomi primi. Hujus item benedictionis tamquam communiter tunc usitatæ mentionem faciunt Acta Concilii Lemovicensis apud Baronium *anno* 1034. in causa Apostolatus S. Martialis. *Cum ad horam fractionis Dominici corporis ventum esset, atque ex more Archiepiscopus benedictionem funderet super populum, interseruit B. Martialis nominis mentionem, ita dicens:* Benedicat & custodiat vos omnipotens Deus, domumque hanc sui numinis præsentia illustrare, atque suæ pietatis oculos super eam die ac nocte dignetur aperire. Amen. Concedatque propitius, ut omnes, qui ad solemnitatem anniversariam hujus Basilicæ hodierna die convenistis, intercedente B. Martiale Apostolo, & cæteris Sanctis ejus, quorum Reliquiæ hîc pio venerantur amore, vobiscum hinc veniam peccatorum vestrorum reportare valeatis. Amen. Quatenus eorum interventione ipsi templum sancti Spiritus, in quo Deus Trinitas jugiter habitare dignetur, effecti, post hujus vitæ labentis excursum ad gaudia æterna feliciter venire mereamini; *& cætera quæ Episcopali benedictione proferri solitum est.* Hactenus acta illius Concilii.

III. Hunc ritum ignorantes quidam scriptores nostri temporis, & priscos mores ex hodierno usu perperam æstimantes, confundunt hanc benedictionem Episcopalem cum ea, quæ in fine Missæ ab omnibus Presbyteris dari consuevit: & cum legunt in Concilio Agathensi sub Symmacho c. 44. *Benedictionem super plebem in Ecclesia fundere, aut pœnitentem in Ecclesia benedicere, Presbytero penitus non licebit*: vel hunc canonem intelligendum esse ajunt de benedictione extra Missarum solemnia, qualem Episcopi per Ecclesiam incedentes largiri solent: vel mendum in eum irrepsisse. Id verò confidentius asserunt, quia alia sanctio in eodem concilio extat c. 47. priori contraria, ut ipsi putant. *Missas*, inquit, *die Dominico secularibus totas tenere speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat.* Hoc igitur canone prior destrui vel corrigi videtur: nam hic præcipit, ut populus non discedat ante benedictionem Sacerdotis; ille autem edicit non licere Presbytero benedicere. At nullo modo concilium duo sibi adversantia constituit. In priori etenim canone sermo est de benedictione Episcopali intra Missarum solemnia, & de solemni ac publica pœnitentium reconciliatione, quæ duo ad solos episcopos tunc pertinebant: & hanc esse veram & communem illius canonis interpretationem asserit Microl. c. 21. Posterior autem sanctio vel nomine sacerdotis episcopum intelligit, pro ut usus illorum temporum ferebat; & benedictio de qua loquitur illa est, quam dabat Episcopus post Dominici corporis confractionem: vel ut indicat Microl. benedictionis nomine intelligitur oratio, quæ post communionem dicitur. Porrò hoc firmius stabilitur, quia aliunde non constat, quod eo tempore benedictio, pro ut hodie accipitur, in fine Missæ dari soleret: & nos supra ostendimus, nomen benedictionis olim Collectis sive orationibus tributum. Hanc meam expositionem confirmat Walfridus Strabo c. 22. licet Concilium Aurelianense nominet pro Agathensi. Illi adstipulantur Amalarius & Rabanus, quorum verba expendens Menardus in notis ad librum Sacramentorum, licet fateatur in antiquis Missis & codicibus M. SS. nullam reperiri in fine Missæ benedictionem, canonem tamen Agathensem loqui existimat de benedictione, quæ datur peracta Missa: *nam si hæc benedictio*, ait ille pag. 28. *non daretur in fine Missæ, sed ante communionem, illa data populus egrediens non interesset integræ Missæ, qua ante communionem discederet.* Sed hoc erat illi probandum, quod hujusmodi finalis benedictio tunc esset in usu, aliquid enim asserenti absque legitima probatione non creditur: neque satis percipio, quomodo sequentia Cæsarii Arelatensis verba, quibus ad confirmandam suam sententiam utitur, benedictioni in fine Missæ aptari possint. *Qui vult Missas*, ait Cæsarius hom. 12. *ad integrum cum*

*lucro animæ suæ celebrare, usquequo oratio Dominica dicatur & benedictio populo detur, humiliato corpore & compuncto corde debet se in Ecclesia continere.* Sanè hîc benedictio connectitur cum oratione Dominica, & de illa proculdubio sermo est, quæ post ipsam orationem ab Episcopo dari consueverat. Idem sancitum fuit in Concilio III. Aurelianensi can. 28. *De Missis nullus laicorum ante discedat, quam Dominica dicatur oratio: & si Episcopus præsens fuerit, ejus benedictio expectetur.* Ubi vides, præceptum Concilii ad illos primitus dirigi, qui nondum recitata Dominica oratione ab Ecclesia egrediebantur: tum subdit, quod si Episcopus præsens fuerit, ipsius benedictio, quæ post prædictam orationem dari consueverat, expectetur. Sed dices, Ergo licitum erat ante communionem discedere, Missa nondum peracta. Ita planè, si mores attendantur illius ævi, quo omnes qui aderant Missæ communicabant: quicunque enim aut non poterant, aut nolebant mysteriorum esse participes, absoluto canone priusquam oratio Dominica recitaretur, ab Ecclesia discedebant, quia, quod reliquum erat, ad communionem pertinebat; ipsa scilicet oratio & benedictio Antistitis atque osculum pacis tanquam dispositio; ut his expiati puriores ad divinam mensam accederent: mox ipsa communio sequebatur, & post eam gratiarum actio. Jubet ergo Concilium, ut saltem permaneant, donec recitatâ Dominicâ oratione, Episcopali benedictione muniti discedant. Idem præcipit, ni fallor, verbis citatis Cæsarius, quia fortassis ea tunc erat in illis regionibus consuetudo sive abusus. Observo tamen canonem, de quo sermo est, totidem verbis insertum esse Capitularibus Caroli Magni *lib. 7. cap.* 210. cum hac additione, *Neque ante Missam expletam quis egredi præsumat*: quæ verba aliud mandatum à superiori distinctum continent, permanendi in Ecclesia usque ad finem Missæ: at hoc fortassis addiderunt Episcopi, qui jussu Caroli Magni Capitulare compilarunt, trecentis ferè annis post dictum Concilium, habita suorum temporum consideratione. Nec obstat his, quæ hactenus dicta sunt, Concilii primi Aurelianensis canon 28. apud Binium. „Cum ad celebrandas Missas „in Dei nomine convenitur, populus non ante „discedat, quàm Missæ solemnitas compleatur, „& ubi Episcopus non fuerit, benedictionem „accipiat Sacerdotis. Nam ut testatur Carolus le Cointe *to.* 1. *Annal. Eccl. Francorum an.* 511. aliter legitur hic canon in Codicibus M. SS. expuncta scilicet negatione, *& ubi Episcopus fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis.* Quam sanè negationem idem auctor à Collectoribus canonum adjunctam fuisse arbitratur, quia Sacerdotem hoc loco diversum ab Episcopo putarunt, cum idem sit. Loquitur ergo Concilium de benedictione Episcopali post Dominicam orationem, quia Presbyteri non benedicebant, nec ulla tunc erat in fine Missæ benedictio. Hinc autem liquet, eradicandæ pravæ consuetudini, quæ irrepserat, exeundi ante communionem, illarum partium Episcopos semper in Synodis incubuisse. Hæc occasione Episcopalium benedictionum dicta sunt, quas solemnes vocat Guibertus Tornacensis, qui vivebat an. 1260. lib. de offic. Episcopi cap. 2. „Solemnes, *inquit*, bene„dictiones ad solemnes pertinent Sacerdotes, „scilicet ad Pontifices, quas solemniter per so„lemnes exhibent dies, quæ causam & originem „nanciscuntur ex eis quæ in Numeris sic legun„tur. Loquutus est Dominus ad Moysen dicens: Loquere Aaron & filiis ejus, sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus & custodiat te: ostendat Dominus faciem suam tibi & misereatur tui: convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. *Tres igitur clausulæ in hac benedictione tanguntur, & tres clausulæ similiter in benedictionibus Episcopi solemnibus apponuntur.* Et post allatas earum mysticas rationes, easdem ait pro festorum & temporum differentia variari. *Sunt & aliæ*, inquit idem cap. 3. *benedictiones non solemnes, quæ in fine Missæ conferuntur populo tam per Episcopos, quàm per minores alios sacerdotes*: jam enim ipso vivente instituta fuerat benedictio expletâ Missâ. Alias quoque recenset benedictiones minus solemnes cap. 4. *quæ usitato & communi nomine benedictiones dicuntur, & quadragesimali tempore conferuntur, cum humiliare Deo capita jubemur.* Hinc verò confirmatur, quod supra dictum est, sumi quandoque nomen benedictionis pro Collecta sive oratione, quæ in fine Missæ recitatur.

IV. Nicolaus III. ad impetrandam pacem inter Principes christianos statuit in Missa solemni, post quam Sacerdos dixit *Pax Domini sit semper vobiscum*, ante *Agnus Dei* cantari psalmum *Lætatus sum* cum aliquod versiculis & Collecta pro pace. Idemque constituit Joannes XXII. pro tollendo schismate, ut testatur Angelus Rocca in Paralipomenis commentarii de campanis. Idem psalmus cum precibus extat in Missali

Cister-

Cistercienſi dicendus poſt *Pater noſter* pro pace Eccleſiaſtica & temporali. Miſſale Sarisburienſe editum Pariſiis anno 1555. in Quadrageſima & certis feriis tres pſalmos dici decernit, antequam dicitur *Pax Domini*, nempe, *Deus venerunt gentes. Deus miſereatur. Domine in virtute tua*, cum Antiphona *Tua eſt potentia*, & poſt eam precibus ac tribus orationibus, quarum prima eſt pro recuperatione Terræ ſanctæ, altera pro Pontifice, tertia pro Rege. In libro Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ ante annos nongentos ſcripto, quem ſæpè citavimus, poſt ſalutationem *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, hæc ex uſu illorum temporum adnotantur. „ Poſt hæc com„ monenda plebs pro jejuniis quarti, ſeptimi, „ & decimi menſis temporibus ſuis: ſive pro „ ſcrutiniis, vel aurium apertione: ſive orandum „ pro infirmis, vel annuntianda Natalitia San„ ctorum. Hæ ſunt autem in hoc codice formulæ Denunciationum:

**Denunciatio jejunii.** *Anniverſaria, fratres cariſſimi, jejunii puritate, qua & corporis acquiritur & animæ ſanctitas; nos commonet illius menſis inſtaurata devotio: Quarta igitur & ſexta feria ſolito convenientes occurſu offeramus Deo ſpirituale jejunium. Die verò Sabbati apud B. Petrum, cujus nos interceſſionibus credimus adjuvandos, ſanctas vigilias chriſtiana pietate celebremus, ut per hanc inſtitutionem ſalutiferam peccatorum ſordes, quas corporis fragilitate contraximus, jejuniis & eleemoſynis abluamus. Auxiliante Domino Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum.* Jejuniorum autem denunciatio neceſſaria olim fuit, quia ſtatam & definitam ſedem non habebant. Vetus quidem conſuetudo fuit, ut jejunium æſtivum menſe Junio, autumnale Septembri, hiemale Decembri fieret, in deſignanda autem hebdomada diverſus diverſarum Eccleſiarum mos erat, ut notat Sirmondus *ad epiſt. 23. lib. 3. Goffridi Vindocinenſis.* Gregorium VII. certam eis hebdomadam aſſignaſſe docet Micrologus, ſed ejus decretum non ſtatim ubique promulgatum fuit: nam Goffridus ibidem, ac ſi res adhuc incerta foret, ab Hildeberto Epiſcopo quærit, qua hebdomada Junii jejunium celebrari deberet.

**Denunciatio** pro ſcrutinio. *Scrutinii diem, dilectiſſimi fratres, quo electi noſtri divinitus inſtruantur, imminere cognoſcite. Idcoque ſollicita devotione illa feria circa horam diei ſextam convenire dignemini, ut cœleſte myſterium, quo diabolus cum ſua pompa deſtruitur, & janua regni cœleſtis aperitur, inculpabili Deo juvante miniſterio peragere valeamus.*

**Denunciatio** pro Natalitiis Sanctorum. *Noveris veſtra devotio, ſanctiſſimi fratres, quod B. Martyris illius anniverſarius dies intrat, quo diaboli tentationes exuperans univerſitatis creatori glorioſa paſſione conjunctus eſt. Ideoque Dominum collaudemus, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis, ut, qui illis victoriæ coronam contulit, nobis eorum meritis delictorum indulgentiam largiatur. In illo igitur loco, vel in illa via, illa feria hanc eandem feſtivitatem ſolita devotione celebremus.*

**Denunciatio** cum reliquiæ Martyris ponendæ ſunt. *Dilectiſſimi fratres, inter cætera virtutum ſolemnia, quæ ad gloriam pertinent Chriſti Domini noſtri, hoc quoque præſtitit Martyribus, qui pro nominis ejus confeſſione morte ſuſceptâ cœleſtia præmia meruerunt, ut fidelium votis, eorum præclaris Reliquiis collocatis, integritas ſancti corporis eſſe credatur. Et ideo commonemus dilectionem veſtram, quoniam illa feria, illo loco, Reliquiæ ſancti illius Martyris collocandæ ſunt. Quæſumus ut veſtram præſentiam nobis admonentibus non negetis.* Has Denuntiationes in notis ad librum Sacramentorum commemorat Menardus ex Codice Remenſi *pag.* 164. & 208. ubi etiam teſtatur, poſtquam dixerat Sacerdos, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, eas legi conſueviſſe.

V. Confractâ hoſtiâ & immiſſâ in calicem particulâ, ſequitur deprecatio ad Chriſtum Agnum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdote immolatum, de quo ad ſe veniente teſtimonium perhibuit Joannes Baptiſta dicens, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Ex quo Præcurſoris elogio mos emanavit pingendi Chriſtum in forma Agni, quem ſynodus Trullana c. 82. auſu temerario convellere tentavit, prohibens ne deinceps Chriſtus Dominus ſub Agni figura pingeretur. Sed pſeudoſynodi conatibus reſtitit Romana Eccleſia, quæ veterem uſum ſemper retinuit. Et Sergius I. ſummus Pontifex, teſte Anaſtaſio, *ſtatuit ut tempore confractionis dominici corporis*, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis, *à clero & populo decantaretur.* Apud Græcos antiquior eſt Agni Dei mentio in ſacris ſolemniis, ſed non per modum precationis. Jacobus in Liturgia:

Ecce

*Ecce Agnus Dei, filius Patris, qui tollit peccata mundi.* Et in Liturgia Chrysostomi Sacerdos divisurus sanctum panem dicit, *Frangitur & dividitur Agnus Dei, filius Patris.* Hac autem Agni in græca synaxi commemoratione quidam decepti, & eam ad Latinorum precationem trahentes, scripserunt ante Sergium cœpisse, & concilio Nicæno antiquiorem, vel certè coævam existimarunt. Et Sergius quidem instituit ter dici *Miserere nobis*; sed multis posteà ingruentibus Ecclesiæ adversitatibus, ut ait Innocentius *lib. 6. de mysteriis Missæ cap. 6.* sive ad tollendum schisma, ut alii scribunt, statutum fuit, ut in tertio diceretur, *dona nobis pacem*; qui ritus ubique receptus est, exceptâ Basilicâ Lateranensi, in qua adhuc servatur antiqua forma dicendi ter, *miserere nobis.* In antiquis Missalibus ante annum millesimum scriptis, hæc oratio tertiò reperitur cum clausula, *Miserere nobis*: ex quo apparet, prædictam mutationem post eum annum contigisse. A quo Pontifice statuta fuerit, nusquam memini me legisse. At si verax est Robertus Abbas Montensis in supplemento Chronici Sigiberti, hanc pacis postulationem attulit è cœlo B. Virgo. Apparuit enim, ut ipse refert *anno* 1183. cuidam fabro lignario opus facienti in sylva, deditque illi sigillum cum imagine sua & Filii sui, & cum hac inscriptione: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem*: jussitque ut ferret ad Episcopum, atque ei diceret, ut qui vellent pacem Ecclesiæ, facerent hujusmodi sigilla, & portarent in signum pacis. In quodam Missali antiquo sic interpolatam reperi privatâ quorumdam licentiâ hanc precationem. Agnus Dei qui tollis peccata mundi, *crimina tollis, aspera mollis, Agnus honoris*, miserere nobis. Agnus Dei qui tollis peccata mundi, *vulnera sanas, arduа planas, Agnus amoris*, miserere nobis. Agnus Dei qui tollis peccata mundi, *sordida mundas, cuncta fœcundas, Agnus odoris*, dona nobis pacem.

VI. Ante communionem tres orationes Romano ritu præmitti solent, non ex antiqua summorum Pontificum institutione, sed ex religiosorum traditione, ut ait Micrologus *cap. 18.* Prima est, qua Sacerdos pacem precatur Ecclesiæ, post quam sequitur osculum pacis, quo ipse Ministros, tum illi, omnesque fideles se invicem salutant in signum unionis & mutuæ charitatis. Apostolicum institutum hoc est, ut per solemnia pacis sacrificii consummatio fiat. Et Romani quidem atque Ambrosiani hoc loco, Græci verò & alii Orientales, itemque Mozarabes, ante Præfationem dant osculum pacis, diverso ritu, sed eadem fide & religione, ut ostendant se omnes in Christo unum esse; eosque dumtaxat divinorum munerum participatione dignos censeri, qui pacem fratribus verbo & opere impendunt. In Liturgia Jacobi, post symboli recitationem porrigitur osculum præmonente Diacono, *Osculemur nos in osculo sancto.* In Liturgia Chrysostomi ante symbolum ait Diaconus, *Diligamus nos invicem, ut in concordia confiteamur Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.* Apud Maronitas Sacerdos ante Præfationem dat pacem altari & mysteriis dicens: *Pax tecum altare Dei, & pax mysteriis sanctis positis super te.* Et dat pacem ministro dicens: *Pax tibi minister Spiritus sancti.* Minister dicit: *Veni in pace Pater noster, Sacerdos candide.* Et dant pacem in Ecclesia. Mozarabes in singulis Missis proprias habent orationes pro osculo pacis, quibus breviter à Deo petunt, ut oscula fidelia sint, & pax sincera: ut per exterioris hominis osculum, indisrupta maneat interioris hominis pax: ut pacem, quam ore annuntiant, opere impleant: ut una dilectionis copula jungat, quos unius fidei sacramenta locupletant. Similes habentur precationes in Missali Gallicano, orat enim Sacerdos *in Missa Epiphaniæ*, ut osculum, quod in labiis datur, non negetur in cordibus: *in Missa sancti Clementis*, ut, qui in præsenti labiorum impressione illigati fuerint osculo, Dei custodia pacifici permaneant in futuro: *in Cathedra sancti Petri*, ut, qui ex præcepto junguntur osculo, livore pectoris excluso, illic per gratiam ducantur, ubi est Petrus janitor cœli. Ritu Ambrosiano dicit Diaconus, *offerte vobis pacem.* Chorus autem respondet, *Deo gratias.* Et præmissâ oratione, *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis*, prout in Romano, datur Pax. In quibusdam Missalibus M. SS. Diaconus ait, *Habete vinculum pacis & charitatis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis.* Et circumstantes se invicem osculantes dicunt, *Pax Christi & Ecclesiæ abundet in cordibus nostris.* In aliis sunt orationes peculiares, quibus Sacerdos, dum se populus invicem osculatur, Deum rogat, ut omnes pacificare dignetur. Errant qui Innocentio I. hujus osculi institutionem adscribunt: non enim instituit, sed abusum emendavit, qui irrepserat, ut contra usum Romanæ Ecclesiæ pax alicubi ante confecta mysteria traderetur, cum necessariò indicenda sit post consecrationem, ut pacis osculo demonstretur populum ad omnia, quæ in mysteriis aguntur atque in Ecclesia cele-

celebrantur, præbuisse consensum. Ita ille scribit *epist.* 29. ad Decentium Episcopum Eugubinum. Deinde ejusdem osculi, tanquam ab Apostolis instituti mentionem faciunt veteres & orthodoxi Patres, Tertullianus de Orat. cap. 14. „ Alia jam consuetudo invaluit, jejunantes habita „ oratione cum fratribus subtrahunt osculum pa„ cis, quod est signaculum orationis. Quæ ora„ tio cum divortio sancti osculi integra? Quale „ sacrificium, à quo sine pace recedetur? Et lib. 2. ad uxorem cap. 4. non passurum ait maritum infidelem, uxorem fidelem alicui fratrum ad osculum convenire. Narrat Optatus Milevitanus lib. 1. Lucillam fœminam potentem & factiosam, quæ schismati Donatistarum occasionem præbuit, solitam fuisse ante communionem os cujusdam Martyris, si tamen Martyris, aut si Martyris, necdum vindicati, osculari: qua de re à Cœciliano tunc archidiacono, posteà Episcopo Carthaginensi correpta, ipsi Cœciliano irata, schisma adversùs illum suscitavit. Hanc autem mulierem ideò reprehensam puto, quod fraternum osculum, quod sibi mutuò ante susceptionem corporis Christi præbebant fideles, vel dedignata, vel eo non contenta, incertas insuper reliquias osculari præsumeret. Meminit ejusdem osculi Dionysius *cap.* 3. *eccl. Hierarchiæ*, itemque Justinus Martyr *Apolog.* 2. quibus suffragantur alii Patres græci & latini. Cyrillus Hierosolymitanus initio Catecheseis quintæ: „ Clamat Diaconus, complectimini & os„ culamini vos invicem; atque tunc mutuo nos „ osculo salutamus. Hieronymus epist. 62. ad Theophilum Alexandrin. „ Quisquamne exten„ sa manu vertit faciem, & inter sacras epulas Ju„ dæ osculum porrigit? Augustinus serm. 83. de diversis: „ Ecce ubi peracta est sanctificatio, „ dicimus orationem Dominicam, quam acce„ pistis & reddidistis. Post ipsam dicitur, Pax vo„ biscum, & osculantur se Christiani in osculo „ sancto, quod est signum pacis, si quod ostendunt „ labia fiat in conscientia. Id est, quo modo labia „ tua ad labia fratris tui accedunt, sic cor tuum à „ corde ejus non recedat. Chrysostomus l. 1. de compunctione: „ Osculum pacis porrigere tem„ pore, quo munera offeruntur, in usu est; sed „ vereor, ne fortè plures ex vobis labiis hoc „ tantummodò faciant, cum Christus pacem non „ ex ore, sed ex corde desideret. Anastasius Synaita orat. de Sancta Synaxi: „ Propter hoc ip„ sum nos mutuò in osculo pacis amplectamur, „ ut omni colligatione impietatis & cordis duri„ tie abjecta, puro corde ad Dominum accedamus. In actis S. Mariæ Ægyptiacæ, *Pacis osculum obtulit seniori, & sic vivifica dona suscepit.* Gregorius 3. *dialog. c.* 36. navim describens tempestate agitatam, omnes qui in ea erant, pacem sibi dedisse ait, corpusque & sanguinem Redemptoris accepisse. Huc pertinet, quod non semel Apostolus hortatur fideles, ut salutent se invicem in osculo sancto: ex quo, inquit Haymo Halberstaten. in epist. ad Romanos c. 16. „ mos „ traditus est Ecclesiæ, ut convenientes fideles „ ad audiendum verbum divinum, Missarumque „ celebrationem, post orationes osculo dilectio„ nis suscipiant se invicem.

VII. Erat autem osculum non solius communionis, sed & omnium Ecclesiasticarum functionum signaculum & sigillum, quod in omnibus sacramentis adhiberi solebat. Nam Episcopus baptizatum & confirmatum, collato sacramento osculabatur additâ salutatione, *Pax tecum*: quam cum Ordo Romanus, ac veteres Sacramentorum libri præscribunt, osculum quoque subintelligitur. Cyprianus *epist.* 59. *ad Fidum* de baptizandis infantibus; „ Etsi infans, *ait*, à par„ tu novus est, non ita est tamen, ut quisquam „ illum in gratia danda atque in pace facienda „ horrere debeat osculari. In ordinum collatione consuevisse Episcopum initiatos osculari, testes sunt post Dionysium *in eccl. hierar.* Ordo Romanus, & antiqua Pontificalia. Mos item fuit osculari mortuos, ut idem Dionysius scribit *cap. postremo ejusdem libri*, qui in pace & communione Ecclesiæ decedebant, cujus ea salutatio indicium & protestatio erat. Sed postea concilium Antisiodorense sub Gregorio Magno c. 12. osculum dari mortuis prohibuit. Missæ quoque defunctorum olim osculo carebant, quia privatæ & sine communione erant; qui ritus etiam nunc permanet. Scribit etiam Albaspinæus *observ.* 17. *lib.* 1. Missis Monachorum osculum defuisse, quia privatæ: & Durandus lib. 4. Ration. cap. 53. *Inter Monachos*, inquit, *Pax non datur, quia mundo mortui reputantur.* Contrarium tamen evincitur ex vetustis Monachorum Ritualibus, quæ osculum ante communionem præscribunt: & ipse Monachorum Pater Benedictus *cap.* 63. *Regulæ* præcipit Monachos secundùm ordines, quos constituerit Abbas, vel quos ipsi habuerint, debere ad pacem & ad communionem accedere. Idem *cap.* 55. suscipi hospites jubet osculo pacis. Subtrahitur similiter osculum feria V I. ante Paschà in signum mœstitiæ: quare Procopius in

historia arcana Justinianum & Theodoram infausto omine imperium suscepisse refert eâ die, quâ nulli pacem & salutem dicere fas erat. Signum igitur mutuæ dilectionis & pacis erat osculum inter Christianos, à quo procul aberat omnis suspicio impuri affectus. Commendant ejus sanctitatem Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *Pædag. cap.* 11. & Athenagoras circa finem Apologiæ. Aptissimè autem & eleganter Chrysostomus hom. 30. *in epist.* 2. *ad Cor.* agens de osculo, quod communioni præmittitur, „ De hoc, in„ quit, sancto osculo aliud quoque afferri potest. „ Templum Christi sumus: Itaque templi vesti„ bula & aditum osculamur, cum alii alios oscu„ lamur. Neque enim vulgari quodam honore „ os nostrum afficitur, cum corpus Dominicum „ excipit: eâque præsertim de causa tum mutua „ oscula jungimus. Veteri tandem simplicitate in malitiam degenerante subtractum paulatim est osculum, & ejus vice mos introductus porrigendi tabellam cum crucis vel Christi imagine, quam sequioris sæculi Scriptores *osculatorium* vocant, de quo vocabulo agit Spelmannus in Glossario. Hanc dum primùm Sacerdos, tum reliqui osculantur, eandem mutuam charitatem & fidem se habere testantur, quæ olim per osculum indicabatur. Alii mutuo amplexu idem munus persolvunt. Osculum oris adhuc vigebat tempore Innocentii III. qui de eo loquitur *lib.* 6. *mysteriorum Missæ cap.* 5. atque hinc inferre probabiliter possumus, osculi consuetudinem permansisse, donec à Fratribus Franciscanis plerique ritus Romanæ Ecclesiæ, ut Lib. I. Cap. VII. ostendimus, aut sublati aut immutati sunt.

## Caput XVII.

*Ritus & usus Antiphonæ, quæ Communio nuncupatur. Orationes Sacerdotis ante communionem. Ejus dandæ, & accipiendæ diversa consuetudo. Quotidiana veterum communio. Ea ad Clerum, tum ad ministros altaris redacta. Olim Eucharistia manu excepta, domi servata, ad absentes missa, delata in itinere, custodita in Ecclesiis, defunctis consepulta. Hi mores an & quando desierint. Qui fuerint alicubi in communione abusus. Modus, ordo, situs communicantium.*

I. POst osculum pacis suscipit Sacerdos sacra dona, quibus ipse refectus ea populo dispensat, & interim chorus cantat Antiphonam, quæ ideò communio dicitur, quia populo Communicante cantatur. Olim psalmus simul concini solebat cum *Gloria Patri*, atque ipsius antiphonæ repetitione, ut tota actio communionis laude Dei personante perficeretur. *Sciendum est autem*, inquit Micrologus cap. 18. *eandem antiphonam semper eundem psalmum cum introitu habere, si non habet proprium, ex quo sumpta videatur.* Cujus rei exemplum habemus in Antiphonario Sancti Gregorii, & in antiquis Missalibus manu exaratis. Testatur Augustinus *libro* 2. *Retract. cap.* 11. hanc consuetudinem in Ecclesia Africana ipso vivente cœpisse, ut hymni ad altare de Psalmorum libro dicerentur, cum populo oblatio sacra distribueretur. Ordo Romanus in prima descriptione Missæ ejusdem ritus antiquitatem confirmat dicens: „ Mox ut Pontifex cœ„ perit communicare populum in Senatorio, sta„ tim Schola incipit antiphonam ad communio„ nem, & psallunt usque dum communicato „ omni populo, etiam in parte mulierum, redit „ in sedem, & repetito versu quiescunt. Ponti„ fex verò contemplans populum communica„ tum esse, innuit per Subdiaconum primo Scho„ læ, & ille resalutato eo dicit *Gloria Patri*, & „ *Sicut erat*, & Versum. Et finita antiphona sur„ git Pontifex cum Archidiacono, & veniens ad „ altare dat orationem ad complendum. Eumdem morem vigere apud Æthiopes docet eorum Missa his verbis: „ Dum ministratur Sacramen„ tum populo, psallunt docti aliqua carmina, in „ honorem Sacramenti, & Sanctorum, quorum „ festa celebrantur, composita, quæ populus rei„ terat canendo. Armenii quoque hymnos canunt & psalmos non solùm tempore communionis, sed etiam cum eulogiæ peracta synaxi distribuuntur. In Liturgia S. Jacobi, dum sacerdos oblata in partes dividit, cantantur Psalmi, *Dominus regit me. Benedicam Dominum in omni tempore. Exaltabo te Deus meus rex.* Et *Laudate Dominum omnes gentes.* Ante communionem ter dicit Sacerdos, *Domine non sum dignus*, qui versus in quibusdam antiquis Missalibus M. SS. reperitur, at in plerisque deest. Ejus usum commendat Origenes *hom.* 5. in diversa loca Evangelii: „ Quando, „ inquit, sanctum cibum, illudque incorruptum „ accipis epulum, quando vitæ pane & poculo „ frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem „ Domini, tunc Dominus sub tectum ingreditur.

Et

„ Et tu ergo humilians te ipsum imitare hunc „ Centurionem & dicito: Domine non sum dig- „ nus ut intres sub tectum meum. Chrysostomus item hom. de S. Thoma Apostolo exhortans fideles ut puri accedant ad Dominum, ait, „ Dicamus Redemptori nostro, Domine non „ sum dignus, ut intres sub tectum animorum no- „ strorum; quia tamen tu à nobis teneri vis, de „ tua freti indulgentia ad te accedimus. Sunt & aliæ peculiares orationes à diversis Ecclesiis in suis Missalibus præscriptæ à Sacerdote recitandæ ante communionem, quarum nonnullæ cum Romanis ferè coincidunt, aliæ diversæ sunt. In Missali Romano M. S. quod mihi ostendit vir multæ eruditionis Camillus de Maximis Patriarcha Hierosolymitanus, hæc indicitur, quam etiam legi in Missali Sarisburiensi. „ Deus pater, fons „ & origo totius bonitatis, qui ductus miseri- „ cordia Unigenitum tuum pro nobis ad infima „ mundi descendere & carnem sumere voluisti, „ quem ego indignus hic in manibus meis teneo, „ te adoro, te glorifico, te tota mentis ac cordis „ intentione laudo & precor, ut nos famulos „ tuos non deseras; sed peccata nostra dimittas, „ quatenus tibi soli vivo ac vero Deo puro corde „ & casto corpore servire valeamus. *Tum immediatè ante communionem*: „ Ave in æternum san- „ ctissima caro Christi, mihi tante omnia & super „ omnia summa dulcedo. *Et ante sumptionem sanguinis*: „ Ave in æternum cœlestis potus mi- „ hi ante omnia & super omnia summa dulcedo.

II. Dandæ verò & accipiendæ communionis diversæ olim fuerunt consuetudines, prout diversa locorum, temporum, gentiumque conditio exigebat. In primordiis Ecclesiæ certum est & exploratum, omnes fideles, quorum erat cor unum & anima una, quotidie perseveràsse in communicatione fractionis panis, ut Acta Apostolorum testantur: nec ullus sacris Mysteriis interesse permittebatur, sicut alibi ostensum est, nisi qui offerre poterat, & de oblatis participare; quam consuetudinem diu perstitisse evidens est. Nam ex Justino *Apolog.* 2. ex constitutionibus Apostolicis *lib.* 8. *cap.* 20. ex Dionysio *cap.* 3. *eccl. hierarchiæ*, & ex aliis constat, Pontificem confectis mysteriis sumpsisse Eucharistiam & singulis præsentibus tradidisse sive per Diaconos, sive per seipsum. Cyprianus lib. de Oratione, „ Hunc panem, *inquit*, dari nobis quoti- „ die postulamus, ne, qui in Christo sumus & „ Eucharistiam quotidie ad cibum salutis ac- „ cipimus, intercedente aliquo graviore delicto, „ dum abstenti & non communicantes à cœlesti „ pane prohibemur, à Christi corpore separe- „ mur. *Hieronymus* epist. 50. *ad Pammachium*: „ Scio, *ait*, Romæ hanc esse consuetudinem, ut „ fideles semper Christi corpus accipiant, quod „ nec reprehendo, nec probo. Nec solùm Romæ, sed etiam in Hispania eumdem morem sumendi quotidie Eucharistiam eo tempore viguisse, *epist.* 28. *ad Lucinium Bæticum* affirmat. Augustinus hac de re varias in Africa extitisse sententias indicat *epist.* 118. *ad Januarium*, nec declarat cui ipse adhæreat. Ambrosius *lib.* 5. *de Sacram. cap.* 4. hortatur ad quotidianam communionem, sic tamen vivendum monet, ut quotidie mereamur accipere. Ex quibus liquet initio quinti sæculi in quibusdam Ecclesiis occidentalibus nondum abrogatum fuisse usum quotidie communicandi. Imò alicubi adeò invaluerat mos communicandi, quoties quis aderat Missæ, ut aliqui existimarint, eum qui pluribus eâdem die Missis intererat, debere in singulis communicare. Quæstionem ex occasione proponit & solvit Walfridus Strabo propè finem cap 22. his verbis „ Quia „ de communicandi varietate quædam præmisi- „ mus, hoc addendum videtur, esse quosdam qui „ semel in die communicare, etiamsi pluribus in- „ terfuerint Missis, pro dignitate Sacramento- „ rum sufficere credant: esse verò alios, qui, sicut „ in una, sic in omnibus quibus affuerint Missis „ in die communicare velint. Quorum neutros „ culpandos existimo, quia, sicut Augustinus „ ait de his qui quotidie communicant, & illis „ qui rariùs, istos reverentia sanctarum retra- „ hit rerum, illos verò amor salubrium invitat „ Sacramentorum. Nam & ipse sacerdos quo- „ ties in die Missas facit, communicare non „ omittit. Quod si non faciat, canonico est fe- „ riendus judicio. Hæc Walfridus, qui sæculo nono vivebat. Citiùs autem in Oriente eorum, qui sacris mysteriis intererant, communio desiit: nam Chrysostomus sæpè, & aliquando Athasius, atque alii Patres Græci de infrequentia communicantium, ut superius dictum est, in suis ad populum homiliis conqueruntur. Solidæ tandem pietatis in aliqua provincia defectu eò redacta res est, ut in concilio Turonensi II. sub Leone III. cap. 50. sancitum fuerit, ut homines laici, si non frequentiùs, ter saltem in anno communicarent. Tum labente per universum orbem religionis studio, cum rarior indies fieret usus communionis, in concilio Lateranensi sub Innocentio III. singulis fidelibus

mandatum est, ut, cum ad annos discretionis pervenerint, semel saltem in anno peccata sua confiteantur, & in Paschate sacra communione reficiantur. In Missa autem solemni retenta est ab aliquibus Ecclesiis communio Ministrorum, quæ Romæ nunc permanet in insignioribus Basilicis, & ubi desierat, Apostolicæ visitationis decreto restituta est. Sapientissimo sanè consilio, ne in desuetudinem abeat antiquissimus Ecclesiæ ritus, sine quo vix possunt intelligi, quæ in Liturgicis orationibus quotidie recitantur.

III. Olim ante communionem clamabat Diaconus *Sancta sanctis*: ac si diceret, Qui non est sanctus, non accedat. Eadem verba nunc etiam apud Græcos dicit sacerdos. Quæ verò sanctitas ad hoc requiratur, quæstio perplexa est ante aliquot annos excitata, de qua plures circumferuntur libelli, partium potius quàm veritatis indagandæ studio conscripti. De lotione manuum ante Missam, deque nitidis & mundis vestibus, quas sumere solebant ad hanc divinam mensam accessuri, egimus supra Cap. I. Ipsam autem Eucharistiam sumpturis, tabellæ quædam spongiâ perpolitæ à ministris apponebantur, velut: mensulæ, ut ex Chrysostomo & Athanasio observat Baron. *an.* 57. *n.* 146. quibus hodie linteamina successerunt, ut, si quid fortè decidat, his excipiatur. At verò Sacerdos Sacramentum distribuens quid daret contestabatur dicens: *Corpus Christi*: & accipiens respondebat *Amen*, qua voce verum illud esse profitebatur. Auctor Constitut. Apostolicarum lib. 8. c. 13. „Episcopus tribuat oblationem dicens, Corpus „Christi, & accipiens dicat, Amen, Diaconus „verò tribuat calicem dicens, Sanguis Christi „poculum salutis, & bibens dicat, Amen. Cornelius Papa epist. ad Fabium Antiochenum apud Eusebium lib. 4. hist. eccl. c. 43. Novitiani mores & schisma describens, ait inter cætera eum quosdam communicasse, & ab illis juramentum exegisse, quod nunquam ad Cornelium reverterentur. Tum subdit: „Et cum panem illum ac„cipiens dicere debuisset *Amen*, dicit: Non re„vertar deinceps ad Cornelium. Tertullianus *de spectac.* c. 25. eos reprehendit, qui ex ore, quo *Amen* in Sancta protulerant, testimonium gladiatori reddebant. Ambrosius lib. 4. de Sacram. c. 5. „Dicit tibi sacerdos, Corpus Christi, & tu di„cis Amen, id est verum. Hieronymus epist. 62. ad Theophilum Alexandrinum: „Qua con„scientia ad Eucharistiam accedam, & respon„bo *Amen*; cum de charitate dubitem porrigen„tis? Augustinus lib. 12. contra Faustum c. 10. „Habet enim magnam vocem Christi sanguis „in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus „respondetur *Amen*. Leo Magnus serm 6. de jejunio septimi mensis: „Sic sacræ mensæ com„municare debetis, ut nihil prorsus de veritate „Corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc „enim ore sumitur quod fide creditur, & frustra „ab illis *Amen* respondetur, à quibus contra id „quod accipitur, disputatur. Sunt alia quamplurima Patrum testimonia, quæ in re clarissima coacervare inutile foret. Tempore Gregorii Magni sacerdos tradens Eucharistiam hac formula utebatur, ut in ejus vita scribit Joannes Diaconus l. 2. „Corpus Domini nostri Jesu Christi con„servet animam tuam. Auctor anonymus de Persica captivitate editus à Combefis: „Ut „quid, inquit, his qui accedunt, ais, Corpus & „sanguis Agni Dei quod tibi datur in remissio„nem peccatorum? Alcuinus hanc formulam habet: „Corpus Domini nostri Jesu Christi „custodiat te in vitam æternam. Helgaldus in vita Roberti Regis Galliæ: A dante, inquit, sa„cerdote dicitur, Corpus Domini nostri Jesu „Christi sit tibi salius animæ & corporis. Ipsa quoque sacra communio antiquo ritu non ore excipi solebat, ut hodie fit, sed manu: quam qui susceperat ori reverenter admovebat. Suppetunt hac de re sanctorum Patrum Græcorum & Latinorum innumerabiles auctoritates; sed ne prolixior sim, modum in iis recensendis servabo. Tertulliano primus locus tribuendus est. Is lib. de Idololatria exclamans adversùs Christianos ab idolis ad Ecclesias euntes, ingemit, illos *eas manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt*, quæ scilicet idola gentibus fabricant. O *manus præcidendæ!* Et in fine libri de baptismo agit de prima manuum cum fratribus apertione post lavacrum; utique ad accipiendam Eucharistiam. Clarius Magistro hunc ritum exprimit Cyprianus epist. 56. ad Thibaritanos: „Arme„mus & dexteram gladio spiritali, ut sacrificia „funesta fortiter respuat, & Eucharistiæ memor, „quæ Domini corpus accepit, ipsum complecta„tur. Idem l. de lapsis: „Quod non statim Do„mini corpus inquinatis manibus accipiat, aut „ore polluto Domini sanguinem bibat, sacerdo„tibus sacrilegus irascitur. Et paulò post: „Qui„dam & ipse maculatus, sacrificio à Sacerdote „celebrato, panem cum cæteris ausus est latenter „accipere, Sanctum Domini edere & contrecta„re non potuit, cinerem ferre se apertis manibus inve-

„ invenit. Alia Cypriani testimonia affert Pamelius *lib.* 1. *Liturgicorum.* Ambrosius apud Theodoretum *lib.* 5. *hist. eccl. c.* 17. increpans Theodosium post cædem Thessalonicensium, „ Quomodo, *inquit*, manus extendes injustæ cædis sanguine adhuc stillantes? Quomodo hujusmodi manibus Domini corpus accipies? Augustinus lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 23. „ Illum commemoro, *Optatum scilicet Gildonianum Donatistarum Episcopum*, qui vobiscum vixit, cui pacis osculum inter Sacramenta copulabatis, in cujus manibus Eucharistiam ponebatis, cui vicissim danti manus porrigebatis. Dionysius Alexandrinus epist. ad Xystum Romanum Pontificem apud Eusebium *lib.* 7. *cap.* 9. agens de quodam ab hæreticis baptizato, qui reconciliatus Catholicæ Ecclesiæ ejus baptismum postulabat, ait: „ Ego eum, qui ad sacram mensam astiterit, & manus ad suscipiendum sacrum cibum porrexerit, renovare non ausim. Basilius Magnus *epist.* 289. ad Cæsariam Patriciam, „ Nam & in ipsa Ecclesia sacerdos partem aliquam *Eucharistiæ* in manus tradit, & illam apprehendit qui percipit cum omni libera potestate, atque ita suis propriis manibus eandem suo ori admotam ingerit. Chrysostomus hom. 21. ad pop. Antioch. „ Cogita quid manu capias, & ipsam ab omni avaritia & rapina liberam conserva. Reputa quod non tantùm manu capias, verùm & ori admoveas, & linguam custodi à contumeliosis & turpibus verbis mundam. Idem hom. in recens baptizatos edita à Francisco Combefis: „ Tene manu donum, animo id quod est occultum. Manus teneat, & mens ista dicat, Deus meus & Dominus meus. Gregorius Antiochenus orat. in diem sabbati sancti apud eumdem: „ O cœlorum rex, ne nos repellas, cum de tua fre„ ti clementia scelestis manibus sacrum tuum „ corpus tenere ausi fuerimus. Sozomenus *lib.* 8. *cap.* 5. & Nicephorus *l.* 13. *c.* 7. narrant factum mulieris Macedonianæ, quæ Chrysostomo sacris operante, ut marito orthodoxo se fidei consortem probaret, Eucharistiam accepit, quam manu retinens tradidit ancillæ ab ea accipiens panem communem domo allatum. Sed dum ori admotum dentibus conterere conatur, in lapidem conversum sensit. Concilium Trullanum *can.* 101. illos reprehendit qui corpus Christi non manu excipiebant, sed quibusdam instrumentis seu receptaculis ex auro vel alia materia pretiosa comparatis: quod licèt à religione profectum, ut ait Zonaras in hujus canonis expositione, synodus tamen improbavit: quia nulla res sensibilis ipso homine, ejusque manu præstantior est. Idem canon modum præscribit, quo sacra dona excipienda erant, dicens: „ Si quis immaculati corporis particeps esse voluerit, & offerre se ad communionem, „ manus in crucis formam figurans sic accedat. Eamdem manuum compositionem antea docuerat Cyrillus Hierosol. Catech. 5. Mystagog. „ Accedens ad communionem non expansis manuum volis accede, neque cum disjunctis digitis, sed sinistram veluti sedem quamdam subjiciens dexteræ, quæ tantum Regem susceptura „ est, & concava manu suscipe corpus Christi dicens Amen. Hunc ipsum ritum commendat Damascenus lib. 4. orthod. fidei cap. 14. „ Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibusque „ in crucis formam compositis Crucifixi corpus „ suscipiamus. Eâdem ætate qua Damascenus in Oriente, vixit Beda in Occidente, qui vitam Cednonis Monachi enarrans *lib.* 4. *hist. Anglicanæ cap.* 24. ait ipsum de hoc sæculo exiturum petiisse sibi afferri Eucharistiam, „ qua accepta „ in manu, interrogavit si omnes placidum erga „ se animum haberent; sicque se cœlesti mu„ niens viatico vitæ alterius ingressui paravit. Hujus ritus ignorantia quidam apud Galanum in conciliatione Ecclesiæ Armenæ cum Romana *parte* 1. *pag.* 132. inter errores Iberorum, quos nunc Georgianos vocamus, hunc enumerat. „ Aliquibus diebus festivis multi sacerdotes Miss„ sæ sacrificio adstantes communicant, sed Eu„ charistiam ab Episcopo celebrante recipiunt „ in propriis manibus, quam ipsimet proprio „ apponunt ori. Tangit autem hic articulus & alium veteris Ecclesiæ morem, de quo suo loco dictum est, omnes scilicet presbyteros Episcopo concelebrasse, & ab eo communionem suscepisse: qui & perperam errori adscribitur. Porrò hîc notandum est, in susceptione eucharistiæ inter viros & mulieres discrimen aliquod fuisse: nam viri nuda manu, mulieres subjecto linteolo, quod Dominicale dicebatur, illam accipiebant. Sic statutum legimus in concilio Antisiodorensi c. 36. „ Non licet mulieri nuda manu Eucha„ ristiam accipere. *Etc.* 24. Ut unaquæque mu„ lier, quando communicat, Dominicale suum „ habeat: quod si qua non habuerit, usque ad „ alium diem Dominicum non communicet. Augustinus item *serm.* 252. *de tempore*, diu ante hoc concilium invaluisse per Africam hanc consuetudinem testis est dicens: *Mulieres quomodo nitidum exhibent linteolum, ubi corpus*

*Christi accipiant, sic corpus castum & cor mundum exhibeant.* Hanc tamen differentiam apud Orientales non invenio, nam silent de ea Patres Græci, & synodus Trullana censuit nudam manum alia quavis materia digniorem esse.

IV. Hoc etiam circa usum Eucharistiæ sæviente persecutione introductum fuit, ut, cum in locis abditis sacra synaxis peragebatur, qui ad eam conveniebant, non solùm de oblatis participarent, sed particulas quoque acceptas à sacerdote secum deferrent, & domi reverenter custodirent, ut, quia quotidie vitæ periculum eis imminebat, quotidie seipsos possent sacra communione ad certamen præparare. Id inprimis Tertullianus ostendit lib. 2. ad Uxorem cap. 5. „ Non sciet maritus „ quid secretò ante omnem cibum gustes: Et si „ sciverit panem, non illum credit esse qui dici„ tur. *Et de orat. cap.* 14. Accepto corpore Do„ mini & reservato, utrumque salvum est, & par„ ticipatio sacrificii, & executio officii. *Cyprianus lib. de spectaculis*, Qui festinans ad specta„ culum, & adhuc gerens secum, ut assolet, Eu„ charistiam. *Et lib. de lapsis*: Cum quædam „ mulier arcam suam, in qua Domini Sanctum „ fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne in„ de surgente deterrita est, ne auderet attingere. Narrat Gregorius Nazianzenus orat. in funere sororis suæ Gorgoniæ, eam apud se in cubiculo reconditum habuisse corpus Christi, & fusâ ante ipsum oratione à gravi morbo liberam evasisse. Basilius epist. cit. ad Cæsariam: „ Quoniam ve„ rò per tempora illa persecutionum cogebantur „ homines necessariò, sacerdote vel ministro non „ præsente, propriis manibus percipere commu„ nionem, non est nisi supervacuum ut demon„ strem, illam ipsam rem non esse graviter & ini„ que ferendam, eo quod inveterata consuetudo „ hoc ipsum revera confirmatum dederat. Nam „ & illi omnes, qui per eremos vitam monasticam „ instituunt, ubi copia non suppetit sacerdotis, „ cum habeant domi communionem, de suis ma„ nibus illam percipiunt. Alexandriæ autem & „ per Ægyptum unusquisque etiam de plebe ut „ plurimùm habet domi suæ communionem. „ *Et paucis interjectis.* Idem igitur quoad pote„ statem est, sive quis de manu sacerdotis par„ tem unam aliquam percipiat, sive partes simul „ quàm plurimas. Hieronymus *epist.* 50. *ad Pammachium* illos objurgat, qui post nocturnum concubitum Ecclesiam ingredi non audebant divinam timentes ultionem, domi autem accipere Eucharistiam non formidabant. „ Ipsorum, *ait*, „ conscientiam convenio, qui eodem die post „ coitum communicant, & juxta Persium No„ ctem flumine purgant: quare ad Martyres ire „ non audent? quare non ingrediuntur Ecclesias? „ an alius in publico, alius in domo Christus est? „ Quod in Ecclesia non licet, nec domi licet. Philippicus gener Mauritii Imperatoris, ut Anastasius Bibliothecarius in historia scribit, noctu ab eo accersitus, timens vitæ suæ, corpus Christi percipere quæsivit, utique domi asservatum, antequam pergeret ad Imperatorem. Seleuciæ sub Dionysio Episcopo miraculum accidisse narrat Joannes Moschus in Prato spirituali; quidam enim servus fidelis sumptam communionem in die cœnæ Domini secundùm consuetudinem illius provinciæ linteo mundissimo involvit, & reposuit in armario; Dominus autem ejus aperiens armarium, vidit omnes sanctas particulas culmos & spicas germinasse.

V. Ad absentes quoque mitti consuevit, quod multiplici veterum Scriptorum testimonio probatur. Justinus Apolog. 2. *Diaconi distribuunt unicuique præsenti, & ad absentes perferunt.* Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *lib.* 6. *cap.* 44. seni cuidam Serapioni missam refert à Presbytero partem Eucharistiæ per puerum laicum, qui eam aqua intinctam in os senis infudit, & protinus animam exhalavit. Romanum Martyrologium die XV. Augusti Tharsicium acolythum commemorat, quem cum pagani invenissent, corporis Christi sacramenta portantem, cœperunt disquirere quid gereret, at ille indignum judicans porcis prodere margaritas, tamdiu ab illis fustibus & lapidibus mactatus est, donec spiritum emisit: cujus corpore revoluto sacrilegi discussores nihil sacramentorum Christi invenerunt. Irenæus Martyr in epist. ad Victorem Papam, quam historiæ suæ inserit Eusebius *lib.* 5. *cap.* 24. testis est, à summis Pontificibus Victoris prædecessoribus diversarum Ecclesiarum presbyteris seu Episcopis transmissam Eucharistiam, in signum videlicet mutuæ communionis, ut alibi notatum est. Refert Palladius in historia Lausiaca *cap.* 9. & 52. olim Monachos in solitudine habitantes non antea sumpsisse cibum, quàm spirituale alimentum animæ accepissent, sanctam nimirum communionem cellis servatam, quam sacerdotes vel illis in Ecclesia dabant, vel domum mittebant. Justinianus *Novella* 123. *de Episcopis & Monachis c.* 41. Sanctimonialibus fœminis presbyterum sive diaconum ab Episcopo deputari statuit *ad faciendum eis responsum, aut sanctam eis communionem portan-*

*portandam.* Scriptor vitæ S. Laurentii Dublinensis *apud Surium die 14. Novembris* alium morem indicat ab antiquis usurpatum, & ipsius viri sancti, qui obiit anno 1181. temporibus adhuc vigentem, deferendi secum Eucharistiam, cum quis longè proficiscebatur. Narrat enim quatuor sacerdotes augustissimum Sacramentum secum portantes incidisse in latrones, qui sacra dona irreverenter tractantes eos spoliarunt, & mox, injuriam Deo ulciscente, suspendio interierunt. Confirmant eumdem ritum, quæ de Satyro fratre navigante refert Ambrosius orat. in funere ipsius: de Maximiano Episcopo Syracusano Gregorius *lib. 3. Dialog. cap. 36.* de Monachis Constantinopolim navigantibus Joannes Diaconus in vita Gregorii *lib. 1. cap. 33.* de S. Birino Episcopo Dorcestrienſi Anonymus apud Surium *die 3. Decembris cap. 1.* Atque huc forsitan respexit Hieronymus cum in fine epist. 4. ad Rusticum ita de S. Exuperio Episcopo Tolosæ scribit, *Nihil illo ditius qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Idem mos etiam hodie servatur à Monachis Græcis in longiori itinere, ut Petrus Arcudius testatur *lib. 3. de sacram. cap. 59.* Romanus quoque Pontifex cum extra Urbem longum iter agit, Eucharistiam deferre solet, quæ cum magnifico & religioso comitatu ipsum præcedit: de qua re eruditum commentarium edidit Angelus Rocca Apostolici sacrarii Præfectus, ubi ejus originem refert ad hunc priscum morem de quo agimus.

VI. Quod si olim licitum fuit & domi privatim habere Eucharistiam, & eam secum in itinere deferre, multò credibilius est in Ecclesiis conservatam fuisse, ut semper in promptu esset ad infirmos communicandos. Nec desunt probationes. Nam Optatus Milevitanus de conservata in templo Eucharistia intelligendus est, cum à Donatistis inaudito scelere traditam canibus narrat *lib. 2.* non sine signo divini judicii, canes enim accensi rabie homines ipsos dente vindice laniaverunt. Victor Episcopus *lib. 1. Africanæ persecutionis*, de divinis quoque sacramentis in Ecclesia asservatis agit, cum Valerianum Episcopum viriliter dimicasse ait, ne ipsa traderet, qua de causa ab impio Rege Geiserico foras civitatem singularis jussus est pelli, addito præcepto, ne quis eum in domo aut agro permitteret habitare. Cyrillus Alexandrinus ejusdem moris testis est in epist. ad Calosyrium, præfixa libro adversùs Anthropomorphitas, qua eos redarguit qui dicebant, Eucharistiam in sequentem diem servandam non esse. Idem colligitur ex Pœnitentiali Columbani Abbatis, in quo præscribit, quæ pœna sit illis imponenda, quorum negligentia Eucharistia corrupta & putrefacta sit. Eudocia martyr apud Henschenium *die 1. Martii*, antequam ad martyrium duceretur, brevi morula à satellitibus impetrata ad sacram ædem cucurrit, & arcula reserata sacri doni corporis Christi particulam acceptam sinu recondidit, & cum militibus abiit. Est item de hac re canon Concilii II. Turonensis, *ut corpus Domini altari non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur:* videlicet non inter imagines, sed sub cruce in loco digniori ponatur. Ad quem ritum sunt qui existiment, multò ante hoc concilium respexisse Paulinum Nolanum *epist. 12. ad Severum* his versibus:

*Divinum veneranda tegunt altaria fœdus,*
*Compositis sacra cum cruce Martyribus.*
*Cuncta salutiferi coëunt martyria Christi,*
*Crux, corpus, sanguis, Martyris ipse Deus.*

At hæc subobscura sunt: imò ex antecedentibus de solis Sanctorum lipsanis Paulinus loqui videtur. Clariora sunt quæ Venantius Fortunatus scribit *lib. 3. carm. 25.* ad Felicem Bituricensem Episcopum, qui turrim auream fecerat, qua corpus Domini asservaretur.

*Quam bene juncta decent, sacrati ut corporis Agni*
*Margaritum ingens, aurea dona ferant!*
*Cedant Chrysolithis Salomonia vasa metallis,*
*Ista placere magis ars facit atque fides.*

Similem turrim commemorat Gregorius Turonensis *lib. 1. de gl. martyrum cap. 86.* quam è manibus impuri diaconi elapsam refert, seque in altari collocasse, ita ut eam diaconus nunquam assequi potuerit. Ad eundem usum suspensas in altari aureas & argenteas columbas legimus in vita S. Basilii Amphilochio adscripta. Eas autem sublatas à Severo hæretico conquesti sunt clerici & monachi Antiocheni, oblato quintæ synodo supplici libello. Rectè verò observat Morinus *lib. 8. de pœnitentia c. 14.* servatum antiquitus in Ecclesia corpus Christi propter infirmorum communionem, addens hodiernam consuetudinem, plures particulas reservandi ad fideles in ipsa Ecclesia etiam extra sacrificium communicandos, à Mendicantibus primùm introductam, & ab aliis deinde usurpatam, ipso Romano Rituali refragante, in quo nunc etiam decernitur propter infirmos asservari. Sanis veteri

veteri ritu nullus erat communionis usus extra sacrificii actionem, nisi cum permisit Ecclesia, ut accepta mysteria domum deferrent. Notabile est autem quod in præcitata Basilii vita refertur; cum enim precibus à Deo gratiam obtinuisset, ut suis verbis sacrificium offerre posset, accepto divinitus pane & vino, ipsisque consecratis; tempore confractionis panem divisit in tres partes, & unam quidem cum multo timore & veneratione sumsit, alteram verò unà secum sepeliendam servavit, tertiam denique in columba aurea depositam desuper sacrum altare suspendit. Quod ideò hoc loco adnotandum censui, quia olim viguit hic mos consepeliendi mortuis Eucharistiam, non solùm apud Græcos, sed etiam apud Latinos. Extat siquidem exemplum S. Benedicti, qui, ut Gregorius scribit *lib. 2. Dialog. c. 24.* puerum monachum extra claustra defunctum sepulturæ tradi jussit posito super pectus ejus Dominico corpore, quod ad hunc effectum ipsemet dedit, ne terra defossum cadaver projiceret, sicut antea bis acciderat. Sive autem id fecerint sancti Patres peculiari instinctu, ne unquam à Domino separarentur, sive ex consuetudine tunc recepta, hæc tamen postmodum abrogata fuit. Alius quoque usus olim irrepserat mortuos communicandi, præsertim pœnitentes, qui sine communione decesserant, credentibus nonnullis pia quadam simplicitate, ipsos Ecclesiæ ea communione reconciliari. Sed hic vetitus est c. 6. Concilii III. Carthaginensis, c. 12. Antisiodorensis, & c. 83. Trullani.

VII. Simili modo desiit mos accipiendi manibus Eucharistiam, & eam domum deferendi, pœnisque gravissimis transgressoribus impositis sancitum fuit, ne quis eam, exceptis ministris, attrectaret; nam paulatim abusus irrepserant, & fraudes multæ, & sacrilegia. Ideò Concilium Cæsaraugustanum sub Damaso c. 3. decrevit, ut, si quis probaretur Eucharistiæ gratiam in Ecclesia non sumpsisse, anathema esset in perpetuum. Et Toletanum I. anno Christi 400. c. 14. *Si quis*, inquit, *acceptam à sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur.* Idque primum in Hispania constitutum fuit propter Priscillianistas & alios infideles, ut indicat hoc canone recitato Concilium Toletanum XI. anno 675. c. 11. Et hi quidem canones hoc tantùm præcipiunt, ut statim accipiatur, nec reservetur & domum deferatur: quando verò cœperit in os immitti, sicut hodie fit, incertum est. Ordo Romanus in secunda Missæ descriptione ita de communione decernit: „Presbyteri ergo & „diaconi osculando Episcopum corpus Christi „ab eo manibus accipiant, in sinistra parte altaris communicaturi. Subdiaconi autem osculando manum Episcopi ore accipiant corpus „Christi ab eo. Quam sententiam testatur Morinus *de sacris Ordinat. p. 3. exercit. 12. cap. 3.* se totidem verbis legisse in Ordine Romano ante annos septingentos conscripto. Hinc autem deducitur, nec subdiaconis quidem tunc permissum corpus Dominicum manu attingere, multò minus sæcularibus. Sed variæ fuerunt diversarum Ecclesiarum consuetudines; nec omnia ubique uno eodemque tempore recepta & immutata sunt. Quod si conjecturis in re obscura aliquid tribuere fas est, satis mihi probabile videtur, tunc cœpisse in Occidente corpus Christi ore accipi, cum in pane azymo confici cœpit: idque ubique receptum fuisse, cum panis consecrandus ad eam formam tenuissimam, qua nunc utimur, redactus est; ob periculum videlicet, ne levissima particula manu elabi, & in terram decuti posset. Est & alia causa, ut impiorum fraudibus, cunctisque irreverentiis & abusibus, quantum fieri poterat, occasio præcluderetur. Perpetuæ scilicet mutationi obnoxiæ sunt res humanæ, nec quidpiam tam sanctè institutum est, quin aliquando in superstitionem & pravos usus degeneret. Sic ex domestica communione, quæ olim omnibus licita erat, abusus in quibusdam locis exortus est, ut etiam intra Ecclesiam publicam sibi Eucharistiæ administrationem laici homines usurparent. Patres enim concilii Trullani c. 58. statuerunt, ne quis eorum qui sunt in ordine laicorum, divina sibi mysteria impertiret præsente Episcopo, vel presbytero, vel diacono. Sic ex more mittendi ipsa sacramenta ad ægrotos vel absentes, detestabilis abusus emanavit, quem proscripsit synodus Remensis apud Ivonem *p. 2. Decreti can. 39.* & apud Gratianum *de consecr. dist. 2. c. 29.* his verbis: „Pervenit ad notitiam „nostram quod quidam presbyteri in tantum „parvipendant divina mysteria, ut laico vel fœminæ sacrum corpus Domini tradant ad defe„rendum infirmis: & quibus prohibetur ne sacra„rium ingrediantur, nec ad altare propinquent, „illis sancta sanctorum committuntur. Quod „quàm sit horribile, quamque detestabile, om„nium religiosorum animadvertit prudentia. „Igitur interdicit per omnia synodus, ne talis „temeraria præsumptio ulterius fiat; sed omni„modis presbyter per semetipsum infirmum „com-

„ communicet. Quod si aliter fecerit, gradus sui „ periculo subjacebit. Alia item synodus habita Lundoniæ in Anglia anno 1138. sancivit, ut corpus Domini non deferatur ad infirmos, nisi per sacerdotem vel diaconum: at verò in necessitate per quemlibet deferri permisit, ut referunt Ricardus Hagustaldensis & Gervasius monachus inter X. scriptores antiquos historiæ Anglicanæ editi. Sed alia multò turpior & vix credibilis corruptela in quibusdam Galliæ provinciis occurrit, ut mulieres intolerabili impudentia ad altaria irrumpere auderent, atque ipsa divina mysteria populis ministrare. Rem narrant, & qua par est severitate execrantur Episcopi in synodo Parisiensi an. 829. congregati lib. 1. cap. 45. „ Quidam, inquiunt, nostrorum, verorum viro„ rum relatu, quidam etiam visu didicimus, in „ quibusdam provinciis contra legem divinam, „ canonicamque institutionem fœminas sanctis „ altaribus se ultrò ingerere, sacrataque vasa im„ pudenter contingere & indumenta sacerdota„ lia administrare: & quod his majus, indecen„ tius, ineptiusque est, corpus & sanguinem „ Domini populis porrigere, & alia quæque „ quæ ipso dictu turpia sunt exercere. Miranda „ sanè res est, unde is illicitus in Christiana reli„ gione irrepserit usus, ut, quod viris sæcularibus „ illicitum est, fœminæ, quarum sexui nulla„ tenus competit, aliquando contra fas sibi lici„ tum facere potuerint. Inhibent deinde, ne hoc ulterius fiat, ejusque rei curam seriò Episcopis injungunt. Hæc de abusibus dicta sint, nunc ad alios priscæ communionis ritus transeundum est.

VIII. Ordo communionis hic erat, ut primò quidem celebrans seipsum communicaret, deinde Episcopos si qui aderant, vel Presbyteros simul cum eo synaxim agentes; tum diaconos, subdiaconos & clericos; monachos, diaconissas, & sacras virgines; novissimè populum adjuvantibus presbyteris, primùm viros, postea mulieres. Idem in calicis distributione servabatur, nisi quod presbyteri per se illum sumebant, diaconi à presbyteris, reliqui à diaconis, ut ex Ordine Romano & ex Græcorum Euchologio constat. Præmittebatur communicantium exploratio & notitia, unde illa vox in quibusdam Liturgiis, *Agnoscite vos invicem*: & Græci nunc etiam hoc servant, ut nomen communicantis inquirant, si ignotus sit; & cum sacerdos alicui porrigit Eucharistiam, nomen ejus exprimit dicens: „ Sumis serve Dei N. pretiosum & san„ ctum corpus & sanguinem Domini & Salvato„ ris nostri Jesu Christi in remissionem peccato„ rum tuorum & vitam æternam. Quod spectat ad locum, celebrans in medio altaris, alii presbyteri in circuitu, diaconi retro altare communicabant, subdiaconi & clerici in limine Sanctuarii, sive in choro; reliqui extra cancellos. Græci sanctuarium ingredi soli permiserunt Imperatori *can. Trullano* 69. At Theodosium, qui ex græca consuetudine eum sibi locum assumpserat, inde amovit Ambrosius, & docuit purpuram Imperatorem facere, non sacerdotem. Hic ordo diu permansit in Romana Ecclesia, ut Latinorum rituum Scriptores ostendunt; deinde paulatim tum Romæ, tum alibi mutatus est. Concilium Toletanum IV. sub Honorio c. 17. Sacerdotem & Levitam ante altare communicare constituit, in choro clerum, populum extra chorum. Bracarense I. tempore Joannis III. c. 31. sic decrevit: „ Placuit ut intra sanctuarium altaris ingredi ad „ communicandum non liceat laicis viris vel mu„ lieribus, nisi tantùm clericis, sicut & antiquis „ canonibus statutum est. Sub eodem Pontifice celebrata in Gallia II. synodus Turonensis, in qua c. 4. sancitum est, ne laici intra cancellos ad Missam stare præsumant: ad communicandum verò statuit ut tam viris quàm fœminis pateant Sancta Sanctorum. Ex quo apparet, eodem tempore varias de eadem re leges & consuetudines in diversis regionibus extitisse. De situ communicantium, si de Græcis sermo sit, nulla est dubitatio; quin stantes divina dona percipiant; ita enim præscribunt ipsorum Ritualia, quibus consonant sancti Patres: sed prono capite, & demissis oculis, ut Cyrillus *Cath.* 5. & Chrysostomus *orat. in Encæ-nia* monent. De Latinis non ausim affirmare, nihil enim habeo ex antiquis scriptoribus, quo id confirmem, nisi quod etiam hodie in Missa solemni Romani Pontificis diaconus communicat stans, omnino ex veteri ritu. Deinde puto, ut in reliquis, ita etiam in hac re, similes ab initio utriusque Ecclesiæ ritus fuisse. Nunc solus sacerdos celebrans communicat stans, reliqui omnes genibus flexis de manu sacerdotis communionem accipiunt. Summus Pontifex cum solemniter celebrat, sedens communicat hoc modo. Data pace Episcopo & duobus diaconis assistentibus, qui os ejus & pectus osculantur, ascendit ad sedem suam comitantibus ipsum diaconis & Episcopis. Tum diaconus evangelii apud altare patenam cum Sacramento reverenter accipiens, ambabus manibus in altum elevat usq; ad oculos habentem desuper

auream ſtellam cum nominibus XII. Apoſtolorum, ne hoſtia labi poſſit. Et primò vertit ſe ad latus epiſtolæ cum ſumma gravitate, & per eandem viam revertitur ad medium altaris: poſtea eodem modo vertit ſe ad latus evangelii, ubi ſubdiacono genuflexo patenam tradit cum ſacramento. Tum ſurgit ſubdiaconus, & ipſe diaconus flectit genua, donec ille diſceſſerit portans ſacramentum Pontifici, qui ei advenienti profundè inclinat, ac ipſum reverenter adorat. Subdiaconus verò cum pervenerit ad Pontificem ſtat rectus ad ejus ſiniſtram. Poſt hæc diaconus accipiens calicem parvo velo aureo coopertum eodem modo ſe vertit ad utrumque latus altaris, ſicut cum patenam tenebat: & inde cum ipſo calice ad dextrum latus Pontificis accedit. Pontifex verò ſumit unam partem hoſtiæ, & aliam in duas partes dividit pro communione diaconi & ſubdiaconi. Sumpto autem à Pontifice Chriſti corpore, Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens porrigit ei calamum aureum, quo ſanguinis partem ſugit, reſiduum dimittens pro diacono & ſubdiacono. Tum Pontifex communicat diaconum ſtantem & tenentem dextera manu calicem, calamum ſiniſtra; qui accepto corpore Chriſti faciem Pontificis oſculatur, & reverſus ad altare, partem ſanguinis ſugit. Eodem modo corpus Chriſti porrigit Pontifex ſubdiacono coram ſe genuflexo & patenam tenente, qui & ipſe ad cornu altaris accedens, reſiduum ſanguinis cum calamo ſugit. Unus autem ex ipſis particulam hoſtiæ, quæ calici de more immiſſa fuerat, ad labia ipſius calicis retrahit & ſumit. Hæc ex ceremoniali Romani Pontificis excerpta ſunt, quæ ab antiquiſſimo Ordine Romano in paucis diſcrepant, ut utrumque conferenti manifeſtum erit.

## Caput XVIII.

*Communio olim ſub utraque ſpecie. Sed una tantùm nunquam vetita, imò multoties uſitata à primis Eccleſiæ ſæculis & deinceps. Quando & qua occaſione fieri deſierit ſub utraque. Græcorum ritus in paranda Euchariſtia, quam pro infirmis conſervant. Mos eorum diſcutitur corpus Domini ſanguine intictum communicantibus porrigendi. Viguit aliquando idem uſus in Occidente. Horribile exemplum damnationis hæreticorum calamo intincto in ſanguine Chriſti.*

I. PRæter ea quæ dicta ſunt, ad veteres ritus Euchariſtiæ pertinet communio ſub utrâque ſpecie noviſſimis hiſce temporibus inter catholicos & hæreticos acerrimè controverſa. Omiſſis autem diſputationibus in his dumtaxat immorabor, quæ ad veterem adminiſtrandæ communionis ſub una vel ſub duplici ſpecie conſuetudinem ſpectant, ad duo puncta breviſſimè redigens quicquid ſpiſſis voluminibus de hoc argumento à viris præſtantiſſimis ſcriptum eſt. An videlicet communio ſub utrâque ſpecie ſemper in uſu fuerit: & an permiſſum olim ſit ſub una tantùm communicare. Facilè autem utraque lis componi poteſt, ſi communionem publicam intra Miſſarum ſolemnia à privata extra Eccleſiam & ſynaxim diſtinguamus. Certum quippe eſt, omnes paſſim clericos & laicos, viros & mulieres ſub utrâque ſpecie ſacra myſteria antiquitus ſumpſiſſe, cum ſolemni eorum celebrationi aderant, & offerebant, ac de oblatis participabant. Extra ſacrificium verò, & extra Eccleſiam ſemper & ubique communio ſub una ſpecie in uſu fuit. Primæ parti aſſertionis conſentiunt omnes tam catholici, quàm ſectarii; nec eam negare poteſt qui vel leviſſima rerum Eccleſiaſticarum notitia imbutus ſit. Semper enim & ubique ab Eccleſiæ primordiis uſque ad ſæculum XII. ſub ſpecie panis & vini communicarunt Fideles, cœpitque paulatim ejus ſæculi initio uſus calicis obſoleſcere, pleriſque Epiſcopis eum populo interdicentibus ob periculum irreverentiæ & effuſionis, quod inevitabile erat aucta fidelium multitudine, in qua deeſſe non poterant minus cauti & attenti ac parum religioſi. In Ordine Ciſtercienſi ſtatutum olim fuit, ne ulla perſona Ordinis, exceptis miniſtris altaris ſacris veſtibus indutis ad ſacrum calicem pro percipiendo ſanguine accedere præſumeret propter periculum & ſcandalum evitandum. Ob eamdem cauſam Rodulfus Abbas S. Trudonis, qui vivebat anno 1110. removeri à laicis calicem ſuadet his verſibus:

*Hic & ibi cautela fiat, ne Presbyter ægrũ*
*Aut ſanũ tribuat laicũ de ſanguine Chriſti,*
*Nam fundi poſſet leviter; ſimplexque putaret,*
*Quod non ſub ſpecie ſit totus Jeſus utraque.*

Sic paulatim, ut dixi, introducta eſt communio ſub ſola ſpecie panis, poſteaquam intolerandâ

randi abusus religiosos Antistites ad abrogandum communem calicis usum induxerunt. Moribus enim immutatis leges quoque mutandæ sunt, quæ aliquando utiles atque optimæ fuerunt. Hæc autem mutatio facta est primum à diversis Episcopis in suis Ecclesiis, deinde à Synodo Constantiensi canonica sanctione pro omnibus stabilita, nullo profectò spiritualis refectionis detrimento, ut fideles experiuntur; nulla divinæ legis transgressione: quia communio sub utrâque specie nec divinitus instituta fuit, nec unquam antiqui Patres eam ad salutem necessariam esse docuerunt. Objiciunt aliqui canonem Gelasii apud Gratianum *de consecr. dist. 2. Comperimus.* Adversùs eos qui sumpta tantummodo corporis sacri portione à calice abstinebant: sed ex ipsa lege manifestè cognoscitur, sanctum Pontificem assertioni nostræ non adversari. „Comperi„mus, ait, quod quidam sumpta tantummodo „corporis sacri portione à calice sacri cruoris ab„stineant, qui proculdubiò, quoniam nescio „qua superstitione docentur obstringi, aut inte„gra sacramenta percipiant, aut integris arcean„tur: quia divisio unius ejusdemque mysterii si„ne grandi sacrilegio non potest provenire. Ilos igitur ferit hic canon, qui calicem respuebant, non quia crederent communionem sanguinis non esse necessariam, cum integer Christus sub specie panis sumatur; sed quia moti quadam superstitione à calice abstinebant. Erat autem hæc superstitio Manichæorum, qui cum dicerent vinum esse fel principis tenebrarum & à diabolo creatum, communionem sub specie vini sumere recusabant, ut testatur Leo Magnus serm. 4. de Quadrag. in quo de illis differens inter cætera ait: „Cumque ad tegendam infidelitatem suam „nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacra„mentorum communione se temperant, ut in„terdum tutiùs lateant: ore indigno corpus „Christi accipiunt, sanguinem autem redemptio„nis nostræ haurire omnino declinant. Quod „ideò vestram volumus scire sanctitatem, ut vo„bis hujuscemodi homines, & his manifesten„tur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sa„crilega simulatio, notati & prohibiti à san„ctorum societate sacerdotali auctoritate pel„lantur. Ex his apparet, adversùs Manichæos promulgatam hanc legem; qui, ut ait Anastasius, temporibus Gelasii inventi sunt in Urbe Roma, & in exilium deportati, eorumque codices ante fores Basilicæ S. Mariæ incendio concremati. Ut igitur latitantes sub catholico nomine proderentur, idem remedium adhibuit Gelasius, quo pridem Leo usus fuerat, præcipiens ut sub utrâque specie omnes communicarent: nesi catholici à calice abstinerent, se de hæresi Manichæorum suspectos redderent: aut ipsi Manichæi eo signo detegi non possent, si idem facerent quod catholici, sub specie sola panis communicantes. Cum verò rationem reddens sanciti decreti ait divisionem mysterii sine grandi sacrilegio provenire non posse, eosdem Manichæos perstringit, qui haustum vini respuentes tanquam fel diaboli, divina mysteria proculdubio mutilabant, seque grandi sacrilegio obstringebant. Notabile est quod Princeps Theologorum docet 3. par. quæst. 80. art. 12. ad 2. *Perfectionem* videlicet *hujus sacramenti non in usu fidelium, sed in consecratione materiæ sitam esse, & ideò nihil derogat perfectioni hujus sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine, dummodo Sacerdos consecrans sumat utrumque.* Nec Manichæos à sanctis Patribus reprehensos & ab Ecclesia damnatos legimus, quod sub unica specie communicarent, sed quia, ut diximus, à consecratione & communione calicis tanquam à re mali & diabolica abstinendum esse sacrilego errore dicebant.

II. Sic prima assertionis parte luculenter comprobata, ad alteram transeundum est, quæ veterum Patrum doctrina & praxi, totiusque Christiani orbis consensu, atque inconcusso catholicæ fidei firmamento stabilita, à nemine, cui scintilla rationis adsit, negari poterit. Quid enim clarius & frequentius in veteri historia quam communio sub una specie? Hanc evincunt exempla superius allata de Eucharistia domi asservata, ad absentes transmissa, atque in longis itineribus ac navigationibus à fidelibus delata, utique in sola specie panis, cum ferret occasio sumendæ. Nec aliter communicabant Anachoretæ in vastis solitudinibus, quàm particulis quas secum ferebant, cum in solemnioribus festis ad Ecclesiam conveniebant; vel ad eos mittebant aut portabant Sacerdotes. Vinum siquidem diu conservatum acescit, & corrumpitur, nec potest sine periculo effusionis longè portari. S. Virgo Theoctiste Lesbia, cum XXXV. annis in insula Paro solitaria vixisset, inventa à viro sæculari & venatore rogavit eum, ut anno sequenti unum ex intemeratis donis corporis Christi ad illam afferret, quod ille attulit, eoque accepto migravit ad cœlum, ut narrat Metaphrastes apud Surium die X. Novembris. Lucas junior Monachus, cujus vitæ excerpta edidit Franc.

Combefis *tom.* 2. *Auctor. Biblioth. Patrum*, cum à Corinthi Archiepiscopo quæsiviſſet, quomodo ſolitarii horrenda myſteria percipere poſſent, apud quos nec ſynaxis erat, nec ſacerdos; Reſpondit ille, decere Sacerdotem adeſſe, quod ſi non adſit, conſervandas ſacras particulas, ſumtoque Chriſti corpore, loco ſacri laticis vini poculum bibendum, vini ſcilicet non conſecrati, qui ſanguinis locum ſuppleret: idque ex more qui tunc apud ſolitarios vigebat. Semper etiam fuerunt homines vel ex nativitate, vel ob infirmitatem abſtemii, qui nec quidem odorem vini ferre poſſunt. Acceſſit & converſio gentium Aquilonarium, apud quas nec vinum naſcebatur, nec facilè ferri poterat. Hos autem vel privare debemus divinæ menſæ participatione, vel dicendum ſola panis ſpecie communicaſſe. Legimus enim in quibuſdam regionibus vix repertum à fidelibus per eas iter agentibus vinum pro ſacerdote celebrante. Græci ſub una ſpecie communicant toto tempore Quadrageſimæ, quo Præſanctificatis utuntur, exceptis Sabbatis & Dominicis. Aliis diebus quamvis doceant faciendam communionem ſub utraque ſpecie, factam tamen ſub una non damnant. Nec unquam legimus aut Græcos à Latinis ob duplicem ſpeciem, aut Latinos à Græcis ob unicam reprehenſos fuiſe: nec ipſi Græci, qui poſt Schiſma nullam occaſionem prætermiſerunt vexandi Latinos, hoc diſſimulaſſent, ſi utramque ſpeciem ex præcepto Chriſti neceſſariò ſumendam credidiſſent. Imò ipſi ægrotis & moribundis ſub una tantùm præbent: nam ſingulis annis feria V. majoris hebdomadæ panem recentem ſolito majorem præparant & conſecrant, cujus quartam partem ſacerdos abſumit, tres reliquas in minutulas particulas comminuit, quas *Meridas*, & communiori vocabulo *Margaritas* vocant. Sed antea conſecratum panem Chriſti ſanguine leviter humectant, tum ſacro diſco ignem ſubjicientes cunctum humorem exprimunt, & ſic adeò indureſcit, ut per totum annum à corruptione immunis ſervari poſſit. A pane verò ea ratione exſiccato modicum illud vinum quo imbutus fuerat omnino evaneſcit, & conſequenter remanet ſub ſola ſpecie panis corpus Chriſti, quod ad ægrotum, cum opus eſt, deferentes, prius extrahunt è pyxide margaritam unam, & in cochleari vino communi perfundunt, ut emolleſcat; eaque ſic perfuſa illum communicant. Agit de hoc ritu Græcorum doctè & diffusè Leo Allatius *epiſt.* 2. *ad Nihuſium in ſuis Symmictis lib.* 1. Infantibus verò dant Græci more antiquo Euchariſtiam ſub ſola ſpecie vini, cochlear ſanguine intinctum ori ipſorum inferentes ut lambant, quibus poſtea matres vel nutrices à ſanctuario recedentes ubera præbent, ut ſanguinem ſimul cum lacte deglutiant, ut idem Allatius aſſerit in annotationibus de communione Orientalium additis ad Tract. de conſenſione utriuſque Eccleſiæ. Extat ibidem teſtimonium Abrahami Ecchellenſis Maronitæ, aſſerentis non ſolùm Maronitas, ſed & reliquas nationes Orientales ſub unica ſpecie communionem præbere ægrotis, paſtoribus, ruſticis, & aliis qui Eccleſiam adire non poſſunt, ad quos calicem deferre nec ſolent, nec tutum eſſet propter infideles, quorum dominio ſubſunt, & propter locorum diſtantiam, cum quatuor vel ſex vici Chriſtianorum longo itinere inter ſe diſſiti ſæpe unicam habeant Eccleſiam, ad quam omnes confluere nequeunt, & unicum ſacerdotem, qui ad abſentes ſolum panem euchariſticum defert. Addit Gabriel Sionita *epiſt. ad Nihuſium in ſymmictis Allatii*, eoſdem Maronitas & reliquos Orientales infantibus ſacro fonte nuper ablutis cochlear ſolo ſanguine delibutum ſugendum exhibere: iter quoque longum ingreſſuris, & profecturis ad bellum ſacrum donum ſub una ſpecie panis ſecum ferendum concedi, ut ipſum ſumant vitæ diſcrimine imminente. Quod verò ſubjungit duobus hiſce caſibus exceptis, cæteros omnes cujuſvis ætatis & conditionis ſub utraque ſpecie communicare, id ſacerdotes Maronitæ in Urbe degentes à me conſulti de his intelligendum teſtantur, qui intra Eccleſiam communicant. Liber enim conſtitutionum Eccleſiæ orientalis, quem citat Abraham Ecchellen. epiſt. ad Nihuſium, poſtquam decrevit, *cap.* 3. *ſect.* 3. non licere Sacerdoti præbere corpus ſine ſanguine, ſtatim ſubdit: „exceptis ægrotis, & qui longè diſtant ab Ec„cleſia, & qui impedientibus ſunt diſtracti ne„gotiis, ut ſunt paſtores & agricolæ, qui inco„lunt villas, nec habent Eccleſias, nec Eccleſiam „remotam adire poſſunt: ſimiliter quoque mu„lieres, præſertim cum timetur, ne hinc accidat „eis ignominia aliqua propter itineris diſtantiam: „deferre autem ad hos calicem, periculoſum eſt „valde, ideoque corpus ſine ſanguine detur illis. Simili modo apud Abaſſinos viaticum moribundis præberi ſub unica ſpecie panis Lucas Holſtenius ad Nihuſium ſcribit ex certa & fida ſacerdotis Abaſſini relatione: idque mihi ſciſci-

tanti

tanti duo ejus nationis Monachi viri graves & senio venerabiles, quos per interpretem allocutus sum, confirmarunt. Ipse Christus duobus discipulis euntibus in Emmaus sub sola specie panis corpus suum præbuit, ut asserit Augustinus lib. 3. de consensu Evangelistarum cap. 25. ubi explicans verba illa: „Oculi eorum tenebantur ne „eum agnoscerent, *ait:* Non incongruenter ac„cipimus hoc impedimentum in oculis eorum à „satana factum fuisse, ne agnosceretur Jesus: sed „tamen à Christo facta est permissio usque ad „Sacramentum panis, ut unitate corporis ejus „participata, removeri intelligatur impedimen„tum inimici, ut Christus possit agnosci. Patet autem calicem à Domino consecratum non fuisse, quia cum illis porrexisset panem, illicò evanuit. Non nego, aliquando simul cum corpore Christi sanguinem quoque extra Ecclesiam delatum, in vita enim S. Mariæ Ægyptiacæ à Sophronio conscripta legimus, quod, cum in vasta eremo annis XLVII. vitam rigidissimam egisset, ab Abbate Zozimo Dei nutu reperta, sibique mortem imminere cognoscens, rogavit illum, ut reversus in Monasterium, divini corporis & vivifici sanguinis portionem in vase sacro sibi afferret, quia nunquam communicaverat, ex quo desertum ingressa fuerat. Ille verò statuto tempore mittens in modico calice intemerati corporis & pretiosi sanguinis portionem ad eam attulit, quæ susceptis sacris mysteriis in pace quievit. Sed hoc exemplum, & alia similia, si quæ adsunt, utramque speciem necessariò sumendam esse non evincunt, & contraria totius Ecclesiæ praxi obruuntur. Ideo Synodus Tridentina à Spiritu sancto edocta, ac ipsius Ecclesiæ judicium ac consuetudinem sequuta, declaravit & docuit, Laicos & Clericos non conficientes, nullo divino præcepto obligari ad sumendam Eucharistiam sub utraque specie: deinde perpetuò fuisse in Ecclesia potestatem in administratione Sacramentorum ea mutandi & statuendi, quæ suscipientium utilitati, & illorum veneration, salva manente substantia, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret. Quare gravibus, ac justis causis adducta veterem consuetudinem sumendi Eucharistiam sub utraque specie, quæ jam ferè desierat, alterâ commutavit sub una dumtaxat communicandi, atque hanc pro lege habendam decrevit. Quamvis autem ipsum concilium summi Pontificis prudentiæ discutiendum reliquerit, an communio sub utraque specie alicui regno vel nationi permittenda quandoque foret, docuit tamen experientia rerum magistra, id nec utile Reip. Christianæ, nec salutare petentibus esse. Constat ex Actis consistorialibus Pium IV. anno 1564. sacro cœtui Cardinalium sæpius repetitas Ferdinandi Imperatoris preces retulisse, quibus Germanicæ nationi usum calicis concedi postulabat. Id ni fieret, brevi futurum, ut grassantem in illis provinciis hæresim omnes amplecterentur: hunc verò usum unicum tanto malo remedium esse. Qua spe motus optimus Pontifex, Episcopis Germaniæ facultatem dedit deputandi sacerdotes, qui servatis quibusdam conditionibus Fidelibus laicis communionem sub utraque specie præberent. Verùm nec fructus inde provenit qui sperabatur, nec petentium saluti aut deviorum reductioni id profuit: imò statim irrepserunt abusus, adeò ut Pius V. anno vix elapso coactus fuerit quicquid de hac re Pius IV. permiserat revocare, præcipiens sub pœna excommunicationis, ut decretum de communione sub una specie ab omnibus inviolabiliter servaretur.

III. Græci hodie traditâ sibi ante aliquot sæcula à majoribus suis consuetudine, sub utraque specie, non seorsum sed simul mixta, populum communicant. Sacras enim particulas sanguine perfusas sacerdos distribuit, singulis singulas præbens parvo cochleari, cujus tenue & oblongum manubrium est in parvam crucem desinens, quas singuli ore excipiunt. Suspicatur Arcudius *lib. 3. cap. 53.* hanc communionem originem traxisse ex facto mulieris Macedonianæ supra commemoratæ, quæ celebrante Chrysostomo se catholicam simulans de manu ejus Eucharistiam suscepit, quam ancillæ occultè dedit, & alium panem ab eadem acceptum ori imposuit, qui in lapidem versus est. Sed nusquam lego hoc factum occasionem dedisse veterem ritum immutandi, & ex scriptis Chrysostomi constat, Diaconum sanguinem distribuisse: quo munere fungi desiit, cum panis sacer sanguine tinctus cochleari præberi cœpit. Potiùs crediderim, non tam fraudis evitandæ gratia, quàm ob periculum effusionis hunc usum introductum, ut sacra mysteria simul mixta populo dispensarentur. Humbertus Sylvæ candidæ Episcopus in libro adversùs calumnias Græcorum hunc ritum insectatur, sed acrius fortassis quàm oportuit, totius enim orientalis Ecclesiæ, & sanctorum Patrum, qui eosdem ritus usu approbarunt, auctoritatem revereri par est. Idem mos intinctum panem porrigendi viguit etiam in Ecclesia Latina: nam Ivo

Carnoten. *p.* 2. *cap.* 11. & 85. & Gratianus *de consecr. dist.* 2. *c. Cum omne crimen*, afferunt decretum Julii I. vetantis communionem intinctam, quod iisdem verbis extat in concilio Bracarensi III. habito anno 675. c. 1. ubi, cum inter abusus qui irrepserant, & hunc enumerasset, quod quidam intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigerent, id vetat deinceps fieri, quia hoc non recipit prolatum ex Evangelio testimonium, ubi seorsum panis, seorsum calicis commendatio memoratur. Micrologus item c. 19. „ Non est, *inquit*, au„thenticum, quod quidam corpus Domini in„tingunt, & intinctum pro complemento com„munionis populo distribuunt, nam Ordo Ro„manus contradicit. Exceptus est casus necessitatis & cautelæ in canone concilii Claromontani sub Urbano II. quem refert Baronius To. XI. ex schedis Antonii Augustini. At verò Paschalis II. etiam casum necessitatis excluſit ep. 32. ad Pontium Abbatem Cluniacensem præcipiens, ut parvuli & infirmi, qui panem absorbere non possunt, in solo sanguine communicent, hoc decentiùs existimans, quàm intinctam communionem permittere. Alicubi tamen invaluit usus infirmos eo modo communicandi, adeò ut apud Ivonem *p.* 2. *cap.* 19. decretum hac de re sancitum legamus à quodam concilio Turonensi. „ Omnis „ Presbyter, *inquit*, habeat pyxidem aut vas tan„to Sacramento dignum, ubi corpus Domini „cum diligentia recondatur ad viaticum rece„dentibus de sæculo. Quæ tantùm sacra oblatio „intincta debet esse in sanguine Christi, ut vera„citer Presbyter possit dicere infirmo: Corpus, „& sanguis Domini nostri Jesu Christi proficiat „tibi in remissionem peccatorum & vitam æternam. Sic Patres Turonenses decreverunt, sed ratio quam afferunt quanti ponderis sit norunt Theologi: neque enim corpus Christi est sine sanguine. Alibi invaluit idem mos pro omni populo, non alia sanè de causa, quàm propter cautelam, ne sanguis effunderetur. Ritus antiquus Missæ à Joanne Episcopo Abrincatensi descriptus apud Menardum in Appendice libri Sacramentorum, vetat sacerdotem & ministros intincto pane communicare, excipit autem populum, *quem*, inquit, *intincto pane, non auctoritate, sed summa necessitate timore effusionis sanguinis Christi permittimus communicare.* In antiquis consuetudinibus Monasterii Cluniacensis *lib.* 2. *cap.* 30. *tomo* 4. *Spicilegii* statutum extat de communione intincta. In margine autem ex alio codice ratio addita est, id contra usum aliarum Ecclesiarum esse, permitti tamen propter novitios & alios rudes, qui si sanguinem separatim acciperent, vix fieri posset quin aliquam negligentiam incurrerent. In Anglia adeò propagatus erat hic usus, ut eum prolixè defendat Ernulfus Roffensis Episcopus epist. ad Lambertum To. 2. *Spicilegii.* Concilium verò Anglicanum sub Richardo Archiepiscopo Cantuariensi an. 1175. c. 15. prohibuit, ne quis quasi pro complemento communionis intinctam alicui Eucharistiam tradat. Erat autem duplex intinctio: una cum sanguine, altera cum vino communi, & hæc etiam aliquando viguit pro pueris & infirmis, qui panem siccum deglutire non poterant. In præcitatis statutis Cluniacensibus *lib.* 3. *c.* 28. communio moribundi sic describitur: „ Sacerdos corpus Domini in„censat, frangit, & partem quam allaturus est „super calicem tenet, & tam ipse calix quam „manus sacerdotis linteolo candidissimo coope„ritur. Interea curatur, ut infirmi bucca lavetur „recepturi ipsum corpus Domini, quod recipit „vino intinctum, quo epotato ebibit quoque „ablutionem calicis, ne videlicet aliquod fragmentum in eo remanserit: nondum enim in usu erat panis ille tenuissimus, quo nunc utimur in sacris mysteriis, ut alibi ostensum est. De hac ipsa intinctione loquitur, ni fallor, S. Prosper *cap. 6. dimidii temporis*, ubi narrat historiam mulieris energumenæ, quæ diebus septuaginta nullum cibum, nullumque potum sumpserat. Huic sacerdos particulam corporis Domini tinctam præbuit, vino scilicet non consecrato, sive aqua, ut eam faciliùs deglutiret. Nunc omnes intinctiones abierunt in desuetudinem, cum enim ad tollendos abusus decreta & præcepta non sufficerent, cœpit tandem communio fieri sub una specie, nullusque locus intinctioni in Ecclesia occidentali relictus est. Porrò cum agimus de corpore Domini sanguine intincto, alia quædam singularis intinctio dictu horrenda mihi venit in mentem, quam ex Græcorum Annalibus sic narrat Baron. *an.* 648. Cum perditissimus Pyrrhus Monothelita post recantatam palinodiam in pristinum errorem lapsus esset, „ Theodorus Papa plenitudine con„vocata Ecclesiæ ad sepulchrum verticis Apo„stolorum accessit, & divino calice expostulato „ex vivifico sanguine in atramentum stillavit, & „ita propria manu depositionem Pyrrhi excom„municati fecit. Simili modo scribit Nicetas in vita S. Ignatii Constantinopolitani subscripsisse Episcopos damnationi Photii Pseudopatriarchæ

chæ calamo intincto sanguine Domini vice atramenti: quod sane horrendum est: sed illi peculiares sui consilii rationes habuerunt.

## CAPUT XIX.

*Communio puerorum. De ea quid senserint antiqui Patres, & quæ veteris Ecclesiæ praxis fuerit. Communionis nomen æquivocum. Perceptionem Eucharistiæ & mutuam fidelium societatem significat. Quæ fuerit communio laica, quæ Ecclesiastica. Quibusdam olim negatum in fine viaticum Eucharistiæ. Examinantur Doctorum sententiæ de communione peregrina. De eulogiis, earumque usu ac distributione.*

I. QUia supra de communione puerorum mentio frequenter facta est, operæ pretium erit, quid de illa senserint antiqui Patres, & quid tandem definitum sit plenius explicare. Innocentius Papa describens ad Patres Concilii Milevitani Epistolam adversus Pelagianos, *quæ est 93. apud Augustinum:* & ipse Augustinus *lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 22. & lib. 1. de peccatorum meritis cap. 20.* atque alibi sæpè, baptismi necessitatem ex necessitate Eucharistiæ inferentes in ea sententia fuisse videntur, quod etiam infantibus rationis usu carentibus tribuenda esset necessariò post baptismum Eucharistia, adeò ut sine ea salvari omnino non possent. Sed aliam fuisse illorum mentem, si scripta ipsorum diligentiùs excutiantur, perspicuum est. Neque enim de reali sive sacramentali communione loquuti sunt, sed de ejus effectu, qui est unio & incorporatio cum Christo, quæ etiam per solum baptismum fit, sine actuali Eucharistiæ susceptione. Quamvis ergo revera prisci Patres soliti sint infantes communicare, non tamen ad communionem eis exhibendam ea ratione moti sunt, quod eam crediderint ad eorum salutem necessariam. Plura congerunt Scholastici, ut hanc fuisse Augustini aliorumque Patrum sententiam ostendant, sed his omissis instar omnium & super omnes mihi est auctoritas Concilii Tridentini. Sessione siquidem 21. cap. 4. postquam declaravit parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem, ait: *Neque ideò tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est.* Neque aliter crediderunt ipsimet discipuli S. Augustini, is præsertim qui primum inter eos locum tenet, Fulgentius Ruspensis Episcopus. Is etenim Epist. ad Ferrandum Diaconum de baptismo Æthiopis moribundi cap. 11. manifestè docet ex ea sententia Salvatoris Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* non posse inferri actualem communionem post baptismum necessariam esse ad salutem; quandoquidem effectum Eucharistiæ in ipsa regeneratione baptizatus susceperit, factus corporis Christi verum membrum. *Quod etiam,* inquit, *sanctos Patres indubitanter credidisse ac docuisse cognoscimus.* Tum sermonem hac de re habitum S. Augustino subjungit, ac tandem sic concludit Epistolam. „ Arbitror sancte frater disputationem nostram „ præclari doctoris Augustini sermone firma„ tam, nec quicquam esse aliquatenus ambigen„ dum, tunc unumquemque fidelium corporis „ sanguinisque dominici participem fieri, quan„ do in baptismate membrum corporis Christi „ efficitur, nec alienari ab illo panis calicisve „ consortio; etiamsi antequam panem illum co„ medat & calicem bibat de hoc sæculo in uni„ tate corporis Christi constitutus abscedat. Sa„ cramenti quippe illius participatione ac bene„ ficio non privatur, quando ipse hoc, quod „ illud sacramentum significat, invenitur. Hinc colligitur, sensum Augustini non bene ab illis perceptum fuisse, qui perperam eum accusant, quod Eucharistiam parvulis necessariam ad salutem esse docuerit contra Ecclesiæ definitionem, quæ hanc sententiam inflicto anathemate condemnavit. Cautiùs loquutus est Hugo à S. Victore doctrinæ Augustini sectator egregius, qui veteris Ecclesiæ consuetudinem attendens, tradendam quidem pueris Eucharistiam sub specie vini docuit *lib. 1. de Sacram. cap. 20.* sed cum cautela & limitatione: nam *si in reservando sanguine Christi vel ministrando pueris, immineat periculum, potius supersedendum videtur.* Tum ait pueris nullum imminere salutis periculum, si eos contingat absque communione decedere, quia membrum corporis Christi jam sunt effecti per baptismum. Idem scribit Lanfrancus Cantuariensis *Epist. 33.* ad Domnaldum Episcopum

scopum Hiberniæ, qua doctè & subtiliter de Infantium communione pertractat. Horum autem aliorumque Patrum doctrinam, & verborum Christi expositionem ab illis traditam non considerans Radulfus Hugoni contemporaneus, loquens de Eucharistiæ necessitate serm. in die Paschæ, *Statutum est*, inquit, *ut pueris mox baptizatis saltem in specie vini tradatur, ne sine necessario sacramento discedant.* Et Radulfo antiquior Gualterius Aurelianensis, qui vixit sæculo nono, cap. 7. sui Capitularis mandat, ut Presbyter semper Eucharistiam paratam habeat, ut, quando quis infirmatus fuerit, aut parvulus ægrotaverit, statim eum communicet, ne sine viatico moriatur.

II. Quod verò Antiqui ministrare parvulis sacra mysteria consueverint, ex eorum scriptis evidenter ostenditur. Cyprianus epist. 63. ad Cæcilium, „Per baptismum, *ait*, Spiritus „sanctus accipitur, & sic à baptizatis & Spiri„tum sanctum consecutis ad bibendum calicem „Domini pervenitur. Idem libro de lapsis, ab indigna communione horrendis exemplis deterrens, celeberrimam historiam narrat, quam etiam ex ipso refert & ponderat August. *epist.* 23. cujusdam infantulæ, quæ cum parentum incuria & nutricis delatione panem vino mixtum de idolothytis comedisset, ipso Cypriano sacrificante aderat cum matre in Ecclesia. „Ubi verò so„lemnibus adimpletis calicem Diaconus offer„re præsentibus cœpit, & accipientibus cæte„ris locus ejus advenit, faciem suam parvula „instinctu divinæ majestatis avertere, & labiis „obturantibus premere, calicem recusare. Per„stitit tamen Diaconus, & reluctanti licet de „sacramento calicis infudit. Tunc sequitur sin„gultus & vomitus. In corpore atque ore vio„lata Eucharistia permanere non potuit. Dionysius in fine cap. 2. Eccl. hierarch. „Omnibus, „*inquit*, peractis eum qui initiatus est ad Eucha„ristiam vocat, & mysteriorum perficiendi vim „habentium communionem illi tradit. *Et infra* „*cap.* 7. Quod autem infantes, qui per ætatem „nequeunt intelligere, divinæ regenerationis, „sanctorumque divinæ communionis mysterio„rum participes fiant, videtur hominibus profa„nis non immeritò risu dignum. Mox hujus facti rationem reddit. Vetus hæc consuetudo fuit, ut, quicunque baptizabantur sive adulti sive infantes, sacra statim communione reficerentur. Liber Sacramentorum S. Gregorii editus à Menardo in officio Sabbati sancti agens de baptismo infantium ait, *Qui etiam non prohibentur lactari ante sacram communionem, si necesse fuerit.* Jobius Monachus apud Photium, *Primò*, inquit, *baptizamur, deinde ungimur, inde pretioso sanguine dignamur.* Theophanes Nicænus, cujus frontem versibus conscribi jussit impius Theophilus Iconoclasta, asserit *epist.* 3. *ad sacerdotes* statim post baptismum datam omnibus communionem. Hieronymus adversus Luciferianos Hilarium ait non potuisse baptismum sine Eucharistia administrare, quia presbyter non erat. Huc item respicit Tertullianus *lib. de pudicitia cap.* 9. ubi explicans filii prodigi parabolam, *Annulum*, inquit, *accipit tunc primùm, quo fidei pactionem interrogatus obsignat, atque ita exinde opimitate Dominici corporis vescitur, Eucharistia scilicet.* Narrat Evagrius *lib.* 4. *hist. Eccl. cap.* 35. dejecto Anthimo è throno Constantinopolitano, eique Menna viro orthodoxo substituto, hoc miraculum in puero Hebræo contigisse. Vetus fuit consuetudo Constantinopoli, ut, si quando multæ particulæ corporis Christi supererent, sacerdotes pueros incorruptos accerserent, qui eas comederent. Cum his adfuit aliquando puer Hebræus, & cum cæteris sacrorum mysteriorum particeps effectus est. Quod cum Pater didicisset, furore ac rabie succensus in clibanum ardentem, in quo vitrum formare solebat, puerum conjecit; qui triduo in igne, Deo protegente, illæsus permansit, donec à matre eductus è fornace, ipse cum matre baptismum suscepit, pater cruci affixus est. Hoc miraculum referunt Greg. Turonen. *lib.* 1. *de gloria martyrum cap.* 10. & Nicephorus Callistus *lib.* 14. *cap.* 25. atque hic postremus addit, se, cum puer admodum esset, sæpenumero cum aliis interfuisse, & reliquias sacramentorum suscepisse. Vixit autem Nicephorus sæculo XIV. ex quo infertur, hunc morem in Urbe regia octo sæculorum spatio perstitisse, nam Mennas claruit sæculo VI. Joannes Moschus *in prato spirituali cap.* 19. aliud miraculum narrans, quod pueris Apamiensibus accidit, qui per jocum sacram synaxim celebrantes verba consecrationis super panem & vinum protulerant, eos potuisse ait illa verba edisscere, quia consuetudo tunc erat in Ecclesia, ut pueri ante sacrarium assisterent, & primi post clericos communicarent. Eumdem morem reliquias sacramenti pueris ministrandi, in Occidente quoque, saltem in Gallia, viguisse docet nos Concilium II. Matisconense habitum anno 588. nam

cap. 6.

can. 6. ait: „Quæcumque reliquiæ sacrificio-„rum post peractam Missam in sacrario superse-„derint, quarta vel sexta feria innocentes pueri „ab illo cujus interest ad Ecclesiam adducantur, „& indicto eis jejunio, easdem reliquias con-„sperſas vino percipiant. Postea Concilium Turonense III. tempore Caroli Magni cap. 19. presbyteros admonendos esse sancivit, ut, cum sacra Missarum solemnia peregerint atque communicaverint, pueris aut aliis quibuslibet personis adstantibus corpus Domini indiscretè non tribuant. Et Odo Episcopus Parisiensis, qui vivebat anno 1175. in statutis synodalibus cap. 39. *Communium præceptorum*, discretè præcipit presbyteris, ne hostias licet non sacratas dent pueris ullo modo. Sic desiit in Gallicana Ecclesia sæculo XII. mos pueros communicandi, quem licet optaverit instaurare ejusdem sæculi scriptor Hugo à S. Victore, asserit tamen loco supra citato jam suo tempore desiisse, aliquo ejus vestigio remanente; nam presbyteri retinentes veterem formam, sed non rem, vinum commune pueris recens baptizatis dabant pro sanguine, quod Hugo superfluum & dimittendum arbitrabatur. Ne verò reliquiæ sacramenti superessent, sæpe decretum est, ut tot dumtaxat particulæ consecrarentur, quot erant parati ad communionem: & si quid residuum foret, à sacerdote seu ministris comederetur, aliquot tantùm particulis pro infirmorum communione reservatis, quæ statis diebus renovarentur. Quod si contingeret ut ministrorum incuria putrescerent, statuit Concilium Arelatense apud Ivonem *p. 2. cap. 56.* ut igne comburantur & cinis juxta altare sepeliatur; idque in usu fuisse docet Algerus *lib. 2. cap. 1.*

III. Est autem nomen communionis æquivocum. Quamvis enim hodie nihil sit, quod nomine communionis intelligatur, nisi sola Eucharistiæ participatio, hæc tamen vox latiùs olim patebat, & præter Eucharistiam alia multa complectebatur. Congerunt in hanc rem plurima testimonia è veteris Ecclesiæ praxi viri eruditissimi Gabriel Albaspinæus *lib. 1. observat.* & Joannes Morinus *lib. 2. Ecclesiast. exercitationum.* Et primo quidem duo veluti genera erant Christianæ communionis, communio scilicet commercii sive mutuæ cum cæteris Fidelibus societatis: & communio Eucharistiæ, quæ prioris perfectio, finis, & centrum est. Illa habitudinem habet & relationem ad corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia: hæc verum corpus ejusdem respicit, quod sumitur in Eucharistia. Illa dicebatur communio sine oblatione, utpotè consistens in sola participatione orationum & consortii fidelium: hæc, communio cum oblatione, iis concessa, qui corporis & sanguinis Domini participes erant. Quia verò Ecclesia ex populo constat, cujus est institui, dirigi, & perfici; & ex clero, ad quem spectat docere, sacramenta administrare, dirigere, & perficere; ideò communio, quatenus respicit mysticum Christi corpus, dividitur in laicam & Ecclesiasticam. Ecclesiasticæ tot sunt species, quot ordinum gradus: aliter enim inter se & cum aliis clerici minorum ordinum, aliter subdiaconi, & diaconi, aliter presbyteri & Episcopi communicabant. Cum ergo aliquis ordinis sui munia in pœnam alicujus delicti obire non poterat, is communione privari dicebatur, quia cum cæteris in his, quæ sui ordinis erant, communicare vetitum illi & illicitum erat. De hac communione antiqui canones loquuntur, quoties clericos, diaconos, presbyteros, sive Episcopos communione privari præcipiunt. Quod si quis perpetua depositione à sui gradus honore & functione removebatur, is omne jus Ecclesiasticæ communionis amittebat, & inter laicos relegatus, ipsorum tantùm communione fruebatur. Unde fit, ut communio laica, quæ laicis honor est, Ecclesiasticis dedecus esset, quia illis in pœnam irrogari solebat, cum admisso aliquo crimine è loco & gradu suo detrusi cum laicis esse jubebantur. Recentiores, qui audito nomine communionis, ejus veteri notione neglecta, id solum concipiunt quod hodie ea voce significatur, laicam communionem nihil aliud esse putant, quàm perceptionem Eucharistiæ sub unica specie aut extra cancellos more laicorum; quod quàm falsum sit, vel ex eo liquet, quod sæpe clericos ad laicam communionem detrusos legimus eo tempore, quo etiam laici sub utrâque specie communicabant. Est igitur communio laica jus societatis & communicationis cum cæteris fidelibus in rebus tam sacris quàm civilibus more laicorum: ex quo consequens erat, ut clerici ad eam damnati, quandoquidem à gradu clericali dejecti in ordinem plebis redigebantur, in perceptione Eucharistiæ instar laicorum se gererent, eam sumentes extra septa altaris, aut sub una vel utraque specie, sicut ex usu Ecclesiæ tunc laici sumere consueverant.

IV. Illud autem difficilius videtur, quod aliquando antiqui canones in fine tantùm vitæ,

aliquando nec quidem in fine laicam communionem reis concedebant, ut c. 2. concilii Sardicensis, & c. 18. Illiberitani. Sed quibus perspecta est veteris Ecclesiæ disciplina, ignotum esse non potest, hanc diversitatem animadversionis ex criminum diversitate provenisse. Quædam enim crimina adeò gravia censebantur, ut eorum reus non solùm depositione puniretur, sed etiam ad agendam pœnitentiam, tanquam indignus ipsâ laicâ communione, extra limen Ecclesiæ usque ad finem vitæ inter *Flentes* ablegaretur, cui animam agenti concedebatur, ut tanquam laicus fidelis prævia peccatorum absolutione Eucharistiam more laicorum acciperet. At qui scelera atrociora perpetraverant, iis severiori sententiâ absolutio quidem à peccatis, quæ nemini verè pœnitenti in fine negari solebat, concedebatur, sed viatico Eucharistiæ privabantur, ut, qui flagitiis suis clericalem gradum vivendo deturpaverant, nec viaticum quidem corporis Christi in morte susciperent, quod nulli laico fideli ab hoc sæculo decedenti negabatur. Hæc durior animadversio, an fuerit mitigata can. 13. magnæ Synodi Nicænæ, quo præcipitur, *ut si quis vita excedat, ultimo & necessario viatico minimè privetur*, controversum est. Nam cum duplex apud antiquos viaticum esset, nempe absolutionis & Eucharistiæ; hic per ultimum & necessarium viaticum putat Albaspinæus sacramentalem absolutionem & solam admissionem ad consistentiam à Patribus Nicænis indicatam, cui explicationi favere videtur idem Canon statuens, quod, si is supervixerit, sit inter eos, qui communionem tantùm orationis consequuntur. Habertus verò *ad partem X. Liturgiæ observ. X.* contrariam sententiam sustinet, de viatico Eucharistiæ canonem Nicænum loqui; idque deducit ex secunda parte ejusdem, qua sancitur, ut cuilibet generaliter, in exitu posito, & Eucharistiæ participationem poscenti, Episcopus cum probatione oblationem impertiat. Utraque sententia probabili fundamento innititur, & per me liberum cuique erit cui maluerit adhærere. Quæcumque enim fuerit Nicænæ synodi mens, certissimum illud est, cujus gratiâ huc digressi sumus, quibusdam pœnitentibus propter horrenda crimina negatum in fine viaticum Eucharistiæ, & solam precum communionem cum viatico absolutionis concessam. Imò primis Ecclesiæ temporibus, ut Lib. I. Cap XVII. ostensum est, idololatriæ, mœchiæ, & homicidio ipsam etiam absolutionem negatam, quorumdam sententia est, qui ad hanc, non ad Eucharistiam omninò referendos putant concilii Illiberitani canones, quibus decernitur, ut rei prædictorum criminum, nec in fine ad communionem suscipiantur. Arguitur hæc synodus à nonnullis nimiæ severitatis, sed sic ea tempora & fidelium mores ferebant. Fuit ergò, ut Innocentius I. ad Exuperium Episcopum Toletanum scribit, *observatio prior durior, posterior interveniente misericordiâ inclinatior. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur ei pœnitentia*, id est, ut admitterentur, qui lapsi fuerant in ordine pœnitentium, *sed communio*, id est participatio cum fidelibus & absolutio, sine qua illorum consortio frui non poterant, „ negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ „ persecutiones essent, ne communionis concessa „ facilitas homines de reconciliatione securos „ non revocaret à lapsu, negata meritò communio est, concessa pœnitentia, ne totum penitus „ negaretur, & duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster „ pacem Ecclesiis suis reddidit, jam depulso terrore, communionem dari abeuntibus placuit, „ *nempe communionem reconciliationis, de qua ab* „ *Exuperio interrogatus fuerat*, quasi viaticum „ profecturis. Idem ferè decernitur can. 3. concilii I. Arausicani: „ Qui recedunt de corpore „ pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria „ manus impositione, *publica scilicet & solemni*, „ *quæ in Ecclesia fieri solebat*, eis communicari. „ Quod morientis sufficit consolationi, secundùm „ definitiones Patrum, qui hujusmodi communio„ nem sufficienter viaticum nominarunt. Quod „ si supervixerint, stent in ordine Pœnitentium, „ & ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, le„ gitimam communionem cum reconciliatoria „ manus impositione percipiant. Legitimæ autem communionis tunc participes erant, cùm plenè reconciliati, ad divina mysteria percipienda admittebantur.

V. Erat & aliud genus communionis, quæ peregrina dicebatur, de qua variæ sunt Eruditorum sententiæ. Quidam, inter quos est Binius in notis ad concilium Ilerdense, eam cum laica confundunt: sed non est credibile, veterem Ecclesiam eandem rem diversis adeò vocabulis expressisse. Ingens quoque inter utramque discrimen fuit, clerici enim ad laicam damnati, gradu suo in perpetuum carebant, peregrinâ verò mulctati, ut constat ex concilio Agathensi c. 11. non semper ei pœnæ subjacebant. Alii existimârunt, communionem peregrinam nihil aliud esse,

quam

quam perceptionem Eucharistiæ sub una tantùm specie. Verùm quid magis alienum à disciplina veterum Patrum, quàm ut Eucharistiæ etiam sub una specie sumptionem, tanquam pœnam irrogarent Clericis furti & aliorum criminum reis, qui etiam in fine vitæ constitutis, & longâ ac ærumnosâ pœnitentiâ functis, eam aliquando denegabant? Franciscus Bosquetus vir multæ eruditionis, *in notis ad epist.* 174. *l.* 1. *Innocentii III* peregrinæ communionis nomine pœnam suspensionis intelligit, cum Episcopus omni Pontificali potestate exutus, honorem dumtaxat habebat, & primam sedem inter presbyteros: quæ pœna ad alios deinde ordines, ut ipse putat, translata est. At hæc communio non pœna, sed solatium fuit: idque tributum Episcopis Novatianis post abjuratos errores legimus can. 8. concilii Nicæni, ut honore servato primi inter presbyteros sederent. Nec aliter explicandus est canon 3. synodi Rejensis, quo nititur Bosquetus. Sermo enim in eo est de Armentario, qui Ebredunensis Episcopus à duobus tantùm ordinatus fuerat cum multiplici canonum transgressione: quam ordinationem irritam & nullam synodus pronunciavit, vetuitque illi consistere intra fines Alpium maritimarum. Quia tamen facti pœnitens se ignoranter deliquisse dicebat, permisit ei extrà illam provinciam manere, & in aliqua Ecclesia ei misericorditer attributa, peregrinâ communione foveri, juxtà decretum præcitatum concilii Nicæni. Patet autem hanc communionem in solatium amissæ dignitatis concessam, eique potiùs ornamento quàm pœnæ fuisse. Alia est singularis sententia Gabrielis Henao, qui *lib. de sacrif. Missæ p.* 3. *disput.* 28. *sect.* 49. *& sequentibus* diffusissimè agens de communione peregrina, eam tandem fuisse concludit, ad quam clerici admittebantur, quibus in pœnam alicujus peccati, peregrinationes sive perpetuæ, sive ad tempus, impositæ erant, sed quamvis multa dicat, non tamen probat, quæ & qualis fuerit peregrinantium communio; & hoc deinde ab illo demonstrari oportebat, quod quando canones de communione peregrina editi sunt, solerent clericis ad expianda peccata peregrinationes injungi. Cellotius *lib.* 6. *de Hierarchia cap.* 16. nihil sacrum respicere hanc communionem existimat, sed tantùm humanam societatem, & subsidia victus ac vestitus clericis erogata, quibus hæc pœna peregrinitatis imponebatur: dictam autem peregrinam autumat, quia sic mulctati, non merebantur tractari ut cives Sanctorum & domestici Dei, sed tanquam advenæ & peregrini. At hæc ingeniosa nominis explicatio est, rem non attingens, de qua quæritur. Simili modo aberrant à scopo Scholastici & Canonistæ, qui, cum solam Eucharistiæ perceptionem audito communionis vocabulo mente concipiant, eam peregrinam dici scribunt, quæ olim peregrinis speciali aliquo ritu, separatim ab incolis loci præberi solebat. Alii dicunt eam esse, quæ ad finem usque vitæ reservatur, quia ex hoc sæculo migraturi, quasi in exteras regiones peregrinantur. Sed turpe est hujusmodi ineptiis recensendis tempus prodigere.

VI. Sirmondus *in historia publicæ pœnitentiæ cap. ult.* & Albaspinæus *lib.* 1. *Observat.* tunc peregrinâ communione mulctatos fuisse clericos crediderunt, quando in eo loco & statu collocabantur, quo poni solebant clerici peregrini, qui sine litteris commendatitiis, quas *Formatas* vocabant, extrà propriam diœcesim peregrinabantur. Excipi enim benignè consueverant, & sumptibus Ecclesiæ ali, nullo prætermisso humanitatis officio: nemo tamen clericorum cum illis tanquam cum clericis communicabat, nec ullis sui ordinis muneribus fungebantur. Sic statuisse legimus concilium Liptinense, c. 4. ut Episcopi, vel presbyteri ignoti undecunque venientes in ecclesiasticum ministerium non admitterentur ante probationem synodalem. Hoc autem advenis nulla erat pœna, sed sic ferebat usus Ecclesiæ, ut clerici vagantes sine Formatis ad suorum ordinum exercitia in aliena diœcesi non admitterentur: quæ cautio etiam hodie adhibetur, ut ignoti & extranei sacerdotes non permittantur celebrare, nisi litteras suæ ordinationis ostendant, tametsi in reliquis omnia illis officia Christianæ charitatis impendantur. Cùm verò Clerici alicui Ecclesiæ adscripti, functiones sui ordinis exercere prohibebantur, id sane pœna erat in hoc sita, quod licet peregrini non essent, certumque domicilium & gradum in propria civitate & Ecclesia obtinerent; sic tamen cum eis agebatur, ac si peregrini forent, de quorum statu & conditione non constaret. Cumque sui ordinis exercitio carerent, non tamen abstenti erant à perceptione Eucharistiæ, quæ nec peregrinis quidem & ignotis negabatur, cum se verè orthodoxos esse docuissent. Putat Albaspinæus desumptam hanc pœnam ex legibus Romanorum, quibus sancitum erat, ut deportati & extorres, jus civitatis & ea quæ erant juris civilis amitterent, illa tantùm retinentes, quæ

sunt juris gentium, ut docent Ulpianus *l.* 1. §. 2. *& 4. ff. de legatis* III. & Marcianus *ibid de pœnis lib.* 17 Agit de his eruditè, ut solet, doctissimus vir Nicolaus Antonius *lib.* 2. *de exilio c.* 5. *num.* 10. *& cap.* 7. *num.* 12. Testatur quoque Suetonius in Claudio *cap.* 16. redactos quandoque Romæ viros illustres ad peregrinitatem: *Splendidum virum*, inquit, *Græciæque provinciæ Principem, verùm latini sermonis ignarum, non modo albo Judicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit.* Hujus communionis, ut pœnæ, duo tantùm concilia mentionem faciunt: Agathense sub Symmacho, & Ilerdense sub Joanne I. Agathense can. 2. ait: „ Contumaces clerici ab Epis„ copis corrigantur, & si qui prioris gradus elati „ superbia communionem, *consortium scilicet cæterorum*, fortasse contempserint, aut Ecclesiam „ frequentare vel officium suum implere negle„ xerint, peregrina eis communio tribuatur, „ ita ut cum eos pœnitentia correxerit, rescripti „ in matricula gradum suum dignitatemque sus„ cipiant. *Idem can.* 5. Si quis clericorum fur„ tum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei commu„ nio tribuatur. *Ilerdense can.* 16. Si quis cleri„ cus quacumque occasione de omni facultate *Ecclesiæ*, „ quippiam probatus fuerit abstulis„ se, vel forsitan dolo aliquo suppressisse, reus „ sacrilegii prolixiori anathemate condemnetur, „ & vix quoque peregrina communio concedatur. Anathema autem hic sumitur in latiori significatione pro quacunque ecclesiastica pœna. Patet autem ex c. 2. Agathensis hâc pœnâ multatos à cæterorum societate subductos, ex matricula expunctos, gradu submotos, & in ordinem redactos fuisse, donec per pœnitentiam diluto peccato, matriculæ & corpori, à quo segregati fuerant, restituerentur. Sed quid propriè peregrinæ communionis nomine præcitata Concilia intellexerint, ex horum canonum contextu colligere non possumus. Probabilis quidem est Sirmondi & Albaspinæi conjectura, nec aliquid mihi occurrit, quo eam falsi arguere possim, optarem nihilominus, eamdem solidioribus magisque perspicuis ex antiquitate argumentis fulciri. Moveor autem ad dubitandum eò confidentius, quod legerim suprascriptam sententiam ipsi Albaspinæo postea displicuisse, seque plenius & uberius de ea scripturum in altera editione promisisse, quod tamen non fecit morte præventus. Quid igitur verè sit peregrina communio, libenter discam à peritioribus, mihi enim non liquet; licebitque fateri cum viro, nec indocto, nec ignaro antiquitatis Guillielmo Lindano *lib.* 4. *Panopliæ cap.* 58. eam mihi non satis perspectam esse.

VII. Postremum genus communionis illud erat, quod per eulogias fieri instituit vetus Ecclesia. Quid autem sint eulogiæ, & qua de causa institutæ, diximus suprà Lib. I. Cap. XXIII. §. 12. Erat enim panis, qui supererat consecrationi in particulas dissectus, & in fine Missæ à sacerdote iis distributus, qui ob aliquod impedimentum non poterant, aut non erant parati communicare. Id Græci & Latini scriptores testantur. Theodorus Balsamon *in can.* 2. *conc. Antioch.* Simeon Thessalonicensis *lib. de divino templo.* Nicol. Cabasilas *in expositione Liturgiæ*, Gemma animæ *lib.* 1. *cap.* 67. Durandus in rationali *lib.* 4. *cap.* 53. Illis verò dumtaxat eulogia præberi poterat, qui jus habebant ad communionem, cæteris negabatur, quibus vel nondum patebat aditus ad Eucharistiam, vel ob aliquod crimen intercluso erat: quales erant Catechumeni, Pœnitentes, & abstenti à communione. Hoc edicit Theophilus Alexandrinus can. 7. „ Quæ in sacrificii ratio„ nem offerunt, post ea quæ in sanctorum usum „ consumuntur, clerici dividant, & nec Cate„ chumenus ex iis bibat vel comedat, sed so„ lùm clerici, & qui cum eis sunt fideles fratres. Quia enim, ut explicat Balsamon, altari oblata sunt, & ex illis sumptæ sunt partes ad divina dona, qui sunt imperfectiores, ex iis edere non debent. Errant igitur, qui de Catechumenis aliter sentiunt, decepti loco quodam Augustini, quem malè interpretati sunt. Is lib. 2. de peccat. meritis & remiss. cap. 26. ait: „ Catechumenos „ secundùm quendam modum suum per signum „ Christi & orationem manus impositionis pu„ to sanctificari: & quod accipiunt, quamvis „ non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & „ sanctius quàm cibi quibus alimur, quoniam sa„ cramentum est. At Augustinus non hic de pane, ut illi perperam existimant, sed de sale loquutus est, quod Catechumenis dari solebat, ut Eruditis notum est. Negatas quoque Eulogias excommunicatis & graviorum criminum reis, exemplo suo docuit Gregorius Turonensis *lib.* 5. *hist. cap.* 15. agens de Meroveo Apostata, & *l.* 8. *c.* 20. de Ursicino Episcopo Cadurcensi. Eamdem ob causam cautum est in synodo Laodicena *can.* 32. & in secunda Bracarensi *can.* 70. ne Fideles orthodoxi ab hæreticis eulogias acciperent, quia cum illis communicare non debent. Solebant autem comedi in Ecclesia, de qua re extat decretum Synodi Constantinopolitanæ tempore Alexii

Alexii Comneni habitæ ad quintam Monachorum quæstionem: quem ritum etiam à Latinis servatum legimus. Græci tamen recentiores, cum peregrè proficiscuntur, Antidoron sive eulogiam secum deferre consueverunt, tanquam alexiterium in tempestatibus & periculis, ut scribit Goar in notis ad Euchologium *pag.* 155. Monachos item Cluniacenses eulogias in refectorio comedisse, antiquæ eorum consuetudines testantur apud Lucam Dacherium *to.* 4. *spicilegii lib.* 2. *cap.* 30. his verbis: *Privatis diebus hostiæ non consecratæ portantur in Refectorio, ut his qui eo die non communicaverunt, per manus sacerdotis distribuantur.* Et infra *lib.* 3. *cap.* 12. Officium sacristæ describentes, inter cætera ab eo agenda hoc recensent: *Portat pyxidem cum hostiis non consecratis in Refectorium, de quibus singuli prælibant, qui noluerunt, aut non potuerunt communicare.* Apud Christophorum Brouverum *Antiquit. Fuldensium lib.* 3. *cap.* 12. extat libellus supplex Monachorum, quo inter cætera petunt, ut communionem fracti panis ante cibum quotidie sumere non respuatur, secundum exempla præcedentium Patrum. Et in Aquisgranensi concilio c. 68. decernitur, ut eulogiæ fratribus à presbyteris in Refectorio dentur, his nimirum, qui non communicaverant. Hæc enim, ut diximus, potissima causa fuit institutionis eulogiarum, ut vices agerent Eucharistiæ, & communioni succederent, quæ olim frequentior erat. Nihilominus successu temporis his etiam datæ sunt, qui Eucharistiâ refecti fuerant. Codinus *lib. de officiis aulæ Constantinopol. cap.* 17. Imperatoris coronationem describens, „ Postquam, *inquit*, divinorum „ mysteriorum particeps effectus est, impositâ „ rursùs capiti coronâ, egreditur ex tabernacu„ lo, finitâque Liturgiâ & pane sanctificato, „ quod antidoron nominamus, populo distri„ buto, de quo postquam & ipse participavit, & „ benedictionem à Patriarcha, cæterisque præ„ sentibus Episcopis accepit, eorumque manus „ deosculatus est, ascendit ad locum Catechume„ norum. Idem asserit Cantacuzenus *lib.* 1. *hist. cap.* 41. Permansit hujus ritus vestigium aliquod in quibusdam provinciis, in quibus panis die festo benedicitur, & in frusta divisus astantibus post Missam, etiamsi communionem perceperint, distribuitur in signum fraternæ communionis & charitatis. Ab hac verò publica & solemni eulogiarum distributione aliæ privatæ exortæ sunt inter ecclesiasticos & religiosos, qui, ut suprà ostensum est Lib. I. Cap. XXIII. panes sibi invicem mittebant velut symbolum religiosæ fraternitatis. Atque hinc factum puto, ut nomen eulogiarum, ad cujuscunque generis munuscula translatum sit, loquendi formula ab Hebræis deducta, qui munus benedictionem appellant, ut 1. Reg. cap. 25. *Accipe benedictionem, quam attulit ancilla tua:* ubi in textu hebraico est *Beracah*, in græco *eulogia*, quæ voces idem significant. Sic Eulogias accipit S. Benedictus, cum *cap.* 54. *suæ regulæ* Monachis prohibet, ne absque licentia sui Abbatis sibi invicem eulogias mittant. Sic Marculfus *lib.* 2. *Formularum*, exhibens formulam, qua Episcopus alteri Episcopo in Resurrectione Domini eulogias mittit. Sic Magister in regula *cap.* 76. modum præscribens, quo debent suscipi eulogiæ missæ ad monasterium à summo Pontifice, sive à Sacerdotibus. Sic alii scriptores passim, quos prætermitto; nam de eulogiis hoc sensu acceptis, non est hic locus differendi. Multa congerit de his Gretserus lib. 2. de benedictionibus.

## CAPUT XX.

*Ablutio & gratiarum actio post communionem. Orationes pro his qui communicârunt. Oratio super populum. Dimissio astantium dicente Diacono*, Ite Missa est. *Cur hæc dimissio certis diebus omittatur. Consummatio Missæ & populi benedictio. Ejus origo & ritus diversi. Evangelium post Missam. Usus ipsius recentior. Recessus Sacerdotis ab altari. Hymnus trium puerorum. Sacrarum vestium depositio. Finis Libri.*

I. Dlutiùs in disquisitione communionis immorati sumus, ita exigentibus priscis Ecclesiæ institutis, jam ad finem divini sacrificii accedendum est. Postquam omnes communicaverunt, ait Micrologus *cap.* 23. dicit sacerdos: *Quod ore sumsimus Domine, purâ mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.* Hanc orationem secretò recitandam plerique codices M. SS. insinuant. Alterâ quæ nunc dicitur, cum digiti & calix abluuntur, videlicet: *Corpus tuum Domine quod sumpsi, &c.* carent veteres libri, nec eam reperi nisi in Missa edita ab Illyrico. Lotionis manuum post communionem mentio fit in ordine Romano, sed

non ablutionis, quæ nunc sumitur à sacerdote: tantummodo monet, ut Diaconus cautè procuret, ne quid in calice aut patena sanguinis vel Corporis Christi remaneat. Ritus Missæ à Joanne Episcopo Abrincacensi descriptus apud Menardum post communionem sacerdotis & aliorum, ait: „ Particulam quæ in calice remanet sacerdos sumat, & post Diacono calicem ad „ mundandum & sumendum quod remansit porrigat, qui in sinistrum cornu altaris calicem „ cum patena deferat, ubi partem sibi accipiat, „ & partem subdiacono tribuat. Post mundato „ utroque utrique participent. Acolythus verò „ alterum calicem sacerdoti ad mundandos digitos deferat. Sed quid fieret de ablutione non dicit: puto autem projectam in sacrarium, nam in antiquis Ecclesiis præsertim monachorum, singula altaria à parte Epistolæ, parvam habent piscinam in hunc usum paratam. In libro Usuum ordinis Cistercienfis *cap.* 53. hic modus ablutionis præscribitur. „ Si quid residuum fuerit de „ sanguine, bibat illud Diaconus cum calice, post„ quam fistulam reddiderit subdiacono. Quam „ fistulam antequam reddat, in quantum potue„ rit, ab utraque parte fugendo à sanguine Domi„ ni evacuet, subdiaconus verò tenens fistulam „ contra faciem suam in transverso, eat ad sacer„ dotem per retrò altare ministrare vinum in ca„ lice. Qui receepto calice respergat digitos suos „ in ipso, quem ponens super altare eat ad pisci„ nam abluere in ipsa digitos aqua. Quibus tersis „ redeat ad altare sumere vinum quod dimisit in „ calice. Quo sumpto iterum aspergat calicem „ vino. Quo hausto, ponat illum non reclinatum „ super altare juxta patenam. Eadem ferè leguntur in aliis Ritualibus monachorum post annum millesimum scriptis. Nihil autem antiquius occurrit, nisi quod semper summa diligentia ministri altaris curârunt, ne quæ reliquiæ sacramenti, ut superiùs diximus, peractâ synaxi remanerent, iis particulis exceptis, quæ pro communicandis infirmis conservabantur.

Diaconus verò ex præscripto Ordinis Romani, videns omnes communicasse, faciebat signum crucis in fronte, ut Prior scholæ cantorum ex eo intelligeret, quando deberet post antiphonam, quæ communio vocatur, gloriam S. Trinitati psallere & versum repetere. Olim enim post ipsam communionem psalmus, & Diacono innuente versiculus *Gloria Patri* cantari solebant, cum antiphonæ repetitione. Tum surgens Pontifex è sede sua, & veniens ad altare, dabat orationem ad complendum. Sic enim in libro Sacramentorum S. Gregorii nuncupatur oratio, quæ nunc dicitur Postcommunio, quia nimirum ea recitatâ pro gratiarum actione sacrificium completur. Optimè Augustinus differens de sacramentorum celebratione epist. 59. ad Paulinum, *Participato*, inquit, *tanto sacramento, gratiarum actio cuncta concludit.* Porrò istæ orationes pro communicantibus institutæ sunt, quando omnes vel plerique, qui aderant sacrificio, communicabant: nam & ipsum communionis vocabulum impropriè hîc usurparetur, nisi plures de eodem sacrificio participarent. Quamvis autem mos ille desierit, nihil tamen in orationibus immutatum est; sed ideò retentæ sunt, ut sciamus, quid olim factum sit, & ex ipso precationum tenore ad pristinum fervorem excitemur. Accedit & alia ratio, quam tangit Walfridus Strabo *cap.* 22. quia licet totius Missæ decursu pro his maximè & quasi nominatim oretur, qui ibi offerunt atque communicant; cæteri tamen offerentium atque communicantium persistentes, ejusdem oblationis & communionis participes fiunt, tanquam ejusdem actionis cooperatores. Hinc infert Radulfus Tungrensis *propos.* 23. ante has orationes communicare eos debere, qui earumdem orationum benedictione foveri desiderant: neque, ut fieri solet cum notabili sacrorum rituum transgressione, usque ad finem Missæ differenda communio. Est & alia oratio, quæ dicitur super populum, quam Amalarius *lib.* 3. *cap.* 37. ultimam benedictionem vocat, & potissimum in Quadragesima frequentatur, Diacono præcinente *Humiliate capita vestra Deo.* Cur verò hæc addi soleat, diebus præsertim solemniis jejunii, sic edisserit Micrologus cap. 51. „ Ora„ tionem super populum in Quadragesima ideò „ frequentamus, quia oratio post communio„ nem pro solis communicantibus solet orare. „ Populus autem etsi quotidie in Quadragesima „ conveniat, non tamen quotidie, ut deberet, „ communicat. Ne ergò populus ita oratione ut „ communione careret, adjecta est oratio super „ populum, in qua non de communicatione, sed „ pro populi protectione specialiter oratur. In „ Dominicis tamen diebus non dicitur, quia ge„ nuflexio vitatur, quæ huic orationi à populo „ antiquitùs persolvebatur. Vel potius ideò, quia „ omnes juxta attestationem S. Ambrosii in do„ minicis diebus communicare deberent; quibus „ & oratio post communionem pro benedictione „ sufficere posset. Aliam rationem affert Honorius

rius in Gemma animæ *cap.* 67. dicens: „Statu„tum est, ut panis post Missam benediceretur, & „populo pro benedictione communionis partire„tur: sed quia hoc in Quadragesima fieri non li„cuit *propter jejunium*, orationem super populum „dici Ecclesia instituit, ut per hanc particeps „communionis sit. De hoc enim fideles semper solliciti fuerunt, ut secum invicem unionem & communicationem servarent, vel Eucharistiæ participatione; vel Eulogiæ seu antidori, quod loco sacri doni dabatur, perceptione; vel saltem mutuo orationum consortio. In libro sacramentorum S. Gregorii, & in nonnullis Missalibus M. SS. sunt in plerisque Missis etiam extra Quadragesimam hujusmodi orationes super populum, quas ex veteri Anglicano Missali suæ Bibliothecæ Ecclesiasticæ *To.* 3. *p.* 2. inseruit Cornelius Schultingus. Exceptâ autem hac oratione super populum, tot sunt numero Collectæ ad complendum, quot initio dicta sunt: quibus recitatis salutat populum Sacerdos consueta formula *Dominus vobiscum*.

III. Tum Diaconus dimittit populum dicens, *Ite Missa est*: idem enim est Missa ac missio sive dimissio, ut initio Libri I. explicavimus. Græci quoque in fine Liturgiæ *Apolysin* canunt, id est dimissionem. Nam peractâ communione sacerdos dicit secretò orationem pro gratiarum actione; postea Diaconus hortatur populum ad gratias agendas, eumque dimittit his verbis: *In pace procedamus*. Respondet chorus, *In nomine Domini*. Deinde Sacerdos benedicit populum, & distributis Eulogiis facit apolysin, cujus varias formulas pro varietate festivitatum exhibet Euchologium *pag.* 922. Communis hæc est, *Gloria tibi Christe Deus noster, spes nostra, gloria tibi*. Apud Clementem *lib.* 8. *Constitut.* dimissio populi his verbis fit, *Ite in pace*. Ordo Romanus antiquissimus debere ait unum ex Diaconis, cui præceperit Archidiaconus, finitâ oratione ad complendum dicere ad populum, *Ite Missa est*. Etiam Ethnici sacrificiis peractis licentiam abeundi à sacerdotibus accipiebant, qui certâ formulâ licere cunctis discedere altâ voce indicabant. Apuleius *lib.* 11. *fabulæ Milesiæ* sacris peractis, unum inquit de sublimi suggestu solemni ritu clamasse, *Populis missio*: quæ vox abire omnibus fas esse significabat. Putabant siquidem viri sapientes indecens esse, ut, qui simul convenerant, nullâ habitâ licentiâ discederent. In funere Romanorum combusto cadavere, collectisque in urna cineribus, Præfica novissimum verbum altâ voce pronuntiabat, *Ilicet*, quod est, *Ire licet*: quo audito, qui funus comitati fuerant, domum redibant. Virgilius, *Lustravitque viros, dixitque novissima verba*, id est, *Ilicet*, ut Servius exponit. Brissonius *lib.* 2. *de formulis*, dimissum senatum scribit his verbis, *Nil vos moramur Patres Conscripti*. Concionis verò dimittendæ hæc erat formula, *Si vobis videtur, discedite Quirites*. Christianis autem sæpè præcipiunt canones, ne conventum deserant, nondum expletis Missarum solemniis, ut alibi notavimus; & ideò tempus quo abire liceret, Diaconi voce indicendum fuit. Chrysostomus homilia de Ecclesia non contemnenda, *Ingressus es in Ecclesiam ô homo: ne exeas nisi dimittatur*. Cur verò certis diebus omissâ dimissione per verba, *Ite Missa est*, dicat Diaconus, *Benedicamus Domino*, hanc rationem affert Micrologus capite 46. „Congruè in festivis diebus, *Ite Missa est* dici„tur, quia tunc generalis conventus celebrari so„let, qui per hujusmodi denunciationem li„centiam discedendi accipere solet. Ad quoti„diana autem Missarum solemnia non generali„ter ab omnibus, sed à Religiosis convenitur, „qui plus spiritualibus negotiis, quàm sæcula„ribus invigilant, qui & reliqua dum licet offi„cia frequentant: Ergo convenienter illis post „Missam, non ut statim discedant, sed ut Do„minum benedicant, denuntiatur. Huic asser„tioni & ecclesiastica consuetudo videtur adsti„pulari: quia cum *Ite missa est* dicimus, ad „populum vertimur, quem discedere jubemus: „cum autem *Benedicamus Domino* dicimus, non „ad populum, sed ad altare, id est ad Domi„num vertimur, nosque ipsos non disceden„dum, sed ad benedicendum Domino adhor„tamur. Sciendum tamen, quod *Ite Missa est*, „infra Adventum Domini & Septuagesimam „non recitetur; non quasi eo tempore nullus „fiat conventus, qui sit dimittendus, sed potiùs „pro tristitia temporis insinuanda. Hæc Micrologus non satis appositè, illi enim probandum erat, quod olim quotidianis Missarum solemniis populus non interesset. Crederem potius tunc omissam dimissionem, cum fideles Missâ peractâ non statim abibant, sed permanebant in Ecclesia, donec recitatis canonicis precibus, & statione solutâ abire fas erat: deinde extensum hunc morem ad Missas minus solemnes & quotidianas. Dimisso populo inclinatus sacerdos in medio altaris recitat orationem incipientem, *Placeat tibi S. Trinitas*, quam in omnibus

bus ferè Missalibus antiquis reperi, etiam in scriptis ante annum millesimum. Extat item in Missa Illyrici, & in aliis apud Menardum. In Liturgia Chrysostomi orat similiter sacerdos pro omnibus pro quibus obtulit sacrificium. In Missa Maronitarum sic orat Sacerdos priusquam discedat ab altari: „ Mane in pace altare san-„ ctum, ad te revertar in pace. Oblatio quam „ accepi à te, sit mihi in propitiationem de-„ bitorum & in remissionem peccatorum, ut „ adstem ante thronum Christi sine damna-„ tione & confusione. Nescio utrum rever-„ tar offerre super te aliam oblationem, vel „ non.

IV. Sequitur recentiori ritu benedictio, quam olim ante communionem Episcopus largiri solebat, ut suo loco ostendimus; illi enim potissimùm convenit populum benedicere, qui peculiari quadam ratione Christum summum sacerdotem & Episcopum animarum nostrarum repræsentat. Cum autem in usu erant Pontificales benedictiones, nulla in fine Missæ præscripta erat: & in Missali Vaticano M. S. *num.* 4743. in quo ritus Episcopalis benedictionis fusiùs explicatur, hoc peculiariter notatur, quod, quando hæc solemnis benedictio datur ante communionem, non est necesse in fine Missæ iterum benedicere. Atqui hinc ut puto factum est, quod tam in Ordine Romano, quàm in antiquis sacramentorum libris nulla fit mentio benedictionis in fine Missæ. Quod verò asserunt recentiores ex Amalario *lib.* 3. *cap.* 36. & ex Rabano Mauro *lib.* 1. *cap.* 33. datam olim hanc benedictionem antequam diaconus diceret, *Ite Missa est*; error est à nobis alibi indicatus & explosus, ex eo proveniens, quod lecto locis citatis nomine benedictionis, illud protinus mente conceperunt, quod nunc ea voce intelligitur, nescientes vel non advertentes olim Collectis sive orationibus tributum hoc nomen. Cum igitur Amalarius & alii ejusdem ævi dicunt consummato sacrificio populum à sacerdote benedici, de postrema oratione loquuntur, quæ Post-communio vocatur; idque ex verbis Rabani manifestum est. *Post communionem*, inquit, *& post ejusdem nominis canticum*, post antiphonam scilicet quæ communio nuncupatur, *data benedictione à Sacerdote ad plebem Diaconus prædicat Missæ officium esse peractum dans licentiam abeundi.* Clariùs Walfridus in fine cap. 22. *Statutum est Aurelianensi Concilio, ut populus ante benedictionem sacerdotis non egrediatur de Missa. Quæ benedictio intelligitur illa ultima sacerdotis oratio.* Illa scilicet quæ ad complendum dicitur, de qua paulò ante loquutus est. Et ad hanc proculdubio respexit decretum Aurelianense Capitulari Caroli Magni insertum lib. 1. cap. 71. *Ut fideles, quando veniunt ad Missarum solemnia, non exeant ante completionem benedictionis sacerdotalis.* Ritu veteri Cistercienses, qui paucis ab hinc annis mutatus est, nulla extat in fine Missæ benedictio, sed sacerdos dicta oratione *Placeat tibi S. Trinitas*, osculatur altare dicens, *Meritis & precibus istorum & omnium Sanctorum suorum misereatur nostri omnipotens Dominus. Amen.* Sicque signans se & inclinans recedit. Eodem ritu utuntur Carthusiani, cujus rationem ex Joanne de Indagine hanc affignat Joannes Bechoffen in expositione Missæ edita Basileæ anno 1519. quia, qui populum non habent, non obligantur ad hujusmodi benedictionem dandam: Carthusiani autem non habent populum. Auctor libri de Ecclesiasticis observationibus sub nomine Micrologi, qui vivebat propè annum 1090. multa congerit *cap.* 21. de benedictione post Missam tum ex canonibus à nobis alibi perpensis, tum ex Epistola ad Rusticum Narbonensem perperam S. Hieronymo attributa; sed his omissis hoc solum observo; usum benedictionis in fine Missæ jam eo tempore in aliquibus Ecclesiis introductum fuisse; sic enim capitulum concludit: „ Soli com-„ municantes confectioni sacramentorum anti-„ quitus intererant, quibus oratio post commu-„ nionem, quæ pro solis communicantibus in-„ stituta est, pro benedictione potuit satisfacere. „ Apud Modernos autem, cum jam populus „ communicaret, nec tamen à divinis mysteriis „ se subtraheret; necessariò permissum est, ut „ à Presbytero benediceretur, ne tam benedi-„ ctione quàm communione privatus discedere „ videretur. Sive autem ea occasione, sive alia, „ hoc Presbyteris permitteretur ab Episcopis, „ adeò tamen in usum jam usquequaque venit, „ ut nequaquam absque gravi scandalo à Pres-„ byteris in populo prætermitti possit, nisi for-„ tè Apostolica sedes generaliter & synodaliter „ prohibere voluerit. Mozarabes præter bene-dictionem, quæ datur ante communionem, aliam dant in fine Missæ his verbis, *In unitate Sancti Spiritus benedicat vos Pater & Filius.* Græci sæpè benedicunt, aliquando cum dicereo vel tricereo, cereo scilicet duplici vel triplici, aliquando sola manu signum crucis efformantes. In fine autem Liturgiæ sacerdos depo-

depositis sacris vestibus rursum benedicit populum dicens: „Custodiat Dominus Deus omnes „vos sua gratia & humanitate perpetuò, nunc & „semper & in sæcula sæculorum. Amen. Et populus respondet: „Benedicentem & sanctifi„cantem nos Domine conserva in multos annos. Et in pace cum Deo discedunt. In Ordine Romano alia quædam benedictio commemoratur, quam dat Pontifex postquam peractis omnibus ad Missam pertinentibus recessit ab altari. Eo enim descendente in Presbyterium Episcopi primum dicunt, *Jube Domine benedicere*, & ille respondet, *Benedicat nos Dominus*. Hæc autem benedictio nihil aliud est quàm salutatio Pontificis & licentia abeundi. Maronitarum benedictio in fine Missæ hæc est. „Benedictio Domini nostri „Jesu Christi veniat de cœlo & requiescat super „me & super vos, ac ignoscat debitis vestris, & „dimittat defectus vestros, & requiescere faciat „animas defunctorum vestrorum, & scribat no„mina vestra in libro regni cœlestis, ac nos & „vos eripiat Deus à damnatione & confusione „in die judicii justi & recti. Pater & Fili & Spi„ritus sancte, tibi gloria in sæcula sæculorum. „Amen. In veteri Testamento *Numer.* 6. Deus ipse formulam docuit, qua sacerdotes filiis Israël benedicerent. *Benedicat tibi Dominus & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi & misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Ex hac autem desumptam formulam Episcopalis benedictionis jam supra dictum est. *Benedictio*, ait Tertullianus lib. de testim. animæ cap. 2. *inter nos summum est disciplinæ & conversationis sacramentum. Benedicat te Deus, tàm facilè pronuntias, quàm Christiano necesse est.* De ritu verò suscipiendæ benedictionis, an & à quibus flexis genibus sive stando suscipi debeat, extat dissertatio Isaaci Haberti adversus Franciscum Menardum I. C. *ad partem XI. Liturgiæ Patriarchalis observ.* 6. in qua & in tribus antecedentibus diffusè agit de benedictione. In Missis pro defunctis omittitur benedictio, quia pertinet ad solemnitatem, qua carent officia defunctorum. In quodam tamen Missali M. S. hanc assignatam legi, *Deus qui est vita vivorum & resurrectio mortuorum, benedicat vos in sæcula sæculorum.* Carmelitæ post benedictionem ante medium altaris genuflexi dicunt antiphonam *Salve Regina*, cum versu & oratione: tempore autem Paschali dicunt stantes *Regina Cœli.*

V. Denique sacerdos postquam à Deo benedictionem populo precatus est, legit initium Evangelii secundùm Joannem, in quo fidei orthodoxæ quædam veluti anacephalæosis continetur. Præclarum de eo testimonium cujusdam Platonici refert Augustinus *lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 29. dicens: „Initium sancti Evangelii, cui „nomen est secundùm Joannem, quidam Plato„nicus sicut à sancto sene Simpliciano, qui po„stea Mediolanensi Ecclesiæ præsedit Episco„pus, solebamus audire, aureis literis conscri„bendum, & per omnes Ecclesias in locis emi„nentissimis proponendum esse dicebat. Hoc in novissima Missalis recognitione Pius V. legi præcepit, cum antea sine certa lege ex sola consuetudine à quibusdam dici, ab aliis omitti pro cujusque arbitrio soleret, ut Paris Crassus testatur in Ceremoniali summi Pontificis inedito *cap.* 65. Qua de causa in quibusdam Missalibus tam editis quam M. SS. tam Romanis quàm aliarum Ecclesiarum, nihil de eo decernitur, sed dicta oratione *Placeat tibi sancta Trinitas*, Osculetur, inquiunt, altare, & recedat dicens Canticum trium Puerorum. Ita Missale Romanum à Paulo III. recognitum & Lugduni editum an. 1550. Silent etiam de illo vetus M. S. Bibliothecæ Barberinæ *num.* 1858. & aliud recentiori manu descriptum, quod ostendit mihi vir natalibus & eruditione conspicuus Camillus de Maximis inter R. E. Cardinales à Clemente X. nuper adscriptus. Zacharias Andrianus Brixiensis in expositione Missæ quam edidit an. 1573. cum omnes ejus partes minutissimè explicet, nihil prorsus dicit de Evangelio in fine, sed data benedictione recitandum esse ait canticum *Benedicite.* Missale M. S. *nu.* 501. Bibliothecæ Palatinæ Vaticanæ, & aliud Vaticanum *n.* 3807. hoc ipsum Evangelium dici statuunt dum exuitur sacerdos, vel post vestium depositionem. Sarisburiense editum; Post orationem *Placeat*, signat se, inquit, & recedit, & in redeundo dicit Evangelium *In principio.* Ordo Missæ editus Romæ, anno 1502. à Joanne Burchardo Præfecto ceremoniarum summi Pontificis, & Missale pro regno Norvergiæ impressum Hafniæ an. 1519. Augstanum item an. 1510. & alia quædam typis excusa ante Pium V. ipsum legi constituunt priusquam sacerdos ab altari recedat. Testes sunt ejusdem consuetudinis Stephanus Brulefer Armoricus ordinis Minorum, qui vivebat anno 1480. in declaratione mysteriorum Missæ, & Joannes Bechoffen supra citatus. Suspicor autem hanc consuetudinem à Pio V. lege firmatam ex eo traxisse originem, quod olim Fideles hoc initium

Evangelii collo appensum tamquam amuletum gestare solebant, ut refert Maldonatus *initio comment. in Joannem num.* 15. cumque difficile foret, ut ipsum singuli sibi in membranis exarari facerent, aut exaratum sollicitè custodirent; cumque hoc in superstitionem aliquando degenerasset, saltem curarunt ut ipsum post Missarum solemnia audirent: Concilium Salegunstadiense anno 1022. can. 10. ne ulterius fieret hoc edicto sancivit: „Quidam etiam laicorum, & maximè „matronæ, habent in consuetudine, ut per singu„los dies audiant Evangelium, In principio erat Verbum, „& Missas peculiares, hoc est de san„cta Trinitate, aut de S. Michaële, & ideò san„citum est, ut hoc ulterius non fiat, nisi suo tem„pore, & nisi aliquis fidelium audire velit pro „reverentia S. Trinitatis, non pro aliqua divi„natione.

VI. Lecto demum Evangelio sacerdos ab altari recedens & sacris vestibus se exuens, hymnum recitat trium puerorum ex veteri consuetudine; cujus meminit Micrologus *cap.* 22. Missa Codicis Tiliani apud Menardum, *Expletis omnibus*, inquit, *Episcopus rediens ad sacrarium cum Diaconibus & cæteris cantet hymnum trium Puerorum.* Idem ferè ait Missa Illyrici. Quod verò Micrologus & post eum recentiores à Concilio IV. Toletano decretum fuisse asserunt, ut hoc canticum à sacerdote post Missam diceretur, id omnino falsum est, errorique causam præbuit, ritus Ecclesiastici, qui tunc in Hispania vigebat, ignorantia. In eo siquidem Concilio multa sancita sunt, quæ ad ritum Mozarabicum pertinebant: atque inter cætera decretum est, ne hymnus trium puerorum omitteretur. Hunc autem non quotidie dicunt Mozarabes, sed diebus tantùm Dominicis & in solemnitatibus Martyrum: nec in fine Missæ, sed in principio ante Epistolam, iisdem ferè verbis quibus canitur ritu Romano sabbatis quatuor temporum, ut ex eorum Missali evidens est: atque ideò Concilii decretum nullo modo spectat ad canticum, quod post Missam à nobis recitatur. Clarissimè hoc patet ex ipsius decreti tenore can. 13. qui in nova editione est 14. *Hymnum trium puerorum, in quo universa cœli terræque creatura Dominum collaudat, & quem Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa celebrat, quidam sacerdotes in Missa Dominicorum dierum, & in solemnitatibus Martyrum canere negligunt: proinde hoc sacrum Concilium instituit, ut per omnes Ecclesias Hispaniæ vel Galliæ in omnium Missarum solemnitate idem in pulpito decantetur, communionem amissuri qui & antiquam hujus hymni consuetudinem, nostramque definitionem excesserint.* Quædam Ecclesiæ pro cantico *Benedicite* recitant hymnum *Te Deum laudamus.*

Et hic finis est divini ac tremendi sacrificii, hæc meta susceptı operis, cui multo tempore insudavi, dubio sanè, ac minus felici eventu. Sæpe enim volenti & conanti vel ingenii vires, vel rerum antiquarum notitia, vel alia subsidia defuerunt: nec fieri potuit, quin per loca salebrosa in tenebris ambulans interdum offenderim. Sed & aliquando, quod ultrò confiteor, labore & ægritudine fessò ac defatigato somnus obrepsit. Viam nihilominus stravi, & facem prætuli peritioribus, atque minus occupatis ut penetralibus augustissimi mysterii intimiùs se inferant, abdita veteris Ecclesiæ monumenta diligentiùs perquirant & subtilius excutiant: cumque aliquid incautiùs & negligentiùs à me scriptum offenderint, ignoscant primùm, meosque conatus ac vigilias non despiciant; deinde amica manu corrigant & emendent, & quæ omisi suppleant. Si quid verò boni repererint, Deo adscribant, non mihi; ipsique mecum gratias agant bonorum omnium largitori, cui est laus, honor, & gloria per infinita sæcula Amen.

FINIS LIBRI SECUNDI.

APPEN-

# APPENDIX.

*UT fidem liberem, quam supra dedi Lib. I. Cap. XII. addo hic veluti Appendicem, Missam ante annos centum & ampliùs editam Argentinæ à Matthia Flacco Illyrico, de cujus antiquitate, usu, & auctoritate quid sentiendum sit, non sine diligenti examine ibidem exposui. In editione Illyrici sic inscribitur.* Missa Latina, quæ olim ante Romanam circa 700. Domini annum in usu fuit, bona fide ex vetusto authenticoque Codice descripta. *Sed titulus mentitur; est enim ipsamet Missa Romana variis orationibus interpolata.*

## MISSA LATINA.

INcipit Ordo Sacramentorum. *In primis, quomodo sacerdos Apologetica celebrare debeat, antequam ad Missarum celebrationem accedat. Mox antequam sacerdotalibus induatur vestibus, si locus acciderit, vel tempus permiserit, flexis genibus coram Altare cantet VII. Psalmos pœnitent. cum litania, qua finita dicat* Pater noster. Credo in Deum Patrem omnipotentem. *Post has preces.*

Exurge Domine adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum.

Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Dominus Salvator meus, & te sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum Domine: & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt.

Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.

Secundùm misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo; multum est enim.

Non derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me.

Complaceat tibi Domine, ut eruas me: Domine ad adjuvandum me respice.

Fac mecum Domine signum in bono, ut videant, qui me oderunt, & confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me.

Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmaverunt me, da mihi intellectum ut discam mandata tua.

Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

Egredere Domine in salutem populi tui: in salutem cum Christo tuo.

Converte nos Deus salutaris noster: & averte iram tuam à nobis.

Dignare Domine die isto, sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum speravimus in te.

Peccavimus cum patribus nostris, injustè egimus, iniquitatem fecimus Domine.

Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Domine non secundùm peccata nostra facias nobis: neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.

Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Libera nos Deus in mirabilibus tuis: & da gloriam nomini tuo.

Extende Domine brachium tuum: & libera animas nostras, ne pereamus.

Memento nostri Domine in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo.

Memor esto Domine congregationis tuæ: quam possedisti ab initio.

Custodi nos Domine, ut pupillum oculi: sub umbrâ alarum tuarum protege nos.

Protege nos Domine à facie impiorum; qui nos afflixerunt.

Esto nobis Domine in Deum protectorem, & in domum refugii, ut salvos nos facias.

Esto nobis Domine turris fortitudinis, à facie inimici.

Da nobis Domine auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.

In Domino faciemus virtutem: & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.

Deus tu conversus vivificabis nos, & plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.

Sacerdotes tui induantur justitiam: & sancti tui exultent.

Domine Deus virtutum converte nos: & ostende faciem tuam; & salvi erimus.

Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

*His autem precibus finitis, dicat sacerdos has Orationes.*

Dominus vobiscum, &c.

*Oremus.*

OMnipotens & mitissime Deus, respice propitius preces meas, & libera cor meum de malarum tentatione cogitationum, ut sancti Spiritus dignum fieri habitaculum merear.

Deus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, & quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat.

Exaudi quæsumus Domine supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, & pacem.

Omnipotens sempiterne Deus, misericordiam tuam nobis ostende supplicibus, ut qui de meritorum qualitate diffidimus, non judicium, sed indulgentiam sentiamus.

Omnipotens Deus, misericordiam tuam nobis placatus impende, ut qui te contemnendo culpam incurrimus, confitendo veniam consequamur.

*Postea surgens ad induendum se vestimentis sacerdotalibus, primò dicat.*

INtervenientibus pro nobis omnibus Sanctis, & electis tuis, actiones nostras quæsumus Domine, & aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut omnis oratio, & cuncta nostra operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

*Tunc lavet manus hunc versum dicendo.*

LAvabo inter innocentes, &c.

*Oremus.*

LArgire sensibus nostris omnipotens Deus, ut sicut hic exteriùs abluuntur inquinamenta manuum, sic à te mundentur interiùs pollutiones mentium, & crescat in nobis augmentum sanctarum virtutum.

*Cum se exuerit quotidianis vestibus, dicat.*

COnscinde Domine saccum meum, & circumda me lætitia salutari.

*Hos psalmos interim dum paratur Episcopus, circumstantes Clerici cantent.*

QUam dilecta tabernacula, &c. Benedixisti Domine terram, &c. Inclina Domine aurem tuam, &c. Fundamenta ejus in montibus, &c. Domine Deus salutis meæ. Credidi propter quod locutus sum. Memento Domine.

*Induendum ad Ephot, vel Amictum.*

HUmeros meos sancti Spiritus gratia tege Domine, renesque meos vitiis omnibus expulsis præcinge ad sacrificandum tibi viventi, & regnanti in sæcula sæculorum.

*Ad Albam.*

CIrcumda me Domine fidei armis, ut ab iniquitatum sagittis erutus, valeam æquitatem & justitiam custodire.

*Oratio ad Albam.*

OMnipotens sempiterne Deus, te supplicíter exoro, ut fraude omnium fuscatorum exutus, alba veste indutus te sequi merear ad regna, ubi vera sunt gaudia.

*Ad Cingulum.*

CIrcumcinge lumbos meos Domine zona justitiæ, & circumcide vitia cordis, & corporis mei.

Ad

*Ad Præcinctorium.*

PRæcinge me Domine virtute, & pone immaculatam viam meam.

*Ad Stolam.*

STola justitiæ circumda Domine cervicem meam, & ab omni corruptione peccati purifica mentem meam.

*Oratio ad Stolam.*

DIrumpe Domine vincula peccatorum meorum, ut jugo tuæ servitutis innixus, valeam tibi cum timore & reverentia famulari.

*Ad Subtile.*

INdue me Domine vestimento salutis, & circumda me lorica fortitudinis.

*Ad Dalmaticam.*

INdumento hoc typico priscorum patrum ritu in modum crucis tramitibus purpureis contexto vestitus, humiliter postulo, ut ex commemoratione passionis tuæ, fiam tibi Domine Jesu Christe jugiter gratiosus, qui vivis, &c.

*Ad Casulam.*

INdue me Domine sacerdotali justitia, ut induci merear in tabernacula sempiterna.

*Oratio ad Casulam.*

INdue me Domine ornamento humilitatis, & charitatis, & concede mihi protectionem contra hostem insidiatorem, ut valeam puro corde, & casto corpore laudare nomen tuum sanctum in sæcula sæculorum. Amen.

*Cum Mappulam acceperit.*

INvestione istius mappulæ subnixè deprecor Domine, ut sic operer in temporali conversatione, quatenus exemplo priorum patrum in futuro merear perenniter gaudere per omnia, &c.

*Cum Mappulam induerit.*

DA Domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam immundam, ut sine pollutione mentis, & corporis valeam tibi servire. Amen.

*Ad induendas manus.*

CReator totius creaturæ, dignare me indignum famulum tuum indumentis justitiæ, & lætitiæ induere, ut puris mentibus ante conspectum tuum assistere merear mundus.

*Ad Annulum.*

CIrcumda Domine digitos meos virtute, & decora sacrificatione.

*Ad Rationale.*

DA nobis Domine veritatem tuam firmiter retinere, & doctrinam veritatis plebi tuæ dignè aperire.

*Postquam infulatus fuerit, dicat hanc Orationem.*

ROgo te altissime Sabaoth, pater sancte, ut me tunica castitatis digneris accingere, & meos lumbos baltheo tui amoris ambire, ac renes cordis, ac corporis mei charitatis igne perurere, quatenus pro peccatis meis possim dignè intercedere, & astantis populi peccatorum veniam promereri, ac pacificas singulorum hostias immolare; me quoque audacter Domine ad te accedentem non sinas perire, sed dignare me mundare, lavare, ornare, & leniter, ac benignè suscipere, Pater sanctissime, qui cum Filio, & Spiritu sancto vivis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

*Inde confessio singularis.*

DOmine Deus omnipotens, qui es trinus & unus, & ubique præsens, tibi confiteor omnia peccata mea, quæ si non confiterer, te tamen latere non possunt, quia peccavi nimis in cogitationibus, in locutionibus, diversisque operibus malis, & multis, & quia ego miser, & miserabilis, Domine, propter duritiam & nequitiam

cordis mei, nisi tu adjuves me, in ipsa peccatorum meorum morte perduro, propterea propter te miserere mei, qui vivis & regnas.

*His omnibus ritè peractis dicat Episcopus preces has.*

EXurge Domine adjuva nos: Et redime nos propter nomen tuum.

Fiat misericordia tua Domine super nos: Quemadmodum speravimus in te.

Deus tu conversus vivificabis nos: Et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: Et salutare tuum da nobis.

Ne intres in judicium cum servis tuis Domine: Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: Citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

Propitius esto peccatis nostris Domine: Propter nomen tuum Domine.

Domine exaudi orationem meam: Et clamor meus ad te veniat.

*Sequuntur Orationes.*

*Oremus.*

FAc me quæso omnipotens Deus ita justitia indui, ut in sanctorum tuorum mereat exultatione lætari; quatenus emundatus ab omnibus sordibus peccatorum consortium adipiscar tibi placentium Sacerdotum; meque tua misericordia à vitiis omnibus exuat, quem reatus propriæ conscientiæ gravat. Qui, &c.

*Alia.*

AUres tuæ pietatis mitissime Deus, inclina precibus meis, & gratia sancti Spiritus illumina cor meum, ut tuis mysteriis dignè ministrare, atque æterna charitate diligere te merear. Per, &c.

*Ad Incensum imponendum.*

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sit benedictum hoc incensum in odorem suavitatis Domino, & in remissionem omnium peccatorum nostrorum. Amen.

*Ad osculandum Evangelium.*

PAx Christi in visceribus nostris permaneat.

*Cum egreditur Episcopus de Sacrario, dicat.*

DEduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

*Ecclesiam intrans dicat.*

INtroibo in domum tuam Domine, & adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine deduc me in justitia tua propter inimicos meos; dirige in conspectu tuo viam meam.

Averte Domine oculos meos, ne videant vanitatem, in via tua vivifica me. Deus propitius esto mihi peccatori.

*Interim cum Processione egrediens ad gradus hunc psalmum pro se cum eum deducentibus cantet.*

DOminus regit me, & nihil mihi deerit, &c.

*Cum Versu.*

VIrga tua, & baculus tuus, &c. *Quo finito subjungat orationem hanc.*

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

DOminus Deus omnipotens, qui es magnus, & mirabilis Dominus, qui nobis donasti introitum in Sancta Sanctorum, incarnationem Unigeniti Filii tui Domini nostri, obsecrantes postulamus benignitatem tuam quia in timore sumus, & tremore, volentes assistere ante sanctum, & glorioſum Altare tuum, ut emittas super nos donum gratiæ Spiritus sancti, & innoves animas nostras, & corpora, ut mundo corde offeramus tibi sacrificium, donum fructiferum in remissionem peccatorum nostrorum, & populi tui per gloriam; & humanitatem Jesu Christi filii tui, qui tecum, &c.

Co-

*Coram Altare autem stans cum Processione proferens confessionem det indulgentiam Ministris hanc.*

INdulgentiam, & remissionem ipse occultorum omnium cognitor per Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum, una cum Spiritu sancto, contritionem spiritus, gemitum cordis, & confessionem oris vestri blandè, & venerabiliter susscipere dignetur, quique mulieri peccatrici omnia peccata dimiserat lachrymanti, & latroni ad unam confessionem claustra aperuit Paradisi, ipse vos redemptionis suæ participes ab omni vinculo peccatorum absolvat, & membra aliquatenus debilitata suæ medicina misericordiæ sanata, corpori sanctæ Ecclesiæ redeunte gratia restituat, atque in perpetuum solidata custodiat. Qui vivit & regnat.

*Data indulgentia adnectat has Orationes.*

*Oremus.*

OMnipotens sempiterne Deus, te humiliter deprecamur, ut non nos permittas perire, quia tua creatura sumus, sed concede nobis spacium vitæ vivendi, ut ante diem exitus nostri per veram pœnitentiam, fidemque rectam, & puram confessionem tibi omnipotenti Domino in hac præsenti vita placere mereamur. Per, &c.

*Alia.*

PRæsta quæsumus omnipotens, & misericors Deus, ut reatus nostri confessio indulgentiam valeat percipere delictorum. Per, &c.

*Alia.*

FAmulorum tuorum quæsumus Domine delictis ignosce, & qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis filii tui Domini Dei nostri, & istorum, atque omnium Sanctorum tuorum intercessione salvemur. Per eumdem, &c.

*Deinde in eodem loco presbyteris illum ducentibus, & diaconus præbeat osculum pacis, ipsique post acceptam pacem ab Episcopo, singuli ascendant ad cornu altaris, osculantes illud. Et redeant presbyteri ad ducendum Episcopum ad altare, & in ascendendo dicat orationem hanc.*

DOminus Vobiscum.
Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

AUfer à nobis quæsumus Domine iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire.

*Et dum pervenerit ad Altare imponat per se Antiphonam.*

INtroibo ad altare Dei, ad Dominum, qui lætificat juventutem meam.

*Cum psalmo.* Judica me Deus, & discerne causam meam de gente.

*Quo finito has adnectat preces.*

DElictum meum cognitum tibi feci, & injustitias meas non abscondi: iniquitates meas ego cognosco, & delicta mea contra me sunt semper. Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speravi.

Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam, & in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam, quoniam ego servus tuus sum.

Egredere Domine in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.

*Tunc salutat Evang. dicens.*

PAx Christi, quam nobis per Evangelium suum tradidit, confirmet, & conservet corda, & corpora nostra in vitam æternam. Amen.

*Deinde osculetur Altare dicens hanc orationem.*

OMnipotens sempiterne Deus, qui me peccatorem sacris Altaribus adstare voluisti, & sancti

sancti nominis tui laudare potentiam, concede quæso per hujus Sacramenti mysterium, meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ majestati dignè ministrare, atque æterna charitate diligere te merear. Per, &c.

*Post hæc secretò dicat hanc Confessionem.*

SUscipe confessionem meam unica spes salutis meæ Domine Deus meus Jesu Christe, quia gula, ebrietate, fornicatione, libidine, tristitia, acidia, somnolentia, negligentia, ira, cupiditate, invidia, malitia, odio, detractione, perjurio, falsitate, mendacio, vana gloria, levitate, & superbia perditus sum, & omnino cogitatione, locutione, actione, atque omnibus malis extinctus sum: qui justificas impios, & vivificas mortuos, justifica me, & resuscita me Domine Deus meus. Qui vivis, &c.

*Alia.*

COnfiteor tibi peccata mea æterne Pontifex, & Sanctorum minister, & veri tabernaculi sacerdos, qui semel in anno in mysteria sancta intrasti, & sanctum immaculatum agnum proprii corporis tui ad hostiam dedisti pro peccatis meis. Tibi confiteor, quia debitor sum tibi non solum decem millia talenta delictorum meorum, sed totius vitæ meæ reddere rationem debeo, quia in omni vita mea nullum mandatum tuum perfectè à me custoditum scio, in quo ego sermone, visu, auditu, gustu, gressu, opere, cogitatione, aut suasione, vel consensu me deliquisse profiteor. Sed nunc Domine prævenio faciem tuam in confessione, & in conspectu Angelorum, & omnium Sanctorum confiteor tibi peccata mea, veniam postulo pro delictis meis, teque obsecro, ut in hoc tempore accepto exaudias me, & in his diebus salutis adjuves me, ut in præsenti perfectè valeam recognoscere peccata mea, & æterno Judici confiteri, & per id veniam mereri omnium delictorum meorum, quatenus ad tremendum judicium tuum securum me ab omnibus accusationibus inimici facias pervenire. Per eumdem, &c.

*Alia.*

EGo miser peccator, qui me pro omnibus Christianis sceleratissimum puto, & scio, confiteor Domino, & omnibus Sanctis ejus, omnibus sceleribus, & flagitiis infinitis ab ineunte ætate usque in præsentem diem me semper occupatum fuisse, sine aliquo Divini timoris intuitu, maximè autem in fornicationibus nimiis, & variis, sedula ebrietate hoc perpetrante, negligentiis omnigenis, perjuriis, mendaciis, invidia, superbia, malitia, gula, avaritia, rapina, furto, in vana gloria, in arrogantia, in inobedientia, in contumacia, in duritia mentis, in contradictione, in murmuratione, in indignatione, in detractione, in ira, in odio, in maledictione, in susurratione, in tristitia, in lætitia vana, in loquendo, in reticendo, in increpando immoderatè, in remittendo incautè, in dilectione vana, in risu, in joco, in scurrilitate, in discordia, in seminando discordiam, in ficta amicitia, in dando, & accipiendo, & in omnibus sensibus corporis me corruptum esse confiteor, & in omnibus pestibus, quæ ad mortem meam pertinent, me gravatum, & repletum esse profiteor; in tantùm, ut nec homicidii me securum confidam, quia plurimos per meam negligentiam fame mortificatos esse puto, quos aliquatenus vivificare potuissem, si de his, quæ superflua erant, propensiorem eis curam impendissem. Hæc omnia cum semper fecissem, nunquam ea pura confessione purgavi, vel debita pœnitentia minui, sed semper gravibus graviora adjeci. Pro his omnibus, & aliis innumerabilibus, quæ non solùm non numerare, sed nec ad memoriam reducere potero, veniam à misericordissimo Domino petò, quia nescio ubi fugiam ab ira ejus nisi ad illum.

*Post confessionem singularem sequuntur orationes.*

TUam Domine clementiam deprecor, ut mihi veniam peccatorum meorum concedas, & me in mandatorum tuorum custodias observatione, nec non etiam me indignum exaudire digneris pro omnibus, quorum confessiones, vel eleemosynas suscepi, vel qui se confidentia charitatis mihi commendaverunt, ut sive vivunt, sive in tuæ pacis spe requiescunt, tuæ propitiationis perpetualiter sentiant adjumentum.

Salve me Domine Rex æternæ gloriæ, qui potes salvare, da mihi & velle & operari, & perficere quæ tibi placent, & mihi expediunt, da in perturbatione auxilium, in persecutione solatium, & in omni tentatione virtutem, tribue de præteritis veniam, de præsentibus malis emendationem, de futurisque digneris largiri custodiam. Amen.

*Alia.*

*Alia.*

OBsecro Domine Jesu cunctas Civitatis meæ portas justitiæ facias, ut ingressus in eas confitear nomini tuo, tuæque majestati cum ministris cælestibus eam crebriùs invisenti non fœtor elati cadaveris occurrat; sed occupet salus muros illius, & portas ejus laudatio.

*Alia.*

DEus Omnipotens miserere supplici tuo, quia non sum sicut innumeri servi, contemptu sæculi sublimes, justitiæ merito glorioſi, castitatis laude angelici, velut etiam multi illorum, qui post flagitia publica, pœnitendo tibi meruerunt esse devoti, qui etiamsi quid boni, tua gratia largiente fecero, quo fine hoc faciam, quave à te districtione pensetur, ignoro.

*Alia.*

INdignum me Domine fateor tuis sacris, qui innumeris quotidie fuscor peccatis, nam qui te blandis verbis rogare præsumo, improbis sæpissimè factis offendo, tu enim mihi medicinam ingeris ægro, ego sanitati meæ indesinenter contraria ago; legem tuam sacris inditam paginis lego, sanam verò disciplinam infelix negligo, ad tuum quidem altare, quasi devotus accedo, sed à præceptis tuis contumaci corde recedo, quasi dignum me in oculis hominum ostendo, sed in tuo conspectu, quem occulta non fallunt, diversis sceleribus pollutus sordeo. Sed tuum est Domine Deus dare peccatori cor compunctum, fontemque lacrymarum, quo dignè valeam abluere multitudinem scelerum. Meum est, si donaveris delicta deflere; tuum est, ea, ut nubem, citò delere, & licèt palmam amiserim innocentiæ Inimico suadente, saltem per confessionem veniam merear, te miserante, ut tibi sit gloria, laus, & honor, cuncta regenti in sæcula sæculorum, &c.

*Alia.*

DEus propitius esto mihi peccatori, quia tu es immortalis, & sine peccato solus. Domine Deus meus indulge mihi indigno famulo tuo & peccatori, quia peccator sum, & indignus, qui præsumo ad sanctum Altare accedere, & invocare te, quia peccavi coram te, & coram Angelis tuis: sed per illorum intercessionem tribue mihi indulgentiam delictorum meorum, & confirma me in sancta Ecclesia tua in fide Orthodoxorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ.

*Alia.*

DOmine Jesu Christe Redemptor Mundi; propitius esto mihi peccatori omnibus modis in peccatis jacenti, quia tu solus Domine immortalis es, & sine peccato; indulge mihi miserrimo præsumenti accedere ad sanctum altare tuum & invocare te; quia peccavi ab infantia mea usque nunc coram te, & coram Angelis, & omnibus Sanctis tuis, sed per illorum intercessionem tribue mihi divinam clementiam, veniamque peccatorum meorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ, Amen.

*Alia.*

DEus misericordiæ & veritatis, clementiam tuam suppliciter deprecor, ut mihi misero innumerabilium veniam concedas peccatorum, quibus iram tuæ potentiæ provocavi, quatenus te miserante in hac vita secundùm tuam voluntatem purgatus ad æternæ beatitudinis participationem pertingam, cunctis etiam in corpore, sive extra corpus viventibus, qui mihi spiritali, vel carnali conjunctione cohærent; & qui se mihi vel confitendo, vel rogando commendaverunt, nec non & quorum pecunias, vel eleemosynas suscepi, vel qui per meam negligentiam, seu malitiam corrupti sunt, manum misericordiæ tuæ porrigas, & per ineffabilem largitatem tuam adoptatam eis indulgentiam peccatorum concedas & ad requiem beatorum spirituum perducere digneris. Per, &c.

*Alia.*

CLementissime Christe fidelium animarum Redemptor, propitius quæso adesto meis indignis precibus exauditor, qui ad immolandam sacræ tuæ passionis hostiam tremens assisto, dum multifaria, & noxia me accusantia crimina recognosco, debita altaribus tuis indignus sacrificia tuo conspectui offerre præsumo, qui ante tuæ Majestatis præsentiam jaceo, corpore, mente, cordeque pollutus, sed habeas inter hæc tuum antidotum, Christe, quo sanare bone Medice animarum vulnera nosti. Conscriptum quæso contra me, Arbiter alme, dele peccati

chirographum, ne ultor à me suum ultra valeat exigere nummum. Ob hoc tuam Domine clementiam indigno ore, menteque depoſco, ut ſereno familiam tuam, ſacri tui nominis officia præſtolantem digneris aſpicere vultu, ne per me indignum eorum ſalutis pereat pretium, pro quibus dignatus es tuum ſanctum fundendo ſanguinem eſſe redemptio, ſed tua nos ſemper, & ubique protectione conſerva, ut quos pretioſo ſanguine redemiſti in terris, æternâ facias cum ſanctis tuis gloria numerari in cœlis, qui cum æterno Patre vivis, & regnas Deus in unitate Spiritus ſancti in ſæcula ſæculorum. Amen.

*Has orationes interim dicat, donec cantentur Verſus ad introitum, Kyrie eleiſon, & deinde carmen Angelorum.*

GLoria in excelſis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, Hymnum dicimus tibi, Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Domine Deus Rex cœleſtis, Deus pater omnipotens. Domine fili unigenite, Jeſu Chriſte altiſſime, Domine Deus, Agnus Dei, filius Patris, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis: Qui tollis peccata mundi, ſuſcipe deprecationem noſtram. Qui ſedes ad dexteram Patris, miſerere nobis, quoniam tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus Altiſſimus Jeſu Chriſte, cum ſancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

*Hæc ſequens Oratio dicatur ab Epiſcopo interim, donec hymnus Angelicus finiatur.*

*Oremus.*

DEus, qui juſtè iraſceris, & clementer ignoſcis, qui etiam non mortem peccatorum, ſed vitam deſideras, me miſerum, fragilemque peccatorem delictorum ſordibus plenum, à tua pietate non repellas, neque reſpicias ad peccata mea, quæ malè vivendo commiſi, ſed ad immenſas miſericordias tuas, quibus gratuito munere peccantibus ſubvenire conſueviſti. Obſecro itaque Domine, ut immemor ſis peccatorum meorum, & memor miſericordiarum tuarum, vota, preceſque meas dignanter ſuſcipias, & diſſimulatis fragilitatis meæ peccatis, labia mea aperias, & ad confeſſionem me tuæ laudis placatus admittas, qui per incarnationem, & humanitatem D. N. I. Chriſti filii tui dediſti pacem hominibus, & cæleſtium collegium Angelorum, da me & de tuæ pacis ubertate repleri, & de Angelicæ ſocietatis unitate lætari; ſicque me facias his temporalibus officiis intereſſe, ut ad tuas miſericordias in æternum cum illis decantandas perpetuis electorum tuorum choris aggregari præcipias. Per &c.

*Finita Angelica laude miſſalem orationem dicat Sacerdos. Deinde lectio recitetur, & inter lectionem, & Evangelium, id eſt tempore Gradualis, & Alleluja, ac Sequentiæ, Epiſcopus dicat has orationes.*

ANte oculos tuos Domine Deus, conſcientiæ teſtis aſſiſto, rogare non audeo, quod impetrare non mereor. Tu ſcis Domine, quæ aguntur in nobis, erubeſcimus fateri, quod non timemus admittere: verbis tibi tantùm obſequimur, corde mentimur, & quod velle nos dicimus, nolle noſtris actibus approbamus. Sed parce Domine, confitentibus, ignoſce precantibus, miſerere te rogantibus. Et quia meus ſenſus in Sacramentis tuis infirmus eſt, & apud te non habent peccatores verba ſine crimine, præſta Domine, ut, ſi ex nobis indignis duri cordis verba non ſuſcipis, per temetipſum veniam largiaris. Qui vivis, &c.

*Alia.*

CHriſte parce, miſerere mei, non ſecundùm merita mea, ſed ſecundùm miſericordiam tuam. Noli me deſpicere peccatorem. Noli me reprobare, ſed ſuſcipe me ſecundùm eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea. Miſerere mei Domine, quia peccavi tibi, da mihi fontem lachrymarum, fons vitæ, & lux luminis, concede mihi in præſenti vita veram pœnitentiam de peccatis meis, & in bono perſeverentiam. Domine exaudi orationem meam; Qui vivis, &c.

*Alia.*

QUæſumus immenſam pietatem tuam Deus, ne nos pro noſtra iniquitate condemnes, ſed pro tua pietate in via recta diſponas, nec ſicut meremur delinquentibus iraſcaris, ſed fragilitati noſtræ invicta bonitate ſubvenias, omnibuſque

busque errantibus indulge juxta magnitudinem pietatis tuæ.

*Alia.*

MOrdacis conscientiæ stimulis, & delictorum nostrorum recordatione commoniti, Dominum indulgentiæ deprecamur, ut quidquid dicto, facto, cogitatione deliquimus, sive lubricæ ætatis impulsu, sive errore ignorantiæ commisimus, pietas Domini nostri solvere, ac perdonare dignetur, ut te, Domine, annuente, valeamus quæ mala sunt declinare, & quæ bona sunt consequenter explere, & quia nos fecisti ad tua Sacramenta pertinere, tu clementer in nobis eorum munus operare, omnibusque errantibus indulge, juxta magnitudinem pietatis tuæ.

*Alia.*

SI ante oculos tuos Domine, culpas quas fecimus, & plagas, quas vel durissimas in hac vita pati possumus, conferamus, minus est, quod patimur, majus est, quod meremur; peccati pœnam sentimus & peccandi pertinaciam non evitamus; in flagellis tuis fragilitas nostra frangitur, & iniquitas non mutatur; mens ægrota torquetur, & cervix dura non flectitur, vita in dolore suspirat, & tamen in opere non se emendat. Si expectamur, non corrigimur; si vindicas non duramus; confitemur in correptione quod fecimus; obliviscimur in visitatione quod flevimus; si impresseris manum, facienda promittimus; si suspenderis gladium, promissa non facimus; si ferias clamamus ut parcas; si parcis, iterum te provocamus ut ferias; si angustiæ veniunt, tempus petimus pœnitentiæ; si misericordia subveniat, abutimur patientia quæ pepercit: adhuc plaga illata vix præterit, etiam non recolit mens ingrata quod pertulit: si citius nos exaudias, ex misericordia insolescimus; si tardiùs, ex impatientia murmuramus. O Domine, volumus te servare quod feceris, non timemus negligere quod jusseris: habes Domine confitentes reos, parce quia pius es. Novimus, quod nisi dimittas, rectè nos punias; sed apud te est multa miseratio, & propitiatio perabundans; præsta sine merito quod rogamus, qui fecisti qui te rogarent. Clamantibus autem ad te nobis Domine miserere. Moveat pietatem tuam vox fidelis, & flebilis, atque illa de qua totum speramus, pietas non reputet quod offendimus, dum respicit quod rogamus; & cum sit grandis miseria esse nos reos, major tibi sit clementia erga nos miseros. Erige nos Domine Deus noster, & alleva misericordia tua, ut communione salutis, & gaudio charitatis, dum ipsi salvari ex munere tuo cupimus, etiam fide & pace cunctarum gentium gaudeamus. Per, &c.

*Alia.*

ANte conspectum tuæ inæstimabilis majestatis, sancta Trinitas, & vera Unitas, omnipotens æterne Deus, non sine debita reverentia, attamen nulla officii dignitate vilis admodum precator accedo, & reus conscientiæ assisto testis, accuso ego me, & non excuso, sed coram testibus, scilicet omnium Sanctorum tuorum reliquiis, vel omnibus Sanctis tuis in cœlo & in terra, confiteor omnes injustitias meas tibi, quatenus per eorum merita, & intercessiones remittas omnem peccati mei impietatem, quia ego peccavi in cœlum, & coram te; etiam non sum dignus vocari filius tuus, peccatorum sordibus involutus, sed tu occultorum cognitor miserere mei, & resuscita me de morte animæ meæ, & septiformi gratiâ Spiritus sancti illumina cor meum, & doce me facere voluntatem tuam ubique, quia Deus meus es tu. Amen.

*Alia.*

MIserere Deus omnibus errantibus, & ad te pertinentibus, & his omnibus misereſce, pro quibus debitores sumus exorare, vivis sive defunctis, vel quorum eleemosynas, & confessiones suscepimus, & nomina ad commemorandum conscripsimus, quatenus his omnibus misericorditer indulgeas, & vitam æternam concedas, nec non persequentibus nos, & calumniantibus indulge juxta magnitudinem pietatis tuæ. Amen.

*Alia.*

SUccurre mihi Deus meus antequam moriar, antequam me tormenta rapiant, antequam me tenebræ obvolvant. Reus enim judicii tui teneor peccati pavore, iram tuam formido, si enim vix justus salvabitur, ego impius ubi ero? quid faciam, dum venerit tremendi judicii dies? Cum examen judicis venerit, quid respondeam? quid verò dicturus sum, cum ante tribunal Christi fuero præsentatus? Melius fuisset non in sæculo procreatum, quàm æterna supplicia perpeti cruciandum: Peccavi enim sæpè in verbo, in facto,

in cogitatione, & peccavi crudeliter: nullum invenitur peccatum, cujus sordibus non sum ego miser inquinatus, nullus est morbus vitiorum, à quo non contraxi contagium. Semper delicta mea iteravi: plurimos pravis moribus ad iniquitatem perverti: exemplis vitæ meæ multi perversi sunt. Obsecro vos omnes choros sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, & omnium sanctorum, ut oretis pro me: ut misereatur mei Deus, & deleat peccata mea, uti auferat iniquitatem meam, & recipiat me in gaudium sempiternum. Tu Domine misericors, clemens, & pius, nullum relinquis, nullum respuis, nullum secludis à misericordia tua. Converte animam meam in requiem Paradisi. Tu ovem errantem requisisti, & inventam tuis humeris reportasti ad gregem; quæso hanc vilissimam animam manibus attrahe, & offer benedicto, & immortali Patri tuo, coram Cherubim & Seraphim, & coram sanctis Angelis, ut deliciis paradisi fruens cum eis dicere possim; Gloria Patri immortali, gloria Filio immortali, gloria Spiritui sancto immortali, in sæcula sæculorum. Amen.

*Alia.*

DOmine Jesu Christe, qui me tuo sanguine redemisti, exaudi me peccatorem quotidie peccantem, & in peccatis nimiis jacentem. Tibi soli peccavi, te Christe confessus sum. Ego peccavi coram te, & coram omnibus sanctis tuis, in verbis, & in factis, in omnibus cogitationibus meis, quibus excogitare potui. Infelix ego homo! innumerabilia sunt peccata mea: miserere mei Deus, omnipotens Deus. Veniam peto coram te & sanctis tuis, de universis peccatis meis præteritis, præsentibus, & futuris. Deus propitius esto mihi peccatori, & da mihi licentiam in hac vita agendi pœnitentiam; per quam deleam omnia peccata mea, quia nescio ubi fugiam, nisi ad te Christe, quia tu es vita vivorum, & resurrectio mortuorum. Orate pro me misero omnes sancti Apostoli, atque Martyres, Confessores, & sanctæ Virgines, atque Viduæ, & omnes Sancti, & electi Dei; orate pro me, ut Deus omnipotens illuminet vultum suum super me miserum, & misereatur mei. Qui vivit, & regnat, &c.

*Alia.*

DOmine Jesu Christe, integritatis amator, munі cor meum ab omnibus sagittis & insidiis inimici, & extingue in me omne incendium libidinis, & ad veram humilitatem, & patientiæ tranquillitatem converte; pectus meum succende charitatis stimulis, ut odio habens omnem viam iniquitatis, possim cunctis diebus vitæ meæ tibi complacere. Qui vivis, &c.

*Alia.*

TUam Domine clementiam precor, ut mihi famulo tuo remissionem cunctorum tribuas peccatorum, & omnibus pro quibus debitor sum exorare, vivis sive defunctis, misericordiæ tuæ munus impendas, ut ad æternam vitam tua gubernatione perveniant, & tuæ ubique gratiæ dona percipiant. Per, &c.

*Alia.*

PRojectis nobis Domine in condemnationem operum nostrorum, da capiti nostro aquam, & oculis nostris fontem infunde lachrymarum, ut peccati maculas abluendo, ultrices pœnarum flammas fletuum ubertate vincamus. Et quia tibi Domine non sunt occulta quæ gessimus, concede, ut in nobis, non oris sit tantùm confessio, sed etiam cordis, nec excusatio criminum, sed lamentatio peccatorum. Siquidem castos cordis nostri oculos lasciviæ violavit aspectus, sunt mores corrupti, disciplina violata, simulatio in vultu, fallacia in verbis, dolus in corde, volubilitas in lingua, operatio stulta, mens dubia, concupiscentia carnalis, sollicitudo terrena, oblivio animæ, negligentia sanctitatis, super hæc autem mortis timor increvit. Miserere nobis Domine, miserere nobis, & da de præteritis malis veniam, de præsentibus emendationem, & de futuris cautelam. Qui vivis, &c.

*Alia.*

IMpellit me peccatorem ministrandi officium; hostiam salutarem offerre pro populi delicto: sed terret conscientia indebiti sacerdotii pro reatu, si à me omnium sacerdotum peripsemate sacrificium offertur, pollutæ conscientiæ crimen augetur. Si tantæ majestati, & universæ carnis judici non offertur, negligentiæ reatus adscribitur. Inter hæc tuæ omnipotens Deus libramen pietatis imploro, cujus ultionis diem accusante conscientia pertimesco, ne me indignum, quæso, misericordiâ tuâ judices, quem à tempore pœnitentiæ non excludis.

Su-

Suspende, precor, interventu istorum, & omnium sanctorum meritis securim, donec cultor vineæ admoveat cophinum stercoris ad radicem infructuosæ arboris. Parce mihi Domine clementissime, pœnitenti, qui David post lapsum clementer ad veniam revocasti, qui Petri, misericors amarè flentis lachrymas respexisti; qui Latronem in crucis patibulo tanti facinoris reum, divina gratia illustrasti; cui mox obtinuit confessio propitium Dei filium, fides præmium, pœna veniam, lamenta gaudia sempiterna, dum confessor in cruce, possessor extitit Paradisi propter crucem. Sed quia verba veniæ tuæ pietatis indigent, quæ indigni sacerdotis opera non commendant, saltem astantium vota suscipe, ut & mihi suis apud te precibus veniam, & eorum meritis sacrificia, nostrorum vulnerum nobis conferant medicinam. At quia Omnipotens, pro omnium peccatis factus es hostia salutaris, adsis nobis justificatio pro delictis, Jesu Christe Salvator Mundi. Qui cum Patre, & Spiritu sancto vivis, & regnas, &c.

*Oratio pro semetipso.*

SAlva me Domine Rex æternæ gloriæ, qui potes salvare, & da mihi, ut valeam & operari, & perficere quæ tibi placeant, & mihi expediant: Domine sancte, Pater omnipotens, Deus da mihi in tribulatione auxilium, in persecutione solatium, & in omni tempore tentationis virtutem.

Domine sancte, piissime Pater, da mihi de præteritis delictis veniam, de præsentibus emendationem, de futuris largire custodiam, quia malum dimittere non possum, nec bonum facere, nisi succurrat mihi misericordia tua magna, ut te merear cognoscere, & timere, & amare ex toto corde. Domine Jesu Christe Redemptor omnium, qui es refugium pauperum & consolator tribulatorum, per tuam magnam misericordiam sis mihi consolatio in omnibus angustiis, & tribulationibus meis, quia non habeo in alium spem nisi in te, quia tu es refugium meum, & virtus in tribulationibus meis, quæ invenerunt me nimis. Propterea clamo ex toto corde ad te, ut exaudire me digneris, & hæc omnia, quæ indignus precor, clementia tuæ pietatis merear adipisci, & quicquid illud est, quod infelicitas mea à te petere non sapit, aut non præsumit, id tu pro tua pietate, ac majestate tribue, quia tu es consolatio, & protectio vitæ meæ in omni tempore, &c.

*Oratio in quacumque tribulatione.*

DEus qui Contritorum non despicis gemitum, & mœrentium non spernis affectum, adesto precibus nostris, quas pietati tuæ pro tribulatione nostra effundere præsumimus; implorantes ut eas clementer suscipere digneris, tribuasque, ut quicquid contra nos diabolicæ, atque humanæ moliuntur adversitates, ad nihilum redigas, & consilio pietatis tuæ allidas, ut nullis adversitatibus læsi, sed erepti de omni tribulatione, & angustia, læti tibi in Ecclesia tua sancta gratias referamus per Christum, per quem te summe Deus rogamus, ut preces has attendas, & propitiabili dignatione ad hanc nostram orationem respicias, quam tibi pro ereptione ac relevatione à pressura nostræ infirmitatis offerimus. Jam Domine respice super nos vultu placabili, & misericordia singulari à nobis amove quod sævitia malorum promittit, quod inimicorum pravitas infert, quod pravorum in consiliis adversitas alligat, quod ex judicio imminet, quod ex sententia pendet, quod conspiratione machinatur, quod accusatione confringitur, quod propriæ merentur iniquitates, quod alienis fictionibus alligamur, quod pressuris dejicimur, quod cruciatibus premimur, quod angustiis angustiamur. Non justitiam tuam, quæsumus Domine in injustitiis nostris exerceas, sed potius pietatem tuam in iniquitatibus nostris manifesta; non nos in persecutione dejicias, non per intolerantiam perdas; sed per tribulationem exerce, per pietatem attolle, per misericordiam rege, quò te protegente ab inimicorum jaculis tuti, à præsenti tribulatione exempti, te Dominum vivum in Trinitate consonâ laudemus voce. Qui cum Unigenito Filio tuo, sanctoque Paraclito spiritu vivis, & regnas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

*Oratio Pastoris dicenda pro se, & pro subditis.*

DImitte Domine Deus omnipotens quicquid per intemperantiam mordacis linguæ incauta oris nostri increpatio momordit in subditos, quicquid minus de boni perfectione diximus parce, quicquid incongruum, vel minus temperatè protulimus ignosce. Non incautum præsumptio puniat, sed agnoscentem me iniquitates meas, miserationis tuæ pietas absolvat. Et quia non mihi alibi est fiducia, nisi in misericordia

tua, Tu & os meum præconio veritatis perarma, & opus pleniore ubertate sanctifica, ut & indignum salves, & commissum mihi gregem pro tua pietate sanctifices. Quidquid in illis vitiatum est sana, & quidquid in me vitiosum inspicis, cura; si quæ vitio tepiditatis meæ, vel incuria contraxerunt delicta, propitius dimitte. Si quo etiam me ignorante, vel sciente ceciderunt in crimine; atque si exempli mei offendiculo proruerunt, manu misericordiæ tuæ inde eripe, & pro talibus culpis misero mihi non restituas ultionis vicem. His tamen, quibus increpationis visus sum adhibere judicium, increpatio proficiat ad salutem. Et oratio hæc interpellans commisso eos revocet ab errore, ut non perferant tartareos cruciatus, quibus utpote mortalibus pœnitentiæ indiximus leges, quo utrorumque incommodis parcens, & illorum iniquitatibus tribuas veniam, & meam contractam abluas de regendi incommoditate offensam. Præbe Deus aurem sacrificiis nostris, & me, mihique commissos tuis adscribe in paginis, quò cum Grege mihi credito, & à cuncto eluar crimine, & ad te merear pervenire in pace. Pacatum redde Deus nostrorum cordium habitaculum, expulsione carnalium vitiorum; & quia in subditis conor summam exercere virtutum, pacatis mentium corporumque incommodis pacificus merear te judicante coronari cum Angelis. Fac ergo quæsumus nos pie Deus adspicientes in conspectu tuo flammescere tuæ gratiæ dono, ut zelus domus tuæ nos comedat, atque ita per vigorem sancti Spiritus regentes subditos temperemus, ut ex disciplina nostri regiminis capiant lucrum, & illorum duritia frangatur, ac vita sanctificetur. Suscipe Domine nostrorum votorum libamina, & per hæc, quidquid in subditos correctionis verbo, vel merito impertimur, non ad discordiam nostri, sed ad dulcedinis perpetuæ gaudium, & nobis, & illis profeciſſe gaudeamus. Ablue nos omnipotens Deus, & alieno, & proprio delicto, ut in utroque & spiritalis gratiæ efficientiam capientes, fiducialiùs tuo nomini supplicemus. Per, &c.

*Cum Incensum ante Evangelium in thuribulum mittitur, dicat Sacerdos.*

ODore cælestis inspirationis suæ accendat, & impleat Dominus corda nostra ad audienda, & implenda, Evangelii sui præcepta. Qui vivis, &c.

*Benedictio ejusdem.*

IN nomine Domini nostri Jesu Christi benedicatur incensum istud, & acceptabile fiat in odorem suavitatis.

*Deinde inclinanti se diacono dat benedictionem Dei dicens:*

BEnedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii & Spiritus sancti, descendat super te, & aperiat Christus Dominus os tuum ad dignè, idoneéque pronunciandum sanctum Evangelium suum. Dominus Deus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut nuncies competenter Evangelium pacis.

*Diaconus accipiendo, vel osculando Evangelium dicat:*

DA mihi Domine sermonem rectum, & bene sonantem in os meum, ut placeant tibi verba mea, & omnibus audientibus propter nomen sanctum tuum in vitam æternam. Amen.

*Perlecto autem Evangelio, Diaconus dicat:*

PEr istos sermones sancti Evangeli tui, indulge mihi Domine omnia peccata mea.

*Et cæteri omnes dicant:*

Pax tibi.

*Tunc allato incenso, simulque Evangelio ad salutandum, dicant singuli:*

PEr istos sanctos sermones Evangelii Domini nostri Jesu Christi, indulgeat nobis Dominus universa peccata nostra.

*Quando incensum offertur dicant singuli:*

DIrigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine.

*Tunc sacerdos incipiat Symbolum, idest:*

CRedo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ. Visibilium omnium, & invisibilium; Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum; Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen

lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertiâ die secundùm scripturas: Et ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris; Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos. Cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum & vivificantem. Qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur; Qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam, Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum: Et vitam futuri sæculi. Amen.

*Finito Symbolo Apostolorum dicat Sacerdos:*

DOminus vobiscum.
Et cum Spiritu tuo.

*Deinde lavet manus hanc Orationem dicens:*

LArgire sensibus nostris omnipotens Pater, ut sicut hic exteriùs abluuntur inquinamenta manuum, sic à te mundentur interiùs pollutiones mentium, & crescat in nobis sanctarum augmentum virtutum. Per, &c.

*Hæc prædicta oratio dicenda est à sacerdote cum manus lavat, sive ante Missam, vel interim, seu postea.*

*Tam diù autem, quàm diù offertorium, & versus canuntur, has dicat Orationes:*

DOmine Deus omnipotens, fac me peccatorem hodie secundùm magnam misericordiam tuam accedere ad sanctum Altare tuum, & præsta, ut non sit mihi hoc sacrificium reatus ad pœnam, sed ablutio salutaris ad veniam. Per, &c.

Deus, qui de indignis dignos facis, de peccatoribus justos, de immundis mundos, munda cor meum, & corpus meum ab omni cogitatione mala, & sorde peccati, & fac me dignè, atque strenuè sanctis Altaribus ministrare tuis, & concede propitius, ut in hoc Altari, ad quod indignus accedo, hostias acceptabiles offeram pietati tuæ pro peccatis & offensionibus meis, & innumeris quotidianis excessibus. Et pro Grege mihi commisso, & famulis, & famulabus *tuis*, qui mihi confessi sunt peccata sua, & suas eleemoynas largiti sunt, & pro populo mihi subjecto, & omnibus circumstantibus, omnibusque mihi familiaritate conjunctis, atque omnibus odio execrabili infectantibus, & Ecclesiæ mihi commissæ adversantibus, cunctisque simul fidelibus Christianis. Et per eum sit tibi meum votum, atque sacrificium acceptabile, qui se tibi Deo Patri pro nobis obtulit in sacrificium, qui est summus Sacerdos, & Pontifex, & solus sine macula peccati. Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia, &c.

*Alia.*

MAjestatem tuam totis viribus, Deus piissime, humili prece deposco & exoro, ut remittas crimina, quæ caro fragilis à tentatione iniquorum spirituum nequiter admisit: etiam reverti ad ea ultra non sinas, sed confirma in justificationibus tuis, & perseverantiam mihi tribue in illis, & fac me dignum ante conspectum Majestatis tuæ astare, & sacrificium tibi Domine, casto corpore & mundo corde dignè offerre. Per, &c.

*Cum autem ornatum fuerit Altare, antequam oblationes accipiat, has orationes humillimè ante altare se flebiliter accusans dicat:*

ANte oculos tuos Domine, reus conscientiæ testis assisto, rogare non audeo, quod impetrare non merear; Tu scis Domine, quæ aguntur in nobis, erubescimus confiteri, quod non timemus admittere. Verbis tibi tantùm obsequimur, corde mentimur, & quod velle nos dicimus, nolle nostris actibus approbamus. Sed parce Domine confitentibus: ignosce peccantibus: miserere te rogantibus: Et quia meus sensus in sacramentis tuis infirmus est, & apud te non habent peccatores verba sine crimine, præsta Domine, ut, si ex nobis indignis & peccatoribus duri cordis verba non suscipis, per temetipsum veniam largiaris, Qui vivis & regnas, &c.

*Alia.*

DEus, qui te præcipis à peccatoribus exorari, tibique contriti cordis sacrificium offerri, hoc sacrificium, quod ego indignus famulus tuus confisus de tua misericordia, tuæ immensæ majestati offerre præsumo, acceptare dignare; &

ut

ut ipse tibi sacerdos, & ara, & templum, & sacrificium esse merear, propitiatus concede, quo per ministerii hujus exhibitionem, mihique & his ommbus pro quibus offertur, tuam misericordissimam propitiationem concede. Per, &c.

*Alia.*

COnscientia quidem trepidi Domine ad Altare tuum accedimus, sed fiduciam de tua misericordia retinemus, & licet ad celebranda sacrificia semper inveniamur indigni, tamen si recedimus, veremur de inobedientia condemnari, pro qua re pietate paterna omnipotens Deus, atque placabili vultu cordis nostri interiora purgare digneris, precamur etiam, licet culpabiles simus, nostrorum tamen tibi sint placita mysteria consecrata.

*Alia.*

ANte conspectum divinæ Majestatis tuæ reus assisto, qui invocare nomen sanctum tuum præsumo, miserere mihi Domine homini peccatori, ignosce indigno sacerdoti, per cujus manus hæc oblatio videtur offerri. Parce mihi Domine, præ cæteris capitalium criminum labe polluto, & non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, scilicet vitiis, ac voluptatibus carnis aggravatus sum. Recordare Domine, quod caro sum, in tuo conspectu etiam cœli non sunt mundi, quanto magis ego homo terrenus, immundus sicut pannus menstruatæ? Indignus sum Domine Jesu Christe, ut sim vivens, sed tu, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat; da mihi veniam in carne constituto, ut per pœnitentiæ labores vita æterna perfrui merear in cœlis, &c. Qui vivis, &c.

*Alia.*

ALtissime Deus ignosce mihi peccatori, quia totius vitæ meæ superavit me iniquitas; quo vultu te conspiciam Domine, vel quibus verbis me coram tuis conspectibus excusabo? nec enim potero abscondi ante te, qui secreta cordis consideras. Væ mihi peccatori, qui sancto Altari tuo indignus assistens, nullum apud voluntatem tuam mentis ornamentum exhibui: sed tu Domine miserator & misericors, qui creasti cuncta ex nihilo, qui me quoque immeritum formasti, & statuisti dignè tibi servire, non me repellas à cœlesti tuo sacrario, nec confundas me ante conspectum tremendæ Majestatis tuæ.

Ego verò tibi servire, tibi Domine placere proposui, sed per meam negligentiam non implevi; ego ergò tam in terris, quam in cœlo destitutum & nudum me esse conspicio, quia mandatorum tuorum non custodivi præcepta. Non est igitur mihi spes salutis in operibus meis, sed anima mea in sola pietatis tuæ immensitate suspensa est, & in multitudine misericordiæ tuæ confidit, ut eam salvam facias, Domine Jesu Christe, qui non vis mortem peccatorum, nisi ut convertantur, & vivant. Respice secundùm magnam misericordiam tuam super me miserum, & rumpantur funes peccatorum meorum, ut non peream. Respice in me Domine de sede Majestatis tuæ, & tenebras cordis mei radio tuæ lucis expelle. Protege me Domine scuto veritatis tuæ, ac fidei, ut me diaboli jacula ignita non penetrent; Et quicquid illud est, quod infelicitas mea à te petere non sapit, aut non præsumit, id tu Domine pro virtute tua tribue, quod animam meam salvet à morte, & exeunti mihi de hoc cœno tenebrarum manum porrigas, & lumen ostendas, & illud indulge, quod feci, & concede ne ampliùs faciam. Amen.

*Alia.*

IGnosce quæso mihi Domine, quem maculatæ vitæ conscientia trepidum, & criminum meorum confusio fecit esse captivum, & qui pro me veniam obtinere non valeo, pro aliis rogaturus assisto. Profero ad te, si digneris Domine, captivorum gemitus, tribulationes plebium, pericula populorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum, desolationes Ecclesiarum. Sed quoniam me eadem, quæ populum, catena peccati constringit; ideo omnes lugeo passiones. Non obsit Domine populo tuo oratio subjugata peccatis, per me offertur votum, per te Domine meum compleatur officium, qui vivis, & regnas, &c.

*Tunc accedens ad Altare, & illud osculando dicat:*

ORo te Domine Omnipotens Deus, ut per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic continentur, eorum intercessionibus indulgere digneris mihi omnia peccata mea. Qui vivis, &c.

Tunc

*Tunc convertat se suscipere oblationes Presbyterorum aliorumque. Quando quis oblationem in manum Episcopi, vel Presbyteri offert, dicat:*

TIbi Domino Creatori meo offero hostiam pro remissione omnium peccatorum meorum, & cunctorum fidelium tuorum, vivorum ac defunctorum.

*Pro semetipso, & pro cuncto populo Christiano.*

TIbi Domino Creatori meo offero hostiam placationis pro delictis meis, & populi tui: peto Domine, ut des nobis veniam omnium peccatorum nostrorum.

*Pro Rege & Antistite nostro, & pro cuncto clero, ac pro omni populo Christiano.*

TIbi Domino Creatori meo offero hostiam placationis & laudis, pro me, & pro Rege nostro, & Antistite nostro, ac pro cuncto populo Christiano: peto Domine, ut des nobis vitam æternam.

*Episcopus verò, vel presbyter, oblationes accipiens, dicat:*

SUscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offert famulus tuus N. & præsta, ut in conspectum tuum tibi placens ascendat, &c.

*Post acceptas oblationes à clero, vel plebe, accipiat Diaconus de manu Subdiaconi oblatam, ita dicendo:*

ACceptum sit omnipotenti Deo, & omnibus Sanctis ejus sacrificium tuum.

*Veniensque Diaconus ante Episcopum offerat dicens hoc offertorium.*

SUscipe Domine sancte Pater hanc oblationem, & hoc sacrificium laudis in honorem nominis tui, ut cum suavitate ascendat ad aures pietatis tuæ, Per, &c.

*Et Episcopus accipiens oblationem à Diacono dicat:*

ACceptabilis sit omnipotenti Deo oblatio tua.

*Tunc puro corde offerat Domino oblatam ita dicens:*

SUscipe sancte Pater omnipotens, æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus tibi offero Deo meo vivo & vero, quia te pro æterna salute cunctæ Ecclesiæ tuæ suppliciter exoro. Per &c.

*Alia.*

SUscipe clementissime pater hostias placationis, & laudis, quas tibi offero ego indignus famulus tuus, quia tu scis figmentum meum, quia peccavi in conspectu tuo, & non sum dignus tibi hostiam offerre, sed tu clemens & misericors indulge mihi, & indulgentiam quærentem placatus suscipe Clementissime. Qui vivis, &c.

*Istæ orationes cum oblationes offeruntur ad altare dicendæ sunt, & est hæc prima quotidiana & generalis.*

SUscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis Domini nostri Jesu Christi, & in honorem Sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, & eorum quorum hodie festivitas celebratur, & quorum hic nomina & reliquiæ habentur, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, ut illi omnes pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Per, &c.

*Pro semetipso.*

SUscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro innumerabilibus peccatis atque offensionibus meis, ut præterita mihi dimittas, & à futuris me custodias, pro salute corporis & animæ meæ, ut hic te donante mandata tua custodiam, & in futuro præmia æterna consequi merear. Per, &c.

*Alia pro semetipso.*

SUscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, & miserrimo omnium hominum, & pro meis peccatis innumerabilibus, quibus peccavi coram te in dictis, in factis, in cogitationibus, ut præterita mihi dimittas, & de futuris me custodias, & pro gratia-

rum actione de tuis bonis, quibus quotidiè utor. Domine averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

*Apologia Sacerdotis.*

SUscipe confessionem meam unica spes salutis meæ, Domine Deus meus, quia peccavi in lege tua, in cogitationibus, in verbis, in factis, & multa sunt peccata mea, & negligens sum de opere Dei, & de ordine meo, quia peccavi de vana gloria, de superbia, de detractione, de fornicatione, de furto, de falso testimonio, de perjurio, de adulterio, de opere Dei, quod ego negligenter feci, de concupiscentia carnali, de risu, de auditu, de visu, de gula, de crapula, vel de omnibus malis meis; quæ ego negligenter commisi, veniam inde peto Domine, quia culpabilem me recognosco.

*Alia.*

DEus, qui per os David locutus es, Vovete, & reddite Domino Deo vestro, te supplicìter exoro, ut me famulum tuum vigilanter custodias & oblationem, quam tibi pro memetipso offero, interveniente Beatâ Mariâ semper Virgine clementer accipias, qui vivis, &c.

*Alia.*

SUscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam ego indignus & peccator famulus tuus tibi offerre præsumo pro absolutione peccatorum meorum, quatenùs te Domino miserante mihi remissio, & indulgentia peccatorum concedatur.

*Pro familiaribus, ac fratribus, & sororibus.*

SUscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, & nostræ congregationis salute, & pro omnibus in Christo fratribus, & sororibus nostris, & pro omni populo Christiano, & pro omnibus eleemosynas nobis facientibus, & pro his etiam, qui se commendaverunt in nostras orationes, & qui nostri memoriam in suis orationibus habent, ut hîc veniam recipiamus peccatorum, & in futuro præmia consequi mereamur æterna.

*Pro Rege, & populo Christiano.*

SUscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro Rege nostro, & sua venerabili prole, & statu regni sui, & pro omni populo Christiano, & pro eleemosynariis nostris, & pro his, qui nostri memoriam in suis continuis orationibus habent, ut hic veniam recipiant peccatorum, & in futuro consequi præmia æterna mereantur. Per &c.

*Pro Ecclesia Catholica.*

SUscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam pro Ecclesia tua sancta catholica tibi offero, ut tibi grata sit, & ipsi salutaris semper existat. Per, &c.

*Pro salute Vivorum.*

SUscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro salute famuli N. tui, quatenus te donante perceptâ veniâ peccatorum, vitæ quoque sempiternæ immensa gaudia percipere mereatur.

*Pro infirmis.*

SUscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro infirmo famulo tuo N. ut mentis, & corporis recepta sanitate, in Ecclesia tua sancta tibi laudes referat, & de *verbere* tuo æterna præmia consequi mereatur.

*Pro defuncto.*

SUscipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro anima famuli tui N. ut per hoc salutare sacrificium purgata, sanctorum tuorum consortio coadunari mereatur. Per, &c.

*Pro defunctis.*

SUscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro animabus famulorum, famularumque tuarum, & requiem æternam dones eis inter tuos sanctos, & electos, ut in illorum consortio vita perfruantur æterna. Per, &c.

*Alia.*

SUscipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro omnibus in tui nominis confessione defunctis, ut te dexteram auxi-

lii

lii tui porrigente vitæ perennis requiem habeant, & à pœnis impiorum segregari, semper in tuæ laudis lætitia perseverent. Per, &c.

*Pro omnibus universalis.*

SUscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam pro seniore nostro, & cuncta congregatione sancti Petri; meisque parentibus, fratribus, benefactoribus, fidelibus, amicis, meisque propinquis, & omnibus circumstantibus, cunctisque, qui se mihi commendaverunt, & qui pro me orant, seu pro quibus debitor sum exorare, tam vivis, quàm defunctis, tibi offero, quatenus te Domino miserante, eis & mihi remissio, & indulgentia peccatorum concedatur, & vita æterna condonetur. Per, &c.

*Tunc imponat oblatam altari, & dicat:*

SAnctifica Domine hanc oblationem, ut nobis unigeniti filii tui Domini nostri Jesu Christi corpus fiat. Qui tecum vivit, &c.

*Deinde Diaconus accipiat à Subdiacono vinum, & misceat cum aqua in calice, dicens:*

DEus, qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, & mirabilius reformasti, da nobis quæsumus per hujus aquæ, & vini mysteria ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ dignatus est fieri particeps Jesus Christus.

*Tunc Diaconus calicem offerat super altare, & Episcopo dicat:*

IMmola Domino sacrificium laudis, & redde Altissimo vota. Sit Dominus adjutor tuus, mundum te faciat, & dum oraveris ad eum, exaudiat te.

*Et Sacerdos calicem offerens dicat offertorium istud.*

OFferimus tibi Domine calicem salutaris, & deprecamur clementiam tuam, ut in conspectu divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat.

*Sequitur Oratio.*

DOmine Deus Jesu Christe, qui in cruce passionis tuæ, de latere tuo sanguinem & aquam, unde tibi Ecclesiam consecrares, manare voluisti, suscipe hoc sacrificium Altari tuo superpositum, & concede clementissime, ut pro redemptione nostra, & etiam totius Mundi in conspectum Divinæ Majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat. Qui vivis, &c.

*Posito Calice super altare dicat sacerdos:*

OBlatum tibi Domine calicem sanctifica, ut nobis unigeniti tui D. N. Jesu Christi sanguis fiat. Qui tecum, &c.

*Tunc benedicat utrosque elevata manu, & dicat:*

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sit signatum, ordinatum, sanctificatum, & benedictum hoc sacrificium novum.

*Adjungat.*

VEni sanctificator omnipotens, æterne Deus, & benedic hoc sacrificium tibi præparatum. Qui vivis, &c.

*Postea accipiens Episcopus thus à diacono, ponat in thuribulum, dicens:*

PEr intercessionem sancti Gabriëlis Archangeli stantis à dextris Altaris incensi, & omnium electorum suorum, incensum istud Dominus dignetur benedicere, & in odorem suavitatis accipere.

*Hæc oratio dicenda est, dum Incenso misso in Thuribulum, ipsum Thuribulum super panem & calicem circumducitur.*

MEmores sumus æterne Deus, Pater omnipotens, gloriosissimæ passionis Filii tui, resurrectionis etiam ejus, & ascensionis ejus in cœlum. Petimus ergo Majestatem tuam, ut ascendant preces humilitatis nostræ una cum Incenso isto in conspectum tuæ clementiæ, & descendat super hunc panem & super hunc calicem, plenitudo Divinitatis. Descendat etiam Domine illa sancti Spiritus incomprehensibilis invisibilisque majestas, sicut quondam in Patrum hostias descendebat. Per eumdem, &c. ejusdem, &c.

*Circumiens autem altare cum incenſo Epiſcopus aut Presbyter, dicat;*

INcenſum iſtud à te benedictum, aſcendat ad te Domine, & deſcendat ſuper nos miſericordia tua.

*Sequitur.*

DIrigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo Domine.

*Quando odor Incenſi porrigitur ſacerdoti & fratribus, dicat unuſquiſque eorum:*

ACcendat in nobis Dominus ignem ſui amoris, & flammam æternæ charitatis.

*Tunc ſacerdos humillimè ſe convertat ad circumſtantes, dicens:*

ORate pro me peccatore, fratres & ſorores, ut meum, & veſtrum ſacrificium acceptum fiat Domino Deo omnipotenti ante conſpectum ſuum.

*Tunc reſpondeatur ei à ſingulis:*

SUſcipiat omnipotens Deus de manibus tuis ſacrificium, & orationes tuæ aſcendant in memoriam ante Dominum, ipſeque te exaudiat, qui te conſtituit interceſſorem pro peccatis noſtris.

Orent pro te omnes Sancti, & electi Dei, memor ſit omnis ſacrificii tui, & holocauſtum tuum pingue fiat.

Immola Domino ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua.

Exaudiat te Dominus orantem pro omnium ſalute.

Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua.

Dominus ſit in corde tuo, & in ore tuo, & ſuſcipiat ſacrificium ſibi acceptum de manibus tuis, pro noſtra omniumque ſalute.

*Tunc converſus ſacerdos ad altare fundat pro ſemetipſo hanc orationem ante ſecreta:*

DOmine Jeſu Chriſte, fides & fiducia noſtra, & tota in hujus præſentis vitæ ærumna conſolatio noſtra, me indignum, & peccatorem propitius reſpice & placatus exaudi, & mitte ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui hanc oblationem ſuſcipiat & ante conſpectum tuæ miſerationis repræſentet in memoriam mei, ad laudem & gloriam nominis tui. Qui vivis, &c.

*Tunc incipiat ſecreta, quibus finitis, & Præfatione dicta, quando alii* Sanctus, ſanctus, ſanctus *decantant, hæc oratio curſim dicenda eſt à ſacerdote:*

DOmine Deus, qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, me miſerum, fragilemque peccatorem à tua non repellas pietate, neque aſpicias ad peccata & ſcelera mea, & immunditias turpeſque cogitationes, quibus flebiliter à tua disjungor voluntate, ſed ad miſericordias tuas & ad fidem, devotionemque eorum, qui per me peccatorem tuam deprecantur miſericordiam, & qui me indignum inter te & populum tuum medium fieri voluiſti, fac me talem, ut dignè poſſim tuam exorare miſericordiam pro me & pro eodem populo tuo.

Domine adjunge voces noſtras vocibus ſanctorum Angelorum tuorum, & ſicut illi te laudant inceſſabiliter & infatigabiliter in æterna beatitudine, ita nos quoque eorum interventu te mereamur laudare inculpabiliter in hac peregrinatione. Per, &c.

*Hac oratione finita, antequam ſacramenta incipiantur, iterum ſe Domino commendet dicens:*

FActurus memoriam ſalutaris hoſtiæ totius mundi, cum illius dignitatem & meam intueor fœditatem, conſcientia torqueor peccatorum. Verùm quia tu Deus multum miſericors es, imploro, ut digneris mihi dare ſpiritum contribulatum, qui tibi gratum ſacrificium revelaſti, ut eo purificatus vitali hoſtiæ pias manus admoveam, quæ omnia peccata mea aboleat, & ea deinceps in perpetuum virandi mihi tutelam infundat, omnibuſque fidelibus vivis & defunctis, pro quibus tibi offertur, præſentis vitæ, & futuræ ſalutis commercia largiatur. Qui vivis & regnas, &c.

*Deinde*

*Deinde cum ſumma reverentia incipiat*, Te igitur, *& Miniſtri ſtantes in gradibus ſuis cantent iſtos pſalmos, uſque dum* Te igitur. *finiatur.*

EXaudiat te Dominus.
Ad te Domine levavi animam meam.
Miſerere mei Deus ſecundùm magnam.
Domine refugium.
Qui habitat in adjutorio.

*Deinde Preces.*

SAlvum fac ſervum tuum Domine Deus meus ſperantem in te.

Deſiderium cordis ejus tribuiſti ei Domine, & voluntate labiorum ejus non fraudaſti eum.

Vitam petiit à te, & tribuiſti ei Domine longitudinem dierum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Oculi Domine ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos quemadmodum ſperavimus in te.

Exurge Domine, adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum.

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

*Oratio pro ſacerdote.*

GAudeat Domine quæſumus, famulus tuus beneficiis impetratis, & cui fiduciam ſperandæ pietatis tribuiſti, optatæ miſericordiæ præſta benignus effectum.

*Alia communis.*

PRecibus noſtris quæſumus Domine, aures tuæ pietatis accommoda, & orationes ſupplicum, occultorum cognitor benignus exaudi; ut te largiente ad vitam perveniamus ſempiternam. Per, &c.

*Infra actionem.*

IN primis unà cum famulo tuo Papa noſtro N. & pro orthodoxis, atque Apoſtolicæ Fidei cultoribus Pontificibus & Abbatibus, Gubernatoribus, & Rectoribus Eccleſiæ ſanctæ Dei, & pro omni populo ſancto Dei.

Memento Domine famulorum famularumque tuarum, cunctorum ſcilicet conſanguinitate mihimet, vel familiaritate, & amicitia conjunctorum, cunctorumque ſua mihi peccata confitentium, meque in tuo nomine bonis reficientium, & omnium circumſtantium.

Hanc etiam oblationem humanitatis meæ, & devotionis, quam tibi offero pro peccatis meis, & criminoſis actionibus meis caſtigandis & dimittendis, pro cæca, & lapidea cordis mei duritia diſſolvenda & illuminanda, quæſo Domine, ut placatus accipias, & ſinum pietatis ſuper me expandas, meque illumines, ſenſum aperias, ſpiritum corrigendi tribuas, & ad te miſero mihi redeundi aditum per lamenta pœnitentiæ concedas. Per Chriſtum Dominum, &c.

Quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus.

*Iſtud præfer in eodem Canone, quando Concilium, vel Conſilium aliquod agitur; poſtquam dixeris* æterno Domino vivo, & vero.

HAnc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro hujus negotii qualitate, de quo in præſentis diſputationis actione ventilatur, ut benignè ſuſcipias ſuppliciter deprecamur, quatenus, non humano, ſed tuo ſancto Conſilio æquoque judicio miſericorditer terminatum, vel directum, juſtitiæ, veritatiſque termino finiatur, atque ſecundùm tuam voluntatem modis omnibus ordinetur, & compleatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Communicantes, & memoriam venerantes.

*Pro ſemetipſo.*

MEmento Domine, & miſerere mei, multi enim & magni ſunt languores mei, mali ſunt & peſſimi, ſed major eſt miſericordiæ tuæ multitudo. Miſerere mei Domine qui veniſti in multitudine miſericordiæ, & ſana languores animæ meæ, miſerere mei Domine, & per hoc unicum mundi remedium aliquod ſtillicidium cœleſtis gratiæ arido cordi meo infunde ad cognoſcendum te.

Nobis quoque peccatoribus.

*Pro ſemetipſo, & pro debitoribus.*

MEmento Domine famulorum famularumque tuarum N. N. Præcipuè deprecor pro his qui memoriam mei coram te in ſuis precibus

faciunt, vel qui se meis indignis precibus commendaverunt, quique etiam in tuo conspectu sua mihi delicta confessi sunt, & qui mihi, vel congregationi tuæ aliquid charitatis officio sive pietatis vel largitatis suæ studio impenderunt, quique etiam mihi propinquitatis, vel consanguinitatis, seu tuæ charitatis affectu conjuncti sunt; mihi quoque indignissimo famulo tuo propitius esse digneris, & ab omnibus delictorum offensionibus me emundare. Per, &c.

Nobis quoque peccatoribus.

*Item pro semetipso in eodem canone dicenda:*

MEmento etiam mei, quæso Deus, & miserere: & licet hæc sancta indignis meis manibus, tibi sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, offerantur sacrificia, qui nec invocare sanctum ac venerabile nomen tuum dignus sum, tamen, quæ in honore, laude, & memoria gloriosissimi & dilectissimi filii tui D. N. I. C. offeruntur, sicut incensum in conspectu Divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendantur. Per eumdem Christum Dominum, &c.

Nobis quoque peccatoribus.

*Item pro salute vivorum & mortuorum.*

MEmento etiam Domine famulorum famularumque tuarum, & beatissimæ Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum tuorum intercedentibus meritis suppliciter quæsumus omnipotens Deus, ut famulos, ac famulas tuas, quorum eleemosynas accepimus, seu qui nobis familiaritate conjuncti sunt, larga misericordia tua protegas, & ab omnibus impugnationibus defendas; ut tua ubique protectione salventur, & animabus famulorum famularumque tuarum, videlicet omnium orthodoxorum, quorum commemorationem agimus, & quorum corpora hîc & ubique requiescunt, vel quorum nomina hîc in libro vitæ scripta esse videntur, indulgentiam & remissionem omnium tribuas peccatorum, & in consortio electorum tuorum habere digneris.

*Hic recites nomina quorum velis.*

ISTis, & omnibus in Fide catholica quiescentibus, locum pacis, refrigerii, & quietis, ut indulgeas deprecamur. Per Christum, &c.

Nobis quoque peccatoribus.

MEmento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum N. N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Ipsis & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis & pacis ut indulgeas deprecamur. Per Dominum, &c.

Nobis quoque peccatoribus.

*Expletâ secretâ, & oratione Dominicâ cum dixerit:*

PAx Domini sit semper vobiscum;

*Misceatur corpus Dominico sanguini, & dicatur:*

HÆc sacrosancta commixtio corporis, & sanguinis D. N. I. C. fiat omnibus nobis sumentibus salus mentis & corporis, & ad æternam vitam capessendam præparatio salutaris. Per eumdem, &c.

Fiat commixtio & consecratio corporis, & sanguinis D. N. J. C. omnibus accipientibus nobis in vitam æternam.

*Non mittat Episcopus in calicem partem oblatæ, ut presbyteri solent, sed expectet, donec finita benedictione Episcopus communicare debeat: & tunc accipiens partem, quam antea fregerat, tenensque super calicem immittat dicens:*

SAcri sanguinis commixtio cum sancto corpore D. N. J. C. prosit omnibus sumentibus ad vitam æternam.

*Oratio.*

COncede Domine Jesu Christe, ut, sicut hæc sacramenta corporis & sanguinis tui, fidelibus tuis ad remedium contulisti; ita mihi famulo tuo indigno, & omnibus per me sumentibus, hæc ipsa mysteria non sint ad reatum, sed prosint ad veniam omnium delictorum. Per te Jesu Christe, &c.

*Post hæc dicta osculetur altare, dicens:*

DOmine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ, eamque secundùm tuam voluntatem pacificare, & adunare dignare.

*Deinde*

*Deinde convertat se ad circumstantes, pacemque ferat dicendo:*

HAbete vinculum pacis, & charitatis, ut apti sitis sacrosanctis Mysteriis.

*Et ipsi invicem se pacificando dicant.*

PAx Christi & Ecclesiæ abundet in cordibus nostris.

*Quando corpus Dominicum sacerdos in manus accipit, dicat:*

PAnem cælestem accipiam, & nomen Domini invocabo.

*Sequitur oratio.*

PErceptio corporis tui, Domine Jesu Christe, quam indignus sumere præsumo, non mihi proveniat ad judicium & condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamen mentis & corporis. Qui cum Patre, &c.

*Alia.*

FIat mihi obsecro Domine, hoc sacramentum tuum, quod indignus, & peccator præsumo percipere confisus de tua larga clementia ad viscera misericordiæ tuæ, & gratiam salutis, ad sanitatem animæ & corporis, remissionemque omnium peccatorum, ut non ad judicium, sed ad remedium illud merear percipere; Salvator mundi, &c.

*Cum corpus sumitur.*

COrpus D. N. J. C. sit mihi remedium sempiternum in vitam æternam.

*Quando calicem in manus accipit sacerdos, dicat:*

QUid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.

*Sequitur oratio.*

COmmunicatio & confirmatio corporis & sanguinis D. N. J. C. prosit mihi in remissionem omnium peccatorum meorum, & conservet me ad vitam æternam.

*Alia ad utrumque.*

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi hoc corpus, & sanguinem Filii tui ita sumere, ut per hoc merear remissionem omnium peccatorum accipere, & tuo sancto Spiritu repleri, quia tu es Deus, & præter te non est alius, cujus glorioſum nomen permanet in sæcula sæculorum. Amen.

*Cum sanguis sumitur.*

SAnguis D. N. J. Christi custodiat me in vitam æternam.

*Post perceptam communionem.*

DOmine J. C. Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu sancto per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrum corpus, & sanguinem tuum, à cunctis iniquitatibus & universis malis meis, & fac me tuis obedire mandatis, & à te nunquam in perpetuum separare digneris. Qui vivis, &c.

*Alia.*

COrpus tuum Domine quod accepi, & calix quem potavi, adhæreant visceribus meis, & præsta ut nulla ibi remaneat peccati macula, ubi tua sancta introierunt sacramenta. Qui vivis, &c.

*Deinde presbyteris & diaconis corpus in manus accipientibus & communicantibus, dicitur singulis:*

PAx tecum. ℟. Et cum spiritu tuo.

*Alia.*

VErbum caro factum est, & habitavit in nobis.

*Calicem verò cum sacrosancta commixtione dando, unicuique dicat:*

HÆc sacrosancta commixtio corporis, & sanguinis D. N. J. C. prosit tibi ad vitam æternam.

*Subdiaconis autem, ac alio clero communicet hoc modo dicens:*

PErceptio corporis & sanguinis D. N. J. C. sanctificet corpus & animam tuam in vitam æternam. Amen.

Populo

*Populo quidem communicando dicat,*

COrpus & sanguis D. N. J. C. prosit tibi in remissionem omnium peccatorum, & ad vitam æternam. Amen.

*Interim dum communicant, dicat:*

IGgnosce Domine, quod dum rogare compellor, dum per immunda labia nomen sanctum tuum assumo, & immundorum actuum secreta confiteor, non habeo apud te verba sine crimine: tu enim conscientiæ meæ vulnera, tu cogitationum mearum occulta nosti, & immunditias meas tu solus agnoscis. Miserere mei Domine, miserere: mihi ignosce mysterii tui secreta tractanti, nec indignum misericordiæ tuæ judices, quem pro aliis rogare permittis, & in quo testimonium boni operis non agnoscis, officium saltem dispensationis creditæ non recuses. Salvator miserere mei.

*Post perceptam communionem.*

QUod ore sumpsimus Domine, mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Per, &c.

*Oratio.*

OBsecro etiam te piissime omnium auxiliator, ne ad damnationem æternam mihi proveniat, quod quotidie cum conscientia polluta nomen sanctum tuum præsumo invocare, corpusque Christi Filii tui & sanguinem indignus audeo accipere: quin magis per hoc me expurges sedulo, & munias ab omnium inimicorum jaculo, ac per eum in me habitare digneris, quem ad hoc misisti; ut redimeret nos ab omni iniquinamento spiritus, & carnis. Per ipsum unigenitum Filium tuum Dominum Jesum Christum, nos omnes ab omni libera malo, & in omni bono conserva; qui tecum, &c.

*Alia.*

COnservent nos Domine munera tua, & æternam vitam tribuant nobis. Per, &c.

*Alia.*

CUstodi intra nos Domine gratiæ tuæ munus, ut adversus omnia præsentis & futuri sæculi mala, Eucharistiæ quam percepimus viribus & virtute muniamur. Qui vivis, &c.

*Alia.*

PRæsta Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, ut qui corpus & sanguinem proprium pro nobis indignis datum edimus & bibimus, fiat nobis ad salutem, & ad redemptionis remedium sempiternum omnium criminum nostrorum. Per, &c.

*Postquam Diaconus dixit,* Ite Missa est;

PLaceat tibi Sancta Trinitas obsequium servitutis meæ, & præsta, ut sacrificium, quod oculis tuæ majestatis obtuli, sit tibi placens, mihique, & omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Qui vivis, &c.

*Finitâ Missâ accedat ad Altare, & osculetur illud dicens:*

MEritis, & intercessionibus Beatæ Mariæ semper Virginis, & istorum atque omnium Sanctorum suorum, misereatur nostri omnipotens Deus, qui vivit, &c.

*Expletis omnibus, Episcopus de altari ad Sacrarium rediens cum diaconibus, & cæteris quos voluerit, cantet Hymnum trium Puerorum.*

BEnedicite omnia opera Domini Domino, Laudate Dominum omnes gentes. Laudate Dominum in sanctis ejus.

*Posteà.*

PAter noster, qui es in cœlis.

*Et preces.*

COnfiteantur tibi Domine omnia opera tua, Et sancti tui benedicant tibi.

Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

Exultent justi in conspectu Dei: & delectentur in lætitia.

Non nobis Domine non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

Sacerdotes tui Domine induantur justitiam, & sancti tui exultent.

Non intres in judicium cum servis tuis Domine, Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Domine

Domine Deus virtutum converte nos: Et ostende faciem tuam, & salvi erimus.

Benedicat nos Dominus Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

Domine exaudi orationem meam; Et clamor meus ad te veniat.

*Oremus.*

DEus, quem omnia opera benedicunt, quem cæli glorificant, quem Angelorum multitudo conlaudat, quæsumus te, ut, sicut tres pueros de camino incendii, non solùm illæsos, sed etiam in tuis laudibus conclamantes liberasti, ita nos peccatorum nexibus obvolutos, velut de voragine ignis eripias, ut, dum te pari benedictione laudamus, criminumque flammas, operumque carnalium incendia superamus, hymnum tibi debitum jure meritoque reddamus. Per Dominum nostrum, &c.

*Alia.*

DEus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium; concede propitius per intercessionem eorum, & merita omnium Sanctorum tuorum, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum, atque tormentorum. Per Dominum, &c.

*Alia.*

ACtiones nostras quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut omnis oratio, & cuncta nostra operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per, &c.

*Explicit ordo de officio Missæ.*

---

# ALTERA APPENDIX.

COntinet hæc Appendix Fragmentum Missæ ab initio usque ad Evangelium ad instar superioris, variis precationibus interpolatæ hactenus ineditum, de quo legenda sunt quæ suprà notavimus Lib. I. Cap. XII. §. 4. Atque utinam integram Missam haberemus, sed à codice M. S. avulsa erant in fine plurima folia. Erat codex Monasterii S. Vincentii Ordinis S. Benedicti, nunc asservatur in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Chisii.

Incipit Ordo qualiter Missa celebrari debeat. In primis sacerdos dicat orationem ad calceandum se.

*Calcea Domine pedes meos in præparatione Evangelii pacis, & protege me in velamento alarum tuarum.*

Ad manus lavandas. *Largire sensibus meis omnipotens Pater, ut, sicut exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic à te mundentur interius pollutiones mentis, & crescant in nobis sanctarum augmenta virtutum. Per Christum, &c.*

Ad mappam. *Da Domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam immundam, ut sine pollutione mentis & corporis valeam tibi servire. Per Christum.*

Ad amictum. *Obumbra Domine caput meum umbraculo sanctæ fidei, & pelle à me nubila ignorantiæ.*

Ad albam. *Indue me Domine vestimento salutis, & circumda me lorica fortitudinis.*

Ad zonam. *Domine accinge in me custodiam mentis meæ, ne ipsa mens inflectur spiritu elationis. Amen.*

Ad stolam. *Stolâ justitiæ circumda Domine cervicem meam, & ab omni corruptione peccati purifica mentem meam.*

Ad casulam. *Indue me Domine ornamento humilitatis, charitatis, & pacis, ut undique munitus virtutibus, possim resistere vitiis & hostibus mentis & corporis.*

Ad manipulum. *Da mihi Domine sensum rectum & vocem puram, ut implere possim laudem tuam. Amen.*

Deinde cantet cum circumstantibus clericis hos psalmos, *Quam amabilia*, id est Psal. 83. qui sic incipit in versione Italica & propria Romanæ Ecclesiæ, de qua egimus Lib. II. Cap. III. *Benedixisti. Inclina Domine. Pater noster.* Vers. *Exurge Domine adjuva nos. Fiat Domine misericordia tua super nos. Deus tu conversus vivificabis nos. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Non intres in judicium cum servo tuo. Propitius esto Domine peccatis nostris. Domine exaudi orationem meam.*

Oremus.

*AUres tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus meis, & gratia S. Spiritus illumina cor meum, ut tuis mysteriis dignè ministrare, teque æternâ charitate diligere merear. Per Dominum nostrum, &c.*

Tum dicat apud se. *Rogo te Deus Sabaoth altissime, Pater sancte, ut tunica castitatis digneris me accingere, & lumbos meos baltheo tui amoris ambire, ac renes corporis mei igne charitatis exurere, quatenùs pro peccatis meis te Dominum meum dignè possim intercedere, & astantis populi peccatorum veniam promereri, ac pacificas singulorum tibi hostias immolare. Me quoque indignum audacter ad te accedentem non sinas perire, sed dignare me tua pietate mundare, lavare, ornare, tibique idoneum & dignum ministrum efficere, leniter me ac benigne suscipere. Præsta mihi hoc omnipotens Pater per unigenitum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit, &c.*

*Fac me quæso omnipotens Deus ita justitia indui, ut in Sanctorum tuorum merear exultatione lætari, quatenus emundatus ab omnibus sordibus peccatorum, consortium adipiscar tibi placentium sacerdotum, meque tua misericordia à vitiis omnibus exuat, quem reatus propriæ conscientiæ gravat. Per Christum, &c.*

Deinde cum clerici inceperint *Gloria* post Introitum, procedat antecedente eum diacono, & ante eum subdiacono cum libro Evangelii, & ante subdiaconum acolytho cum thymiamate; ante quem duo alii acolythi præcedant cum candelabris & luminaribus, & sic ordinatè exeant à Secretario cum antiphona, *Redime me & miserere mei, ut in Ecclesiis benedicam te Deus Israël*: & Psalmo, *Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum*: & ut pervenerint ante altare, incipiant Psalmum cum Antiphona, *Introibo ad altare Dei.* Psal. *Judica me Deus & discerne causam meam*, cum *Gloria Patri*, & repetitur Antiphona. Deinde inclinati faciant confessionem Diacono stante ad dexteram sacerdotis cum Acolytho, & subdiaconus à sinistris teneat librum Evangelii contra faciem ejus.

Sequitur confessio.

*COnfiteor Deo omnipotenti, & vobis fratribus, quia ego peccavi nimis in lege Dei mei, cogitatione, sermone, & opere, pollutione mentis & corporis, & in omnibus malis, quibus humana fragilitas contaminari potest, propterea precor vos, ut oretis pro me misero peccatore.*

*Precibus & meritis sanctæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum suorum, misereatur vobis omnipotens Dominus, & dimittat vobis omnia peccata vestra, præterita, præsentia, & futura: liberet vos ab omni malo, conservet vos in omni opere bono & perducat nos pariter Christus Filius Dei vivi in vitam æternam, Amen.*

*Indulgentiam & absolutionem & remissionem omnium peccatorum nostrorum, & spatium veræ pœnitentiæ per intercessionem omnium Sanctorum suorum tribuat nobis omnipotens, pius, & misericors Dominus. Amen.*

Vers. *Converte nos Deus salutaris noster.* Resp. *Et averte iram tuam à nobis.*

*Dignare Domine die ista sine peccato nos custodire.*

*Fiat Domine misericordia tua super nos. Quemadmodum speravimus in te.*

*Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.*

Oremus.

*AUfer à nobis quæsumus Domine iniquitates nostras, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Exaudi quæsumus Domine supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem. Per Dominum, &c.*

Quibus expletis subdiaconus apertum librum præbeat sacerdoti osculandum. Osculato autem Evangelio, quod eo die legendum est, dicat: *Pax Christi, quam nobis per Evangelium suum tradidit, conservet & confirmet corda nostra & corpora in vitam æternam. Amen.* Et subdiaconus claudens librum ponat super altare in sinistro cornu. Cum verò inceperint in choro *Kyrie eleyson*, acolythi deponant candelabra in pavimento. Diaconus verò accipiat thuribulum de manu acolythi, & accedens osculetur altare, quem subsequitur sacerdos, & inclinatus oret prius hujusmodi.

*Ad te Plasmator meus, redemptor meus, salvator meus, ego miserrimus servus tuus, ad te cordis devotione confugio. Tu quia pius es miserere mei, & suscipe confessionem meam unica spes salutis meæ, Domine Deus meus: Nam gulæ, ebrietatis, & crapulæ vitiis*

*vitiis quotidie sine intermissione deservio & delector. Fornicationis, pollutionis, & libidinis stercoribus ab ipsa penè pueritiâ putrefactus sum: & omni spurcitia & immunditia libidinis intus exteriusque maculatus sum. Tristitia, acedia, somnolentia, iracundia, concupiscentia, cupiditate, avaritia, invidia, malitia, odio, detractione, suspicione, simulatione, perjurio, falsitate, mendacio, negligentia, inobedientia, vana gloria, levitate, ac superbia, perditus sum: & omni mala cogitatione, locutione, sive actione, atque omnibus malis & iniquitatibus extinctus sum. Sed tu qui justificas impios & vivificas mortuos, justifica me & resuscita me Domine Deus meus.*

Deindè surgat & osculetur dicens: *Omnipotens sempiterne Deus, qui me peccatorem sacris altaribus astare voluisti, & sancti nominis tui laudare potentiam, concede quæsumus per hujus sacramenti mysterium, meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ majestati dignè ministrare merear. Per &c.*

Et sic accepto thuribulo de manu diaconi faciat incensum super altare, & reddat eidem diacono porrigens ei osculum. Diaconus verò faciat incensum circum altare, & reversus odorem præbeat sacerdoti, redditoque thuribulo acolytho stet post sacerdotem, & subdiaconus retrò post eum. Finitis in choro *Kyrie elyson*, si tempus fuerit, dicat sacerdos *Gloria in excelsis Deo*. Deinde versus ad populum, cum quo verti debet & diaconus, dicat *Dominus vobiscum*, & orationem. Quâ dictâ subdiaconus contra altare legat epistolam, quam dum incipit, sacerdos & diaconus sedeant in sedilibus suis ad dexteram partem altaris, juxta quos & subdiaconus post lectam epistolam sedaet. Deinde canatur Graduale, Alleluja, vel Tractus, seu Sequentia. Interim verò dicantur à sacerdote vel ministris istæ Orationes.

## *Oratio.*

BEnignissime ac misericordissime, sereniissime ac clementissime Deus, cui omnis Angelica famulatur virtus, cuique quicquid sanctum ac mundum est obsequitur, ante conspectum divinæ majestatis tuæ assisto reus, sacrosancti mysterii usurpator satis indignus: quin & invocare sanctum ac venerabile nomen tuum non sum idoneus, quippe qui sum innumerabilibus criminibus prægravatus, superbiâ inflatus, cenodoxiâ turgidus, invidiâ demolitus, acediâ anxiatus, libidine flaccidus, lasciviâ dissolutus, iracundiâ stimulatus, odio inveteratus, detractione perditus, proterviâ tumidus, ventris ingluvie & gulæ appetitu immoderatus, fallaciâ repletus, immunditiê sordidatus, amore sæculi nimis detentus, avaritâ irretitus, jactantiâ elatus, hypocrisi subdolus, contentione pertinacissimus, discordiâ fraudulentus, susurratione promptissimus, rancore cordis & pusillanimitate affectatus, torpore ignavus, in jurando inconsideratus, scurrilitate assiduus, verbis otiosis & superfluis atque criminosis deditus, fornicatione tam spirituali, quam corporali graviter pollutus, & in cunctis voluptatibus in quibus humana fragilitas labi potest misserimè præcipitatus; & in omnibus omninò vitiis atque criminibus, in quibus cogitando, loquendo, & operando peccari potest, coram examine æquitatis tuæ me graviter peccasse & reum esse recognosco & confiteor. Sed tu piissime & misericordissime Deus, non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis homo vivens, quippe qui est fænum arescens, & corruptibilis caro, quotidieque ad non esse tendens omninò. Quis ergò potest mundum de immundo conceptum semine facere, nisi tu qui solus es Deus? Sicut enim pannus menstruatæ, sic immundi sumus ante majestatem claritatis tuæ Domine. In tuo namque conspectu nec ipsi cœli sunt mundi, quanto magis nos creati in carne corruptibili, atque homines terreni & immundi? Quid enim digne offerat mortalis immortali, corruptibilis incorruptibili, mutabilis incommutabili? Sed ut hoc valeret fieri, incarnatus es pro nobis Fili Dei, mundus & incorruptibilis permanens sicut es. Sacramentum quoque corporis & sanguinis tui electis tuis tradidisti, quo efficeremur de immundis mundi, de peccatoribus sancti, de incestis casti, & de fœditate nitidi, & quo possemus ante majestatem gloriæ tuæ apparere præclari. Ergò tu Domine Sacerdos summe, sanctificator & sanctificatio sacerdotii, miserere mihi homini peccatori, parce indigno sacerdoti, ignosce mysterii tui secreta tractanti, nec indignum misericordiæ tuæ judices, quem pro aliis rogare permittis, & in quo testimonium boni operis non agnoscis, officium saltem creditæ non recuses dispensationis. Et fiat mihi hæc sacrosancti mysterii frequentatio omnium scelerum meorum indulta propitiatio, Salvator mundi. Qui vivis, &c.

*Alia Oratio.*

DEus misericordiæ & veritatis, clementiam tuam suppliciter deprecor, &c. *Extat suprà in Missa Illyrici.*

*Alia Oratio.*

DEus qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum. *Ut suprà in Missa Illyrici.*

## *SEQUITUR LITANIA.*

CHriste audi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miser.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancte Sanctorum Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
S. Dei Genitrix, ora.
S. Mater Domini,
S. Virgo Virginum,
S. Regina cœlorum,
S. Mater misericordiæ.
S. Michaël.
S. Gabriël.
S. Raphaël.
Omnes S. Angeli & Archangeli.
S. Joannes Baptista.
Omnes S. Patriarchæ & Prophetæ.
S. Petre.
S. Paule.
S. Andrea.
S. Jacobe.
S. Joannes.
S. Jacobe.
S. Philippe.
S. Bartholomæe.
S. Matthæe.
Omnes sancti Apostoli & Evangelistæ.
S. Dionysi.
S. Stephane.
S. Corneli.
S. Cypriane.
S. Sebastiane.
S. Chrysante.
S. Georgi.
S. Aureli. ora.
S. Processe.
S. Januari.
S. Hermes.
S. Vite.
S. Mercuri.
S. Cæsâri.
S. Pancrati.
S. Adelberte.
S. Cyriace.
S. Evatice.
S. Phocas.
S. Joannes & Paule.
SS. Tiburti & Valeriane.
SS. Faustine & Jovita.
SS. Sergi & Bacche.
SS. Nazari & Celse.
SS. Felicissime & Agapite.
SS. Nicander & Marciane.
SS. Valentine & Hilari.
SS. Cirine & Maxime.
SS. Quadraginta Martyres.
S. Fortunate cum sociis tuis.
Omnes sancti Martyres.
S. Gregori.
S. Martine.
S. Ambrosi.
S. Pauline.
S. Maxime.
S. Felix.
S. Nicolae.
S. Remigi.
Omnes SS. Pontifices & Confessores.
S. Benedicte.
S. Maure.
S. Placide.
S. Severine.
S. Romane.
Omnes SS. Monachi & Heremitæ.
S. Scholastica.
S. Cæcilia.
S. Daria.
S. Catharina.
Omnes sanctæ Virgines.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei.
Propitius esto, Parce nobis Domine.
Ab infidiis dæmonum, Libera nos Domine.
A periculo mortis, Libera.
Ab immundis cogitationibus.
A dominatu omnium vitiorum.
A cæcitate cordis.

Ab

Ab omni malo.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut parcas nobis, Te.
Ut nobis spem certam dones.
Ut fidem rectam tribuas.
Ut charitatem perfectam conferas.
Ut cunctorum in nobis vitiorum monstra mortifices.
Ut omnium nos virtutum prærogativa vivifices.
Ut nobis per incarnationem tuam introitum in sancta sanctorum pandas.
Ut per hoc sacrosanctum mysterium animas & corpora nostra renoves.
Ut per hoc conscientias nostras purifices.
Ut hoc terribile mysterium non sinas nobis fieri ad judicium.
Ut istud ineffabile Sacramentum mundis manibus tractemus.
Ut puris mentibus sumamus.
Ut indulgentiam omnium peccatorum per hoc consequamur.
Ut per hoc tibi semper inhærere valeamus.
Ut per hoc & tu in nobis, & nos in te manere mereamur.
Ut gratiam S. Spiritus cordibus nostris infundere digneris.
Ut cunctum populum christianum pretiosissimo sanguine tuo redemptum conservare digneris.
Ut locum pœnitentiæ nobis concedas.

Pater noster. *Vers.* Converte nos Deus salutaris noster.
Dignare Domine die ista.
Miserere nobis Domine.
Fiat Domine misericordia tua super nos.
Delicta juventutis meæ & ignorantias meas.
Adjuva nos Deus salutaris noster.
Non intres in judicium cum servo tuo Domine.
Domine non secundùm peccata nostra facias nobis.
Non nobis Domine, non nobis.
Exurge Domine adjuva nos.
Domine exaudi orationem meam.

*Sequitur Oratio.*

ADjuva nos Domine Deus noster tuorum deprecatione Sanctorum, ut omnium beatorum Angelorum, Archangelorum, cunctorum spirituum supernorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Virginum, Viduarum, Innocentium, atque omnium fidelium tibi in cælo & in terra ministrantium, quorum hodie festa geruntur per universum mundum, eorum nos peccatores & indigni quod optamus & indigemus opportuno tempore sentiamus auxilium. Per te Jesu Christe Salvator mundi. Qui vivis, &c.

*Alia Oratio.*

COnscientia quidem trepida omnipotens Deus ad altare tuum accedo, sed si dimitto vereor de inobedientia condemnari. Parce ergo mihi Domine indigno famulo tuo, & licèt ad tanta mysteria celebranda semper indignus inveniar, tamen fiduciam de tua misericordia retineo. Pro qua re Deus omnipotens dignare me paterna pietate, placidoque vultu respicere, & cordis mei interiora purgare; & si ego reatu culpabilis existo, beatæ tamen & gloriosæ semperque Virginis Mariæ, & omnium sanctorum tuorum obtentu sint tibi in omnibus placita mea ministeria. Qui vivis, &c.

*Alia Oratio.*

DOmine Deus omnipotens qui es trinus & unus, ubique præsens, ubique totus, tibi confiteor omnia peccata mea, quæ si non confiterer, te tamen Domine, quem occulta non fallunt, latere non poterant: quia peccavi nimis in cogitationibus, locutionibus, diversisque operibus malis & multis. Et quia ego miser & miserabilis propter duritiam cordis mei, nisi tu adjuves me, in ipsa peccatorum meorum morte perduro, propterea precor te, miserere mei. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

*Alia.*

DEus qui de indignis dignos, de immundis mundos, de peccatoribus efficis justos, munda cor meum & corpus meum ab omni sorde & contagione peccati, & fac me dignum sacris altaribus tuis ministrum, & concede propitius, ut in hoc altari ad quod indignus ministraturus accedo, hostias acceptabiles atque placabiles offeram pietati tuæ pro omnibus

peccatis & offensionibus meis, & innumeris quotidianis excessibus, & pro omnibus qui se meis indignis precibus commendaverunt, sed & pro omnibus fidelibus Christianis, & pro omnibus circumstantibus, omnibusque mihi familiaritate vel consanguinitate conjunctis, & pro omnibus etiam qui mei memoriam in suis orationibus faciunt: & per eum sit tibi meum votum atque sacrificium acceptabile, qui se tibi Deo Patri obtulit in sacrificium Jesus Christus Dominus noster. Qui tecum, &c.

*Alia.*

INdignum me Domine fateor tuis sacris, qui innumeris quotidie fuscor peccatis. *Extat totidem verbis in superiori Missa Illyrici.*

*Alia.*

ALtissime Deus, ignosce mihi, &c. *Extat etiam supra aliquot verbis additis & immutatis.*

*Alia.*

IMpellit me ministrandi officium hostiam salutarem offerre pro populi delicto, sed terret conscientia indebiti sacerdotii, &c. *Habetur item in superiori Missa.*

*Cætera desunt.*

---

# INDEX LIBRORUM ET CAPITUM.

## *LIBER PRIMUS.*

## De his quæ ad Missam generatim spectant.


CAP. I. *De Missæ nomine, ejusque origine. Non esse Hebraicum, Græcum, aut alterius idiomatis, sed Latinum. Rejiciuntur quorumdam opiniones. Quædam obiter de Agapis veterum Christianorum. A duplici missione Missæ nomen deductum.* Pag. 327

CAP. II. *De multiplici nominis Missæ significatione. Olim pro Collectis & lectionibus, & pro divinis officiis usurpatum. Quo sensu ad dies festos, & ad omnes populi conventus translatum. Cur veteres plurali numero Missas dixerint. Quid sit Missas tenere.* 330

CAP. III. *Missæ nomen antiquissimum. A quibus primò usurpatum. Epistolis Decretalibus ab Isidoro collectis quæ fides habenda. De variis Missæ nominibus. Dicta à Latinis Collecta, Dominicum, Agenda, Communio, Oblatio: à Græcis Liturgia, Mystagogia, Synaxis, Telete, Anaphora, Prosphora, Oeconomia. Tertulliani de Missæ Sacrificio circumscriptiones.* 333

CAP. IV. *Missæ sacrificium à Christo institutum, ab Apostolis frequentatum. Ethnicorum calumniæ adversus Christianos, & earum origo. Testimonia veterum Patrum de primitivæ Ecclesiæ sacrificiis.* 338

CAP. V. *Quo tempore & quo loco prima Missa ab Apostolis celebrata sit. Quis ex illis primus omnium celebraverit. Quo apparatu, quibus vestibus, quibus verbis, quâ linguâ. Additæ quædam de linguarum mutatione. Cur linguâ vulgò ignotâ Ecclesiasticæ functiones peragantur.* 341

CAP. VI. *Diversas Ecclesiarum consuetudines in Missæ celebratione olim fuisse, & nunc esse. Quæ sit earum causa & origo. Sacrificium idem ubique quoad essentiam. Varios ritus Fidei unitatem non ladere. Quid peccatum in hoc genere.* 345

CAP. VII. *Actum in conciliis de Rituum observantia, eorumque varietate tollenda. Quomodo Sectarii Missam perverterint. Romana Missa studio Pontificum ab omnibus Occidentalibus recepta. Quorundam in hoc pœnitentia, ejusque causæ. Romanæ Ecclesiæ tradita Missa à Petro Apostolo, ab aliis aucta. Romæ olim diversa officia. Quid in his immutatum à Fratribus Minoribus.* 348

CAP. VIII. *De Liturgiis Apostolorum. Exploditur à Lin-*

*Lindano edita sub nomine Petri. Dubia fidei eas esse, quæ Matthæo & Marco tribuuntur. Astruitur Liturgia Jacobi. Cujus ævi censeantur Constitutiones Apostolicæ, & in eis descripta Clementis Missa. De Liturgia à Dionysio tradita. Anceps de eo judicium.* 353

CAP. IX. *De variis ritibus Ecclesiæ Orientalis. Cur nova Liturgia à Basilio Magno composita. De Liturgia Chrysostomi. Quæ gentes lingua Illirica Missas agant. De Colchis, Iberis, Albanis, Melchitis, Nestorianis, Jacobitis, Coptis, Æthiopibus, Maronitis, eorumque Liturgiis. Hymnus S. Ephrem. Plurimas esse apud Orientales Liturgias.* 357

CAP. X. *De Missa Ambrosiana. A quo fuerit instituta. Ordo ejus describitur. Aliquot ritus peculiares Ecclesiæ Mediolanensis.* 361

CAP. XI. *De Missa Mozarabum. Cur Hispani dicti Mozarabes. Hujus ritus institutio. Hæreticorum fraude depravatur. Desiit tandem Romanis ritibus subrogatis. Quo tempore hac mutatio contigerit, & de turbis ob eam exortis. A Francisco Ximenio restituitur. Describitur Missa Mozarabica, ejusque ritus.* 363

CAP. XII. *De Missa Gallicana ante tempora Pipini & Caroli Magni. Eorum cura ritus Romanos in Galliam introductos. Quæ sit Missa ante annos centum edita ab Illirico. Eam veterem Gallicanam non esse. Ritus Gallicani vestigia ex antiquis Scriptoribus. An idem fuerit Galliæ & Hispaniæ mos in divinis officiis. Conjecturæ & exempla veteris Missæ Gallicanæ.* 369.

CAP. XIII. *De variis Missarum generibus. Quæ sit Missa publica & solemnis. Eandem generalem & legitimam dictam esse. Missam ab initio sic institutam, ut ei populus adesset, offerret, & communicaret. Missæ publicæ cur vetitæ in monasteriis. Missæ privatæ & solitariæ discrimen. Origo solitariæ à Monachis. A quibus & quando prohibita. An & quatenus nunc licita sit.* 379

CAP. XIV. *Missæ privatæ perpetuus usus Veterum testimonio & exemplis probatur ab initio Ecclesiæ & deinceps. Idem variis argumentis ostenditur. In una Ecclesia plura altaria, pluresque Missas olim fuisse. Missæ sine communicantibus antiquissimæ. Diluitur objectio ex epistola S. Francisci.* 383

CAP. XV. *Alia quædam Missarum genera. Missarum de Tempore & de Sanctis ratio & antiquitas. Quæ sint Missæ votivæ. Sacrificium pro defunctis ex Apostolica traditione offerri. De Missa Præsanctificatorum. Addita quædam de ea, quam* Siccam *vocant. Refertur quorumdam abusus, qui plures Missas in unam congerebant.* 388

CAP. XVI. *Duplex Missa Catechumenorum & Fidelium. Utriusque ratio & origo. Missæ Catechumenorum quinam adessent. Veteris Ecclesiæ disciplina erga Catechumenos. Altum de mysteriis silentium illis præsentibus. Quot fuerint eorum classes. De tempore Catechesi constituto. Expulsio eorum ab Ecclesia quo sæculo desierit. Expulsi cum illis etiam Pœnitentes, & Energumeni.* 391

CAP. XVII. *Quibusdam olim peccatis negata venia, tum omnibus concessa. Pœnitentium quatuor classes, Flentium, Audientium, Substratorum, & Consistentium. De singulis classibus, earumque origine, statione, & disciplina. De mulierum pœnitentia. Qui fuerint Hiemantes. Pœnitentes & alii, qui Missæ Fidelium adesse non poterant, quo ordine dimitterentur. De sacramentali absolutione.* 398

CAP. XVIII. *Veteris Ecclesiæ mores ex præsentibus æstimandos non esse. Cur interdum mutati ritus. De diebus Aliturgicis. Feria quinta quare olim Missa caruerit. An quotidie veteres Monachi celebrarint. De diebus Liturgicis, & de quotidiana oblatione. Qui fuerint dies Polyliturgici. Ab uno sacerdote plures quandoque Missas una die actas, & unam à pluribus.* 401

CAP. XIX. *De Templis. Eorum usus & necessitas. Origo ab Apostolis. Veterum Scriptorum de illis testimonia. Templi & Ecclesiæ apud Antiquos discrimen. Missa aliquando extra Ecclesiam, & sine Altari peracta. Dicta quædam obiter de Cryptis subterraneis. Varia Templorum nomina. De Cemeteriis. Erecta olim Templa supra Martyrum Sepulturas. Reliquiæ Martyrum sub Altari.* 410

CAP. XX. *Altarium usus & origo. Ligneane fuerint, an lapidea. De Oratoriis privatis. Antimensia apud Græcos quid sint. De Ecclesiarum consecratione, ejusque ritus antiquitate. Vetus Templorum structura. Ad quid fontes vel putei in atrio. Sua singulis loca tributa. Discretæ mulieres à viris. De Sanctuario seu Presbyterio, & de sede Episcopali.* 416

CAP. XXI. *Sacrificium non nisi à sacerdote jejuno celebrandum. Aliquando tamen sumpto cibo oblatum. Sublatus hic abusus à Conciliis cum duplici exceptione. De Missis matutinis & vespertinis. Quæ fuerint Missæ nocturnæ. Diversæ olim horæ Missarum solemnis assignatæ pro dierum diversitate. Cur diebus jejuniorum dilata quandoque Missa usque ad vesperam. Quæ nunc horæ Missæ solemni & privatæ tributæ sint.* 422

CAP. XXII. *Quo signo Fideles tempore persecutionis ad synaxim convocarentur. Rejicitur quorumdam opinio. Reddita pace publica signa instituta & quæ. Lignorum usus apud Græcos, quæ* Semanteria *dicuntur. A quo inventæ Campanæ. An à Paulino Episcopo Nolano. De Veterum tintinnabulis. Campanæ nomen, ejusque etymologia. Quando cœperit Ecclesia Campanis uti. Ad quem spectet Campanas pulsare. De Campanis Religiosorum.* 429

CAP. XXIII. *Qualis debeat esse panis qui offertur & consecratur in Missa. Quæ gentes azymo, quæ fermen-*

mentato utantur. Discutitur de hoc controversia inter Græcos & Latinos. Quibus argumentis & conjecturis probari possit utramque Ecclesiam per multa sæcula in fermentato sacrificasse. De more offerendi panem & vinum. Quid sit fermentum quod olim Pontifices ad Ecclesias Urbis mittebant. Missam antiquitus Eucharistiam, nec non & panem communem in signum communionis. De forma seu figura panis consecrandi. Quo tempore & qua occasione panis azymus introductus. Hostiarum quibus hodie utimur origo. Quo studio olim factæ. Duplex panis & vini præparatio. Addita quædam de Eulogiis. 434

Cap. XXIV. De Sacris indumentis Sacerdotum. Pontificum & Ministrorum. Peculiares vestes, easque pretiosas sacrum agentibus in usu semper fuisse. Quis olim earum color. Locus in quo condebantur, ejusque nomina. Diaconicon, Scevophylacium, Pastophorion, Vestiarium, Salutatorium. De singulis vestimentis seorsim agitur. 447

De Amictu, ejusque usu & nominibus. Dictus olim Anaboladium. 449

De Alba & Cingulo. Albæ nomen unde. Dicta etiam Camisia. Lineæ tunicæ usus apud Ethnicos. 450

De Manipulo. Olim Mappula, Sudarium, Fanon. Ejus forma & usus. ibid.

De Stola. Quid fuerit apud veteres Ethnicos, Judæos, Christianos. Cur nostræ hoc nomen tributum. De palla linostima.. Stola olim Orarium. Quædam de hoc, ejusque usu sacro & profano. 451

De Planeta. Penula Veterum quid fuerit. Quid Phenolium. Casulæ seu Planetæ diversæ significationes. Ejus in sacris origo, forma & usus. 454

De vestibus Pontificalibus, ac primum de caligis & sandaliis, seu Compagis, eorumque vario usu. 456

De Cruce pectorali. A Græcis Encolpion dicitur. Ejus usus recentior. ibid.

De Tunica & Dalmatica Episcopali, eorumque forma, colore, & usu. 457

De Chirothecis, & earum usu. ibid.

De Anulo, ejusque antiquitate & usu. ibid.

De Mitra, ejusque usu sacro & profano. Quando cœperit idem usus in Ecclesia. Cur Græci ea non utantur. Quando & à quibus concessa Abbatibus. 458

De Baculo Pastorali, ejusque nominibus, figura, materia, & usu. Quid Subcinctorium, Epigonatium, Orale, Gremiale. 459

De Pallio Archiepiscopali. Quid sit. Quædam de usu ipsius. Quibus concedi soleat. Ejus origo. De Pallio Græcorum. 460

De vestibus Ministrorum, ac primum de Cappa sive Pluviali. 462

De veste Diaconorum. Olim Colobium, nunc Dalmatica. Ejus origo, forma, & usus 463

De vestibus Subdiaconorum. Olim sola Alba utebantur, postea Tunicam & Manipulum addiderunt. De Planetis, quæ antiquitus communes erant omnibus Ordinibus. ibid.

De habitu sacro Clericorum. Quid & quale sit Superpelliceum. 464

Cap. XXV. De Missæ apparatu in vasis, supellectili, luminaribus, Incenso, Ministris, Cantoribus, & aliis quæ infra separatim indicantur. ibid.

De Calice, ejusque origine & materia. Ligneos quandoque fuisse, lapideos & corneos; æneos item & stanneos. Actum fusius de vitreis. Ecclesiam non nisi aureos & argenteos approbasse. Addita his gemmæ & alia ornamenta. Quidam Calices cum ansis. Quidam majores & minores; ministeriales, & baptismi. ibid.

De Patena, ejusque forma & materia. Tangere vasa sacra quibus liceat. Ad quem olim spectaret illorum custodia. 469

De aliis vasis seu instrumentis ad sacrificium spectantibus: ac primum de fistula, qua sanguis Domini à calice hauriebatur. Varia ejus nomina. Cur sanguinis communioni confirmationis nomen tributum. Locus Ambrosii perperam correctus restituitur. De usu fistulæ. 470

De Urceis, aliisque vasis ad infundendum calici vinum & aquam. De Calatorio & Aquamanili. 471

Recensentur sacra Græcorum instrumenta Latinis ignota. Ea sunt Lancea, Asteriscus, Dicerion, Tricerion, Cochlear, & Flabella. Astruitur Flabellorum usus in Ecclesia Latina. 472

De Candelabris, aliisque vasis ad usum luminum. Ea in Ecclesia antiquissima esse. Solvitur objectio ex Lactantio, & ex concilio Illiberitano. 473

Cur sine Cruce celebrari Missa non debeat. De hujus ritus antiquitate. 474

De Thuribulis & usu Incensi. Antiquissimum eum esse apud omnes nationes. ibid.

De libris Liturgicis, eorumque veneratione & ornamentis. Quid fuerit Cantatorium. 475

De palla linea, quæ Corporale dicitur. Olim longior & latior erat. De Sudariolo seu Purificatorio, quo tergitur calix. De velo quo tegitur. Addita quædam de aliis velis. 476

Olim Acolythos sindonem & sacculos ad Missam portasse, & cur. De alia sindone pro recipiendis oblationibus. De velo offertorii. 478

Describuntur Altaris & Ecclesiæ ornamenta. 479.

De his qui altari inserviunt, ac primum de Diacono. Hujus Ordinis dignitas & origo. 480

De officiis & muneribus Diaconorum. Addita quædam de Diaconissis. 481

De Subdiaconis. Quando cœperit Subdiaconatus inter sacros ordines recenseri. Quæ sint officia Subdiaconi. 482

Minorum Ordinum antiquitas & origo. Afferuntur de singulis veterum Patrum testimonia. Apud Græcos soli Lectores ordinantur. 483

Quæ

*Quæ sint officia singulorum Ordinum minorum. Discrimen inter Ministros Regionarios, Stationarios, Bamen inter Ministros Regionarios, Stationarios, Basilicarios, & oblationarios. De Archipresbyteris & Archidiaconis.* 485

*Cantus Ecclesiastici origo. Quando cæperit Organorum usus. Olim plebs fidelis in Ecclesia canebat: tum instituti Cantores.* 486

*Schola Cantorum Romæ & alibi instituta. Quale fuerit olim ecclesiastici Cantus studium. De Cantorum ordinatione in Ecclesia Orientali.* 487

# LIBER SECUNDUS

## Quo singulæ Missæ Partes ac ritus sigillatim explicantur.

### CAPUT I.

*SAcerdotis ad celebrandum præparatio in quo constitat. Præmittenda peccatorum confessio. Quædam obiter de prisco usu confessionis. Apologiæ, preces præparatoriæ, & psalmi. Reconciliatio & pax cum omnibus. Puritas animi. Olim in usu erat noctis antecedentis pervigilium. Jejunium necessarium, & carnis munditia. Lotio manuum, & nitor vestium. Orationes recitandæ à sacerdote, dum sacris vestibus induitur. Panis & vini proxima præparatio.* 489

CAP. II. *Sacerdotis ad altare duplex processio. De ritu Confessionis ante Missam præmisso Psalmo* Judica me Deus. *Confessio generalis omnium gentium more probatur. Variæ ejus formulæ. Sanctorum post eam commemoratio cum osculo altaris.* 495

CAP. III. *De Introitu & ejus institutione. Antiphona quid sit. Hymnum* Gloria Patri, *Apostolicæ traditionis esse. Omnes Introitus ex Psalmis, paucis exceptis. Tropi aliquando iis additi. Quædam illorum exempla. De veteri versione Psalmorum, quæ Italica dicitur, ejusque usu in Missa. Eam adhuc vigere apud nonnullos in divinis officiis. Græcorum duplex Introitus.* 502

CAP. IV. *Alterni cantus origo. De precatione* Kyrie eleison. *Eam semper & ubique in usu fuisse. Cur à Latinis græcè dicatur. Quo ritu cantari consuevit. Ipsi addita aliquot verba. Prolixæ preces olim post* Kyrie eleison. *Hymnus* Gloria in excelsis, *à quibus compositus & auctus. Prisco more à solis Episcopis dicebatur. Inserti eidem quidam versiculi.* 507

CAP. V. *Origo & usus Sacerdotalis salutationis* Dominus vobiscum. *Græcorum salutatio* Pax omnibus. *Episcopi quoque pacem precantur. Quare præmitti soleat ante Collectam* Oremus, *& aliquando* Flectamus genua. *Collectæ nomen æquivocum. A quo primùm Collectæ sive orationes inventæ, & quæ forma in iis servanda. Earum conclusio explicatur. Cur dum recitantur, manus & brachia extendantur. De Laudibus, quæ olim post Collectam dicebantur.* 513

CAP. VI. *Epistolæ nomen cur lectionibus Liturgicis tributum sit. Earum usus antiquissimus. Lectæ aliquando Pontificum epistolæ. Ordo Lectionum à quo primùm institutus. Quo olim ritu & à quibus legerentur. De Graduali seu Responsorio, ejusque origine & variis ritibus. Vox* Alleluja *quando primùm audita. Usus ejus in Missa. Cur omittatur in Septuagesima. Tractus quid sit. De Sequentiis & illarum auctoribus.* 522

CAP. VII. *Lectum Evangelium in Ecclesia à tempore Apostolorum. Non statim hoc munus tributum Diaconis. Varii ritus legentium & audientium. Libro Evangeliorum habitus honor in Ecclesia, in Synodis, publicè & privatim. Vetus quidam Monachorum mos. Sermones, homliæ, & monitiones ad populum post Evangelium. Quædam de solemni Pœnitentium absolutione.* 529

CAP. VIII. *Incipit Missa fidelium. Symbolum ejus initium. Traditum ab Apostolis sine scripto. Quotuplex sit, & quando cæperit in Ecclesiis cantari. Offertorium, ejusque ritus. Mos panem & vinum offerendi, antiquissimus. Alia quædam his addita. De Agno à Romanis oblato calumnia Photii. Discrimen inter munera & oblationes. Non omnium dona ab Ecclesiæ recepta. Communio duplex. Non semper qui offerebant, communicabant. Offerentium nomina publicè olim recitabantur. Offerendi mos quando desierit. Oblationum Chartæ positæ in altari.* 535

CAP. IX. *Ritus oblationum describitur. An omnes offerentes accederent ad altare. Orationes quibus munera offeruntur diversas esse in diversis Ecclesiis. Vinum aqua misceri ex Christi institutione. Græci bis aquam miscent. Quo apparatu dona sacranda deferant è prothesi ad altare. Quo situ olim collocaretur hostia in altari. Thurificatio, & lotio manuum. Sacerdotis pro se ad populum deprecatio. Orationes secretæ.* 544

CAP. X. *Præfatio Missæ, ejusque ratio, nomina, & institutio. Usus ipsius in omnibus Ecclesiis, sed formulæ diversæ. Tot erant olim Præfationes quot Missæ. Postea in Romana Ecclesia redactæ ad novem. Tributa per eam hæc restrictio Pelagio Papæ. Addita unæ communis, & altera de Beata Virgine. Clauditur Præfatio hymno Seraphico. Ejus ritus & origo. Duplex Trisagion. Quot sint hymni Liturgici.* 551

CAP. XI. *Transitur ad Canonem. Ipsum interpolare illicitum. Varia ejus nomina. Origo & auctores investigantur. Agitur de prima Canonis oratione: In eamentio Papæ, Episcopi, & Regis fit. Orat sacerdos generaliter pro cunctis fidelibus, nam specialiter pro offerentibus. De nominum recitatione.* 556

CAP. XII. *Diptycha quid sint, & quot eorum genera, qui usus. Inscripta eis nomina vivorum & defunctorum. De solis vivis hic agitur. Cur fiat in Canone*

*quorundam Sanctorum commemoratio. Quædam notatu digna de Cosma & Damiano. Diversos fuisse mores Ecclesiarum in hac Sanctorum commemoratione. De oratione* Hanc igitur oblationem, *ejusque variis formulis apud Antiquos.* 561

CAP. XIII. *De Consecratione, ejusque forma & ritu. Olim fideles post verba consecrationis respondebant* Amen. *Mos elevandi Sacramentum antiquissimus apud Græcos. Quando cœperit apud Latinos. Explicantur reliqua usque ad commemorationem defunctorum. Error Græcorum schismaticorum perstringitur. Latini ab eorum calumnia vendicantur.* 565

CAP. XIV. *Refertur & rejicitur quædam interpolatio. Memoria defunctorum recitatis eorum nominibus. Cur Dionysius sola Diptycha mortuorum commemoret. Spectalis ritus Mozarabum. Quare cum mortuis nomina simul Sanctorum recensent. Qua ratione sacrificium oblatum pro Sanctis. De oratione* Nobis quoque peccatoribus. *Olim post eam benedictiones frugum & aliarum rerum fieri solebant. Omnes sacræ & Ecclesiasticæ functiones intra Missarum solemnia. Finis Canonis.* 570

CAP. XV. *De prisco usu Orationis Dominicæ in sacrificio. Gregorii Magni hac de re sententia expenditur. Ipsius orationis præfationes. Olim interdicta Catechumenis. Brevis ejus expositio. Addita Oratio* Libera nos, *quæ Embolismus nuncupatur. Hostiam frangi & particulam in calicem mitti mos est omnium Ecclesiarum. Horum rituum antiquitas.* 575

CAP. XVI. *Benedictiones Episcopales ante communionem, & priscus earum usus. De duplici benedictione in Missa. Olim preces indictæ post orationem Dominicam. Mos antiquus denuntiandi festa, jejunia, aliasque functiones post fractionem hostiæ. Ritus dicendi* Agnus Dei *quando & à quo institutus. Orationes ante communionem. Osculum pacis. Quædam obiter de osculo.* 579

CAP. XVII. *Ritus & usus Antiphonæ, quæ Communio nuncupatur. Orationes sacerdotis ante communionem. Ejus dandæ & accipiendæ diversa consuetudo. Quotidiana Veterum communio. Ea ad Clerum, tum ad ministros altaris redacta. Olim Eucharistia manu excepta, domi servata, ad absentes missa, delata in itinere, custodita in Ecclesiis, defunctis consepultæ. Hi mores an, & quando desierint. Qui fuerint alicubi in communione abusus. Modus, ordo, situs communicantium.* 586

CAP. XVIII. *Communio olim sub utraque specie. Sub una tantùm nunquam vetita, imò multoties usitata à primis Ecclesiæ sæculis, & deinceps. Quando & qua occasione fieri desierit sub utraque. Græcorum ritus in paranda Eucharistia, quam pro infirmis conservant. Mos eorum discutitur corpus Domini sanguine intinctum communicantibus porrigendi. Viguit aliquando idem usus in Occidente. Horribile exemplum damnationis hæreticorum calamo intincto sanguine Christi.* 594

CAP. XIX. *Communio puerorum. De ea quid senserint antiqui Patres, & quæ veteris Ecclesiæ praxis fuerit. Communionis nomen æquivocum. Perceptionem Eucharistiæ & mutuam Fidelium societatem significat. Quæ fuerit Communio laica, quæ Ecclesiastica. Quibusdam olim negatum Viaticum Eucharistiæ in fine vitæ. Examinantur Doctorum sententiæ de Communione peregrina. De Eulogiis, earumque usu ac distributione.* 599

CAP. XX. *Ablutio & gratiarum actio post Communionem. Orationes pro his qui communicarunt. Oratio super populum. Dimissio astantium dicente Diacono* Ite Missa est. *Cur hæc dimissio certis diebus omittatur. Consummatio Missæ, & populi benedictio. Ejus origo & ritus diversi. Evangelium post Missam. Usus ipsius recentior. Recessus sacerdotis ab altari. Hymnus trium puerorum. Sacrarum vestium depositio. Finis Libri.* 605

## APPENDIX. IN QUA

I. *Missa Latina ante centum & amplius annos à Matthia Flacco Illirico Argentinæ edita.* 611

II. *Fragmentum Missæ hactenus ineditum ex Bibliotheca Cardin. Chisii.* 633

DE

# DE DIVINA PSALMODIA,

*Ejusque*

## Causis, Mysteriis & Disciplinis,

*Deque variis ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis Divinis Officiis,*

## TRACTATUS

## Historicus, Symbolicus, Asceticus.

*SIVE*

## PSALLENTIS ECCLESIÆ HARMONIA.

*Opus novum & curiosum, ac multiplici eruditione illustratum.*

---

*Augustissimæ Cœlorum Reginæ*

## MARIÆ DEIPARÆ

In subalpinis Italiæ prope Montem Regalem
Miraculis coruscanti

D. JOANNES BONA *ejus Ecclesiæ indignus Abbas*
D. D.

ADSTO *pavens, ac tremens altari tuo*, Gloriosissima Virgo, *& hunc ingenioli mei fœtum, qui tuâ potenti manu obstetricante in lucem eductus est, pedibus tuis venerabundus advolvo. Audies hic psallentis Ecclesiæ Filii tui dilectissimæ Sponsæ mysticam harmoniam; audies ploratum multum captivæ filiæ Sion ab hoc miserrimo exilio, in quo incolatus ejus prolongatur, suspirantis ad patriam; audies mœsta Cantica, quæ labia fidelium eructant cœlestis tuæ Hierusalem æmulantium gaudia: audies,*

*inquam, & exaudies. Quid enim suavius potest in auribus tuis resonare, quam preces & Hymni servorum tuorum Deum jugiter collaudantium, & ad ipsum clamantium die, ac nocte? Hoc hujus meæ lucubrationis argumentum est, hic scopus. Sacram siquidem, & divinam Psalmodiam, ejusque Historiam, mysteria, & asceticam institutionem nova methodo explicare conatus sum: teque cœptis aspirante, te vires subministrante, quod nequaquam me posse sperabam, tandem perfeci. Indignus forem deinceps tuo patrocinio,* Clementissima Mater, *ni hoc tuum beneficium ad te rediret. Suscipe igitur quâ soles benignitate hoc qualecunque munusculum, quod templi hujus tholo inter tot quæ circumpendent aurea, & argentea anathemata reus voti jam pridem concepti affigo: nec enim minus pretiosum, vel tibi gratum fore confido, quàm si ex auro vel gemmis compactum esset. Excipe illud & fove munifico amplexu; placidissimus affulgeat illi obtutus tuæ incomparabilis pietatis tanquam solare jubar, ut per omnes orbis Ecclesias radios emittat: ut modum laudandi Numinis omnibus indicet, atque in æternum tui nominis gloria eluceſcat. Posside me ut rem tuam, ô suprema cœlorum Regina, & cum volueris in hac tibi dicata æde ægris mortalibus tot impendere beneficia, ne me indonatum hinc patiaris abire. Innova signa, immuta mirabilia. Si hic cœcorum oculos discussâ caligine, ut Solem aspicerent, aperuisti: oculos mentis meæ clarissima tua luce perfunde, ut lumen vultus Dei, quod signatum est super nos, puro semper intuitu perspiciam. Si obturatas surdorum aures reseraſti; da gaudium & lætitiam auditui meo interno, ut audiam vocem sponsi loquentis in silentio ad cor Hierusalem. Si mutarum linguarum vincula dirupisti; tribue ori meo sermonem rectum & bene sonantem, ut cum divinis concino laudes, placeant verba mea in conspectu æterni Regis. Si malè affectis pristinam valetudinem depulso morbo restituisti; sana me diuturna infirmitate laborantem, ut integer animus meus sine ulla ægritudine pravæ affectionis in die novissimo inveniatur. Id precor humillimè ante hanc mirificam imaginem tuam in genua provolutus, hac die solemni, quam nobis venerabilem reddidit Natale tuum, Anno post Verbi in utero tuo admirabilem Incarnationem* CIↃ IↃCLXIII.

---

# PRÆFATIO
## AD LECTOREM.

1. OTii Monastici, benevole Lector, rationem reddere incipio, cùm hanc meam de divina Psalmodia lucubrationem typis evulgo. Scio quidem hac ætate eruditissimâ scribentibus multa à multis imminere judicia, multas parari censuras: sed recordatus sum cum D. Hieronymo [a] illius versiculi, *

*Pollio, & ipse facit nova carmina;*

meque cum aliis plerisque tenuit, & corripuit, juxta Satyrici [b] dictum insanabile scribendi cacoëthes: Cum præsertim docuerit me vir magnus Ennodius Ticinensis [c], non minus de otioso silentio reddendam esse rationem, quàm de otioso sermone. Sed istis paginis, inquies, quid erit loci post tot sanctissimos Patres, post tot doctissimos viros, qui de

[a] *Hieron. præf. l. 3. in Oseam.* * *Virgil. Ecl. 3.* [b] *Juven. Sat. 7.* [c] *Ennod præf. carmin. 9.*

de divinis Officiis uberrima nobis Commentaria reliquerunt? An non hanc spartam satis superque exornârunt, qui viri, & quàm eximii! Isidorus Hispalensis, Amalarius Fortunatus, Rabanus Maurus, Rupertus Tuitiensis, & alii innumeri tum veteres, tum recentiores? Ornarunt illi quidem, & Ecclesiasticæ functionis Sacramenta operosissimis scriptis illustrârunt. Sed an ideò sequi pudet, quia illi præcesserunt? Nunquid, ut verbis utar D. Hieronymi *d*, aut Tertullianus B. Martyrem Cyprianum, aut Cyprianus Lactantium, aut Lactantius Hilarium deterruit à scribendo? Divina eloquia, inquit Chrysostomus *e*, fonti similia sunt largis, perennibusque fluentis scaturienti. Qui ante nos fuere pro viribus suis aquas inde hauserunt: & similiter qui post nos futuri sunt, idem attentabunt, neque sic totum evacuare poterunt: sed magis interim augescunt flumina & increscunt. Rectè Romanus Sapiens *f*. Qui præcesserunt, non præripuisse mihi videntur, quæ dici poterant, sed aperuisse. Crescit in dies materia, & inventuris inventa non obstant. Præterea conditio optima est ultimi. Parata verba invenit, quæ aliter instructa novam faciem habent: nec ullis manus injicit tanquam alienis; sunt enim publica. Jurisconsulti negant, quidquam publicum usucapi *g*. Et si concedamus omnia à veteribus inventa esse, hoc semper novum erit, usus & inventorum ab aliis scientia, & dispositio. Rectè item Damascenus *h*, Nonnunquam id, quod à perfectis relictum est, reperit puellus: & in id, quod prætercursum est à Sapientibus, incidunt idiotæ: & id quod occultatum est Magistris, comparuit discipulis. Denique alius alio plura invenire potest, nemo omnia *i*. Et sæpè juniori revelat Deus, quod melius est, ait Pater Monachorum *k*.

2. Non fuit autem meum consilium post tot editos de sacris precationibus libros malè recoctam, quod ajunt, cramben fastidioso hujus sæculi palato objicere: sed fiduciam mihi præbuit, aliquid de novo audendi id, quod scribit Augustinus *l* libro primo de Trinitate, utile esse plures à pluribus fieri libros diverso stylo, non diversâ fide, etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic. Quod si dixero me in his scriptis methodum servasse, ab aliorum methodo prorsus diversam, magis libera vox erit, quàm superba. Confer, si placet, hunc librum cum cæteris, qui hactenus de eodem argumento prodierunt, fateberis proculdubio neminem reperiri, qui omnes Divinæ Psalmodiæ partes, mysteria, & disciplinam hâc ratione explicârit. Possum audacter de stylo, & methodo hujus operis dicere, quod Phocas Grammaticus de brevitate suæ artis *m*.

*Ars mea multorum es, quos sæcula prisca tulerunt,*
*Sed nova te brevitas asserit esse meam.*

Possum quoque Paschasii Ratberti verba usurpare dicentis *n*. Expositio mea multorum eruditissimorum est Doctorum, quos antiquior tulit ætas, & firmavit auctoritas veritatis, sed proprio commendatam stylo, novitas facit esse meam; ita vt tractatus qui de omnibus colligitur, unus verè videatur, & specialiter esse meus. Si quid verò bene tractavi, malo id cum prædicto Phoca *o* lectoris judicio laudari, quàm meâ jactari prædicatione. Simias enim ferunt, inquit Synesius *p*, postquam pepererint in fœtibus suis tanquam simulachris obtutus defigere præ admiratione pulchritudinis; adeò natura ejus amans est, quod peperit: quamobrem aliis permittenda est in sobolem inquisitio. Ob id



*d Hieron. prol. l. 1. in ep. ad Ephes. e Chrys. hom. 9. in Genes. f Seneca ep. 79. g Id. ep. 65. h Damasc. orat de defunctis. i Auson. Idyll. 10. k Bened. reg. c. 3. l August. lib. 1. de Trin. c. 5. m Phocas proœmio de nomine & verbo. n Pasch. præf. lib 6. in Matth. o Phocas ibid. p Synes. epist. 1.*

Lysippus Apellem ad tabellas admittebat, & Apelles Lysippum q. Porrò si quod peccatum in hoc opere est (& sane plurima peccata sunt) meum est: si quid bonum, si quid laude dignum, non meum, sed alienum est.

3. Ex scriptis probatissimorum Auctorum pleraque meo stylo elicui illud Poëtæ sequutus r.

*Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,*
*Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.*

Nonnulla, ut apud ipsos sunt, admiscui, ut, quod ait Bernardus s ex vasculorum pulchritudine gratiora fiant, quæ in eis lectori apposuerim. Nec mihi vitio vertas (verba sunt Theodosii Macrobii t ad Eustachium filium) si res, quas ex lectione varia mutuabor, ipse sæpè verbis, quibus ab ipsis Auctoribus enarratæ sunt, explicabo: quia præsens opus non eloquentiæ ostentationem, sed noscendorum congeriem pollicetur. Afranius u togatarum scriptor, (ex cujus fabulis exempla sæpius afferunt in suis grammaticis institutionibus Sosipater Charisius, & Nonius Marcellus,) in ea togata, quæ Compitalia inscribitur; non inverecundè respondens arguentibus, quod plura sumpsisset à Menandro; Fateor, inquit, sumpsi, non ab illo modo, sed ut quisque habuit, quod conveniret mihi, quodque me non posse melius facere credidi, etiam à Latino. Plautus, Cæcilius, Terentius, & cæteri eloquentes viri, teste D. Hieronymo x non solùm versus sed multa capita acceperunt ab Antiquis. Quare Terentium Luscius Lavinius criminabatur quasi publici ærarii furem: Virgilius compilator veterum dicebatur: Tullius quoque, qui in arce eloquentiæ Romanæ stetit, Rex Oratorum, & Latinæ linguæ illustrator, repetundarum accusabatur à Græcis. Ipse Homerus, ut Eusthatius in Odisseam scribit, furti arguitur à Naucratide, quod profectus in Ægyptum Iliadem & Odisseam sibi adscripserit, quas ibi reperit in templo à quadam Poëtria jam pridem decantatas. Apollodorus citatus à Laërtio; Si quis, inquit, eximat de Chrysippi scriptis quæ aliena sunt, vacua charta relinquetur. Extat Stephani Forcatuli J. C. elegans Dialogus, qui Prometheus, seu de raptu animorum, inscribitur, alienæ inventionis prædones incessens. S. Ambrosii scripta, ut D. item Hieronymus y refert, Origenis sermonibus plena sunt; Exaëmeron autem ex Basilio compilavit. Recentiorum libri quid aliud plerumque sunt, quam Centones è pulchrioribus Antiquorum dictis? Secunda pars Theologicæ Summæ D. Thomæ magna ex parte legitur in Speculo Morali Vincentii Beluacensis. Plura capita A. Gellii transcripsit Macrobius. In Eclogis Calpurnii, & Nemesiani iidem quandoque versus leguntur, quos alter alteri sublegit. Si ab Aristotele aliena demantur, qui Phœnix videtur, cornicula apparebit, furtivis nudata coloribus. Plato se reum furti audivit accusari, quod magnam partem Philolai transtulerit in Timæum. Alia veterum Scriptorum furta recensent eleganter ex Græcis Clemens Alexandrinus z & Eusebius Cæsariensis a: ex nostris autem Aurelius Macrobius b, Augustinus Eugubinus c, & Ludovicus Cresolius d. Si quispiam novus Archimedes adesset nobis, qui proprium, & alienum in libris discerneret, si judicem haberemus Aristophanem, qui mortuorum linguam

q *Lapsus, est memoria Synesius nam Lysippum pro Protogene posuit.* r *Lucret. lib. 3.* s *Bern. serm. 3. sup. Missus est.* t *Macrob. præfat. Satur.* u *Afran. apud Macrob. lib. 6. Sat. cap. 1.* x *Hierom. proe. lib. 4. in Michæam & proem. qq. seu traditionum Hebraic. in Genes.* y *Idem initio Apolog. ad Pamach. & ep. ad eumdem de errorib. Origenis.* z *Clemens Alex. 6. Strom.* a *Euseb. lib. 10. præp. Evang.* b *Macrob. 5. & 6. Sat.* c *Eugub. de perenni Philosoph.* d *Crisol. Theatri Rhet. lib. 5. cap. 9.*

guam intelligeret; cum loquuntur per ora vivorum: Si Cratinum, qui libros torqueret, ut latrocinia confiterentur, quot in re literaria fures inveniremus? Texunt plerique libros, sicut serta ex variis floribus, *Miranturque novas frondes, & non sua poma.* Pauci possunt cum Manilio dicere [e]:

*Nostra loquar: nulli vatum debebimus orsa,*
*Nec furtum, sed opus veniet.*

4. Ab hoc autem communi vitio haud immunis ego sum: quod ultrò, & ingenuè fateor, ne me quispiam accuset, & lege Julia peculatus damnandum censeat, si hemistychium aliquod, vel integrum versum, sive sententiam probati alicujus Scriptoris meis carminibus, & scriptis immixtam videat. Vix enim fieri potest, ut quis eruditum aliquod argumentum pertractet, quin vel invitus è veterum monumentis plura transcribat. Porrò negant Jurisconsulti [f] eum damnari debere, qui pecuniam publicam acceperit, si postea erogaverit. Ligna quidem, & lapides ad hanc structuram ab aliis accepi: at ædificii forma, & constructio mea est. Sanctorum verò Patrum, & antiquorum sententias fideliter ex fonte excerpsi rivulorum perosus impuritatem: Verba tamen scrupulosè non sector, dum sensus integer maneat. Nam & Apostoli in citando veteri Testamento aliquando, & media intersecant, & ex pluribus locis unum conflant, ut Hadrianus Papa [g], Leo Castrensis [h], & Franciscus Ribera [i] doctè observant.

5. De stylo nihil habeo, quod præfari oporteat: possum autem cum Cassiodoro [k] humilem verecundè promittere, mediocrem non improbè polliceri. Sacræ doctrinæ profanam conjungere eruditionem, ubi necesse fuit, non dubitavi præclarissimorum Ecclesiæ procerum insistens exemplo [l]. Sapientia enim vocat ancillas ad arcem, & gentilis puella in conjugium assumitur à Judæo. A malis etiam Scriptoribus aliquando abstinere non potui, Senecam imitatus, qui volens Publium Mimum citare, ait [m]: Nunquam me in bona re mali pudebit auctoris. Librum in capita, capita in paragraphos subdivisi, quia, ut monet Fulgentius [n], lectoris renovat studium temperies distincta librorum. Et sicut labor viatoris hospitio, ait Augustinus [o], ita libri termino reficitur Lectoris intentio.

6. De singulis Officiis, eorumque partibus non ea dumtaxat, quæ ad Historiam pertinent, sed symbolicas insuper rationes, & asceticam doceo disciplinam. Ascetas autem illos vocant Philosophi, qui solidarum virtutum exercitationibus incumbunt: quare Patres Græci Monachos Ascetas, & Monasteria Asceteria, atque tractatus de virtutum exercitatione Asceticos nuncuparunt [p]. Quæ omnium scriptis evulgata sunt, prætermisi quandoque, quia operæ redundantis est, cunctis nota replicare [q]: atque omnia persequi velle, aut nimiæ miseriæ, aut inani jactantiæ adscribi solet.

7. Solutæ operationi quædam Poëmata intermiscui vario carminum genere, ut, si minus à stylo, saltem à versuum varietate placerent. Laudem ab istis non quæro. Licet enim scribat Cicero [r] neminem se Poëtam cognovisse, qui sibi non optimus videretur: novi tamen ego, quam sit mihi curta supellex, & jure cogor mirari cum Satyrico [s], quomodo fieri potuit, ut sic repentè Poëta prodirem. Ignosce Lector, cum possem culpa carere, malui hanc deprecari; id nimirum exigente genio meo, cui in hac re non obsequi, & si

[e] *Manil. Astronom. lib. 2.* [f] *ff. ad. l. Juliam peculat. l. 4.* [g] *Hadr. I. ep. 3. pag. mihi 740.* [h] *Leo in c. 8. & 9 Isaiæ.* [i] *Riber. in c. 13. Oseæ n. 33.* [k] *Cassiod. præf. lib. 1. Variar.* [l] *August. de doctr. Christ. lib. 2. cap. 18. & 40. Nazianz. orat. 20.* [m] *Sen. de Tranquil. cap. 11.* [n] *Fulg. inf. lib. 1. ad Monimum.* [o] *Aug. in f. lib. 1. con. adver. legis & Prophet.* [p] *Simmach. lib. 6. ep. 38.* [q] *Plin. l. 7. c. 37* [r] *Cic. 5. Tuscul.* [s] *Persius init. Satyrar.*

& si voluissem, non valuissem. Adde, quod & rationem Divinarum Laudum sequutus sum, quæ Hymnis constant, & prosa. Neque tamen fortuitò in Poëticos passim sonos erumpo, sed ibi duntaxat, ubi forma quædam subest, vel materia Poëticæ. Miscere verò Poëtica Philosophicis docet me, teste Ficino [t] omnis antiquitas, idque olim è Græcis usitatum asserit Cicero in Tusculanis [u]. Idem permittunt, & laudant Plutarchus [x], Jamblicus [y], Plinius [z], & ex nostris Pacianus [a], atque Ambrosius [b]. Nec desunt exempla: nam prosæ versus miscuere doctissimi viri Valerius Martialis, Statius Papinius, Decius Ausonius, Lucianus Samosatenus, Theodorus Prodromus, Petronius Arbiter, Fulgentius in Mythologiis quicunque ille sit, Martianus Capella, Severinus Boëthius, Valerius Probus, Phocas Grammaticus, Curius Fortunatianus Rhetor, Junius Moderatus Columella, Sidon. Apollinaris, Venantius Fortunatus, Ennodius Ticinensis, Marcus Varro in Satyris Menippæis, Seneca in ludo de morte Claudii, & multi Recentiores. Si quis autem à Poëticis alienus fuerit, Poëtica non legat, ea enim ratione composita sunt, ut sine dispendio cæterorum omitti possint.

8. Dicam ego de hoc libro, quod Chrysostomus de suis sermonibus [c]: Licet omnes non legant, pars saltem dimidia leget. Quod si nec dimidia quidem portio legerit, vel tertia pars. Quod si nec tertia, nec quarta, sint saltem decem. Quod si nec decem, saltem quinque. Quod si nec quinque, unus saltem. Et si nec unus, mercedem tamen perfectam pro meo labore, & bona intentione accepturus sum. Dicam cum Christiano Druthmano Monacho [d]; Ego nulli nolenti jussero, aut legere, aut habere hunc librum, sed qui voluerit: & si aliquis hunc detestetur, ordinet meliorem, & ego voluntariè ipsum suscipio, nam iste nihil ulli nocet. Dicam & cum Aspendio Citharædo, atque cum Hismenia tibicine quorum præclari viri mentionem faciunt [e], Novi intus mihi ipsi, & Musis canere. Mihi soli scripsi, mihi scenam struxi. Sufficiunt, mihi pauci Lectores, sufficit unus, sufficit nullus. Dicam tandem cum Valerio Martiali [f].

*Si nimius videns, seraque coronide longus*
*Esse liber, legito pauca, libellus ero.*

Vale, mi Lector, & si quid ex hujus libri lectione profeceris, Deum lauda, & ora pro me.

*t Ficin. l. 3. epist. ad Baron. Fontian. u Cic. 2. Tuscul. x Plut. comm. Quomodo adol. Poetas audire debeat, y Jambl. lib. 2. de vita Pythag. cap. 3. z Plin. junior. lib. 7. ep. 9. a Pacian. ep. 1. adv. Novatianos. b Ambros. l. 3. de fide ad Gratian. cap. 1. c Chrys. tom. 1. hom. de Paradis. & Scripturis. d Druth. prol. in Matth. e Ambros. præf. in Psalm. Hieron. lib. 2. ad Ruffin. c. 8. Dio Chrys. or. 78. Seneca ep. 7. f Martial. init. lib. 10.*

---

*IMPRIMATUR,*
Si videbitur Reverendiss. P. Sac. Palatii Apost. Magistro.

*Ascanius Rivald. Vicesger.*

Imprimatur. Fr. Vincentius Cepolla Magist. Reverendiss. P. Magistri Sacri Palatii Apostolici Socius Ordinis Prædicat.

PSAL-

# PSALLENTIS ECCLESIÆ HARMONIA.

## TRACTATUS

## Historicus, Symbolicus, Ascéticus,

## DE

# DIVINA PSALMODIA,

*Ejusque Causis, Mysteriis, & Disciplina;*

Deque variis ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis divinis Officiis.

---

### CAPUT I.

*De antiquitate & excellentia divinæ Psalmodiæ.*

METRUM I.

*Magnum opus aggredior laudum veneranda sacrarum*
*Dogmata, & arcanos Hymnorum pandere vitus.*
*Quid Psalmi, sanctæque preces, quid mystica templi*
*Religio, quid dia notent modulamina certis*
*Horarum spatiis summo resonantia Regi.*
*Quamvis priscorum dudum hæc illustria scriptis*
*Enitcant; mihi plura tamen penetranda supersunt.*
*Angelicos cantus, vixque ulli audita priorum*
*Verba referre juvat, superosque recludere sensus.*
*Tu Deus ignitis olim qui corda replesti*
*Linguarum pluviis, tanti tu muneris auctor*
*Dexter ades, nutuque tuo reserare latentes*
*Sacrorum causas liceat, gratissima dona*
*Mystis, mortalem sine te fallentia sensum.*
*Tu quoque divini purissima mater Amoris,*
*Lux mundi, cœlique decus, quæ prodiga terræ*
*Æthereas largiris opes, ac divite dextra*
*Effundis superæ septena charismata lucis;*
*Duc age, Diva, tuum salebrosa per invia vatem,*
*Te sequor, audaci labor hic tibi militat ausu.*
*Este mihi faciles & vos clarissima mundi*
*Lumina, vos cœli proceres, vos conscia Christi*
*Pectora, sidereis vos me succendite flammis.*
*Vorsitan hæc Laticas volitantia scripta per oras*
*Accendent pietate animos, cultuque perenni*
*Crescet in immensum divinæ gloria laudis.*

§. I.

*Antiquitatis quanta sit vis. Divinarum laudum antiquissima origo. Religio solius hominis propria. Cur homo rectæ staturæ. Ignorantia malorum radix. Dei cognitio difficillima. Quædam obiter adversus Atheos.*

1. SCitè quidem dictum est ab Arnobio [a] Religionis auctoritatem non esse tempore æstimandam, sed Numine: scitè quoque Tertullianus scripsit [b], res divinas debere potius de sua veritate, quam de vetustate censeri; sed quia filiorum hominum mendacium in stateris opinio est, id solum præstantissimum esse, quod est antiquissimum, operæ pretium me facturum existimavi, si in ipso tractationis limine diligenter investigarem, quibus Divinæ laudes adoleverint incunabulis, ut illarum



a *Arnob. lib. 2. contra gentes.* b *Tertull. lib. 1. adv. Marcionem.*

videlicet cognito exordio, dignitas simul & excellentia clariùs innotescant. [c] Quod si ad vulgi mentem tanta longævæ durationis potestas est, ut miscendo humana Divinis, multarum urbium & populorum initia ad Deum aliquem referre, & augustioribus primordiis consecrare potuerit; hâc sanè gloriâ sacras precationes non carere argumento esse multa possunt.

2. Fama in primis exploratissimæ sanctitatis sacrarum literarum irrefragabili testimonio, omniumque sapientum consensu confirmata. Tum natura ipsa Dei cognitionem mortalium animis ingenerans, quem cognitum summis laudibus prosequi, ejusque auxilium in omnibus implorare ejusdem naturæ ductu edocemur. Quis enim abscondi potest, ut non sentiat Dei beneficia, ut non ejus experiatur amorem? Aut quis Divinæ largitatis munificentia locupletatus non ei protinus offerat *hostiam laudis, fructum labiorum confitentium nomini ejus* [d]? Natura, inquit Simplicius [e], non homines soli, sed & muta animalia, plantæ & lapides, omnesque res pro cujuslibet facultate singula ad Deum conversa sunt. Homines verò præterea statim à pueritia ad Dei cultum à parentibus assuefiunt, communesque hominum sententias sequuntur. Omnes namque homines, & Barbari, & Græci tam priore infinito tempore, quam nunc, licet alii aliis sententiis, Deum esse arbitrabantur. Et, ut scribit Jamblicus [f], ante omnem rationis usum inest cuique naturaliter insita Deorum notio. Nam quia mundus factus est, ait Plotinus [g], si mentis aures ad hunc convertere libeat, forsitan audiemus ita clamantem: Me proculdubio fecit Deus. Eodem sensu Epictetus [h] apud Arrianum; Ex ipso, inquit, apparatu operum solerti & artificioso pronunciare solemus effectorem esse artificem aliquem, nec temerè & casu evenisse ista. Ergò horum quidvis suum nobis declarat artificem: aspectabilia verò illa in mundo corpora, inspectiones etiam, & oculis undique lumen effusum opificem suum non testabuntur? O multam cœcitatem, exclamat Trismegistus [i]! ò multam impietatem! ò multam perfidiam! Simulachrum, aut imaginem sine sculptore, aut pictore nullus fieri dicet, hoc autem opificium sine opifice factum erit? Cui consonans Tullius [k]; Quid potest, inquit, esse tam apertum, tamque perspicuum, cum cœlum suspeximus, cœlestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? Quod qui dubitat, haud sanè intelligo, cur non idem sol sit, an nullus sit dubitare possit. Nemo est enim tam rudis, tam feris moribus, ait Lactantius [l], qui non oculos suos in cœlum tollens, tametsi nesciat cujus Dei providentia regatur hoc omne, quod cernitur; aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione. Rectè Gregorius Nazianzenus [m], Sicut quispiam citharam pulcherrimè confectam & elaboratam conspiciens, ejusque concinnitatem & constitutionem; aut etiam ipsius citharæ cantum audiens, nihil aliud, quàm ipsum citharæ conditorem, atque citharœdum mente reputat, atque ad eum cogitatione fertur, etiamsi de facie ignotum: eodem modo is nobis, qui res effecit, effectasque movet atque conservat, manifestus est, etiamsi mente minimè comprehendatur. Rectè item Theophilus Patriarcha Antiochenus [n]: Sicut anima in humano corpore non videtur invisibilis existens, verum ex corporis motu cognoscitur; sic nec Deus corporeis oculis videri potest, cæterùm ex providentia, qua singula ordinat, intelligitur. Quemadmodum si quis cernat navim suis armamentis instructam mare sulcare, & in portum appellere, certè credit aliquem, à quo gubernetur in ea esse gubernatorem: sic certè nemo adeò abjecti animi est, quin credat Deum esse gubernatorem omnium, quamvis ipsum oculis carnalibus non assequamur.

3. Ideò religionem virtutum omnium moralium excellentissimam mortalium animis insevit Deus, ut quos eadem humanitas forti nexu inter se ligat, una eademque religio Deo religet omnipotenti. In hoc totius vitæ nostræ summa ratio consistit, ut summum illud Numen ante omnia cognoscamus, cognitum purgatissimâ pietate veneremur. Utrumque actum docet religio omnium bonorum firmamentum, & mater totius mundi pacatissima beatitudo. Hâc sublatâ, si quis mundum dixerit cœlum esse sine sole, nihil dixerit: Nox mera erit, & quod nocte dete-

c *T. Livius initio histor.* d *Ad Hebræos cap.* 13. 15. e *Simplicius in Epictet. c.* 67. f *Jamblic. de myster. Ægypt. cap.* 1. g *Plotin. Enneade* 3. *lib.* 2. *c.* 3. h *Epict. lib.* 1. *c.* 6. i *Trismeg. Pimandr. cap.* 5.

k *Cicero lib.* 2. *de nat. Deor.* l *Lactant. divin. instit. lib.* 1. *c.* 2. m *Nazianz. orat.* 2. *de Theolog.* n *Theoph. lib.* 1. *ad Autolycum.*

deterius est, nihilum & inane. Hâc solâ tanquàm rationalis naturæ præclarissimâ dote super bestias & universa pecora præcellit homo. Artium enim & gubernationis industria, ipsa quoque ratio, atque internos animi sensus exprimens sermo adeò hominem non distinguunt à brutis, ut plerique Philosophorum illud etiam inani subtilitate disputare præsumpserint [o]; Num brutis animantibus insit ratio. Sola religio est, cujus in brutis nullum extat vestigium. Eleganter Lactantius [p] in hanc sententiam; Summum hominis bonum in sola religione est. Nam cætera omnia, quæ putantur esse homini propria, in cæteris quoque animantibus reperiuntur [q]: cùm enim suas voces propriis inter se notis discernunt atque dignoscunt, colloqui videntur: ridendi quoque ratio apparet in his aliqua, cum demulsis auribus, contractoque rictu, & oculis in lasciviam resolutis aut homini alludunt, aut suis quisque conjugibus ac fœtibus propriis. Jam illa, quæ sibi prospiciunt in futurum, & cibos reponunt, habent utique providentiam. Rationis quoque signa in multis deprehenduntur. Nam quando utilia sibi appetunt, mala cavent, pericula vitant, latibula sibi parant in plures exitus disparentia, profectò aliquid intelligunt. Incertum est igitur, utrumne illa, quæ homini tribuuntur, communia sint cum aliis viventibus: religionis certè sunt expertia. Hinc omnium hominum sapientissimus humanam naturam diffiniens non à rationalitate essentialem ejus differentiam desumpsit, sed superà communem Philosophantium scholam altiori sublimatus fastigio, *Deum* inquit [r], *time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo.* Ergò necessariâ consecutione infert Bernardus [s], si hoc est omnis homo, absque hoc nihil omnis homo. Cultus enim Divinus, juxtà Platonicos [t], ita fermè hominibus est naturalis, sicut equis hinnitus, & canibus latratus. Chrysostomus [u] aureâ suâ eloquentia illud Geneseos explicans: *Hæ sunt generationes Noe: Noe vir justus, atque perfectus fuit.* Rarus inquit & novus genealogiæ modus. Nam ut Scriptura dixit, *Hæ sunt generationes Noe*, aures nostras excitavit, quasi genealogiam illius narratura, & quis ejus pater fuerit, & unde genus duxerit, & quomodo in hanc vitam editus, & alia quæ mos est genealogias narrantibus recensere: relictis tamen illis omnibus, & aliorum consuetudinem superans inquit, *Noe vir justus atque perfectus fuit.* Nam quia cæteri homines ob carnales voluptates, quibus immersi erant, amiserant esse homines, iste in tanto populo hominis imaginem servavit. Quæ autem est imago hominis? Rationalem esse. Quid ergò? an non & illi fuerunt rationales? Verum non hoc solùm fuerit hominem esse, sed & virtutibus esse deditum, & vitia fugere; illicitis affectionibus imperare, & mandatis Dominicis obtemperare. Nam cùm in malum declinant homines, & servi fiunt irrationalium vitiorum, hominis nomenclatura se reddunt indignos, & cum bestiis computantur. Quando enim, sicut idem alibi scribit [x], ut asinus calcitras, ut taurus exultas, libidine incensus sic hinnis ut equus: quando in epulis ursorum imitaris voratum, & pinguedine corpus mulorum more distendis: cum exercenda simultate camelum, lupum imiteris rapinâ: cùm irascaris ut serpens, & atrocitate scorpionum percutias: cùm subdole insidieris ut vulpes, ac veneno malignitatis armeris ut coluber & vipera: quâ ratione in hominum te possum numero collocare, nulla in te cernens signa humanæ naturæ? Sanè qui hujusmodi est, inquit Cydonius [y], non homo vocari debet, sed portentosa bestia, quales in fabulis describuntur, qui solo aspectu falsam hominis speciem præ se ferat.

4. Hominum verò brutorumque discrimen ipsa corporum figuratio demonstrat. Cætera animantia prona facie incurvantur in terram, quia ventris, in quem deflectuntur, solas sequuntur voluptates: Homo recto stat corpore despicitque terras, ut qui erecto vultu intuetur cœlum, quæ sursum sunt quærere discat, non quæ super terram. Rectè Silius [z].

*Nonne vides hominum ut celsos ad sidera vultus*
*Sustulerit Deus, ac sublima finxerit ora:*
*Cum pecudes, volucrumque genus, formasq; ferarum*
*Segnem, atque obscœnam passim stravisset in alvum?*



o *Plutarchus in opusc. de hac re, & Sextus Empyric. l. 1. Pyrrhoniorum cap. 34.* p *Lact. lib. 3. c. 10.* q *Bruta uti ratione affirmabat Celsus Epicureus, ut ait Origenes lib. 4. contra ipsum. Vide item Porphyrium lib. 3. de Abstinentia. Lud. Vives lib. 2. de Anima, Lal. Bisciolam tom. 2. Hor. Subc. lib. 1. cap. 4. & Joan. Eusеb. Nieremberg. lib. 3. Hist. nat.* r *Eccles. 12: 13.* s *Bern. ser. 20. in Cantic.* t *Ficinus lib. 14. Platon. Theologia. cap. 9. Gen. 6: 9.* u *Chrys. hom. 23. in Gen.*

x *Idem Hom. 4. in Matth.* y *Cydon. orat. de contemnenda morte.* z *Silius Italic. lib. 15. v. 84.*

Solus nempe homo, ait Ruricius Lemovicensis Episcopus [a] de omnibus animalibus sublimis creatus est, ut auctorem suum semper cœlo intentus aspiciat, non mundalia opera solo defixus exerceat. An non confunderis, exclamat Bernardus [b], sursum caput habere, qui sursum cor non habes? corpore rectus stare, qui corde repis in terra? His autem qui terrena sapiunt, quam læti illudunt dœmones prophetico sermone dicentes [c], *Incurvare, ut transeamus?* Propterea, ut scribit Julius Firmicus [d]; Nihil aliud, dum in hac vitæ brevitate sumus, nobis elaborandum est, nisi ut terreni corporis labe purgatâ, & amputatis, si fieri potest, omnibus vitiis, incorruptam animi divinitatem, & nullâ scelerum contagione pollutam auctori nostro reddamus Deo, ne divinæ fabricationis immemorem animum vitiosis libidinum laqueis implicatum, tamquam projectum per præcipitia perdamus. Nihil enim debemus cogitare terrenum, præsertim cum sciamus, fabricatorem nostrum Deum ita nos divini artificii moderatione fecisse, ut recti corporis forma ab omni humilitatis dejectione depositâ, nihil aliud primum patefacta oculorum acie, nisi Solem & Lunam, stellasque & horum omnium pulcherrimum, atque immortale domicilium videremus. Simile est illud Octavii apud Minutium Felicem [e]. Præcipuè cùm à feris belluis hoc differamus, quod illa prona, in terramque vergentia nihil nata sint prospicere, nisi pabulum; nos quibus vultus erectus, quibus suspectus in cœlum datus est, sermo & ratio, per quæ Dominum agnoscimus, sentimus, imitamur, ignorare nec fas, nec licet ingerentem sese oculis, & sensibus nostris cœlestem claritatem. Sacrilegii enim vel maximi instar est humi quærere, quod in sublimi debeas invenire. Augustinus [f] item sic de hac re philosophatur; Figura corporis non proni, sed erecti sumus. Qua in re admonemur ab eo, qui nos fecit, ne meliore nostri parte, id est animo, similes pecoribus simus, à quibus corporis erectione distamus. Sed sicut corpus ad ea, quæ sunt excelsa corporum, id est ad cœlestia, naturaliter erectum est; sic animus, qui substantia spiritalis est, ad ea quæ sunt in spiritualibus excelsa erigendus est, non elatione superbiæ, sed pietate justitiæ. Propter hoc enim, ait Chrysostomus [g], rationales facti sumus, & à brutis differimus, ut laudemus, celebremus, glorificemus jugiter Dominum omnium conditorem.

5. Rectus itaque Deus rectum hominem fecit, at ille recto corpore curvum animum gerens tantum Dei munus neglexit, & degeneri conversatione naturæ jura transgrediens *cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis* [h]. Prodiit hæc perversitas ex ignorantia, ex infecta radice pessimus frutex. Quam veritatem in cæca errorum nocte Philosophus Chæronensis [i] videns, inscitia Deorum, atque ignoratio, inquit, jam inde ab intio in duos quasi rivos dimanans ab una parte in duris ac refractariis ingeniis, tanquam in aspero solo, impietatem, quæ nullos putat esse Deos: ab altera velut in molli ac tenero solo superstitionem animis lenibus ingeneravit. Nam, ut unum omnium rerum principium fuit, cujus omnipotentia è nihilo cuncta produxit, ita olim una de illo scientia erat, atque una religio, quæ cum primis parentibus nata ad posteros est devoluta, ut in libris de perenni philosophia doctissimè disserit Eugubinus [k]. Sed cum ingenti propagatione diffusi longius à se homines recessissent, spretoque virtutum exercitio rebus dumtaxat terrenis incumberent, tum rerum præteritarum memoriam, tum ipsum Dei cultum neglexerunt. Ita solet fama non tam vires acquirere, quam perdere eundo: sicut aqua in plures rivulos derivata, quò magis à fonte recedit, eò insalubrior evadit. Hoc modo labefactata religio tot fabulis ac figmentis violata est, ut non minus in Dei cognitione, quam in ejus cultu maxima inconstantia, & veri ignoratione plerique mortalium errarint. Nam veri Dei vera notitia vix in una Israëliticæ gentis prosapia integra mansit, sicut scriptum est: *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus* [l]. Unde & Ethnicus quidam scriptor [m] de illius populi moribus differens, Diversum, ait, à reliquis hominibus obtinent, cum aliis in rebus usuque vitæ quotidiano, tum eo præsertim quod nullum ex cæteris Diis colunt, suum illum Deum ineffabilem, invisibilemque existimantes. De quibus & Satyricus cecinit [n].

Qui-

a *Ruric. l. 2. Ep. 42.* b *Bern. serm. 12. de diversis.* c *Isai. 51. 23.* d *Julius Maternus Firm. præf. lib. 8. Matheseos.* e *Min. Felix in Octavio.* f *August. lib. 12. de Trinit. c. 1.*

g *Chrys. hom. 26. in Gen.* h *Psalm. 48.* i *Plutarc. initio lib. de superstit.* k *Aug. Eugubin. lib. 1. de per. Philosophia.* l *Psalm. 75.* m *Dio. Cassius lib. 37. histor.* n *Juvenal. sat. 14.*

*Quidam sortiti metuentem sabbata Patrem*
*Nil præter nubes, & cœli Numen adorant:*

Quosdam quidem fuisse extra genus Israëliticum, qui ad cœlestis civitatis consortium ante Christi tempora pertinerent, ostendit Augustinus [o]: sed hi pauciſſimi sunt, vixque numerum faciunt, si cum infinita perditorum hominum multitudine comparentur. Gens enim humana semper malè de Deo meruit, ut loquitur Tertull. [p]. primò quidem ut inofficiosa ejus, cum intelligeret ex parte non requisivit, sed & alios insuper sibi commentata est, quos coleret: dehinc quod non inquirendo innocentiæ magistrum, & nocentiæ judicem, & exactorem, omnibus vitiis, & criminibus inolevit. Cæterùm si requisisset, sequeretur ut cognosceret & recognosceret requisitum, & recognitum observaret, & observatum magis propitium reperiretur, quam iratum.

6. Difficile quidem est, quis & qualis sit Deus, absque divini luminis illustratione dignoscere, nam, ut Heraclitus apud Themistium [q] dicit; Natura latere gaudet, & ante naturam naturæ opifex, quem vel ea de causa veneramur, & admiramur, quod minimè sit expedita ipsius cognitio, nec sine sudore comprehendi possit. Et ut Magnus Gregorius scribit [r]; Penè omne quod de Deo dicitur, eo ipso jam indignum est, quod potuit dici. Nam cujus laudi non sufficit obstupescens conscientia, quando sufficiet loquens lingua? Notum est illud Simonidis apud Ciceronem [s]; qui ab Hierone Rege Siculo interrogatus, quid Deus sit, diem unum huic considerationi petiit: elapso illo, nondum sibi liquere dixit, & biduum in eandem deliberationem postulavit, elapso & biduo, triduum sibi depopoſcit: denique *id unum* respondit, quo plus cogitaret, plus cogitandum occurrere; minus atque minus expediri se, quo diutius in hac cogitatione luctaretur. Hanc Simonidis cunctationem admirandam omnibus, & sectandam, ait Cæcilius apud Minutium Felicem [t]. Tantum enim virium non habemus, inquit Plutarchus [u], uti nostra ratione assequi Dei cognitionem valeamus. Et Fulgentius [x]; Quomodo, ait, sufficienter, aut dignè loqui poterit quis? de quo? homo de Deo, mortalis de immortali, visibilis de invisibili, parvus de immenso, temporalis de æterno, de creatore creatura? Auctor item libri de operibus Christi cardinalibus apud Cyprianum, quem esse Arnoldum Abbatem nuper repertum est. Affirmatio, inquit, de Dei essentia in promptu haberi non potest, neque enim difficilis est Divinitas, sed verius, sinceriusque remotio indicat negando quid non sit, quam asserendo quid sit. Atque, ut docet Ficinus [y], sicut sol sine sole non cernitur, ita neque Deus sine Deo cognosci potest. Sapienter Hilarius [z] Pictavienſis Episcopus; Deus invisibilis, ineffabilis, infinitus, ad quem & eloquendum sermo sileat, & investigandum sensus hebetetur, & complectendum intelligentia coarctetur. Perfecta scientia est sic Deum scire, ut, licet non ignorabilem, tamen inenarrabilem scias. Credendus est, intelligendus est, adorandus est, & his officiis eloquendus est.

7. Esse verò Deum, eumque unum, infinitum, sapientissimum, & immortalem adeò manifestum est, ut omnino inexcusabiles sint, non illi, qui dicunt in corde suo, *Non est Deus* [a]; sed & illi, qui, ut dicit Apostolus [b], *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Dum enim abjecta, & indigna veneratione lignum adorabant, & lapidem, debere se cultum conditori omnium profitebantur. Inveniſſent proculdubio Deum, si inquirendi apponere voluissent affectum, dicente Domino [c], *Quærite, & invenietis:* nec eò dementiæ devenissent, ut terram colerent, quæ idcirco pedibus nostris subjecta est, ut calcanda nobis sit, non adoranda. De humano videlicet arbitratu Divinitas pensitatur, ut loquitur Tertullianus [d]: omnisque error religionis inde promanat, teste Augustino [e], quia anima pro Deo suo phantasmata sua colit. Et quidem lex intus inserta docuit Numinis venerationem, sed negligentia, & contumacia invenire non meruit veritatem: quia cum veritatem cognoscerent, & contemnerent, jure receperunt in pœnam, ut nec cognoscerent. O stultitiam filiorum hominum sub vestigiis pedum suorum Deum sibi quærentium, quem adorarent!

o *Aug. lib. 18. de civit. Dei c. 47.* p *Tertull. in Apolog. cap. 40.* q *Themist. orat. in laudem Joviani.* r *Greg. lib. 20. mor. cap. 23.* s *Cic. lib. 1. de nat. Deorum.* t *Min. Felix. in Octavio.* u *Plut. in lib. de Pythiæ oraculis.* x *Fulg. serm. de duplici nativ. Christi. In præf.*



y *Ficinus lib. de Christ. relig. c. 2.* z *Hilar. lib. 2. de Trinitate.* a *Psalm. 13.* b *Ad Rom. 1:21.* c *Matth. 7:7.* d *Tertull. Apolog. cap. 5.* e *Aug. de vera relig. cap. 9.*

*Non pudet in Divos feles, & bruta referre?*

ait Sibylla apud Theophilum *f*; & ut Christianus Poëta *g* canit,

*Nonnulli venerantur olus, molleſque per hortos*
*Numina ficca rigant.*

Ægyptii scilicet, quorum nascentia in hortis numina quoque Ethnicus Poëta *h* irridet in Satyra: ut non immeritò Regius Propheta *i* in speciem acerbioris vindictæ imprecatus sit, ut similes Diis suis cultores eorum efficerentur. Hæc duplex in orbe terrarum viget impietas, duplex atheismus, ut Philotheus *k* affirmat Episcopus Constantinopolitanus, Deos nimirum sibi fingentium, cultumque creatoris transferentium ad creaturas: & eorum, qui Deum omnino negant, qui, ut Satyricus cecinit *l*,

*—— In fortunæ caſibus omnia ponunt,*
*Et nullo credunt mundum rectore moveri,*
*Natura volvente vices & lucis, & anni:*
*Atque adeò intrepidè quæcunque altaria tangunt.*

Hoc summum nefas est, & ad omnem malitiam gradus.

*Heu primæ ſcelerum cauſæ mortalibus ægris*
*Naturam neſcire Deum.* *m*

Quamquam affirmat Plato *n* magna mens Philosophorum, neminem unquam, qui hanc opinionem de Diis habuerit, quod non sint, in hac sententia ad senectutem usque perseverasse. Deum enim, inquit Paulus Orosius *o*, quilibet hominum contemnere ad tempus potest, nescire in totum non potest. Maximus Tyrius *p* doctissimus Platonicorum: In tanta, ait Philosophorum pugna, contentione, ac dissonantia, nusquam gentium cernere est aut leges, aut rationes non in hoc saltem omnes convenire, quod unus Deus Princeps, ac Pater omnium existat. Hoc non solum fatetur Græcus, sed & Barbarus, sed & insularum, & continentis habitator: ipsi denique qui sapientiam abnegant. Nam quo pacto rationem hominis obtinere poterit, qui Deum negat animæ suæ parentem? est enim homo, ut Hildebertus Episcopus scribit *q*, animal divinum, & quasi quodam participio Numinis insignitum. Ossibus, & carne parentem circumfert, & sapit terram; ratione Deo se propinquum, & affinem denuntiat. Porrò brutalem Atheorum impietatem, quamvis non sit hujus loci pluribus redarguere, libet eam tamen hoc claudicante metro detestari.

## METRUM II.

*Ergone quiſpiam ſub axe cælorum eſt,*
*Delius adeò, ut dicat in ſuo corde*
*Non eſt Deus? vel plenus improbis votis,*
*Orbis Monarcham, ſiderumque rectorem*
*Turpi veterno publicæ rei ignarum*
*Clauſum latere in ædibus poli credat?*
*Sicne in Deum conſpirat, & minas jactat*
*Vilis homo, ſpolium mortis, urna fœtoris,*
*Lutoſa terræ maſſa, pulveris ſaccus?*
*Ergò ſolutus Numinis metu infælix*
*Sic in diurna luce ſponte caligas,*
*Naturæ apertis abnegans fidem dictis?*
*Videſne ut undas legibus nitens Phœbe*
*Temperet? ut uda comprimat Thetis fluctus*
*Tenuis arenæ terminum mari ponens?*
*Ut ſemper Helles portitor, parens florum*
*Juſtis adæquet partibus diem nocti?*
*Vides ut æſtu torridus feras cancer,*
*Caprique ſidus algidum ſtatis horis*
*Siſtant diem, ſoliſque curſus metas*
*Ponant? ut errent fulgidæ poli flammæ,*
*Serventque certo fœdere inditas leges?*
*Quis volvit aſtra? quis rotat vices rerum?*
*Quis è recondito, abditoque theſauro*
*Educit Æoli furentis inſanam*
*Turbam, procellarumque concitat nimbos?*
*Quis lacte pingit lilium, quis argento*
*Liguſtra, calthas ignibus, roſas auro?*
*Quis univerſam graminumque, florumque*
*Hortique, pratique decorat venuſtatem?*
*Annè reperiri vanitas poteſt major,*
*Quàm mentis effræni impetu Deum ſummum*
*Temerare, & illi ſceptra denegare orbis?*
*An quod ſceleſtis proroget viri pœnas,*
*Dormire credit impius pigrum Numen?*
*Sed præſtat alto nos ſilentio Divos*
*Colere, luent mox impii ſcelus: tuncque*
*Vindicta cælum abſolvet: & malos perdet.*

Optimè de hac re oris aurei concionator *r*. Non est fundamentum, & quonam modo stat ædificium? Non est carina, & quomodo consistit navigium? Non est fabricator navis, & quonam modo navis comparata est? Non est ædificator, & quomodo domus facta est? Non est architectus, & quis urbem condidit? Non est agricola, & quomodo agri tulere manipulos? Non est musicus, & quomodo in mundi lyra appa-

*f* *Theoph. lib. 2. ad Antolyc.* *g* *Sedulius carm. paſch. lib. 1.* *h* *Juven. ſat. 15.* *i* *Pſalm. 113.* *k* *Phil. in laud. SS. Baſilii Greg. & Chryſoſtomi.* *l* *Juven. ſat. 13. v. 86.* *m* *Silius lib. 4. v. 794.* *n* *Plato 10. de legibus.* *o* *Oroſ. initio lib. 6. Hiſtor.* *p* *Maxim. Tyrius ſerm. 1.* *q* *Hildebert. Epiſt. 56.*

*r* *Chryſoſtom. in Pſalm. 13.*

apparet concentus? Non est qui provideat, & quomodo per omnia pervadit providentia? Non est auriga, & quomodo quatuor elementorum currus agitur? Non est statuarius, & quomodo homines veluti quædam statuæ in mundo facti sunt? Non est fornicis constructor, & quis tibi cœli fornicem construxit? Non est aurifex, & quis veluti discum aureum tanquam in mensa solem in cœlo posuit? Non est qui ferat lampadem, & quis tibi veluti lampadem argenteam dedit lunam in nocte? Non est qui illuminet, & quis tibi clara, & lucem præbentia dedit luminaria? Non est qui faciat solus magna lumina, & quis accensos astrorum lychnos tibi in cœlo posuit? quemadmodum dicit Propheta *s*, *Qui fecit luminaria magna Solus, solem ut præsit diei, & lunam ut præsit nocti.* Non est opifex, & quomodo pulchritudo creaturarum testatur creatorem? Quæcunque in mundo fiunt, aguntur, exercentur, habent qui eis præsit, eaque perficiat: & solus mundus non habet qui eum administret? Hactenus Chrysostomus. Extolle te igitur, atque erige spiritus meus, & virtute, qua à Deo mihi es inspiratus, ut verbis utar Marii Victorini Afri *t*, agnosce Deum intelligere difficile, non tamen desperatum; nam ideò nosse se voluit, ideò mundum, & opera sua divina constituit, ut eum per ista omnia cerneremus. Scire autem quid sit Deus, hoc est vivere, hoc est esse. Quid est enim homo, inquit Bernardus *u*, nisi quod tu ô Deus innotuisti ei? Itaque si notitia Dei causa est, ut homo aliquid sit, ignorantia facit, ut nihil sit. Quare Plato *x* maximum esse censet nostræ divinitatis indicium, quod soli nos in terris tanquam sortis divinæ participes Deum cognoscimus, & invocamus, cultuque religioso tanquam supremum Numen colimus, & veneramur.

## § II.

*Sensum Religionis hominibus innatum Dei existentiam probare. Divinæ laudis initium ab Angelis, imo ab ipso Deo. Unde sumi debeat Ecclesiasticæ Psalmodiæ origo.*

1. COnstat igitur, viguisse semper divini cultus aliquod studium, quamvis barbaræ gentes extra leges, moresque projectæ sacrilegis erroribus religionis candorem depravarint. Est autem quidam religionis sensus ita cunctis innatus, & in animo quasi insculptus, ut ex eo sumpserit argumentum ad probandam Dei existentiam Sextus Empyricus Pyrrhonius *y*: Si non sunt Dii, inquit, nec religio, quæ est scientia cultus Deorum: eorum enim, quæ non sunt, cultus esse nequit; est autem religio, ergo sunt Dii. Quædam verò naturalis propensio ad religionem, ut Themistius scribit *z*, omnium hominum communis est; ratio tamen, & modus colendi Numinis pro cujusque libertate diversus. Quæ cum ita sint, tantam habent divinæ laudes antiquitatem, quantam habet religio. Religio autem humanæ menti ingenita virtus cum primo parente nata ab eodem in filios, & nepotes diffusa est.

2. Verumtamen non ad solos homines spectat prima divinarum laudum exercitatio. Est aliud, quod eis debetur, sublimius initium à nobilioribus creaturis. Nam & super muros cœlestis Hierusalem constitutos custodes, qui non taceant die, ac nocte laudare nomen Domini Isaias Propheta commemorat *a*. Seraphicos item spiritus apud eundem legimus alterna modulatione clamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria ejus b*. Quæ verba explicans Chrysostomus, in cœlis, ait *c*, exercitus Angelorum Deum celebrant, in terris hominum chori easdem divinas laudes imitantur. In cœlis Seraphim hymnum ter sanctum exclamant, in terra hominum cœtus eundem modulantur. Cœlestium verò, & terrenorum communis quædam Panegyris admirabili concentu constituitur, una gratiarum actio, unum gaudium, unus lætitiæ chorus, atque concentus. Sed & ipse Dominus Angelorum, *Ubi eras*, ait ad Job *d*, *quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi, si habes intelligentiam. Cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei.* Obstupuerunt videlicet Angeli sancti ipso rerum aspectu, cùm pulchritudinem vidissent creaturarum: nam prima die divisa est lux à tenebris, Angeli scilicet boni à malis, ut Hugo Victorinus docet *e*. Quod enim agebatur in mundo sensibili, imago erat eorum, quæ in mundo intelligibili agebantur. Existimat autem Hugo simul cum cœlo, & terra creatos fuisse Angelos, & per illam moram, qua terra

*s* *Psalm.* 135. *t* *M. Victor. l.* 3. *adv. Arium.* *u* *Bern. Epist.* 18. *x* *Plato in Protagora.*

*y* *Sext. Empyricus lib.* 8. *adv. Mathematicos.* *z* *Them. orat.* 12. *ad Jovian. Imp.* *a* *Isai.* 62: 6. *b* *Isai.* 6: 3. *c* *Chrys. hom.* 1. *de verbis Isaiæ.* *d* *Job* 38: 4. 7. *e* *Hugo lib.* 1. *de Sacramentis.*

terra fuit inanis & vacua, usque ad lucis creationem, eos in via fuisse ad merendum, & demerendum. Tum creata luce qui fuerunt in gratia confirmati, quomodo putas jubilarunt? quam excelsis, & sonoris vocibus celebrarunt Deum? O si haberemus Hymnos illos, & digni essemus ore humano eos proferre, quam perfecta esset in ore nostro laus divina! Quartâ verò die censet Anastasius Synaita *f* Angelos laudasse Deum, non solum propter creationem astrorum, sed etiam propter mysterium Incarnationis, quod in illis repræsentabatur. Hymnis, inquit, Deum celebrarunt. Quamobrem? Quoniam facta sunt astra? Non certè propterea; sed cum vidissent solem è terra recurrentem, in mysterio didicerunt Christi Incarnationem, & è terra assumptionem; & ideò, cum vidissent eum ex sancta Virgine tanquam ex abysso exortum, statim exclamarunt dicentes, Gloria in excelsis Deo. Optimè Rupertus Abbas *g*. De tenebris jubente Deo resplenduit lux, Angelica scilicet creatura, quando dixit Deus in principio, hoc est in Filio suo: Fiat lux, & facta est lux. Unde Angeli non ingrati incessabiliter laudant, confitentur, amant, adorant. Hujus eorum laudis, vel confessionis assiduitatem, & incessabilem intentionem mirificè Psalmista his verbis exprimere contendit *h*: *confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.* Magnificentius & dignitatem ejus, qui laudatur, & eorum qui laudant instantiam exprimere non potuit. Suo namque indumento jure quisque vestitur, quia non alterius, sed suum est, quod tunc illum non dedecet, si secundùm habitudinem corporis ejus benè accommodatum est. Cum ergò dicit confessionem, & decorem induisti, amplissimè gratulatur, & optimè dicit, dignum illum esse tantis confitentium Angelorum laudibus, & decere illum quicquid boni clamare possint, aut norint, eò quod ipsa substantiæ, vel vocis eorum organa ille fecerit, & in circuitu excelsi solii sui in magno honore feliciter constituerit, vel ordinaverit. Sublato quoque, & terribiliter deturbato Sathana cum Angelis ejus, continuò profectum hunc sancti Angeli habuerunt, ut novam divinæ laudis habentes materiam, novum inciperent canere canticum, sicut idem Tuitiensis Abbas observat *i*. Et in creatione mundi, teste Basilio Seleuciæ Episcopo *k*, spectaculi stupore correpti, ad singula quæ fiebant iteratis faustis acclamationibus conditorem prosequebantur. Hæc sunt divinorum cantuum auspicatissima natalia, hæc alternæ modulationis regalia prorsus, ac dignissima incunabula.

3. Sed quid Angelos commemoro? Pudet ab illis divinæ laudis repetere antiquitatem, quæ ipsimet divinæ æternitati coëxistit. Deus, Deus, inquam, in augustissima illa solitudine, antequam quicquam faceret à principio, se solo gloriossimè beatus seipsum jugiter collaudabat. Omnem superat creatarum mentium intelligentiam dulcissima illa, & consonantissima harmonia, qua se mutuò laudant in simplicissima unitate tres distinctæ personæ: Pater à nullo genitus, principium sine principio: Filius Verbum Patris, paternæ gloriæ splendor, omnium intelligibilium expressio: Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedens, utriusque nexus, & amor, fons pacis, & bonitatis. Deus nimirum se digessit in Deum, ut ait sanctus Zeno *l*, & suo manente integro statu totum se Pater reciprocavit in Filium: atque alter in altero exultat cum Spiritus sancti plenitudine una originali coæternitate renitens. In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater. Unus in altero est, numerum tamen sine numero omnes conservant: Pater Filio semper interior, semperque manet exterior, ut loquitur Hilarius *m*, & excedens quicquid humano sensu concipi potest, ex se Filium genuit, non ex aliqua subjacente materia, quia per Filium omnia: non ex nihilo, quia ex se Filium: non ut partem sui, quia in ipso est omnis plenitudo divinitatis. Laudat autem Filium Pater, quia Deus ex Deo est: laudat Patrem Filius, quia ipse est Verbum Patris, quo ille dicit omnia: laudat Spiritum sanctum Pater, laudat Filius, nam ex Patre, Filioque procedens utriusque amor, & nexus est: laudat Spiritus sanctus Patrem, & Filium, qui cum Patre, & Filio in summo, & incredibili regnat unitate. O musicam! ô laudes! ô supremi Seraphici spiritus! ô excellentissimæ creaturæ, velate alis faciem vestram, demittite pennas, & præ admiratione deficite ad tantam archetypæ musicæ suavitatem. Sordescit in ore proprio humana laus, quia, ut dicit Plutarchus *n* in eo libello, quo tractat, qua quis ratione seipsum citra invidiam laudare possit; qui seipsos laudant imprudentes sunt, nam decebat eos pudor, etiamsi ab aliis laudarentur: sunt etiam

*f* *Anastas. lib. 4. Hexam.* *g* *Rupert. in Gen. lib. 1. c. 12.*
*h* *Psalm. 105.* *i* *Rupert. lib. 1. de victor. Verbi Dei cap. 30.* *k* *Basil. Seleuc. or. 1. in cap. 1. Gen.*
*l* *Zeno serm. 1. de Genesi.* *m* *Hilar. lib. 3. de Trinit.*
*n* *Plutarchus.*

etiam injusti, quia sibi sumunt, quod tribui ab aliis debuit. At Deus, cum sit infinitæ virtutis, ipse solus potest se dignè laudare, qui propriam solus immensitatem comprehendit. Audeo dicere cum Augustino o; Ut benè ab homine laudetur Deus, laudavit se ipse Deus. Et quia dignatus est laudare se, ideò invenit homo quemadmodum laudet eum. Neque enim hoc potest dici Deo, quod dictum est homini, *Non te laudet os tuum* p. Ut homo se laudet arrogantia est, ut Deus se laudet misericordia est. Novit prodesse nobis, ut amemus eum, ideò laudando se, amabilem se facit, ut nos amando, & laudando eum, meliores efficiamur. Deus itaque, inquit Gregorius Magnus q, qui nos prohibet, ne proprio ore laudemur, per Scripturam sacram laudes suas loquitur, ut valeamus eum audientes cognoscere, cognoscentes amare, amantes sequi, sequentes adipisci, adipiscentes verò ejus visione perfrui. Unde Psalmista ait r, *Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo, ut det illis hæreditatem gentium.*

4. Laus ergo divina, si ad ipsummet Deum referatur, tunc incœpit, cum non erat tempus, omnia transcendens tempora semper præsentis æternitatis eminentia. Non enim habet tempus æternitas, ait Tertullianus s, omne tempus ipsa est, quod facit pati non potest. Si verò ab Angelis ejus originem deducamus, fuit illa quidem, cum jam tempus factum esset, initio enim corporalis creaturæ creatos illos fuisse probabilior Theologorum sententia asseverat t: sed sicut illi à duratione successiva illius temporis, quod numerus, & mensura motus dicitur esse, omnino exempti sunt; sic etiam eorum operationes nequaquam iis mutationibus sunt obnoxiæ, quibus corporalis creatura subjecta est non volens. Ideò laudes, quas Deo concinunt in novem choros distincti, nullam pati possunt vetustatis injuriam, nullum temporis detrimentum. Quid verò nobis commune cum Deo, cujus comparatione sic sumus, quasi non simus? Quid nostros Hymnos Angelicis assimilare præsumimus, quorum æmulari felicitatem etsi volumus, non valemus? Ea igitur omissa laude, qua & Deus seipsum, & Angeli Deum glorificant, quam nec verbis exprimere, nec mente concipere possumus, è cœlestibus ad terrena descendendum est, quò ejus hymnodiæ describamus exordium, quam statis temporum, horarumque spatiis in hoc miserrimo terreni incolatus exilio frequentamus. Inolevit autem quorumdam mentibus nimis iniqua adversus Canonicas preces opinio, eas tertio, vel quarto sæculo post Christum natum cœpisse u: sed ut fateri oportet, eas, ut hodie in usu sunt, non adeò antiquam, saltem aliqua ex parte, originem habuisse; ita perspicuum est, ritum orandi aliquoties in die cum ipsa religione, hominumque cœtibus inchoasse. Certa sunt rerum omnium principia, certi progressus, & ætates. Nihil simul natum, & politum est; rerumque exordia exilia semper, & rudiora fuerunt; nec facilè reperitur in exordio maturitas, & in inchoatione perfectio. Aspice Rhenum, inquit Romanus sapiens x, aspice Euphratem, omnes denique inclytos amnes, quid sunt, si illos illic, unde effluunt, æstimes? Quicquid est, quo timentur, quo nominantur, in processu paraverunt. Sic divina Psalmodia obstetricante manu Domini cum primo omnium parente nata in primo sui ortus rudimento rudis, & indigesta tacitis sensim, & ordinatis adolevit augmentis.

## §. III.

*Viguisse semper divini cultus studium á primis Parentibus usque ad Christum. Testimonia infidelium de precibus, & hymnis primorum Christianorum.*

1. VArias laudes, & Hymnos, prout nascentis sæculi simplicitas exigebat, divinæ majestati tanquam debitæ servitutis tributum primos homines cecinisse docet Cyrillus Alexandrinus y, qui cultum Dei ab Adamo cœpisse scribit; idque etiam Paraphrastes Chaldæus indicat, qui Psalmo nonagesimo primo hunc titulum præfixit, Laus, & Canticum, quod dixit homo primus in die Sabbati. Moses quòque Barcepha docet z, Psalmistam in persona Adæ verba ista protulisse, *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam* a: ita ut Sacerdotium acceperit, & munus Deo laudes, ac preces solemniter offerendi, quod per manuum impositionem conferri solet. Hugo item Victorinus b: Credimus, inquit,

o *Aug. præf. in Ps.* 144. p *Prov.* 27. 2. q *Greg. lib.* 18. *mor. cap.* 7. r *Psalm* 110. s *Tertull. lib.* 1. *adv. Marcionem.* t *D. Thom. cum suis* 1. *p. qu.* 61. *art.* 2. & 3.

u *Polydo. Virgilius lib.* 6. *de invent. rerum. cap.* 2. *quem sequuntur Sectarii.* x *Seneca lib.* 3. *de benef. cap.* 29. y *Cyrill. lib.* 3. *in Julianum.* z *Moses de paradiso p.* 1. *c.* 28. a *Psal.* 138. b *Hugo in Gen.*

inquit, Deum docuisse Adam cultum divinum, quo ejus benevolentiam recuperaret, quam per peccatum transgressionis amiserat, ipsumque docuisse filios suos. *Deus enim*, ait Scriptura, *creavit primos homines, & sensu replevit cor illorum, ut nomen sanctificationis collaudarent, & magnalia enarrarent operum ejus.* Rupertus Abbas [c] post S. Gelasium [d] Papam protoparentes nostros accusat, quod tantis à Deo beneficiis cumulati nullas laudes, & preces grati animi indices reddidisse legantur. Sed ad illorum justissimam defensionem satis superque sufficiens est scriptoris sacri simplicissima, & sobria narratio, alia multa silentio tegens, de quorum certitudine nemo sanæ mentis dubitarit. Quando enim sapientissimus vir Adam è nihilo procreatum se vidit ad imaginem, & similitudinem Dei: quando formatam Evam aspexit similem sibi: quando nimirum, ut Alcimus Avitus [e] Viennensis Archiepiscopus canit:

*Prothalamo Paradisus erat, mundusque dabatur*
*In dotem, & lætis gaudebant sidera flammis;*

Nonne protinus in vocem laudis, & gratiarum actionis erupisse censendus est? Ejus quoque filios par est credere non tam natura impellente, quàm docente utroque parente didicisse Deum sacrificiis venerari, precibusque invocare. Nec est quod aliquis occidenti literæ nimium inhærens ad Enos filium Seth Adami nepotem usum, & ritum divini cultus referre contendat, quia de illo dicit Scriptura [f], *Iste cœpit invocare nomen Domini*; multiplex enim hujus dicti explicatio est. Sunt qui dicant Enos primum fuisse, qui nomen Dei sub nomine illo ineffabili יהוה invocâverit. Alii primum intelligunt, id est præstantissimum, quod super omnes religione enituerit. Alii, quod populum cœperit ad publicas Dei laudes, ad publicum cultum congregare, jam tunc fidelium Ecclesiam coadunans. Mihi magis arridet eorum placitum, qui docent, Enos certas precandi formulas, certosque ritus, & ceremonias primum omnium adinvenisse, atque ideo dici, quod nomen Domini cœperit invocare. Legendus hac de re doctissimus vir Jacobus Boulduc [h], qui libro primo de Ecclesia ante legem docet, Enos instituisse sodalitatem psallentium Deo, qui dicti sint Enoscæi, postea Essæi, vel Esseni. Verùm de Essenis diversa apud Scriptores fama est. S. Philastrius [i] inter hæreticos veteris testamenti Essenos numerat, vitam monasticam exercentes, sed Christum Filium Dei non expectantes. Plinius [k] de illis hæc habet: Per seculorum millia, incredibile dictu, gens Essenorum æterna est, in qua nemo nascitur. Et Solinus [l] Plinii transcriptor; Per immensum spatium sæculorum, incredibile dictu, æterna gens est cessantibus puerperiis. Putat autem Baronius [m] paulò ante Christum eos cœpisse, & ad prædicationem Apostolorum conversos Christo nomen dedisse.

Hæc divini cultus laudabilis institutio, crescentium annorum cumulo adaucta majora indies suscipiebat felicissimi progressus incrementa. Nam & Noë solicito cultu ultra cæteros tunc mortales Deum propitiavit, eundemque sacros titus & Theologiam docuisse, ac rituales libros scripsisse asserit Berosus Chaldæus [n], sive Annius Viterbiensis. Post diluvium autem, quomodo laudes Deo cecinerit, explicat his versibus Claudius Marius Victor Massilienses [o].

*Non prius officii quicquam servatus inire*
*Constituit, quam sacra Deo, laudesque rependat.*
*Grateque evasoreferat discrimine Noe.*
*Mox urveo sacra exurgunt altaria saxo,*
*Agnovitque hæc prima recens altaria mundus;*
*Anteà totus enim convexo tramite cæli*
*Templum mundus erat.*

Hic justus in generatione sua, & perfectus fuisse asseritur, cujus sanctitas eò magis est admirabilis, quod toto prorsùs à justitia declinante mundo, solus justus inventus est. Successit Abraham pater credentium, in idem studium sanctissimis ceremoniis à Cananæis distinctus. Deinde Isaac & Jacob, illustrissimos Patriarchas ferventissimos in Dei laudibus fuisse, & humanis argumentis conjicias, & divinâ lectione comperêris. Quorum unus egressus in agrum ad meditandum, orandi studium luculenter ostendit [p]: alter luctatus cum Angelo magni nominis mysterium cœlesti benedictione cumulatus adimplevit [q]. O quantum præpropera virtus in ipsa infantia splendoris effudit! Sed jam

c *Rupert. lib. 2. in Gen. c. 39.* d *Gelas. Tract. adv. Pelagianos.* e *Avit. lib. 1. de orig. mundi, vers. 190.* f *Gen. 4. ac ibid. Abulen. Cajet. Pererius. Corn. à lapide, & alii.* h *Boulduc lib. 1. de Eccles. ante legem. & lib. 1. de oggio Christ. cap. 5.*

i *Philastr. lib. de hæres. num. 9.* k *Plin. lib. 5. c. 17.* l *Solin. c 36.* m *Baron. ann. 64. Plura de Essenis Nic. Serarius l. 3. Trihæresii.* n *Berosi. l. 3. antiq.* o *Cl. Marius comm. in Gen. lib. 3.* p *Gen. 24: 63.* q *Ibid. 32: 28.*

jam in altum tolluntur anni, & crescit ætas. Post alios Patres, quorum sedulam in divinis laudibus diligentiam evincunt eximia eorum gesta, familiaritas cum Deo, & candidissimæ innocentiæ mores, magnus Dux & legislator Israëliticæ plebis effulget. Hic Gentem à Deo electam, versus & hymnos non tam psallere, quàm pangere docuit, adhibitis insuper musicis concentibus & instrumentis. Aperiuntur maria ante pedes illorum inaudito prodigio, transeunt inter tumentes aquas sicco vestigio, tum revolutis undis hostiles exercitus maritimis vorticibus submerguntur: & ut canit nobilis Poëta Sedulius r.

*Pervia divisi patuerunt cærula Ponti*
*Ingeminum revoluta latus, nudataque tellus*
*Cognatis spoliatur aquis, ac turba pedestris*
*Intrat in absentis pelagi mare, perque profundum*
*Sicca peregrinas stupuerunt marmora plantas.*

Quid autem illi tanta, & tam incruenta potiti victoria? *Tunc cecinit Moses*, ait sacer Textus *s*, *& filii Israel carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem dejicit in mare.* Ad hæc Maria virorum exemplum secuta, sumpsit tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat, dicens: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est.* Porrò hæc mulier typus Ecclesiæ fuit, ut S. Zeno *t* scribit, quæ cum omnibus Ecclesiis, quas peperit, hymnum canens, & pectoris verum tympanum quatiens, populum Christianum ducit non in eremum, sed in cœlum. Idem Moses cùm legem Domini audiente populo legisset, canticum illiud triumphale cantavit, *Audite cœli quæ loquor u.* Progrediamur. Feliciora nos vocant divinarum laudum augmenta. Ecce hominem secundùm cor Dei, egregium Psaltem Israël: *De omni corde suo laudavit Dominum, & dilexit eum, qui fecit illum, & stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos x.* Hujus Psalmi adhuc resonant in ore fidelium, & in Ecclesia Dei æternum duraturis concentibus cantabuntur. Quod ipse in spiritu prævidens & prædicens *y*, *In Ecclesiis*, ait, *benedicam te Domine, psallam tibi in nationibus, in medio Ecclesiæ laudabo te, psallam nomini tuo in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem.*

3. Perseveravit in populo Dei hoc Psalmodiæ studium, Daniel enim tribus temporibus in die flectebat genua, & adorabat *z*. Rechabitæ sive Cinæi, canentes atque resonantes vocantur, quia assiduas Deo laudes canebant *a*. Eliam docuisse discipulos suos hymnos, psalmos & cantica, ad laudem Dei cum musicis instrumentis decantare, scribit Auctor monasticarum institutionum sub nomine Joannes Hierosolymitani *b*. Apud Esdram *c* quater in die confitebantur, & adorabant Dominum: passimque sancti veteris Testamenti psalmos, & cantica ceciniisse leguntur; donec fundatâ Christi sanguine Ecclesiâ, umbris claritas, figuris veritas, vetustati novitas, Prophetarum vaticiniis diu expectata promissio admirabili mutatione successit. Tunc amplioribus sacramentis nobilitata religio solemniori cultu summi largitoris clementiam adoravit. Ipsum Dominum ad instructionem nostram pernoctasse in oratione *d*, & post mysticam cœnam hymnum dixisse *e* narrant Evangelistæ. De Apostolis certa res est. Horâ enim tertiâ orantes acceperunt Spiritum Sanctum. Paulus & Silas *f* in ipso carcere mediâ nocte laudabant Dominum. Horâ sextâ Petrus *g* ascendit in superiorem ædium partem, ut orationi vacaret. Denique Petrus & Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam *h*. Quod si liceat ad fideles accedere teneræ adhuc & vagientis Ecclesiæ, testimonia non deerunt ab his quoque, qui foris sunt. Philo Judæus *i* primo loco advocandus, Scriptor celeberrimus & uno Platone minor, quem Photius in Bibliotheca perperam scripsit ex Christiano Judæum factum. Is librum scripsit, cui Suidas *k* titulum tribuit de vita Christianorum: alii inscribunt de vita contemplativa, sive de virtutibus supplicum, quod fideles Alexandrini B. Marci discipuli, quorum mores describit, orando & supplicando tempus omne transigerent. Hunc librum laudat Eusebius *l* in Ecclesiastica Historia. In rem nostram hæc inter cætera scribit. Hymnos canunt in Dei laudem, vel recens à se factos, vel pridem ab aliquo priscorum Vatum, qui carmina & cantica multa ipsis reliquerunt trimetri generis; Prosodias item & hymnos varios, qui ad libamina, ad aram, in stationibus quoque & choris concinuntur, diversis, quæ in choro fiunt, conversionum vicibus eleganter commensurati. Peractâ



r *Sedul. lib.* 1. *carm. Pasch.* s *Exod*, 15. t *Zeno serm.* 5. *de Exodo.* u *Deut.* 32: 1. x *Eccl.* 47: 10. y *Psal.* 25: 107, 21. & 60.

z *Daniel* 6: 10. a 1 *Par.* 2. *in fin.* b *Joa. Hierosol. instit. c.* 10. c 2 *Esdr.* 9: 3. d *Luc.* 6: 12. e *Matth.* 26: 30. f *Act.* 16: 25. g *Act.* 10: 9. h *Act.* 3: 1. i *Philo de vita contempl.* k *Suidas V. Philo.* l *Euseb. l.* 2. *c.* 17.

cœnâ subdunt vigilias, in quibus pernoctare solent, & cantare hoc modo. Confestim surgunt omnes ex utraque parte convivium quoddam celebraturi, & primum fiunt chori duo, virorum unus, alter mulierum. In utroque suus eligitur dux & præcentor, qui simul & personæ dignitate, & arte musicæ antecellit. Deinde hymnos canunt in Deum metris, & modulationibus multis compositos, nunc junctis vocibus simul resonantes, nunc sibi invicem congruè respondentes. Hæc Philo, cui Græcum testem adjungo Lucianum [m] Samosatenum cognomento Atheum. Hic in dialogo quodam, postquam ore sacrilego Christi religionem impudenter irrisit, Christianos in fine convitiatur ad hymnos totâ nocte decantandos vigilantes. Plinius [n] item Secundus libro decimo Epistolarum, Christianorum mores Trajano Cæsari ita describit, quod soliti essent stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere; sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, & quæ sequuntur. Ammianus quoque Marcellinus [o] Christianorum in Ecclesia pernoctationes commemorat. Hæc infideles: sed fidelium testimonia quis recenseat? Lassatur calamus gravissimorum Patrum Græcorum & Latinorum numero, qui unanimi consensu hymnodiæ ritum, horas, & antiquissimum institutum stabilierunt. Hic sacrosanctæ Psalmodiæ meridies est, hic autumnus, hæc nunquam interitura juventus. Sed præcipuas tantùm insigniorum Patrum sententias recitabo, servato ordine temporis, quo quisque vixit.

## §. IV.

*Testimonia sanctorum Patrum de sacra Psalmodia ab ortu Ecclesiæ, & deinceps temporum serie servata. Addita quædam de ejus excellentia, & de perenni psalmodia quibusdam Ecclesiis instituta. Desiderium laudandi Deum. Tacti obiter quidam Ecclesiasticæ Hymnodiæ calumniatores.*

1. OCcurrunt nobis in ipsis Ecclesiæ incunabulis, primo scilicet Christiano sæculo, qui viri! Clemens Romanus [p], & Dionysius Areopagita. Primus in Apostolicis constitutionibus orandum esse præcipit mane, horâ tertiâ, sextâ, & nonâ, vespere, & ad galli cantum. Mane gratias agentes, ait, quod illuminavit nos nocte sublatâ, & reddito die. Tertiâ, quod eâ horâ Pilatus judicium adversus Dominum pronunciavit: Sextâ, quod eâ horâ in crucem actus est: Nonâ quod tunc omnia mota & tremefacta sunt Domino crucifixo, quia horrerent audaciam impiorum Judæorum, & contumeliam Domini ferre non possent: Vespere, quod noctem dederit ad requiescendum à diurnis laboribus: Ad galli cantum, quod eâ horâ nunciet adventum diei ad facienda opera lucis. Alter [q] Epistola ad Demophilum laudat S. Carpum, quod soleret circa mediam noctem ad divinos evigilare hymnos. Et libro de Ecclesiastica Hierarchia Ecclesiasticum cantum vocat concordem & consonam sacrarum rerum choream: passimque meminit hymnologiæ, psalmorum, lectionum, & canticorum. Sanctus quoque Ignatius Martyr [r] Epistolâ ad Magnesianos, & ad Heronem sacros cœtus, & synaxes ad orandum commendat: & Epistolâ ad Philippenses salutat collegia Virginum, quæ cum Deo se consecrassent, proculdubio psalmis & orationibus statis horis incumbebant. Invita etiam S. Cornelii Centurionis [s], quem Petrus Apostolus baptizavit, nocturnæ psalmodiæ, hymnorumque mentio fit. Spectat denique ad primum sæculum, quod Cassianus [t] in Monasticis institutionibus scribit. Nam cùm in primordiis fidei pauci quidem, sed probatissimi Manachorum nomine censerentur, qui à beatæ memoriæ Evangelista Marco normam susceperevivendi, cùm diverso modo quidam quinquagenos, alii sexagenos psalmos in nocturna & vespertina synaxi dici instituerent, quidam in medio fratrum apparens duodecim psalmos recitavit, & repentè disparuit, sicque illis Angelico monitu præscriptus est numerus psalmorum tam in vespertinis, quàm in nocturnis conventibus servandus.

2. Secundo sæculo præter Justinum Martyrem, & Philosophum, nullum ex Patribus invenimus, qui specialiter & expresè divinorum officiorum mentionem faciat: nam Theophilus, Athenagoras, Tatianus & Irenæus toti sunt in confutandis infidelibus: aliorum opera non extant. Justinus [u] autem in Apologetico pro Chri-

m *Lucianus in Philopatre.* n *Plin. lib. 10. ep. 97.* o *Amm. Marcellin. l. 28. in fi.* p *Clem. Rom. lib. 8. c. 34.*

q *Dionysius Areopagita.* r *Ignatius Mart.* s *Apud Surium die 13. Sept.* t *Joan. Cass. lib. 2. cap. 5.* u *Justinus Mart.*

Christianis, conventus & preces, ac in iis sacras lectiones commemorat. Et ibidem; Precibus finitis, inquit, unusquisque laudem, & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii, & Spiritus sancti offert. Epistola quoque ad Zenam, & initio colloquii cum Triphone Judæo hymnorum, & laudum meminit, precumque nocturnarum ac diurnarum. Hoc item sæculo occurrit S. Abercius Episcopus Hierapolitanus, qui solitas horæ nonæ preces recitasse dicitur, ut refert Surius [x] in ejus vita ex Simeone Metaphraste. Occurrit & Monasterium sancti Heleni Episcopi, cui præfuit Theodorus, illique successit Eugenia, quæ ibidem in habitu virili mentita sexum monachum agebat. Inter hujus autem virtutes auctor vitæ ejus apud Heribertum Rosevidum [y] hæc habet: Tertiæ, sextæ, nonæ, vespertinis, vel nocturnis, atque matutinis horis tam cautissimè insistebat, ut videretur jam periisse Deo, si horarum vel quidpiam spatii absque divinis laudibus aliqua præteriisset.

3. In limine tertii sæculi statim inveniemus Tertullianum [z]: quem meritò Latinorum Scriptorum antesignanum dixerimus. Hic in Apologetico adversùs gentes cœtus antelucanos ad canendum Christo ex Epistola Plinii citata commemorat. Et ibidem, Coîmus, inquit, in cœtum & congregationem, ut ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes, cogimur ad divinarum litterarum commemorationem. Libro de Corona militis cœtus antelucanos iterum laudat, aliosque ritus Ecclesiæ, libro secundo ad Uxorem: & libro de jujuniis horam tertiam, sextam, nonam & vespertinam, earumque rationem eleganter explanat. Ex adverso floret Græcorum præcipuus Origenes [a], qui libro primo contra Celsum, primum caput criminationis adversus Christianos fuisse scribit, quod clancularios conventus haberent, ad agapen nimirùm & ad synaxim. Idem libro tertio in Job (si tamen ipsius sunt ea commentaria) matutinas & vespertinas deprecationes commendat. Quid ejus Præceptor Clemens Alexandrinus [b], nonne septimo Stromatum tertiæ, sextæ, & nonæ meminit? Deinde subdit; Jam verò triplicem horarum divisionem, quæ totidem sunt honoratæ precibus, sciunt qui norunt beatam sanctarum mansionum Trinitatem. His omnibus & martyrio & eloquio major est Cyprianus [c], qui libro de Oratione Dominica, nocturnæ & matutinæ precis, tertiæ item, & sextæ, & nonæ, ac vesperarum mysteria edisserit, cujus aurea verba capite sequenti recitabo. Sanctus item Zeno [d] sermone primo ad Neophytos post baptisma dulces vigilias clarissimæ noctis exaltat: Et Cæcilius apud Minutium Felicem [e] nocturnas congregationes Christianorum calumniatur, eosque vocat Latebrosos & Lucifugaces. Similiter Arnobius [f] libro primo contra gentes; Quotidianis, inquit, precibus Deum colimus. Vixit & hoc sæculo sanctus Hippolytus [g] Martyr Episcopus Portuensis, qui oratione de consummatione sæculi, inter cæteros Ecclesiæ ritus ab Anti-Christo tollendos psalmorum decantationem enumerat. Ad hæc tandem tempora pertinent plures Sancti, ex quorum actis illustria de horis canonicis testimonia eliciuntur. S. Chariton plures Lauras ædificavit suisque Monachis constitutiones scripsit, præsertim verò de psalmodia tam diurna, quàm quæ noctu fieret [h]. Cum S. Basileus Episcopus Amaseæ detineretur in carcere, Clerici & Diaconi auro impetrârunt à custodibus, ut ad ipsum magnum Pontificem intrare possent, & unà cum illo Divinas preces, noctibus præsertim canere, ut scribit in ejus vita Joannes Presbyter Nicomediensis [i]. In actis S. Sebastiani [k] à B. Tiburtio Præfecti Filio quidam Torquatus reprehenditur solo nomine Christianus, quod hymnos noctu psallentibus pervigil non interesset. Matutinum officium, & horæ nonæ preces in vita S. Febroniæ Virginis & Martyris leguntur, quam scripsit Thomais sanctimonialis [l]. In actis sanctorum Martyrum [m] Indes, & Domnæ cum aliis, qui passi sunt Nicomediæ, mentio fit Christianorum, ut nocturna officia Deo psallerent, de more in Ecclesia congregatorum.

4. Quartum sæculum exhibet nobis Eusebium Cæsarienſem [n] passim in Ecclesiastica Historia; & Pachomium Abbatem [o], qui regulam & modum psallendi accepit ab angelo, Magnumque Antonium [p], qui plura monasteria instituit plena choris psallentium. Quid Athanasium [q] commemorem, quid Basilium, quid Gregorium Nazianzenum? Primus libro de



x *Surius die 28. Octobr.* y *Rosev. de vitis Patr. lib. 1.* z *Tertullianus.* a *Origenes.* b *Clemens Alexandrinus.*

c *Cyprianus.* d *Zeno.* e *Minutius Felix.* f *Arnobius.* g *Hippolytus Portuensis.* h *Surius 28. sept.* i *Joannes Nicomedien.* k *Surius 20. Jan.* l *Thomais sanctimonialis.* m *Surius 27. Dec.* n *Euseb. Cæsarienſis.* o *Pachom. Abb.* p *Anton. Magn.* q *Athanasius.*

virginitate, sive de meditatione; Sol oriens, inquit, videat librum in manibus. Post tertiam synaxes conficies, quoniam eâ horâ defixum est lignum crucis. Sextâ horâ absolves precationes cum Psalmis, ploratu, & supplicationibus, quoniam hâc horâ pependit Filius Dei in cruce. Nonâ horâ rursùm in hymnis & glorificationibus eris, quoniam hac horâ Dominus in cruce pendens reddidit spiritum. Duodecimâ horâ majorem & longiorem facies synaxim. Mediâ nocte excitaberis, & hymnis celebrabis Dominum Deum tuum. Matutino tempore hunc Psalmum dicito, *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*, & *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Idem Apologia ad Constantium Imp. agit de precationum synaxi, deque vigiliis, & pernoctationibus. Basilius [y] easdem horas celebrat in regulis fusius disputatis quæstione 37. & sermone primo de institutione Monachorum, qui aliis est sermo quartus exercitamentorum pietatis; Epistola item 6. ad Neocæsarienses; & Epistolâ primâ ad Gregorium Theologum [z]; Ecquid beatius, ait, quam hominem in terra concentum Angelorum imitari? ineunte statim die in orationes ire? in hymnis & canticis Creatorem venerari? Ipse verò Theologus oratione habitâ coram C L. Episcopis, & oratione primâ adversus Julianum, & secundâ in Pascha, psalmodiarum concentus, nocturnas vigilias, & alternas modulationes commendat, & oratione undecima de Laudibus Gorgoniæ sororis. O noctes insomnes, exclamat, & psalmorum cantus, & stationem ex die in diem desinentem! O David, quam tu piis dumtaxat animabus haud prolixè ceciniſti; In carminibus verò tanquam de re notissima sic canit [a]:

——— *sed quod omnibus notissimum,*
*Nocturnè cernis ut canat laudes Deo*
*Naturæ uterque sexus oblitus suæ?*
*Quot, quamque sancti cernis Angelicum chorum,*
*Qui nunc simul, nunc vocibus alternis canit?*

Consentiunt alii Patres, S. Ephrem Syrus [u] sermone de beatitudinibus, horæ tertiæ, sextæ, nonæ, vespertinæ, & matutinæ mentionem facit: & Paræneſi 19. & 21. morem surgendi nocturno tempore ad celebrandas divinas laudes usitatissimum semper fuisse asseverat. Gregorius Nyssenus [x] epistola ad Olympium Monachum, quæ est de vita sororis ejus Macrinæ, assiduam psalmorum decantationem inter præcipuas sanctimonialium exercitationes recenset, speciatim verò vespertinas preces, & nocturnas vigilias celebrat. Cæsarius [y] in Dialogis de fide Catholica; Peculiariter, inquit, à sacro cœtu Christigeræ Ecclesiæ nostræ usurpatur septenaria beneficentia; septies enim in die laudavi te, ait David auctor carminum divinorum. Gaudentius [z] Episcopus Brixianus vigiliarum meminit primo, & quarto sermone: psalmorum, hymnorum, & canticorum spiritualium sermone octavo, & nono, specialiter vero sermone nono ait; lectiones divinas aure percipimus, ore Dominum confitemur, laudamus, benedicimus, obsecramus, manus supplices ad cœlum tendimus, pedibus ad Ecclesiam currimus, & unam Trinitatis Deitatem flexis ad terram genibus adoramus. Theophilus Alexandrinus [a] Epistolâ prima Paschali circa finem, hymnos commemorat in Ecclesiastica congregatione Domino decantatos. Hymnos item matutinos, & psalmos ad lucernam decantatos laudat Epiphanius [b] in expositione fidei Catholicæ, ubi etiam varia Monachorum instituta describit: atque ipsum in suo Monasterio tertiam, sextam, nonam, & vesperas more majorum instituisse libro quinto de vitis Patrum invenio. Palladius [c] in Historia Lausiaca narrat de monte Nitriæ, in quo vivebant quinque millia Monachorum tempore Magni Antonii, circa horam autem nonam, inquit, licet stare, & audire in unoquoque Monasterio hymnos & psalmos Christo canentes, & preces ad hymnos emittentes; adeò ut existimet quispiam se sublimè elatum transmigrare in paradisum deliciarum. Astruit vigilias Hilarius [d] ad Psalmum 118. ad illum versiculum, *Memor fui nocte nominis tui Domine*: itemque Ambrosius [e] ibidem, & tractatu ad Virginem lapsam, & sermone 25. qui est in die Cinerum, aliasque horas enumerat libro tertio de Virginibus. Paulinus [f] Nolæ Episcopus libro 3. de vita S. Martini sic canit:

——— *Vigil ocius omnis*
*Turba ad consuetos modulamina dulcia psalmos*
*Advolat, & sanctis solatia quærit in hymnis,*
*Quæ pellant segnes vegetato corpore somnos,*
*Cantibus, & sacris nocturna silentia vincant.*

Dicebant Donatistæ, Ecclesiam apud ipsos tantùm

y *Cæsarius dial.* 4. *interrog.* 191. z *Gaudentius.* a *Theophilus Alexandrinus.* b *Epiphanius lib.* 5. *de vitis PP. libello* 12. *num.* 6. c *Hist. Laus. c.* 7. d *Hilarius.* e *Ambrosius.* f *Paulinus.*

s *Basilius.* t *Gregorius Nazianzenus.* t *Jamb.* 18. u *Ephrem Syrus.* x *Gregorius Nyssenus.*

tantùm esse. Redarguit eos libro secundo contra Parmenianum S. Optatus Milevitanus g ex Psalmo, qui præcipit laudari Dominum à solis ortu usque ad occasum, & ait: Numquid pagani extralegales possunt cantare Deo, aut laudare nomen Dei, & non sola Ecclesia, quæ in lege est? Quam si apud vos tantummodò esse dicitis, fraudatis aures Dei. Si vos soli laudatis, totus tacebit orbis, qui est ab ortu solis usque ad occasum. Clausistis ora omnium Christianarum gentium: indixistis silentium populis universis Deum per momenta laudare cupientibus. Igitur si & Deus debitas sibi laudes expectat, & ut sonent Spiritus sanctus hortatur, & totus orbis quod debet paratus est reddere, ne fraudetur Deus: etiam vos ipsi laudate cum omnibus, aut quia noluistis esse cum omnibus, soli conticescite. Aurelius Prudentius h hymno primo Καθημερινων noctis vigilias concelebrat, & hymno ad incensionem cerei Paschalis, vel, ut habent aliæ impressiones ad incensionem lucernarum, ait:

*Nos festis trahimus per pia gaudia*
*Noctemque conciliis, votaque prosperè,*
*Certatim vigili congeremus prece,*
*Extructoque agimus liba sacrario.*
*Pendent mobilibus lumina funibus,*
*Quæ suffixa micant per laquearia,*
*Et de languidulis fata natalibus.*
*Lucem perspicuo flamma jacit vitro.*

Sed omittamnè hoc sæculo clarissimos viros Hieronymum & Chrysostomum i? Hic ad Psalmum 118. ad versum, Septies in die laudem dixi tibi, optimi quique viri, inquit, ac pietate præditi, quovis die stationem ad Deum septies faciunt. Primum scilicet noctu vigilantes, quod etiam diluculum appellamus. Deinde ad solis exortum Deo, qui diem invexit, gratias agunt. Horâ tertiâ cum Spiritus sanctus ad Apostolos accessit: Sextâ, cùm Christus Deus noster carne cruci affixus est, ac chirographum illud, quod nobis contrarium erat, delevit; Nonâ cum cruorem effudit, ac spiritum tradidit, nosque à diaboli dominatu liberavit. Ad solis occasum, quod etiam lucernarium appellamus, quia tunc ob diei transitum Deo gratias agimus. Postremò cùm ad somnum nos conferimus. Quæ quidem omnia in unum collecta septenarium efficiunt. Idem homil. 59. ad populum Antiochenum, postquam celebravit vigilias nocturnas, ad quas Monachos surrexisse asserit ante diem cùm gallus cantavit, rursùm facto die matutinas orationes, & hymnos commemorat, tum tertiam, sextam, nonam, & vespertinas preces. Et in quatuor partes, inquit, diem dispartiti, dum singulæ partes implentur, psalmodiis & hymnis Deum venerantur. Vespere facto mensam petunt, deinde parum sedentes, vel potius hymnis omnia concludentes in suo quisque lectulo requiescunt. Et hom. 14. in primam ad Timoth. describens vitam Monachorum, post nocturnas preces laudes matutinas enumerat, itemque tertiam, sextam, nonam, & vespertinam synaxim. Hieronymus k autem epist. 8. ad Demetriadem; præter psalmorum, inquit, & orationis ordinem, quod tibi horâ tertiâ, sextâ, nonâ, ad vesperum, mediâ nocte, & mane semper est exercendum, statue, quot horis sanctam scripturam edisce debeas. Et Epistola 22. ad Eustochium, Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque & vesperam nemo est, ait, qui nesciat: noctibus bis, terque surgendum. Legendus item est epistolâ 27. quæ est Epitaphium sanctæ Paulæ: & in caput sextum Danielis.

5. Quinti sæculi agmen ducit Augustinus l. Sat dictum solo nomine. Vigiliarum meminit sermone 2. 5. 6. & 140. de tempore: & initio concionis ad Catechumenos, tomo 6. & homilia 26. inter quinquaginta: quibus sermone 55. tertiam, sextam, & nonam; sermone verò 251. & lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. vespertinas preces adjungit. Libro autem 9. confessionum, vigiliarum, hymnorumque à D. Ambrosio institutorum concentum laudat, itemque Epistola 119. ad Januarium, quæ est de ritibus Ecclesiæ, & alibi passim. Sequitur Joannes Cassianus m rerum Monasticarum diligens Scriptor, qui libro secundo & tertio de institutis cœnobiorum horarum canonicarum ritum & modum accuratè describit, tertiæ scilicet, sextæ, & nonæ, vespertinarum, & nocturnarum precationum, matutinæ laudis, & primæ, quam alteram matutinam vocat, & suo tempore in suo Bethleemitico Monasterio institutam tradit. Nec desunt alii Patres, & Scriptores insignes hujus sæculi. Petrus Chrysologus n laudat vigilias sermone 24. & 39. itemque diurnas orandi horas sermone 21. Synesius o Episcopus hymno primo matutinos, vespertinos, & nocturnos hymnos

g *Optatus Milevitanus.* h *Prudentius.* i *Chrysostomus.*

k *Hieronymus.* l *Augustinus.* m *Cassianus.* n *Petrus Chrysologus.* o *Synesius.*

hymnos offert Deo. Victor Uticensis [p] libro secundo Wandalicæ persecutionis Clericos describit hymnos nocturnos psallentes : & libro tertio Hunnericum Regem, cùm in exilium egisset Catholicos Episcopos & sacerdotes, legem tulisse narrat, ut non psallerent neque orarent : nec codicem ad legendum in manibus gestarent. S. Cæsarius [q] Arelatensis in regula monastica S. Teridio tributa ritum psallendi in noctibus sic ordinat ; Vigilias à mense Octobri usque ad Pascha duos nocturnos faciant, & tres missas: ab una missa legat frater tria folia, & orate; legat alia tria, & orate ; legat alia tria, & levet se. Dicitè Antiphonam, Responsorium, & aliam Antiphonam ; Antiphonas ipsas de ordine psalterii. Post hæc dicant matutinos directaneum, *Exaltabo te Deus meus Rex* ; deinde *Confitemini*, inde *Cantemus Domino*, *Lauda anima mea Dominum*, Benedictionem, *Laudate Dominum de cœlis*, *Te Deum laudamus* ; *Gloria in Excelsis Deo*, & Capitellum. Omni Dominicâ sic dicatur. Sydonius Apollinaris [r] Epist. 17. libri 5. Cultu, ait, peracto vigiliarum, quas alternante mulcedine monachi, clericique psalmicines concelebraverant, quisque in diversa secessimus, non procul tamen, utpote ad tertiam præstò futuri, cum Sacerdotibus res divina facienda. Simeon Metaphrastes [s] vita S. Theodoræ Alexandrinæ, quæ Zenone imperante virili habitu induta in Monasterio vixit. Docet, inquit, eam Abbas de more psallere debere, vespertinam & matutinam glorificationem quotidie peragere, nec horarum ullam præmittere. Ipsa quoque moritura puerum sic instruebat. Consuetas preces numquam neglexeris, neque horas, quæ sunt constitutæ fratribus ad conveniendum, Matutini, inquam, Tertiæ, Sextæ, Nonæ & Vesperarum. Narrat Nilus Monachus [t] sanctos Patres in Sina à barbaris trucidatos summo mane, cùm paulò ante desiissent hymnos cantare. Meminit vespertinæ psalmodiæ in vita S. Serverini Eugippus Abbas [u]. In Monasterio S. Theodosii Cœnobiarchæ, septies in die variis linguis hymnodiæ regula peragebatur. Possem alia multa ex vitis Sanctorum, qui hoc sæculo vixerunt, afferre : itemque ex historia Lausiaca Palladii [x], ex Socrate [y] similiter, & Sozomeno [z], qui ad præsens quoque sæculum pertinent ; sed pergo consulens brevitati.

6. Sexto sæculo horarum canonicarum assertor erit & testis, unus pro mille, sanctissimus Monachorum Patriarcha Benedictus [a], qui omnium justorum spiritu plenus, quantus fuerit in studio divinarum laudum propagando à capite octavo, usque ad vigesimum suæ Regulæ luculenter ostendit : sed de officii monastici ordinatione fusius infrà suo loco. Meminit autem S. Benedictus omnium partium tam majorum, tam minorum cujusque officii, cæterisque horis completorium adjunxit, quod ab ipso institutum est, ut capite undecimo demonstrabimus. Hujus discipulus Gregorius Magnus [b] ad septimum sæculum spectat, cujus laudes in sacramentario, & cantu, quem ab ipso Auctore Gregorianum vocamus, manifestæ sunt. Cæterùm hic fisto gradum. Quid enim adhuc egemus testibus ? Dicam cum Vario judice apud Tullium [c] : Aut hoc testium satis est, aut nescio quid satis sit. Paucis annis post Gregorium vixit Isidorus Hispalensis, cujus ingeniosum laborem in explanandis Ecclesiasticis officiis sequuti sunt postea haud contemnenda industria Alcuinus, Amalarius Fortunatus, Rabanus Maurus, Walfridus Strabo, Rupertus Abbas, Hugo de S. Victore, & alii recentiores, qui per latissimum hymnodiæ pelagus plenis eloquentiæ velis spatiantur.

7. Sacra igitur psalmorum modulatio æquales cum Angelis sortita natales crevit sub Patriarchis, novo viguit juventæ flore, non sub Pelagio secundo, ad quem insigni errore precis horariæ institutionem refert Polidorus Virgilius [d], sed nascente Ecclesia Apostolorum decretis stabilita. Et quidem nocturnas vigilias, laudes matutinas, Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperas jam ab ipsis Apostolorum temporibus in usu fuisse ex supracitatis testimoniis constat. Ex veteri quoque testamento multum momenti habet antiquitas illa matutini, & vespertini sacrificii : itemque illud, quod in mundi creatione vesper dumtaxat, & mane commemorantur, ut Rupertus Abbas [e] observat. Prima verò tempore Cassiani, Completorium autem ex Divi Benedicti institutione initium habue-

p *Victor Uticensis.* q *Cæsarius in regula num.* 19. & 20. r *Sidonius Appollinaris.* s *Metaphr. apud Surium* 12. *Septemb.* t *Nilus Monachus.* u *Eugippus Abbas. Metaphrastes.* x *Palladius.* y *Socrates.*

z *Sozomenus.* a *Benedictus.* b *Greg. Magnus.* c *Cic. 2. de finib.* d *Polid. Virg. de inv. rerum lib. 6. cap 2.* e *Rup. de div. off. lib. 1. c. 9.*

habuerunt. Auctor vitæ S. Guduvali Archiepiscopi *f*, & Eremitæ horas canonicas Christi, & Apostolorum auctoritate institutas dicit, quas vir sanctus recitaturus cum dixisset, *Deus in adjutorium meum intende*, Angeli subjunxerunt, *Domine ad adjuvandum me festina* : & sic totum officium alternis vicibus cum viro Dei expleverunt. Porrò successu temporum tantum fuit in Ecclesia divinæ psalmodiæ studium, ut nec diminui amplius nec augeri posse videatur. Scribit Palladius *g* oculatus testis civitatem se vidisse, in qua cum plura essent Monasteria, quam profanæ domus, in omnibus vicis, & angulis divinæ laudes cantabantur, ut ex una civitate una facta cerneretur Ecclesia. Metaphrastes apud Surium *h* auctorem Acœmetarum fuisse tradit Alexandrum Abbatem, qui, cum prius Byzantii exerceretur in templo magni Martyris Menæ, postea in ipso ostio Ponti venerandum statuit Monasterium, in quo novam quidem, sed longè omnium pulcherrimam legem imposuit, ut hymnorum ad Deum nunquam interrumperetur perpetuitas; Sed per vices mutatis ministris hæc nunquam silens, & numquam conquiescens tribueretur Deo glorificatio. Mortuo verò Alexandro successit Joannes, qui in regione Bythinorum aliud excitavit Monasterium ἀκοιμήτων, id est, non dormientium. Joanni successit Marcellus, qui in plura cœnobia idem studium invexit. In regia autem urbe Constantinopoli simile Monasterium constructum fuisse scribit Nicephorus *i*, in quo perpetuis carminibus nunquam non hymni Deo canebantur, sodalitate monachorum eam ob rem in tres cœtus divisa. Nec caruit Occidens hoc instituto. Bernardus in vita Sancti Malachiæ, postquam de multitudine Monasteriorum Hyberniæ, & Scotiæ loquutus est; Ex quibus, inquit, ad has nostras Gallicanas partes S. Columbanus ascendens Luxovienſe construxit Monasterium factus ibi in gentem magnam. Ajunt tam magnam fuisse, ut succedentibus sibi vicissim choris continuarentur solemnia divinorum, ita ut ne momentum quidem diei, ac noctis vacaret à laudibus. Diu etiam viguit in Monasterio Agonensi Thebis Martyribus sacro hæc incessabilis psalmodiæ ratio à sancto Sigismundo Rege & Martyre instituta, ut in historia Francorum Gregorius Turonensis *k* testatur; Libro quoque de gloria Martyrum assiduum, & quotidianum psallentium à prædicto Rege ibidem institutum affirmans. Ab Agauno verò hæc psallendi regula in alias partes diffusa est, nam ut refert Aimonius *l* libro tertio de gestis Francorum, Guntramnus Rex Basilicam ædificavit, in qua monachi jugiter psallerent, prout Rex Sigismundus in Agauno instituerat. Qui videlicet psallendi ordo, ait ille, etiam ad sepulchrum S. Martini antiquitus celebrabatur : & à B. Germano in Monasterio S. Vincentii servari jussus, nec non in Monasterio S. Dionysii à Dagoberto Rege agi præceptus est *m*. Quo Dagoberto regnante S. Amatus Abbas Monasterium Virginum construxit, quas in septem turmas distributas noctu diuque per vices sine intermissione psallere voluit, ita ut semper duodecim Virgines in unaquaque turma essent. Teste item Fulberto *n* apud Surium sub disciplina S. Aichardi Abbatis vivebant in uno cœnobio nongenti monachi divinis laudibus jugiter incumbentes : ex his una die obierunt quadringenti quinquaginta à Deo præmoniti, quorum una pars hora tertia, pars altera hora sexta, pars tertia hora nona, pars quarta hora vespertina decessit. Narrat Hieronymus Emser *o* in procœmio vitæ S. Bennonis Episcopi, Clericos Ecclesiæ Misnensis in varias classes distributos jugiter psallere consueviſſe die, ac nocte; quam perennem laudationem Ernestus, & Albertus fratres Saxoniæ Principes, & Misniæ Marchiones fundarunt. Sunt & aliæ multæ ejusmodi Ecclesiæ, in quibus olim jugis Psalmodia exercebatur : nam, ut in Orientem regrediar, monasterium S. Publii describit Theodoretus *p* in Philotheo, in quo hymnos matutinos, & vespertinos decantabant monachi primo Græci, deinde Syri, utrique propria lingua sibi succedentes. Describens quoque monasterium Zozimæ Sophronius *q* Episcopus in vita S. Mariæ Ægyptiacæ, Psallentia, inquit, ibi erat incessabiles totius noctis habens stabilitates. Tum Oxyrynchus dicta est civitas in Thebaide, in qua per omnem partem die, ac nocte hymnos, & laudes Deo referebant viginti



*f apud Surium 6. Junii. g Pallad. in histor. Lausiaca. h Sur. 29. Decemb. i Niceph. hist. Eccl. l. 5. c. 23.*

*k Greg. Turon. histor. Franc. lib. 4. c. 6. & de glor. Mart. cap. 75. l Aimon. de gestis Franc. l. 3. cap. 80. m Surius 13. Septembris. n Fulbert. c. 17. vita S. Aichardi, apud Sur. 15. Septemb. o Hier. Emser. apud Sur. 6. Jun. t. 7. p Theod. Philoth. cap. 5. q Sophronius lib. 2. de vita Patrum cap. 4.*

millia virginum, & decem millia monachorum. Etiam in ordine noſtro Ciſtercienſi quædam cœnobia fuiſſe legi, quibus ex hac inſtitutione nomen inditum fuit, nam laus perennis, & jugis laus vocabantur, quod in eis perenni ſucceſſione divinæ laudes celebrarentur. Æmulabantur nimirum antiquiores monachi ſupernæ Hieruſalem gaudia, per cujus vicos feſtinum Alleluja numquam interruptis concentibus cantatur. Nam, ut optimè Auguſtinus r; Cum poſt iſtas corruptionis anguſtias habitabimus in domo Dei, tota vita noſtra non erit niſi laus Dei. Recedente neceſſitate omnia negotia neceſſitatis intercidunt, quoniam non erit quid ibi agatur. Non dico die, ac nocte, ubi nox non eſt, ſed toto die, cum unus dies eſt, non erit quid ibi agamus, niſi laudemus quem diligimus, quia tunc & videmus. Modò non viſum deſideramus, & laudamus: tunc viſum quod amamus, quomodo laudabimus? ſine fine erit laus, quia ſine fine amor.

8. Longum eſſet retexere quam ſublime, quam divinum ſit opus divinis quotidie laudibus vacare; hymnis, & canticis ſpiritualibus exercere ſejpſum, & beatorum in terris felicitatem imitari, ſicut ſcriptum eſt ſ, *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Placet hic Antiochi ſanctiſſimi monachi verba dediſſe t. Pſalmodia, inquit, eſt opus incorporearum virtutum Deo adminiſtrantium, & indivulſè aſſiſtentium, juxta quod dicitur, *Laudate Dominum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus.* Hoc opus competit & hominibus, omnis enim ſpiritus laudet Dominum. Monachis autem peculiari quadam prærogativa, vel in primis convenit, quod inſtitutum vitæ prorſus Angelicæ delegerunt. Suffragatur Antiocho Cyrillus u Hieroſolymitanus his verbis. Propterea traditam nobis hanc Seraphicam Theologiam Sanctus, Sanctus, Sanctus recitamus, ut in illa cœleſti hymnodia cum ſupramundana militia communicemus per hujuſmodi hymnos nos ſanctificantes. Scribit Philo x magis gaudere Deum puris mentibus, quæ hymnos offerant in gratiarum actionem, quam Hecatombis. Ad hoc enim, teſte Chryſoſtomo y, creatus eſt homo, ut laudet Deum. Nihil à nobis, ait ille, æquè requirit Deus, ac laudes, & gratiarum actiones; propterea rationales nos fecit, & à brutis lingua diſcrevit, ut eum laudemus, & jugiter glorificemus. Sed de pſalmodiæ excellentia ne plura hic ſcribam, fecit vir omnium literarum gloria illuſtris Anacletus Siccus z, qui univerſa de genere hoc elegantiſſimè pertractavit edito inſigni opere de Eccleſiaſtica hymnodia, ejuſque uſu, & præſtantia.

9. Utinam poſſem, Deus meus, vera jucunditas cordis mei, utinam poſſem laudare te tam excelſa voce, tam pura mente, ſicut unquam laudatus es ab aliqua creatura tua in cœlo, & in terra. Utinam poſſem omni momento vacare tibi, & à laude tua nunquam ceſſare. Ubi eſt enim bonum meum, & lætitia mea, ubi pax, & requies animæ meæ, niſi in laude creatoris mei? Sed quomodo potero te dignè laudare, qui nec te ſatis mirari dignus ſum? Nam ſocordia depreſſus ad te, qui juſtus es, ipſe non juſtus erigi nequeo: & cum adhuc ſimulacra mundi hujus circumferam, vel invitus ad terram allidor; neque ſpecioſa laus eſſe poteſt in ore peccatoris. Verumtamen ante te eſt omne deſiderium meum, & multiplex gemitus cordis mei pro defectibus meis. Suſcipe igitur ardentiſſimum deſiderium languentis animæ meæ in laudem, & gloriam nominis tui. Suſcipe vota cordis mei in holocauſtum matutinum, aſcendat oratio mea ad te, ſicut incenſum veſpertinum: da ſermonem rectum, & bene ſonantem os meum, ut placeant verba mea, & hæ qualeſcunque lucubrationes meæ in conſpectu tuo in æternum.

10. Poſſem hoc loco acriori ſtylo adverſus quoſdam Anonymos invehi, qui ementito Theologi nomine, ut facilius deciperent ſimpliciores, auſi ſunt publicam horarum canonicarum recitationem irridere, & calumniari. Ajunt ſupervacua eſſe tot officia, ad honeſtam dumtaxat Religioſorum, alioquin otio & inertia languentium, occupationem adinventa. Nunc in Eccleſiæ utilitatem, in ſtudia literarum, in præſtantiſſima charitatis opera diu noctuque incumbentibus quid opus cantu, & pſalmodiâ? Quaſi verò omnium Ordinum religioſi viri choro jugiter mancipati non infinita pietatis opera exercuerint, non plura poſteris reliquerint doctrinæ monumenta. Nuſquam ſancti Patres officii divini ſolemniter recitandi cauſam deſignant otioſorum occupationem. Aliæ illis cauſæ. Nec ſe otioſos

r *Auguſt. in Pſal.* 141. ſ *Pſalm* 83. t *Antiochus hom.* 105. *qua tota eſt de pſalmodia.* u *Cyrill. catech.* 5. x *Philo lib. de vict. offerenda.* y *Chryſ. in Pſal.* 116.

z *Anaclet. Siccus.*

otiosos nuncupari patientur tot Ecclesiæ proceres, tot Præsules, & Antistites tot primæ notæ Theologi, tot sanctitate insignes viri, tot illustres Dominici agri cultores, qui in Deo dicatis cœnobiis non sine proximi ædificatione, & animarum fructu vixerunt, & vivunt: non tot presbyteri, & Ecclesiarum Cathedralium Canonici, & scientia, & natalibus illustrissimi, non ipse summus Pontifex Ecclesiæ Catholicæ caput, non Cardinales, non Reges, & Principes, qui omnes summo studio hunc morem statis horis publicè psallendi ab ipsius Ecclesiæ incunabulis ad hanc nostram senescentem ætatem coluerunt, laudarunt, frequentarunt, semperque laudabunt, & frequentabunt, donec Antichristi tyrannis omnem Dei cultum à fidelibus tollat. Sectarios tanta intemperie Ecclesiasticum cantum irridere non miror: solemne illis est omnem pietatis speciem, omnem religionis majestatem evertere. At inter Catholicos, inter eos, qui se Theologos nuncupant, homines reperiri, qui antiquissimos Ecclesiæ ritus, qui sanctissimam psallendi disciplinam, si non omnino tollere, at saltem dignitatem ejus minuere, præstantiam obfuscare conentur; profectò non crederem, ni typis evulgatæ scriptiones id evidenter ostenderent. Psalmodiam igitur nihil æstiment fideles, quæ maximas Dei laudes continet, nostræ Religionis arcana commemorat, contemplationem nutrit, gignit amorem, perfectam orandi formam exercet, dæmones fugat, lætificat Angelos, delicias spirituales subministrat, & quandam in terris cœlestis gloriæ fidelitatem repræsentat? Væ retroactis seculis, istos Theologos non tulerunt, ut admonerent Ecclesiam, ne tot cantibus, & prolixis precibus fatigaretur. Sed parco verbis. Latitant, quia malè agunt, adversarii. Nolo ego cum larvis, aut instar illius Cyclopis apud Homerum cum nemine luctari. Porrò de ortu, & excellentia sacrosanctæ Psalmodiæ jam diximus: nunc dicendum, quæ causæ à sanctis Patribus assignentur, ob quas certæ horæ ad psallendum Deo fuerint institutæ.

## CAPUT II.

### Quibus de causis certæ quædam horæ ad psallendas Deo laudes fuerint institutæ.

#### §. 1.

*Varia nomina horarum Canonicarum explicantur. Cur divina mysteria symbolis, & allegoriis occultarint Antiqui.*

CErtos hymnos, certamque rationem publicè laudandi Deum primi Patres Ecclesiæ divinum officium nuncuparunt. Vocant enim officium Latini idiomatis Professores id, quod quisque debet efficere, habita ratione locorum, temporum, & personarum. Inde titulum de Officiis acceperunt libri tres Ciceronis, totidemque Ambrosii Præsulis Mediolanensis. Est etiam officium apud Suetonium [a] honor, vel obsequium: Assidentem, inquit, conjurati specie officii circumsteterunt. Dicitur autem officium una immutata litera ob decorem sermonis, quasi efficium ab efficiendo, ut notat Ambrosius [b]. Quia verò in divinis laudibus id omne continetur, quod nobis faciendum est erga Deum, easque statis horis persolventes debitum servitutis obsequium supremæ Majestati impendimus, ideò sub hac duplici acceptione Dei laudibus officii nomen imposuerunt Antiqui. Alii horarias preces cursum divinum vocarunt, vel à cursu solis desumpto vocabulo; vel quia legendo, & cantando percurruntur. Sanctus Columbanus [c] Regulæ suæ caput septimum inscripsit de cursu: S. Bonifacius [d] Epistola 17. speciales horas, & cursum Ecclesiæ custodiant: Gregorius Turonensis [e], exurgente Abbate cum monachis ad celebrandum cursum: Fortunatus [f] Pictaviensis Episcopus in vita S. Germani, S. Germanus iter agens semper nudo capite cursum recitavit, etiamsi nix, aut imber urgeret: Idem in carminibus [g]:



a *Suet. in Cæsare.* b *Ambr. de off. lib. 1. cap. 8.* c *Columban. reg. cap. 7.* d *Bonifac. epist. 17.* e *Greg. Turon. l. 1. de glor. Martyrum c. 11.* f *Fortunat. c. 79. vit. S. Germani.* g *Idem lib. 2. ep. 10.*

*Carmine Davidica divina poëmata pangens*
*Cursibus assiduis dulce revolvit opus.*

A Græcis officium canon dicitur: Basilius *h* in regulis brevioribus; Si quis non occurrat adesse canoni psalmodiæ: Jo. Moschus in prato spirituali *i*, post canonem, quod Latinus vertit post officium: S. Antiochus *k* Psalmodia nostra canon appellatur: sicut agricola nisi suum canonem plenum, & bonum reddiderit, in carcerem conjicitur, donec integrum persolvat debitum; ita continget monacho, si per oscitantiam sibi præscriptum canonem transmiserit. Dicitur etiam synaxis passim apud Cassianum *l*, à verbo συνάγειν quod est colligere, seu congregare, quia ad psallendum colliguntur in unum, & congregantur Religiosi. Eodem sensu à S. Pachomio *m* in regula dicitur collecta: & in vitis Patrum narrat Ruffinus pulsasse Diabolum aliquando nocturno tempore ad ostium cellulæ Macarii junioris, & dixisse; Surge Abba Macari, & eamus ad collectam, ubi fratres ad vigilias congregantur: & infra; Nulla sine nobis collecta agitur, nullaque congregatio monachorum. In Concilio Agathensi *n* Missa nuncupatur his verbis, in conclusione matutinarum, vel vespertinarum missarum post hymnos capitella de psalmis dicantur. Ab aliis Psalmodia, Agenda, & solemnitas dici solet. Sanctus autem Benedictus *o* dictus insigni prænomine vocat officium divinum opus Dei, opus nimirum, quod erga Deum devota mentis actione præstare debemus, opus illud, de quo scriptum est *p*, *Opus justi ad vitam*, & alibi: *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter q.* Et quia majores nostri tempus, & horas, quibus prædictum officium persolvendum est, Ecclesiasticis canonibus diremerunt; ideo canonicas horas appellamus constitutis horis regulariter celebrandas. Quam institutionem non temere, non inconsultò sancitam secretiores causæ, symbolicæ rationes, ac solis sapientibus revelata mysteria consecrarunt.

2. Visibilibus enim imaginibus ad divinas intelligentias pro virium nostrarum modo conscendimus, teste Dionysio Areopagita *r*. Neque aliter fas erat infirmitati nostræ lucere divinum radium, nisi sacrorum varietate velaminum opertum, & his quæ nobis familiaria sunt vestitum, quia juxta Domini sententiam illicitum est projicere ante porcos mundam, & luciformen venustatem invisibilium margaritarum. Negabat Plato secretiora mysteria iis communicari debere, qui animo purificati non essent, ne immunda multitudo eorum sanctitatem contraria, aut falsa interpretatione corrumperet. Hipparchus Pythagoricus, teste Clemente Alexandrino *s*, expulsus è schola fuit, quod magistri præcepta apertè scripsisset, eique tamquam mortuo columnam imposuerunt. Lysidis hac de re elegantissimam epistolam ad ipsum Hipparchum refert Bessarion Cardinalis *t*, eamque commemorat Jamblicus *u*. Quot fabulæ, & allegoriæ ab Antiquis fuerunt inventæ, ut earum involucro sublimiorem philosophiam occultarent? Metrodorus Lampsacenus, de quo Diogenes in Anaxagora, & Tatianus oratione contra Græcos meminere, totum Homeri poëma ad allegorias traxit, quem Proclus, & Eustathius sunt imitati. Strabo *x* autem libro primo Geographiæ adversus Eratosthenem id evincit: idemque prudentissimus Scriptor Plutarchus *y*, & Leo *z* Hebræus eroticus Doctor asseverant. Heraclides *a* quoque initio libri allegoriarum in Homerum; Si quis, ait, citra philosophicam contemplationem, & allegoricum sensum Homeri carmina accipiat, non alius utique fuerit Homerus, quam Salmoneus, & Tantalus, intemperantia linguæ, qui moribus est turpissimus, laborans. Legendus item de hac re Porphyrii libellus de antro Nympharum, quem Latinum fecit vir clarus & abstrusiori sapientia singulariter præditus Lucas Holsteinius. Ænigmatum sunt omnia referta, inquit Tyrius *b*, tam quæ Poëtæ, quam quæ Philosophi enuntiant: Quod enim humanæ imbecillitatis captus manifestè percipere non potest, ejus est fabula modestior interpres. Heraclitus Ephesius, ut Laërtius *c* testatur, librum de natura ex industria obscurius scripsit, ne, si à vulgo passim legeretur, contemptibilis esset. Dominus JESUS, cum esset sapientia æterna, loquebatur in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis *d*, ne divina secreta passim

h *Basil. reg. brev.* 147. i *Prat. sp. cap.* 27. & 40. k *Antioch. homil.* 105. l *Cass. lib.* 2. *cap.* 10. & *coll.* 15. *cap.* 1. m *lib.* 2. *de vitis PP. cap.* 29. n *Concil. Agathen. cap.* 30. o *Bened. reg. cap.* 43. & 47. p *Prov.* 10: 16. q *Hier.* 48: 10. r *Dion. Areop. de Eccl. Hier. cap.* 1. & *de Cœl. hier. cap.* 1.

s *Clem. Alex. l.* 5. *strom.* t *Bess. adv. calumn. Plat. lib.* 1. *cap.* 2. u *Iambl. de vita Pythag. lib.* 1. *c.* 17. x *Strabo* 1. *Geogr.* y *Plut. lib. de aud. Poët.* z *Leo dialog.* 2. *de amore.* a *Heraclid. lib. Allegor. in Homerum.* b *Max. Tyr. ser.* 29. c *Laert. de vitis Philos. lib.* 9. d *Matth.* 13.

sim omnibus paterent, & facilè intellecta vilescerent. Scribit Ignatius *e* ad Trallianos se abstrusiora illis non scribere, metuo enim, ait, ne vim mysteriorum minimè capientes strangulemini. Sacra mysteria, inquit Gregorius Nazianzenus *f*, apud abjectos non sunt explicanda: idem enim est, ac si quis imbecillæ auri tonitrui sonum, & solem infirmis oculis, & lacte adhuc utentibus solidum cibum committat. Rabbi Moyses Ægyptius *g* in libro, quem Directorem perplexorum inscripsit, sive de dubiis perplexis veteris testamenti, docet sapientes prohibuisse, ne quis arcana legis patefaceret. Nicetas *h* in fine commentarii ad orationem 40. Nazianzeni; Fidei, inquit, mysteria, quæ magis recondita sunt apud profanos homines, tecta & occulta habebis, atque inviolata custodies non aliter atque ea, quæ impressa sigillo servantur. Ipsi Reges majestatem imminui, & vulgari olim putabant, ut verbis utar Latini Pacati *i*, nisi eos intra repositum palatinæ ædis inclusos, tamquam aliquod Vestale secretum, veneratio occulta consuluisset: nisi intra domesticam umbram jacentes solitudo provisa, & silentia latè conciliata vallassent. Solet nimirum ignoratio addere rebus auctoritatem, eaque est humanæ mentis imprudentia, ut quæ palam exposita sunt minoris faciat, quæ abstrusa vehementer admiretur. Hinc Phalaris *k* Agrigentinorum Tyrannus ad Ariphætum scribens, Opera tua, ait, & his quæ misimus, & longè majoribus præmiis digna sunt, mea autem perscrutari noli; nihil enim in his potius, quam silentium ducimus. Synesius *l* ex Philosopho Platonico Episcopus Catholicus vetustissimum institutum esse arbitratur sub vilioris argumenti specie, quæ sunt in philosophia magna atque præstantia, dissimulare, ut nequequæ difficulter inventa sunt ex hominum memoria excidant, neque in profanum vulgus edita depraventur. Fabulis autem veritatem occultare, inquit Salustius *m* Philosophus, insipientes prohibet, ne contemnant: studiosos ut philosophentur compellit. Narrat Julius Firmicus *n*, quod, cum Orpheus sacrorum ceremonias aperiret, nihil aliud ab his, quos initiabatur in primo vestibulo, nisi jusjurandi necessitatem, & cum terribili quadam auctoritate religionis exegit, ne profanis auribus religionis secreta proderentur: patiuntur enim hæc omnia jacturam, cum perditis, & desperatis animis ingeruntur. Ideò Ægyptii in ingressu templorum, teste Synesio *o*, Sphinges collocarunt, ut admonerent mystica dogmata à profana multitudine inviolata custodire debere. Nam nec lippiens oculis, ait Isidorus Pelusiota *p*, in solis orbem aciem defigere potest, & si eam defigat, frustra id agit: nec sordida mens sanctarum rerum quicquam utiliter perscrutari potest. Ozias Rex, * cum sacris rebus profanas manus injicere præsumpsisset, lepra percussus extra templum ejectus est. Gentiles quoque sacris arcere solebant profanos, ut Poëtæ passim ostendunt. Virgilius enim sic canit *q*:

——— *Procul, ô procul este profani,*
*Conclamat vates, totoque absistite luco.*

Et Silius Italicus *r*:

*Parcite Pollutis contingere vincula palmis,*
*Et procul hinc, moneo, procul hinc quæcunque profanæ.*

Titus quoque Calphurnius *s*:

——— *Ite procul, sacer est locus, ite profani.*

Ovidius item in Fastis *t*,

*Innocui veniant, procul hinc, procul impius este.*

Et Statius Papinius in Sylvis *u*;

——— *Procul hinc, procul ite nocentes.*

Quò etiam pertinet illa Mimorum γνωμὴ

*Sordere vis divina? vulgo fac palam.*

3. Τὰ μυστήρια ἀπὸ τοῦ μύειν, quod est claudere, vel cælare, dicta sunt, quod nequaquam revelari debeant his, qui sacris non sunt initiati. Omnibus autem mysteriis silentii fidem olim adhibitam Tertullianus *x* in Apologetico, & initio libri contra Valentinum demonstrat. Aristides *y* in eleusinio eos arguit, qui indignè mysteria evulgant. Apuleius in Milesiis; Sacris pluribus initiatus nostri, ait, sanctam silentii fidem. Mysterium, inquit Chrysostomus *z*, est quod nemo novit, quod est admirabile, quod est absconditum. Ambrosii *a* sententia est, ineffabilibus mysteriis nullam rem magis quadrare, quam silentium. Cui adstipulatur Basilius *b*, sic scribens.



*e* *Ignat. epist.* 5. *f* *Nazianz. or.* 44. *g* *R. Moses l.* 3. *c.* 1. *h* *Nicet. ad or.* 40. *Naz. n.* 51. *i* *Lat. Pac. Drepanius in Paneg. Theodosii.* *k* *Phalaris ep.* 16. *l* *Synesius præf. libri de insomniis,* *m* *Sal. l. de Diis, & mund. c.* 3. *n* *Jul. Mat. Firmicus præf. l.* 7. *Mathes.*

*o* *Synes. de regno. & Pierius lib.* 6. *Hieroglyph. cap.* 12. *p* *Isid. Pel. lib.* 6. *ep.* 304. * *2 Paralipom.* 26. *q* *Virgil.* 6. *Æneid.* *r* *Sil. Ital. lib.* 17. *s* *Calphurn. ecl.* 2. *t* *Ovid.* 1. *Fast.* *u* *Stat. lib.* 3. *Sylv.* *x* *Tertull. apol. cap.* 7. *y* *Aristid. in eleus. Apul. l.* 3. *z* *Chrys. ad Coloss. or.* 5. *a* *Ambr. lib.* 6. *de Sacramentis.* *b* *Basil. de Spir. sancto cap.* 27.

scribens. Qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli, & Patres, in occulto, silentioque suam mysteriis servaverunt dignitatem. Sanctus quoque Joannes Abbas Raythu [c] docet, Clymacum [d] obscurè narrasse contemplationem, quia noluit omnibus mysteria revelare. Qui verò ab ethnicis admittebantur ad sacra, mystæ, ac mystici dicebantur: unde est illud apud Clementem Alexandrinum [e], & Julium Maternum Firmicum [f]; Jejunavi, potum confectum bibi, de cista accepi, factus sum mysticus. Nos autem ut mystæ evadamus, JESUM prius invocemus, qui est vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & sic pergamus ad contuendas pro viribus sacrarum precum intelligentias, prout illas à Patribus accepimus; & quas illi nobis vel per signa, vel per intelligentiæ sacratioris arcana tradiderunt, in quantum possumus, speculemur. Levemus velum, faciem Moysi revelemus, & ingressi sanctuarium videamus spiritum vitæ, qui est in rotis. Veniant qui altiori mysteriorum commercio digni sunt, & solutis terrenorum affectuum calceamentis accedant ad videndum, & audiendum Deum: meminerintque scriptum [g], *Secretum meum mihi*: & [h], *In corde meo abscondi eloquia tua*: itemque [i], *Sapientiam loquimur inter perfectos*. Sed quo ausu occulta revelare potero ingenio pauper, affectu iners; nisi tu, JESU bone, qui potes omnia, emittas manum tuam de excelso habitaculo tuo, & introducas me in domum tuam, in locum tabernaculi admirabilis? Decet enim, ut Arnoldus Abbas [k] scribit, corruptum in corrupta contrectare, & purificatoriis muneribus manum apponere impuram. Tu ergo, qui potes facere mundum de immundo conceptum semine, purifica me potenti illapsu gratiæ tuæ, & clarifica me claritate interni luminis, ut supernæ tuæ lucis splendore perfusus incerta, & occulta sapientiæ tuæ percipere valeam, sacrarumque precationum mysteria explicare. Græcorum quidem scriptores, ait Epiphanius [l], ubi fabulosum aliquod scriptum aggrediuntur, Musam aliquam invocant, non Deum. Nos autem invocamus sanctum universorum Dominum, ut adjuvet paupertatem nostram, & inspiret Spiritum sanctum suum; ut nihil adscititium in promissum scriptum comportemus; atque hoc ipsum petentes nostræ insufficientiæ nobis conscii, juxta fidei mensuram, ac proportionem ipsum nobis largiti obsecramus.

c *Jo. Rayt. ad. gr.* 27. d *Climaci.* e *Cl. Alex. in Protreptico.* f *Jul. Mat. de errorib. profan. religionum.* g *Isaiæ* 24: 16. h *Psal.* 118. i 1 *ad Cor.* 2: 6. k *Arnold. de 7. verbis cap.* 3. l *Epiphanius initio Panarii.*

## METRUM III.

*Mystica sacrarum penetralia pandere rerum,*
*Atque adyton reserare poli, persusa superno*
*Lumine mens gestit. Procul hinc gens vana recedat,*
*Quæ residem, tetraque animum caligine mersum*
*Tollere nescit humo, scelerum devincta catenis.*
*Si nihil ad vestros cœli mysteria mores,*
*Sanctaque religio, pietasque, & Numina spectant;*
*Pareite pollutis hæc scripta evolvere dextris,*
*Parcite vulgus iners, dira plebs conscia culpæ,*
*Cui fixum stat corde nefas, quam vulture fœdo*
*In Bacchi, Veneris que luem malus impulit error.*
*Non hic obscuris rerum primordia pando*
*Naturæ è claustris: non hic digesta per annum*
*Tempora, non Thebas, non alti sidera cœli*
*Concino diversos hominum variantia casus;*
*Non freta fatidicæ primum sulcata carinæ,*
*Non stygis raptoris equos, non pocula Circes,*
*Non clarum Æacidem, formidatumque novercæ*
*Amphitryaniden, miseræque incendia Troiæ.*
*Non rejero hic varias subeuntia corpora formas,*
*Non sylvas, virides que plagas, Veneresque, jocosque.*
*Hæc, pereant, quicunque colunt. Mihi splendida ab alto*
*Lux nitet, & divo jam cor persunditur æstu.*
*Ecce Deus, Deus ecce venit, procul este profani:*
*Este procul, nocuos procul hinc avertite vultus.*
*At vos sanctæ animæ, solidæ pietatis alumnæ,*
*Quas amor, & summi perstringit Numinis horror,*
*Vos precor hic paucas perituri temporis horas*
*Conterere, & mecum veterum vestigia Patrum*
*Certa sequi. Dignas, Deus est, cui pangere laudes*
*Legibus hic doceo sacris, quem jussa per orbem*
*Terra colit celebratque polus. manesque tremiscunt.*

## §. II.

*Prima ratio institutionis horarum ex Divo Cypriano. Secunda ex Amalario Fortunato, & Honorio Augustodunensi.*

1. PRimam rationem mysticam, ob quam horariæ preces sunt institutæ, eloquentissimus Cyprianus [m] assignat his verbis: In ora-

m *Cyprianus lib. sive serm. de orat. Dominica prope finem.*

orationibus celebrandis invenimus obſervaſſe cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in captivitate victores horam tertiam, ſextam & nonam ſacramento ſcilicet Trinitatis, quæ in noviſſimis temporibus manifeſtari habebat. Nam & prima hora in tertiam veniens conſummatum numerum Trinitatis oſtendit. Itemque ad ſextam quarta procedens declarat alteram Trinitatem. Et quando á ſeptima nona completur, per ternas horas Trinitas perfecta numeratur. Quæ horarum ſpatia jam pridem ſpiritualiter determinantes adoratores Dei ſtatutis, & legitimis ad precem temporibus ſerviebant: & manifeſta poſtmodum res eſt, ſacramentum olim fuiſſe, quod ante ſic juſti precabantur. Nam ſuper diſcipulos horâ tertiâ deſcendit Spiritus ſanctus, qui gratiam Dominicæ promiſſionis implevit. Item Petrus horâ ſextâ in tectum ſuperius aſcendens ſigno pariter, & voce Dei monentis inſtructus eſt, ut omnes ad gratiam ſalutis admitteret, cùm de emundandis Gentiſibus ante dubitaret. Et Dominus horâ ſextâ crucifixus ad nonam peccata noſtra ſanguine ſuo abluit, & ut redimere, & vivificare nos poſſet, tunc victoriam ſuâ Paſſione perfecit. Sed nobis, præter horas antiquitùs obſervatas, orandi nunc & ſpatia, & ſacramenta creverunt. Nam & mane orandum eſt, ut reſurrectio Domini matutinâ oratione celebretur, quod olim Spiritus ſanctus deſignabat in pſalmis dicens [n], *Rex meus, & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine manè, & exaudies vocem meam, manè aſſiſtam tibi*, & contemplabor te. Recedente item ſole, ac die ceſſante neceſſariò rursùm orandum eſt. Nam quia Chriſtus ſol verus, & dies verus eſt, ſole, ac die ſæculi recedente, quando oramus, & petimus, ut ſuper nos lux denuò veniat Chriſti, precamur adventum lucis æternæ gratiam præbiturum. Et poſt pauca de nocturnis precibus. Quando mundi lege decurrens vicibus alternis nox reſoluta ſuccedit, nullum de nocturnis tenebris eſſe orantibus damnum poteſt, quia filiis lucis & nocte dies eſt. Quando enim ſine lumine eſt, cui lumen in corde eſt? Aut quomodo ſoli ei, & dies non eſt, cui ſol, & dies Chriſtus eſt? Qui autem in Chriſto, hoc eſt in lumine, ſemper ſumus, nec noctibus ab oratione ceſſemus. Hæc Cyprianus Chriſtianæ eloquentiæ Princeps.

2. Secunda ratio Amalarium Fortunatum [o] habet auctorem. Chriſti enim ſanguine, magno & inæſtimabili pretio, à diabolica ſervitute redempti jam noſtri non ſumus, ſed Redemptoris noſtri, quotquot Chriſtiano nomine cenſemur, quem debitis gratiarum actionibus proſequi, ac jugiter glorificare debemus, ut quoniam ſingulis horis, ac momentis ejus beneficio vivimus, & ſumus; ita etiam, quantum præſentis vitæ neceſſitas permiſerit, ab illius nunquam laude ceſſemus. Hoc pro modulo noſtro præſtamus, dum in nocturna ſynaxi duodecim pſalmos cantantes, diurno etiam tempore quolibet horarum ternario tres pſalmos modulantes ſingulis horis per hujuſmodi pſalmorum repetitionem Deo præſentes viginti quatuor diei horas divino famulatui conſecramus. Sic enim fit, quod in re ſimili Sanctus Leo Magnus [p] obſervat, ut anima, quæ terrenis adhuc deſideriis implicatur, & curis ſæcularibus impeditur, ex intervallo ſaltem ad divina reſpiret. Conſonat huic doctrinæ Honorius Auguſto dunenſis in Gemma animæ [q]. Sol totum mundum viginti quatuor horis perluſtrat, & ſtellas quidem ſibi in die præſentes lumine ſuo obſcurat, abſentes verò in nocte illuminat. Sol autem Chriſtum juſtitiæ ſolem præfigurat, qui hunc ſuperiorem mundum quaſi in die illuſtrabat, dum illum præſentiâ ſuâ doctrinis, & miraculis illuminabat. Inferiorem verò quaſi in nocte irradiavit, dum morte ſuâ ſedentes in tenebris, & umbra mortis viſitavit. Stellas verò præſentes velat in die, dum ſanctos in gloria ſuæ præſentiæ à mundi tenebris cœlat. Stellas in nocte abſens illuminat, quia juſtos in nocte hujus vitæ illuſtrat. In nocte ergo duodecim pſalmos, & in die totidem pſallimus, quot horis ſtellas à ſole undique verſum illuminari diximus, quatenus nos Chriſtiani in baptiſmate ſtellæ facti ab æterno ſole in omni hora illuminemur, ſi Dominum in omni tempore benedicentes veneremur. Optimè S. Eligius [r]: Cui dicendum eſt, oportet ſemper orare, & non deficere, niſi ei, qui canonicis horis quotidiè, juxta ritum Eccleſiaſticæ traditionis, pſalmodiis precibuſque conſuetis Dominum laudare, & rogare non deſiſtit? & hoc eſt quod Pſalmiſta dicebat [s], *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.* Septenario enim numero, inquit Prima-

n *Pſalm.* 5. o *Amalar. lib.* 3. *de Eccleſ. officiis cap.* 1.

p *Leo ſerm.* 4. *de jejun. ſeptimi menſis.* q *Gemmæ animæ lib.* 2. *cap.* 49. & 50. r *Elig. hom.* 11.

s *Pſalm* 33.

Primasius *t*, universitas figuratur, propterea canitur; *Septies in die laudem dixi tibi*: quod alibi dicit, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.*

## §. III.

*Tertia ratio ex Hugone Victorino. Quarta ex communi Scriptorum sententia ob Dominicæ Passionis memoriam.*

1. TErtiam rationem tractat Hugo de S. Victore *u*. Octo horas sancti Patres præ cæteris ad laudandum Deum elegerunt, mediam scilicet noctem, diluculum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium. Quia dignum est, ut homo, qui corpus gerit ex quatuor elementis, quater respectu noctis, & quater respectu diei per diem naturalem Deum sibi placare satagat. Et cum omni tempore laudandus sit Deus, potissimum in prædictis horis laudatur ab Ecclesia, in quibus opera præ cæteris insignia dignatus est facere. Nocte enim mediâ natus est de Virgine, diluculò surrexit, horâ primâ mulieribus ab Angelis nunciata est Resurrectio, horâ tertiâ Spiritus sanctus inflammavit Apostolos, horâ sextâ crucifixus est Dominus, horâ nonâ emisit spiritum pro salute mundi. In Vesperis commemoramus adventum Domini mundi de Vespere. In Completorio completum erit gaudium Sanctorum in die generalis retributionis. Hæc Hugonis sententia cuipiam subobscura videbitur, dum orationem à nobis fieri commemorat quater in die, & quater in nocte. Sciendum proinde est, ex his, quæ infra dicentur, Primam dumtaxat, Tertiam, Sextam, & Nonam horis diurnis: laudes verò, Vesperas, & Completorium cum Nocturnis nocturno tempori ab illo assignari. Nam & laudes ante solis ortum, Vesperæ autem & Completorium, vel post vel circa ejusdem occubitum olim celebrabantur, ut suis locis ostendemus.

2. Quarta ratio omnium Scriptorum calculo approbatur, quam eleganter explicant Rupertus Abbas, & Gemma animæ *x*. Ad conservandam enim copiosæ Redemptionis memoriam septies in die laudem dicimus Domino, juxtà vulgatissimos glossæ versiculos *y*.

*Hæc sunt septenis propter quæ psallimus horis.*
*Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.*
*Prima replet sputis. Causam dat Tertia mortis.*
*Sexta cruci nectit. Latus ejus Nona bipertit.*
*Vespera deponit. Tumulo completa reponit.*

Plurimi Auctores è Canonistarum populo alios recitant versus, sed historicæ veritati non omninò conformes: nam Resurrectio ante primam horam facta est, & quod de hora duodecima dicunt, in Evangelio non legitur.

*In matutino damnatur tempore Christus.*
*Quando resurrexit Primam canit ordo fidelis.*
*Tertia cum canitur tunc est cruciamina passus.*
*Sexta sunt tenebræ per mundi climata factæ.*
*Emissus Nonâ est divinus Spiritus horâ.*
*Vespere clauduntur Christi sacra membra sepulchro.*
*Christo bissena custodia ponitur hora.*

Hæc potissima ratio est, ob quam his horis divina celebrantur officia: hæc præcipua mysteria sunt, quibus, dum psallimus, insistere debemus: Nihil enim *z* juxta Magni Leonis *z* sententiam, inter omnia opera Dei, in quibus humana admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis nostræ & oblectat, & superat, sicut Passio Salvatoris. Atque utinam possem omnibus horis, ac momentis vitæ meæ tam beatæ Passionis, tam vivificæ mortis recordari, à qua vita, & resurrectio mea, & omne bonum meum procedit. Plus enim mihi contulit Dominus redimendo, quam creando; creando quippe me mihi dedit, redimendo verò & seipsum dedit, & me reddidit mihi. De nihilo creatus sum, sed non de nihilo redemptus. Flagella, spinas, clavos, & crucem sustinuit amarissimam, totumque sanguinem effudit, ut me vitæ sempiternæ participem efficeret. Vade igitur anima mea ad montem myrrhæ, collige tibi fasciculum ex omnibus amaritudinibus Domini tui, & dic cum anima dilecta, *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur a.* Hunc fasciculum, si semel collegero, nemo tollet à me, inter ubera mea commorabitur. In hoc Justitiæ consummatio, in hoc scientiæ plenitudo, in hoc divitiæ salutis, & copia meritorum. Hæc mea sublimior Philosophia scire JESUM & hunc crucifixum. Nullibi melius discitur quid sit sanctitas, quid sit perfectio, quam in vulneribus Salvatoris. Nulla efficacior medicina ad purgandas animæ sordes; ad curanda conscientiæ vulnera, quam Christi vulnerum meditatio. Horum non

t *Primas lib. 1. in Apocal. c. 1.* u *Hugo c. 3. Speculi de Ecclesiæ mysteriis.* x *Rup. l. de div. officiis. Gem. l. 2. c. 55.* y *Glos. inc. 1. de celebr. Missar*

z *Leo Serm. 11. de Pass. Domini,* a *Cant. 1. 12.*

non obliviscar in æternum, quia in ipsis vivificatus sum.

## METRUM IV.

*CUrrite sanguineis lacrymarum flumina rivis,*
*Et corde ab imo tristis exundet dolor.*
*Erumpant moriente Deo suspiria & intus*
*Occulta amoris æstuent incendia.*
*Ite manus nocuæ, sceleratum tundite pectus,*
*Vindexque apertis sanguis è venis fluat.*
*O fluat, & totus detur pro sanguine sanguis,*
*Meaque culpas diluat fusus cruor.*
*Dicite vos cœli, vos conscia sideris astra,*
*Si majus unquam polluit terram nefas.*
*En jacet exanimis soboles æquæva Tonantis*
*Damnata ligno, crimina ut mundi luat.*
*Spinea serta caput præcingunt membra cruentis*
*Discerpta virgis sanguinis rivos pluunt.*
*Omnis abest species notam dignoscere formam,*
*Notosque vultus ipsa vix posset parens.*
*Horruit aspectu, densisque in nubibus æther*
*Phœbique, siderumque condidit faces.*
*Æternas populi mundo timuere tenebras,*
*Stravitque mœstus anxias gentes pavor.*
*Grandia terrificis sunt saxa excussa ruinis,*
*Et ipsa trepido terra subsiluit solo.*
*Scilicet (O Superi cur non emittitis ignem?*
*Cur non ferocem armatis in me dexteram?)*
*Scilicet (ah scelerum nimis improba causa meorum,*
*Quæ lucis, & vitæ reum Numen facis.)*
*Scilicet interitum summi gemuere parentis*
*Quæcunque cœli continentur ambitu.*
*Et vos mortales tantorum causa malorum*
*Sileis? & non irrigat fletus genas?*
*Ah fluite ô lacrymæ totoque è corpore sanguis.*
*Ut sole nix soluta, rivis effluat.*
*Ecce sitit moribundus Amor, date pocula Amantes,*
*Amoris haustum Rex amantium sitit.*
*Nempe sitit lacrymas, lacrymæ ne arescite: vestro*
*Sedare fletu fervidam cupit sitim.*

## §. IV.

*Quinta, & sexta ratio in gratiarum actionem ob divina beneficia. Septima per analogiam ad ætatem humanam. Addita quædam de brevitate vitæ.*

1. QUintò septem distinctis horis servitutis nostræ pensum reddimus Deo, ut pro creationis beneficio septem diebus peracto creatori gratias agamus. His accedit octava nocturnæ vigiliæ hora pro spe resurrectionis, quam mediâ nocte futuram plerique doctiores sentiunt [b], tum quia Dominus se venturum ad judicium tanquam furem in nocte prædixit: tum quia mediâ nocte de adventu sponsi excitatum clamorem in parabola fatuarum, & sapientum Virginum legimus. Facem mihi prætulit ad hanc rationem astruendam Rupertus Abbas [c] his verbis: Septem canonicas horas diei non licet à quoquam, qui in conspectu Dei vacuus, & ingratus apparere nolit, negligenter præteriri. Hæ siquidem creatori nostro deferunt laudes, & pro certis, ac magnis ejus beneficiis quasi vectigales sunt gratiarum actiones. Ut enim cecinit Prudentius [d]:

*Quod generosa potest anima*
*Lucis, & ætheris indigena*
*Solvere dignius obsequium,*
*Quam data munera si recinat*
*Artificem modulata suum?*

Gratiarum actio, inquit Laurentius Justinianus [e], est in intellectu, & cognitæ gratiæ Dei bonæ voluntatis indeficiens, & irreflexa intentio. Nullum enim officium referenda gratia magis necessarium, quia majora meretur suscipere, qui collata bona de corde non probatur delere. Invitatur ad magna, qui de parvis gratias agere assuescit, & spem de futuris recipit, qui transacta beneficia recognoscit. Ideò S. Maximus [f], Taurinensis Episcopus, hortatur nos, ut minutissimas aves imitemur, mane & vespere creatori gratias referendo. Et si es, inquit, devotior, imitare luscinium, cui, quoniam ad dicendas laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia pervigili cantilenâ decurrit. Et tu igitur laudibus tuis diem vincens operi tuo adde nocturna curricula, & insomnem suscepti laboris industriam psalterii serie consolare. Notat Richardus Victorinus [g] septem esse tentationes, importunam, dubiam, subitam, occultam, violentam, fraudulentam, perplexam, quibus impugnantur fideles, juxtà illud [h]: *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum*:



b *Ambros. Hieron. Chrysost. Augustl. & alii apud Suarez in 3. p. tom. 2. disp. 30. sect. 10.* c *Rup. lib. 1. de div. off. c. 1.* d *Prudent. Cathim. hym. 3.* e *Laur. Justin. igni vitæ de orat. c. 7.* f *Max. hom. 2. de non timendis hostibus carnalibus.* g *Rich. in Psalm. 90.* h *Iob. 5. 19.*

lum: ad quas illud etiam accommodatur, quod scriptum est i, *septies cadet justus, & resurget.* Propterea idem iustus septies in die laudem dicit Domino, nam quoties post lapsum resurgit, & quoties tentanti malo resistit, debet sane cooperatori suo gratias referre, à quo utique factum est, ut tentatus resistere, & lapsus posset resurgere. Septies autem oramus in die, ait Ebrardus k contra Valdenses scribens, quia septies in die cadit justus, & resurgit per orationem. Addit Petrus Damianus l septem Canonicarum horarum officia, quasi septem baptismatum lavacra in sanctæ Ecclesiæ gremio constituta esse; ut septem offensionum maculas, quas ex quo tidiana vitæ hujus conversatione contrahimus, totidem orationis quotidianæ fluentis expiare curemus, quatenus assiduum corruptibilis vitæ pulverem satisfactionis aura decutiat, & mundanæ conversationis lutum superfusæ orationis unda frequens detergat.

2. Sextò, sunt qui has temporum præscriptiones ideò censent ordinatas, ut per nocturnum officium tempus tenebrarum ante Christi adventum significemus: Nox enim, ut ait Remigius Antissiodorensis m, tempus significat ante Christi adventum: Per diurnum vero tempus gratiæ, & miserationis, quo visitavit nos oriens ex alto. Septies igitur Deum laudamus, quia dono septiformis gratiæ lucem, & libertatem adepti sumus. Par esset equidem supernæ Hierusalem imitari custodes, quorum militia est semper esse in Dei laudibus, ut Ambrosius n scribit, qui super muros æternæ civitatis constituti totâ die, & totâ nocte in perpetuum non tacebunt: sicut & animalia in circuitu sedis procidentia requiem non habent, die ac nocte clamantia, & dicentia o *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Sed aggravante corpore præpediti à divinis laudibus multoties cessare cogimur, certis dumtaxat intervallis vitulos labiorum nostrorum immolantes. Rectè Primasius p; Ecclesia circumquaque diffusa in singulis membris, professionibusque diversis, urbibus, regionibus, provinciis, linguis, & gentibus variis Dominum die ac nocte laudare non cessat, manente intellectualis creaturæ perpetua in cœlestibus laude super Jerusalem, ad cujus se instar, informari peregrina lætatur Ecclesia. Hoc est tributum, quod à nobis exigit Deus. *Immola,* inquit q, *sacrificium laudis.* Quæ verba explicans Augustinus, Ara tua, ait, conscientia tua. Securi sumus, non imus in Arabiam thus quærere; non sarcinas avari negotiatoris excutimus. Sacrificium laudis quærit à nobis Deus. Habebat hoc sacrificium laudis Zacheus in patrimonio suo, habebat vidua in saccello suo, habebat nescio quis pauper hospes in dolio suo. Alius nec in patrimonio, nec in saccello, nec in dolio aliquid habebat: totum habebat in animo suo. Immola Deo sacrificium laudis, & hæc immolatio, hoc sacrificium laudis est, gratias agere illi, à quo habes quicquid boni habes, & cujus misericordia tibi dimittitur quicquid tuum mali habes.

3. Septima ratio nos ipsos respicit, ætatisque nostræ progressum non inutili significatione repræsentat. Augustinus r, Gregorius s, Hieronymus t, Fulgentius x Theophylactus y, & Honorius z per horas diei ætates hominum, quamvis non omninò simili explicatione, interpretantur. Nam quis neget quemcumque hominem profundâ nocte sepultum fuisse, cum adhuc in potentia causarum latitans proprio existentiæ actu careret? Nox igitur tempus illud indicat, quod nativitatem antecessit. Matutinæ laudes in confinio diei, ac noctis recitandæ, primam ætatem denotant, quam infantiam aliqui, pueritiam alii vocant. Prima diei hora, cùm jam se purior exerit solis radius, adolescentiæ index est. Juventus per Tertiam designatur, cum solis radii longè, latèque diffusi orbem terrarum nitidius illustrant. Per Sextam virile robur intelligo sole in medio cœli, & maxima augis altitudine constituto. Hora Nona inclinato jam die tarda senectus indicatur. Vesperè ultima ætas decrepita innuitur terram respiciens, in quam mox terrenum corpus resolvi debet: quam ætatem eleganter deplorans Cornelius a, sic cecinit:

*Nec cœlum spectare licet, sed prona senectus*
*Terram à qua genita est, & reditura videt.*

Completorium denique ævi seriem completam, vitæque finem manifestat. Adeò brevis est

i *Prov.* 24. 16. k 1 *Prov.* 24. 16. *Ebrad. cap.* 4. l *Petrus Damianus opusc.* 10. c. 1. m *Remig. Antissiod. in cap. ult. Ionæ.* n *Ambros. Epist.* 27. *Isa.* 62. 6. o *Apoc.* 4. 8. p *Primas. in Apoc. lib.* 2. *in fine.*

q *Ps* 49. & *ibid. Augustinus* r *Aug. serm.* 59. *de verbis Domini.* s *Greg. hom.* 19. *in Evang.* t *Hier. in cap.* 10. *Matthæi.* x *Fulg. de remiss. pec. libro* 18. y *Theophylact. in cap.* 20. *Matth.* z *Hon. Gem. anim. lib.* 2. *cap.* 34. a *Corn. Gallus.*

est vita nostra, ut unicæ diei omnis ejus de cursus comparetur. Nam diei unius sunt homines, ait Pindarus [b], umbræ somnium sunt homines. Et Rex Ezechias clamabat dicens [c]: *De mane usque ad vesperam finies me.* Narrat Plinius [d] & Antigonus Carystius [e] avem esse ad Hypanim fluvium vitæ prorsus diariæ: manè nascitur: crescit usque ad meridiem, ac soli tandem morienti commoritur, Hemerobios dicitur, de qua Cicero [f]; Confer, inquit, nostram longissimam ætatem cum æternitate, reperiemur in eadem propemodum brevitate, qua illæ bestiolæ, quæ unum diem vivunt. Flos etiam Hemerocalis ultra diem vivere nequit, ejus meminere Dioscorides [g] & Plinius [h]: legendus item Suidas verbo Ephemerii botri. Optimè Job [i], *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra.* Optimè item Isidorus Pelusiota [k], Mundi hujus gloria Hemerocalis est. *Omnia tempus alit*, inquit Poëta [l], *tempus rapit, usus in arcto est.* Libet itaque exclamare cum sanctissimo Abbate Columbano [m]. O tu vita quantos decepisti! quantos seduxisti! quantos excœcasti! quæ dum fugis, nihil es; dum videris umbra es; dum exaltaris fumus es: quæ quotidie fugis, & quotidie venis, veniendo fugis, quæ fugiendo venis: dissimilis eventu, similis ortu; dissimilis luxu, similis fluxu; dulcis stultis, amara sapientibus. Qui te amant, non te sciunt; qui te contemnunt, ipsi te intelligunt. Te ostendis tanquam veram, te reducis quasi fallacem. Ergo nihil es, ô mortalis vita, nisi viæ imago, fugitiva ut avis, ut nubes incerta, fragilis ut umbra-

b *Pindar. in Pythiis Ode* 8. *v.* 135. c *Isa.* 38. 13. d *Plin. lib.* 11. *cap.* 36. e *Antigon. hist. mirabilium cap.* 92. f *Cic.* 1. *Tuscul.* g *Dioscorid. lib.* 3. *cap.* 137. h *Plin. lib.* 11. *cap.* 21. i *Iob.* 14. 1. k *Isid. Pelus. lib.* 5. *Ep.* 363. l *Aurel. Olympius. Nemesius Eclog.* 3. m *Columb. homil. de fallacia vitæ humanæ.*

## METRUM V.

*Sic nempe velox orbita temporum*
*Propellit annos: surgit, & occidit*
*Quicquid polorum continetur*
*Præcipiti nimium sub axe.*
*Cœco rotantur sæcula turbine,*
*Vesper sequenti vespere truditur.*
*Mortale nil longum, nec ætas*
*Præteritam reparat ruinam.*
*Vitæ quid auras, quid senium miser,*
*Diesve longos, stultaque somnia*
*mentiris? heu! puncto futurus*
*Præda necis, gelidum cadaver.*
*Quicunque lucis munere vescimur,*
*Omnes eodem tramite currimus.*
*Mors æquat omnes, parquè sæpe est*
*Nestoreæ una dies senectæ.*
*Centena quamvis sæcula vixeris,*
*Æternitatis si numeras diem,*
*Nil ejus ætatem antecelles,*
*Vnica quem rapit hora vitæ.*
*Frustra senectæ tempora computet*
*Ales quæ ad undas nascitur Hypanis,*
*Quam si videt nascentem Eous,*
*Decrepitam aspicit occidens Sol.*
*Hæc de fugaci fabula luditur*
*Vita. Quod ortum est vergit ad Hesperum,*
*Diesque veloces & anni*
*Pegasco fugiunt volatu.*

## §. V.

*Octava ratio ex Parabola Evangelica laborantium in vinea. Nona ex mystica septenarii numeri significatione. Etiam Infideles statis horis orare. Errores Cabalistarum obiter indicantur.*

1. Octava ratio ex capite vigesimo Matthæi clarè deducitur. Enimverò cœlestis Paterfamilias operarios mittens in vineam primo mane, tertiâ, sextâ, nonâ, & undecimâ hora, & cum serò esset factum, reddens illis mercedem has præcipuè horas divino servitio deputavit, ut docet Cassianus [n]. Nam undecimâ vespertinam synaxim indicat, serotina autem Completorium significat. Cæterùm horâ primâ illud ævi denotat spatium, quod fuit ab Adamo usque ad Noë. Tertia à Noë usque ad Abraham producta est. Sexta ab Abraham usque ad Mosem. Nona à Mose usque ad Christum. Undecima à Christo incipiens in extrema judicii die finem habebit. Ita Origenes [o], Gregorius Magnus [p], Theophilus [q], Hieronymus [r], Chrysostomus Theophilactus, Beda, Hilarius & Fulgentius [s] interpretantur.



n *Cass. l.* 3. *de instit. cœnob. c.* 3. o *Orig. hom.* 10. *in Matth.* p *Greg. hom.* 19. *in Evang.* q *Theophil. l.* 1. *comm. in Evan.* r *Hier. Chrysostom. Theop. Beda & Hilar. ad c.* 20. *Matth.* s *Fulg. de remiss. pec. l.* 2. *c.* 18.

tur. Sed duo postremi tum inter se, tum à cæteris non nihil discrepant: Hilarius enim horam nonam à Mose ad David, undecimam à David ad Christum producens finem mundi ad illud, *cum serò factum esset*: mysticâ intelligentiâ revocare videtur. Fulgentius autem sextam usque ad David, nonam usque ad transmigrationem Babylonis protrahit, & undecimam complet in Christi adventu. De hac verò Parabola diffusè & doctè differit Paschasius Ratbertus Abbas Corbeiensis [t]. Inter cætera autem in rem nostram hæc scribit; Quare quidam operarii manè conducti sunt, & post hoc non circa horam secundam, sed circa horam tertiam exiit, & conducti sunt alii, post quorum conductionem quare non circa horam quartam, vel quintam, sed circa sextam exiit & alios misit in vineam? ita neque circa septimam, vel octavam, sed circa nonam? & novissime non circa decimam, sed ad undecimam exiit, quando invenit stantes totâ die otiosos, eò quod jam in novissima hora essent. Nequaquam igitur absque ratione id factum credo. In his enim quinque ordinibus nescio quid musicum videtur sonare, ut duæ extremitates simplum habeant numerum, atque unum; duæ verò medietates duplum, ut singulæ medietates duplæ suo respondeant simplo, & faciant quod diapason rectè vocatur. Hæc subtiliter Paschasius, nam inter Primam, & tertiam una tantùm hora, nempè secunda, intercipitur: itemque inter Nonam & undecimam media est sola decima. Inter Tertiam autem & Sextam duæ intermediæ sunt quarta, & quinta: duæ quoque inter sextam & Nonam, septima scilicet & octava. Ad musicam itaque proportionem refert Domini vocationem Ratbertus, quæ horæ deinde divinis laudibus decantandis consecratæ fuerunt. Richardus autem Victorinus [u] per hanc horarum diversitatem varios gradus intelligit, quibus homo perducitur ad integram perfectionis mensuram. Ait enim. Secundùm processum diei, & successionem horarum Dominus vineæ egreditur, quia secundùm perfectionis profectum, virtutumque promotionem divina cognitio augmentatur. Manè primo lux incipit apparere, ad tertiàm dies solet incalescere, ad sextam vehementius æstuare, ad nonam constat solem ad inferiora inclinare, caloremque temperare, ad undecimam verò contingit calorem cum luce paulatim deficere. Quid itaque est ortus lucis, nisi illuminatio veritatis, & quid est inchoatio caloris, nisi acceptatio bonitatis? æstuatio autem fervor est dilectionis. Temperamentum verò caloris est abominatio vanitatis. Sed & subtractio caloris & lucis quid aliud est quam refrenatio cupiditatis, seu etiam hebetatio prudentiæ carnalis? Manè itaque facit discretio boni & mali, tertiam appetitus veri boni, meridiem desiderium summi boni, nonam fastidium falsi boni, undecimam verò efficit odium, seu etiam oblivio veri mali. Manè illuminatur intellectus, ad Tertiam corrigitur consensus, ad Sextam inflammatur affectus, ad Nonam restringitur corporis sensus, ad undecimam carnalis appetitus refrigeratur. In fine verò denarium percipimus, quia post consummatum laborem ad perfectionis integritatem sublimamur.

2. Nona tandem, atque ultima ratio ex ipsius septenarii numeri mysticâ significatione deducitur. Primasius Uticensus Episcopus [x] laudans hunc numerum ait; Propterea etiam canitur, *Septies in die laudem dixi tibi.* Non patitur hæc brevis rerum perstrictio ea omnia commemorare, quæ ex sacris & profanis Scriptoribus in septenarii laudem colligi possent, cum præsertim hæc numerorum Philosophia levis quibusdam & inanis videatur. Iarchas Indosophorum præses interrogatus ab Apollonio, cur sapientes duodeviginti tantùm essent, cùm hic numerus neque quadratus sit, nec ex iis qui magno honore habentur: Nos, inquit, teste Philostrato [y], nec numeris servimus, nec nobis numeri. At cæteri Philosophi, nec non & sancti Patres latitantia sub numeris mysteria magni semper æstimârunt. Nam ut scribit Diophantus [z] antiquus Arithmeticus, ex peritia numerandi Dei imaginem habemus, quâ bestiæ destituuntur. Ipsos psalmos non secundùm rerum gestarum historiam dispositos esse, sed juxtà spiritualem numerorum intelligentiam diffusè probat Hilarius Pictavienſis [a]. Ecquis sanctorum Doctorum non evidenter ostendit numerorum rationem passim haberi in sacris Scripturis? Componitur septenarius ex impari, & pari, ex ternario

t *Pasch. lib. 9. in Matthæum.* u *Richard. tract. 1 de statu hom. interioris. cap. 35.*

x *Primas. lib. 2. in Apoc. c. 1.* y *Philostr. vitæ Apollonii lib. 3. cap. 9.* z *Diophant. initio primæ definit.* a *Hilar. prolog. in Psal.*

nario videlicet, & quaternario: cumque omnes numeri vel pares, vel impares sint, sancti Patres hunc numerum ex pari, & impari compositum, numerum universitatis appellant. Res clara est in sacris litteris, ut cum dicunt, septuplum dandam ultionem de Cain; septies in die cadere justum; septem dœmonia à muliere ejecta, & multa ejusdem modi. Omnes præterea numeri, qui sunt intra denarium, aut generant alios, aut generantur, solo septenario excepto, qui propterea virginitati, & sapientiæ adscribitur, tantaque religione à Pythagoricis colitur, ut eum inter præcipua suorum dogmatum arcana collocârint. Sed & Bassus quidam apud S. Philastrium *b* numero septenario divinitatem tribuebat. Omitto portentosa nomina, quibus hunc numerum insignivit Nicomachus Gerasenus libro secundo Arithmeticorum Theologicorum apud Photium *c* in sua Bibliotheca. Dicitur enim ab eo esse Fortuna, & occasio, Minerva, Mars, Acreotis, Agelia, Attytone, Tritogeneia, γλαυκῶπις Alalcomeneia, (de qua voce videndi Pausanias *d* & Gyraldus *e*) Panteuchia, Ergana (multis à Pausania in Atticis, & in prioribus Eliacis celebrata) integritas naturæ; Amaltheiæ stirps, Ægis, Osiris, somnus, vox, sonus, & de musarum numero Clio, Judicium item, & Adrasteia, ac hujusmodi ineptiæ multæ. Utinam haberemus M. Varronis *f* hebdomadarum libros, in illis enim solidas septenarii laudes reperiremus. Quæ verò spectant ad hujus numeri perfectionem curioso lectori suppeditabunt sancti Patres Cyprianus *g*, Augustinus *h*, Ambrosius *i*, Hieronymus *k*, Basilius *l*, Gregorius Nazianzenus *m*, Clemens Alexandrinus *n*, Gregorius Magnus *o*, Cæsarius *p*, Bruno *q*, Chrysologus *r*, Rupertus Abbas *s*, Innocentius Papa *t*, Hugo Victorinus *u*, Bonaventura *x*, itemque Philo Judæus libro de mundi opificio *y*, & de decalogo, Nicolaus Cusanus *z*, Girardus Rufus *a*, Petrus Bongus *b*, Franciscus Georgius Venetus *c*, Macrobius *d*, Gellius *e*, Chalcidius *f*, Censorinus *g*, Martianus Capella *h*, Nicetas *i*, Elias Cretensis *k*, Simphorianus Camperius *l*, Sebastianus Foxius *m*, Annibal Rosselius *n*, Leo Hebræus *o*, & alii multi *p*. Porro septenarium in mundi opificio à conditore observatum sacra Mosis docet historia. Septem quoque vagantes sphæras firmamento subjecit ejusdem opificis providentia. Luna ab illis septima septenario movetur numero viginti octo diebus totius Zodiaci ambitum conficiens. Sol ipse lucis, & vitæ dispensator septimo quoque signo cursum varians ab hyemali ad æstivum Solstitium, itemque à verno ad autumnale æquinoctium septimi signi peragratione pervenit. Oceanus in augmenti, & decrementi sui vicibus, Lunæ Hebdomadas servare dignoscitur. Homo temporis, & æternitatis orizon septenarii vim, & efficaciam in seipso multiplici comprobat experimento, de qua re extat Solonis elegia apud Clementem Alexandrinum lib. 6. Strom. Septima post partum hora an sit victurus ostendit. Post septimum diem nomen infanti imponebant Antiqui: post decimum quartum ad lumen visus movetur: post septem menses dentes incipiunt emergere: post bis septem sedet sine cadendi timore: post ter septem sonus ejus in verba prorumpit: post quater septem incedit; & lac nutricis exhorrescere incipit. Prima annorum hebdomada primis dentibus alii succedunt ad cibum solidum aptiores. Secunda hebdomada pubescit, tertia finem facit crescendi in longum, ornatque lanugo genas, quarta in latum etiam crescere desinit, quinta virile robur completur, sexta stabili firmitate servantur vires, septima perficitur ætas, & completur prudentia, octava diminuuntur vires, nona viget senectus,

b *Philast. de hæresibus.* c *Photius Cod.* 187. d *Paus. in Boeticis.* e *Gyrald. de diis syntag.* 11. f *M. Varro.* g *Cyp. de exh. Martyrii cap.* 11. h *Aug. lib.* 11. *de civ. Dei cap.* 31. i *Ambr. enar.* 1. *ad Horont. in cap.* 1. *Gen.* k *Hierom. ep.* 125. *ad Damasum q.* 1. l *Basil. exa. hom.* 12. m *Greg. Naz. orat.* 44. n *Cl. Alex. l.* 5. *&* 6. *Strom.* o *Greg. Mag. mor. lib.* 1. *cap.* 7. *&* *lib.* 35. *cap.* 7. p *Cæsar. Dial.* 4. *de fide inter.* 192. q *Bruno serm.* 2. *de Pentec.* r *Chrysol. serm.* 139. s *Rupert. lib.* 1. *in Apoc.* t *Innoc. proœm. in* 7. *Psalmos.* u *Hugo de quinque septenariis lib.* 2. *alle. in Matt. cap,* 15. x *Bonav. in ps.* 150. y *Philo de mundi opif.*

z *Nic. Cusanus de docta ignorantia* a *Gir. Rufus in Arithmeticam Poet.* b *P. Bongus de mysteriis numerorum.* c *F. Ven. Harm mundi cant.* 1. *tom.* 5. *cap.* 9. *&* *tomo.* 8. *cap.* 7. d *Macrob. lib.* 1. *in som. Scipion. c.* 6. e *Gell. lib.* 3. *cap.* 10. f *Chalc. in Timæum.* g *Censor. de die natali cap.* 11. *&* 12. h *Mart. Capella de nuptiis Merc. lib.* 7. i *Nicet. in or.* 42. *Naz. n.* 32. k *El. Creten. in orat.* 3. *Naz. nu.* 23. l *Symph. Camp. Platon. Symphoniæ. lib.* 4. *tr.* 3. *cap.* 8. m *Foxius in Timæum.* n *Fosell. in Trimadrum lib.* 2. *comment.* 5. *qu.* 1. *c.* 1. o *Leo Hebr. dial.* 3. *de amore.* p *Ficinus in Timæum. Ioachimus Abbas in cap.* 1. *Apoc.*

ctus, decima tandem vitæ spatium terminatur, atteſtante Propheta. Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni. Faciunt etiam ad ſeptenarii laudem dies critici, & decretorii, annique climaterici tot diſſidentium Philoſophorum contentionibus agitati. Quid memorem è ſacris Bibliis ſeptem Angelos, ſeptem ſtellas, ſeptem Eccleſias, ſeptem lucernas, ſeptem Sacramenta, ſeptem tubas, ſeptem vitia, ſeptem virtutes, ſeptem ſigilla, ſeptimum libertatis annum, ſeptimum quietis diem, & alia ſexcenta ejuſdem generis; Puer quem ſuſcitavit Propheta ſepties oſcitavit, ſeptem annis pro dilecta ſervivit Jacob, ſeptem ſunt ſpiritus qui aſtant ante Dominum, ſeptiformis denique Spiritus ſancti gratia poſt quadratum ſeptenarium, quinquageſimo ſcilicet die à glorioſa Chriſti Reſurrectione, in Apoſtolos & diſcipulos diffuſa eſt. Tot virtutibus igitur inſignitum ſeptenarium meritò ſancti Patres divinis etiam laudibus decantandis conſecrarunt. Adde quod ſeptenarius plenitudinem, & univerſitatem ſignificat, quare, ut dicit Auguſtinus[q], *Septies in die laudem dixi tibi*, nihil eſt aliud quam *ſemper laus ejus in ore meo* Beda[r] etiam dicit eum ſemper orare qui canonicis horis quotidie juxta ritum Eccleſiaſticæ traditionis pſalmodiis, precibuſque conſuetis Dominum rogare, & laudare non deſiſtit. Septem quoque horas pro majori ſaltem diei parte uſurpaſſe videtur Satyricus his verſibus[s]:

——— ——— *quis deditus autem*
*Uſque adeò eſt, ut non illam, quam laudibus effert,*
*Horreat, inque diſe ſeptenis oderit horis?*

3. Hæ ſunt præcipuæ rationes, ob quas horarias preces fuiſſe inſtitutas aſſerunt Scriptores ſacri. Stultum enim fuiſſet temere, & ſine ratione iſtas potius horas, quam alias ſacris precationibus aſſignaſſe. Nam, ut ſcitiſſimè ſcribit S. Aſterius Epiſcopus[t]: Nulla res eſt humana, cujus non aliqua ratio reddi poſſit, & ſi quid fortè ejuſmodi eſt, quod rationem, aut ſcopum non habet; meræ nugæ ſunt. Porrò certas orationis horas etiam infideles determinarunt. Apollonius Thianæus docuit Athenienſes, quâ diei, noctiſque horâ ſacrificari oportet, ut ſcribit Philoſtratus Lemnius[u] in ejus vita. Julianum Apoſtatam uſum ſtatis horis orandi ſacerdotibus idolorum indixiſſe refert Sozomenus[x]. Ipſimet Turcæ diſtinctionem horarum obſervant in orationibus. Orant enim in ortu ſolis, quam orationem vocant Tamzith, item meridie, hora nona, in occaſu ſolis, & hora prima noctis. Laudat Davidicos Pſalmos Mehemet eorum Pſeudopropheta in Alcorano[y], jubetque ſuos ſurgere ad lectionem circa mediam noctem. Hoc autem loco quorumdam errorem diſſimulare non poſſum, qui Cabaliſtarum mendaciis adhærentes ſecretiores Theologi vocari volunt. Ajunt iſti ſingulis tribus horis mutari Angelorum cuſtodiam in cœlis, ſtatuuntque decem numerationes, veluti decem categorias, quas vocant Sephiroth, quæ virtute nominum divinorum per ordines Hierarchiarum in ſphæras cœleſtes, & elementa inferiora ſuas virtutes ſtatis horis influant, quas ſi quis rectè intelligat, earumque nomina benè applicet, mirabilia præſtare poſſit. Ideoque Eccleſiam primam horam, & ſextam, & nonam, atque duodecimam præ cæteris ad orandum elegiſſe, quod illis horis talis diſpoſitio in cœlis ſit, tales Angeli præſideant, talis Sephiroth, ſive numeratio dominetur, qualis neceſſaria eſt ut deprecatio noſtra exaudiatur. Legendus hac de re Archangelus Burgonovenſis Minorita[z] Auctor Catholicus, ſed Cabaliſtis plus juſto addictus, libro de dogmatibus Cabaliſtarum in explicatione hujus Aſſertionis: per ſecretum orationis antelucanæ nihil aliud debemus intelligere, quam proprietatem pietatis. Mihi nec libet, nec vacat hanc doctrinam copioſius examinare. Hoc tantum moneo, artem Cabaliſticam, quam ſummis laudibus celebrant, nonniſi meram ſuperſtitionem eſſe, ac theurgicam quamdam Magiam ſub fictis Angelorum nominibus, Cacodæmones invocantem. Quod ſi adeò neceſſaria eſſet ad Dei cultum, & ſcripturarum intelligentiam, quemadmodum iſti

q *Aug. lib. 3. de doct. Chriſti. cap. 35.* r *Beda in cap. 18. Lucæ.* s *Iuven. Sat. 6.* t *Aſterius homil. feſtivi calendarum.*

u *Philoſtr. lib. 4. cap. 6.* x *Sozom. lib. 4. cap. 6.* y *Alcoran. lib. 2. azora 25. juxta diviſionem orientalium. Item lib. 3. azora. 55.* z *Archang. Minor. pag. mihi 167.*

isti jactant, Spiritus sanctus, qui repudiatâ Synagogâ docuit nos omnem veritatem, hanc etiam sapientiam Ecclesiæ suæ revelasset. Scio quidem varia esse Cabalistarum genera, de quibus vir doctissimus Martinus del Rio [a] in magicis disquisitionibus differit; Sed scio etiam, horum omnium doctrinam nihil habere soliditatis, nam cum versentur circa principia universalia, & causas maximè remotas, nunquam ad veram scientiam pertingunt. Eas vero nugas, quas de horis orandi ingerere simplicioribus conantur, explodit Scriptura, quæ dicit [b], *Quoniam oportet semper orare*, & *orantes in omni tempore*, & *sine intermissione orate*. Ergo illius oratio omni hora acceptabilis erit, qui necessaria sibi ad salutem perseveranti animo postulabit. Ut enim scribit Antiochus [c]. In omni re captanda semper est opportunitas temporis, præterquam in oratione. Nunquam enim intempestiva potest esse oratio, sicut scriptum est: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*. Ipsis verò Cabalistis clausæ sunt januæ orationis, ut unus ex illis R. Eliezer [d] in libro Berachoth, id est, benedictionum, fatetur: nam à die, inquit, quo templum fuit destructum, orationis portæ clausæ sunt, ut dicit in Lamentationibus Hieremias [e], *Cum clamavero, & rogavero, excluſit orationem meam*.

a *Del Rio disquis. magic. lib. 1. cap. 4. qu. 3.* b *Luc. 18. 1. 1. Thess. 5. 16. Ephes. 6. 18.* c *Antioch. hom. 91.* d *R. Eliezer apud Hieron. à S. fide lib. 1. de perfidia Judæorum cap. 12.* e *Thren. 3. 8.*

## CAPUT III.

### De Varia Diei, ac Noctis divisione.

### §. I.

*Quid dies, quid nox sit. Prima diei divisio in naturalem, & artificialem. Diei civilis initia varia apud varias gentes. Horæ nomen æquivocum.*

QUoniam divinis persolvendis officiis certę sunt horæ à Sanctis Patribus assignatæ, vix intelligi poterunt, quæ de illis dicturi sumus, ni prius explicentur varii antiquorum ritus circa diei, ac noctis divisionem. Initio autem mundi facta est diei, noctisque alternatio per præsentiam, & absentiam lucis. Sol oriens diem facit, occidens noctem inducit. Hinc Pindarus [a] in olympiis diem vocat filium Solis, & Hesiodus in Theogonia [b] ex Erebo, & Nocte natum diem asserit, quod post noctem dies sequatur. Non est autem omittendum hoc loco, quod observat Athanasius [c]; A creatione mundi usque ad Christum præcessit dies, sequuta est nox: dicit enim Scriptura [d], *Fiat lux, & facta est lux, vocavitque Deus lucem diem, & tenebras noctem*. A Christi verò adventu nox diem præcedit: nam à vespera incipientes solemniter celebramus dies sequentes. Ratio discriminis est, quia primò fuit posita lux, at nos à luce defecimus ad tenebras, à Dei scilicet cultu ad errores, & vitia. Ex eo verò tempore, quo Sol justitiæ Christus Deus noster ex tenebris errorum ad lucem divinæ cognitionis nos reduxit, à tenebris inchoamus, & in luce terminum constituimus. Dies, ait Isidorus [e], in principio operum Dei lumen habebat exordium ad significandum hominis lapsum. Nunc autem à tenebris ad lucem progredimur, ut non dies obscuretur in noctem, sed nox luceſcat in diem, quia à delictorum tenebris liberatus homo ad lucem fidei, scientiamque pervenit. Speusippus [f] in Platonicis diffinitionibus; Dies, inquit, est solis iter ab ortu ad occasum. Aurora diei principium, primum à sole lumen. Meridies tempus, in quo umbræ corporum quam brevissimæ sunt. Nox umbra diei contraria, solis privatio.

2. Sed tam diei, quam noctis multiplex distinctio est. Vulgus Scriptorum diem dividit in naturalem, & artificialem. Naturalis dicitur esse horarum 24. quibus semel circumvolvitur cœlum. Hac diei appellatione etiam noctes intelliguntur, ut cum dicimus ægrotasse aliquę per dies viginti, vel cum hoste pactas inducias dierũ decem. Nomen diei accepit à parte meliore. Ideò Heracletus apud Senecam [g]. Unus dies par omni est. Nam si dies tempus est 24. horarum, necesse est omnes inter se dies pares esse, quia nox habet quod dies perdidit. Mensura viginti quatuor horarum, inquit Ambrosius [h], unius diei tempus est. Artificialis est, qui

a *Pind. olymp. od. 2. vers 59.* b *Hesiod. Theog. v. 124.* c *Athan. in qq. sac. Script. q. 54.* d *Gen. 1. 3.* e *Isidor. lib. de nat. rerum cap. 1.* f *Speusippus.* g *Seneca. ep. 12.* h *Ambros. l. 1. exam c. ult.*

est, qui cursu solis ab ortu ad occasum definitur; cui contraria est nox ab occasu solis ad ortum. Hęc dierum divisio, & observatio communis est apud omnes nationes, sed vocabula diversa sunt. Nam Censorinus *i*, & alii veteres *k*, quos quidam recentiores sequuntur, diem 24. horarum civilem, & artificialem vocant; diem vero ab ortu ad occasum naturalem. Ego verba ætatis meæ scribo: quod dictum volui, ne antiquitatem spernere, quæ modesta, & venerabilis est, aut recentiorum voces omittendo quasi cum matre Evandri loqui videar, ut Phavorinus apud Gellium *l*, & Avienus apud Macrobium *m* facetè dixerunt. Repeto. Prima divisio diei est in naturalem 24. horarum, & artificialem ab oriente sole ad eundem occidentem. De hac dierum partitione Geminus Rhodius *n* antiquus Auctor, qui vivebat Romæ ætate Ciceronis, & elementis Astronomicis περὶ ἡμέρας καὶ νυκτός; sic scribit: Dies dicitur dupliciter, uno modo tempus illud, quod est ab ortu solis usque ad occasum: altero modo dies dicitur tempus, quod est ab ortu solis usq; ad proximum ortum solis. Est autem dies juxta secundum modum conversio mundi, & ortus ejus arcus, quem Sol peragerat, dum in conversione mundi movetur contra mundum. Secundùm alterum modum mensem dicimus esse dierum 30. annum verò dierum 365. & unius quartæ. Non sunt autem per omnes regiones, & urbes eædem magnitudines dierum; sed iis, qui versus septemtrionem habitant, majores fiunt dies, minores verò his qui versus meridiem.

3. Romani veteres diem legitimum, & naturalē inchoabant à media nocte, & sequentis noctis media parte terminabant. Id etiā nunc servat ecclesia quoad jejunia, & ciborum abstinentiam. Ab eodem puncto mediæ noctis diem auspicantur Theologi, qui circa montem Athon versantur, ut scribit Theodorus Gaza *o*, quod credant ea hora Christum resurrexisse. De hoc civili Romanorum die plura Gellius *p* vir elegantissimi eloquii, ut eum vocat Augustinus *q*, & multæ, ac facundæ scientiæ, & Gellii exscriptor Macrobius *r*. Ejus plurimas rationes adducit Plutarchus *s* Cur, inquit, dies principium pium sumunt à media nocte? an quia Reip. institutio principio fuit militaris? In re autem bellica multa noctu capiuntur consilia? An, quemadmodum meridies finis est publicas, & serias res agendi, sic noctem intempestam actionum omniu initium statuerunt? An quia ortu, & occasu solis principiū, & finis diei diffiniri non possunt, multa ad huc luce manente post occasum, & multa item incipiente ante ortum? Tametsi enim Mathematici diei, ac noctis discrimen in appulsu centri solis ad Horizontem constituant, plerique tamen sensus arbitrio diem protrahunt à primis ad ultima crepuscula. Restat igitur, ut pro principio diei illum temporis articulum sumamus, quo Sol vel in medio cæli est, vel in opposito ejus puncto. Hoc autem posterius melius congruit. Sol enim à meridie versus occasum à nobis fertur: à mediæ noctis puncto versus ortum ad nos. Hæc ille. Athenienses, quos nunc Itali sequuntur, itemque, ut Origanus *t* asserit, Silesii, Bohemi, Austriaci, & Marcomanni, ab occasu solis ad solem iterum occidentem, omne id medium tempus, unum diem esse dixerunt. Babylonii, & Persæ olim, nunc & Noribergenses, inter duos solis exortus diem esse existimarunt. Umbri, Ægyptii, Arabes: nunc Galli, Hispani & magna pars Germaniæ à meridie in meridiem unius diei spatium constituunt. Hoc initium diei Astronomi sibi sumpsere, quod à meridiano circulo proficiscatur, qui cum fixus, & immutabilis sit, certum diei principium designat. Sed variant in accipiendo puncto meridiei. Alphonsi *u* Regis tabulæ à meridie diei antecedentis exordiuntur, ut primam diem Januarii à meridie postremæ diei Decembris. A sequente inchoat diem Tycho Brahe *x*, ut primum Januarii diem à meridie, quæ ipsas Calendas incurrit. Copernicus *y* Romanorum consuetudine à media nocte ad mediam noctem diei cursum in suis astrologicis observationibus usurpat. Ecclesia eumdem diem esse dicit *z*, quo ad indulgentias, & festivitates, à primis Vesperis usque ad occasum solis diei sequentis: quo ad judicia, à mane usque ad tenebras. Aliter fictione juris *a* determinatur dies quo ad ordinum collationem. Judæos à Vespere in Vesperam florente eorum Rep. diem computasse ostendit Baronius *b*: quos tamen Chrysostomus *c* reprehendit tamquam

*i* Censor. de die natali c. 10. *k* Tiraquel. de utroque retractu §. 1. gl. 11. David Origanus in Ephemeridum introd. par. 1. cap. 5. *l* Gell. lib. 1. cap. 10. *m* Macr. l. 1. *n* Geminus cap. 5. *o* Theod. Gaza lib. de mensibus *p* Gell. lib. 3. cap. 2. *q* Aug. lib. 9. de civ. Dei cap. 4. *r* Macrob. lib. 1. Sat. cap. 3. *s* Plutarch. in qq. Romanis.

*t* Origan. in eph. introd. pag. 1. cap. 5. *u* Alphons. Rex. *x* Tycho Brahe. *y* Nic. Copernic. *z* Cap. 2. de feriis cap. consuluit, de off. & pot. jud. de leg. *a* Cap. literas, de temp. ordin. *b* Baron. anno. 34. num. 33. *c* Chrys. hom. in Genes.

quam scripturæ prævaricatores, quæ diem diffinit ab ortu solis ad ortum, ut ipse colligit ex capite primo Geneseos. Discrepabant ab aliis gentibus in dierum computatione Galli veteres & Germani. Nam de istis hæc scribit Tacitus [d]: Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant: sic constituunt, sic condicunt, nox ducere diem videtur. De illis Cæsar [e]. Galli omnes ab Dite patre se prognatos prædicant, ob eam causam spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt: & dies natales, & mensium, & annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur. Naturalis autem diei constitutio nonnisi quadruplici initio supputari potest. Nam diei principium ab aliquo puncto secundùm naturam maximè noto desumi debet: sunt autem hujusmodi puncta quatuor totidem anni punctis correspondentia. Ortus solis ad æquinoctium vernale refertur, occasus ad autumnale: Meridies solstitium æstivum respicit, media nox hyemale.

4. Has quatuor anni partes horas vocant multi Scriptores. Isidorus Peluſiota [f]; Circularis, ait, est figura temporis, quippe cum dies circumvolvatur in hebdomadam, hebdomada autem in mensem, mensis verò in annum, rursumque in eadem signa, quæ peragravit, restituatur. Hanc ob causam alibiquidem coronam anni, alibi verò rotam generationis Scriptura appellavit; circuli namque, & coronæ, & rotæ eadem est figura, quod quatuor horæ, videlicet vernum tempus, & æstivum, & autumnale, & hybernum invicem quodammodo manus connectant, & annum circumvolvant, atque in optimam quamdam choream ducant. Sanctus Eustathius [g] Archiepiscopus Antiochenus, & Martyr, explicans illud Geneseos, ut sint in signa, & tempora; Tempora, inquit, horarum, sive temporis ipsius mutationes, ac vices, hyemis scilicet, veris, æstatis, autumni intelligendas esse censemus. Flavius item Philostratus [h] in Iconibus horas accipit pro anni tempestatibus. Ita passim Poetæ Græci. Pindarus [i] in olympiis horas floribus abundantes dixit pro vere. Roseam veris horam lego in Anthologia [k]. Oppianus veris horam in Halieuticis, siticulosam Syrii horam ibidem hyemis horam in Cynegeticis [m] posuit. Æstivam horam dixerunt Nonnus [n] in Dionysiacis, Hesiodus [o] in operibus pro æstate. Iniquam hyemis horam scripsit Calaber [p] in Paralipomenis, itemque Musæus [q] in Erotopagnio, & Nonnus [r] in paraphrasi Evangelii secundum Joannem. Est igitur horæ nomen æquivocum. Apud Suidam [s] significat venustatem, occasionem, curam, solicitudinem, quatuor anni tempestates, tempus opportunum, & duodecimam diei partem. Apud veteres accipitur hora pro cujuslibet temporis parte. Virgilius [t].

——— *Nunquam te crastina fallet*
*Hora, neque insidiis noctis capiere serenæ.*

Propertius. [u] *Cum fuerit multis exacta trientibus hora.*

Horatius. [x] *Te flagrantis atrox hora caniculæ*
*Nescit tangere.*

Valerius Flaccus [y] in Argonauticis introducit Jasonem sic Medeæ jurantem; *Per has nostri juro discriminis horas.* Sic etiam apud D. Hieronymum [z], captivum se interficere cogitantem adjuravit mulier. Ego te per Jesum Christum, per hujus horæ necessitatem rogo, ne effundas sanguinem tuum in sanguinem meum. Marcus Antonius Philosophus [a], & Imperator, ô natura rerum, inquit, quicquid tibi convenit, id omne mihi convenit; omne id fructum meum puto, quod tuæ ferunt horæ. Horam quoque pro die ponit Virgilius in hoc versu [b]:

*Hic alienus oves custos bis mulget in hora.*

Legendus item hac de re Julius Pollux [c] in Onomastico, Agrætius libello de sermone Latino, & ex recentioribus Petrus Gregorius Tholosanus [d] in Præludiis optimi J. C. Ipsos annos prisca Græcorum lingua horos dictos asserit Plutarchus [e] in sympositis. Alii ad Ægyptios hanc referunt nominationem, eo quod Solem



d *Corn. Tacitus de morib. Germanorum.* e *Cæsar de bello Gallico lib.* 6. f *Isid. Pelus. lib.* 4. *epist.* 1. g *Eustath. comment. in hexam.* h *Flav. Philostr. in Icon. initio l.* 1. *& in fin.* 2. i *Pind. olym. od.* 13. *v.* 12. k *Anthol. lib.* 1. *cap.* 9. l *Opp. Halieut. lib.* 1. *v.* 459. *ibid. lib.* 3. *v.* 47. m *Cyneg. lib.* 3. *v.* 308. n *Nonn. Dionysiac. l.* 12. o *Hesiod. v.* 282. p *Q. Calab. Paralip. lib.* 8. *v.* 51. q *Musæus v.* 293. r *Nonn. in Io.* 10. *v.* 81. s *Suid v. Hora.* t *Virg.* 1. *Georgic.* u *Propert. lib.* 3. *eleg.* 10. x *Horat lib.* 3. *od.* 13. y *Val. Flacc. lib.* 7. *Argonautis* z *Hieron. in vita Maschi monachi.* a *M. Anton. lib.* 4. *de seipso.* b *Virg. ecl.* 3. c *Jul. Pollux lib.* 1. d *Theolosan. lib.* 4. 4. *c.* 1. e *Plutarch, lib.* 5. *qu.* 4.

Horum vocent *f*. Est & Dea Hora apud Romanos, quam dicunt fuisse Hersiliam Romuli uxorem, quæ post mariti apotheosim in cælum translata Hora vocata sit, ut Ovidius fabulatur *g*, de qua Ennius,

*Teque Quirine pater veneror, Horamque Quirini.*

f *Macrob. lib.* 1. *c.* 21. g *Ovid. metamor. lib.* 14. *in fine.*

## §. II.

*Hora unde dicta. Figmenta Poetarum de Horis. De usu Horologiorum apud veteres. Horæ olim nunciatæ à servis. Verus dies Christus est.*

1. SUnt qui horas à Sole dictas putent. Ægyptii enim, ut dixi, Solem Horum vocabant. Alii à luce, quæ Hebraicè אור Hor vocatur, horas quasi lucis partes denominant. Quidam malunt ἀπὸ τοῦ ὁρίζειν quod terminum significat, deduci: sive ab ὁρίζειν quod est terminare, dividere, definire. Porrò de Horis multa suo more fabulantur Poetæ. Fingit Ovidius *h* Horas puellas esse, quæ Soli ministrent, easque Homerus *i* cæli janitrices facit, quia tempora moderantur è cæli, soliisque motu pendentia. Chrysippus apud Senecam *k* ait Horas Gratiarum sorores esse, sed natu majores. Nascenti Auroræ inservire Horas canit Smyrnæus *l* in Paralipomenis. Easdem futurorum nuncias esse, Bacchum coronasse, & cæli phalanges adversus Typhæum armasse tradit Nonnus in Dionysiacis *m*. Item Horas dedisse ubera Serenæ uxori Stiliconis fabulatur Claudianus in ejus Panegyrico. Apud Apulejum *n* in nuptiis Psyches Horæ ministrabant. Rursum Homerus *o* in hymnis Horas vocat sapientes, Soli assistentes, & quæ natam è mari Venerem susceperint, & ornarint. Orpheus elegantissimum de Horis hymnum conscripsit, castas easdem appellans, floribus abundantes, omnis coloris, multi odoris, semper virentes, circulares, suaves, faces habentes, vestibus roscidis indutas, cælis, terrisque gratificantes; & inculpatas. Panyasis Poeta apud Athenæum *p* primam in mensa potionem Gratiis, Horis, & Baccho tribuebat: atque ibidem commemorat Athenæus in Horarum sacello aram Dionysio erectam, quod horæ fructus vitis nutriant, & ad maturitatem perducant. Hesiodus *q* in Theogonia dicit Horas Themidis filias esse, & maturitatis auctrices. Ut enim notat Suidas, illud temporis punctum significat hora, quo res matura, & perfecta est. Ita passim in Evangelio *r*, *Nondum venit hora mea: sciens Jesus, quia venit hora ejus.* Theocritus *s* horas tardissimas nuncupat, caras tamen, & exoptatas, semper aliquid novi ferentes hominibus. Philostratus *t* in Iconibus horarum imaginem graphicè pingit hoc modo. Horę corporea specie in terram profectę manus contingentes annum volutant, & tellus sapiens existens bellè cum ipsis fert annua omnia: sublatum autem brachium, comæque demissæ libertas, fervensque præ cursu gena, & una salientes oculi fabulari fortasse aliquid super pictore permitunt. Horas autem intelligit quatuor anni tempora, de quibus in Cosmurgia sic Georgius Pisides *u* concinit:

*Hæc vicibus alternis, cursu annuo,*
*Instar puellarum choros agitantium,*
*Digi tosque conserentium inter se suos,*
*Vitæ decoræ ut choream agant pulcherrimam.*

Apud Pausaniam in Atticis Horæ in Jovis capite insident, nam ejus nutu temporum vices decurrunt. Olen Poeta apud eundem in Corinthiacis ab horis educatam Junonem scriptum reliquit *x*. Horas quatuor, & Vesperis imaginem in pompa Ptolomæi Philadelphi describit Athenæus libro quinto δειπνοσοφιστῶν. Ipsis horis divinos honores habitos ab Athenienſibus narrat iterum Pausanias *y*, unamque vocat Carpon, alteram Thalloten: tertiæ nomen non dixit. Phornutus *z* libro de natura Deorum; Ab horis, inquit, omnia bona, quæ nobis adsunt, custodiuntur, & servantur. Una Eunomie dicitur ob æquam rerum distributionem: altera Dice, id est justitia, quod jure contendentium lites dirimat: Tertia Irene, id est Pax, quasi ratione, &

h *Ovid. lib.* 2. *met.* i *Hom. Iliad.* 8. *v.* 393. *Id. Il.* 5. *v.* 750. k *Senec. de benef. lib.* 1. *cap.* 3. l *Coint. Smyrn. lib.* 1. *Paralip. v.* 48. m *Non. Dionys. lib.* 1 *v.* 224. *& initio lib.* 9. n *Apul. lib.* 6. *ubi quædam Philippus Beroaldus.* o *Hom. hymn. in Apoll. v.* 194. *& hym.* 2. *in Veren.*

p *Athenæus initio lib.* 2. *dipnosoph.* q *Hosiod. Theogonia v.* 900. r *Ioan* 2. 4. *Ibid* 13. 1. s *Theocrit. Idyl.* 15. *v.* 104. t *Philost. in Icon. in fine lib.* 2. u *Georg. Pisid. Cosmurg. v.* 286. x *Est de Horis Regula quinta Tychonii Afri.* y *Pausan, in Bœoticis.* z *Phorn. de natura Deor. cap.* 29.

ne, & non armis lites consopiat. Alia horarum nomina Hyginus [a], & ex eo Lilius Gyraldus [b] recensent. Nunc communiter accipitur hora pro his spatiis, in quæ dies dividitur. Ante Palamedem nec horas, nec horologia fuisse Philostratus in Heroicis commemorat; Cæterum Claudius Salmasius [c] in Plinianis exercitationibus prolixa, & odiosa disputatione conatur ostendere, nullum apud veteres horologii usum, nec diem in horas tributum ante Magni Alexandri tempora fuisse. Confutat ejus conjecturas doctissimus vir Dionysius Petavius [d] in Auctario operis omni laude dignissimi de doctrina temporum, monstratque florente Græcia divisionem diei in horas communiter adhibitam. Hanc ad Græcos ab Ægyptiis manasse scribit Herodotus in Euterpe.

2. Illa tamen fractio dierum in 12. partes non statim horarum nomine processit; sed aut partium, aut signorum, ut Julius Pollux [e] refert ex Menandro. Congessit Plinianus exercitator quæcunque de horis, & horologiis apud priscos Scriptores reperiuntur. Ipsum legat, qui hæc fusius scire, ejusque loquacitate patientiam exercere desiderat. Scioterici horologii primus inventor in Græcia celebratur à Plinio [f] Anaximenes Milesius: sed Laertius, & Suidas Aniximandro ejus præceptori hanc inventionem tribuunt. His tamen antiquior ducentis ferè annis fuit Achaz Rex Judæorum, cujus solare Horologium commemorat Scriptura [g]. Romæ indiscreta lux diu fuit, donec Scipio Nasica horologia introduxit anno Urbis 595. si vera Plinius [h] refert. Ctesibium Alexandrinum horologia hydraulica mira ratione reperisse narrant Cicero [i], & Vitruvius [k], itemque Athenæus [l] ex Aristocle libro de choris. Usum verò Clepsydrarum in Urbe Achanta trans Nilum incœpisse docet Pierius [m] in Hieroglyphicis. Meminit Clepsydræ Plato in Theæteto his verbis. Illi verò in occupatione semper dicunt, urget enim illos aqua fluens. Cum Apollonius [n] Thyanæus coram Domitiano causam dicturus esset; Quantâ aquâ, inquit Scriba, orationem tuam metieris? hoc enim ante causam dicendam scire me oportet. Cui Apollonius, si quodcunque causa exigit, dicere me sinas, non ipse Tyberis ad metiendum sufficiat. Plinius junior [o] cum causam cujusdam Proconsulis egisset in Senatu; Dixi, inquit, horis penè quinque, nam decem clepsydris, quas spatiosissimas acceperam, sunt additæ quatuor. Qualis autem fuerit antiquæ clepsydræ forma, eleganter Petavius [p] docet in notis ad Dionem Synesii. Eamdem sic describit Apuleius [q]: Præconis amplo boatu citatus accusator quidam senior exurgit, & ad dicendi spatium vasculo quodam in vicem coli graciliter fistulato, ac per hoc guttatim deflua infusa aqua, populum sic adorat. Sinenses ingentibus clepsydris ex aqua, vel cinere odorifero horis metiendis usos refert Matthæus Riccius [r] in historia Sinarum. Extat non inelegans Symposii [s] ænigma de clepsydra minus rectè à quibusdam de ratione explicatum.

*Lex bona dicendi, lex sum quoque dura tacendi,*
*Jus avidæ linguæ, finis sine fine loquendi,*
*Ipsa fluens dum verba fluunt, ut lingua quiescat.*

Narrat Saccus [t] in Historia Ticinensi Severinum Boetium primum fuisse, qui horologia libratis ponderibus Romæ componi curarit. Cassiodorus [u] libro primo variorum duo horologia mirabilis structuræ describit; unum, ait, in quo humana solertia videtur colligi, quod totius cæli nosceitur spatia pervagari. Alterum ubi Solis meatus sine Sole cognoscitur, & aquis guttantibus horarum spatia terminantur. Alexis Poeta apud Athenæum [x] in quodam convivio patinam superbam advectam dicit, quæ horas redoleret, & tempora; quæ scilicet cœli cursum, & signa ostenderet: quale apud Petronium Arbitrum [y] Trimalcionis repositorium describitur, quod habebat 12. signa Zodiaci in orbem disposita, & super illa convenientem materiæ cibum. Simile fuit tentorium,

a *Hygin. fabul.* 183. b *Gyral. de Diis gent. synt.* 13. c *Clau. Salmasius in Plin. exercit. pag.* 632. *usque ad* 658. d *Petav. lib.* 7. *variar. dissertationum cap.* 7. 8. 9. e *Iul. Pollux. lib.* 1. *Onomast. cap.* 8. f *Plin. lib.* 2. *c.* 76. g 4. *Reg.* 20. *& Isai.* 39. h *Plin. l.* 7. *c.* 60. i *Cic* 2. *de natura Deor.* k *Vitruvius l.* 9. *c.* 9. l *Athen. lib.* 4. *c.* 24. m *Pier. hierog. lib.* 6. *cap.* 4. n *Philostr. de vita Apollon. lib.* 8. *cap.* 1.

o *Plin. lib.* 2. *ep.* 11. p *Petav. pag. mihi* 20. q *Apul. initio lib.* 3. r *Riccius hist. Sinarum lib.* 1. s *Sympos. n.* 69. t *Bernardin. Saccus hist. Ticin. lib.* 7. u *Cassiod. lib.* 1. *var. epist.* 45. *&* 46. x *Athenæus lib.* 2. *cap.* 18. y *Petronius Arbiter in Satyrico.*

rorium, quod à Sultano Babyloniæ Friderico secundo Imperatori dono datum refert Spondanus *z*, in quo Sol, & Luna cursum suum debitis spatiis observabant: & horæ diei, & noctis citra errorem indicabantur. Chromatius quoque Præfectus in actis S. Sebastiani; Habeo, inquit, cubiculum ex toto vitreum, in quo omnis disciplina stellarum, ac matheseos mechanica est arte constructa; in quo mensium, & annorum cursus certo numero per horarum spatia distinguuntur; & lunaris globi plenitudo, vel diminutio digitorum motu rationis ministerio, & calculi supputatione prævidentur. Jam multa fabricantur Horologia non solum horas, Solisque motus, & siderum indicantia, sed quæ diversis librata ponderibus varii generis musica instrumenta sonantia, & multiplices exhibeant statuarum saltationes. Bernardinus Carovagius bove capitosior, oculis emissitiis, ore exporrecto, & lingua blæsus si Sacco *a* Ticinensium Historico credimus, unum composuit in gratiam Andreæ Alciati, eo artificio, ut qua quisque statuisset hora noctu ære sonante expergisci posset, eademque opera lucernæ lumen accenderetur. Ignis enim scintilla ab inserto silice in subjectum sulphur excussa in flammam ibat, quæ repente ardentis sulphuris ministerio, & lychnorum continuatione lucernæ fila accendebat. Etiam in annuli gemma narrat Cardanus *b* horologium fabricatum fuisse, quod mola circumagebatur, & horas indicabat non solum sagitta, sed ictu. Olim Hebræi tubarum sonitu ad horas indicandas utebantur, ut scribit Josephus *c*. Idem nunc faciunt Turcæ clamore è turri sublato. Antiquiores monachi, teste Cassiano *d*, ex aspectu siderum nocturnæ synaxis horam explorabant. Quod etiam Cluniacenses observasse ex relatione de miraculis S. Hugonis colligitur, quæ habetur in Bibliotheca Cluniacensi *e*. Diurnarum verò precum horam ut dignoscerent, Sole sereno aut proprii corporis, aut Gnomonis in Sciotherico Horologio umbrarum projectiones inspiciebant: cœlo autem nubilo clepsydris veterum more utebantur, sicut tradit in Divinis lectionibus Cassiodorus *f*. Porrò modum difficillimum noscendi horas ex quantitate Psalmodiæ ostendit Petrus Damianus *g*; Ut quandocunque, inquit, Solis claritas sive stellarum varietas nubium densitate non cernitur, in quantitate Psalmodiæ, quam tenuerit Monachus, quoddam sibi velut horologium metiatur. Horologii verò mechanici primum inventorem Silvestrum Secundum fuisse ex Monacho Floriacensi Pontificem Summum tradunt nonnulli *h*, sed mala historiæ fide; nam Persiæ Regem dono misisse hujusmodi horologium Carolo Magno Imperatori ducentis circiter annis ante Silvestrum refert Aimoinus *i* de gestis Francorum. S Verius videtur quod Polidorus Virgilius scribit, primum auctorem mechanici horologii ignotum esse.

3. Apud Romanos servi erant, quorum munus esset horas dominis nunciare. Martialis *k*, de hac re hi versus sunt:

*Horas quinque puer nondum tibi nuntiat, & tu*
*Iam conviva mihi, Cæciliane, venis.*

Satyricus quoque de hoc ritu sic canit; *l*

*Quem dicat venisse puer, quot nunciet horas.*

Eamdem consuetudinem commemorant Seneca *m*, Marcus Varro *n*, Suetonius *o*, & alii. Artemidorus *p* Daldianus actiones, impetus, & motus ab horologio significari asserit. Homines enim omnia faciunt ad horas respiciendo. Semper autem melius existimat horas ante sextam, hoc est antemeridionales, numerare, quam eas, quæ post sextam sequuntur: quod etiam Hesiodus in fine dierum asseverat. Verus autem, & clarus dies Christus est, verè dies æternus, & sine nocte, ut ait S. Zeno *q*, cui duodecim horæ in Apostolis, duodecim menses serviunt in Prophetis, quem Evangeliorum salutaria quatuor tempora prædicant. Hic est dies, quem nullæ temerant nubes, nulla interpolat nox, dies fulgentissimus, qui nescit occasum. O splendor lucis æternæ, cujus claritas illuminat mundum, veni, & illumina animam meam splendoribus Sanctorum, ut in lumine tuo verum lumen videre possim, quod illuminat omnem hominem sedentem in tenebris

z *Spondan. an.* 1232. *Apud Bollandum* 20. *Jan. c.* 16. a *Saccus hist. Ticin. lib.* 1. b *Cardan. de subtilitate.* c *Josephus de bello Iud. lib.* 5. *cap.* 9. d *Cassian. lib.* 2. *cap.* 17. e *Biblioth. Cluniac. pag.* 448. f *Cassiod. div. lect. cap.* 30.

g *Petr. Damian. opusc.* 13. *cap.* 17. h *Vincen. spec. hist. lib.* 24. *cap.* 98. *Arnold. uvion. ligni Vitæ lib.* 5. *cap.* 72. i *Aimoin. lib.* 4. *cap.* 95. k *Martial. lib.* 8. l *Iuven. sat.* 10. m *Senec. de brevit. vitæ cap.* 10. n *Varro lib.* 5. *de ling. Latina.* o *Suet. in Domitiano.* p *Artemidor. de interpret. somniorum lib.* 3. *cap.* 67. q *Zeno serm.* 1. *de Pascha.*

nebris, & umbra mortis. O quando veniam, & apparebo Domine, ante faciem tuam! O quando videbo diem illum, diem jucunditatis, & lætitiæ; diem quem tu feciſti, ut exultemus, & lætemur in eo! O præclarum diem illum, diem verum, diem æternum, diem votis omnibus expetendum! Caret horis, & tenebris dies ille, jugis in eo meridies eſt, quia claritas Dei irradiat illum. Atque utinam ad diem illum poſt tenebras hujus mundi perduci citius merear, tunc enim gaudens, & exultans non per temporum, & horarum momenta; ſed ſine intermiſſione cantabo tibi, qui me vocaſti in admirabile lumen tuum.

## METRUM VI.

*Tempora præcipiti glomerantur concita curſu,*
*Et reſtaunt gyris noxque, dieſque ſuis.*
*Atque ut biſſenis finitur menſibus annus,*
*Sic totidem ſpatiis dividit hora diem.*
*Dividit hora diem, juſtis & partibus æquat,*
*Dum ſubeunt proprias cuncta creata vices.*
*Uda prius ſiccos ſignavit clepſydra ſoles,*
*Et ſecuit calidos frigida meta dies.*
*Scilicet impulſis agitatur ſolibus orbis,*
*Et reſtuis annus præcipitatur aquis.*
*Tum cœpit tenues percurrere tempus arenas,*
*Omnia nam rabido frangere dente ſolet.*
*Mox, quia ſunt umbris humana ſimillima, gnomon*
*Innuit umbroſo tramite lucis iter.*
*At nunc ad ferrum poſtquam migraſtis ab auro*
*Secula, ferratis aufugit hora rotis.*
*Aufugit, & ſeſe per ferrea puncta trucidans*
*Admonet ad duram nos properare necem.*
*O quicunque dies docuiſti hac arte ſecari,*
*Scito: non omnes hæc monumenta juvant.*
*Nam cur tam lentum tempus remoratur amantes,*
*Aut cur diſſimili mobilitate viget?*
*Flet quidam longo ſua duci ſtamina filo,*
*Dum cupit æterni Regis amore frui:*
*Alter ait, faciem ſi quando cernit Amantis,*
*Cur mihi contractis præterit hora rotis?*
*Nempe licet motum menſuret temporis hora,*
*Non tamen affectus queis agitatur amor.*
*Credite: dilato cruciantur tempore Amantes,*
*Eſtque illis anno longior una dies.*
*O igitur quando fugitivi temporis expers,*
*Lux mea, Chriſte Deus, te ſine fine fruar!*
*Illa dies tenebris, horiſque, ac fine carebit,*
*Unica ſi quando ſulſerit illa dies.*

## §. III.

*Secunda diviſio diei naturalis antiquo Romanorum more; Tertia diviſio diei, & noctis artificialis. Cur diviſa dies in 12. horas. De horis æqualibus, & inæqualibus. In viciſſitudine diei, & noctis relucet mirabiliter Dei providentia.*

1. SEcunda diviſio diei plura noctis, & diei tempora ſubnotat, propriiſque diſcernit nominibus, quæ apud Poetas, alioſque Scriptores paſſim obſervata inveniuntur. Ea omnia ſuo ordine Macrobius, & Cenſorinus exponunt. Incipiunt autem à media nocte, quod tempus principium, & poſtremum eſt diei Romani. Tempus, quod huic proximum eſt, vocatur de media nocte, ſive mediæ noctis inclinatio. Sequitur Gallicinium, primus galli cantus poſt mediam noctem. Deinde Conticinium, cùm & galli ſilent, & homines quieſcunt. Tum primum diluculum, ſive crepuſculum matutinum, diei clareſcentis exordium. Secundum diluculum vocatur manè, cum Sol videtur, & dies jam clarus eſt. Sol poſt hoc ad meridiem vergit, facitque meridiem, quod eſt medii diei nomen. Inde tempus occiduum, ſive pomeridianum, vel de meridie. Hinc ſuprema tempeſtas noviſſimum diei tempus. Poſt ſupremam dicitur Veſper, ante ortum ſcilicet ejus ſtellæ, quam Plautus Veſperuginem, Ennius Veſperum, Virgilius Heſperon appellat. Inde porrò crepuſculum veſpertinum. Poſt ſequitur tempus, quod Antiqui primæ facis dicebant, vel prima face; ſive quia, tunc primum accendebantur faces, & luminaria: ſive quia, ut obſervat vir reconditæ eruditionis Joannes Brodæus [r], tunc Venus fax cœleſtis incipit lucere. Deinde concubium dicitur, cum itum eſt cubitum. Poſtea nox intempeſta, quam Varro [s] noctis meridiè vocat, tempus minimè idoneum rebus gerendis. Tum ad mediam noctem, & ſic media nox. Hæc eſt diei civilis à Romanis obſervata diviſio. Noctis partes eleganter deſcribit Philoſophus Medaurenſis [t], Ecce, ait, crepuſculum, & nox provecta, & nox altior, & de



r *Io. Brodæus l. 4. miſcell. c. 33.* s *Varro in Marcipore.* t *Apuleius libro 2. metamorph.*

inde concubia altior, & jam nos intempesta. Tum noctis inducias cantus perstrepebat cristatæ gallorum cohortis. His vocibus τὸ νυχθήμερον, ut ajunt Græci, hoc est spatium lucis, atque noctis, à priscis Auctoribus passim describitur.

2. Tertia divisio diem, ac noctem artificialem in suas quoque partes distribuit. Diem artificialem intelligo præsentiam Solis super terram, à reali ipsius ortu usque ad occasum. Possunt equidem tam matutina, quàm vespertina crepuscula, cùm sint media inter diem, & noctem, ad utrumque referri, de qua re disputant Theologi [u], Jurisque civilis, & Canonici Interpretes [w]. Sed ut omissis controversiis clarè, & distinctè in hoc tractatu procedam: ego diem artificialem cum Mathematicis definio ab illo puncto, quo Sol realiter secundùm corpus, & substantiam suam super Horizontem emergens nobis exoritur, ad illud punctum, quo Horizonti nostro absconditus hemisphærium istud suo corpore deserit, etiamsi radiis suis, & virtute adhuc illuminet. Noctem similiter esse dico ab occidente Sole ad orientem, omne id medium tempus ipsa vespertina, & matutina crepuscula comprehendens. Et dies quidem secundùm quosdam [x] in mane, & vespere dividitur; in tempus scilicet antemeridianum, & pomeridianum: quo sensu horam pomeridianam pro vespertina, & serotina; & Janum Consulem pomeridianum nuncupatum reperies apud Adrianum Turnebium * in Adversariis. Vel secundùm alios [y], in mane meridiem, & supremum. Mane usque ad horam ante tertiam proceditur; meridies usque ad horam ante nonam; supremum usque ad Solis occubitum. Omnes verò Antiqui tam diem, quàm noctem in duodecim horas dividere consueverunt. Hujus partitionis rationem affert Galenus [z], quem laudat, & explicat Hieronymus Magius † multæ antiquitatis homo in variis lectionibus. Porrò, inquit, numerum hunc duodenarium tamquam omnium utilissimum delegerunt. Dimidium enim continet, & duplum, & quartum, & sextum, & duodecimum, quę nullus alius post ipsum numerus usque ad vigesimum quartum continere videtur. Hunc etenim tamquam longiorem repudiarunt, & duodenarium numerum veluti commoderatum judicantes, in tot particulas totius diei tempus divisérunt. Hanc autem partitionem ex usu esse alii multi, & Romani ipsi experientia comprobantes, atque utentes ostendunt. Si quidem hæreditatem omnem, cùm testamentum condunt, in 12. portiones distribuunt: & pondera, ac mensuras, quibus in vita opus est, in 12. partes dividunt. Hæc Galenus. Quod autem de 12. partibus hæreditatis dixit, habetur in Institutionibus Justiniani Imperatoris libro secundo [a]. Alii sectionem diei in horas 12. constitutam referunt à Mercurio illo Trismegisto, quem fuisse Jetro Madianitarum Sacerdotem, & Regem, atque Philosophum, socerum Moysis contendunt Hebræi apud Franciscum Georgium Venetum [b]. Hic cùm observasset quoddam animal, de quo Horus Apollo [c], & Pierius [d] in Hieroglyphicis, & Damascius in vita Isidori apud Photium [e], duodecies in die, (sit pax naribus) lotium emittere, ex illo duodenario mictu in totidem partes diem distinxit. Mihi fabulam redolere videtur hæc fœtida horarum institutio, quam tamen tacitus præterire nolui, quod eam primi nominis Auctores referant, & probent. Ajunt autem Cynocephalum in æquinoctiis tantum, ælurum singulis diebus duodecies mingere, & horas hac ratione indicare. Nec minus ridenda, & inter fabulosa figmenta numeranda videtur hac parte subtilior quorundam observatio, qui ex cœli dimensione in 12. partes, secundùm musicas proportiones horas item 12. adinventas existimant.

3. Solidior ratio petenda à Mathematicis. Hi ex circuli æquinoctialis conversione, itemque ex ortu, & occasu signorum horarum constitutionem desumunt. Sunt autem signa 12. Zodiacum circulum, quem ideò signiferum vocant, in 12. partes æqualiter dividentia. Horum nomina poeticis fictionibus celeberrima hæc sunt. Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, & Pisces. Quod-

u *Theologi in 4. sent. distin.* 13. *D. Thom.* 3. *p. q.* 51. *art.* 4. *ad* 2. *& qu.* 83 *art.* 2. w *Legistæ ad l. more Romano ff. de feriis, & l.* 2. §. 1. *ff. de verborum signific. Canonistæ cap. si perfodiens, de homicidiis, & cap. consuluit de off. & potest. jud. delegati. Ripa de noct. temp. c.* 3. *M. Ant. Natta consil.* 10 469. x *Suidas v.* Ἡώς *Censorin. de die nat. AEgid. in exam. p.* 2. *c.* 2. * *Turneb. l.* 18. *c.* 13. y *Isidor. l.* 5. *orig. Beda l. de rat. temp. c. de die.* † *Magius l.* 1. *c.* 15. z *Galen. l. de cujusque animi peccatorum notitia.*

a *Instit. de hæredibus instituendis* §. *Hæreditas.* b *Fr. Venet. tom.* 1. *probabilem. sac. Scripturæ sec.* 6. *prop.* 356.

c *Hor. Apollo lib.* 1. *hierog. l.* 15. d *Pierius lib.* 6. *cap.* 4. e *Phot. Cod.* 242.

Quodvis signum in 30. gradus dividitur, quare cùm signa sint duodecim, in toto Zodiaco 360. gradus continentur. Hinc circulus obliquitate sua dierum, ac noctium inæqualitatem, omniumque temporum vicissitudinem causat: dirimit totum cœlum in duo hemisphæria, & est regula, & mensura motus planetarum, qui fit ab occasu in ortum. Alium item circulum describunt Astronomi in sphæra, quem vocant æquatorem, sive æquinoctialem ab utroque mundi polo æqualiter distantem, & in gradus etiam 360. divisum. Hujus officium est diem artificialem nocti adæquare, cùm Sol per illum transit, quod bis in anno contingit, initio scilicet Arietis, & Libræ: Tempus quoque, primumque motum ab ortu in occasum spatio 24. horarum dirigere, & mensurare. Ex his duobus circulis duo genera horarum constituuntur; quorum unum ad æquatorem, alterum ad Zodiacum refertur. Primi generis horæ dicuntur æquales, & æquinoctiales, & unaquæque earum est vigesima quarta pars diei naturalis, continens illud temporis spatium, quo 15. gradus circuli æquinoctialis oriuntur, qui circulus, ut diximus, est graduum 360. & semel in die totus ascendit, & circumagitur super Horizontem. Æquales vocantur, quia semper ejusdem sunt quantitatis: æquinoctiales, quia ex motu uniformi dicti circuli desumuntur. Secundi generis horæ inæquales, planetariæ, naturales, & temporariæ nuncupantur. Harum intelligentia difficilior est; dupliciter enim accipi possunt. Primo pro eo spatio temporis, quo medietas unius signi super Horizontem emergit. Semper enim sex signa oriuntur in die, & totidem in nocte, sive dies brevissima, sive longissima sit. Ea signa, quæ rectè oriuntur, tardiorem habent motum: ea quæ obliquè, velociorem. Quæ verò signa rectè, quæ obliquè oriantur, ex his versibus cognosci potest.

*Recta meant, obliqua cadunt à sidere Cancri.*
*Donec finitur Chiron: sed cætera signa*
*Nascuntur prono, descendunt tramite recto.*

Quam doctrinam Scotus *f* Poeta heterodoxus hoc carmine concluſit.

*Ergò via surgunt flexa caper, hydria, pisces,*
*Dux ovium, taurusque minax, geminique puelli.*
*Aſt cancer, Nemeæque pavor, virgoque malignæ*
*Desertrix terræ, speciesque bilancis, & acer*
*Scorpio, Centaurusque truci spectabilis arcu*
*Conscendunt recto cœlum sublime meatu.*

Sex itaque signa à Cancro ad Capricornum, quæ in sphæra obliqua rectè oriuntur, & obliquè occidunt, dies longos faciunt, & noctes breves: reliqua sex signa, quæ obliquè oriuntur, & rectè occidunt, dies breves faciunt, & noctes prolixas. Non igitur oriuntur quolibet die plura, vel pauciora signa quàm sex, quantumvis longa, vel brevis sit dies. Excipitur ab hac regula ea sphæræ obliquitas, in qua poli elevatio excedit gradus 66. cum dimidio; nam ibi quædam signa nullo modo oriuntur. Non loquor hic etiam de sphæra recta, quia in ea semper æquales sunt ascensiones. Hora autem inæqualis accepta pro eo temporis intervallo, quo medietas cujusque signi oritur, inæqualis omninò est, seu cum ejusdem, seu cum alterius diei horis comparetur, quia non omnes medietates æqualiter ascendunt. Ideò Hipparchus Bythynus *g* libro secundo enarrationum ad Arati, & Eudoxi Phænomena, Arati, & Attali sententiam refellit existimantium ex ortu signorum horam noctis dignosci posse, quia videlicet inæquali temporis spatio ipsa signa oriuntur. Atque id etiam Manilius *h* in Astronomicis eleganti carmine explicuit.

*Nec me vulgatæ rationis præterit ordo,*
*Quæ binas tribuit signis surgentibus horas,*
*Et paribus spatiis æqualia digerit astra.*
*Ut parte ex illa, qua Phœbi cœperit orbis,*
*Discedat numeris, summamque accommodet astris,*
*Donec perveniat nascentis tempus ad ipsum;*
*Atque ubi subsiterit, signum dicatur oriri.*
*Sed jacet obliquo signorum circulus orbe,*
*Atque alia inflexis oriuntur sidera membris:*
*Aſt illis magis est rectus surgentibus ordo,*
*Ut propius nobis aliquod, vel longius astrum est.*
*In tam dissimili spatio: variisque dierum,*
*Umbrarumque modis, quis possit credere in horas*
*Omnia signa pari mundi sub lege manere?*
*Adde quod incerta est horæ mensura, neque ullam*
*Altera pars sequitur, sed sicut summa dierum*
*Vertitur, & partes surgunt, rursusque recedunt:*
*Cum tamen in quocunque dies deducitur astro,*
*Sex habeat supra terras, sex signa sub illis:*

Quo

*f* Georg. Buchanan. lib. 4. Sphæræ.

*g* Hipparch. l. 2. c. 1. & 2. *h* Manilius l. 3. Astron.

*Quo fit ut in binas non possint omnia nasci,*
*Cum spatium non sit tantum pugnantibus horis,*
*Si modo bissenæ servantur luce sub omni,*
*Quem numerum debet ratio, sed non capit usus.*

Et quæ sequuntur satis diffusè. Secundo modo, qui communior est, & à nobis deinceps usurpandus, accipitur hora inæqualis pro duodecima parte cujuslibet diei, vel noctis artificialis: & tunc istæ horæ sunt æquales inter se, quia sunt omnes duodecima pars diei; sed dicuntur inæquales, quia horæ unius diei non æquantur cum horis alterius, neque cum horis nocturnis, nisi tantum bis in anno, initio Arietis, & Libræ. Exemplo res erit manifesta. Sit dies longior æstivi temporis, cùm Sol oritur hora nona horologii Italici, hunc diem in 12. horas inæquales distinguamus, quælibet hora continebit minuta 75. horam scilicet integram æquinoctialem, & insuper quadrantem ejusdem horæ. Rursum sit dies brevior hyemalis, cùm Sol oritur hora 15. hic dies in horas 12. inæquales divisus dabit singulis horis minuta dumtaxat 45. tres nimirum quartas partes horæ æquinoctialis. Hora enim. 60. minutis constat. Ecce quomodo isti dies ad invicem sunt inæquales, æstivi namque horas multò longiores habent, quàm hyemales. Idem de noctibus dicendum est, quarum horæ 12. similes æstate breves, hyeme longiores sunt. Hinc Vitruvius [i] Architectus horas solstitiales in Cancri signo amplissimas vocat, brumales verò horarum brevitates. Et Augustinus [k] libro de vera Religione: Hora brumalis, inquit, æstivæ comparata minor est. Sic passim apud Poetas hora æstiva pro longiori, hyberna pro breviori posita reperitur. Martialis [l] æstivam horam pro longissima posuit in hoc Epigrammate.

*Otia Prisce brevi poteris donare libello,*
*Hora nec æstiva est, nec tibi tota perit.*

Apud Plautum [m] cum Simo senex dixisset Pseudolo ebrio;

*Credo equidem potesse te, scelus, Massici montis uberrimos quatuor*
*Fructus ebibere in hora una. Hiberna addito.*

Respondit Pseudolus, id est brevissima. Seneca [n] item in Agamemnone sic canit,

*Sed cur repentè noctis æstivæ vices*
*Hiberna longa spatia producunt mora?*

Severinus quoque Boeth. [o] æstivæ noctis agiles horas vocat, dicens,

*Tu, cum fervida venerit æstas,*
*Agiles noctis dividis horas.*

Ex his perspicuum est, cur istæ horæ dicantur inæquales. Planetariæ autem vocantur, quia per tales horas distinguuntur dominia Planetarum, ut ex Chaldæorum observatione tradit Joannes Stofferinus [p]. Naturales item, & temporariæ appellantur, quia ductu naturæ didicerunt homines juxta temporum variationes ipsas quoque variari.

4. Hæ sunt horæ, quibus olim omnes ferè gentes utebantur. De Hebræis constat ex Evangelio cùm Christus dixit [q], *Nonne duodecim sunt horæ diei?* De Græcis testatur Galenus loco citato. Extat & luculentum Achillis Tatii [r] Alexandrini de hac re testimonium, qui post erotica scripta de Clitophonte, & Leucippe factus est Christianus, & Episcopus, teste Suida. Hic in Isagoge ad Arati Phænomena de horis differens ait; Roget aliquis, cur dixerimus Solem in æstivo solstitio constitutum horarum 15. facere diem, in hyberno 9. cùm tamen mechanicis horologiis, & hydrologiis dies perpetuò horis 12. constare videatur. Huic ita respondemus. Quemadmodum quilibet homo tam puer, quàm vir quinos in manu digitos habet, non tamen æquales: sic eandem habent horæ in diebus, ac noctibus magnitudinis, & celeritatis rationem; adeò ut magnarum magnæ sint, parvarum parvæ. Igitur æstivi dies hybernis majores intervallo constant horarum 15. æquinoctialium, quæ in 12. proportione dividuntur. Idem de majoribus, & minoribus tam diebus, quàm noctibus judicium est. Eundem morem viguisse semper in Græcia ostendunt Constantinus Cæsar [s] cognomento Pogognatus, qui libro primo de re rustica diem, & noctem in horas 12. perpetuò dividit: & Secundus Athenienſis Sophista, qui in sententiis diem definit duodecim horarum decursum. De Romanis præter alia liquet ex eo Martialis [t] Epigrammate,



i *Vitruv. lib. 9. cap. 9.* k *August. de vera Relig. c. 43.* l *Martialis lib. 12.* m *Plaut. in Pseudolo, act. 5. sc. 2.* n *Seneca in Agamem. v. 53.*

o *Boetius lib. 1. met. 5.* p *Stoffer. de usu Astrolabii par. 2. propos. 27.* q *Ioan. 11. 9.* r *Achill. Tatius, sive Statius Isag. cap. 25. circa finem.* s *Constantinus Cæsar lib. 1. Agricult. cap. 7.* t *Martial. l. 4. Epigr. 8.*

*Prima salutantes, atque altera continet horâ,*
*Exercet raucos tertia causidicos.*
*In quintam varios extendit Roma labores,*
*Sexta quies lassis, septima finis erit.*
*Sufficit in nonam nitidis octava palæstris,*
*Imperat extructos frangere nona toros.*
*Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum,*
*Temperat ambrosias cum tua cura dapes.*

Hanc denique horarum distinctionem sequitur Ecclesia in horis Canonicis. Sic horam primam dicimus, cùm post solis ortum duodecima diei pars exacta est: tertiam, cum quarta pars: sextam, cum media. Idem proportionaliter de aliis horis dicendum est. Marcellus Francolinus vir accuratissimè doctus in fine celeberrimi operis de tempore horarum Canonicarum tabulas universales composuit totius Europæ usui accommodatas ad cognoscendam veram, & exactam horam cujusque officii quotidie celebrandi reductis horis inæqualibus ad communes, & æquinoctiales.

5. Sed quoniam de horis sermo est, præteriri nullatenus debent præclaræ quædam sanctorum Patrum sententiæ de diei, & noctis necessaria vicissitudine, deque admirabili providentia Dei, quæ in ea relucet. Theophilus Patriarcha Alexandrinus [u]; Dies, inquit, & nox certis horarum sibi succedunt spatiis, paulatimque decrescentes, quod amittunt, recipiunt, & quod recipiunt tribuunt ad eandem mensuram bis in anno convenientes: nec manent in eodem statu, sed brevitate, & longitudine horarum momenta discriminant, ut utilem mundo faciant temporum diversitatem. Namque dies ordine, & circulo suo de noctis temporibus mutuatur, & rursum nox recipit, quod largita est: dumque vicissim & tribuunt, & accipiunt, & orbe quodam quod paulatim amiserant decrescentes, sensim crescentes accipiunt, creatoris interpretantur sapientiam. Titus [x] Bostrorum Episcopus hanc diei, & noctis alterationem ideò necessariam fuisse scribit, quia nox communis est requies omnium animantium. Deinde si semper esset dies, non possemus metiri tempus non divisum in partes: non posset in multis ratio vitæ iniri, & constare: quodque majus est, non esset voluptas luminis fruendi, si non essent tenebræ; lumen enim continuum, neque quod lumen esset, cognosceretur. Extra culpam igitur, & querelam est nox, nec quod multa noctu scelera committantur, criminis rea illa est; animus enim accusari debet non tempus: nam si maleficus nocti pareret, dormiret sanè, hoc enim jubet nox. Dracontius [y], Christianus Poëta fidem probans resurrectionis ex hac diei, & noctis successione desumit argumentum. Sic autem canit:

*Mortua nox sub luce cadit, perit aurea luna,*
*Atque per ascensus, & cornua colligit ignes,*
*Et dum cæca latet, reparato lumine fulget,*
*Mentiturque diem lux frigida, solis imago.*
*Lucifero redeunte polo moriuntur & astra.*
*Nuncius auroræ subductus morte diurna*
*Lucifer extinctas reficit per sidera flammas,*
*Ex hinc nocturnum jubar emicat igne coruscо,*
*Roscida puniceum spargens aurora ruborem*
*Ducit ubique diem periturum noctis ab umbris:*
*Et tamen hæc de sole perit, quo missa rubebat.*
*Sol oculus cœli, famulus super astra Tonantis,*
*Cujus ab immensis languescunt sidera flammis,*
*Ne gelidis animetur aquis per cærula Ponti,*
*Occidit ipse dies super æquora sole cadente,*
*Et quo demersus, novus æquore manè resurgit*
*Vespere nocturno hunc radiata luce rubentem.*
*Purpureis abscondit aquis, redditque diurnè*
*Depositum naturæ suum sub nocte sepultum*
*Manè resurgentem de fluctibus orbe recepto.*

Sed de hac re nil verbis Tertulliani [z] doctius, nil elegantius. Dies, ait, moritur in noctem, & tenebris usque quaque sepelitur. Funestatur mundi honor, omnis substantia denigratur. Sordent, silent, stupent cuncta: ubique justitium est, quies rerum. Ita lux amissa lugetur. Et tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum Sole, eadem & integra, & tota universo orbi reviviscit, interficiens mortem suam noctem, rescindens sepulturam suam tenebras, hæres sibimet existens, donec & nox reviviscat cum suo & illa suggestu. Agnovit & Dei mirabilem in die, ac nocte providentiam Theodoretus [a]: Et sanè, inquit, diem, & noctem veluti sorores quasdam videre est, quæ temporis spatia ad hominum usus invicem mutuantur, simul & benevolè reddunt. Deficiente enim jam



u *Theophil. Alexandrinus Epist. 3. Paschali.* x *Titus Bost. lib. 2. adv. Manichæos.*

y *Dracontius in Examer. c. 6. prope finem.* z *Tertul. de Resur. carnis cap. 12.* a *Theodoret. serm. 1. de providentia.*

hyeme, & novo illucescente vere, quando multi admodum hominibus circa sua opera labores exoriuntur: utpotè profectiones, & peregrinationes, naviumque è portu deductiones, quando & mare stratum, & hyberni frigoris rigore liberum est, terraque segetibus superbiens agricolam ad culturam vocat; & plantæ hortulanum ad putationem, purgationem, rigationem, & sarritionem invitant: tunc, inquam, dies operationis tempus hominibus augens à nocte horas mutuò sumit; & paulatim quidem eas recipit, ne nimio augmento iis noceat, qui ejus opera ad res suas conficiendas utuntur. Ubi verò ad medium æstatis perventum est, desinit quidem mutuò sumere, mox verò debiti solutionem aggreditur, adeò ut hanc nec vel in unici diei moram procrastinando rejicat. Paulatim autem, & sensim, quemadmodũ ante acceperat, ita quod acceptũ est, reddit. Deinde ubi autumni tempore nocti æqualis factus est, se hac minorem fieri non pudet longam quietis opportunitatem conficiens. Cum enim frigoris, pluviarum item, luti, & cœni molestia domi desidere cogimur, nox ipso die multò nobis jucundior est. Et sic quidem omnis vitæ nostræ cursus his spatiis absolvitur, nec minorem quam dies, nox hominibus utilitatem confert. Nam si lux quædam perpetua nullo alio intercedente medio permansisset, certè nec annorum orbes, nec mensium numerum discere, vel edocere potuissemus: sed unica illa dies continua totius præsentis sæculi mensura fuisset, qualem nimirum futuri illius sæculi conditionem fore credimus. Illum quippè diem sine vespero fore, & omni alia successione cariturum esse, edocti sumus. Hæc, & alia plura elegantissimus Theodoretus.

## §. IV.

*Dies in quatuor præcipuas partes divisa ab Antiquis. Item nox. Quid stationes, quid vigiliæ sint. Quota hora quodlibet Officium celebrandum. Quot sint partes Officii.*

1. RUrsum Antiqui diem, & noctem in quatuor partes æquales inter se dividere solebant, quarum singulæ ab ultima hora inclusa nomen acciperent. Prima enim pars horam primam, secundam & tertiam continens, Tertia dicebatur: Secunda horarum etiam trium quartæ, quintæ, & sextæ, Sexta: Tertia septimæ, octavæ, & nonæ, Nona; Quarta à decima usque ad duodecimam ultima, & duodecima appellabatur. Cornelius Jansenius [b], Victor Geselinus [c], & alii aliter explicant hanc diei partitionem in quatuor sectiones, sed errant toto cælo, ut ostendit eruditissimus Francolinus [d], quem consulat curiosus lector: nolo enim actum agere. Porro istæ horæ insigniores præ cæteris erant in rebus humanis, nam teste Tertulliano [e], diem distribuere, negotia distinguere, & publicè resonare solebant; Semper, & ubique, ait ille, & omni tempore orandum, tamen tres istas horas Tertiam, Sextam, & Nonam, ut insigniores in rebus humanis quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publicè resonant, solemniores fecerunt in orationibus divinis. Quare & frequentior earum mentio in sacris, & profanis Auctoribus habetur: & his duntaxat utebantur Antiqui in designando tempore non solùm orationis, celebrationis Missæ, solvendi jejunii, sed & aliarum rerum. Illud autem hoc loco notandum est, quod jam dicta trium horarum intervalla communiter olim pro una hora accipiebantur. Sic quæ de hora tertia à priscis Scriptoribus notantur, non præcisè de hac hora, sed de prima etiam, & secunda intelligi debent, ita ut sub tertiæ nomine totum tempus ab ortu solis ad ipsam tertiam comprehendatur. Censorinus [f] de die natali, Veteres, inquit, diem quadripartito, sed & noctem similiter dividebant. A Græcis quoque usurpatam hanc distinctionem constat ex Pausania in Messenicis, Suida verbo φρουρὰ & Onosandro [g] in strategico. Etiam Levitas apud Hebræos servasse noctis vigilias, quas Græci φυλακὰς vocant, & ternarum horarum observationem habuisse, Divus Augustinus [h] asseverat. Legendus Baronius [i], qui tomo primo Annalium hanc doctrinam luculenter confirmat. Favent & plurimæ sacrorum Canonum sanctiones [k]. Marcus Varro [l], quem refert, & probat Carolus Sigonius [m], Cosconius, inquit, scribit in actionibus Prætorem Accenso

b *Cornel. Iansenius in Conc. Evang. c.* 143. c *Victor Geselin. in notis ad hym.* 1. *Prudentii Cath.* d *Francolin. de temp. hor. Canonic. cap.* 21 e *Tertull. de jejun. cap.* 10. f *Censorin. c.* 10. g *Onosand. strateg. c.* 10. § 3 h *Aug. l.* 4. *qu. q.* 4. *sup. Num.* i *Baron. an.* 34. *nu.* 162. *& seq.* k *c. nocte. c. solent. c. de hoc, de consecr. dist.* 1. *item c. fin. dist.* 44. *& c.* 1. *dist.* 75. l *Varro. l.* 5. *de lingua Latina.* m *Sig. l.* 1. *de jud. c.* 9.

censo jubere solitũ, horam esse tertiam, Accensum inclamare horam esse Tertiam, Meridiem, & Nonam. Erant autem Accensi administri magistratuum ab acciendo, id est vocando, dicti. Duodecim tabulis, ait Plinius *n* ortus tantum, & occasus nominantur: post aliquot annos adjectus est & meridies, Accenso Consulum id pronunciante. Id verò quo ritu fieret Barnabas Brissonius *o* in doctissimo opere de formulis ostendit. Docet Chrysostomus *p* quod Monachi in quatuor partes diem dispertiti, dum singulæ partes implentur, Psalmodiis, & Hymnis Deum venerantur. S. Benedictus *q* in Regula iis, qui levioris culpæ rei sunt, pœnam excommunicationis imponens, non illius quæ censura Ecclesiastica est; sed alterius Monasticæ, & regularis, qua Monachus solius mensæ participatione privatur: Refectionem, inquit, solus accipiat mensura, vel hora, qua præviderit Abbas ei competere: ut si verbi gratia, fratres reficiunt sexta hora, ille nona; si fratres nona, ille vespertina. En quomodo refectionem fratris, qui peccavit à sexta ad nonam rejicit, nulla facta mentione septimæ, vel octavæ horæ intermediæ. Talis enim erat apud veteres consuetudo, ut iis solummodo solemnioribus horis ut plurimum uterentur. Horam quoque tertiam, & sextam nulla intermedia invenies apud Senecam *r*. Consentit huic divisioni Prudentius *s* his versibus:

*Nona submissum rotat hora Solem*
*Partibus vix dum tribus evolutis,*
*Quarta devexo supereſt in axe*
*Portio lucis.*

Princeps Apostolorum *t* post acceptum Spiritum sanctum suspicionem ebrietatis diluit, quod esset hora diei tertia, cum minimè probabile videretur, viros Religiosos tribus primis horis diei ebrios fuisse. Ex hac horarum observatione sunt item qui concilient Evangelistas circa horam crucifixionis Christi, cum Marcus hora tertia crucifixum dicat, Joannes sexta: de qua controversia legere oportet subtiliter disputantem Marcellum Francolinum *u* post Doctores scholasticos, & Interpretes Evangeliorum *x*.

n *Plin. lib. 7. cap. ult.* o *Brisson. de form. lib. 5.* p *Chrysost. ho. 59. ad pop. Antioch.* q *Bened. Reg. cap. 24.* r *Senec. ep. 122.* s *Prudent. Kathim. hym. post jejun.* t *Act. 2. 16.* u *Francolin. cap. 22. 23.* x *Theologi in 3. p. q. 46. art. 9.*

2. Porrò hæc divisio diei, & noctis in quatuor partes, quæ singulæ ternas continent horas, apud milites, teste Vegetio *y*, diu quidem stationum, noctu autem vigiliarum nomine censebatur. Quod etiam Græci observabant, ut ex Æneæ *z* vetustissimo Scriptore in Commentario tactico de toleranda obsidione colligitur, in his capitibus, quorum titulus est, περὶ ἡμεροσκοπων de diurnis speculatoribus, & φυλακῶν καθίσεως de constitutione vigiliarum. Docet Lipsius *a* diligentissimus antiquitatis rimator Romanum morem fuisse totas cohortes, & turmas ponere in stationibus; non unum, aut alterum militem, ut quos hodie à sentiendo sentinellas vocamus. At Modestus *b* de singulis centurijs quaternos equites, & quaternos pedites excubitum fecisse scribit. Plura de hac re Antonius Valtrinus *c* lib. quarto de re militari, & Wolfangus Lazius *d* lib. item quarto commentariorum Reip. Romanæ. Nocturnos autem vigiles dictos Tesserarios adverto, quod tesseram, vel signum à Tribunis, sive Præfectis legionum acciperent, & per militum contubernia nunciarent, ut Polybius *e* docet. Ipsæ excubiæ, dante buccina signum, singulis tribus horis mutabantur. Augustinus *f*, Vigiliæ spatium, ait, non habet amplius quam tres horas. Eradius *g* Presbyter apud eundem Augustinum *h*; Vigilia una tres horas habet, ac per hoc nox quatuor vigilias habet, ternis horis per singulas vigilias distributis. Lucanus:

*Tertia jam vigiles commoverat hora secundos.*

Hunc autem versum Ludovicus de la Cerda *k* ad librum nonum Æneidos Virgilianæ sic interpretatur, ut existimet ex eo colligi primos vigiles durasse primam, & secundam vigiliam: secundos tertiam, & quartam. Audis enim, ait, in Lucano secundos vigiles surrexisse ad tertiam vigiliam. Miror viri docti oscitantiam in re clarissima: Tertia etenim hora, non tertia vigilia surrexisse vigiles secundos scribit Lucanus, ut patet. Sed pergo. Silius Italicus *l*:



y *Veget. de re militari l. 3. c. 8.* z *Æneas de re tact. c. 6. & 22:* a *Lipsius l. 5. de militia Romana dialog. 8.* b *Modestus l. de vocabulis rei milit.* c *Valtrin. l. 4. c. 6.* d *Lazius l. 4. c. 3.* e *Polybius lib. 6.* f *Aug. in Ps. 89.* g *Eradius creditus.* h *Aug. serm. 14. de verbis Domini.* i *Lucan. lib. 5.* k *Cerda in Virgil. lib. 9. Æn. v. 164.* l *Silius lib. 7.*

——— *Mediam sonitu cum buccina noctem*
*Divideret, jamque excubias sortitus iniquas*
*Tertius abrupta vigil iret ad arma quiete.*

Propertius *m*;

*Et jam quarta canit venturam buccina lucem,*
*Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt.*

Seneca *n* in Thieste;

*Nondum in noctem vergente die*
*Tertia misit buccina signum.*

Frontinus *o*, Sulla, inquit, bello sociali nocte profectus relicto buccinatore, qui vigilias ad fidem remanentium divideret, & quarta vigilia commissa eum sequeretur, incolumes suos perduxit. Stationum quoque, & vigiliarum vocabula invenio in sacris libris *p* Arnobius *q* junior, Custodia una, ait, quarta pars noctis est: ergò prima custodia à vespere incipit, secunda ad medium noctis ascendit, tertia pullorum cantus transit, quarta vigilia matutina in ortu lucis adimpletur. Eadem ratione Euthymius Zigabenus *r* Auctor Græcus, & Paschasius Ratbertus *s* noctis vigilias distinguunt. Moschus *t* item Poeta Venerem somnum immisisse Europæ fingit, cùm tertia pars noctis stat, & aurora propè est. Sic inter se partiri solebant milites diu, noctuque vigilandi laborem, ut singulis trihoriis mutarentur excubiæ. Prima diei statio hora tertia terminabatur, secunda, hora sexta; tertia, hora nona; quarta hora duodecima. Hac incipiebat prima vigilia noctis, & hora tertia finem habebat. Lucianus Presbyter in historia Inventionis S. Stephani, Hora, inquit, tertia, quæ est prima custodia vigiliarum. Secunda durabat usque ad mediam noctem, de qua Livius *u*; Signo secundæ vigiliæ conveniistis, quod tempus mortales somno altissimo premit. Tertia usque ad horam nonam protrahebatur, de cujus initio sic canit Seneca *x*:

*Partes ferè nox alma transierat duas,*
*Clarumque septem verterant stellæ jugum.*

Quarta, quæ dicebatur matutina, usque ad ortum solis durabat: & de hac sic cecinit Statius *y*:

*Quarta soporiferæ superabant tempora noctis,*
*Cum vacuæ nubes, & honor non omnibus astris.*
*Afflatusque fugit curru majore Boores.*

Solus Euripides *z* præter aliorum morem noctem in quinque vigilias partiri videtur: nam in Rheso quinti vigiliæ meminit circa auroram viderint doctiores. Magister *a* Historiæ scholasticæ, nescio quo fundamento, scribit primam vigiliam conticinium dici, in qua omnes simul vigilant: Secundam intempestum, in qua adolescentes: Tertiam gallicinium, in qua viri: Quartam antelucanum, in qua senes. Has Dominus noster aliis nominibus insignit, dum nos exhortans ad vigilandū dixit *b*, *Vigilate, nescitis enim quando Dominus veniat: serò, an media nocte, an galli cantu, an manè.*

3. Olim Christiani diebus jejuniorum tota nocte in Ecclesia vigilabant, & die sequenti usque ad Nonam, & in Quadragesima usque ad Vesperas in eadem Ecclesia sine cibo, & potu perseverabant orantes, & psallentes. Hinc vigiliarū, & stationum nomen apud Ecclesiasticos emanavit, ut docent Isidorus *c*, Rabanus Maurus *d*, & antiquissimus Tertullianus *e*, apud quem solvere stationem idē est, ac jejuniū solvere, qua loquendi formula utitur etiā Cassianus *f*. Sanctus autem Gregorius certas Urbis Ecclesias stationibus assignavit, & diebus quoq; solemnioribus stationes fieri usque ad Sextam jussit; atq; ad has Ecclesias istis etiam temporibus statis diebus fidelium concursus fieri solet: quamvis nocturnę vigilantium excubię, & diurnæ stationes refrigescente charitate sublatæ nunc sint, solâ jejunii abstinentiâ permanente. Gabriel Albaspinæus *g* Episcopus Aurelianensis in suis observationibus de veteribus Ecclesiæ ritibus, adversus Pamelium conatur ostendere, stationes à jejuniis differre: cum tamen vix aliud probet, quam multa olim à Christianis in stationibus facta esse præter jejunia; cujusmodi sunt ad Ecclesiam convenire, & in ea commorari usque ad horam statutam, precibus incumbere, contemplationi vacare, operibus pœnitentiæ corpus affligere, ac denique sumere Eucharistiam.

m *Propert. lib. 4. eleg. cui tit. est, Tabulæ Tarpeiæ.* n *Seneca Thiest. vers. 799.* o *Frontin. lib. 1. cap. 5.* p *1. Reg. 10. 13. & 14. Esdr. 13. Isai. 22. Exod. 14. Iudic. 7. 1. Reg. 11. Matth. 14. Luc. 2.* q *Arnob. in Ps. 129.* r *Euthy. in Ps. 129.* s *Pasch. l. 7. in Matth. cap. 14.* t *Mosch. Idyl. 2.* u *Livius lib. 7. dec. 1* x *Sen. Troad. v. 437.*

y *Statius l. 11. Theb.* z *Euripid. in Rheso. v. 543. & 563.* a *Magist. cap. 75. Hist. Evang.* b *Marc. 13. 35.* c *Isid. lib. 6. origin.* d *Raban. l. 2. de instit. Cleric. 18.* e *Tertull. lib. de jejuniis cap. 10. de orat. c. ult. ad uxorem, & alibi.* f *Cassian. coll. 21, cap. 29.* g *Albaspin. lib. 1 observat. 16.*

stiam. Clarius de hac re Dionysius Petavius in notis ad Epiphanium, ubi de veteribus Ecclesiæ ritibus, ad expositionem fidei pag. 356. Nam quædam stationes cum jejuniis conjunctæ erant, quando videlicet fas erat fidelibus soluta statione, quæ durabat usque ad Nonam, cibum sumere: quando verò jejunium prorogabatur usque ad Vesperam, sicut in Quadragesima, tunc aliud erat jejunium, aliud statio; quia videlicet statio hora nona, jejunium ad Vesperam solvebatur. Et priora quidem Tertullianus semi jejunia vocat, lib. de jejuniis cap. 13. ac si plenum jejunium usque ad solis occasum producendum foret. De vigiliis verò, quod attinet ad historicam veritatem, legendus Baronius [h] in Annalibus Ecclesiasticis, & in notis ad Romanum Martyrologium [i]. Hæc è veterum monumentis deprompta necessariò prænotanda fuerunt, ut sciret lector quid dies, quid nox sit, quæ horæ æquales, & inæquales; quid Prima hora Canonica, quid Tertia, quid Sexta, quid Nona; quale Matutinum tempus, quale Vespertinum, quid Vigiliæ nocturnæ, quid diurnæ stationes. Ut igitur paucis verbis colligamus, quænam sit hora legitima cujusque officii celebrandi, dicimus regulariter; Primam prima diei hora, Tertiam tertia, Sextam sexta, Nonam nona, Vesperas undecima, Completorium duodecima persolvi debere: Verumtamen adhuc amplius dilatari posse hæc tempora existimamus, ita ut Primæ prima dumtaxat diei hora, Tertiæ secunda, & tertia; Sextæ quarta, quinta, & sexta; Nonæ septima, octava, & nona; Vesperis decima, & undecima; Completorio sola duodecima assignentur. Hujus extensionis exemplum patet in Regula S. Benedicti [k]; Nam S. Pater æstivo tempore Nonam agi temperius præcipit mediante octava hora; hyberno autem dici Tertiam jubet hora secunda. Laudum verò celebrandarum legitima hora est initium crepusculi matutini: & nocturnæ synaxis, vel media nox, vel hora secunda post mediam noctem, sive hora una ante lucem, ut clarius ex dicendis infra constabit.

4. Cæterum in fine hujus capitis obiter examinandum occurrit, quot sint partes divini Officii. Potest autem multiplex responsio dari pro varia quæsiti acceptione. Et primò quidem dividitur Officium in duas partes, majores, & minores. Majores sunt Nocturnum, Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium: Minores Psalmi, Hymni, Cantica, Versus, Antiphonæ, Lectiones, Responsoria, Collectæ, & aliæ res ejusdem generis, ex quibus unumquodque officium coalescit. Secundò dividitur totum Officium in Nocturnum, & Diurnum. Nocturnum secundùm quosdam quatuor partes comprehendit, Vesperas, Completorium, Nocturnos, & Laudes. Hæc enim quatuor Officia vel absente sole, vel circa ejus occasum antiquitus persolvi solebant. At nunc cum Prima, Tertia, Sexta, & Nona, etiam Vesperæ, & Completorium ad diurnæ servitutis pensum; Nocturni autem, & Laudes ad Nocturnam synaxim pertinent, sive unum duntaxat Officium, sive duplex efficiant, quam controversiam initio capitis quinti solvemus. Dico tertiò, diurnas preces in Matutinas, & Vespertinas distribui. Et quidem abusus, & vulgi acceptio Primam, Tertiam, Sextam, & nonam Matutino, Vesperas, & Completorium vespertino tempori assignant. At peritiorum sensus, sacrorumque Canonum sanctiones ad pomeridianum, & vespertinum tempus etiam Nonam adjungunt. Aliæ Officiorum divisiones à varietate temporis desumuntur: quo pacto dicimus aliud esse Officium feriale, aliud festivum: aliud Quadragesimale, aliud Paschale, quorum omnium rationem, & causam Durandus in Rationali, & antiqui Patres Isidorus, Alcuinus, Rupertus, Amalarius, Rabanus, & alii in suis Tractatibus de divinis Officiis doctè, & eruditè explicarunt.

h *Baron. to. 51. Ann. a. 51. nu. 68. & seqq. to. 2. an. 590. n. 36. 37.* i *& in Rom. Martyrol. die 5. Ianuarii.* k *Bened. reg. cap. 48.*

## CAPUT IV.

### De Nocturnis Vigiliis.

#### §. I.

*Cur nocte orandum sit. Etiam Ethnicos nocturnas vigilias celebrasse in honorem Deorum. Exhortatio ad vigilandum. Oratio ut mysticæ fugentur tenebræ.*

BEnè se res habet, ut verba usurpem Salviani [a] viri sanctissimi, jacta sunt fundamenta operis pia molitione cæpti,



a *Salvian. initio l. 3. de gub. Dei.*

& divini Officii amore susceptì. Jam ipsius Officii majores partes explicare aggrediar à nocturnis vigiliis incipiens. Tametsi enim à primis Vesperis Ecclesiastica dies, quoad solemnem horarum Canonicarum recitationem, initium ducat; à nocturna tamen synaxi juxta diei naturalis ordinem ordiri libuit. Antiqua est autem vigiliarum devotio, familiare bonum omnibus sanctis, tecte Isidoro [b], hoc enim tempore vastator Angelus transiens Ægyptiorum primogenita percussit. Quare nocturnis vigiliis orandus est Dominus, inquit Drogo [c] Abbas, ut gladio verbi sui invisibiliter penetrantis opera vitæ nostræ prioris tenebrosæ in nobis percutiat, & annihilet, quæ per Ægyptiorum primogenita [d] significari novimus: in quibus etiam Pharaoni, id est Regi tenebrarum captivati servivimus. Qui enim facit peccatum, servus est peccati. Dum enim propriis obediremus voluptatibus (sicut ait Apostolus [e], *fuistis aliquando tenebræ*) malignis spiritibus excæcati obedivimus: nunc autem conversi, & facti lux in Domino, ante ipsum vigili intuitu pernoctantes id etiam postulemus, ut ipsum fide cernamus, qui per Israelis primogenita signabatur, quia prima est, & fundamentum omnium virtutum. Ab Angelo autem vastatore tuti esse poterimus, si Passionis Dominicæ in sanguine Agni designatæ imitationem ubique teneamus, cujus signa si diabolus in nobis prospexerit, exterritus disparebit. Hoc etiam tempore dum medium silentium teneret omnia: & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens Dei Sermo à regalibus sedibus veniens [f] pro salute nostra de Virgine nasci dignatus est: atque ipso eodem tempore, qui judicandus venit in primo adventu, in secundo cum gloria judicaturus adveniet, sicut fur in nocte: quocirca ad vigilandum ipse pro nobis solicitus nos exhortatur, beatos [g] fore promittens quos invenerit sic facientes. Nocte itaque, ait Cælius Lactantius [h], vigilias celebramus propter adventum Regis, ac Dei nostri, cujus noctis duplex est ratio, quod in ea & vitam tunc recepit, cum passus est; & postea orbis terræ regnum recepturus est. Unum quoddam est de magnis Christi præceptis, ait Gregorius Nyssenus [i], debere nos somno minimè addictos esse, quicunque ad vitam supernam respicimus. Nocturno enim tempore acrius proserpunt invisibilium hostium insidiæ, fervent carnis illecebræ, viget tenebrarum potestas, subrepunt animo impuræ cupiditates. Vita hæc nostra, clamat S. Leo [k], in medio insidiatorum, in medio præliorum est: si volumus non decipi, vigilandum est: si volumus superare, pugnandum est. Media nocte surgebam, ait Propheta, ad confitendum tibi. Multa enim in illo tempore, inquit Ambrosius [l], tentamenta proserpunt. Tunc fervet carnis illecebra, tunc tentator illudit, coquitur cibus, potusque digeritur. Stomachus æger, mens somnolenta, animus occupatus est. Itaque aut quiescenti calor soporis augetur, aut vigilanti nondum plenior refusus est vigor, qui errorum cavere possit incursus. Tunc igitur tentator assistit, tunc retia jacit, quibus turbare possit mentem improvidam. Tunc spiritales nequitiæ tenebras offundunt, tunc omne nefas suadere contendunt, quando nullus arbiter culpæ, nullus criminis conscius, nullus potest esse erroris testis. Tunc varias disceptationes pectori dormitantis infundunt, ut primò de statu mentis dejiciant reluctantem, & impellant ad erroris assensum. Ideò nocturno tempore sancta mater Ecclesia, ut castrorum acies ordinata, Deo dicatis viris excubias agendas instituit temporalis militiæ studium æmulata. Rectè Hieronymus [m], Bona est diurna meditatio, sed efficacior nocturna, quia per diem necessitates variæ obstrepunt, occupationes distrahunt mentem, sensum duplex cura dispergit. Nox quieta, nox secreta opportunam se præbet orantibus, aptissimam vigilantibus, dum carnalibus occupationibus expeditum, collectum sensum, intentum hominem divinis conspectibus sistit. Rectè item Chrysostomos [n]. Non ideò facta est nox, ut per totam dormiamus, & otiosi simus. Testantur hoc opifices, nautæ, negotiatores. Ecclesia Dei mediis surgit noctibus; Surge & tu, & vide astrorum choream, profundum silentium, magnam quietem. Obstupesce Dei tui miram dispensationem. Purior tunc est anima, levior, subtiliorque tunc est, sublimia videt, & expedita est.

Tene-

b *Isidor. lib. 1. de Eccl. offic. cap. 22.* c *Drogo tract. de horis Canonicis.* d *Exod. 12.* e *Ephes. 5. vers. 8.* f *Sap. 18. 14.* g. *Luc. 12. 37.* h *Lactant. div. instit. lib. 7. cap. 19.* i *Greg. Nyss. or. 11. in Cant.*

k *Leo. ser. 1. Quadr.* l *Ambros. in Ps. 118. v. 62.* m *Hiero. Ephes. 36. de observ. vigiliarum tom. 4.* n *Chrys. hom. 26. in Act. Apost.*

Tenebræ ipsæ, silentiumque multum in compunctionem inducere sufficiunt. Si autem & cœlum videris quasi innumeris interpunctum oculis, omni voluptate frueris statim concepta opificis sapientia. Inflectitur Deus nocturnis precibus, si quando tu quietis tempus facias lamentatorum tempus. Hæc Chrysostomus.

2 Ipsimet Ethnici nocturni temporis religionem agnovisse videntur. Nocti enim divinos tribuebant honores, eique gallum immolabant, ut ex antiquis Scriptoribus ostendit Natalis Comes [o] in Mythologiis. Orpheus [p] quoque Theologus, & Poeta celeberrimus, Noctis apotheosim hymno elegantissimo celebravit, quem hic transcribere non gravabor è Græco Latinum factum nulla habita metri ratione, quod Græci carminis elegantiam Latino assequi despondeam. Sic autem inscribitur ΝΥΚΤΟΣ ϑυμίαμα δαλοῖς, Noctis suffimentum lampades.

*Noctem Deorum, atque virorum generatricem*
*cantibus celebrabo.*
*Nox omnium generatio, quam & Cyprim voca-*
*bimus.*
*Audi beata Dea, nigrum splendorem habens*
*astris lucens,*
*Quiete gaudens; & quiete multi somnii:*
*Læta, delectabilis, pernoctationes amans, ma-*
*ter somniorum,*
*Oblivioni tradens curas, laborum quietem ha-*
*bens,*
*Hymnorum datrix, amica omnium, equis vecta,*
*noctu splendens,*
*Semiperfecta, terrestris, & cœlestis rursum ipsa,*
*Circularis, ludens, & cursibus per aera iens:*
*Quæ lucem emittis ad inferna, & rursum fugis*
*In infernum: gravis enim necessitas omnia vin-*
*cit.*
*Nunc verò beata nox, valdè dives, omnibus de-*
*sideranda,*
*Et obvia, audiens sermonum supplicatoriam vo-*
*cem*
*Venias benevola, timoresque dimitte splendore*
*victos.*

His versibus noctem celebrat in nocte superstitionis sepultus Orphæus. Nocturnas autem pervigilationes in colendis Diis laudat Cicero [q]: sacras item pernoctationes canit Critias Poeta Græcus apud Athenæum [r] Festum nocturnum Ægyptiorum Herodotus [s] commemorat: & Diis nocturnis libationes fieri solitas recenset in Æthiopicis Heliodorus [t]. In honorem Veneris pervigilium trium noctium olim fiebat, de qua re antiqua quædam carmina refert Lipsius [u] in Electis. Ejusdem pervigilii meminit Plautus in Curculione hoc versu: Quid? tu Veneri pervigilare te vovisti Phædrome? & in Aulularia de vigiliis quoque Cereris mentionem facit: de quibus scribens Nazianzenus [x]; Pudet me, inquit, nocturnum sacrum in lucem proferre, ac turpitudinem mysterium facere. Idem honor vulgatus in cæteros Deos. Fortunæ pervigilium lego apud Suetonium in Galba. Aliis Diis apud Livium [y], & iterum apud Suetonium in Caligula, & in Vitellio. Apollinis quoque sacrum media nocte factum idem in Augusto commemorat. Sabazia sacra in honorem Bachi noctu celebrata Oppianus [z] canit in Cynegeticis. Quædam alia nocturna sacra ab Ethnicis frequentata describit, & irridet Julius Maternus Firmicus [a] libro de erroribus profanarum religionum ad Constantium, & Constantem Augustos. Media nocte surrexisse Indos, ut laudarent Solem, scribit Philostratus [b] in vita Apollonii. Nocturnum cultum Mitibus Diis, quos Milichios vocabant, à Myonensibus olim exhibitum docet Pausanias in Phocicis propè finem. Vigiliis item nocturnis cultum ab Ægyptiis Minervam Themistius [c] recenset. Seneca [d] Vestales virgines commendat, quæ ad sacra facienda noctibus excitabantur. Et hæc quidem Dæmonum latriæ tribuerunt Infideles: Christianos autem summi Dei veros cultores in hoc vigilandi studio haud segnes fuisse demonstratum est supra [e].

3. Propter nocturnos cœtus quod olim calumniis Christiani primo, & secundo post Christi nativitatem sæculo ab Ethnicis exagitati fuerint, notissimum est ex Tertulliani, Athenagoræ, Arnobii, Justini, & Minutii Felicis Apologeticis. Natio enim lucifugax, & latebrosa vocabatur, tum promiscui incestus, infanticidii,

o *Nat. Comes Mythol. lib.* 3. *cap.* 12. p *Orpheus in hymnis.*

q *Cic.* 2. *de legibus Athen.* r *Dipnosoph. lib.* 13. *cap.* 8. s *Herodot. lib.* 2. t *Heliodor. l.* 3. u *Lipsius lib.* 1. *elect. cap.* 5. x *Nazian. or.* 39. y *T. Liv. li.* 23. z *Oppian. de Venat. lib.* 1. *v.* 25. a *I. Firmicus cap.* 23. b *Philostr. lib.* 3. *cap.* 10. c *Themist. orat.* 13. d *Senec. de Provid. c.* 5. e *cap.* 1. §. 3. & 4.

ticidii, idololatriæ, & impiatæ religionis acusabantur. Ignorabant videlicet quid in his antelucanis congregationibus fieret, summo studio occultantibus Christianis nostræ fidei sacramenta. Ab ipsis itaque Apostolis sacrarum vigiliarum origo fuit. Nec desunt in veteri testamento huius pietatis exempla. Abraham *f* de nocte consurgens filium immolaturus ascendit in montem, Jacob *g* noctu scalam mysticam videre meruit, & luctatus cum Angelo usque manè cœlesti benedictione repletus est. Noctu eduxit Dominus filios Israel de Ægypto *h*. Samuel Propheta *i* oraturus pro Rege clamavit ad Dominum tota nocte. Judith *k* exibat nocte, & orabat. Regius Propheta *l* lavabat lachrymis lectulum suum per singulas noctes; mediâ nocte surgebat ad confitendum Domino; quæsivit Deum nocte, & non est deceptus: nocte visitatus est à Domino, & probatus: Et quia in nocte lucis opera peragebat, sancti Spiritus ignem misit Dominus in cor ejus, ut luceret ei per noctem, cujus fulgore nox illustrata illuminatio facta est illi in deliciis: quare fugatis peccatorum tenebris, & principe tenebrarum debellato, alios etiam ad tanti luminis participationem invitans ait; *In noctibus extollite manus vestras in sancta*, & *benedicite Dominum*. O si scirent homines quam sanctæ, quam gratæ Deo, quam salutares sint sacræ Vigiliæ; non soli Monachi, & alii Ecclesiastici, sed & fideles singuli, simul in unum dives, & pauper noctem verterent in diem nocturnis precibus summo studio insistentes. Ut vivas igitur, vigilia: hoc age, inquit Horatius *m*. Et Cassiodorus *n*, Quotidie triumphas, si benè vigilas. Nestor item apud Homerum *o* sic suos hortatur ad vigilandum.

*——— Vigilate viri, atque insistite curæ,*
*Ut facitis, somnumque oculis arcete nocentem,*
*Rebus in afflictis sævo ne forsitan hosti*
*Ludibrium, risumque ineuria nostra pararit.*

Proverbium Græcorum est ἐν νυκτὶ βουλή. In nocte consilium: ad quod Suidas *p*, & Clemens Alexandrinus *q* respicientes noctem vocarunt εὐφρόνην, quod bene provideat, quoniam anima tunc cessans à sensibus convertitur ad seipsam, & est magis prudentiæ particeps. Præclarè Cyrill. *r* Hierosolymitanus; Quid nocte ad sapientiam utilius? nam in ea sæpè de Deo cogitamus: in ea divinorum oraculorum lectionem, & contemplationem meditamur. Quandonam majori mens nostra contentione psalmos canit, & preces fundit? nonne noctu? Quandonam sæpius ad nostrorum peccatorum recordationem venimus? nonne noctu? Helladius Bezantinous apud Photium *s* noctem, quæ græcè νύξ dicitur, à νύσσω id est stimulo, dictam per apocopen arbitratur, stimulamur enim in tenebris offendentes; & ut Antiochus *t* Monachus in Pandectis asseverat: Si in observandis excubiis attentè, ac prudenter vigilaverimus; vulnere atrocissimo consauciabimus adversarium. Docet Climacus *u*, nequissimos hostes mille nocendi artibus instructos vigilare in exitium nostrum, ut somnolentiâ nos opprimant, & oppugnent: At Vigilia, inquit Antiochus *x*, scutum miræ magnitudinis est, & eleganti decore conspicuum nobis indultum à Deo adversus diabolum ejusque milites, nimirùm contra spiritus totius artifices malignitatis. Ipsimet Angeli, ut observat Hieronymus *y*, vigiles nuncupantur, quod semper vigilent, & ad Dei imperium sint parati. Unde & nos, ait ille, crebris pernoctationibus Angelorum imitamur officia. Quod si institores aurifices, ut docet S. Cæsarius *z*, maturiùs vigilant, quatenus possint corporis necessaria providere: nos non debemus ante lucem ad Ecclesiam surgere, ut peccatorum indulgentiam mereamur accipere? Verùm in hanc sententiam super aurum, & topazion pretiosa verba Ravennatis Archiepiscopi *a* audiamus. Semper, & ad omnia vigilias esse salutares nullus ignorat, quia reverà plus vigilare, plus vivere est. Quæ ars, quod opus, quod tempus, quæ potestas, quod officium non vitæ lucra lucubratione perquirit? Rex in procinctu pervigil callidi hostis præcavet, & evitat insidias. Miles in castris supervenientes nocturnos impetus cautâ pernoctatione propellit. Nauta vigilando diffusi itineris incertas vias intrat, & calles transit invios, & vestigio furtivo ad lucrosi portus votivam pervenit mansionem. Pastor adjungit

f *Genes.* 22. 28. g & 32. h *Exod.* 12. i 1. *Reg.* 15 k *Iudith.* 12. l *Psal.* 6. 118. 21. 76. 104. 138. 133. m *Horat. lib.* 2. *sat.* 3. n *Cassio. lib.* 7. *var. ep.* 8. o *Homer. Iliad.* 16. p *Suid. v.* νύξ εὐφρόνη q *Clem. Alex. lib.* 4. *strom.*

r *Cyrill. catech.* 9. s *Photius cod.* 279. t *Antioch. hom.* 104. u *Climac. gr.* 18. & 19. x *Antioch. loco citato.* y *Hieron. in cap.* 4. *Daniel.* z *Cæsar. hom.* 33 a *Chrysolog. serm.* 24. *de servo vigili.*

git noctes diebus, & totum sibi tempus denegat dormiendi, ne qua lupis, suffragante somno, grassandi in gregem præbeatur occasio. Viator solers per auras noctis æstus solis prævenit, actumque diem providentius deputat mansioni. Hoc Propheta sciens non die solo, sed & nocte totâ clamabat ad Dominum: *Domine Deus salutis meæ in die clamavi, & nocte coram te.* Quid plura? Ipse Dominus pernoctat in oratione Dei, ut ante nos oratione liberet, quàm redimat Passione. Et si pro servis Dominus vigilat, merito pro seipsis servos vigilare jubet. Hæc Chrysologus.

4. O superna claritas, lumen verum, æterna lux, væ cœcitati meæ, væ tenebris meis, ni tu descendens illumines noctem meam. Væ torpori meo, væ somnolentiæ meæ, quæ caligare facit oculum mentis meæ, ut non videat lucem tuam, & veritatem tuam. Dormitavit anima mea præ tædio, & involvor in tenebris filius tenebrarum ambulans ad tenebras in loco tenebroso, nisi tu desuper intonans in virtute tua dicas in auribus meis, Fiat lux, & discedat nubes magna, & caligo tenebrosa, quæ operuit superficiem cordis mei. *Anima mea desideravit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te* [b]: Audivi enim vocem tuam per Prophetam præcipientem mihi [c]; *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini, leva ad eum manus tuas.* Et dixi, *ubi est Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte* [d]? Verè enim Domine tu dedisti carmina in nocte, ponens in ore meo cantica lætitiæ, & exultationis, qui me de tenebris & umbra mortis eduxisti, & vocasti me in admirabile lumen tuum. Væ præteritæ nocti meæ, væ somnolentiæ meæ, quando dormiebam, & non vigilabam ad te. Et nunc gratias ago tibi, quoniam illuminasti me, & jam incipio videre in nocte fulgentissimum radium lucis tuæ, quæ nescit occasum. Tu radians in me potenti virtute reverberâsti infirmitatem aspectus mei, & vidi me longè esse à te in regione dissimilitudinis, in tetrica & horribili nocte. Illuminâsti tenebras meas, & ecce video lumen cœli, & facta est mihi nox in deliciis, utinam vigilando inveniam, quod amiseram dormiendo, inveniam scilicet amando, amem inveniendo.

b *Isaiæ* 26. 9. c *Thren.* 2. 19. d *Iob.* 35. 10.

## §. II.

*Laudes vigiliarum. Exempla vigilantium. Nocturnum tempus maximè opportunum ad orandum.*

1. DIvo Bernardo familiare dictum erat, dormientem Monachum Deo mortuum esse, nec sibi, nec aliis utilem. Idem de reliquis hominibus cujusque ordinis & conditionis asseverat Plato [e]. Turpe est, inquit, totam noctem somno indulgere. Quapropter noctu omnes excitari convenit; & civilium, ac domesticarum rerum pleraque partes obire: magistratus quidem per civitatem, cæteros in propriis ædibus. Somnus enim multus neque corporibus, neque animis nostris, neque actionibus competit. Nemo enim dum dormit ullius pretii est, nihilo magis quam qui non vivit. Quare quisquis vitæ & sapientiæ curam gerit, plurimo tempore vigilat, quod ad valetudinem suam commodum est solum observans. Est autem hoc non multum, si rectè in consuetudinem assumptum fuerit. Hanc magistri doctrinam sequitur Aristoteles [f]: Ante lucem surgere ad valetudinem, & ad curam rei familiaris, & ad studium Philosophiæ prodest quamplurimum. His accedit Romanus sapiens [g]: Extendamus vitam, circumscribatur nox, & aliquid ex illa in diem transferatur. Docet Pythagoras [h], ne vestigium quidem corporis in lecto relinquendum: nullus enim est usus viri dormientis, ut neque mortui. Silius Italicus [i] de eadem re sic cecinit:

*——— Vigil ille, nec ullam*
*Ad requiem facilis, credensque abscedere vitæ,*
*Quod sopor eripiat tempus.*

Homerus & Hesiodus frequentissimi sunt in vigiliarum laudibus celebrandis, Cleanthis, & Aristophanis lucernæ toto orbe decantantur. Aristoteles, teste Laërtio [k], cum se ad quiescendum componeret, grues imitatus æneam sphæram extra cubile protenso tenebat, ut cum nervorum rigorem sopor laxasset, pila delapsa in suppositam pelvim strepitu suo



e *Plato* 7. *de leg.* f *Aristot. in œconomicis.* g *Seneca ep.* 122. h *Pythag. in Symbolis.* i *Silius lib.* 13. k *Diog. Laërtius in Aristotele.*

dormientem excitaret. Simile quid de Alexandro Macedone ejus discipulo narrat Ammianus Marcellinus *l*. Artaxerxem, Epaminondam, & alios eximios Duces semper vigilantes describunt Historici. Virgilius Æneam suum aliis dormientibus vigilantem facit.

*At pius Æneas per noctem plurima volvens.*

Etiam filios Imperatorũ Constantinopoli vigilias servasse refert Gorgius Codinus *m* Curopolata libro de officiis magnæ Ecclesiæ, & aulæ Constantinopolitanæ. De Principe oratorum Demosthene celeberrimum circum fertur elogium quod plus olei, quam vini consumeret: non solùm quia abstemius erat, & ὑδροπότης, sed quia fabros omnes antelucanis vigiliis superabat: quare Pytheas, ut Plutarchus *n* asserit, ipsius Enthymemata lucernam olere dicebat. Et Cicero *o* in Tusculanis; Cui non sunt auditæ, ait, Demosthenis vigiliæ? qui dolere se ajebat, si quando opificum antelucanâ victus esset industriâ. Dio Cassius, & Joannes Xiphilinus monachus narrant in vita Commodi, quemdam Marcellum Strategum & assiduo scribendi exercitio, & victus tenuitate tantam sibi vigilantiam comparasse, ut omnibus esset admirationi. Plinius, & Seneca scribunt, tribus annis integris insomnem permansisse Mecœnatem. Joannes Schenckius *p* in medicis observationibus compertos esse scribit, qui novem dies connivis oculis egerint. Nizolius ille Ciceronianus decennio somnum non vidit. Nobilis matrona per annos 35. insomnis fuit sana, & citra noxam. Mulier Patavina 15. diebus insomnis nullâ re ad somnum perduci poterat. Hæc Schenckius. Addi potest S. Liduuina, quæ per annos 38. nunquam dormivit. Sed hæc prodigii, monstrique loco habenda sunt. Ut enim scribit Theophylactus Simocatta, perpetuo vigilare immortalitatis est proprium, dormire verò mediocriter nostrum est, & humanum; at ultra dormire quàm satis est, mortuis potiùs, quàm viventibus convenit. Notabile est quod S. Epiphanius *r* refert de studio vigilandi, quo Pharisæi utebantur. Nam quidam eorum, ait, asseres sibi ipsis parabant dodrantis tantùm latitudine, in his se ad vesperam locabant, ut si quis dormisset, in pavimentum decideret, & rursum excitaretur ad orationem, per hoc quod vigilantem vitam haberent, quantum fieri posset. Alii lapillos ex aquis collectos sibi ipsis sternebant, ut, dum his pungerentur, non in profundum somnum deferrentur, sed vigilantiam sibi ipsis parare cogerentur. Alii spinas prostrato habebant ob eamdem causam.

2. In Proverbium abiere versus Homeri *s*.

*Perpetuam noctem dormire haud principe dignum est,*
*Cui populi, cujus commissa negotia curæ.*

Quos Oppiani *t* Commentator, sive Scholiastes ita eleganter mutavit:

*Non debet somno totas impendere noctes,*
*Cui libri commissi, & cui sapientia curæ est.*

Scopeliano more vigilare adagium est, cui locum fecit Scopelianus Sophista somni parcissimus *u*. Hic solitus est exclamare: ô nox, nam tu sanè maxima ex parte consors es sapientiæ Deorum. Habet enim hominis mens in alto silentio quidpiam Divinitatis, si se intendat ad rerum sublimium speculationem. *Mandavit enim Dominus*, ut Vates divinus cecinit *x*, *in die misericordiam suam*, opera scilicet vitæ activæ: sed *in nocte canticum ejus*, opus videlicet contemplationis. Hinc præclarissimos quosque homines quotquot doctrinâ vel sanctitate floruerunt, vigilantiæ maximoperè studuisse adeò manifestum est, ut eorum exemplis plura volumina impleri possint. Notissimæ sunt magni Antonii pernoctationes, dulcesque cum sole querimoniæ, quod eo exoriente amabilis cum Deo lucta cessaret, & internæ suavitatis manna liquesceret. Theophilactus *y* Bulgariæ Archiepiscopus; Nocte ait, secedebat Christus ad montem, monstrans nobis quod oporteat nocte quidem per quietem colloqui cum Deo, die autem morem gerere, & prodesse hominibus: congregare nocte, die autem distribuere congregata. Nocte igitur accipiamus orationis fluxum è spiritualibus venis, die verò effundamus hausta his, qui opus habent. Phornutus *z* libro de natura Deorum; Opus est, inquit, lucubrationibus nocturnis, si quid in disciplinis proficere volumus: omnia enim præclara, ut testa-

*l* *Amm. Marcellin. lib.* 10. *&* 16. m *Codinus cap.* 16. n *Plutarch. in vita Demosth.* o *Cic. Tusc. l.* 4. p *Schenck. tom.* 1. *lib.* 1. *observ.* 125. q *Simocatta ep.* 55. *nomine Parmenidis ad Chrysosthenem.* r *Epiphan. lib.* 1. *Panar. cap.* 16.

*s* *Homer. Iliad.* 2. t *Schol. Oppian. l.* 5. *Halieuticon. v.* 616. u *Philostratus in vitis Sophistarum.* x *Psalm.* 41. y *Theophil. in c.* 21. *Lucæ.* z *Phornut. de nat. Deor. c.* 14.

testatur Epicharmus, melius noctu, quam diu cogitando reperiuntur. Usq; adeò necessaria vigilantia est, ut sine illa nullum opus laude dignum confici possit. Sapienter Comicus [a]:

*——— ——— Vigilare decet hominem,*
*Qui vult sua tempori conficere negotia,*
*Nam qui dormiunt libenter sine lucro, & cum malo quiescunt.*

Pastor ille centoculus, quem deceptum à Mercurio fingunt Poëtæ, cùm vigilare desiit desiit vivere. Vellus aureum insomnis Draco servabat, ut Apollonius Rhodius, & Valerius Flaccus in Argonauticis fabulantur. Aurea poma in hortis Hesperidum pervigil quoque Draco custodiebat. His nimirùm figmentis docuerunt Antiqui sine vigilantia nullum animi bonum servari, nullam posse virtutem custodiri. Leo fortissimus bestiarum, ut fortitudinis, sic & vigilantiæ symbolum ab Horo [b] Apolline dicitur esse, quia minimo somno contentus etiam apertis oculis dormire videtur. Quid gallum memorem leonis hostem, quod magis solaris sit, teste Proclo [c]; Hunc, ait Plinius [d], excitandis in opera mortalibus, rumpendoque somno naturam genuisse. Ejus autem exemplo hortatur nos ad vigilandum Petrus Chrysologus [e]: Ut quod nobis gallus impendit hospitibus, nostro nos Creatori exhibeamus.

3. Occurrit hîc mihi, quod de Pantarba narrat Hiarchas apud Philostratum Lemnium [f]. Lapis est pulchritudine insignis, & virtute admirabilis; ardet enim suavi quodam fulgore, & radiis perstringens oculos, diem, vel mediâ nocte accendit. Verùm natura, ne tam pretiosum munus vilesceret, non modò occultis terræ visceribus abdidit, sed quamdam quoque facultatem indidit, qua ex capientium manibus effugeret, n provida ratione teneretur. Hæc omnia nocturnæ orationi mirificè conveniunt. Si lux quæritur, quid illustrius? & nox sicut dies illuminabitur. Si latebræ, quid occultius? hæc est enim multitudo dulcedinis, quam abscondit Deus timentibus se. Si vis, quid potentius? *Qui vigilaverit*, ait Sapiens [g], *securus erit & inveniet sapientiam*. Habent terreni Principes certas horas audiendis subditis, eorumque supplicationibus expediendis destinatas: Deus autem, tametsi audiat omni horâ clamantes ad se, nocte tamen promptior esse videtur ad audiendum de qua forsitan scriptum est: *Orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno* [h]. Media nocte venit Sponsus, & qui posuit tenebras latibulum suum, in tenebris quæri vult, & in tenebris se ostendere. Ad immolanda enim orationum sacrificia, ut scribit Faustus Regiensis [i], amica sunt fruentibus nocturna silentia. Nam si omne tempus æquè idoneum est ad quærendum in oratione Deum, Quare dicit Propheta [k], *Quærite Dominum dum inveniri potest*? vis autem scire quanta sit noctis opportunitas ad quærendum, & inveniendum? Audi Bernardum [l]: Tempus feriatum commodius, aptiusque est, cùm profundum nocturnus sopor indicit silentium. Tunc planè liberior exit duriorque oratio. Quam secura ascendit solo arbitro Deo, sanctoque Angelo, qui illam superno altari suscipit præsentandam! Quàm grata, & lucida verecundo colorata rubore! Quàm serena & placida nullo interturbata clamore, vel strepitu! Quàm denique munda, atque sincera, nullo respersa pulvere terrenæ solicitudinis: nullâ aspicientis laude, seu adulatione tentatâ! O insignem nocturni temporis prærogativam! ô sacras noctes omni luce splendidiores.

a *Plautus in Rudente act. 4. sc. 2.* b *Horas lib. 1. hierogl. 18.* c *Proclus lib. de Magia.* d *Plin. l. 10. c. 21.* e *Chrysolog. serm. 21.* f *Philostratus vitæ Appol. lib. 3. cap. 14.* g *Sap. 6. 16. & Proverb. 8. 18.* h *Psalm. 31.* i *Faustus epist. ad Felicem.* k *Isaiæ 55. 6.* l *Bernard. serm ult. in Cant.*

## METRUM VII.

O Nox purpureo splendidior die,
O Nox delitiis omnibus affluens,
O Nox, quæ radios prodiga cœlicos
Spargis divite copia.
Huc te fer tacito, cœrula nox, pede,
Nox duris requies grata laboribus:
O curas animi, diraque comprime
Tristis murmura pectoris.
Jam non Thessalicis diceris artibus
Præses, vel scelerum mater, & horridi
Inferni soboles, Eumenidum parens,
Altrix fœda cupidinum.
Hæc de te veterum fabula finxerit:
At nunc Angelici conscia luminis,
Nunc solis rutilâ luce serenior
Nigris in tenebris nites.
Tu nunc paciferum mentibus otium
Infundens superum munera dividis;

*Te nunc sollicito quærit anhelitu*
*Sanctis ustus amoribus.*
*O Nox connubii pronuba mystici,*
*Consors æthereæ nox sapientiæ,*
*Cujus per tenebras sol novus emicat*
*Sponsi vultus amabilis*
*Salve, & cum patriæ perdita gaudia*
*Mœrens hic recolo, præcipitem polo*
*Cursum ne acceleres. Da veniam, tua*
*Si nunc turbo silentia.*
*Urit sidereæ me patriæ decor,*
*Cum fulget tenero Cynthia lumine,*
*Urit me nitidis pervigil ignibus*
*Stellati tholus ætheris.*
*O celsi placidas excubias poli,*
*O noctis choreas, ô tremulas faces,*
*O veras superæ lucis imagines*
*Æterni thyasos chori.*
*Cur me jam nimio tempore corporis*
*Vinctum compedibus cernitis exulem?*
*Heu! terrena nimis desipiunt mihi,*
*Si summum intueor polum.*

## §. III.

*A Sectariis damnari Vigilias. Quota hora nocturna synaxis persolvi debeat. Somnus post vigilias Monachis interdictus, & cur? Oratio ad Deum ut excitet nos.*

1. HAs noctis delitias, hunc splendidissimum fulgorem carnalis, & obscura Sectariorum cœcitas sustinere non potest, eorum præsertim, qui à quibusdam somniculosi, ab Isidoro [m] Nyctages nuncupantur. Irrident enim, & damnant impudenti temeritate nocturna sacra, sicut & alios Ecclesiæ ritus, superstitiosum esse dicentes jura temerare divina, quæ noctem ad quietem tribuerunt. Horum antesignanus fuisse videtur sui nominis everſor Vigilantius, quem D. Hieronymus [n] confutat, & per jocum Dormitantium appellat. Hujus hæresim ab inferis revocavit Joannes Wicleff, contra quem stetit murus æneus, & columna ferrea pro domo Dei Thomas Waldens. [o] fidei Catholicæ eximius propugnator. Recentiores omitto, qui ventrem pro Deo colentes, non solùm nocturnas vigilias, sed ipsam Dei legem gravem, & intolerabilem existimant. Quamvis autem, teste Phœbadio Agennensi Episcopo [p], destruenda sint aliena, ut nostris credatur; hi tamen à viris doctissimis toties victi, ac debellati fuerunt, ut nequaquam expediat, aut necessarium sit novum cum illis certamen inire: cum præsertim verissimum sit, id quod olim Sanctus Irenæus [q] scripsit, universæ terræ elleborum non sufficere hæreticis, ut evomant stultitiam suam. Atque utinam istorum pervicaciam, & mollitiem, etiam inter Catholicos, & Orthodoxos non imitentur quidam, qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt. Polidorus Virgilius [r] Scriptor in plerisque futilis, ac temerarius nocturna sacra semper fuisse damnata tradidit ob periculum impudicitiæ. Sed error tam supinus exsibilari potius debet, quàm confutari. Quod enim frequentius exercitium, quæ magis vulgata pietas in primis Christi cultoribus, quam sacræ pernoctationes & pervigilia, ad quæ passim utriusque sexus fideles in Ecclesia convenisse sancti Patres, & Historiographi commemorant? Lego quidem in Concilio Eliberino [s] sub Marcello primo, tertio post Christum sæculo, vel ut alii malunt, sub Silvestro, vetitum, ne fœminę in cœmiteriis pervigilarent, eò quod sæpè sub obtentu orationis scelera latenter committerent. At sublatas ab Ecclesia vigilias apud antiquos Scriptores nusquam lego. Nunc autem in hac senescentis sæculi fæce, refrigescente charitate, sublatæ sunt quoad laicos vigiliæ: cujus tamen Pontificis decreto hoc factum sit, non invenio. Tomo tertio Conciliorum [t] editionis Colonienſis extat de hac re canon Concilii Palentini, quod in Hispania celebratum est anno 1322. sed quia Oecumenicum non fuit, universalem Ecclesiam obligare non potuit. Fictus Auctor [u] sermonum ad fratres in eremo, S. Ambrosium hortatu S. Monicæ vigilias abstuliſse ait, quod plurimi Christianorum illud noctis tempus ludendo, ac choreas agendo traducerent. At hi sermones nullâ fide digni sunt, & perperam adscribuntur Augustino, multum licet reclamantibus quibusdam, & ex ipso Augustino libro 9. Confessionum liquet, eo tempore propensiori studio iisdem vigiliis Orthodoxos incu-

m *Isidor. lib. 8. orig. cap. 5.* n *Hieronymus epist. 53.* o *Thomas Waldensis tom. 3. de Sacramental. tit. 2. cap. 25. & seqq.*

p *Phœbad. initio lib. adv. Arianos.* q *Irenæus l. 2. cap. 58.* r *Polid. Virgil. de inv. rerum l. 6. c. 4.* s *Concil. Elib. can. 35.* t *Tom. 3. Conc. pag. 2.* u *Ad fratres in eremo serm. 25.*

incubuisse, occasione Arianicæ persecutionis: imo in Africa etiam cytharæ introductæ fuerant, & additæ sacris hymnis, quas tamen se agente pulsas scribit Augustinus *x*.

2. Olim Christiani tribus primis vigiliis tres nocturnos divisim, quarta verò vigilia laudes recitabant. Tantus erat ardor charitatis, ut quater in nocte surgerent ad orationem, prima vigilia ad primum nocturnum, secunda ad secundum, tertia ad tertium, quarta ad laudes persolvendas, vel omnes simul, vel divisi in cohortes: de quare legendus D. Thomas *y* in Epistolam primam ad Corinthios, Baronius *z* tomo primo Annalium, Suarez *a* tomo secundo de religione, & doctissimus Francolinus *b*. Nunc tres Nocturni simul cum laudibus recitantur, & quidem à multis Religiosis mediâ nocte, ab aliis prima vigilia, ab aliis tertia circà galli cantum: à Clericis autem sæcularibus circà finem quartæ vigiliæ matutinæ. Monachi verò sub Regula Sancti Benedicti *c* militantes aliis ritibus utuntur. Sanctus enim Pater annum dividit in duas partes, æstivam scilicet à Paschate usque ad Calendas Novembris; & hyemalem ab ipsis Calendis usque ad Pascha. Tempore æstivo ita præcipit horam vigiliarum temperari, ut nocturnis decantatis incipiant matutina crepuscula: ita quod parvissimo intervallo post Nocturnos custodito mox matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur. At hyemis tempore juxtà considerationem rationis. Octavâ, inquit, horâ surgendum est, octavâ nimirùm planetariâ, & inæquali. Quæ sanè octava expleta esse debet, ut explicat Smaragdus *d* Abbas Scriptor fide dignissimus, quod Monastici spiritus purissimos latices in ipso fonte potârit. Ejus verba sunt ista: Hora septima noctis tota, & octava dimidia pulsato signo omnes pariter surgant, & sic illa quæ restat dimidia hora de octava inter signorum explicetur intervalla, ut ab hac hora nona noctis inchoetur Psalmi laus ipsa nocturna. Talis mihi videtur esse sensus positus, ut post sex horas noctis pausetur adhuc septima tota, & octava hora dimidia: & intervallo signorum facto quasi hora dimidia incipientes à nona hora noctis, alacres animo, & corpore non pigro divinæ laudis officium reddant Domino Jesu Christo. Hactenus ille. Ex quo redarguere possumus neotericum Benedictinæ Regulæ explicatorem Antonium Perez *e* cæcutientem hoc loco in hujus octavæ horæ explicatione. Porro hæc hora noctis octava ferè coincidit cum secunda post mediam noctem horologii astronomici, quo Galli, Hispani, & Plerique Germanorum utuntur. Et hanc esse horam competentem nocturni officii decantandi, circà finem videlicet tertiæ vigiliæ, probat Francolinus ex communi Doctorum sensu, & ex antiqua consuetudine Ecclesiæ Romanæ. Basilius Monachus *f* Lauræ Maleini præfectus; Auditâ inquit, horâ octavâ surgendum est: hunc terminum transilire Monachos non decet. Nec obstat huic assertioni illud Psalmographi: Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi. Media enim nox non mathematicè, sed moraliter: non per æqualem terminorum distantiam, sed per solam intra dictos terminos inclusionem accipi debet. Sanè Chrysostomus *g* vitam Monachorum describens eos ad galli cantum surrexisse asseverat his verbis: Postquam gallus cantavit statim veniens Prælatus, & pede solum simpliciter cædens omnes excitavit, mox statim surgentes stant, hymnos canentes Propheticos multa cum vocis consonantia, cum aptè compositis concentibus. Nec aliter intelligendus mihi videtur Simeon *h* Monachus, quem Græci juniorem Theologum vocant ad differentiam Nazianzeni, dum ait: Oportere Monachum nocte mediâ ante diluculum surgere, ad doxologiam congregari, ad principium Hymnodi e attentum esse, ad Hexapsalmum, ad versiculos, ad lectionem. Nam & hic media nox in latiori significatione accipienda est. Hæc autem assignatio temporis ad publicam pertinet recitationem: nam privatæ aliam esse rationem nullus est qui ignoret. Veteres antelucanam lucubrationem non nisi sub finem Autumni incipiebant, ut ostendit Muretus *i* rei antiquariæ scientissimus. Ita Satyricus *k*:

*Post finem Autumni media de nocte supinum*
*Clamosus juvenem pater excitat: accipe ceras;*
*Scribe puer.*

Ad hunc morem respexisse videtur S. Pater Bene-

*x* *Aug. conc. 1. in Psal. 32.* *y* *D. Tho. in ep. 1. ad Cor. cap. 14. lect. 6.* *z* *Baron. an. 51. nu. 69. & seqq.* *a* *Suarez tom. 2. de relig. lib: 4. c. 4.* *b* *Francolin. c. 1. 2. & 5. & alii apud ipsos, contra Azorium p. 1. l. 10. c. 2.* *c* *Bened reg. cap. 8.* *d* *Smaragd. comment. ad cap. 8. regulæ.*

*e* *Ant. Perez in cap. 8. regulæ.* *f* *Basil. Monachus in asceticis.* *g* *Chrys. hom. 59. ad pop. Ant.* *h* *Simeon. orat. 23. de fide & moribus.* *i* *Muret. l. 18. var. lect. cap. 13.* *k* *Juvenal. sat. 14. vers. 190.*

Benedictus. A sancto enim Paschate, quod circà veris æquinoctium esse solet, usque ad Calendas Novembris, circà finem scilicet Autumni, sic horam surgendi temperavit, ut persolutâ nocturnâ synaxi jam dies illucescat. A prædictis verò Calendis usque ad Pascha tali horâ surgendum esse præcepit, ut corporibus necessariâ quiete jam refectis, quod post vigilias restat tempus, non iteratæ dormitioni, sed rerum divinarum meditationi, sacrisque studiis impendatur.

3. Hoc institutum, ne dormiant Monachi post vigilias, semper antiquis Monachis inviolabile fuit, illudque commendat Cassianus [l] duplici ex causa: Prima ne purificationem nostram nocturnis orationibus acquisitam invidus hostis somni illusione contaminet; Secunda, ne somnus ille inertiam Monacho parturiat, ac per totum diem vigorem ejus obtundat, cordis pinguedinem exhauriat, & debilem reddat eum adversus insidias inimici. Objiciunt pigri Endymiones, se ideò post vigilias somni quietem repetere, ut valetudini consulant, corpusque validum servent diurnis exercitationibus. Verùm hanc ridiculam inertiæ excusationem eludunt Medici, qui & dormiendi spatium septem horis diffiniunt, & longiorem somnum non parùm officere valetudini asseverant. Somnus enim multus, ut monent Hippocrates [m], & Avicenna [n], laxat membra, calorem nativum hebetat, gravat caput, stupidum facit & oblivioſum, multorumque morborum fons & origo censetur. Quidam quoque medicus animarum in vitis Patrum [o] dicebat: Satietas somni mentem, sensumque hominis stupidum, & pigrum reddit, vigiliæ autem tam sensum, quàm mentem subtiliorem ac puriorem efficiunt. Marsilius item Ficinus [p] inter primarios studioſorum hostes somnum recenset matutinum. Quamquàm stultum sit medicorum doctrinam illis proponere, qui carnem suam crucifigere, & animam perdere debent, ut servent. Scriptum est enim, quia *prudentia carnis mors est*: itemque *sapientia carnis inimica est Deo*, &, sapientia Dei *non invenitur in terra suaviter viventium*. Et qui eam invenit, *super salutem*, inquit, *& omnem pulchritudinem dilexi sapientiam*. Hanc quærebat ille Monachus apud Petrum Damianum [q], qui post solemnes vigilias somnolentiâ oppressus hostem vincebat dicens: Accidietur cor, palpitent oculi, os per crebra balaustia gannire non cesset, caput etiam nutet, & ad ima devergat; sed quia hæc omnia me perimere nequeunt, ad consentiendum hujus temporis somno nullatenus superabunt. Sanctus autem Romualdus [r] somnum post vigilias ad eò exosum habebat, ut, si quis ei confiteretur, se illo tempore obdormisse, nequaquàm posset eo die cum ejus licentia sacra Missarum solemnia celebrare. Grodegandus Metensis Episcopus in Regula Canonicorum, quam edidit tomo primo Spicilegii vir C L. Lucas Dacherius capite 15. vetat sub pœna excommunicationis, ne in intervallo post vigilias nocturnas quis dormiat, nisi quem infirmitas cogit, & hoc cum licentia. Christianus Pædagogus rectè nos instituens apud Clementem Alexandrinum [s]; Tædia, inquit, dormitationes, pandiculationes, & oscitationes sunt instabilia animæ fastidia. Non est anima, quæ somno indiget, ipsa enim est semper mobilis, sed corpus, quod quieti traditur, resolvitur, dum anima non amplius corporaliter operatur. Et ideo Deum mente semper versans per continuam consuetudinem corpori vigiliam inferens exæquat hominem Angelicæ gratiæ, vitæ æternitatem ex meditatione vigiliæ suscipiens. Ea porrò intervalla, quæ post nocturnam psalmodiam usque ad ortum diei protenduntur, beatissima vocat Sanctus Abbas Ælredus [t], quia tunc magna fit in cordibus nostris multitudo dulcedinis, suavitas devotionis. Eadem spatia commendans Gilbertus [u] Abbas, exclamat; Deus bone! hora illa noctis quàm sine nocte est, quàm nox illa illuminatio in deliciis! Orationes illæ privatim fiunt, sed privata non petunt. Submissior quidem vox, sed mens intensior, & preces tacitæ multum habent acuminis. Sed quo fortius erubescas, vade piger ad Epicuri sectatores & vel ab ipsis disce vigilantiam;

*Ut jugulent homines surgunt de nocte latrones,*
*Ut te ipsum serves non expergisceris? atqui*
*Si nolus sanus, curres hydropicus; & ni*
*Poscas ante diem librum cum lumine, si non*
*Intendes animum studiis, & rebus honestis,*

*In-*

l *Cass. lib. 2. cap. 13.* m *Hipp. 2. aph. 3.* n *Avicen. 2. & 3 primi.* o *Vitæ PP. l. 3. c. 2.* p *Ficin. lib. 2. de sanit. studiosorum cap. 7.* q *Petr. Damian. lib. 9. ep. 17.*

r *Idem in vita S. Romualdi.* s *Cl. Alexandr. l. 2. Pædag. cap. 9.* t *Ælred. hom. de duob. discip. euntibus in Emaus.* u *Gilbert serm. 23. in Cantic.* x *Horat. lib. 1. Ep. 2.*

*Invidia, vel amore vigil torquebere: nam cur*
*Quæ lædunt oculos festinus demere, si quod*
*Est animum differt curandi tempus in annum.*

Sic canit qui se unum Epicuri de grege fatetur. Verum hujus & aliorum sapienter cantantium, & incantantium carmina aspides surdæ, viles animæ, somni mancipia obturatis auribus aspernantur. Ut enim magnus Orator y ait, Non possunt audire stulti vocem clamantis sapientiæ. Plura de vigilantia Cresolius tomo 2. Anthologiæ cap. 4. Observat autem Petrus Roverius in illustrationibus Historiæ Monasterii Reomaensis num. 34. quod officii cursus ferè ibi peragebatur nocturnis horis ex Regula S. Macarii, nam dicto Matutino meditationi vacabant Monachi usque ad horam secundam, deinde usque ad nonam opus manuum exercebant, more scilicet Ægyptiorum, de quo Cassianus lib 3. instit. cap. 2.

4. Suscita nos Domine, ut vigilemus, & oremus, ne incidamus in tentationem, quoniam tribulatio proxima est, & non est qui adjuvet. Quam citò clauditur oculus, ne te videat, collabitur pes noster in hoc mare magnum, & spatiosum manibus, ubi sunt reptilia, quorum non est numerus, quæ somniorum suorum phantasiis intentam ludificant animam, & trahunt in cor maris, unde non facilis ad superiora reditus est, nisi tu emittas manum tuam de alto, & liberes nos de aquis multis. Suscita nos Domine, ut tecum vel una hora vigilemus, & oremus. Quis autem est qui tecum vel una hora vigilet? Etiam in cœlo non est factum silentium, nisi quasi mediâ hora: quantò minus in terra unâ horâ vigilabimus tecum? Quoties redis ad nos, & invenis dormientes, & tamen benignè suscitas nos, & iterum abis secundo, & tertiò eundem sermonem dicens? Statim autem ut recesseris, iterum somnus occupat nos, nec vigilare possumus, nisi quandiu nobiscum es, & suscitas nos. Venis in secunda, & tertia vigilia; Sed beatus ille, quem tunc inveneris vigilantem z.

y *Demosthenes 1. olynthiaca.* z *Drogo Abbas lib. de Sacram. Dominicæ Passionis.*

## §. IV.

### *Amor vigilare facit. Quomodo vigilandum sit. Quæ sint vigiliæ mysticæ.*

1. VIgilare non potest, qui non amat. Jacob ille, cui tam facilis erat somnus, ut etiam in arena procumbens, duroque silici innixus inter hostium appropinquantium insidias suavi posset sopore demergi, cum tamen amori deditus esset, omnino dormire non poterat, & somnus fugiebat ab oculis suis. Ita quicunque diligit, dormire non potest: quicunque amator sapientiæ est, mane vigilabit ad eam, quoniam qui vigilat, inveniet illam. Vigilias inducit amor, ait Gilbertus a noster, amantis anxietas illum dormire non sinit, somnolentiam excutit. Amor de quiete ipsa redditur inquietior. Tunc magis vires exercet dulce incendium, & flamma vorax de latibulis evadens vacuo liberius evagatur in animo, altius possidens, & avidius depascens. Occasione accepta suum nescit amor non exercere negotium. Verus enim, & perfectus amor, ut Laurentius Justinianus b docet, semper studet prævenire dilectum, non parcit sibi, non corpori requiem, non somnum oculis, non præstat palpebris dormitationem. In sui latitudine corporis corporales quæritat latebras, fugit publicum, hominum consortia devitat, notorum facies declinat, ut licentius suspiriis, gemitibus inerrabilibus, singultibus, & quibusdam amoris nutibus suum, quem diligit, valeat advocare dilectum.

## METRUM VIII.

*SVrgit amor, jactatque faces, & spicula vibrat,*
*Mergit ut æquoreis lumina Phœbus aquis.*
*Cumque serenato lucescunt sidera cœlo,*
*Cæcaque nocturno frigore terra riget:*
*Tunc amor arcanis populatur viscera flammis,*
*Pectora tunc rapidis ignibus usta calent.*
*Lumine nempè novo nox ambitiosa refulget,*
*Gaudet & occulta luce referre diem.*
*Flammescunt gelidæ tremulis splendoribus umbræ,*
*Et polus æthereâ mittit ab arce faces.*

*Squa-*

a *Gilbert. ser. 8. in Cantic.* b *Laur. Iustinianus de casto connu. Verbi, & animæ cap. 13.*

*Squamigerum ſtupet omne genus, luditque per undas*
*Dum natat in vitreo pendula flamma mari.*
*In tenebris ardens ſcintillat pectus amantis,*
*Nocte vigent flammæ, nocte triumphat amor.*
*Quod ſi ſeſſa juvat componere membra ſopore,*
*Tunc magis ardenti fulminat ille manu.*
*Fulminat, & tantis langueſcunt pectora flammis,*
*Languet ut in calidis floſculus uſtus agris.*
*Nuper nocte meas urebat flamma medullas,*
*Ætnæ non potuit ſævior eſſe rogus.*
*Dumque ardens jaceo, dum langueo multa volutans,*
*Dormio ſub vili tegmine ſtratus humi.*
*Tunc mihi languenti miſit bona ſomnia Numen,*
*Somnia formoſo candidiora die.*
*Conſtitit ante oculos ſpecies veneranda puellæ,*
*E Superum facies prodidit eſſe choro.*
*Induerat Tyrio diſtinctam murice veſtem,*
*Textili & intactas cinxerat igne nives,*
*Stellantes oculi, miſeri duo fulmina cordis,*
*Jactabant rapidos frontis ab arce rogos.*
*Dextera fulgebat viridi ſtellata ſmaragdo,*
*Ornabat niveum plurima bacca ſinum.*
*Prætereo gemina radiantes aure pyropos,*
*Albaque purpureis lilia picta genis.*
*Mitto quod Eois certarent labra coralliis,*
*Et rutilas premerent aurea ſerta comas.*
*Hærebam tantæ pellectus imagine formæ,*
*Fundebamque humiles, ore tacente, preces.*
*Nec mora: jam lacrymas, jam mollia verba parabam,*
*Queis mihi tantus erat conciliandus amor.*
*Illa ſed inſolitas ſpargens furibunda favillas,*
*Hos mihi terrificos edidit ore ſonos:*
*Gloria ſumma poli, ſoboles primæva Tonantis,*
*Non ſoleo ignavos ſacra docere viros.*
*Deliciæ, fateor, mihi ſunt humana propago,*
*Ni inficerent animum, deprimerentque ſolo.*
*Dixi etiam quondam, Nox eſt mea ſola voluptas,*
*Nec niſi qui vigilant me reperire queunt.*
*Nocte micat mea lux, mihi ſidera lumine cedunt,*
*Atraque fit radiis Cinthia victa meis.*
*Ipſe meo fulgens Titan aſpirat honori,*
*Et recreo flamma ſplendidiore polum.*
*Cum mea lux fulget, cum ſpargo per aera flammas,*
*Vertitur in clarum nox tenebroſa diem.*
*Cumque meo humanum perfundo lumine pectus,*
*Dignus homo eſt Superum conditione frui.*
*Vix ea, cum ſubitò tenues dilapſa per auras*
*Aufugit, heu! lacrymis non revocanda meis.*
*Tunc votis fruſtrata ſuis mens excidit, omnis*
*Me virtus liquit, deſtituitque ſopor.*
*Et dixi recolens felicis gaudia ſomni,*
*Solus erit Sophiæ dignus amore vigil.*

2. Verè autem vigil eſt, qui ſoli Deo jugiter vigilat: qui cor ſuum ſedulò præparat ad aperiendum illi quacunque hora pulſaverit. Ideò vigilias noctis cuſtodimus in quatuor partes nocturnum officium dividentes, in tres videlicet Nocturnos, & Laudes, quia, ut obſervat Innocentius Papa [c], munire cor debemus contra quatuor hoſtes animæ, contra fallacias dæmonum, contra verſutias hominum, contra carnales concupiſcentias, contra ſæculares illecebras, ut ſic ſemper parati ſimus, cum vocem ſponſi pulſantis audierimus. Cæterùm vigilat Domino, ait quidam doctus, & pius Scriptor [d], qui ad ipſum de luce fidei, atque veritatis ſuſpirat, & ad ipſum tota intentione ſe tollit. Vigilat Domino, qui omnem animæ, atque corporis beatitudinem in ipſo ſitit habere. Domino ſolum vigilat, qui propter ipſum ſegregatur à mundo, & animæ ſimiliter, & corporis ſolitudinem quærit, & devitat humana conſortia, ne vigilia præpediatur divina. Hoc enim dicebat David orans oratione pauperis, dum ejus anima anxiaretur coram Domino: *Vigilavi, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* Notiſſima eſt illa Domini noſtri exhortatio: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Et quis hoc dixerit, ſcitis, ſcribit mellito calamo Bernardus [e], & tempus ſcitis: Domini enim eſt verbum illud, inſtante Paſſione ſua. Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem, quoniam undique circumdati eſtis tentationibus: unde & legiſtis quia tentatio eſt vita hominis ſuper terram. Itaque ſi tot tentationibus plena eſt vita noſtra, ut non immeritò tota ipſa tentatio debeat appellari, pervigili circumſpectione opus eſt, & oratione, ne inducamur in eam. Ipſa vigilantia omnia reddit facilia, carnem ſpiritui ſubjicit, vitia comprimit, mentem elevat, divini amoris ignem accendit, & nutrit. Nonnè Patres noſtri in cuſtodiendis vigiliis ſupra modum ſoliciti admiranda potius quam imitanda vigilantiæ reliquerunt exempla? Homines erant ſimiles nobis, paſſibles: Unde ergo, rurſum Bernardi [f] mel pro-

c *Innocent. III. ſerm. 3. de Apoſtolis.* d *Simon de Caſſia. lib. 1. de geſtis Salvat. cap. 23.* e *Bernard. ſer. 5. in Pſ. Qui habitat.* f *Idem ſerm. 2. de S. Andrea.*

propino, unde in tanta fragilitate tanta constantia? Unde in hominibus tam spiritualis mens? tam fervens charitas, animus tam robustus? Planè spiritus erat, qui adjuvabat infirmitatem eorum, per quem diffundebatur in cordibus ipsorum fortis charitas ut mors, imò & fortior morte. Cujus ô si & nos participes inveniamur! Eccè enim molestus est nobis pœnitentiæ labor, corporis afflictio gravis; abstinentia onerosa, in vigiliis dormitat anima nostra præ tædio, non ob aliud sanè, quam propter inopiam spiritus. Ipse enim, si adesset, adjuvaret sine dubio infirmitatem nostram. Hæc ille, qui deinde hortatur nos ad quærendum hunc spiritum, ut spiritum suum in nobis augeat, qui jam primitias dedit: & quem per Dei gratiam jam nos habere confidimus, abundantius habeamus. Modus verò quærendi, & inveniendi hunc spiritum, ipsæ vigiliæ sunt. Et quoniam cœpimus inter Bernardi flores spatiari, ad aliam areolam te duco, mi carissime lector. Aude Doctorem inclytum interrogare, ut olim Christum adolescens *g*: Quid faciendo Spiritum sanctum possidebo? Audi nunc respondentem. Custodiendæ sunt vigiliæ noctis super gregem cogitationum, & actionum nostrarum, ut, si in prima vigilia, vel secunda, vel tertia Dominus venerit, paratos nos inveniat. Benè profectò. Nam spiritus ubi vult spirat, & nescis unde veniat, aut quò vadat. Sed quænam sunt istæ vigiliæ, quas custodire debemus?

3. Prima vigilia, ait ille, est rectitudo operis, ut ad hanc quam jurasti Regulam omnem vitam exæquare coneris, nec transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui in omnibus viæ, & vitæ hujus exercitiis, non declinans ad dexteram, neque ad sinistram. Secunda vigilia, puritas intentionis, ut simplex oculus totum corpus lucidum faciat, ut, quidquid feceris, propter Deum facias, & ad locum unde exeant gratiæ revertantur, ut iterum fluant. Tertia est custodia unitatis, ut in congregatione positus voluntates aliorum tuis voluntatibus anteponas, ut non solum sine querela, sed & cum gratia inter fratres maneas portans omnes, orans pro omnibus. His tribus vigiliis ita peractis veniet manè, & videbis gloriam Domini: Veniet dies, quæ melior est in atriis Domini super millia. De quatuor item vigiliis mysticè Claudius Seisellus diffusè agit in libro de triplici statu viatoris p. 2. tr. 2. ubi de singulis earum horis egregiè. Hic fisto: & ad matutinas Laudes edisserendas propero, si prius hoc caput aurea sententia S. Isaaci Presbyteri *h* consignavero, quem utinam omnium Religiosorum cordibus inscribere, imò insculpere possem. Is in libro de contemptu mundi; Noli, inquit, putare ô homo, quod inter omnes operationes Monachorum sit alia, quamlibet sancta, conversatio major vigiliis nocturnis. Monachum perseverantem in vigiliis cum mentis discretione, ne respicias illum sicut carne ferventem. Hoc utique Angelici ordinis opus est, non humanum. Impossibile est autem quod illos, qui semper in hujusmodi continentia versantur, dimittat Deus sine magnis bonis propter eorum vigilantiam. Anima, quæ in vigiliis laborat, & perseverat, quasi Cherubim oculos habet, quibus semper intueatur cœlestem contemplationem. Qui somno obstat, & naturæ violentiam infert, singulisque noctibus preces offert, ille solus novit virtutem. Hæc, & alia plura Sanctus Isaacius, quem de Syriæ partibus ad Spoletanam urbem venisse, ibique mirabiliter vixisse Magnus Gregorius *i* asseverat.

g *Idem serm. 3. in vigil. Nativ. Domini.*

h *Isaac de contemptu mundi cap. 31.* i *Greg. lib. 3. dialog.*

## CAPUT V.

## DE LAUDIBUS.

### §. I.

*An Laudes sint officium distinctum à Nocturnis. Matutini nomen æquivocum. Laudes incipiente crepusculo persolvendæ sunt. Quid sit crepusculum, quæ ejus duratio.*

1. DE matutinis Laudibus verba facturis illud imprimis examinandum se offert. An officium nocturnum ab ipsis Laudibus distinguatur: quod sub aliis terminis quæsitum ab aliis est; An horæ Canonicæ sint septem tantùm, vel octo. Si enim Nocturnos à Matutinis sejungimus, ita ut integram horam per se constituant, clarum est octonario numero preces horarias distribui: sin autem ex utroque officio unum facimus,

septem dumtaxat esse concludimus. In utramque partem multas congerunt auctoritates, & argumenta Franciscus Suarez [a], & Joannes Azorius [b], quos, cùm passim obvii sint, consulat lector. Cæterùm utraque sententia sine lite, & strepitu sic potest conciliari, asserendo videlicet apud Monachos, quibus D. Benedicti Regula sacrosancta est, octo omninò horas supputari, cùm id clarissimè constet ex dictæ Regulæ capite decimo sexto. Integrum caput, quoniam breve est, & controversiam manifestè dirimit, transcribo. Ut ait Propheta, *septies in die laudem dixi tibi.* Qui septenarius sacratus numerus à nobis sic implebitur, si Matutinæ, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completoriique tempore nostræ servitutis officia persolvamus: quia de his horis dicit Propheta: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Ergò his temporibus referamus laudes Creatori nostro super judicia justitiæ suæ, id est Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, Completorio: & nocte surgamus ad confitendum ei. Hactenus Regula, quæ diem juxta vulgi acceptionem determinat à primis ad ultima crepuscula, septemque Officia diei, unum nocti assignat. Hinc apud omnes Monachos nocturnæ vigiliæ propria oratione concluduntur; atque etiam apud plerosque Laudes à Nocturnis, & tempore separantur, & distincto æris campani sonitu significantur. At verò secundùm consuetudinem Romanæ Ecclesiæ septem sunt horæ Canonicæ, quoniam nocturnæ preces simul cum Laudibus conjunctim, & per modum unius decantantur, unica conclusione clauduntur, & in unum rediguntur. Quicquid sit de antiquo ritu ejusdem Romanę Ecclesiæ, quo hæc olim Officia distinguebantur, de quo legi possunt Hugo à S. Victore [c], & Marcellus Francolinus [d]. Imò antiquitus plures fuisse quàm octo Divinæ Psalmodiæ horas constat ex his, quæ diximus supra. Si enim tres Nocturni tribus vigiliis seorsim dicebantur, ut præter Auctores citatos S. Columbanus in Regula clarissimè ostendit, patet sanè non octo, sed decem distinctis horis ad Dei Laudes decantandas Clericos, & Monachos convenisse. Verba autem S. Columbani [e] hunc morem explicantia hæc sunt. Quidam Catholi reperiuntur, quibus idem est Canonicus duodenarius Psalmorum numerus, sive per breves, sive per longas noctes, sed per quaternas in nocte vices hunc Canonem reddunt, ad initium noctis, ad mediumque ejus, pullorum quoque cantus, ac matutinum: qui cursus sicut in hyeme parvus aliis videtur, ita in æstate satis onerosus, & gravis invenitur, dum crebris in noctis brevitate expeditionibus non tam lassitudinem facit, quàm fatigationem.

2. Quia verò matutinæ Laudes à quibusdam conjunctim cum Nocturnis, ab aliis separatim recitantur: hinc factum est, ut matutini nomen æquivocum sit. Accipitur aliquando pro Solis Nocturnis à Laudibus separatis, quæ acceptio erronea est, & nullo modo admittenda. Quæ enim conventio lucis ad tenebras, ut nocturnæ orationes Matutini nomine insigniantur? Accipitur secundo pro aggregato ex Nocturnis, & Laudibus, quatenus in unum coaluerunt, quæ acceptio vulgatissima est, & communi Scriptorum calculo approbata; non falsa, non abusiva, ut contendit Radulphus Tungrensis [f]. Accipitur tertiò pro solis Laudibus, qua acceptione, cùm sit maximè propria, perspicuitatis gratia nos deinceps utemur. Hujus rei monitum lectorem volui, ne vocis ambiguitate laboraret. Porrò hoc officium incipiente diei crepusculo persolvi debet. Est autem crepusculum tempus medium inter diem clarum, & noctem obscuram:

*Quod teneat lucis, teneat confinia noctis:* [g]

Quasi crepera, id est dubia lux. A crepusculo enim, teste Varrone [h], res dubiæ dictæ sunt creperæ, accepto à Sabinis vocabulo, quod crepusculum diesne sit, an nox, multis est dubium. Cum sit igitur medium inter diem, & noctem, ob affinitatem, quam habet cum utroque, & diei, & nocti adscribi potest. Nos tamen cum Mathematicis crepuscula nocti attribuimus, diem à primo Solis aspectu supra finitorem ad ejusdem occasum definientes. Memini me olim legisse, quod hic prætermittendum non sit, crepusculum, apud quosdam, illud dumtaxat tempus significare, cùm noctescere incipit: manè verò diluculum dici. Adam de Persenna Ordinis Cisterciensis Abbas, sermone de partu Virginis, loquens de extrema judicii

a *Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 6.* b *Azor 1. p. lib. 10. cap. 1. qu. 1.* c *Hugo Vict. lib. 2. de Eccl. offic. cap. 2.* d *Francolin. cap. 6.* e *Columban. in Regula cap. 7.*

f *Radulph. lib. de Canonum observ. prop. 14.* g *Ovid 7. Metam.* h *Varro lib. 2. de lingua Latina.*

dicii die; Nescimus, ait, utrum dies illa nobis futura sit lucis æternæ diluculum, an, quod Deus avertat, crepusculum æternæ noctis. Sed hæc distinctio à Scriptoribus communiter negligitur: confundunt enim crepusculum cum diluculo. Legendus Suidas verbo ἕωθεν, & ἀμφίχυκτα itemque Julius Pollux [i] in Onomastico. Lactatius, sive Lactantius Placidius [k] ad hos versus Statii Papinii.

*Sed nec puniceo rediturum crastina cœlo*
*Promisere jubar, nec rarescentibus umbris*
*Longa repercusso tinuere crepuscula Phœbo.*

Crepusculum, inquit, dicitur, quod inter finem diei est, & exordium noctis: unde & decrepiti senes dicuntur jam propè occasum salutis, & initium mortis: utrumque enim tempus ostendit & diei initium, & extremum noctis. Ovidius [l]:

*Qualia sublucent fugiente crepuscula Phœbo,*
*Aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies.*

Calfurnius Siculus [m].

*Sed fugit ecce dies, revocatque crepuscula vesper.*

Rutilius Rumantinus Gallus [n], ille hostis Monachorum:

*Roscida puniceo fulsere crepuscula cœlo,*
*Pandimus obliquo linteа flexa sinu.*

Nos communem scribentium usum sequimur, dicimusque matutina, & vespertina crepuscula. Et Matutina sanè, de quibus nunc sermo est, quando incipiant, explicant Astronomi libro de crepusculis, & ad sphæram Joannis de Sacrobosco [o], & in libris de fabrica, & usu Astrolabii. Fingunt isti lineam crepusculorum distantem aliquot gradibus ad Horizonte, in qua existens Sol primos lucis radios spargere incipiat. Quamvis autem scripserint aliqui prædictam lineam distare ab Horizonte gradibus 30. Communis tamen sententia non nisi per 18. gradus talem distantiam diffinit, qui gradus 18. sumi debent in portione alicujus arcus, qui dividat finitorem ad angulos rectos sphærales, & procedat ad punctum oppositum Zenith, ut vocant, sicut Meridianus, & alii circuli verticales, quos Astronomi Arabica nomenclatura Azimuht appellant. Hujus rei demonstrationem omitto, ne commune vulgi proloquium extra chorum saltantem irrideat. Legant curiosi Christophorum Clavium [p] lib. 1. Gnomonices.

3. Incipiunt hæc prima lucis rudimenta, cùm Sol incipit tangere eam lineam, quam diximus distare ab Horizonte gradibus 18. Durant quamdiu Sol in dictis gradibus conficiendis immoratur. Et quidem in sphæra recta, in quæ uterque polus Horizontem contingit, & circulus æquinoctialis super verticem capitis directè imminet, eos gradus conficit spatio integræ horæ æquinoctialis, & quintæ insuper partis alterius horæ. At in sphæra obliqua, in qua unus polorum mundi supra Horizontem elevatur, alter infra deprimitur, semper horam unam, & quintam partem horæ excedit, prout sphæra magis, vel minus obliqua est: nam quo magis attollitur polus supra Horizontem, eo tardior est Sol in 18. gradibus percurrendis, ita quod non solum per multas, sed etiam per dies, per mensem, & amplius durent crepuscula. Sphæram rectam sortita est magna pars Africæ, & Indiæ Occidentalis, Insulæ item Moluccæ, Taprobana, Divi Thomæ. Sphæræ obliquæ subjecta est Europa, major pars Africæ, & tota Asia. In his Italiæ Provinciis, in quibus polus elevatur gradibus 45. existente Sole in principio Cancri tam matutina, quàm vespertina crepuscula, quæ semper æqualia sunt, durant circiter spatio duarum horarum cum dimidia. Sic dies juxta vulgi acceptionem computata à primo puncto, quo minima quædam, & vix modica lux manè circa orientem apparere dignoscitur; usque ad ultimum terminum, quo ejusdem dubiæ, & incertæ lucis fulgor vespere, circa occidentem radios contrahere, & mori conspicitur: hæc dies, inquam, ad vulgi mentem erit in dictis regionibus initio æstualis solstitii horarum ferè 20. Varios autem modos initium, & finem crepusculorum Mathematicè computandi tradunt Clavius [q], Francolinus *, Petrus Nonius Eusitanus [r], Joannes Stofferinus [s], & alii Auctores,

i *Iul. Pollux lib. 1. cap. 7.* k *Luct. Placidius ad lib. 1. Theb. Statii v. 340.* l *Ovid. Amor. lib. 1. Eleg. 4.* m *Calfurn. Eclog. 2. in fine.* n *Rutil. lib. 1. Itinerarii v. 277.* o *Io. de Sacrobosco sphær. cap. 3.*

p *Clavius lib. 1. Gnomon. prop. 35.* q *Clavius lib. 1. Gnomon. prop. 35. & digress. de crepusc. in posteriori sphæræ editione.* * *Francolin. c. 95. & 99.* r *P. Nonius in insigni tract. de Crepuscul.* s *Stofferin. parte 2. Astrolab. prop. 11.*

res, qui de sphæra, de re gnomonica, & de usu Astrolabii scribunt. In iis autem regionibus, in quibus vel tota nocte clarescunt crepuscula, vel contingunt noctis continuæ per plures Solis circumlationes, initia, & fines dierum pro celebrandis divinis officiis assignari facilè poterunt ex linea meridiana, & consequenter ex quatuor punctis, sive cardinibus, in quibus existens Sol ortum, & occasum, meridiem, & mediam noctem facere dicatur singulis spatiis 24. horarum: dies enim naturales, Solis scilicet revolutiones, & paralleli tot sunt in illis Regionibus, quot in nostris tametsi dies, & noctes artificiales pauciores sint. At in sphæra maximè obliqua, ubi polus supra Horizontem elevatur gradibus 9. in qua sex mensium spatio dum Sol signa boreali percurrit, continua dies est, & per alios sex menses continua nox, dum in signis australibus moratur: Ubi nulla prorsus linea meridiana, nulli arcus diurni, vel nocturni in 12. partes æqualiter distributi assignari possunt: in his, inquam regionibus, quomodo dierum, horarumque intervalla distingui poterunt ad sacras preces, & Missarum solemnia statis horis peragenda? Idque præsertim difficultatem habet duobus mensibus, & 20. diebus, à gradu videlicet 20. Scorpii usque ad 10. Aquarii quo tempore, Sole ultra lineam crepusculi elongato, obscurissima nocte, tenebrisque perpetuis damnantur. Sed dierum, ac noctium gratissimam vicissitudinem, quam nobis natura præscribit, hanc eis humana constitutio stabilire deberet, vel usuali horologio, quod è celsa turri ære campano signum daret: vel erecta columna tanquam gnomone, cujus umbras in lineas horarias cadens 24. horas notaret, sumpto initio à quacumque linea, vel puncto: vel nocturno tempore ex certi cujuspiam sideris inspectione, quo pacto possent per totum annum pro civilibus, & Ecclesiasticis negotiis horologia accommodari notatis signis ad placitum meridiei, & mediæ noctis, ut doctissimus Clavius [t] observat. Hæc de crepusculis necessariò notanda fuerunt, ut verum tempus matutinæ laudis persolvendæ dignosceretur.

[t] *Clavius lib. 4. Gnomonic. prop. 10*

## §. II.

*Cur Matutini, & Laudum nomen huic officio tribuatur. Matutinæ orationis prærogativæ. Ejusdem rationes mysticæ. Lucis, & Auroræ encomia.*

1. HOc igitur Officium, de quo loquimur, inde nomen Matutini accepit, quod initio matutini crepusculi persolvi debeat. Quamvis enim eadem hora nunc dici soleat, qua nocturnæ Vigiliæ celebrantur, quia cum illis unum conficit officium; olim tamen illucescente aurora separatum à nocturnis agebatur, ut supra dictum est. Et nos qui ritum Monasticum in Ordine Cistercienſi servamus æstate, juxta Regulam, horam surgendi sic temperamus, ut post vigilias statim incipiente die Laudes celebrentur: hyeme verò exactis vigiliis, factaque mentali oratione, cellas nostras omnes repetimus sacris studiis, vel orationi incumbentes, donec primus lucis fulgor appareat; tunc enim facto signo ad psallendas laudes iterum congregamur. Gregorius Turonensis [u], hujus ritus antiquitatem astruit his verbis; S. Gallus Alvernorum Episcopus jam moriturus albescente cœlo interrogat, quid in Ecclesiâ psallerent? dixerunt autem circumstantes benedictionem psalli. At ille psalmo quinquagesimo, & benedictione decantatâ, & allelujatico cum capitello expresso, consummavit officium totum temporis matutini. Porrò Matutinum dicitur à Matuta, quam Græci Leucotheam, id est albam Deam, nos Auroram vocamus, teste Cicerone [x], & cum omne officium in Dei laudibus decantandis occupetur, hoc tamen speciali laudum nomine censetur, non quia incipiat ab Hymno *Te Deum laudamus*, quem laudum initium quidam faciunt secuti Durandum [y] in rationali, hoc enim falsum est, cùm dictus Hymnus ad Nocturnos pertineat: sed quod potissimum laudes sonet divinas, ut notat Hugo [z], præsertim ob psalmum 148. & duos sequentes, quos laudum nomine S. Benedictus [a] insignivit. Divus Ambrosius [b] sui temporis studium in matutinis precibus frequen-

[u] *Greg. Turon. lib. de vitis Patrum, cap. 6.* [x] *Cicero 1. Tuscul.* [y] *Duran. Ratio. lib. 5. cap. 3. num. 30.* [z] *Hugo Vict. lib. 2 de Eccl. off. cap. 10.* [a] *Bened. regul. c. 12. & 13.* [b] *Ambros. serm. 34. de tempore.*

quentandis declarans, ait: Omni Dominica studeant ad Matutinum venire viri, fœminæ, juvenes, & senes, præter infirmos: unus tantum, aut duo remaneant, qui domum custodiant.

2. Diluculo autem oratur, ait Isidorus *c*, ut resurrectio Christi celebretur. Matutina enim luce radiante Dominus, & Salvator ab inferis resurrexit, quando cœpit oriri fidelibus lux, quæ moriente Christo occiderat peccatoribus. O pulchra lux, exclamat Cæsarius *d* Arelatensis Episcopus, quæ de candido cœli fastigio promicasti, & inter fluenta sulphurea sedentes in tenebris, umbra mortis subita claritate vestîsti. Dies illa amplius ex sepulchro radiavit, quàm de Sole resulsit. Verùm enim lumen Christus est. Mystica quædam Paganorum oratio erat χαῖρε νύμφη, χαῖρε νύμφη * quam irridens Julius Maternus Firmicus *e* ait: Quid sic miserum hominem per abrupta præcipitas, calamitosa persuasio? Nullum apud te lumen est, nec est aliquis sponsus, qui hoc mereatur audire. Unum lumen est, unus est sponsus Christus. Ipse est qui dixit, *Ego sum lux mundi, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Exurge*, inquit in spiritu sanctus Vates *f* quasi provocans Dominum, *Exurge gloria mea:* cui respondetur, *exurgam diluculo.* O felix diluculum, quo Christus resurgens captivitatem nostram suâ duxit virtute captivam. Felix diluculum, quo cunctis fidelibus Ipes futuræ Resurrectionis effulsit, cum omnes ab hac temporali morte, quasi à sopore somni, ad perrennem gloriam, ad immortalitatis diem evigilabunt. Hac item horâ filii Israel sicco vestigio mare rubrum transeuntes baptismatis Sacramentum, & vocationis nostræ gratiam præfigurarunt. *Jamque advenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum interfecit exercitum eorum. Cumque extendisset Moyses manum contra mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum, fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus g.* Hac hora diei primitias, quasi holocaustum matutinum olim in lege præceptum, offerimus psallentes Domino, *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo h.* Hæc hora, ut canit Hesiodus *i*,

*omne opus promovet*: & ab ea totius diei decursum felici omine auspicamur. Ex ipso enim matutino tempore, dicebat quidam apud Climacum *k*, scio totius diei decursum, qualis in me futurus sit. Ideò Essæi, ut Porphyrius apud Eusebium *l* narrat, antequam Sol oriretur, nihil dicebant, nihil audiebant profanum, ut eâ horâ se præpararent ad veræ lucis influxum recipiendum. Hâc horâ, inquit Chrysostomus *m* appropians lucis adventus excitat nos, & facit ut reviviscentes, & subtiliores sensibus facti ad solis radios ferventi & juvenili quadam promptitudine consueta opera aggrediamur. Horæ hujus encomia sic Pindarus Christianus *n* exequitur.

*Nox, & tenebræ, & nubila,*
*Confusa mundi, & turbida,*
*Lux intrat, albescit polus,*
*Christus venit; discedite.*
*Caligo terræ scinditur*
*Percussa solis spiculo,*
*Rebusque jam calor redit,*
*Vultu nitentis sideris.*
*Hæc hora cunctis utilis,*
*Qua quisque quod studet, gerat,*
*Miles, togatus, navita.*
*Opifex, arator, institor.*
*Illum forensis gloria,*
*Hunc triste captat classicum,*
*Mercator hinc, ac rusticus*
*Avara suspirant lucra.*
*At nos lucelli, ac fœnoris,*
*Fandique prorsus nescii,*
*Nec arte fortes bellica,*
*Te Christe solum novimus.*
*Te mente pura, & simplici,*
*Te voce, te cantu pio,*
*Rogare curvato genu*
*Flendo, & canendo discimus.*

3. Hac igitur hora Deum omnipotentem jure optimo collaudamus, qui nos de tenebris ignorantiæ eductos clarissimâ suæ gratiæ, & cognitionis luce illustravit. Hac hora, inquam, creaturas omnes ad celebranda Dei præconia canticis, & benedictionibus solemniter invitamus, quâ surgente aurorâ fugantur tenebræ, illustratur aer, rident prata, nitescunt flores, cantillant aves, & ad omnia opera sua cuncti



c *Isidor. de Eccl. off. lib.* 1. *c.* 23. d *Cæsar. hom.* 3. * *Salve sponse, salve novum lumen.* e *Jul. Firmicus lib. de error. prof. religionum cap.* 20. f *Psalm.* 107. g *Exod.* 14. 24. h *Ps.* 62. i *Hesiod. in diebus,*

k *Climac. grad.* 26. l *Euseb. lib.* 9. *præp. Evang. cap.* 1. m *Chrys. hom.* 11. *in Genes.* n *Prudent. hym.* 2. *Cathimer.*

mortales excitantur. Sed juvat hic Guerrici o Abbatis auream paræneſim tranſcribere, qua nos hortatur ad vigilandum diluculo, ad Dominum qui fecit nos. Vigilate, inquit, fratres in orationibus intenti; vigilate in actionibus circumſpecti: præſertim quia jam mane illius diei indeclinabilis inclaruit, poſtquam videlicet lux æterna ſerenior nobis, & gratior ab inferis rediit, ſolemque novum ſuſceptio matutina reparavit. Prorſus hora eſt jam nos de ſomno ſurgere, poſtquam nox præceſſit, dies autem appropinquavit. Vigilate, inquam, ut oriatur vobis matutina lux, Chriſtus ſcilicet, cujus quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus, paratus utique vigilantibus ad ſe myſterium ſuæ matutinæ Reſurrectionis ſæpius innovare. Tunc utique cantabis in jubilo cordis, *Deus Dominus illuxit nobis* p. *Uſquequo piger dormis?* uſquequo dormitas q? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conſeres manus ut dormias, & cùm te dormiente, te neſciente Chriſtus de ſepulchro ſurrexit, & gloria ejus tranſeunte, nec poſteriora ejus videre merueris; tunc ſera pœnitentia planges, & dices cum impiis r: *Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Vobis autem*, inquit ſ, *timentibus nomen meum orietur Sol juſtitiæ: & qui ambulat in juſtitiis, Regem in decore ſuo videbunt oculi ejus* t. Elias u Cretenſis Nazianzeni Scholiaſtes; Diluculum, ait, vir pius, ac prima lucis tempora Divinæ laudis cauſa aſſumit, tum ut reliquis diei partibus aptiora, tum ut vitæ ſuæ primitias DEO dicans, atque conſecrans. Omnes juſtos diluculum obſervaſſe ſacræ Litteræ paſſim aſſeverant x. Nam juſtus cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo: ipſe Dominus viſitat hominem diluculo: adjuvat Eccleſiam vultu ſuo manè diluculo: & Prophetas ſuos miſiſſe dicitur manè conſurgens. Job juſtitiæ ſpeculum conſurgens diluculo ſacrificium pro ſe, & filiis offerebat: & nos exhortans ad ſuæ pietatis ſectanda veſtigia: *Tu*, inquit y, *ſi diluculo conſurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus ſtatim evigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum juſtitiæ tuæ.* Sanctus David meditatus eſt in matutinis arcana Dei, repletus eſt manè miſericordia, manè eamdem miſericordiam annunciavit, manè oratio ejus prævenit Deum. Manè, inquit z, exaudies vocem meam, manè aſtabo tibi, & videbo. Denique omnes juſti in tribulatione ſua manè conſurgunt ad Deum, quia videlicet poſt quietem nocturnam, viribus corporis inſtauratis anima, vegetior fiat, nulloque ſibi, vel ſomni gravamine, aut deſiderio præpedita & agere, & pati Divina facilius poteſt.

4. Aurora ſic dicta à quibuſdam cenſetur, quod ab igne ſolis aureo tunc aer aureſcat, & nos auro charitatis ea exoriente refulgere debemus, ut timeat nos diabolus, nec in decurſu diei ad nos præſumat accedere. Nihil eſt enim quod tantum ille timeat, quantum charitatis unitatem, ut docet Hugo Victorinus a. Nam ſi diſtribuimus totum quod habemus propter Deum, hoc diabolus non timet, quia ipſe nihil poſſidet; ſi jejunamus, hoc ipſe non metuit, quia cibum non ſumit; ſi vigilemus, inde non terretur, quia ſomno non utitur; ſed ſi charitate conjungimur, inde vehementer expaveſcit, quia hoc tenemus in terra, quod ipſe in cælo contempſit ſervare. Auroram roſeam paſſim vocant Poetæ; quo epitheto admonemur offerre Deo hac hora ſacrificium laudis in odorem ſuavitatis. Dicebat Apollonius Thyanæus b adveniente aurora cum Diis verſandum eſſe. Sacra matutina apud Ethnicos commemorat Apollonius Rhodius c in Argonauticis. Veteres Hetruſci melle litabant Auroræ, nos dulcedini contemplationis hanc horam conſecrare debemus. Auroram à Pegaſo vehi ſolitam ſcripſit Lycophron d Enthuſiaſticus Poeta, quia nimirum ſurgente aurora mentis volatu ad contemplationem elevamur. Bonum eſt volare, actionis probæ hoc ſignum eſt, ait Aſtrampſychus e, Bonus volatus, cum de caducis ſurgimus ad æterna, ad cœleſtia pernicibus alis ſublimioris contemplationis cælum ipſum penetrantes. At verò ad hunc volatum nullum tempus matutinum magis idoneum. *Dominus enim*, dicit Iſaias f, *erigit manè, manè erigit mihi aurem, ut audiam quaſi magiſtrum.* Nævius Poeta apud Gellium g ſcito, & eleganti vocabulo vocat rubentem Auroram pudoricolorem, qua ſurgente caſto pudore imbuenda nobis eſt

o *Guerric. ſer. 3. de Reſur.* p *Pſalm* 117. q *Prov.* 6. 9. r *Sap.* 5. 6. ſ *Malach.* 4. 1. t *Iſai.* 33. 15. 17. u *Elias in orat.* 1. *Naz. num.* 153. x *Eccl.* 39. *Iob.* 7. 18. *Pſalm.* 45. *Ierem.* 7. 26. *Iob*, 1. 5. *Pſalm.* 62. 89. 91. 87. 5. y *Iob.* 8. 5.

z *Oſeæ* 6. 7. a *Hugo in regul. Auguſtini capite.* 1. b *Philoſtrat. vitæ Apoll. lib.* 1. *cap.* 12. c *Apoll. Rhod. Argonaut lib.* 3. *vers* 913. d *Lycophron. in Alexandr.* e *Aſtrampſych. in Omocriticis* v. 3: f *Iſai.* 50. 4. g *Gellius lib.* 19. *cap.* 7

est anima: ut placeat sponso, qui maximè virginali verecundia delectatur. Eadem ab Homero *h* Divina nuncupatur, quia lucem nobis affert, quæ est symbolum Divinitatis. *Deus enim lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ, & lucem habitat inaccessibilem i.* Nihil præterea eorum, quæ sub sensus cadunt, pulchrius est luce, nihil venustius, nihil purius, nihil jucundius, & amabilius. Optimè Dracontius *k* haud ignobilis Poeta;

*Lux jubar æthereum, lux noctis limes, & umbra,*
*Lux facies rebus cunctis, & lux elementis,*
*Lux genitis, factisque calor, lux gratia soli,*
*Lux decus astrorum, lux aurea cornua lunæ,*
*Lux fulgor cæli, lux & primordia mundi,*
*Lux splendor flammæ, lux magni temporis index,*
*Lux honor agricolis, requies lux omnibus ægris,*
*Lux opus auctoris primum, candorque pudoris.*

Ideò exoriente luce Deo lucis auctori laudes pangunt filii splendoris, Divinæ lucis consortes, Angelos sanctos æmulantes, qui *astra matutina l* dicuntur, & dederunt lumen in custodiis suis, obedientes Domino in tremore, *& luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illos m.* Non sic ille Lucifer, qui manè oriebatur omni lapide pretioso exornatus, qui Angelicæ felicitatis splendidissimum mane mox in horribiles tenebras commutavit, sicut scriptum est, *Venit manè, venit nox n.* Inter astra matutina creatus cæterorum sorte non contentus coram illo sedere appetiit, ante cujus conspectum stant cum tremore millia millium ministrantium, & decies centena millia assistentium *o*. *Ascendam*, inquit, *& sedebo p* Propterea dejectus es de gradu tuo, detracta est ad inferos superbia tua. Cum nec Dei laudibus insisteres, nec Creatori, sed tibi ipsi inani præsumptione luceres, ante lucem surgere voluisti, & illi assimilari, qui fabricatus est Auroram & Solem. Quid festinas manè oriri ô Lucifer? Vanus est splendor absque fervore: simulata lux, quæ non ab igne procedit. Quò moliris ascendere? Super altitudinem nubium in latebris Aquilonis, quia videlicet cum frigidus sis, frigidam cupis inhabitare regionem. Exemplum hic habemus, ut, quemadmodum fecerunt Angeli boni, ita & nos faciamus: *Quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem q*: *& mane*, ait ille *r*, *oratio mea præveniet te.* Usurpemus igitur Angelorum officium, ut docet Abbas Claræ vallensis *s* quorum sortimur consortium, ut in ore infantium, & lactentium perficiatur laus. Dicamus eis, *Psallite Deo nostro, psallite*: atque audiamus eos vicissim respondentes, *Psallite Regi nostro, psallite.* Laudem ergo cum cæli cantoribus in commune dicentes, utpotè cives Sanctorum, & domestici Dei, psallamus sapienter.

h *Homer. Iliad. lib.* 16. i 1. *Joan.* 1. 6. 1. *Timoth.* 6. 16. k *Dracont. in examer. cap.* 1. l *Iob.* 38. 7. m *Baruch.* 3. 35. n *Isai.* 21. 12. o *Daniel.* 7. 10. p *Isai.* 14. 13.

q *Sap.* 16. 28. r *Psalm.* 87. s *Bernard. ser.* 7. *in Cantic.*

## METRUM IX.

*PRocul hinc tenebræ, & horror,*
*Procul sopor, procul nox.*
*Clara nitentis astri*
*Caligo luce fugit,*
*Atrisque jam tenebris*
*Tellus soluta ridet.*
*Nox victa cessit, ortum*
*Soli monent adesse*
*Titaniæ volucres.*
*Dux Phosphorus nitorum*
*Lucis parens diurnæ.*
*Inter globos Olympi*
*Blandas init choreas.*
*Procul ô procul facessat*
*Tenebrosa turba Averni.*
*Procul hinc tenebræ, & horror,*
*Procul sopor, procul nox,*
*Jam læta surgit hora,*
*Qua dulciore cantu*
*Loquax avis canorum*
*Modulamen ore promit:*
*Omnisque per vireta*
*Proles amœna veris*
*Aspersa luce vernat.*
*Rosæque, liliumque,*
*Venustiorque caltha,*
*Crocusque purpurascens*
*Produnt amoris ignes.*
*Procul hinc tenebræ, & horror,*
*Procul sopor, procul nox.*
*Cantemus, atque amemus,*
*Dum lux serena fulget,*
*Interque dulciorum*
*Fomenta gaudiorum*

So-

*Sopore jam soluti*
*Vultu Dei fruamur.*
*O sola digna donis*
*Cœlestibus, bonorum*
*Amica lux, levamen*
*Mœroris, & perennis*
*Parens beatitatis,*
*O lux decora salve.*
*Procul hinc tenebræ, & horror.*
*Procul sopor, procul nox.*

## §. III.

*Matutinum tempus aptissimum contemplationi. Quæ sit mystica lux animæ. Tota nocte quæritur sponsus nonnisi in aurora inveniendus. Oratio ad Deum, ut verum lumen oriatur in nobis.*

1. AUdiamus Ambrosium [t], ambrosiam non ori, sed auribus instillat. Grave est si te otiosum in stratis radius solis inverecundo pudore inveniat, & lux clara feriat oculos somnolento adhuc torpore depressos. Arguit nos tanti temporis spatium sine ullius devotionis munere; ac sacrificii spiritualis oblatione feriata nocte transmissum. An nescis ô homo, quod primitias tui cordis, ac vocis quotidie Deo debeas? Occurre ergo ad solis ortus, ut te Oriens inveniat jam paratum, ne lumina tua madido adhuc sopore mergentia primus diei fulgor exagitet. Et post pauca. Præveni certè hunc, quem vides, solem: si hunc præveneris, antequam iste surgat, aspicies Christum illuminantem. Ipse prius in tui cordis illucescit arcano. Ipse tibi dicenti, de nocte vigilat ad te spiritus meus, matutinum lumen temporibus faciet splendere nocturnis, si mediteris verba Dei. Dum enim meditaris, lux est; & videns lucem, non temporis, sed gratiæ, dices, quia lux præcepta tua. Cum autem te meditantem verba Divina dies invenerit, & tam gratum opus orandi, & psallendi delectaverit tuam mentem, iterum dices ad Dominum JESUM, exitus matutinos delectabis. Hæc Ambrosius, cui concordia Richardi [u] verba placet adjungere. Qui sunt isti exitus matutini, nisi ad veri solis irradiationem humanæ mentis excessus? Quis autem dignè miretur, quam sit dulce, quamve delectabile fervente jam charitate, & quasi sub æstivo tempore ad matutinam lucem radiantis divinitatis se à somno excutere, & extra humanæ mentis angustias in auram libertatis erumpere, & in latum illum divinorum spectaculorum campum mentis alienatione transire? Ex sententia itaque Richardi delectant exitus matutini, quia matutinum tempus aptissimum est ad contemplanda magnalia Dei. Hoc est nimirum tempus lætitiæ, de quo scriptum est, [x] *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Hoc est tempus acceptabile, quo in auribus piæ animæ resonat vox illa cœlestis, *Fiat lux:* vox illa videlicet, quæ in rerum creatione prima sonuisse narratur: vox Dei magna, & potentissima, facta super aquas in virtute, & magnificentia, quæ fecit de tenebris lucem splendescere, ac invisibilem terræ faciem infusi luminis splendore illustravit. Sicut enim lux sensibilis, teste Chrysostomo [y], præcepto Domini producta, & tenebræ visibiles absconditæ sunt: sic & lux mentalis tenebras errorum effugat, & errabundos ad veritatem manuducit. Deus quidem semper in lumine est, indutus lumine sicut vestimento, sed quia lucem inaccessibilem habitat, nequit humana mens ad tanti luminis claritatem assurgere, nisi ejus gratia adjuvemur, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum,* ait Isaias [z], *& gloria Domini colliget te, & implebit splendoribus animam tuam.* Tunc revelata facie gloriam Domini contemplantes transformabimur à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu [a]. Eleganter Venetus Patriarcha Justinianus [b]: Cum delectabile lumen Verbi in cor humanum illabitur, fugat tenebras, depellit tristitiam, duritiam liquefacit, renovat desideria, amorem accendit, clarificat conscientiam, infundit spem, virtutes solidat, exultationem commovet, & cunctam mentis habitudinem reformat in melius.

2. Marsilius Ficinus gravissimus Scriptor insignem librum de lumine ex insignioribus Platonicis conscripsit, ex quo ea, quæ ad lucem visibilem, & invisibilem pertinent, curiosus lector indagabit. Abbas quoque Berengosius [c] de luce visibili, & invisibili tractatum edidit, ubi

t *Ambros. in Psal.* 118. *v.* 148. u *Richard. Victor. de erudit. hominis int. p.* 1. *l.* 2. *c.* 25.

x *Psal.* 29. y *Chrys. hom.* 3. *in Genes.* z *Isai.* 58. 8. a 2. *Corinth.* 3. 18. b *Laur. Justinian. de casto connubio Verbi, & an. c.* 25. c *Berengos. Abb.*

ubi inter cætera longa inductione ostendit, quomodo lux invisibilis Dei sanctos Patres veteris testamenti illustrarit. Est & lumen gloriæ, de quo scriptum est *d*, *& in lumine videbimus lumen*: Sed hoc tametsi ad patriæ felicitatem spectet, Richardus *e* tamen Victorinus etiam in hac vita posse nos in lumine videre lumen affirmat, si accedentes ad Deum ab ejus claritate illuminemur. Quid enim mirum, si ex lumine lumen accenditur? Lumen autem videtur in lumine, quando ex cognitione, & operatione claritatis Divinæ plenius illuminatur animus ad cognitionem infirmitatis humanæ. Solet hæc gemina cognitio alterna sibi incrementa ministrare, & utraque profectò ex alterutra crescere. Nam & ex cognitione Dei proficit animus ad cognitionem sui, & eodem utique modo ex multa cognitione sui crescit ad cognitionem Dei. Quanta verò sit claritas Divini luminis, quanta vitæ hujus obscuritas nullus ignorat. Dum autem humana mens ad illud divinitatis lumen oculos aperit, & vehementer intendit, infirmitatis suæ tenebras plenius agnoscit. Sic in clarissimo lumine lumen obscurum conspicimus, & in jubare Divinitatis imperfectionis nostræ lucem caliginosam speculamur. Aurora, vel diluculum, ait Magnus Gregorius *f*, noctem quidem præteriisse nuntiant, nec tamen diei claritatem integram ostentant; sed dum illam pellunt, hanc suscipiunt, lucem tenebris permixtam tenent. Quid itaque in hac vita omnes, qui veritatem sequimur, nisi aurora, vel diluculum sumus? quia & quædam jam, quæ lucis sunt, agimus: & tamen quibusdam adhuc tenebrarum reliquiis non caremus, in multis enim offendimus omnes. Venit hic in mentem quod in magicis oraculis scribit Zoroaster *g*: Properandum tibi est ad lumen, & splendorem Patris, unde missa est anima multam complexa mentem. Locus animæ est splendor Patris, anima enim Dei capax sola Dei præsentia satiari potest. Ad hoc igitur Deitatis lumen properandum tibi est quicunque cupis implere desiderium tuum. Esto aurora, donec crescat in te dies. Surge velociter de tenebris ad lumen, & in ortus tui diluculo murice verecundiæ, & venusto humilitatis pallore conspicuus expecta, donec ardens solis radius illustret, & accendat te. Ipsa sapientia, quæ candor est lucis æternæ, & Sol intelligibilis, *Qui mane*, inquit *h*, *vigilaverint ad me, invenient me.* Sponsa per noctem quæsivit dilectum, & non invenit *i*; quæsivit in lectulo, & elongatus ab illa est: quia si juxta Apostolum *k*, *qui dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt*; ita non absurdè dici potest, ut opinatur Bernardus *l* ejusdem sponsæ Encomiastes, quod qui ignorant, nocte ignorant, ac per hoc qui quærunt, nocte quærunt. Quis enim quærat, quod palam habet? Porrò dies palam facit, quod nox abscondit, ut reperias in die, quod in nocte quæsieras. Nox est itaque, donec quæritur Sponsus, quoniam si dies esset, de medio fieret, & minimè quæreretur. Quid est autem nox? Nox, ait Thomas Cistercienſis *m*, est Judaica perfidia, nox paganorum ignominia, nox pravitas hæretica, nox Catholicorum animalis conversatio. Nox, inquit Philippus Abbas *n* Bonæ spei, est difficultas quærendi, nox dilatio inveniendi, nox est molestia differendi, nox miseria sufferendi: nox est inexpletio desiderii spiritualis, nox caro moritura, & si jam conservatio non carnalis: nox denique est onerosa præsentia hujus vitæ. Per has noctes Sponsa quærit dilectum, & non potest vel post diutinas inquisitiones eum reperire, quia nulla societas lucis ad tenebras. Et quis per noctem diem poterit invenire, si nox solis absentia est? Solem igitur præveniat aurora, ista quærentes instruet quò tendant, qua parte debeat Sol oriri. Est autem aurora gratia illuminans, viæ hujus illustratio, quam sequetur in patria nitidissima dies æternitatis.

3. Tu autem lux nitidissima, splendor paternæ gloriæ, splendidissime Sol justitiæ exorere, exorere tenebricosæ animæ meæ: exorere, & illumina tenebras meas, ut resoluta totius cæcitate caliginis, decor antiquæ originis in novum lumen reformetur, & nox peccatorum meorum, nox lurida, squallida, & horribilis Divinæ tuæ lucis aurora discutiatur. Quis mihi det sedenti in tenebris, & umbra mortis ab hoc sole illuminari, ut placeam coram Deo in hoc lumine viventium, ut videam voluntatem Domini omnibus diebus vitæ meæ? Verè dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem: Solem, inquam, illum, in quem desiderant Angeli



d *Psalm.* 35. e *Richard. ubi sup. cap.* 47. f *Greg. lib.* 29. *moral. cap.* 2. g *Zoroast. orac.* 6. *additis scholiis Hethonis, & Pselli: & explic. Marsilii Ficini lib.* 10. *Theolog. Platon. cap.* 8.

h *Prov.* 8: 17. i *Cantic.* 3: 1. k 1 *Thessal.* 5: 7. l *Bernard. ser.* 75. *in Cantic.* m *Thom. Cistercienſ. l.* 5. *comment. in Cantic.* n *Philipp. Abb. l.* 3. *comment. in Cantic. c.* 16.

prospicere. O Jesu benignissime, ô candor sine macula, quod mihi gaudium esse potest, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video. O lux, quam amisit Adam, qui ex sententia cujusdam Patris, quamdiu perstitit in justitia, & innocentia, faciem habuit radiantem: Cujus filius Seth ideò filius Dei nuncupatus fuit, quia cum pietate illustris esset, colluxit facies ejus o. O lux, quam videbat Isaac opertis senectute luminibus, cum filios non agnoscendo benediceret, sed benedicendo cognosceret. O lux, quam videbat Jacob, cum & ipse præ ætate captus oculis, quæ filiis, & nepotibus ventura essent, intus agnovit, & præsignavit. Hac luce radiabat Tobias, cum clausis corporeis oculis viam vitæ docebat filium, & pede charitatis nunquam errans ei præibat. Hanc lucem peto, hanc desidero, quæ sola est vera lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Verè fateor, Domine, quoniam conturbatum est cor meum, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum. Ideò erravi in solitudine, viam civitatis habitaculi non inveni, quiâ nondũ visitavit me oriens ex alto ad dirigendos pedes meos in viam pacis. Veni desiderate cunctis gentibus, quia dormitavit anima mea præ tædio moræ tuæ, & oculi mei languerunt præ inopia luminis tui. Orere Sol amabilis, ut exeat homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam, & operetur non cibum qui perit, sed qui permanet in æternum. Exere vultum tuum Sol immortalis, illustra faciem tuam super servum tuum, irradia splendoribus Sanctorum animam meam, ut habeam lumen vitæ, in quo ambulem die ac nocte, donec perveniam ad diem claritatis æternæ, ad lucem quam inhabitas, ad lumen indeficiens, & sempiternum.

## §. IV.

*Lucta Jacob usque ad auroram quid symbolicè & moraliter indicet. Denique hortatio ad laudandum Deum.*

1. GLoriosissimus Patriarcha Jacob tota nocte luctatus cum Angelo invictus pugnavit usque manè. At cum primum lucis fulgorem in ortu suo aurora transmitteret, videns Angelus quod eum superare non posset, à fortissimo athleta dimissionem petiit dicens p, *Dimitte me*, victori enim cedendum est. Cur me brachiorum insuperabili nexu adstrictum tenes? Tecum in hac arena jam amplius decertare non possum. Ratio in promptu est, *jam enim ascendit aurora*. An ergo aurora cunctis gratissima Angelis inimica, cum ipsi in sacris Literis *astra matutina* q vocentur? An sicut qui malè agit, odit lucem, sic Angelus princeps exercituum Dei cum homine infirmo decertans magno sibi dedecori adscribebat, quod eum superare non posset? An à sociis Jacob, qui solus remanserat, adveniente jam luce videri nolebat, & ex effigie assumpti corporis agnosci? An hic erat custos Esau, quem ab eo timidus frater amovere tentabat? Nam, ut autumant Cabalistæ, nemo potest alium superare, nisi prius devictâ, & amotâ ejus intelligentiâ. An suum antagonistam salubri consilio admonere voluit, sole iam ad ortum properante, tempus esse ab otio contemplationis ad actionis negotium transeundi? An ut doceret mysticas animæ visitationes, & Divina mysteria non esse palam revelanda? An fortè, quod Hebræi Interpretes non sine nostrorum risu contendunt, illa erat hora, qua sacrum Trisagion Angeli psallunt, ideòque dimitti voluit, ut aliis cantantibus sociaretur, juxta illud sæpius citatum, *Cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?* His quidem, & aliis explicationibus hoc Ænigma conantur dissolvere, qui librum Geneseos interpetrantur. At Divus Cyrillus Alexandrinus mihi præ cæteris arridet. Cum his, inquit, in tenebris, ac nocte agunt, & ignorantiæ caliginem in mente, ac corde habent, luctatur, ac pugnat Christus, habet enim eos pro inimicis. Ut verò mentibus ipsorum spiritualis Lucifer oritur, & quasi dies quædam veræ cognitionis Dei lux splendet, tunc pugnam solvit: cum illis enim non pugnat, qui sunt in luce, qui spiritualem auroram in mente habent. Hæc Cyrillus r, qui deinde pergit nos exhortari ad spiritualem auroræ hujus amplexum. Auroram intelligo Divinæ gratiæ illustrationem, quam postulabat à Deo Propheta, cum diceret s, *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum: Domine Deus meus illumina tenebras meas.* Hæc est gloria Domini, quam manè videndam sacræ Literæ promittunt t. Hæc est sapientia, quam manè vigilantes inveniunt u. Tota igitur mentis intentione, toto cordis affectu matutino

o *Anastasius Synaita cap.* 16. ἰδηγὸς p *Genes.* 32.

q *Job* 38:7. r *Cyrill. Alexandr. tom.* 4. *hom.* . s *Psal.* 42. *Psal.* 17. t *Exod.* 16:7. u *Prov.* 8:18.

matutino tempore orandum est, donec dies eluceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus noſtris. Sanctus Jacob ſurrexerat ante diem ſacras celebrare vigilias, ideò, ut docet Rupertus Abbas x, Angelica viſione recreari, myſticam inire luctam meruit, in qua victor exiſtens in aſcenſu auroræ cœleſti benedictione confirmatus fuit, quia videlicet, illuſtrante animam Divinæ lucis fulgore Divina protinus benedictione mens ſtabilita temporalia ſpernit, bona dumtaxat æterna diligit, ad quæ jugiter intendit, & ſuſpirat.

2. Sic primas amoris faces experta anima quaſi cum Deo luctatur, dum ſacræ meditationis ſtudio ſolerter incumbens ſenſum verbi Dei fugientem tenere contendit. Fugit Dilectus ſe retinere cupientem, cùm multas ob cauſas, tum idcircò, ut aviditatem magis, ac magis excitet inquirentis. Itaque brachiis quaſi ad luctandum protenſis quæcunque talis anima dicit: Dilecte mi apprehendam te, & ducam te in domum matris meæ, ibi me docebis: è contra ille more reluctantis penè obverſus; *Averte*, inquit y, *oculos tuos à me, quia ipſi me avolare fecerunt.* Dulcis colluctatio, & omni pace jucundior. Tandem victrix dicit conſcientia z, *Inveni quem diligit anima mea, tenui illum, nec dimittam.* Dimitte me clamat ſponſus, jam aſcendit aurora. Satis eſt quod quædam lucis primordia peccatorum tenebras è corde tuo fugarint. Nondum plena dies illuxit tibi. Dimitte me, ait, non quod dimitti velit, ſed ut aſſiduo luctamine ſponſam exerceat, ut à negata ejus præſentia creſcat deſiderium, ut majori cœleſtium bonorum copia eam locupletet. Illa autem jam amore magiſtro amantium artes ſufficienter edocta perſeverans in oratione; Non dimittam te, inquit, niſi benedixeris mihi. Et benedixit ei in eodem loco. Felicem prorſus benedictionem, omni dignam acceptione; felicem animam, feliciſſimum orationis meritum: ſanctiſſimum matutinum tempus tantis Dei favoribus promerendis aptiſſimum, ac proinde à Religioſis omni veneratione colendum. Bona violentia, quæ benedictionem extorquet: optima lucta, qua Deus homini ſuccumbit, & victorem ſanctioris nominis munere decorat. Luctare anima mea feliciter, luctare, ne ſuccumbas, quia regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Declinat dilectus tuus aliquando, avertit faciem, ſed non in ira. Suſtinuit te ille in peccatis tuis, ſuſtine tu illum in flagellis ſuis; & obtinebis benedictionem. Sed quando? Cùm aurora fuerit; cùm aſpiraverit jam dies, cùm poſuerit Hieruſalem laudem in terra. Dic cum Propheta a; *Auditam fac mihi manè miſericordiam tuam, quia in te ſperavi Domine*: Et lux perpetua lucebit ſuper te nunquam morituro fulgore. De hac animæ lucta cum Deo præclara extat ſententia ſancti Abbatis Ælredi Ciſtercienſis b. Itaque, ait; Si in oratione tua, vel meditatione exarſerit cœleſtium deſideriorum ignis, ſi amorum incentiva flammeſcant, ſi æſtuans, & anhelans cœleſtibus quibuſdam movearis affectibus, & modò quaſi comprehenſum quem diligis ſentias eſſe præſentem, modò elapſum de manibus doleas, & ſuſpires abſentem; lucta ſpiritualis eſt, nomen tibi Iſraëlis imponens, ut non ſolum miſeratione, ſed etiam electione dignus habearis. *Miſerebitur enim Dominus Jacob, & eliget adhuc de Iſrael* c. Eja igitur fideles animæ, pietatis alumnæ, miniſtræ Chriſti, filiæ lucis, æmulæ ſtellarum, concives ſanctorum, Angelorum conſortes, matutinæ orationi inſtate vigilantes in ea. Jam Chori cœleſtes rapidiſſimo curſu è cœlo delapſi prævenerunt nos conjuncti pſallentibus: nunc propior eſt noſtra ſalus, nunc hora vacandi, & videndi quàm bonus ſit Deus: nunc tempus quærendi Dominum, ut ait Propheta d, *Quærite Dominum dum inveniri poteſt, invocate eum dum propè eſt*: nunc tempus auxilii, & gratiæ; *In matutinis meditabor in te, quia fuiſti adjutor meus.* Ergò laudem dicite Deo puſilli, & magni: *Terribilis eſt, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipſius. Benedicentes Dominum exultate illum, quantum poteſtis, major eſt enim omni laude* e.

## METRUM X.

*O Quæ ſidereos volvitis axes*
*Mentes corporeâ fæce ſolutæ,*
*O cœli proceres, incolæ olympi*
*Mecum pangite laudes.*
*Orbes ætherei, fervide Titan,*
*Phœbe noctivago lumine fulgens,*
*Et vos flammigeræ lampades æthræ*
*Dulces fundite verſus.*
*Vndæ, quæ ſuperos cingitis orbes,*



x *Rupert. in Geneſ. l. 8. c. 5. & 9.* z *Cantic. 3: 4.* y *Cantic 6: 4.*

a *Pſal. 142.* b *Ælredus ſer. 13. in Iſaiam.* c *Iſaiæ. 14: 1.* d *Iſaiæ. 55: 6.* e *Pſal. 62.*

*Nubes, & pluviæ, grando, pruinæ,*
*Nix, ros, & glacies, frigus, & æstus*
*Læto plaudite cantu.*
*Venti sylvifragi, mobilis aura,*
*Fulgur nubivagum, missile fulmen,*
*Nimbi præcipites, flamma corruscans*
*Hymnos dicite cœlo.*
*Undosum pelagus, flumina, & amnes,*
*Fontes irrigui turba natantium,*
*Quicunque in vitreæ vivitis unda,*
*Voces tollite ad astra.*
*Colles frugiferi, lignaque sylvæ,*
*Montes, & viridis gramina vallis,*
*Fœcundæ segetes, dulcia poma*
*Summo psallite Regi.*
*Brutæ quadrupedes reptile terræ*
*Immensas Domino reddite grates:*
*Omnisque Altitonum musica molles*
*Promat gutture cantus.*
*Infantes teneri, læta juventus,*
*Simplex virginitas, cana senectus*
*Huc denso properent agmine, & astra*
*Pulsent laudis honore.*
*Rector cælitum te canat Indus,*
*Te psallat nitidi potor Enipei,*
*Mauri te celebrent, & tua dives*
*Volvat nomina Ganges.*
*Alternis resonent, cantibus hymni,*
*Jungantur modulis organa mille,*
*Sambucæ, citharæ, tympana, plectra,*
*Sistrum, fistula, cornu.*

## CAPUT VI.

# DE PRIMA.

### §. 1.

*Orandum esse post Solis ortum. Laudatur Sol, ejusque ortus describitur. Fabula Memnonis. De cultu Solis, & ejus falsa apotheosi. Inter priscos adorantium ritus etiam oscula adhibita.*

OFficii nocturni cursum jam, ut nostra imbecillitas tulit, laudisque matutinæ mysteria devota mentis actione transegimus: nunc diurnæ servitutis pensum nos vocat; nunc Solis orientis radius oculos restituit mundo, confusas rerum species distinguit, claroque luminis splendore faciem quamdam, ac venustatem cunctis rebus infundit. Sol incipit, ait Ambrosius *f*, emunda oculos mentis ô homo, animique interiores obtutus, ne qua festuca peccati aciem tui præstringat ingenii, & puri cordis turbet aspectum. Procedit Sol magno jubare diem, magno mundum complens lumine, vaporans calore. Cave ô homo solam ejus perpendere magnitudinem, ne nimius fulgor ejus visus tuæ mentis obcæcet. Cave ne radius ejus exoriens tuum confundat aspectum. Qui è regione in Solis lucem fixum intendit obtutum, repercusso lumine omnem subitò amittit aspectum, æstimat se nihil videre, & intuendi munere esse fraudatum. Non igitur te tanto splendori temerè committas. Sed quando hunc vides, auctorem ejus considera: quando hunc miraris, lauda ejus creatorem. Hæc carptim ex Ambrosio *g* qui etiam alibi, exemplo avium, quæ nascente Sole suavissimo cantu æthera mulcent, hortatur nos ad laudes hoc tempore Conditori canendas. Quis enim sensum hominis gerens non erubescat sine psalmorum celebritate diem ordiri, cùm etiam minutissimæ aves solemni devotione, & dulci carmine ortus dierum prosequantur? Illa nemorum Siren Philomela, cantillantium avicularum præcentrix quanta spiritus contentione, quanta vocum varietate in occursum Solis tota diffunditur? quàm sonoro modulamine, quàm mirabili ardore nascentem salutat? Nunc leni voce submurmurans musicos tonos retexit: nunc harmonicis quibusdam motibus dissultans omnium modorum personat suavitatem: nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso. Sed & aliarum volucrum pennatus exercitus omnium dulcedinum numeros, omnium concentuum sonos percurrens Solem excipit advenientem. Rident amabili vultu universa, dum nova luce radians Sol diem reddit mundo, rebus colorem, floribus venustatem. Oritur Sol oculus mundi, jucunditas diei, cœli pulchritudo, naturæ gratia, præstantia creaturæ. Oritur Sol aëris nitor, terræ decus, herbarum gloria, cor sphærarum, luminum moderator, omnium viventium genitor, magnum Dei simulachrum. Oritur, inquam, ortuque suo ad celebrandas Numini laudes nos excitans mentem nostram ad æterni Solis contemplationem attollit.

ME-

*f Ambr. Exam. lib. 4. cap. 1.* *g Idem. ibid. lib. 5. cap. 12.*

## METRUM XI.

*JAm Phœbus rutilum caput*
*Vectus cæruleis equis*
*Elotum pelago extulit.*
*Noctem Phosphoras horridam*
*Clara percutiens face*
*Stellas depulit æthere.*
*Lux fulgens radiantibus*
*Pingens cuncta coloribus*
*Umbras lumine temperat.*
*Tellus omniferos sinus*
*Pandens ætheris ignibus*
*Ardet murice flammeo.*
*Errantes pecudum greges*
*Herbis luce rubentibus*
*Carpunt gemmea pabula.*
*Largis flet lacrymis polus*
*Noctis tristia funera.*
*Quas blanda excipit obstetrix*
*Natura, & teneris cibum*
*Hortis mellifluum parat.*
*O quam floriferum solum*
*Vultu ridet amabili!*
*Flammas exacuunt rosæ,*
*Candent lilia pulchrius*
*Rident prata venustius,*
*Vernant cuncta decentius.*
*Arguta altituum cohors*
*Vocis nectare diffluens*
*Nascentem recinit diem.*
*Cantat flebilibus modis*
*Sylvosum recreans nemus*
*Ales garrula Daulias.*
*Musæ ruris Achantides*
*Ludentes hilari sono,*
*Mulcent aëra cantibus.*
*O solis nitidum jubar*
*Squallentem tenebris humum*
*Optata irradians face:*
*Dum tu per tibi cognitas*
*Alti signiferi vias*
*Teyris lumina dividis,*
*Nos certo quoque tempore*
*Immixti superum choris*
*Summo carmina Numini*
*Psallentes terimus diem.*

2. Quis enim tot naturæ provocatus incitamentis, tot creaturarum invitatus obsequiis, tot exemplis commotus tam iners inveniatur, ut solari jubare perfusus, non illico ejus præconia celebret, cujus benignitas Solem suum oriri facit super bonos, & malos? Notissima est Memnonis statua in Ægyptiis olim Thebis erecta, quàm Philostratus *h* in vita Apollonii, & Callistratus *i* in expositione statuarum describunt. Hæc sponte sua cùm radiis solaribus tangeretur, suavissimum vocis sonitum, ut illi fingunt, emittebat, primoque lucis fulgore in os incidente nascenti Phœbo assurgens lapidea labiorum claustra in ejus laudes referabat. Hoc fabuloso scilicet integumento antiquiores Sophi nobile documentum occultarunt, debere hominem rationis compotem ad Solis ortum ipsius Conditoris Majestatem adorare. Quod simpliciores viri haudquaquam ad illorum mentem percipientes Creatoris cultum ad Solem ipsum materialem transtulerunt. Nam, ut ait Sapientia *k*; *Non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex; sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, aut Lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt. Quorum si specie delectati Deos putaverunt, sciant quanto his Dominator eorum speciosior est, speciei enim generator hæc omnia constituit: Aut si virtutem, & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit fortior est illis: à magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Hæc Sapientia.

3. Quia verò speciosissimus creaturarum est Sol, plures quoque inveniet cultores, non solùm inter rudiores, & barbaras nationes, sed etiam inter Gentes, quæ politiori literatura, ac humanioribus placitis excultæ erant, ut Tertullianus, & Arnobius *l* asseverant. De his eleganter Aurelius Prudentius Clemens adversus Symmachum sic cecinit *m*:

*Est qui conspicuis superos quæsivit in astris,*
*Ausus habere Deum Solem, cui tramite certo*
*Conditio imposita est vigilem tolerare laborem,*
*Visibus objectum mortalibus, orbe rotundo*
*Præcipitem, teretique globo per inane volantem,*
*Et quod nemo negat, mundo, cœloque minorem.*



h *Philostrat. lib. 6. cap. 3.* i *Callistrat. lib. de exposs. statuar. c. 1. & 9. & ex his Nat. Comes l. 6. Mytholog. c. 3.* k *Sap. 13: 1.* l *Tertullian. in Apolog. Arnob. l. 1.* m *Prud. adv. Symm. lib. 1. Epigr. 15.*

Concinnè quoque de iisdem Cyrillus Hierosolymitanus *n*; Quidam, ait, solem Deum ponebant, ut occidente sole noctis tempore sine Deo essent. Sophocles *o*, in Oedippo tyranno solem vocat primum omnium Deorum. Ejus autem vetustissimi adoratores fuerunt Persæ & Chaldæi. Ad Persas inquit Tertullianus *p*, si fortè deputabimur, licet solem non in linteo depictum adoremus, habentes ipsum ubique in suo clypeo. Et Darii castra describens Q. Curtius *q*; Super tabernaculum, ait, unde ab omnibus conspici posset, imago solis crystallo inclusa fulgebat. Justinus *r* item Historicus, Persæ, inquit, solem unum Deum esse credunt, & equos eidem sacratos ferunt. Persarum sacra sub Mithræ nomine soli dicata in specubus Tertullianus *s* sæpè commemorat, itemque Luctatius, Placidius *t*, & Lilius Gyraldus *u*: quem errorem sequutus Basilides Deum μίθραν appellabat. Quo verò ritu Persæ soli sacrificarent, tradit Eustathius Archiepiscopus Thessalonicensis *x* in explicatione Iliadis Homeri. Quamquam Persas ignem potius, quam solem coluisse, Maximus Tyrius *y* his verbis affirmet. Persæ adorant ignem diarium, nimirùm divinitatis signum insatiabilem, voracem. Huic cum sacrificant, alimentum præbentes his verbis utuntur, Ede ignis Domine. Chaldæos autem solem adorasse Diodorus Siculus *z* scribit, qui & fabulam elegantem narrat de ejusdem solis apotheosi. Ab his ad Ægyptios solis cultus propagatus est, quos omnium primos solem pro Deo habuisse asserunt Eusebius *a*, & Theodoretus *b*. Sed Chaldæis primatum in hac re astruit Severianus *c*, atque inde putat Lampridius *d* Heliogabalo inditum nomen, à solis Sacerdotio, cum prius Varius vocaretur. Sub nomine verò Serapidis, & Osiridis Ægyptios solem intellexisse testantur Cicero *e*, Macrobius *f*, Diodorus *g*, & Plutarchus *h*: de cujus statuæ pensilis mirabili artificio legi potest in suis Annalibus Michaël Glycas *i*. Solem quoque ab Assyriis, & Phœnicibus sub nomine Adonidis maximâ veneratione habitum tradit Macrobius *k*. Et Eusebius Cæsarienſis *l*, Phœnices, inquit, solem adorant vocantes eum *Beelsamen*, id est cœli Dominum. Similiter Phryges sacrorum administrationibus immutatis eumdem sub nomine *Attinis* colebant, & eodem Macrobio auctore festivitatem in ejus honorem celebrabant 8. Calendas Aprilis, quem diem Hilaria appellabant, quo primum tempore sol diem longiorem nocte protendit. Massagetas unum solem venerari, & eidem equos immolare Strabo *m*, & Herodotus *n* affirmant. Etiam Æthiopes equos soli offerebant Deo omnium velocissimo, id quod velocissimum est sacrificantes, teste Heliodoro *o*. Apollinem Belum vocatum, & adoratum ab Aquileiensibus accepimus ab Herodiano *p*. Sol Græcorum Deus ab Herodoto *q* nuncupatur, eumque passim à Græcis pro Deo habitum Pausanias *r* asseverat. Indos adorasse solem tradunt Clemens Alexandrinus *s*, & Philostratus *t* Lemnius. Idem scribunt de Tyriis Q. Curtius *u*, de incolis Insularum Oceani versus meridiem Diodorus *x*, de Athenienſibus Joseph Judæus *y*, de Siculis Phalaris *z* Tyrannus, de Armenis Xenophon *a*, de Babyloniis Philostratus *b*, de Pœonibus Maximus Tyrius *c*, de Germanis Cæsar *d*, de Manichæis Augustinus *e*, de aliis alii. Porrò à Platonicis adoratum solem patet ex Plotino *f*. Sed & Pythagorici soli orienti Hymnos lyrâ canebant, ad quem Jamblicus elegantissimam orationem composuit. Et quis ignorat mensam solis apud Æthiopes Divi Hieronymi *g*, & Pausaniæ *h* scriptis celeberrimam? A Romanis item Imperatoribus dicata soli templa

n *Cyrill. cat. 4.* o *Sophoc. in Oedip. v. 675.* p *Tertull. in Apolog.* q *Curtius lib. 3.* r *Justinus Historic. l. 1.* s *Tertull. libro de baptismo, de corona militis, de præscriptionib.* t *Placid. ad postrema carminal. 1. Thebaid.* u *Gyrald. de Diis gen. Syntag. 7.* x *Eustathius in 1. Iliad.* y *Max. Tyrius sermon. 38.* z *Diodor. lib. 3. c. 8. & l. 4. cap. 5.* a *Euseb. de præpar. Evang. lib. 1. cap. 6.* b *Theodoret. de cur. Græc. affect. l. 3.* c *Severian. in catena Græca ad c. 1. Genes.* d *Lamprid. in Heliogabalo.* e *Cic. 3. de natura Deor.* f *Macrob. 1. Sat. cap. 21.* g *Diodor. l. 1. c. 2.* h *Plutarch. lib. de de Osiride.*

i *Glycas p. 4. Annalium.* k *Macrob. loc. c.* l *Eusebius de præp. Evangel. l. 1. c. 7.* m *Strabo lib. 11.* n *Herodot. in Clio.* o *Heliodor. in Æthiopic. l. 9.* p *Herodian. l. 8.* q *Herodot. in Polymnia.* r *Pausan. in Corinth. in Laconic. & Arcadic.* s *Clem. Alex. orat. ad Græc.* t *Philostrat. vit. Apoll. l. 2. cap. 11.* u *Curtius lib. 4.* x *Diodor. l. 3. c. 13.* y *Joseph. lib. 2. contra Apionem prope finem.* z *Phalaris Ep. 103. ad Catan.* a *Xenoph. l. 4.* ἀναβάσεως. b *Philostr. lib. 1. cap. 20.* c *Max. Tyr. serm. 38.* d *Cæsar. de bello gall. l. 6.* e *Aug. ep. 74. & l. 14. & 20. contr. Faustum.* f *Plotin. lib. 4. ann. 4. cap. 30.* g *Hieron. ep. ad Paulinum initio Biblioth.* h *Pausan. in Atticis, & posteriorib. Eliacis.*

empla describunt Aurelius Victor [i], Flavius Vopiscus [k], Eutropius [l]; & Ammianus Marcellinus [m]. Denique omnes gentes in solis cultum variis ritibus conspirasse plerique auctores ostendunt [n]. Sanctus Philastrius Brixiensis Episcopus inter hæreses veteris Testamenti eam recenset, quæ soli divinos honores tribueret: Tum Hermiam, & Seleucium redarguit negantes, Christum sedere in carne ad dexteram Patris, sed carnem in sole posuisse existimantes, illud Psalmographi perperam intelligentes, *In sole posuit tabernaculum suum.*

4. At quod attinet ad cultum solis, sacrorum librorum testimonia prætermittere grande piaculum esset. Et sanè Israëlitæ à vicinis gentibus Idolorum cultum edocti ad ortum solis adorabant apud Ezechielem [o]. Josias verò justissimus Rex eos delevit, qui soli adolebant incensum: equos abstulit, quos Reges Judæ dederant soli in introitu templi Domini: currus solis combussit igni [p]. Lego etiam civitatem solis, fontem solis, domum solis [q], quæ omnia ad falsam solis apotheosim spectasse dubium non est. Ex curru autem Heliæ currum solis descripsisse Poëtas putat Chrysostomus [r] Homilia de ascensione Heliæ, nam sol Græcè Helios dicitur. Job item amicus Dei, cui similis non erat sub sole, adversus amicorum calumnias summum judicem innocentiæ suæ testem invocans, suasque virtutes modestè enarrans ait [s]: *Si vidi solem cum fulgeret, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Quasi diceret vir patientissimus; Affligat me Deus, & non parcat, si cultum sibi debitum transtuli ad creaturam. Nunquam me jucundissimus orientis solis aspectus splendoris illecebris, & oculorum lenocinio ita pellexit, ut divinum illi Numen esse crederem, ac propterea osculatâ manu, & in cœlum porrectâ divinos eidem honores impenderem. Hâc enim adorationis specie externum quoddam obsequium exhibent soli Gentes, quæ verum Deum ignorant: imò sub specie obsequii nobilem creaturam multiplici afficiunt contumeliâ, de qua re eleganti prosopopœia idololatras reprehendit ipsemet sol apud Julium Firmicum Maternum [t]. Solem verò non esse Deum probat eleganter, & diffusè Zacharias [u] Episcopus Mitylenes in disputatione de mundi opificio. Hinc putat Lipsius [x] adorandi verbum derivasse, quia manus ad ora admovebant adorantes: non ab ador (frumenti id genus est) quod censet Grammaticorum acumen. Adhibita verò oscula in Solis, aliorumque Deorum cultu certissimum est. Sed cum plerique vererentur, ore profano Deos ipsos tangere, eminus stantes manum porrigebant, eamque statim ad os suum referebant, & suaviabantur. Hunc adorantium habitum sacra Regum historia ostendit, dicens [y]: *Et omne os, quod non adoravit Baal, osculans manum.* Eumdem morem plures ingerunt Scriptores. Minutius Felix in Octavio: Cæcilius simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosum solet, manum ori admovens osculum labiis pressit. Lucianus Samosatenus [z]: Si quis est pauper, ita Deo litat, ut dexteram dumtaxat suam osculetur. Apuleius [a]: Nefas habet adorandi gratia manum labris admovere. Athenagoras [b]: Osculum adoratio quædam est. Plura reperiet, qui voluerit apud Pithœum [c] in adversariis, & Muretum [d] in variis lectionibus. Ex hac autem adorandi ratione ille forsitan ritus emanavit, quo principibus viris manus osculari solemus, de quo legendus in Parergis Franciscus Luisinus [e] Utinensis criticus exquisitissimus. Sed jam ad Solem, à quo digressi sumus, his obiter adnotatis, revertamur.

§. II. *O-*

i *Aur. Victor in Valeriano.* k *Fl. Vopisc. in eodem.* l *Eutro. l. 9. Hist. Rom.* m *Amm. Marcellin. lib. 17.* n *Theodorus de cur. Græc. affect. l. 3. Euseb. præp. Evang. lib. 1. cap. 6. & 7. Phornut. de nat. Deorum. Apollodorus in Biblioth. Fulgentius & Nat. Comes in Mythologiis. Artemidor. lib. 2. cap. 36. Julian. Imp. or. 4. Seneca de benef. lib. 6. c. 21. & 23. lib. 7. cap. 31. Sext. Empyr. lib. 8. adv. Mathem. Mapheus Vegius Laudens. in disputatione inter solem, terram, & aurum. Gyrald. de Diis.* o *Ezech. 8: 16.* p *4 Reg. 23: 5, 11,* q *Jos. 15: 7. Id. 19: 41. Isa. 19: 18. Hier. 43: 13.* r *Chrysost. tom. 1.* s *Job 13: 26.*

t *Jul. Firmic. libro de errore prof. Rel. c. 8.* u *Zacharias de mundi opific.* x *Lipsius l. 2. elect. cap. 6.* y *3 Regum. 19: 18.* z *Lucian. de sacrificiis.* a *Apul. Apol. 1.* b *Athenag. in legatione propè finem.* c *Petr. Pith. adversar. lib. 1. cap. 7.* d *Muret. var. lect. lib. 10. cap. 1.* e *Franc. Luisin. lib. 2. Parerg. cap. 19.*

## §. II.

### *Omnes Ethnicorum Deos referri ad Solem. Cur precemur versus Orientem.*

1. AUrelius Macrobius *f* luculentus Auctor, & doctus omnes Deos gentium referri ad solem longo, & erudito sermone demonstrat ex Orpheo, Homero, Hesiodo, Platone, aliisque doctrina præstantibus viris, qui numerosam illam Deorum conflugem ad unum Solem revocarunt, cujus varios effectus facilis, & rudis antiquitas, varia esse numina censuit, quæ variis quoque nominibus distinxit. Explicat hanc doctrinam eximius Philosophorum Plato in Cratylo, & secundo de legibus. Nonnus Panopolita *g* in Dionysiacis Bacchum introducit, qui solem deprecans sic canit: Belus es Euphratæ, Lybicus vocatus Ammon, Apis es Niliacus, Arabs Saturnus, Assyrius Jupiter: & infrà, sive Serapis es Ægyptius, sive Mithris Babylonis, in Græcia Delphicus Apollo, sive tu Pæon dolorem mitigans, sive es Æther varius, sive Astrochyton. Eadem ferè habent Proclus Lycius *h* in Hymno solis, & ex Latinis Papinius in Thebaide *i*, & Julianus Aurelius *k* libro de cognominibus Deorum. Non est autem omittendus Martianus Felix Capella *l*, apud quem Philologia elegantissimus hisce carminibus solem veneratur.

*Ignoti vis celsa patris, vel prima propago,*
*Fomes sensificus, mentis fons, lucis origo,*
*Regnum naturæ, decus atque assertio Divum,*
*Mundanusque oculus, fulgor splendentis Olympi,*
*Ultra mundanum fas est cui cernere patrem.*
*Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osirim,*
*Dissona sacra Mitram, Ditemque ferumque Typhonem.*
*Atys pulcher item, curvi & puer almus aratri,*
*Ammon & arentis Libyes, ac Biblius Adon.*
*Sic vario cunctus te nomine convocat orbis.*

Sic etiam Mercurius Trismegistus *m* in Pimandro Deum Deorum solem appellat, cui omnes cedunt Dii cœlestes tamquàm regi & potenti. Sunt & alii plures *n*, qui Solem maximum Deorum vocant, & omnia illa numina, quæ sibi fingebant Antiqui, ad ipsum referunt. Vix enim inter Ethnicos quispiam fuit sapientiæ laude conspicuus, qui non crediderit unicum esse Deum, quem illi sub variis nominibus colebant. De qua re Medaurensis quidam Philosophus nomine Maximus *o*, & ipse Ethnicus sic scribit ad Augustinum. Equidem unum esse Deum summum sine initio, sine prole, naturæ ceu patrem magnum, atque magnificum, quis tam demens, tam mente captus neget esse certissimum? Hujus nos virtutes per mundanum opus diffusas multis vocabulis invocamus, quoniam nomen ejus proprium cuncti videlicet ignoramus.

2. Hæc nos de cultu Solis officium Primæ, quod post ejus exortum celebratur, vel invitos dicere compulit. Sed priusquam hinc longius abeamus, operæ pretium fuerit solerter indagare, cur antiquissimi Christianæ fidei Principes & Doctores versus Orientem orandum esse decreverint. Nam teste Tertulliano in Apologetico, quidam Gentiles à Christianis adorari Solem existimârunt, quod ad Orientis regionem precarentur. Percellit acriter animum meum hæc difficultas, nam priscos Ethnicorum Sacerdotes ad hanc cœli partem conversos sacrificasse, memini me legisse apud veteres Scriptores Græcos, & Latinos: atque hunc fuisse morem Magorum, & Pythagoreorum scribunt Herodotus *p*, & Cœlius Rhodignus *q*. Sanè Poëtarum Princeps sic canit *r*:

*Illi ad surgentem conversi lumina solem*
*Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro*
*Summa notant pecorum, paterisque altaria libant.*

Ubi Servius Grammaticus *s*; Disciplinam, inquit, ceremoniarum sequutus est, ut Orientem spectare diceret eum, qui esset precaturus. Ovidius *t* in Fastis:

*Hæc Dea placanda est, hæc tu conversus ad ortus*
*Dic quater.*

Valerius

f *Macrob. 1. Satur. à c. 17. ad 23.* g *Nonnus in Dionysiac. lib. 40. v. 396.* h *Proclus in Hym. solis v. 24.* i *Statius 1. Thebaid.* k *Jul. Aurel. de cogn. Deorum lib. 1. cap. 4. & lib. 3. cap. 6.* l *Mart. Capella de nuptiis Merc. & Philologiæ l. 2.* m *Trismeg. Piman. cap. 5.*

n *V. Cluverium lib. 1. Germ. antiquit. c. 26. & Vossium de Idololatria à c. 2. usque ad 18.* o *Maximus Medauren. Ep. 43. inter Epist. D. August.* p *Herodot. l. 1.* q *Cæl. Rhodig. antiq. lect. l. 12. cap. 9.* r *Virgil. 12. Æn.* s *Servius ibid.* t *Ovid. Fastor. lib. 4.*

Valerius Flaccus in Argonauticis *u*,

*Imperat hinc altè Phœbi surgentis ad orbem*
*Ferre manus, totisque simul procumbere campis.*

Ex hoc ritu Latinus Pacatus Drepanus *x* statim post exordium sui Panegyrici hæc habet: Ut divinis rebus operantes in eam cœli plagam ora convertimus, â qua lucis exordium est; sic ego vota verborum, quæ olim nuncupaveram, soluturus, id oratione tempus afficiam, quo Romana lux cœpit. Inter Græcorum Epigrammata unum erat cujusdam Posidippi *y*, in quo testatur Antiquorum templa ita constructa fuisse, ut qui in eis orarent, Orientem respicerent. De eadem re Vitruvius *z*: Qui adierint, ait, ad aram immolantes, aut sacrificia facientes, spectent ad partem cœli Orientis. Apuleius *a*; Tunc Orientem obversus, & incrementa solis augusti tacitus imprecatus. Dionysius Thrax *b*, Antiquorum templa statim orientem solem solebant excipere, & statim orto lumine fenestris, ac foribus patefactis repleri, ubi sacrificia fiebant. Hyginus Gromaticus *c*; Posteâ placuit omnem Religionem eò convertere, ex qua parte cœli terra illuminatur. An igitur Catholica Ecclesia damnatos gentium ritus hac in re studuit imitari? Absit. Aliæ sunt causæ sanctissimi instituti, quas Orthodoxi Patres observârunt.

3. Et primò quidem ad Orientem conversi hac de causa oramus, quia nos exules esse, & peregrinos profitemur, & ad patriam nostram, unde ejecti sumus, ad terrestrem scilicet paradisum, quem Deus plantavit in Eden ad Orientem, suspiramus. Rectè Basilius magnus *d*: Omnes quidem inter orandum Orientem aspicimus; pauci autem scimus, quod antiquam patriam inquirimus, paradisum quem plantaverat Deus. Hanc eamdem rationem Moses Barcepha *e* Episcopus Syrus auctoritate multorum Patrum confirmat; atque ita ait constructa olim templa, ut ad solem orientem in mense Nisan, in æquinoctio scilicet vernali, obversa sit fabrica, quia nimirum illo mense suprâ paradisi locum sol oriatur. Et sic fermè antiquiores Basilicæ etiam nunc constructæ apparent, ut ortum respiciant æquinoctialem. Quare Sidonius Apollinaris *f* describens Ecclesiam à S. Patiente Lugdunensi Episcopo constructam, hæc inter cætera scribit:

*Ædes celsa nitet, nec in sinistrum,*
*Aut dextrum trahitur; sed arce frontis*
*Ortum prospicit æquinoctialem.*
*Intus lux micat, atque bracteatum*
*Sol sic sollicitatur ad lacunar,*
*Fulvo ut concolor erret in metallo.*

Deinde dicit Barcepha *g* ad orientalem portam paradisi solam, non etiam ad reliquas collocatam esse custodiam, quia Orientis Regio præstituta erat, ut esset locus adorandi Deum. Huic doctrinæ consentire videtur Gregentius *h* Archiepiscopus dicens. Nos ad solis ortum orare edocti sumus, quoniam illic Deum invenimus, qui hominem formavit, & paradisum condidit. Sed clarius de hac re loquitur Germanus *i* Archiepiscopus Constantinopolitanus: Orientem versus precari traditum est ab Apostolis sanctis, propterea quod spiritalis Sol justitiæ Christus Deus noster in terra apparuit in orientis solis sensibilibus partibus: propterea etiam quod nos denuò paradisum illum in Eden expetimus, & speculamur ab Oriente, recuperatum iri expectantes: & etiam recipientes ortum illum lucis appariturae in Domini secundo adventu, & regeneratione.

4. Secundam causam assignat Justinus Martyr *k*, sive quisquis est Auctor quæstionum ad Orthodoxos apud ipsum, ostendens hanc orandi consuetudinem ab Apostolis acceptam, non quod divinum habitaculum in illo climate existiment constitutum, sed quia Deo semper ea, quæ meliora sunt, destinamus; illa autem mundi pars hominum opinione præstantissima censetur. Nam ut scribit Dionysius Halycarnassæus *l*: Pars Orientalis nobilior ex Hetruscorum disciplina, & ex augurum Romanorum traditione felicior putabatur in captandis auspiciis. Accedit Augustini *m* sententia dicentis: Cum ad orationes stamus, ad Orientem convertimur, unde cœlum surgit: non tanquam ibi sit Deus, & quasi cæteras mundi partes deseruerit, qui ubique præsens est non locorum



*u* *Val. Flacc. l. 2. Argonaut.* *x* *Lat. Pacatus in Pan. ad Theod.* *y* *Possidip. apud Nat. Comit. l. 1. Myth. cap. 10.* *z* *Vitruvius l. 4. Architect. c. 5.* *a* *Apuleius l. 4. Metam.* *b* *Dionysius Thrax libro 3. Diæres. apud Lud. de la Cerda in 8. Æneid.* *c* *Hyginus de limitibus.* *d* *Basilius l. de Spiritu sancto capite 27.* *e* *Moses de paradiso p. 1. c. 13.* *f* *Sidon. Apoll. l. 2. Ep. 10. ad Hesperium.* *g* *Moses in fine p. 2. de Paradiso.* *h* *Gregent. in disput. cum Herbano Judæo.* *i* *German. in Theoria rerum Ecclesiast.* *k* *Justinus q. 118.* *l* *Dionys. Halic. l. 2. antiquit. Roman.* *m* *Aug. l. 2. de ser. Dom. in monte cap. 9.*

spatiis, sed majestate potentiæ; sed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem se convertere, id est ad Dominum, cum ipsum corpus ejus, quod est terrenum, ad corpus excellentius, id est, ad corpus cœleste convertitur. Divinitas autem, ait Nicetas *n*, per Orientem designatur, utpotè altum, & excelsum, quoniam cum sol oritur, in sublime fertur.

5. Tertia ratio est, quia Christus, quem oramus vera lux est, verumque Oriens. Ideò benè dicit Chrysostomus *o*: Hoc semper appetamus, ut conversi ab Occidente, intenti ad Orientem agnoscamus Deum omnipotentem. Venit lux in mundum, radiavit mentibus nostris obscuris, declarata sunt tetra, manifestata sunt occulta, tenebrosa aperta, ut lux oriretur nobis. Ita Propheta pollicitus est *p*: *orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ*. Psalmista item dicit *q*: *lux est justis, & rectis corde lætitia*. Igitur in oratione à Christo vero Sole illustramur, sicut illustrantur à sole corporeo, qui respiciunt ad Orientem. Sententia Platonis est, quam laudat, & citat Nazianzenus *r*, idem in sensibilibus esse solem, quod Deus in intellectibilibus: ut enim hic mentem, ita ille oculos illustrat; atque ut hic res eas omnes, quæ animo, & ratione intelliguntur, pulchritudine vincit; ita etiam ille eas, quæ oculorum sensu percipiuntur. Approbat hanc sententiam disertis verbis Athanasius *s*: Non ideò adoramus ad Orientem, quod in ea parte mundi Deus aliquo modo circumscriptus habitet, sed quia Deus lux est vera: eam ob causam ad creatum istud lumen conversi, non illud, sed Creatorem adoramus, & ex elemento omnium splendidissimo omnium elementorum splendidissimum Creatorem veneramur. Consentit Clemens Alexandrinus *t*: Quoniam autem diei natalis imago est oriens, illinc quoque lux augetur, quæ primum illuxit ex tenebris; sed etiam iis, qui volutantur in ignoratione, exortus est dies cognitionis veritatis, ideò orantes docemur verti ad orientem. Sic honor qui ab Ethnicis soli creato deferebatur, datus est à fidelibus Christo vero soli: sicut de Circensibus ludis, qui fiebant in honorem Solis loquitur Corippus Africanus *u* his versibus:

*Hunc veterum primi ritum non ritè colebant.*
*Esse Deum solem recta non mente putantes.*
*Sed factor solis postquam sub sole videri*
*Se voluit, formamque Deus de Virgine sumpsit*
*Humani generis, tunc dempto solis honore*
*Est Christo delatus honor.*

Memorabile est, quod Palladius *x* refert in Historia Lausiaca, Elpidium Abbatem totis viginti quinque annis nunquam versum fuisse ad Occidentem, sed semper ad Orientem respexisse, quamvis spelunca ejus posita esset in cacumine montis: adeò hujus ritu orandi ad Orientem tenax fuit. Huc etiam pertinet quod de quodam adolescente narrat in prato spirituali Joannes Moschus *y*: hic enim de homicidio falsò accusatus militibus dixit; Per Dominum vos rogo, suspendite me ad Orientem, ut illum videam, quando suspensus ero. Sed postea ab imminenti morte liberatus fuit.

6. Quartam rationem docet Damascenus *z*, cui adstipulantur Cassiodorus *a*, & Hugo Eterianus *b*. Dominus enim cruci pro nobis affixus humeros ad Orientem, faciem vertebat ad Occidentem. Ideò nos oramus ad Orientem, ut in faciem Christi respiciamus. Adde quod, juxta Propheticum carmen, psallimus Domino, *c qui ascendit super cœlos cœlorum ad Orientem*, ut eum ascendentem in cœlum corde, & votis prosequamur. Hinc etiam Magi venerunt ab Oriente adorare Dominum, ut fides, quæ sol animæ est, inde inciperet apparere, unde sol oriri solet. An non item ex Oriente in fine dierum creditur esse venturus? Ad Orientem idcircò convertimur, ait Hilarius Pictavensis *d*, quia ipse, secundùm Propheram, oriens ex alto sit, & ascendit ad Orientem, ut eò regressus unde descenderat oriens noscceretur, ipseque sit omnibus in hunc cœlestis sedis ascensum rursus auctor oriundi. Nam idipsum sequens sermo significat, cum dicitur; Ecce dabit voci suæ vocem virtutis. Numquid ulla vox potest majoris esse virtutis, quam dissolutorum corporum pulverem in formam cogere, soliditatemque membrorum, & vitam rursum in homines, animasque renovare, & corruptionem naturæ imbecillis naturæ cœlestis incorruptione mutare? Hæc humanæ spei vera, & perfecta constantia est, hæc divinæ magnificentiæ bonitas absoluta. Aliam

n *Nicet. in orat.* 39. *Naz. n.* 15. o *Chrys. tom.* 1. *Hom. in cap.* 6. *Zach.* p *Malach.* 4. 2. q *Psal.* 96. r *Nazianz. orat.* 34. *quæ est* 2. *de Theolog.* s *Atha. qu.* 37. *ad Antiochum, si tamen ejus est hic liber.* t *Clem. Alex. lib.* 7. *strom.* u *Corippus lib.* 2.

x *Pallad. c.* 108. y *Joan. Moschus cap.* 72. z *Damasc. lib.* 4. *de fide orth. cap.* 13. a *Cassiod. ad Psalm.* 67. b *Hugo Eterian. lib. de regressu anim. cap.* 14. c *Psalm* 67. d *Hilar. in Psalm* 67.

liam hujus causæ confirmationem habemus ab Athanasio *e*: Quare, inquit, oramus ad Orientem? Quia Spiritus sanctus per Davidem Prophetam præcepit *f*, *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Quod si Judæus objiciat, ubinam steterunt pedes Domini? Zacharias Propheta respondet *g*: *& stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum, qui est contra Hierusalem ad Orientem.*

7. Quinta tandem ratio esse potest, ut inter nos, & Infideles discrimen sit. Consuevit Ecclesia Dei, ait Lucas *h* Tudensis Episcopus, orare ad Orientem, ut per hoc à sectis variis, & erroribus separetur, quæ Sole justitiæ illustrata se Domino soli Christo Jesu desponsavit. Hæretici tenebris obcæcati à vero sole remanent alieni, & modò ad Orientem, modò ad Occidentem, modò ad Meridiem, modò ad Septemtrionem orant, & circumferuntur vagi in omnibus actionibus suis. Orant Saraceni ad meridiem, & Judæi diverso modo. Catholici verò, quibus divina Scriptura dicit, *i Vobis timentibus nomen Domini orietur Sol justitiæ*, orant ad Orientem divino oraculo admoniti per Salomonem, qui dicit Deo: *k Oportet solem prævenire ad benedictionem tuam, & ad orientem lucis ibi te adorare.* Et quia, ut ait David *l*, *exortum est in tenebris lumen rectis*, debet populus Dei respicere, & adorare ad Orientem, ut ille de quo dicitur, *m Oriens vocabitur nomen ejus*, qui est oriens ex alto Deus Israël, fideles lumine claritatis suæ perfundat, *qui habitat lucem inaccessibilem*, & in lucem suæ Divinitatis præcepit credere dicens *n*: *Credite in lucem, ut filii lucis sitis.* Testatur etiam ipsa Veritas *o*, quod *qui male agit, odit lucem, & qui facit veritatem, venit ad lucem.* Hactenus Lucas. Quod verò Turcæ, & Saraceni conversi ad Austrum orent, testatur Euthymius *p* in Panoplia. Manichæi, teste Augustino *q*, orationes faciebant ad solem per diem quaquaversum circumit: ad lunam per noctem si appareret; si autem non appareret, vertebantur ad Aquilonem. Mercurius Trismegistus *r* sole occidente ad Austrum respicere eum præcipit, qui oraturus est: at sole oriente in eum, qui dicitur subsolanus. Judæi autem orabant ad Occidentem, quia ostium tabernaculi ad Orientem respiciebat. Et illi quidem occidenti literæ insistunt habentes velamen in cordibus suis: nos spiritu vivificante illustrati ut filii lucis in luce ambulamus vero lumini adhærentes, de quo scriptum est, *s super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur.* Cæterum de hoc ritu præter Auctores supra citatos agunt Clemens Romanus *t*, Gregorius Nyssenus *u*, Anastasius Nicænus *x*, D. Thomas *y*, & alii recentiores.

e *Athanas. qu.* 37. *citata.* f *Psalm* 131. g *Zachar.* 14: 4. h *Lucas Tuden. lib.* 2. *adv. Albigenses cap.* 23. i *Malach.* 4: 2. k *Sap.* 16: 28. l *Psalm.* 111. m *Zach.* 6: 12. n *Joan.* 12: 36. o *Joan.* 3: 20. p *Euthym. Panopl. p.* 2: *tit.* 24. q *August. lib.* 20. *contra Faustum.* r *Trismegist. in fine Asclepii.*

## §. III.

*Veterum opiniones de sole. Verus Sol adorandus, qui est Christus. Quis sit ignis obscurans solem. Cur oremus horâ prima.*

1. ACHILLES Tatius *z* in Isagoge ad Arati Phœnomena veterum Physicorum ridiculas de sole opiniones recenset. Docet enim Plato solem ex igne constare: quidam è terræ, ac nubium exhalationibus. Philolaus eumdem quicquid habet igneum, ac transparens ex æthereo igne, qui supra ipsum est, exprimere putat, ac per quædam rimarum interstitia splendorem ad nos transmittere. Epicurus pumicis speciem habere censet, atque ex igne per quædam foramina splendorem ejaculari. Anaximander lucem ab eo, qui sit rotæ similis, emitti sentit. Hæraclitus scaphæ similem putat, Stoici sphæræ, alii disco. Quidam pedalem, alii octuplo, alii undevicies terra majorem faciunt. Omitto Porphyrii placitum relatu indignissimum, quod curiosus lector inveniet apud Georgium Pisidem in Cosmurgia. Plures quoque de sole absurdas opiniones referunt Theodoretus *a*, & Plutarchus *b*. Manichæi solem navim esse asserebant de purissima Dei substantia fabricatam, ut refert Augustinus *c*. Narrat Cyrillus Alexandrinus *d* Anaxagoram Philosophum morte



f *Isai.* 60: 2. t *Clem. Rom. lib.* 2. *const. apost.* u *Tertull. in Apolog. & lib. adv. Valentin. Origen. hom.* 5. *in Num. Naz. epist. ad Philagrium. Epiphan. lib.* 1. *tom.* 1. *cap.* 19. u *Greg. Nyss. lib. de orat.* x *Anast. qu.* 18. *inscript.* y *Thomas* 2. 2. *qu.* 84. *art.* 3. z *Achill. Tatius ad Arati Phæn. c.* 19. 20. a *Theoret. lib.* 1 & 4. *de cur. Græc. affect.* b *Plutarch. de Placitis Philosoph. lib.* 2. *cap.* 20. c *Aug. lib.* 20. *contra Faustum.* d *Cyrill. Alex. lib.* 6. *adv. Julianum.*

ab Athenienſibus damnatum fuiſſe, quod ſolis circulũ nihil aliud eſſe diceret, quam lapidem quemdam ignitum. Hic, ut refert Jamblicus, tametſi de ſole tam exigua ſentiret, interrogatus aliquando, cujus rei gratia natus fuiſſet, ut ſolem, inquit, contemplarer: Adeò externi luminis pulchritudine captus fuerat. Sed quam multipliciter peccarit, cũ hoc dixit Anaxagoras, Cœlius Lactant. l. 5. c. 9. oſtẽdit in divinis inſtitutionibus. E contra verò quidã ſanctorũ Patrum, quod B. Theodoro Studita ſerm. 18. narrante didicimus, cũ è cella prodiret, tegumentum capiti imponebat, ne aciem in ſolis jubar intenderet, cauſamq; rogatus reſpondit: Ecquid eſt cur temporarium lumen videre velim? Et rectè quidem. Nam, ut ait Magnus Greg. l. 22. mor. c. 2. ſancti viri poſtquam omnia præſentis vitæ oblectamenta deſpiciunt, præ illius lucis internæ dulcedine ab hac exteriori luce animum quaſi à tenebris avertunt: multumque ſecum intrinſecus contendunt, ne hujus lucis, quæ fulget extrinſecus, delectatione rapiantur. Hi ſunt, qui dicunt cum Propheta Domino, Hierem. 17:16. *Diem hominis non deſideravi, tu ſcis.* Hi ſunt, qui ſolam dilexerunt Sapientiam*, *& propoſuerunt pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius, candor eſt enim lucis æternæ, ſpecioſior ſole, & nihil inquinatum in eam incurrit.* Hi ſunt, qui verum adorant Solem, quem ſi quis ſequitur, *non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ Joa.* 8. 12. Idcircò prima diei hora, ſtatim ac ſol materialis exortus eſt, Solem juſtitiæ adorantes in ſpiritu, & veritate gratiſſimum adolent orationum incenſum, ut luce ſpirituali digni ſint illuſtrari. Solis enim inſtar Deus exoritur, ait Athan. *ſer. de Sabb. & circumciſione.* illuſtrans uniuſcujuſque animum. Non omnium autem hæc dies eſt, ſed eorum qui peccatis mortui ſunt, & vivunt Deo. Væ illis quibus obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo, ſuper quos factæ ſunt tenebræ palpabiles, & horribiles: *Iſai.* 13. 10. *neſcierunt neq; intellexerunt, in tenebris ambulant: Pſ.* 118. Et dicent in die judicii, *Sap.* 5. 6. *Ergo erravimus à via veritatis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Optime Baſilius *in Pſa.* 33. Quemadmodum ſenſibile hoc lumen non omnibus ſimiliter exoritur, ſed habentibus oculos, & vigilãtibus, his item qui nullo interſtite impedimento prohibentur, quin frui poſſint claritate ſolis primum adventantis: Sic & juſtitiæ Sol verum lumen, quod illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundũ, nõ omnibus ſuum ſplendorẽ præbet, ſed his qui vivendi formulã nihil ipſo indignam exigunt.

2. Satagendũ eſt igitur, ut primitias diei pura mentis intentione offeramus Domino, ut qui ad principium diei nos pervenire fecit, ſua virtute incolumes ad ſalutaria cuncta perducat: ne fortè in nobis prophetica illa commination adimpleatur, *Pſa.* 57. *ſupercecidit ignis, & non viderunt ſolem.* Ignis iſte fumoſus lucidiſſimum ſolis jubar obſcurans ignis ſuperbiæ eſt ut explicat Auguſt. in Pſal. 57. ignis concupiſcentiæ, ignis iracundiæ. Quantus ignis eſt? Super quem ceciderit non videbit ſolem. Quem ſolem? Non iſtum, quem tecum vident, & pecora, & muſcæ, & boni, & mali: eſt & alius ſol, de quo dicturi ſunt illi, Sol non eſt ortus nobis, quia vicit illos concupiſcentia carnis. Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem. Hunc ignem vocat Bernard. *ſer. 2. de Purific.* ignem alienum, quem ſi quis in divino ſacrificio offerre præſumpſerit, etiamſi patrem habeat Aaron, morietur in iniquitate ſua. Portò ignis alienus, ait Abſalon Abbas *ſer. 25. qui eſt 2. de Pent.* eſt luxuria, quæ eſt in cubilibus, & impuditiis: ignis alienus eſt iracundia, quæ eſt in diſſenſionibus, & contumeliis; ignis alienus eſt invidia, quæ eſt in detractione alienę virtutis. Ignis alienus, inquit Ambroſius *annot. 1. in Levit.* eſt libido. Ignis alienus eſt omne incendium injuſtę cupiditatis. Ignis alienus omnis ardor avaritiæ. Hoc igni nemo mundatur, ſed exuritur. Sacrificia verò ſua alieno incendunt igni, qui Deo ſerviunt non ex amore, ſed pro lucro externo, ut Joann. Rusbroch. *de tabern. fœd. c.* 116. ſcribit rerum divinarum contemplator eximius. De eadem re ſic diſſerit Paulin. *Ep.* 29. *ad Aptum,* ſanctiſſimus Nolæ Epiſcopus. Ignem mihi alienum videtur accendere, quiſquis corporeæ, vel ſæcularis alicujus cupiditatis ignem in ſacrario ſui cordis accendens audet appropinquare altaribus Domini, quæ non recipiunt niſi illius ignis accenſionem, de quo ait; Ignem veni mittere in terram. Hic ſolus ignis igni reſiſtet æterno. Sed dicis mihi. Quomodo poſſum hunc ignem alienum elongare à meipſo, ſi in peccatis natus ſum totus, & in peccatis concepit me mater mea? Precare Solem juſtitiæ, ut oriatur in te, & præoccupet cor tuum in ſpiritu ardoris. Ipſe venit mittere ignem in terram, ſi hic ignis in altari cordis tui ſemper ardebit, alieno igni locus non erit; à facie enim Domini extinguetur. *Vox Domini intercidentis flammam ignis. Pſ.* 28. *Quod ſi non dixeris,* ait Iſaias *c.* 8. 20. *juxta verbum hoc, non erit tibi matutina lux.*

3. Ideò fit Primæ horę celebratio, ut verbis utar *Rab. Maur. de inſtit. cler. l.* 2. *c.* 3. quia in exortu diei oportet ut Solem juſtitię nobis oriri poſtulemus. Sic incipiente die Evangelici præcepti non ſurdi auditores primum quærimus regnum Dei, & juſtitiã ejus, ut & cætera adjiciantur nobis *Mat.* 6:33. Sic juxta legem *Exod.* 13:12. quod primò naſcitur Domino conſecramus. Sic cum ſanctis mulieribus orto jam ſole *Marc.* 16: 2. venimus ad monumentum, ut myſticis orationum unguentis ungamus *Jeſum.* Sic cum Rege Liricine interficimus in matutino omnes peccatores terræ *Pſ.* 100. quia, ut ait *Hier. l.* 2. *in Iſaiam.* orto nobis Sole juſtitiæ omnes ſtatim cogitationes interficimus, quæ ad peccata nos provocant, & de civitate mentis noſtræ diſperdimus peccatores. Sic Sapientis* admonitionem libenter audimus, & efficaciter adimplemus ad ortum lucis adorantes Dominũ, ne internæ dulcedinis manna exiguo ſolis radio calefactũ rabeſcat. Sicut autẽ ovibus manè ad paſcua exeuntibus neceſſarius eſt paſtor, qui eas à lupis

* *Sap.* c. 7.

* *Sap.* 16: 28.

lupis defendat: ita etiam nos, ut docet *Amal. l. 4. de div. offic. c. 2.* initio diei ad opera, & mandata Domini surgentes pastoris boni custodia indigemus, qui lupos abigat irruentes, de quibus legimus *Joa. 10. 12.* & lupus rapit, & dispergit oves. Cæterùm hora ista sancta est, qua Dominus noster illusus, consputus, & alapis cæsus Pilato propter nos ligatus astitit *Mat. 27. 1.* ad omnem contumeliam, & adversitatem patienter sustinendam suo exemplo nos erudiens. Hac item hora post gloriosam resurrectionē in magna piscium captura, *Joa. 21.* qui cum tanti essent, non est scissum rete, Eccl. Cathol. propagationem prefiguravit, & veram carnis resurrectionem in piscis assi comestione evidenter ostendit. Sunt qui scripserint horā Primam celebrari in memoriam Dominicæ Resurrectionis: at omnium rectè sentientiū fides est Christum ante solis exortū surrexisse.

## §. IV. CAPUT VI.

*De matutinis salutationibus. Prima quando fuerit instituta, & qua hora persolvi debeat.*

1. MAgnus Leo [a] quem Abbas Spanhemensis [b] Ecclesiasticæ dictionis Tullium appellat, elegantissima oratione Christianos redarguit, qui manè ad nascentem solem deflexi curvatis cervicibus in honorē se splendidi orbis inclinabant: quod paganitatis quodā spiritu factum dolet S. Pontifex. Gentiles enim, præterquam quod ipsum Solem adorabant, ut jam ostensum est, credebant quoque matutinas salutationes Diis esse gratissimas, quare primam diei horam certis ritibus iisdem nunciabant. Didici hunc morem à Philosophis Medaurensi [c], qui in fabula Melesia hæc habet. Inchoatæ lucis salutationibus Religiosi primam nunciantes horam perstrepunt. Tacitus [d] quoq; ait: Orientē solem, ut in Syria mos est, Tertiani salutavere, ex nostris autē Arnobius [e] rem indicavit his verbis. Quid sibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini collatis ad tibiam vocibus? Obdormiscunt enim superi, remeare ut ad vigilias debeant. In hunc etiam ritum invehitur Romanus Sapiens [f]. Veremus salutationibus matutinis fungi, & foribus assidere templorum. Erat autē salutationis matutinæ propria illa vox *Ave*, juxta illud Mart. [g]

*Et matutinum portat ineptus Ave:*
Et alibi [h]. *Discurris tota vagus urbe, nec ulla cathedra est,*
*Cui non manè ferat irrequietus Ave.*

Non enim erga Deos dumtaxat, sed etiam erga homines hujusmodi salutationibus utebantur. Quo verò ritu Deos salutaverint, Barnabas Brissonius [i] in doctissimo libro Formularum luculenter ostendit. Hæc est gentium consuetudo, quam Leonis reprehensio sugillat, ne quis fortè parum linceæ mentis primæ horæ officium, aut orationis ad orientē mysteria tanti viri auctoritate sustollere conetur. Satis clarè se explicat S. Doctor, dum ait: Expergiscere ô homo, ut ere creaturis quomodo utendum est, & quicquid in eis pulchrum, atq; mirabile est, refer ad laudem, & gloriam Conditoris. Utinā corda nostra veri luminis jubar illustret. Lux pietatis veri splēdor oriētis est. Quantū distat à splēdore solis soli hujus caligo! Orandū igitur, ut mūdi hujus tenebras claritatis suę radiis expellat Deus.

[a] *Leo serm. 7. de Nativit.* [b] *Trithemius de Script. Eccl.* [c] *Apuleius l. 11.* [d] *Tacit. l. 3. hist.* [e] *Arnobius 7. cont. gent.* [f] *Senec. ep. 95.* [g] *Martial. l. 1. ep. 56.* [h] *Id. l. 4. ep. 79.* [i] *Brisson. de form. l. 1.*

## METRUM XII.

*Magne Rex terræ nitidiq; cœli,*
*Christe, qui nutu moderaris orbem,*
*Mentis arcanū jubar, & paternæ*
*Lucis imago.*
*O sacrum cœli decus, & coruscī*
*Luminis candor sine nube fulgens,*
*Huc ades, puro tibi dū sacramus*
*Carmina voto.*
*Serviunt cursu tibi concitato*
*Nox, dies, annus, properique menses,*
*Teque circumstant glomerata blandis*
*Astra choreis.*
*Huc nitēs cæcis malè pulsa terris*
*Lux ades nulla temerata nocte,*
*Mysticum lumen, nivcosq; nobis*
*Annue mores.*
*Pax, fides tecū, pietas, & omnis*
*Audeat virtus remeare ab alto,*
*Pectus illustra, refluatque summi*
*Flumen amoris.*
*Erudi terras meliore flamma,*
*Et peregrinas tibi fundat oras*
*Prodigus laudes populus sacratam*
*Pronus ad aram.*
*Annuos cultus, patriosque ritus*
*Lætus antiqua renovare pompa*
*Indus, & Maurus, gelidiq; discat*
*Incola Ponti.*

2. Porrò quod spectat ad officium Primæ, nulla ejus expressa mentio apud Patres Cassiano antiquiores reperitur, quicquid dicant Franciscus Turrianus [k] vir alioquin eruditissimus in notis ad Clementem Romanum, & Marianus Victorius [l] vir etiam emunctæ naris in scholis ad Epistolas Divi Hieronymi [m]. Iste enim, & alii Patres cum manè orandum esse dicunt, non de Prima, sed de Laudibus matutinis intelligi debent, quod disertè demonstrat exactissimus Scriptor Marcellus Francolinus [n]. Tametsi autem Franciscus Suarez [o] de hujus assertionis veritate dubitare videatur, certum est tamen, quod Cassianus [p] asserit testis omni exceptione major, Primam scilicet suo tēpore in suo Bethleemitico Monasterio celebrari cœpisse, ne Monachi post Laudes usque ad Tertiam otiosi, & somnolenti jacerent in celliis, cum nulla conventus necessitas eos ad orationem exire compelleret. Vocat eam alteram matutinam, quam à matutinis laudibus ex eo distinguit, quod hanc tribus psalmis absolvi dicit: ad laudes verò decantari ait psalmū *Laudate Dominum de cœlis*, cum duobus sequentibus. Porrò quinquagesimum, inquit, & sexagesimum secundum, & octogesimum nonum huic novellæ solemnitati novimus fuisse deputatos. Nec est quod scrupulum alicui moveat August. qui initio secundę regulę expressam Primæ mentionem facit: nam præter alias conjecturas satis evidentes, quas censores operum Augustini notarunt, vel ex hoc liquet, falsò ei attributam hanc Regulam, quam ideò Lovan. Theol. inter Pseudepigrapha relegarunt. Similiter hymnus Primæ, qui criticorū animum vellicare poterit, vel non est Ambr. vel ab eo cōpositus, ut privatim diceretur, postea publico Primæ officio aptatus fuit. Hęc de Lat. Patribus



[k] *Turrian. ad c. 34. l. 8. constit. apostolic.* [l] *Mar. Vict. ad ep. 7.* [m] *Hier. ad Latam.* [n] *Francolin. c. 14.* [o] *Suarez de relig. l. 4. cap. 5.* [p] *Cassian. lib. 3. de instit. cœnob. c. 3. 4. & 6.*

dicta sunto; nam si ad Græcorum calculos res ista revocetur, sunt qui de Prima Chrysostomum, & Athanasium loquutos asserant. Hic enim libro de virginitate, Sol, inquit, exoriens videat librum in manu tua. Ille autem in fine libri primi de orando Deum; Dic mihi, ait, qua fronte solem intueberis, nisi prius adoraveris, qui lumen illud dulcissimum oculis tuis mittit? Sed hæc testimonia de privata oratione intelligi possunt: Primæ autem officium, cui satis superque est mille & amplius annorum vetustas, statim post ortum solis persolvi debet. Patet id manifestè tum ex Cassiano, tum ex Amalario, & Hugone, tum etiam quia à prima hora diei, à prima scilicet hora post ortum Solis denominatur. Cum enim diem artificialem pro celebrandis horis Canonicis in quatuor partes divisissent Antiqui, solebant in fine singularum partium singulas Canonicas preces singulis trihoriis persolvere. Sed cum postea Primam, & Completorium pro initio, & fine diei adinvenissent, jam ex prima diei parte, quæ primam, secundam, & tertiam horam continebat, & officio Tertiæ assignabatur, primam horam pro officio Primæ separarunt: duodecimam pro Completorio, ut supra capite tertio explicatum est. Drogo Abbas *q* in ipso solo exortu celebrandum esse Primam existimat: sic enim scribit: Horæ primæ laudatio à sanctis Patribus ex oriente sole constituta est celebrari: quæ si aliquando tardius, vel celerius negotiis exigentibus celebretur, nobis horæ debitæ officium congruo tempore persolventibus, hujus similiter & cæterarum statutus terminus penes eum, cui cuncta sunt præsentia, relinquatur.

q *Drogo Abb. tract. de horis canonicis.*

## Caput VII.

# DE TERTIA.

### §. I.

*Horæ Tertiæ mysteria. Numerus Ternarius commendatur.*

### METRUM XIII.

*Quis me Numinis impetus*
*Sublimem vacuo librat in aëre?*
*Falsa lador imagine?*
*An celsum volueris transilio polum?*
*Quo me nubila præpetem*
*Attollunt rapido turbine concitum?*
*Aut quis me potuit furor*
*Stellis inserere, & concilio Dei?*
*Absistant procul impii,*
*En præsens Deus est: Sentio Spiritum.*
*Rugitu reboat polus,*
*Atque æther rapidis depluit ignibus.*
*O vos pectora pandite,*
*Quos Numen populi cædibus eripit.*
*Nil parum, aut humili modo,*
*Nil mortale loquar. Sed referens Deo*
*Gratas obsequii vices,*
*Devotis feriam fidera vocibus.*

1. Elevatus est enim ab ortus sui primordio igneus solis splendor, altius processit, dilatavit radios, incaluit, & invaluit acrius ardens, efficacius illuminans, potentius influens. Novis igitur illustrata fulgoribus fidelium Ecclesia tertia diei hora rursum laudes Deo canit, nova luce divinæ cognitionis induitur, novo veritatis splendore allicitur, sacrarumque precum delectabili suavitate pinguescit. Quomodo enim hac hora tacere poterit, quam tot veneranda mysteria, ipsaque spiritus sancti gratia cœlestium charismatum sacramentis nobilitarunt? Nimirum hac hora Dominus noster ex sententia Ruperti Abbatis *r* spinis coronatus Judæorum vocibus crucifixus est, juxta illud *s*, *Filii hominum dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus*: nam Pilato judicante illum dimitti, firmaverunt sibi sermonem nequam pertinaciter clamando, crucifige, crucifige. Et ille quidem iniquus judex sacrilegis Judæorum clamoribus commotus auctorem vitæ morte turpissima condemnavit. Jesus autem cum iniquis reputatus Agnus sine macula sævissimæ luporum rapacitati traditus est. Tum bajulans sibi crucem ad locum supplicii contumeliis, & blasphemiis lacessitus pervenit: ipsoque patibulo in terra defixo immania tormentorum genera erga ipsum Dei Filium innovata sunt. Hæc verò omnia hora tertia contigisse Ignatius Martyr *t*, & Athanasius *u* observant.

2. Ipsum etiam Tertiæ nomen ex ternarii numeri significatione multa suggerit haud indigna solerti consideratione. Trias princeps imparium numerus, perfectusque censetur, nam prior initium, medium, & finem sortitur: & quia unitate media interveniente sectionem non recipit, ut in duo æqua dividatur, ideò, teste Hugone *x*,

r *Rupert. l. 1. de div. off. c. 3.* s *Psalm 56.* t *Ignat. ep. ad Trallian.* u *Athan. lib. de Virginit.*

gone *x*, indissolubilia, & incorruptibilia designat. Monadem fabricatori Deo, diadem materiæ, triadem idæalibus formis aptatunt Antiqui *y*, ac propterea ipsa Trias mundana perfectio est. Celeberrimum est Pythagoræ dogma *z* numerum ternarium masculum esse, & aptissimum ad agendum. Atque hinc emanasse arbitror vulgata illa inter sapientes proloquia, Tria esse omnia, Tria in sacrificiis offerri debere, ut sic omnia in Deum Conditorem referri viderentur. Trina in corporibus dimensio est: Geometrici corporis prima planities tribus lineis constat, quibus trigonalis forma concluditur. Formæ & actui ob perfectionem attribuitur Ternarius. Monas per Ternarium omnia perficit, ac definit: estque Trias unitatis tam internæ, quàm externæ fœcunda expressio. Pythagoras, qui primus in Italiam Philosophiam invexit, tantum Ternario tribuit, ut omnem Deitatis rationem eò perfici affirmârit. Idem nullum numerum in se amplius duci voluit, quam trino progressionis ordine, adeò cubum in numeris velut complementum observabat. Porrò hunc numerum habemus à natura: est enim progressus multitudinis ab uno, & ad unum regressus. Opifex seipso contentus summa unitas est, in creaturas, quas produxit, diffunditur binarius, easdem ad se revocando ternarium complet reductis omnibus in proprium finem. Unitas perfectissima est, binarius dividens infaustus, ternarius convertens in Deum felicissimus. Tres sunt rerum omnium proportiones, quas Timæus vincula nominat, Musica, Arithmetica, Geometria: his constat universi pulchritudo. Quid plura? Mundus Archetypus, adoranda scilicet, & augustissima Trinitas in simplicissima unitate hunc numerum modo prorsus ineffabili consecravit. Extant in sacris literis innumeri propè ternarii, quos sancti Patres ad hujus mysterii notitiam applicârunt. Theologi quoque cum Magistro sententiarum *a*, imaginem, & vestigium Trinitatis in omnibus creaturis trina rerum diversarum expressione agnoscunt, & admirantur. Adorabilis sancta Trinitas, ait Chrysostomus *b*, in Ternario gloriam habet, & veneratur Deus Ternarii prædicationem in terra, & virtutum numerum, quod numero Sanctæ Trinitatis respondeat. Multi sunt Patriarchæ, & Deus seipsum vocat Deum Abraham, Isaac & Jacob. Non quod non sit etiam Deus Moysis & aliorum, sed veneratur sicut in imagine in terrenis cœlestia. Quid dicam de mundo Angelico, cujus triplex Hierarchia, & cujusque Hierarchiæ triplex chorus, triplex item actus purgandi, illuminandi, & perficiendi? Quid de cœlesti, ejusque motu? Quid de elementari? Quid de Microcosmo, ejusque potentiis & facultatibus? In his enim omnibus admirabilis Ternarii vis, & efficacia relucet.

3. Volunt Platonici apud Franciscum Georgium Venetum *c* res omnes superiores Ternarii cubo, inferiores autem triplici enneade comprehendi. Potho *d* Prumiensis Presbyter in libris de domo Dei inter multa, quæ de hujus numeri excellentia differit, illud præcipuè subtilissimâ indagatione investigat, quomodo Ternarius ad animam pertineat. Poëtæ cum sacrificia, libamina, & lustrationes describunt, hunc numerum solent adhibere. Virgilius in Pharmaceutria.

*Terna tibi hæc primum triplici diversa colore*
*Licia circumdo, terque hac altaria circum*
*Effigiem duco.* & paulò post.
*Necte tribus nodis ternos Amarilli colores.*

Idem In Georgicis *e*.

*Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam,*
*Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit.*

Et in Æneide *f*.

*Idem ter socios pura circumluit unda*
*Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.*
*Lustravitque viros.*

Ovidius *g*.

*Terque senem flamma, ter aquâ, ter sulphure lustrat.*

Idem *h*.

*Terque manu permulsit eum, tria carmina dixit,*
*Carmina mortali non referenda sono.*

Propertius *i*.

*Terque meum tetigit sulphure & igne caput.*

Joannes Tzetzes *k* in historiis triplicem mortuorum conclamationem commendat ex Homero. Theocritus in Idyllis *l*, Apollonius in Argonauticis ***, & alii Poëtæ passim eodem numero utuntur. Deficiet me dies singula enarrantem, quæ ad Ternarii commendationem faciunt. Plura curioso lectori suppeditabunt Girardus Rufus

*x* Hugo Vict. lib. de scriptis. cap. 15. *y* Martian. Capella l. 7. *z* Aristoteles 1. de cœlo. *a* Magist. 1. sent. *b* Chrys. tom. 4. hom. in illud Apost. cum autem subjecta illi fuerint omnia.

*c* Fr. Venet. Harm. mundi cant. 1. to. 3. & 5. *d* Potho l. 2. & 4. de Domo Dei. *e* Virg. Georg. lib. 4. *f* Æneid. l. 6. *g* Ovidius lib. 6. metaph. *h* lib. 4. Fastorum. *i* Proper. lib. 4. eleg. 9. *k* Tzetzes Chiliad. 5. v. 550. *l* Theocr. Idyll. 2. *** Apollon. l. 2.

Rufus *m* in Mysticis commentationibus ad Severini Boethii Arithmeticam, Annibal Rosselius *n* in Pymandrum Trismegisti, Nicolaus Cusanus *o* de docta ignorantia, Marsilius Ficinus *p* in Plotinum. Petrus Bongus *q* de mysteriis numerorum, Ausonius *r* in grypho ternarii, Macrobius *s* in somnium Scipionis, Martianus Capella *t* libro de nuptiis Philologiæ, Nicomachus Gerasenus in Arithmetica Theologica apud Photium *u*, Albinus Flaccus *x* apud quem extant quidam versus Sancti Ambrosii de Ternarii mysteriis, & alii plures. Mihi non libet hæc diutius sectari, meritò enim imprudentiæ accusarer, si lucem à minutis facibus mutuarer, quando fulget splendidissimus Sol.

## §. II.

*Horâ Tertia oramus ob adventum Spiritus sancti. Gratia Spiritus sancti quid operetur in anima.*

1. OBservat Isidorus *y* Ecclesiasticorum rituum solertissimus indagator, illud ad horæ Tertiæ illustrationem maximè facere, quod Spiritus sanctus ipsa horâ tertiâ, hoc est, suo loco, & numero, & tempore, cum sit tertia individuæ Trinitatis persona, ad terras descendit impleturus gratiam, quam Christus promisit Ecclesiæ. Hæc est potissima ratio, ad quam respicientes majores nostri horam tertiam divinis laudibus dedicârunt. Basilius *z* primi nominis auctor hujus institutionis rationem his verbis exequitur. Tertiâ horâ congregentur fratres ad orationem, ut admoniti doni Spiritus, quod circiter hanc horam Apostolis datum fuit, uno eodemque animo cuncti illum venerentur, ab eoque petant, ut & ipsi digni sint, qui sanctificationem suscipiant, simulque ut salutaris sibi doctrinæ, & recti itineris Dux esse, & auctor velit, illum imitantes, qui dixit *a* *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me! Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Et alio in loco *b*, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*: atque ita denuò ad intermissa opera redeatur. Ergò hæc hora omni devotione digna totâ cordis jucunditate celebrari debet, qua signis visibilibus invisibilis Spiritus manifestari dignatus est veniens super discipulos in linguis igneis, ut verba ignea loquerentur, & legem igneam, legem charitatis igneis linguis prædicarent. *Cœli distillaverunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel* *c*: & qui jam dederat Filium in pretium redemptionis, dedit & Spiritum sanctum in privilegium adoptionis. O Deum, exclamat Guerricus *d* mei ordinis Abbas sanctissimus, ô Deum, si fas est dici, prodigum sui præ desiderio hominis. An non prodigum, qui sicut proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; sic nec Spiritui sancto pepercit, ut ita loquar, sed novâ, & mirâ largitate super omnem carnem effudit illum? Qualem utique oportuit, accepimus consolatorem ubique præsentem, protectorem omnipotentem, doctorem omnia scientem. Talem sanè exigebant miseriæ nostræ, vitia nostra, errores nostri: Talem, inquam, qui ubique esset, omnia posset, omnia sciret. Talem scilicet, qui posset tot dispersos colligere, tot oppressos protegere, tot exules revocare, tot incredulos docere, inter tot discrimina custodire.

2. Quis tantâ polleat eloquentiæ laude, ut cuncta possit recensere pericula, quibus obsidetur quodammodò, & circumvallatur fidelis anima fugiens Ægyptum, ut in deserto religionis abominationes Ægyptiorum offerat Deo? Persequitur eam Pharao fugientem cum curribus, & equitibus suis: cogitant unanimiter adversus eam alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Etenim Assur ille magnus exterminator Diabolus venit cum illis. Quid multa? Urget undique inimicus, suscitat bellum, dimicat fortiter, insidias instruit, machinas admovet, ingens excidium minitatur. Jam fluctuat miles hæsitabundus, jam improviso hostium impetu commovetur, & qui noctis excubias fideliter peregerat, qui matutinæ precis splendore perfusus, solisque nascentis calore succensus in diei absessu se gloriam Deo cantaturum per mundi abstinentiam promiserat, jam necessariis externorum operum occupationibus distractus, temerarius in pro-

m *Rufus lib.* 1. *cap.* 9. n *Rossel. lib.* 2. *qu.* 1. *cap.* 1. *diffusissimè.* o *Cusan. lib.* 1. p *Ficin. in Plotin. lib.* 3. *Enn.* 1. q *Bongus cap. de Ternario.* r *Ausonius Idyll.* 11. s *Macrob. lib.* 1. *cap.* 6. t *Capella. lib.* 7. u *Photius Cod.* 187. x *Alb. Flaccus in fine ep.* 69. y *Isidor. de eccl. offic. lib.* 1. *cap.* 19. z *Basil. in regul. fus. disput. qu.* 37. a *Psalm.* 50.

b *Psalm.* 142. c *Psalm.* 67. d *Guerric. serm.* 1. *in die Pentec.*

prosperis, timidus in adversis, interno spiritus fervore paululum tepescente clamat cum Prophetae, *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei*: & *f*, *Quis consurget mihi adversus malignantes, aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?* In tanto igitur discrimine constitutus præclara orationis arma assumens per viam cœli proficiscitur, portas Domini intrat in confessione, atria ejus in hymnis, cumque ingenti fiducia ad thronum gloriæ accesserit; Nunc, inquit, in tanta necessitate tu sancte Spiritus periclitantium fortitudo, pereuntium salus, justorum custodia, pugnantium virtus, nunc promptus ingeri dignare nobis nostro refusus pectori. Adde ligna, novam struem beneficiorum, ut de novo igne succensa charitas non solùm ardens in se, sed & aliis lucens bonorum operum splendore proximos accendat. Sic veniente Spiritu sancto vires resumit conscientia, fugit timor, augetur spes, & inimici nostri pacatam videntes animam, *Quæ est*, inquiunt *g*, *tanta exultatio? Fugiamus Israelem, venit Deus in castra, Deus pugnat pro eis contra nos.* Nimirum *h*, *refulsit sol in clypeos aureos*, splenduit sancti Spiritus donum septiforme in potentiis animæ, *& resplenduerunt montes ab eis* per boni operis exempla, *& fortitudo gentium dissipata est.* Et *i*. *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.*

3. Totum hoc negotium, ejusque seriem, & ordinem explicat elegantissimè mellifluus Scriptor, sanctique Spiritus dulcissimum organum Bernardus *k*: Veniens, inquit, Spiritus sanctus, & visitans miseram animam per septiformem gratiam suam primum infundit ei timorem, timori subinfert pietatem, ut miseriam timoris suavitas consoletur pietatis: pietati scientiam, ne à timore tristitia abundantior absorbeat, ne à pietate præsumptio vana præcipitet: scientiæ fortitudinem, scilicet contra tentationes: ut & proficiatur in bono; scientiæ & fortitudini suffragatur consilium; consilio intellectum addit, ut jam in interiori cordis sui legat per se non solùm, quæ consulant homines, sed etiam quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta: intellectui sapientiam, ut, quod hactenus didicerat, jam ei transeat in affectum, ut per semetipsam ex gratia Dei sapiat, & sapidum ei fiat, & dulce quicquid hactenus durum videbatur, & intolerabile. Hanc doctrinam de donis Spiritus sancti effudit super nos abundè sanctus Pater de plenitudine sua verbum bonum eructans. Illud autem observandum est, non omnibus eumdem spiritum infundi, divisiones enim gratiarum sunt, & spiritus ubi vult spirat. Et quidem incipientibus servire Deo dulcedo quædam interna concedi solet, quatenus possit eorum mens, ut Sanctus Diadochus *l* Photicensis Episcopus admonet, sanctorum laborum præmium quantum futurum sit apertè cognoscere. Nam tenui spiritus aura afflati, & quodam quasi coruscamine transeuntis scintillulæ attacti exultant, & fervent amore; sed nondum plena charitas eis inest, nondum juxta fluenta, & plenitudines residere dicuntur, ait Philo *m* Carpathiorum Antistes, ut possint arcana scripturarum rimari, & ea Christiano populo ad salutem impertiri. Alii autem perfectiores, & jam in Dei servitio provecti spiritu replentur, cujus ubertate potati bulliunt, exundant, erumpunt, fructificant, signa innovant, immutant mirabilia, nec ullum vanitatis periculum illis subest, quos plenissima charitas omnimodis occupavit.

## §. III.

### *Quid sit portare spiritum, & vivere in spiritu. Oratio ad Spiritum sanctum. Cur hæc hora aurea, & sacra nuncupetur.*

1. CUm dixisset Apostolus corpora nostra templum esse Spiritus Sancti, ita capitulum luculenta veritate concluſit *n*; *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Ergo, inquit Paschasius *o* in fine librorum de Spiritu sancto, qui Spiritu sancto studiosè puritatis templum præparat in corde, per castitatem, & mortificationem carnis Deum portat in corpore, quia eum necesse est corporaliter portare, à quo spiritualiter possidemur. Hoc Sacramentum magnum est in horæ Tertiæ precibus sedulò recolendum, ut hâc horâ, quâ Spiritus sancti gratia olim in Apostolos diffusa est, talem nos vitam instituere proponamus, qualem exigit ipse Spiritus fons puritatis, gratiarum thesaurus, discretor cognitionum, qui scrutatur profunda cordium, qui mentis intentionem discernit,



e *Psalm.* 72. f *Psalm.* 93. g 1. *Reg.* 4. h 1. *Machab.* 6. 39. i *Psalm.* 93. k *Bern. serm.* 1. *de pura spirituali. si tamen ipse auctor illius est.*

l *Diadoch. de perfect. cap.* 90. m *Philo comment. in Cant. cap.* 5. *vers.* 12. n 1. *ad Corinth.* 6. 19. o *Paschas. lib.* 2. *cap.* 12.

qui nec minimam cujuſpiam imperfectionis paleam in cordis habitaculo reſidere permittit, quam non ſtatim ſubtiliſſimæ circumſpectionis flamma comburat. Felix anima, quæcunque illa eſt, quæ abundans in ſpe, & virtute Spiritus ſancti facta carnis ſpiritu mortificat, & ſolicitè ambulans cum Deo ſuo mandata ejus efficaciter complet. Felix anima, cui bonum eſt adhærere Deo, ut ita dicere poſſit: ego in Deo, & Deus in me eſt, & unus ſpiritus ſumus, quoniam *qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt.* Hoc eſt in carne ſpiritum eſſe, hoc eſt eſſe ſpiritum in ſpiritu, imò ſpiritum ſine ſpiritu, ſicut Richardus Victorinus *p* oſtendit his verbis. An fortè hoc eſt ſpiritum in ſpiritu eſſe, ſemetipſum intra ſemetipſum totum colligere, & ea quæ circa carnem, ſed etiam in carne geruntur, interim penitus ignorare? An etiam ſpiritù ſine ſpiritu eſſe, eſt ſemetipſum extra ſemetipſum, & ſupra ſemetipſum totum effundere, & quę ſub ipſo vel in ipſo fiunt, omninò interim ignorare, & in illud divinitatis arcanum totum intrare? Sanè *Qui adhæret Deo unus ſpiritus eſt*, & pſallere poteſt qui eſt hujuſmodi, *Defecit in ſalutare tuum anima mea.* Sed hæc ſublimioris literaturæ lineamenta alibi accuratius exprimere in animo eſt, ſi ipſe ſpiritus adjuvet infirmitatem meam. Alioquin ſocordia depreſſus eſt ad Deum, qui juſtus eſt, ipſe non juſtus, & mundi adhuc ſimulachra circumferens erigi non potero: & peccatorum ſarcina gravatus ad terram allidar. *In hoc ſcimus*, ait Joannes Apoſtolus *q*, *quoniam in Chriſto manemus, quia de ſpiritu ejus accepimus.*

2. Atque utinam mihi pars ſit in ſermone iſto, ut in Chriſto manens de ſpiritu ejus accipiam, quia nemo niſi in ſpiritu Dei loquens dignus poteſt illius laudator inveniri. Utinam tangat idem ſpiritus cor meum dulcedine præſentiæ ſuæ, & ſpiritum rectum innovet in viſceribus meis, quia ſcriptum eſt, *Rectos decet collaudatio r.* O ardor ſalutaris, Deus amor, Spiritus paraclete, te nunc appello, te nunc obteſtor; qui feliciſſimo incendio orbem terrarum hac hora ſuccendiſti. A quatuor ventis cæli veni Spiritus, veni è patria felicitatis, & beatum illum amoris ignem, quem olim terris inſpiraſti, vitali tuo illapſu eventila ſemper, ut creſcat, & vivat. Emitte de theſauris tuis pretioſum imbrem ſeptemplicis gratiæ, cujus ſuavi dulcore infirmitatis meæ ſalſugo mitigetur. Uni cor credentium tibi, ut unum ſint, unum ſapiant, te unum laudent, & requirant, qui Patri, & Filio coæqualis ab utroque procedis uniens ambos, utpotè amborum individua connexio, unificum gluten, complexus indiſſolubilis, & pax exuperans omnem ſenſum. Ex innumero illo ignearum linguarum numero, quas hac hora in diſcipulos effudiſti, non centum linguas inani Poëtarum voto, ſed unam dumtaxat exopto, quam ſi mererer accipere, dicerem utique & ego: *Dominus dedit mihi linguam mercedem meam, & in ipſa laudabo eum ſ*: dicerem & illud, *t Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut ſciam ſuſtentare eum, qui lapſus eſt verbo. Et de excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me u.* Quod ſi nemo poteſt dicere, Dominus JESUS, niſi in Spiritu ſancto *x*: ſtultum profectò eſſet ſine ejuſdem Spiritus aſſiſtentia ejus laudibus incumbere, qui major eſt omni laude.

p *Richard. lib. 5. de contempl. cap. 12.* q *1 Joan. 5.*
r *Pſalm. 32.*
ſ *Eccl. 51: 30.* t *Iſai. 50: 4.* u *Thren. 1: 13.*
x *1 ad Cor. 12: 3.*

## METRUM XIV.

*Accelerat curſum Titan, jam tertia magni*
*Pars eſt exacta diei.*
*Cum ſubitò ingenti reboat nemus omne tumultu,*
*Tellus concuſſa tremiſcit.*
*Nubila terrifico quatiuntur pulſa fragore,*
*Tonat alti Regia cæli.*
*Perque levem rutilæ diſcurrunt aëra flammæ,*
*Tremulis micat aura favillis.*
*Quæ nova tempeſtas? miſeris an fulmina terris*
*Diſplodit Numinis ira?*
*Quæ flamma hæc? varias efformat acumine linguas*
*Pectuſque incendit amore.*
*Scilicet hic Amor eſt, proprios effuſus in ignes,*
*Placido qui fulminat ictu.*
*Pandite, mortales, penetralia pandite cordis,*
*Deus ecce illabitur orbi.*
*Jam nova lux menti pateſacto aſpirat olympo,*
*Jam ſacris ardeo flammis.*
*Adventum teſtata Dei jam ſervida totum*
*Spirant præcordia Numen.*
*Jam mea ſublimi miſcentur gaudia cælo.*
*Votis jam ſidera tango.*
*O Deus, ô Patris, Natique è Numine Numen,*
*Divini ſpiritus oris.*
*Amborum communis amor, pax, unio, nexus,*
*Bonitas, & flamma perennis.*
*O dator, & donum, divumque æterna poteſtas,*
*Mundum qui flamine complet.*

Hu-

*Influe cœlestis septena charismata doni,*
*Numenque infunde supernum.*
*Atque mea æternus præcordia concremet ignis,*
*Penetret tua flamma medullas.*
*Nam nisi ab igne Deo non debet cordis in ara*
*Comburi victima amoris.*

3. Durandus Tholosanus Præses *y* horam Tertiam auream ab Italis appellari asseverat. In jure etiam Canonico *z* sacra nuncupatur, hac enim hora sacra Missarum solemnia festivis diebus juxta Ecclesiasticas sanctiones ex decreto Telesphori Papæ solemniter celebrantur. Festivis inquam diebus, non omni die, ut volunt Græci, quos Humbertus Sylvæ Candidæ Episcopus impugnat in responsione contra Nicetam. Narrat Joannes Moschus *aa* in prato spirituali cujusdam villæ incolas accusasse Presbyterum, quod nunc hora tertia, nunc hora nona Missam die Dominico celebraret non servans legitimum ordinem sanctæ oblationis. Antiqua enim Ecclesiæ consuetudo horam tertiam, quæ, ut ait Rupertus Abbas, *bb* cæteris illustrior est, Missis celebrandis ob honorem sancti spiritus destinavit. Consigno hoc caput insigni Bernardi *cc* sententia, ut prompti semper, & alacres in divinis laudibus inveniamur. Nihil ita propriè quemdam in terris repræsentat cœlestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum.

*y Durand. l. 3. de ritib. Eccl. c. 8. z Distinct. 44. cap. fin. de consec. d. 1. c. Nocte sancta. aa Pratum spirituale. c. 27. bb Rupert. l. 10. de div. off. cap. 18. cc Bern ser. 11. in Cantic.*

## CAPUT VIII.

# DE SEXTA.

### §. I.

*Divina majestas in sole præcipuè elucet. Solis, & Dei comparatio ex sanctis Patribus.*

1. SOL *a* *in aspectu annuntians in exitu, vas admirabile, opus excelsi. In meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere? Fornacem custodiens in operibus ardoris: tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exufflans, & refulgens radiis suis obcæcat oculos. Magnus Dominus qui fecit illum, & in sermonibus ejus festinavit iter.* Libet enim ab hoc solis encomio sextæ horæ tractationem ordiri, ut, quæ meridiano æstu fervente celebratur, æterni solis majestatem aptissimo nobis symbolo repræsentet. Solem vocat Dionysius *b* clarissimam imaginem Divinæ bonitatis: Sicut enim ille visibilis creaturæ unicus Princeps quasi quidam naturæ oculus universum condecorat, temporum vicissitudines distinguit, luce & influxu vitam mortalibus administrat: ita Deus omnium causa, initium, & vita attingit à fine usque ad finem fortiter, omnia penetrat, omnia temperat, omnia continet, omnia vivificat. Dempsit soli materiam Averroes, subtrahamus eidem & quantitatem, adeò ut lumen solum supersit mirifica virtute refertum, nulla figura definitum, & in immensum spatium circumquaque diffusum, ita tunc excedens intelligentiam, sicut nunc aciem oculorum exuperat. Hac fermè ratione Deum pro viribus ex sole cognovisse videbimur, qui posuit in ipso tabernaculum suum. Appositè ad hæc Theologorum Phœnix Nazianzenus *c*. Quod sensibilibus rebus est Sol noster, hoc intelligibilibus est Deus. Ille mundum hunc aspectabilem collustrat, hic invisibilem. Ille corporis oculos ita afficit, ut lumen ipsius intueri possint: hic mentes Deiformes reddit. Ille corporeis rebus oculorum acie præditis, & iis quæ in aspectum cadunt hanc vim tribuit, ut & illa videre, & hæc visu percipi possint; ipse tamen omnia, quæ oculis subjecta sunt, pulchritudine antecellit: hic eodem modo cum tam iis, quæ intelligentia utuntur, quam quæ mente, & intellectu comprehenduntur, hoc afferat, ut & illa intelligant, & hæc intelligentia percipiantur; ipse tamen intelligibilium omnium summus est, in quo desiderium omne consistit, ac defigitur, nec supra eum mens ulla ferri potest, quantumvis Philosophica, altissimè tendens, ac summè curiosa. Hæc Gregorius. Cui concinens Thalassius Monachus ait *d*, quod est lux videntibus, & visis, hoc est Deus intelligentibus, & intellectis. Sicut autem Sol omnia collustrat, ita Deus sedere dicitur quasi in τῷ πάντων ὄντων, ut Marius Victorinus *e* loquitur, unde universali oculo, id est, lumine substantiæ suæ omnia videt. Hanc verò Dei cum sole analogiam alii Patres quam plurimi, & Doctores gravissimi variis paradigmatibus expresserunt.



*a Eccl. 43: 2.*

*b Dionys. c. 4. de div. nominib. c Nazianz. orat. 21. d Thalass. centur. 2. e Mar. Victorin. lib. 4. adv. Arium.*

Non sit molestum sub hoc umbraculo aliquantulum requiescere, meridies est. Et primò quidem audiamus Augustinum *f* sapientissimum, atque clarissimum Ecclesiarum Christi magistrum, ut eum vocat Facundus Hermianensis. In hoc sole, inquit, tria quædam licet animadvertere, quod est, quod fulget, quod illuminat: ita in secretissimo Deo, quem vis intelligere, tria quædam sunt, quod est, quod intelligitur, quod cætera facit intelligi. Idem alibi *g*. In sole tria sunt, & separari omninò non possunt, cursus, splendor & calor. Videmus enim solem in cælo currentem, fulgentem, calentem. Quomodo autem Divinitas à semetipsa discernitur, cum lucis splendor, aut solis calor nullatenus separentur? Divide si potes solem, & tunc demum divide Trinitatem. Disertissimè explicat hanc eamdem sententiam Athanasius *h*. Sol est unus, & sunt in eo tres substantiæ, orbis, radius & lux. Orbis est receptaculum æstus, radius repercutitur ad terram, lumen etiam in umbrosis locis sine radio lucet. Sic etiam cogita de Deo. Deus est unus, personæ autem unius Dei tres, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Typus Patris est orbis solaris, typus Filii radius, typus Spiritus sancti est lumen solis. Sequitur diffusè vim comparationis exprimere. Ipsum lege Theologe, nam aliis quædam sunt æquiori lance examinanda, ut cum dicit tres personas non segregari à se invicem: quod intelligendum est in ratione essentiæ, & Dietatis, quæ una est, & eadem in tribus: etenim personæ in ratione subsistentiæ relativæ à se invicem realiter distinguuntur.

2. Eodem solis exemplo ad individuæ Trinitatis mysterium explicandum utuntur Cyrillus Alexandrinus *i*, & Eustachius Bonaventura *k*. Rursum Athanasius *l*. Sicut Sol non sordescit attactu terrenorum corporum, ita nec Verbum Dei, cum in corpore innotesceret, inde maculas in se corrivabat. Utque etiam demus, addit Anastasius Sinaita *m*, solem nonnihil fœtoris colligere ex istis corporibus, non continuò sequetur Deum contrahere vel tantillum contagii. Hilarius *n* Pictaviensis Episcopus: Solem videmus in quadam cæli parte, prout ej cursus est, demorantem, & certè ubique proteditur, ubique adest; sed si in clausas domorum fenestras incidat, lumen quidem illius præsto est, sed ipsa sibi lucem ejus, quæ obserata sunt, denegabunt: ita nos in omnibus vitæ nostræ operibus circumspecti, & ad Deum patentes esse debemus. Rationalis enim oculus, ait primus Venetorum Patriarcha *o*, eandem similitudinem fusius pertractans, spiritualis lucis nequaquam est capax, nisi per liberi consensum arbitrii se offerat, seque subjiciat. Irenæus Martyr *p* antiquissimus Scriptor: Quemadmodum Sol iis, qui propter aliquam infirmitatem oculorum non possunt contemplari lumen ejus, lucem non præstat: ita & Deus infidelium mentes excœcavit, ut eis non fulgeat illuminatio Evangelii gloriæ Christi.

3. Cæterùm sicut Sol omnibus æqualiter nascitur, & super omnes pari, & æquali luce diffunditur, ita, teste Cypriano *q*, Christus Sol, & dies verus in Ecclesia sua lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur. Sed, quod Fulgentius *r* Ruspensis Episcopus advertit, Divina gratia ipsum solem materialem imitatur. Hic idem permanens aliter à sauciis, aliter à sanis oculis videtur: gratia etiam aliter benè dispositis, aliter aliis infunditur. Quæ diversitas in sola diversitate sanitatis, vel infirmitatis bonæ, vel pravæ dispositionis consistit. Ad hæc Bernardus *s*; Sicut Sol, inquit, non omnes, quibus lucet, etiam calefacit: sic Deus, qui vera sapientia est, multos quos docet quid sit faciendum, non continuò etiam accendit ad faciendum. Aliud est multas divitias scire, aliud & possidere: nec notitia divitem facit, sed possessio. De eadem re sic scribit Olympiodorus *t*. Sicut qui solem hunc sensibilem vident, per ipsius lumen visibilia intuentur, atque ita sensus ipsos variis officiis intendunt: qui verò solem non vident, in tenebris desident otiosi, eo quod non videant, quæ solis lumine illustrantur: ita pari ratione & qui intelligibilem contuentur Solem, lumen in mente sua recipiunt, per quod planè vident, atque cognoscunt quæ ad ejusdem Solis voluntatem sibi agenda sunt, quævè etiam dimittenda. Marsilius Ficinus *u* nulli Platonicorum secundus Orphicam Solis cum Deo comparationem in

f *Aug. tom. 1. l. 1. Soliloqu. de cogn. Dei, & animæ, cap. 8. Facundus l. 1. c. 4.* g *Aug. 10. serm. tom. 1. de verb. Apost.* h *Athanas. in qu. variis q. 4.* i *Cyrill. Alex. l. 6. thesauri c. 1. & in dialog. de Trinit. l. 2.* k *Bonav. in lumin. Eccl. ser. 20. & 21.* l *Athan. de incarnat.* m *Anastas. de rectis fidei dogm. l. 2. in fin.* n *Hilar. in Psal. 118. v. 151.*

o *Laur. Justin. de humilit. c. 4.* p *Iren. l. 4. cap. 48.* q *Cypr. l. 1. ep. 7.* r *Fulg. l. 2. ad Monimum.* s *Bern. ser. 23. in Cant.* t *Olymp. in Eccles. c. 11.* u *Ficin. Epist. l. 6. & in Dionys. cap. 4.*

in Epistolis eleganter exequitur, itemque libro de Sole, & in Commentariis ad Dionysium de Divinis Nominibus. Idem argumentum copiosissimè tractant Justinus Martyr *x*, Theophilus *y* Antiochenus, Clemens Alexandrinus *z*, Joannes Damascenus *a*, Marcus Eremita *b*, Venerabilis Beda *c*, Thomas Cistercienfis *d* & alii. Verùm enim verò in multis similis, in plerisque dissimilis justitiæ Soli Sol creatus reperitur. Ideò Solis, & Dei similitudinem non omnino approbare videtur Gregorius Nazianzenus oratione quinta de Theologia. Non est exacta finiti, & infiniti similitudo. Urit Sol, capiti nocet, & sponsam olim decoloravit, umbris offuscatur, Lunæ objectione deficit, diei ac noctis alteratione variatur. At Deus lumen est indeficiens, nulla apud eum transmutatio, nulla vicissitudinis obumbratio. Concinnè Simeon Theologus *e*. Sensibilis Sol videtur, non videt: intellectualis videtur ab his qui digni sunt, & omnes videt, magis autem eos qui ipsum vident. Sensibilis non loquitur, nec cuiquam loqui donat: intellectualis & loquitur cum amicis suis, & dat omnibus ut loquantur. Ille oritur, & occidit: hic in justis nunquam occidit; nam de impiis scriptum est *f*, *Occidet eis Sol in meridie*. Utinam Sol verus qui nescit occasum illuminet luce perpetua corda nostra, & intelligentias nostras, ut in claritate ejus jugiter ambulemus sine offensione.

x *Justin. in expos. fidei.* y *Theoph. ad Autolyc. lib. 2.* z *Clem. Alex. orat. ad Græc.* a *Jo. Damasc. or. de Transfigur.* b *Marc. Eremita l. de Baptismo.* c *Beda tom. 2. lib. de substantiis.* d *Tho. Cisterc. l. 9. in Cantic.* e *Simeon Theol. in moralibus cap. 125. & 126.* f *Amos* 8: 9.

## METRUM XV.

*O Poli Princeps radiate Titan,*
*Naturæ eximium decus,*
*Cuncta qui vectus rapidis quadrigis*
*Cœli è vertice conspicis.*
*Te parens vatum fidibus canoris*
*Psallit Mæonius senex.*
*Te genus Divinum Rhodopes sub antro*
*Orpheus Threicius canit.*
*Et tuas mendax veneratur aras*
*Cultu Græcia supplici.*
*Attamen cæcos pelagi recessus,*
*Et terræ intima viscera,*
*Haud potes clara penetrare luce,*
*Vel tristes Erebi specus.*
*Sed celer cursu peragrans citato*
*Pronas Zodiaci vias,*
*Lucidis nascens radiis corruscas,*
*Et noctem revehis cadens.*
*Fulgidæ verò dominator æthereæ,*
*Mundi maximus arbiter,*
*Intimas rerum penetrans latebras,*
*Et vastos animi sinus,*
*Unico mentis speculatur ictu*
*Quicquid jubjacet ætheri.*
*Nec potest terræ prohibere moles,*
*Aut nox, atraque nubila;*
*Quin sciat quicquid spaciosus amplo*
*Orbis continet ambitu.*
*Verus hic ergo celebrandus est Sol,*
*Qui solus videt omnia.*

## §. II.

*Effectus Solis in meridie quomodo impiis, & justis conveniat. Quid sit meridies. Affectus Sponsæ quærentis ubi pascat, ubi cubet Sponsus. Cur meridie oremus. Mediocritas laudatur.*

1. SOl itaque aureo jubare rutilans Dei gloriam annunciat, dum oritur: cujus formositatem declarans Beatus David inquit *g*, *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* At in meridiano quasi succensa fornax exurens terram, igneosque radios exufflans nonne immensam, & incessabilem Divini luminis claritatem evidentissimè demonstrat? Sanè *Deus noster ignis consumens est h*, fornacem custodiens in operibus ardoris, quia sceleratis supplicia præparat gehennæ: tripliciter exurens montes, quia superbos ob elatas cogitationes, ob tumentia verba, ob sacrilegas operationes æternis ignibus castigat. Radiis suis obcæcat oculos, quia doctrina sua impiorum mentes obtenebrat, ut videntes non videant, & audientes non intelligant *i*; & qui in sordibus sunt, sordescant adhuc *k*. Cùmque audire noluerint dicentem *l*, *Ambulate dum lucem habetis*, dicent postea cum Propheta *m*, *Impegimus meridie quasi in tenebris, multiplicatæ sunt iniquitates nostræ.* De quibus dixit Job *n*; *Per diem incurrent tenebras, & quasi nocte sic palpabunt in meridie.* At in extrema discussionis die fiet quod sequitur *o*, *In*



g *Psalm* 18. h *Deuter.* 4: 24. i *Luc.* 8: 10. k *Apoc.* 22: 11. l *Joan.* 12: 35. m *Isai.* 59: 10, 12. n *Job.* 5: 14. o *Malach.* 3: 2.

*conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere: Quis poterit cogitare diem adventus ejus? Quis poterit habitare cum ardoribus sempiternis p?* Hæc de impiis, nam justorum alia est ratio. Hos tripliciter exurit, quia cor eorum igne pœnitentiæ per contritionem, confessionem, & satisfactionem emundat: sanctæ Trinitatis cognitione illustrat; fide, spe, & charitate corroborat. Igneis doctrinæ radiis mentes illorum succendit, & inextinguibili amoris incendio omninò liquefacit, & renovat, efficitque Divinæ naturæ consortes. Hinc illæ mentis elevationes, suspensiones mysticæ, spirituales ebrietates: hinc uniones, raptus, extases: hinc illæ voces *q. Anima mea liquefacta est, ut dilectus loquutus est: ego dilecto meo, & ad me conversio ejus* r. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* s. Sextam igitur horam colimus, & solemni precum recitatione observamus, ut, dum Sol in auge comburit terram, Sol etiam mysticus incalescat super nos, & ferventissimo suæ dilectionis ardore corda nostra succendat, & in eis requiescat. Quia enim sponsus, ait Philippus Abbas *t*, amari desiderat, amor autem ignis est, quos amore conspicit accendi, & ardere, in his tanquam in lectulo quietis gratia vult jacere. Et propter hoc nonnisi in meridie cubare perhibetur, cùm Sol cœlo vicinior à terra longius removetur: cùm solito ferventior emittit radios puriores, cum majori torret incendio campos ætheris largiores. Nam sicut hostis nequam, auctor mali, princeps perditæ Babilonis profundas noctis tenebras, & frigus diligit Aquilonis: Sic Sponsus qui Deus est, lux indeficiens, ardens ignis, gratam sui præsentiam longè faciens à dissimilibus, & indignis, in his cubat, & requiescit, quos Divini amoris face ignea sentit uri, qui ad perfectum diem, & ferventem meridiem sunt evecti, unus cum Deo spiritus solo carnis adhuc contubernio non perfecti. Hæc Philippus, cujus sententiæ aliam similem adjungo S. Justi Urgelitani *u*. Christus ait, in Ecclesia Catholica tanquam in meridie cubans mundum universum suo fulgore perfundit, & in spiritu ferventibus requiescit: atque ex ea charitate, qua orbem universum irradiat, credentes in se populos quotidie pascit.

2. Ideò sponsa locum sibi postulat indicari, ubi pascat, ubi cubet sponsus in meridie. Jam nox præcessit, jam dies appropinquavit, jam refulsit aurora, nunc meridianum instat tempus, tempus lucis splendidioris, tempus in quo beneplacitum est Deo inveniri in eo. Porrò meridies tempus est gratiæ, ait Abbas Tuitiensis *x*. Meridies magnum fervorem, magnumque splendorem significat, ait Augustinus *y*. Meridies splendor est Divinæ Majestatis, ait Origines *z*. Fervor meridiani Solis, inquit Beda *a*, consuevit in Scripturis ardorem dilectionis, & illustrationem Spiritus sancti significare. Propterea Manichæi meridianam partem malo tribuebant, ut refert Titus *b* Bostrorum Episcopus, quia luce & charitate carebant. Meridies, inquit Ambrosius *c*, præsentis sæculi Ecclesia est, ubi justitia splendet, ubi fulget judicium sicut meridies, ubi umbra non cernitur. Meridies, inquit Aponius *d*, mundi renunciatio est, & perfecta rerum terrenarum abnegatio. Meridies, ait Thomas Cisterciensis *e*, est claritas contemplativorum, qui adhuc laborant in hac peregrinatione. Tandem meridies est visio beatifica, ut testatur Bernardus *f*, quæ est electorum perpetua merces. In hoc meridie, ait Laurentius Justinianus *g*, cognoscitur in Verbo Pater, in Genitore Filius, ab utroque emanatio, processio, & amplexus, in tribus videlicet personis una substantia, una Deitas, par gloria, æqualis potestas, & indivisibilis unitas, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, unus Deus sine initio, æternus, immensus, beatus. O verè meridies, plenitudo fervoris, & lucis, Solis statio, umbrarum exterminatio! O perenne solstitium, quando jam non inclinabitur dies, & nox absorpta erit in victoria! Non quæro alia tempora, dulcissime sponse, unica requies, & solatium animæ meæ, non quæro alia tempora, quando in vespere, quando diluculo, quando in solis paseis occubitu: illud tempus inquiro, quando plena luce in tuæ Majestatis splendore versaris. Illum opto meridiem, in quo nullæ sunt tenebræ, illum scilicet meridiem, quem optabat qui dicebat *h*, *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Hunc locum, hunc meridiem indica mihi, suavissime sponse, quem diligit anima mea: ut quemadmodum Jacob *i* adhuc in corpore manens vidit

p *Esai.* 33: 14. q *Cant.* 5: 6. r *Ibid.* 7: 10. s *Ibid.* 2: 8. t *Philipp. Abb. in Cant. l.* 1. *c.* 25. u *Justus Urgelitan. comm. in Cant. c.* 1.

x *Ruper. Abb. com. in Abdiam.* y *Aug. serm.* 50. *de verb. Dom.* z *Origen. hom.* 1. *in Cant.* a *Beda to.* 8. *lib. de templ. Sal. c.* 20. b *Titus Bostr. lib.* 1. *adv. Manichæos.* c *Amb.* 4. *exa. c.* 5. d *Apon. initio l.* 2. *in Cant.* e *Thom. Cister. l.* 2. *comm. in Cant.* f *Bernard. serm.* 33. *in Cant.* g *Laur. Justin. de humilit. c.* 24. h *Psal.* 75. i *Genes.* 32: 3.

vidit Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima ejus: vel certè sicut Moyses *k* vidit eum non per figuras, & ænigmata, seu per somnia, uti Prophetæ alii, sed modo planè præcellenti, atque inexperto cæteris, sibi noto, & Deo: vel sicut Isaias *l* revelatis oculis cordis vidit eum super solium excelsum, & elevatum: vel etiam quomodò Paulus raptus in Paradisum *m* audivit verba ineffabilia, & Dominum suum JESUM CHRISTUM vidit oculis suis: ita ego quoq; in lumine tuo, & in decore tuo per mentis excessum te merear contemplari pascentem uberius, quiescentem securius. Nam & hic pascis, sed non in saturitate. Nec cubare licet, sed stare, & vigilare oportet propter timores nocturnos. Heu nec clara lux, nec plena refectio, nec mansio tuta, & ideò *indica mihi: ubi pascas, ubi cubes in meridie n.* Quando adimplebis me lætitia cum vultu tuo? Vultus tuus meridies est, vultum tuum Domine requiro. Quando exultabo in conspectu tuo, & delectabor in lætitia? Quando licebit mihi cum sponsa dicere *o*, *Inveni quem diligit anima mea & sub umbra illius, quem desideraveram, sedi p?* Sub umbra scilicet illa, qua se protegi postulabat David, ne per diem à Sole comburetur, vel à Luna per noctem. Sub illa, inquam, umbra, quam spiritualis ministrat gratia torrida sæculi hujus, & mundi æstiva fugientibus. Sub hac umbra calor concupiscentiæ refrigerium, ventus elationis obstaculum habet, infirmitas remedium, mœror solatium, omne vitium temperamentum. Sub hac umbra securus quiescam, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ, donec indices mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie.

k *Num.* 12: 7. l *Isai.* 6: 1. m 2 *ad Cor.* 12: 2.
n *Cant.* 1: 6. o *Cant.* 3: 4. p *Ibid.* 2: 3.

## METRUM XVI.

*TE semel ut possim, mea lux, mea vita, videre,*
*Quot mihi sunt sylvæ, quot penetranda juga?*
*Nec tamen ulla tui miser æspes certa videndi,*
*Ulla nec alloquii spes mihi certa datur.*
*Ah! dixi, vacuo dum te perquiro cubili,*
*Cur fugis è nostro, trans fuga sponse, toro,*
*Dumque iterum vicos, iterumque requiro plateas,*
*Perditus, heu! dixi, siccine sponse lates?*
*Siccine inaccessos te frustra quæro per agros,*
*Per juga montanis non adeunda feris?*
*Quæ telustra tegunt? quæ, mea vita, latebra,*
*Quæ loca, quæ sylvæ, quæ tenet atra specus?*
*Cur fugis, ut sævo procul hostis ab hoste recedit,*
*Quæve tua potuit causa fuisse fuga?*
*Credideram fictamque fugam, fictumque recessum,*
*Iram namque docet fingere cantus amor.*
*At geritur, video, res seria: sæpè revertar*
*Dixisti fugiens, at tamen usque lates,*
*Usque lates, nec te mea multa pericula tangunt,*
*Nec saltem ostendis quo teneare loco.*
*Aspice, jam medius flagrantibus æstuat horis*
*Phœbus, & in sesso servet ab igne caput.*
*Quis tibi, quis tantis nunc præbet in æstibus umbram?*
*Ah! cave ne teneros urat arena pedes.*
*Sponse cave æstivo ne sortè calore liquescas,*
*Ne te ardens medio Phœbus ab axe cremet.*
*Ego si scirem jacens quò cespite languens,*
*Umbrosi nemoris fungerer ipsa vice.*
*Exciperem objecto servantem corpore solem,*
*Teque meis tegerem, sponse reperte, comis.*
*Ergo ostende precor, mea spes, mea sola voluptas,*
*Quæ regio invideat te mihi, quodve nemus,*
*Nulli te quærens parcam, dilecte, labori,*
*Exul in extremo sis licet orbe vagus.*
*Jamque ego te agnoscens collo dabo brachia circum,*
*Et pedibus ponam mollia vincla tuis.*
*Sed quid ago? moriar currens, languensque per agros,*
*Lassa etenim nequeo te fugitivè sequi.*
*Ergo ostende precor, mea spes, mea vita, meum cor,*
*Quæ regio invideat te mihi, quisve locus.*
*Siste gradum, tantique semel miserere laboris,*
*Jam potes in pœnis mitior esse meis.*
*Aspice, jam medio sol altior astitit orbe,*
*Herbiferamque urens æstus hiulcat humum.*
*Jam pastot valles, umbrasque animalia quærunt*
*Inque acri tellus vivit anhela rogo.*
*In ramis volucres languent, Neptunus in undis,*
*Ictaque cœlesti cuncta calore cadunt.*
*Huc igitur, mea vita, veni: protectus ab æstu*
*Hic eris, ad solitos sponse recurre lares.*
*Et in dotali mihi commoda villula campo,*
*Vere ubi perpetuo florida ridet humus.*
*Hic antrum ingens est, convexo tegmine densum,*
*Frigida ubi ardentes submovet umbra rogos.*
*Inscius æstatis locus est, cumque altior est sol,*
*Incipit hic modica luce rubere dies.*
*Nec desunt gelidi fontes, rivique loquaces,*
*Murmure qui somnum conciliare queant.*
*Abdita quin etiam tacito spelunca recessu*
*Cœlabit nostras, ô mea vita, faces.*
*Nullus erit, placidos qui turbet acerbus amores,*
*Oscula, nullus erit, qui prohibere queat.*
*Huc mea lux, propera, procul urbibus, atque tumultu,*
*Optata ut possim sola quiete frui.*
*Aspice, stelligerum multo tibi flore paratur*
*Sponse iter, & tremulo te vocat aura sono.*

Ergò

*Ergo age, jam propera, qui causa mei tormenti*
*Solus es, ah! tantas spes mea, rumpe moras,*
*Rumpe moras, alioquin languens, ustaque flammis*
*Sponse tuis, sine te deficiens moriar.*

3. Meridie autem oramus, quia Christus Salvator noster semper medio est oblectatus. Nam ut salutem operaretur in medio terræ, media nocte natus est in medio duorum animalium, & adhuc puer in medio Doctorum disputavit. Cùm vitæ autem, atque virtutum jam perfecta suscepisset incrementa, sua volens impartiri charismata, dicebat *q*, *Ego sum in medio vestri, sicut qui ministrat.* Affixus Cruci in medio latronum, futuro præludens judicio, bonum ad dexteram, malum habuit ad sinistram. Post triumphalem resurrectionem stans in medio discipulorum pacis suæ pignore ditavit illos. In regno autem suo visus est à Joanne in medio throni, in medio quatuor animalium, in medio seniorum. Nos etiam inter medios Cleros, medioque die, in medio Ecclesiæ laudem dicimus illi, ut doceat nos medium in omnibus tenere, dictumque illud sapientum in medio cordis nostri exculpere dignetur, ut ne quid nimis. Adagium celeberrimum est apud Joannem Tzetzem *r*, Dimidium plus toto: nihil est enim aurea mediocritate præstabilius, atque ut Tragicus canit. *s*

*Quisquis medium defugit iter,*
*Stabili nunquam tramite curret.*

Hæc est autem mediocritas non ambulare in magnis, neque in mirabilibus super se: & ut docet Bernardus *t*, Non infra dejici, non attolli supra, non evadere in longius, non extendi in latius. Locus medius tutus est. Medium sedes modi, & modus virtus. Medium qui deserit, malos exitus habet. Galenus *u* medium commendat tanquam primarium valetudinis fulcimentum: & Moderatus Columella *x* illud præceptum maximè extollit, quod Sapiens unus de septem posteritati pronunciavit, μέτρον ἄριστον, medium semper, & modum rebus adhibendum. Denique carmen aureum Pythagoræ *y* est; Optima res medium est super omnia.

q *Luc.* 22: 27. r *Joa. Tzetzes Chiliad. 7. v. 235.* s *Seneca in Oepid. act. 1.* t *Bern. de consider. lib. 2. cap. 10.* u *Galen. de san. tuenda lib. 1. cap. 8. circa finem.* x *Columel. lib. 1. cap. 3.* y *Pythag. in carminibus aureis v. 38.*

## METRUM XVII.

*Non fasces igitur, non nimias opes,*
*Non plebis cupiam munera divitis,*
*Lætam fingere vitam*
*Si possim arbitrio meo.*
*Ridet terrifici fulminis impetum*
*Arbor, quæ gelidis vallibus incubat;*
*Nec cœli timet iram*
*Tecti pauperis incola.*
*Certat dum volucres vincere cœlicas,*
*Nomen Dædalides eripuit freto:*
*Alter, dum errat in axe,*
*In flumen stolidus ruit.*
*Stet quicunque volet culmine lubrico,*
*Regalique potens sanguine: mox erit*
*Stulta fabula plebis,*
*Mundique instabilis jocus.*
*In magnis requies est minor: imminet*
*Mors illis gravior, qui nimis omnibus*
*Fama, & stemmate noti.*
*Ignoti pereunt sibi.*

## §. III.

*Dæmonium meridianum quid sit. Sextæ horæ mysteria ex sacris libris. Hac hora crucifixus est Christus.*

1. SExta item hora oratio necessaria est Sanctorum exemplo, ait Basilius *z*, ut liberemur ab incursu, & dæmonio meridiano: ab insidiis scilicet malignorum spirituum, qui cùm meritò tenebrosæ voluntatis in malo prorsus obfirmatæ nocte perpetua damnati sint, solent tamen ad decipiendos incautiores non solum diem, sed & meridiem simulare. Hoc Sanctus Bruno *a* Carthusianorum sanctissimus Institutor ad eos similiter refert, qui ex patre diabolo orti desideria ejus, & opera conantur perficere. Hæretici, inquit, in meridiano videntur esse, id est ad modum meridiei ferventes in bona operatione, cùm quædam simulatoria bona opera faciant, & clari, & splendidi in humanis, & subtilibus sententiis suis falsissimis videantur. Hi meridiem promittunt, sed quoniam Christi lumen non habent, non sunt meridies, ait Hieronymus *b*, sed dæmonium meridianum. Isti sunt qui dicunt; Ecce hic est Christus, ecce illic *c*, confluunt autem

z *Basil. reg. fus. q. 37.* a *Bruno. in Psal. 90.* b *Hieron. in eumd. Psal.* c *Marc. 13: 21.*

autem ad illos multi, & credunt eis, quos faciunt filios gehennæ duplo quàm se. Sed & malis Christianis tanquam membris suis utitur tentator, ut improvidis sub specie boni malum persuadeat. Sententia aurea oris aurei est *d*; Cùm in tentationibus impugnatur à malignis Christianis anima Christiana pro sua religione, & pro sua fide confusio nascitur, & ardor cum rubore, & fit quasi meridies, quando igneus est Sol. Nam illi, qui alta radice non sunt fundati, tempore tentationis, exorto Sole arefiunt. Et hoc facit dæmon meridianus, ut recedat Christianus à fide: vel verecundia perfusus confundatur Christianus esse. Cur hoc, nisi quia non est ibi meridies, & perspicua lux, qua veritas agnoscatur? Sicut igitur in noctis tenebris, ait Origines *e*, ita & in meridie plures dæmonum tentationes, quàm cæteris temporibus se demonstrant. Utinam diffundat radios suos super nos ille meridies, qui totus dies est, qui vesperam nescit, & ignorat occasum, cujus fulgore coruscante Angelum tenebricosum, qui se transfigurat in Angelum lucis, à vero sanctoque Angelo discernamus, ut non notemur à Propheta tanquam ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem.

2. Orandum meridie, inquit Ambrosius *f*, quia hoc tempore virtus Divinæ lucis operatur. Abraham *g* circa meridiem sobrias tendebat excubias, & boni aliquot expectabat eventus, levans oculos suos, ac finitima perlustrans, quod eo tempore adveniente gratiam sibi quæreret. Illo igitur tempore cum duobus Angelis suis Divinus ejus hospes ad venit: illo tempore Christum suscepit hospitio, illo tempore illa quæ legis, & intelligis, celebrata mysteria sunt. Quando enim magis debuit fidelem virum Divina illuminare præsentia, quàm cùm lux diei plenior refulgeret? Meritoque etiam sanctus Joseph *h* receptis fratribus, & accersito juniore germano, quem maximè diligebat, meridie instaurat convivium. Erat enim meridies in sancti Joseph pectore, quando lætas epulas fratribus splendentis gratiæ ministrabat, suavissimique cibos alloquii dividebat. Habeamus ergò in nobis meridiem. Meridies est ei, cujus justitiæ Sol refulget, & cujus opere bono, vel cogitationibus innoxiis, & pura mente, atque sincera pascitur Christus. Disce igitur quemadmodum tibi ipsi fias meridies. *Revela*, inquit *i*, *Domino vitam tuam, & spera in eum, & ipse faciet, & deducet sicut lumen justitiam tuam, & judicium tuum tanquam meridiem.* Ubi enim vera est fides, ibi veri luminis gratia est. Ubi innocentiæ prolixior custodia, virtutumque longa meditatione processus, ibi splendor bonæ conscientiæ diu permanens, ibi intelligibilis est meridies, ibi & tu Christo mentis tuæ epulas exhibebis, & in divitiis ejus etiam ipse pasceris. Hactenus Ambrosius. Hora igitur sexta Abraham tres Angelos in typum Sanctissimæ Trinitatis hospitio suscepit. Equidem, ut observat Origenes *k*, ad Abraham venerunt tres viri meridie, ad Loth duo vespere venerunt: non enim capiebat Loth meridianæ lucis magnitudinem, cujus capax erat Abraham. Joseph item ex hac hora instructo fratribus convivio admirandum Eucharistiæ Sacramentum præfiguravit. Eadem hora mulier Samaritana *l* ad Christum sedentem super puteum fiducialiter accedens edocta est ab illo, quemadmodum Deus sit adorandus, quid sit aqua viva, quid fons saliens in vitam æternam. Notat autem Chrysostomus *m* eam hora sexta iviſſe ad hauriendam aquam, quia ipsa hora mandatum in paradiso Eva transgressa est. Petrus *n* quoque hac hora ascendit superiora, ut oraret, & in mentis excessu vidit linteum magnum submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli, ex qua visione futuram Gentium conversionem intellexit. Omitto ex Origene *o*, Anselmo *p*, Beda *q*, Theophylacto *r*, & aliis, quod sexta hora Protoparentes nostri mortiferum illud vetitæ arboris pomum comederunt humani generis ante peremptores, quàm parentes. Omitto ex Augustino *s* quod sexta hora sextam mundi ætatem denotat tanquam senectutem veteris hominis, quo jubemur exui, ut induamur novo, qui secundùm Deum creatus est. Omitto quod ipsa hora ad senarii numeri perfectionem mysterio non caret *t*: Senarius enim inter perfectos numeros primum locum tenens Divinæ laudis indicat perfectionem. Omitto quod sicut hora prima incipientium statum, tertia proficientium designat, ita sexta perfectionis, sanctitatisque culmen manifestat.

d *Chrysost. in ps.* 90. e *Origen. vel alius Auctor sub ejus nomine lib.* 1. *in Job.* f *Ambros. in ps.* 118. v. 62. g *Gen.* 18. 1. h *Gen.* 43. 16.

i *Psalm.* 36. k *Origen. hom.* 4. *in Genesim.* l *Joann.* 4. 6. m *Chrysost. orat. in Samaritanam tom.* 5. n *Act.* 10. 9. o *Origen. tr.* 35. *in Matth.* p *Anselm. seu Petrus Babyonm Matth. c.* 27. v. 45. q *Beda, &* r *Theoph. ibid.* s *Aug. l.* 83. *qq. qu.* 64. t *Amalar. l.* 3. *c.* 5.

3. Aliud spectaculum est sexta hora exhibitum, aliud mysterium hac hora impletum, quod animum meum magis percellit, commovet viscera, concutit mentem, calamum urget, Christus Dei Filius, heu quantum in hoc nomine & doloris, & sensus! Jesus inquam Salvator mundi hac ipsa hora pro salute nostra crudeliter crucifixus. Ita sanè congruum fuit, ait Cyrillus Hierosolymitanus *u*, ut, quo tempore eversio fuit, eodem fieret reparatio. Congruum fuit, ut, unde mors oriebatur, inde vita resurgeret: & eadem hora, qua morbus irrepserat, remedium applicaretur. Ecce Abel occisus à fratre, ecce Isaac ligatus à patre, ecce serpens æneus in deserto exaltatus à Moyse, ecce Agnus immaculatus in lege, Deus occisus ab homine. Ecce, homo, vita tua quasi pendens ante te. Hostia scilicet pacifica, hostia pro peccatis extra templum, extra civitatem, extra castra immolatur, ut veterum victimarum figurâ cessante, hostia nova novo altari imponeretur, & crux Christi gloriosa in conspectu totius orbis exaltaretur: ipso Domino magnæ promissionis fidem adimplente, qui dixerat *x*; *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Ne quæras ultra, ô Sponsa, ubi cubet Sponsus in meridie: crux lectulus ejus est, crux locus quietis ejus, in quo facibus amoris totus exardescens suavissimè meridiatur. Et quidem cùm animam potestate sua positurus esset, &, quo genere mortis id facere vellet, ejus subesset arbitrio, suspendium elegit anima ejus, ut suspensus à terra nos secum à terrenis ad superna elevaret. Dicamus igitur & nos cum sancto Job *y*, *Suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea.* Mors ossium mortificatio carnis est, inquid Absalon Abbas *z*, suspendium celsitudo contemplationis. Et certe dulce suspendium est cœlum oratione pulsare, sancta meditatione penetrare, mirari Angelorum felicitatem, venerari justorum beatitudinem, devotione Deum quærere, dilectione apprehendere. O si spiritus assumeret me cum Propheta *a* inter cœlum & terram, quam dulce suspendium foret animæ meæ! Ut, quæ assurgere nequit ad celsitudinem contemplationis, saltem à terra paulisper elevata ad portas mortis non appropinquet. Expergiscere anima mea, & quæ non potes ad alta Dei attolli, infirma ejus virtute qua vales amplexare: dirige mentis aciem ad figuram clavorum, ad cicatrices vulnerum, & quem regnantem super choros Angelorum intueri non vales, cruci affixum contemplare. Immergere in sanguine Christi crucifixi, ut Seraphica virgo Catharina Senensis *b* hortatur; lava te in sanguine, satia & inebria te sanguine, induere sanguine, contristare & lætare in sanguine, cresce in sanguine, confortare in sanguine, curre, vive, & permane in sanguine. Quid enim tam pium fidelium affectibus, inquit Guerricus Abbas *c*, quid tam medicinale moribus, quid sic interficit peccata, crucifigit vitia, virtutes nutrit, & roborat, sicut crucifixi memoria? Loquatur ergò Paulus inter perfectos sapientiam in mysterio absconditam, mihi, cujus imperfectum vident etiam oculi hominum, loquatur Christum crucifixum, his quidem qui pereunt stultitiam, mihi autem, & his qui salvi fiunt planè Dei virtutem, Deique sapientiam: mihi prorsus altissimam, atque nobilissimam Philosophiam, per quam infatuatam irrideo tam mundi, quàm carnis sapientiam. Quam perfectum me putarem, quam provectum in sapientia, si crucifixi vel idoneus invenirer auditor, qui factus est nobis à Deo non solùm sapientia, sed & justitia, & sanctificatio, & redemptio *d*. Omninò si Christo confixus es cruci, sapiens es, liber es. An non sapiens, qui cum Christo exaltatus à terra sapit, & quærit quæ sursum sunt? An non justus, in quo destructum est corpus peccati, ut ultra non serviat peccato? An non sanctus, qui semetipsum exhibuit hostiam vivam, sanctam, placentem Deo? An non liber, quem filius liberavit? *Dicant* igitur *e*, *qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici*, dicant voce magna, *f Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Hoc est præcipuum horæ sextæ Sacramentum, cui sanctus Prosper Aquitanicus *g* addit Christum eadem hora in cœlum ascendisse. Sicut enim hora sexta crucifixus est, sic & ascendit in cœlum, ut doceret nos exemplo suo, quia *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Cœlorum.* Præcessit ille bajulans sibi crucem, ut & tu tuam portes crucem, & mori affectes in cruce. Non est salus animæ, nec spes æternæ vitæ nisi in cruce, ut sanctè scribit nunquam satis lau-

u *Cyrill. Hierosol. cat.* 14. x *Joann.* 12: 32. y *Job.* 7: 13. z *Absalon Abb. serm.* 5. *in Advent.* a *Ezech.* 8: 3.

b *Cathar. Senen. ep.* 14. *ad Raymundum.* c *Guerric. ser.* 2. *in Dominicam Palmarum.* d 1 *Cor.* 1: 30. e *Psal.* 106. f *Galat.* 6: 14. g *Prosper. sent.* 203. *ex scriptis Aug.*

laudatus Auctor piissimi libelli de imitatione Christi *b*. Ad crucem igitur aspira anima mea, crucem dilige, crucem amplectere, sponsum tuum cruci confixum contemplare. Hic enim fervet amoris meridies, hic Sol in auge est, hic ardor meridianus invalescit, & in plenitudine lucis dilatat radios dilectionis. Felix meridies, si nunquam vergeret ad occasum, si calor ejus nunquam tespesceret, si liceret animæ in fervida ejus luce diu cum sponso permanere. Sed non est hujus vitæ tanta felicitas, nam post Sextam sequitur Nona, qua hora fuscatur splendor, fervor tepescit, & die ad Vesperam inclinante instabilitas, & imperfectio humanæ mentis indicatur.

h *Lib. 1. cap. 12.*

## CAPUT IX.

# DE NONA.

### §. I.

*Humanarum rerum inconstantia. Ea per Nonam designatur. Utilitas tentationum.*

ERgonè semper in lubrico versamur miseri homines, & nunquam in eodem statu permanemus? Siccine certa lege statutum est, ut nihil stabile reperiatur sub sole, contrariis motibus, perpetuaque vertigine circumvolvantur universa? Hæc nimirum naturæ nostræ conditio est. Circulus quidam humanarum revolvitur rerum, ut Agapetus *a* Diaconus sapienter scribit, qui modò sic, modo aliter agitat ipsas, & circumfert, atque in his inæqualitas est, eo quod nihil ex præsentibus in eodem statu permaneat. Et quis est qui possit in hac versatili rerum mutatione seipsum semper immutabilem exhibere? Nesciunt stare successus, ait quidam declamator *b*, & quoties prodire felicitas non potest, redit. Rectè Basilius *c* Imperator ad Leonem filium; Existima, fili, vitam istam nihil fixum, nihilque stabile, aut perpetuum habere; nam subinde res aliter, atque aliter variantur, & rotæ in morem, quæ circumvolvitur, ea quæ sursum sunt deorsum feruntur, & quæ deorsum jacent, sursum evehuntur. Glorietur David *d* in abundantia sua, & dicat, *Non movebor in æternum.* Deus verò faciem ab illo parumper avertat, jam effunduntur gressus ejus, jam labitur, jam conturbatur. Victrices manus attollat Moyses *e* in cælum; mox enim fatigatas, segnesque demittet, & vincet Amalechites. Jactet se Petrus *f* mortem ultro appetens pro Christo, mox ad vilissimam ancillulæ vocem ipsum Dei Filium turpi sacrilegio denegabit. Grandia nos etiam spiremus facinora, dum Sol in auge, dum meridies in mente, dum lux plenior fulget in anima: jam enim ad vesperam vergente sole, jam senescente die, jam nocte approquinquante nos etiam tepescimus & declinamus, ac præcipites labimur in deteriora. Inconstans est vita nostra, ærumnosa peregrinatio, vita caduca, vita laboriosa, in qua momentis singulis per varios mutabilitatis defectus diversis motibus agitamur. Bibimus de calice mixto ex hoc in hoc, veniunt super nos tempora multa, tempus amplexandi, tempus cessandi ab amplexibus, tempus ridendi, tempus flendi. Sed heu JESU bone! si appendantur in statera horæ gaudii, & horæ luctus; horæ lucis, & tenebrarum, quasi arena maris hæ graviores apparebunt. Quam citò declinat dies, tespescit calor, meridies occumbit, & ingruente vespera finitur: Sed ita gradiendum est, donec videatur Deus Deorum in Sion, donec æstuet ille meridies, quem nulla potest umbra offuscare. Dies, & nox, fervor, & tepor alternis vicibus regnant in anima. Nunc præsente dilecto triumphat & exultat: nunc illo fugiente luget, & fit velut mare contritio ejus. Veruntamen justè hæc patitur, si fortè respexit in vanitates, & insanias falsas: tunc enim Sponsus ab illa recedit, & iracundiam simulans nec suspiriis, nec lacrymis revocatur. Quod si etiam meridiano calore succensa ardeat charitate ut Seraphim, dum tamen peregrinatur à Domino, mutationi subjaceat necesse est. Fidem præstet huic doctrinæ admirabili sua eloquentia Augustinus *g*. Festa, inquit, cum hic homines celebrant suæ luxuriæ; consuetudinem habent constituere organa ante domos suas, aut ponere symphoniam, vel quæcunque musica ad luxuriam servientia, & illicientia, & ubi audita fuerint hæc, quid dicimus qui transimus? Quid hic agitur? Et respondetur nobis aliqua esse festa. Natalitia celebrant, nuptiæ hic sunt: ut non videantur inepta illa cantica, sed excusetur festivitate lætitia. In domo Dei festivitas sempiter-

a *Agapet. de off. Regis ad Justinianum Imp. cap. 11.* b *Cal. Flaccus decl. 8.* c *Basil. in exhortat. ad filium cap. 38.* d *Psalm 29.*



e *Exod. 17: 11.* f *Matt. 26: 33, 70.* g *Aug. in Ps. 41.*

na est. Non enim aliquid ibi celebratur, & transit. Festum sempiternum, chorus Angelorum, vultus præsens Dei, lætitia sine defectu. Et dies illic festus ita est, ut nec aperiatur initio, nec fine claudatur. De illa æterna, & perpetua festivitate sonat nescio quid canorum, & dulce auribus cordis, sed si non perstrepat mundus. Ambulanti in hoc tabernaculo admirabili Dei, & miracula Dei in redemptione fidelium consideranti mulcet aurem sonus festivitatis illius, & rapit cervum ad fontes aquarum. Sed quia, fratres, quamdiu sumus in corpore hoc, peregrinamur à Domino, & corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem: & si utcunque nebulis diffugatis ambulando per desiderium ad hunc sonum pervenerimus interdum, ut aliquid de illa domo Dei nitendo capiamus; onere tamen quodam infirmitatis nostræ ad consueta recidimus, & ad solita ista dilabimur. Et quomodo ibi inveneramus unde gauderemus, sic hic non deerit quod gemamus. Huc usque Augustinus.

2. Hanc miserrimam rerum nostrarum vicissitudinem hora diei nona manifestè demonstrat; si viro doctissimo credimus, sacrorumque rituum diligentissimo explanatori Amalario Fortunato *h*, qui, dum horæ hujus mysteria ediserit, sic loquitur: Status temporis quando Nona celebratur designat fervorem studiorum, quem exercebat mens in altitudine virtutum, aliquantulum tepefactum esse propter tentationes accidentes. Sicut tunc Sol descendit à centro ad inferiores partes, ita mens, quando tentatur, descendit ab altitudine intimi gaudii ad considerandam naturam suam, atque fragilitatem, & videt quam facilis sit ad occasum. Stat inimicus in insidiis malignis tentans suggestionibus, occultis impugnans incitamentis: nec veretur atroci pugna nobiscum certare, etiamsi divinæ gratiæ meridiem videat in cordibus nostris coruscantem. Hostis namque callidus, ait magnus Gregorius *i*, quos justitiæ luce enitescere conspicit, eorum mentes illicitis desideriis inflammare contendit, ut plerumque plus se urgeri tentationibus sentiant, quam tunc cum lucis internæ radios non videbant. Quid autem operetur in anima hæc diabolica impugnatio, explicat idem sanctus Pontifex *k* his verbis: Sæpè justorum animus aliquatenus ex tentatione frigescit, sed nequaquam gratia deserit, quæ, quò nos durius ex dispensatione percutit, eò amplius ex pietate custodit. Nam cum tenebrescere per tentationem cœperit, sese iterum lux interna succendit. Sic gratia Divina consurgit ad vesperam quasi fulgor meridianus *l* ei qui timebat, ne juxta Prophetam *m* occideret sibi Sol in meridie, & palparet in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris *n*. Fulgor quippe meridianus in vespere est virtutum renovatio in tentatione. Sententia est viri doctissimi Paschasii *o* Abbatis Corbeiensis, semper tentationem conjunctam habere consolationem Spiritus sancti, qui relevat de infidelitate ad fidem, de desperatione ad spem, de mœrore ad gaudium, de lapsu peccati ad veniam. Quantumcunque igitur acerba sæviat tentatio, resiste quisquis es, viriliter age, & memineris scriptum, *p Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit.* Item, *q Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*, &, *r qui non est tentatus quid scit?* Tentationibus mens eruditur, accenditur amor, custoditur fides, augetur præmium, perficitur animus, probatur virtus, accrescit scientia, magnanimitas exercetur, homo interior roboratur, purgantur vitia, merita cumulantur.

3. Illustrabo hanc doctrinam sanctorum Patrum documentis, ne loqui videar ex proprio sensu. Gregorius iterum audiendus est. Sæpè electus ipsa virtutum magnitudine sentit se extolli, unde & tentari se præsentis vitæ adversitatibus post virtutes desiderat, ne pejus ex virtutum confidentia cadat. Tentabatur sanè Paulus *s*, cum dicebat datum sibi stimulum carnis, ne magnitudine revelationum extolleretur; cumque rogasset Dominum, Divinum responsum accepit, *sufficit tibi gratia mea*, nam *virtus in infirmitate perficitur.* Tentabatur etiam sponsa, cum dicebat *t*, *Vocavi & non respondit mihi.* Sed, ut explicat Philo *u* Carpathiorum Episcopus, sæpè ad probationem fidei, majoremque profectum charitatis tentatur sponsa, ut pugnare discat, ac vincere. Vocat dilectum suum, & non respondit. Vellet enim assiduè alimoniâ cœlesti pasci, internâ illa suavitate frui, iis deliciis internis frui, quibus solis se beari posse intelligit; sed corruptibili mole corporis impedita sæpè decidit, donec adveniat tempus, quo

h *Amal. lib. 3. c. 6.* i *Gregor. lib. 29. mor. cap. 12.* k *Id. ibid. lib. 10. cap. 12.*

l *Job.* 11: 17. m *Amos* 8: 9. n *Deuter.* 28: 29. o *Paschas. lib. 3. in lament. Ieremiæ.* p *Ad Roman.* 5: 3. b *Iacob.* 1: 12. r *Eccl.* 34. 3. s *2 Cor.* 12: 7. t *Cant.* 5: 7. u *Philo Episc. in c. 5. Cantic.*

quo à corpore evocetur. Sanctus Presbyter Isaacius *x* libro de contemptu mundi, diffusa, & eleganti oratione demonstrat, quod, quanto magis proficit homo, tanto majores habet tentationes. Abbas Dorotheus *y*; Tentatio, inquit, omne bonum necessariò aut præcedit, aut sequitur, neque opus bonum dici potest, aut secundùm Deum, nisi tentatione approbetur. Richardus Victorinus *z*; Quantò, ait, acrioribus tentationibus urgemur, quantò crebrioribus periculis exercemur, tantò perfectius ad discretionem erudimur, & sæpè aliarum virtutum damna discretionis sunt lucra. Quia verò viris perfectioribus gravissimum imminet periculum ex incauta securitate, admonet eos Bernardus *a*, ut capere satagant vulpes parvulas, quæ vineam Domini Sabaoth domoliuntur. Porrò vulpes tentationes sunt. Exclamat autem experientiâ rerum magistrâ instructus sanctus Pater. Quantos ingressos vias vitæ, progressos ad meliora, super semitas justitiæ benè, secureque proficiscentes fraude vulpium harum turpiter supplantatos expertus sum, & serò in se virtutum suffocatos plangere fructus? Cum igitur non desint luctuosa vitiorum certamina, præsertim post meridiei fervorem, post gratiæ claritatem, magno judicii moderamine custodiri, & in quodam medio librari anima debet, quatenus nec de virtute extollatur, nec de tentatione desperet. Idcirco nona diei hora in hymnis, & supplicationibus Deum glorificamus, ut non permittat ultra vires nos tentari, ut qui jam nos dignatus est in filiorum numero computare, non debeat aliquando de malis astibus nostris contristari.

## §. II.

### *Numerus Novenarius infaustus. Horæ Nonæ mysteria. Cur oremus hac hora.*

1. IPse numerus Novenarius à denarii perfectione deficiens operum imperfectionem designat, ut Rabanus *b* Archiepiscopus Moguntinus observat. In cujus rei typum novem partes, id est imperfectionem, nobis; decimas autem Deo adscribimus. Vix in sacris Literis hunc numerum laudabiliter positum invenies. Nam, ut ait Ambrosius *c*, Novenarius bella, dissidia, & lites Divinis indicat oraculis: unitas verò Novenario superveniens denarium perficit, & pacem, amicitiamque designat. A Novenario numero dicti Novensiles Dii, de quibus agit Arnobius *d* in libris adversus gentes, quod hic numerus, ut ait Varro *e* in movendis rebus potentissimus habeatur. In Antiquorum sacrificiis ad funera, & expiationes spectabat hic numerus. Tullo regnante cum Romæ nunciatum esset in monte Albano lapidibus pluisse, Novemdiale sacrum publicè susceptum est. Eadem sacra ob aliud simile prodigium instaurata sunt C. Claudio Nerone, & M. Licinio Coss. Mansitque solemne, quod Titus Livius *f*, & Julius Obsequens *g* testantur, ut quandocunque prodigium nunciaretur, feriæ per novem dies agerentur. Fletus, & exequias pro mortuis per novem dies commemorant Homerus *h*, Horatius *i*, & Apuleius *k*. Hunc eundem numerum mœstitiæ symbolum fecerunt veteres, Græcè enim notatur litera Θ Thita, quam mortem denotare docet Isidorus, tum quia cordis humani transfixi speciem refert, tum quia initialis est Græci nominis Θάνατος, quod mortem significat. Hinc ait Satyricus *l*:

*Et potis est vitium mortis præfigere Thita.*

Et alius Poëta,

*O multum ante alias infelix litera Thita.*

Narrat Asconius Pædianus *m*, quod quando sortes mittebantur in urnam, Θ Thita erat signum damnationis, T Tau absolutionis. De Novenario in Divinis legendus Plotinus *n* libro de triplici reditu animæ ad Deum, ac ibidem Marsilius Ficinus. Beatus Rampertus *o* Episcopus Brixiensis in tractatu de Translatione S. Philastrii sic differit de Novenario. Hic numerus vi & naturâ secundus tetragonus est, qui per ternarium conficitur, & in ipso resolvitur. Nonnè ter tres novem faciunt? Et Novenarius dividi æquè non potest, nisi in tribus ter. Unde docemur Trinitatem credere in una divinitate, & ab ipsa nos esse formatos, & per ipsam justè resolvi.

2. Sunt qui dicant *p* hac hora ejectos primos parentes è paradiso, nam post meridiem



x *Isaac. de cont. mundi cap.* 42. y *Doroth. doctr.* 19. z *Richard. de Præp. animi ad contempl. cap.* 68. a *Bern. ser.* 64. *in Cantic.* b *Raban. l.* 17. *in Hieremiam cap.* 52. c *Ambros. lib. de mansionib. filior. Israël.*

d *Arnob. in fol.* 3. e *Varro l.* 4. *de ling. Lat.* f *T. Livius l.* 1. *dec.* 1. *& lib.* 7. *decad.* 3. g *Jul. Obseq. lib. de prodigiis.* h *Homer. Iliad.* 24. *vers.* 660. i *Horat. in Epod.* k *Apul. l.* 9. *metam.* l *Persius Sat.* 4. m *Asconius in orat. Ciceronis contra Verrem.* n *Plotin. lib.* 3. *enn.* 1. o *Rampertus apud Surium die* 18. *Julii.* p *Moses Barc. p.* 1. *de paradis. cap.* 28.

ambulabat Dominus ad auram, ut pernicioſam illorum tranſgreſſionem argueret, cumque debitam peccato pœnam impoſuiſſet, emiſit eos de paradiſo voluptatis, ut, qui terram prætulerant cælo, terrenis operibus occuparentur. Quam inſipientes fecit eos peccatum! Audita voce Dei abſconderunt ſe non ferentes confuſionem, gratia exſpoliati, qua prius veſtiti erant. Mox enim ut intravit peccatum, ſimul eos invaſit erubeſcentia, clamante conſcientia, & reos accuſante, duriſque flagellis puniente. Deus autem miſericors, & miſerator, cujus bonitatis infinitus eſt theſaurus, ante duriſſimi exilii, mortiſque corporalis ſententiam Redemptorem miſeris promiſit, qui ut effectus promiſſioni & merito conveniret & tempore, circa finem diei Protoparentibus promiſſus, circa finem ſæculi miſſus in mundum, horâ item nonâ crudeliſſimâ morte exivit è mundo. Hæc potiſſima ratio eſt, ob quam ad horæ nonæ celebranda myſteria non ſine lacrymis, atque ſingultibus convenire debemus. Hâc enim horâ Dominus Jeſus exclamans voce magna emiſit ſpiritum. Tunc extenſis in cruce manibus damnatam in primo homine poſteritatem ad eſum ligni vitæ ſecundus homo revocavit. Tunc Paſſio Domini paſſiones noſtras evicit, & ſingularis miſericordia reatum primæ prævaricationis abſolvit. *Proprio* ſcilicet *Filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, ut, ſi eum amare ſuperba mens noſtra detrectabat, ſaltem amori tam ſingulari dilectionem rependere non neget. Ecce Domino moriente, ut quidam [q] ſanctorum Patrum elegantiſſimè ſcribit, minatur propria mundus excidia, & rerum natura inuſitato pavore terretur. Dies medius tenebrarum tyrannide diſcluditur, & perdidit curſum fugitiva luce fraudatum. Sol abſcondit radios ſuos, & orbem globus lucis obſcuravit. Importunæ tenebræ aliena tempora pervaſerunt. Moriente verò die, novum dies ſenſit occaſum. Volebat ſeculum ire protinus in ruinam, ne auctoris ſui tacens præteriret injuriam. Nos autem tantæ necis auctores Redemptorem noſtrum pro nobis morientem ſiccis oculis ſpectabimus? Abſit. Sed ut admonet S. Cæſarius [r] Arelatenſis Epiſcopus, agnoſcentes erga nos divinorum beneficiorum alta myſteria, reſpondeamus in quo poſſumus miſericordiæ Redemptoris. Demus illi compunctionem pro ſpinis ſuis. Offeramus illi cor ſuo timore confixum pro clavis ſuis. Reddamus illi palmam perſeverantiæ pro alapis ſuis. Quid enim debet ſtudere, & ſcire Chriſtianus, ut Theologus non ignobilis [ſ] ratiocinatur, niſi illud in quo eſt totum bonum ſuum, totus theſaurus ſuus, & omnes divitiæ ſuæ? quod eſt autem theſaurus hominis, niſi ipſum meritum? Ergò poſtquam in morte Chriſti eſt omne meritum hominis, ſequitur quod totus theſaurus hominis eſt in morte Chriſti. Qui vult ergo in ſe habere omnem virtutem, & omne meritum, & omne bonum, recipiat in ſe Chriſti mortem, & Paſſionem, & portet eam in ſe, & incorporet eam ſibi. Hæc ſapienter ille Doctor. Tu autem anima mea ingredere in petram, abſconde te in foſſa humo, pone tibi latibulum in crucifixo. Ibi tutò latebis, donec tranſeat iniquitas, ibi deliciis affluens, ibi gaudiis ſuperfluens, ibi ſecura vives ab æſtu carnis, à turbine ſeculi, ab impetu diaboli. Super omnem gloriam mundi protectio iſta, in umbraculum diei ab æſtu, in ſecuritatem, & abſconſionem à turbine, & à pluvia. Ab amplexu amoris tui crucifixi nulla te avellat creatura, nulla ſeparet potentia, non mundi fallaciæ, non carnis illecebræ, non caſtra inferorum. Ibi unicum ſolatium tuum, ibi requies, & omne bonum.

q *Chryſoſt. tom. 3. ſer. 3. de myſteriis cœna Dominica.*
r *Cæſar. in fin. hom. 6.*

ſ *Raimund. de Sabunde Theologiæ naturalis cap. 296.*

## METRUM XVIII.

*NOn me revellet à tua, Jeſu, cruce*
*Quicquid minarum triſtium:*
*Aut quicquid armorum feroces Tartari*
*In me Tyranni proferant.*
*Non enſium horror, non fames, vel nuditas,*
*Non bella, vel pericula.*
*Si mille circumſtent truces exercitus,*
*Si mille jactent ſpicula.*
*Non hinc recedam. In me polus ſi corruat,*
*Si terra nutet arida,*
*Et ſi intumeſcat turgidis undis fretum,*
*Aerque flammas depluat:*
*Immotus hic jacebo, & acceptabilis*
*Hic immolabor victima.*
*Tuoſque clavos, & pedes amantibus*
*Circumligabo brachiis.*
*Non me probroſæ dedecus terret crucis,*
*Non horridum mortis genus,*
*Lubens peribo. Me necis tuæ Deus*
*Mactabit hic reum dolor.*

3. Illud

3. Illud etiam ad horæ Nonæ venerationem facit, quod in Actibus Apostolorum *t* legimus. Cornelius enim Centurio vir religiosus ac timens Deum hac ipsâ hora in oratione positus Angelum Domini videre meruit, à quo monitus est accersere Petrum, & audire ab illo verba vitæ. Eadem hora Petrus *u*, & Joannes ascendentes in templum claudum à matris utero per fidem, & invocationem nominis Christi ambulare fecerunt. Placet hac de re Venerabilis Drogonis Exabbatis *x*, & Episcopi Hostiensis verba dedisse. Egenus, & pauper ego sum Domine, & claudus ex utero matris meæ, & ecce sedeo ad portam templi tui, quæ dicitur Speciosa, non valens, nec volens, introire, quin potius egestate bonorum tuorum mendicans foris alimoniam carnis meæ, æreas, & falsas imagines hominum, ubi coacervem mihi talentum iniquitatis, fasciculos deprimentes. Et ecce hora orationis Nona est: ascendunt Petrus & Joannes Apostoli tui, ut orent ad templum sanctum tuum: ego autem hæreo terræ, & luto, terrena, & vana sapiens, & aliis introeuntibus ego foris remaneo non quærens cum eis, ea quæ Patris tui sunt, sed quæ Patris mei: Ecce jam hora orationis Nona est, inclinata est dies, propè est nox, cum surrexero manè diluculo de his, quæ nunc mendico, nihil in manibus meis reperiam. Hora, inquam, orationis Nona est: Orasti hac horâ pendens in cruce, orasti inclinato capite clamans voce magna, & expirasti, & eumdem, quem de nobis tunc habebas compassionis animum, tecum asportasti, & credo Domine, quia tecum adhuc reservas, quia charitas tua refrigescere nescit. Erat autem hora orationis Nona. Et quare Nona orationis hora erat? quia circa horam Nonam tenebræ factæ sunt. Repellendus erat horror tenebrarum, qui universam operuerat terram; repellenda caligo populorum, quæ ex tunc cœperat abundare, ex quo tu cœpisti ad auram post meridiem deambulare, ex quo tunc non cessasti clamans, *Adam ubi es*? Hactenus Drogo.

t *Act.* 10. u *Act.* 3. x *Drogo lib. de Sacram. Dominicæ Passionis.*

## §. III.

*An hora nona cibum sumerent Antiqui. Quinam semel, qui pluries in die olim reficerentur. Christianorum qui mores de eadem re, & qua hora jejunium solverent.*

1. CÆterum cum de Nona tractamus, dissimulare nequeo, quod nuper aliud agenti ingessit se mihi ex libro de jejuniis contra Psychicos Septimii Florentis Tertulliani *y*, quem librum licet adversus Catholicos scripserit, libenter tamen cùm de re antiquaria agitur, illius fontibus scripta mea irrigare soleo. Scribit iste hora Nona ultimam stationi clausulam à Catholicis (quos Psychicos id est animales vocat, quod Montani dogma de tribus Quadragesimis non admitterent) impositam olim fuisse, quam sui Montanistæ usque ad Vesperam protrahebant. Expungere autem, vel dirimere stationem idem est ac jejunium solvere, & prandere, ut supra notatum est. Lege si placet Ludovicum de la Cerda *z* in suis Adversariis. Verum an præcisè hora Nona finis sit, & expunctio stationis controversum est. Attingam hic vellicatim quod varia lectione compertum est mihi, licet hæc diutius consectari non sit omninò nostri instituti. Et quidem majores nostri cum magis temperantiæ, & sobrietati studerent, vel semel tantum in die circa solis occasum comedebant, vel certè usque ad sextam prandium differre consueverunt. Hæc consuetudo non Christianis tantum, sed & ipsis Ethnicis solemnis fuit. Quod unica refectione, quam cœnam vocabant, quidam antiquiores Græci, & Romani contenti essent, testantur Scriptores fide dignissimi. Isidorus *a*, apud veteres, ait, in usu non erant prandia. Cicero in Tusculanis *b*, & Clemens Alexandrinus *c* referunt dictum Platonis, quem pudebat bis in die saturum fieri. Horatius *d* invitans Torquatum ad cœnam ait,

*Supremo te sole domi Torquate manebo.*

Et ad Mœcenatem.

——— *Si cœnas hodie meum,*
*Post nonam venies.*

Raphaël Volaterranus *e* multum laborat in intelligendo hoc versu Martialis,

*Imperat extructos frangere Nona toros.*

Nam si prandium, ait, nimis tardè. Si cœna nimis citò. Dicendum tamen fuisse cœnam, quæ post nonam incipiens usque ad tenebras protrahebatur, quo tempore luminaria accendebantur, ut constat ex his versibus Virgilii *f*.

*Post-*

y *Tertull. de Jejun. c.* 10. & 14. z *Ludov. Cerda Adv. c.* 138. & 140. a *Isidor. l.* 20. *orig. c.* 2. b *Cicer.* 5. *Tusc.* c *Clem. Alex. l.* 2. *Ped. c.* 1. d *Horat. lib.* 1. *ep.* 5. & 7. e *Raph. Volaterr. l.* 32. *comment. Urban. cap.* 32. f *Virgil. Æn. lib.* 1.

*Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ,*
*Crateras magnos statuunt, & vina coronant.*
*Et strepitus tectis, vocemque per ampla volutant*
*Atria, dependent lychni laquearibus aureis*
*Incensi, & noctem flammis funalia vincunt.*

Sic autem incœptæ epulæ aliquando in sequentem diem extendebantur. Propertius *g*,

*Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec*
*Injiciat radios in mea vina dies.*

Silius item Italicus *h*, cum perditos Romanorum mores sua tempestate notaret, Regales epulas, atque ortu convivia solis deprehensa commemoravit. Alludit ad hunc morem Apostolus dum ait *i*, & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Huc etiam respexit princeps Lyricorum dum cecinit *k*,

*Sume Mœcenas cyathos amici*
*Sospitis centum, & vigiles lucernas*
*Profer in lucem.*

Appositè ad eamdem rem dixit Satyricus *l*:

*Tecum etenim longos memini consumere soles,*
*Et tecum primas epulis decerpere noctes.*

Sanctus quoque Cæsarius *m*, Fugiamus, inquit, prandia luxuriosa, quæ nos aliquoties etiam invitos usque ad noctem mediam trahunt. Usum verò lucernarum in conviviis, & pendentia è laquearibus lumina multi Auctores commemorant. Propertius *n*:

*Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas.*

Lucretius *o*,

*Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur.*

Statius *p*,

*Aut Alii tenebras, & opacam vincere noctem*
*Aggressi tendunt auratis vincula lychnis.*

Salvianus Massiljensis *q*, & Aurelius Cassiodorus *r* non nisi ad vesperam licuisse olim cibum sumere asseverant. Athenæus *s*, cum varia convivia in cœnis sapientum enumeret, semper cœnæ nomine utitur. Aurelius Gellius *t* se Athenis à Philosopho Tauro convivio exceptum refert, ad id diei ubi jam advesperaverat: id enim, ait, est tempus isthic cœnandi frequens. Tertullianus in Apogoletico; Post aquam, inquit, manualem, & lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. Christianorum autem primi ævi cœnas describit. Vitruvius *u* hyberna triclinia cœnæ destinata ad Occidentem hybernum extruenda esse præcepit, quod vespertino lumine uti opus esset. Apud Xenophontem *x* milites Cyri nonnisi die exacto reficiebantur. Plautus Vesperum metonymicè pro cœna usurpat in Milite glorioso, & in Rudentibus: quoniam Romani hac hora cœnare solebant. Hanc veterum continentiam Severinus Boëthius sic celebrat *y*:

*Felix nimium prior ætas*
*Contenta fidelibus arvis,*
*Nec inerti perdita luxu,*
*Facili quæ sera solebas*
*Jejunia solvere glande.*

Antiqui Monachi apud Chrysostomum *z* prandium ignorabant. Quintus Smyrnæus *a* in Paralipomenis post exactum diem cibi refectionem sumptam ait à Penthesilea, quæ Trojanis auxilio venerat cum Amazonum exercitu. Apud Aristophanem *b* in Nubibus facetus quidam Socratis discipulus; Heri, inquit, nihil nobis cœnæ fuit sub vesperam. Plinius junior *c* cœnæ meminit, quæ hyeme post nonam, æstate post octavam sumeretur.

2. Quod autem spectat ad prandium; sive ad duplicem refectionem, adsunt & alia testimonia *d*, quibus constat Antiquos & prandio, & cœna usos quandoque. Notum est illud Ducis Spartani apud probatos Scriptores. Prandete milites, hodie apud inferos cœnaturi. Dictum autem prandium ex eo quod milites ad prælium paret, asserit Trebellius Pollio *e*: & apud Varronem extat inter fragmenta Satyrarum una cum hac inscriptione, *Pransus paratus*. Atque inde scribit Polybius *f* ab impransis militibus non suscipiendum prælium, traditque præcepta de curando prandio Onosander *g* in Strategico. Cornelius Celsus *h* Latinorum Medicorum Princeps commodius esse docet bis in die, quam semel cibum capere. Flavius Josephus *i* hora quinta Essenos prandisse notat, & vespere cœnasse. Extat apud Plutarchum Magni Alexandri apophtegma; Ad prandii condimenta nocturnas profectiones optimas esse, ad cœnæ autem prandii

g *Propert. lib. 4. el. 6.* h *Silius Ital. l. 11.* i *1 Thessal. 5:7.* k *Horat. l. 3. od. 8.* l *Persius sat. 5. v. 41.* m *Cæsarius hom. 19.* n *Propert. l. 3. El. 8.* o *Lucret. lib. 2.* p *Statius lib. 1. Theb.* q *Salvian. lib. 1. de provid.* r *Cassiod. in Ps. 14.* s *Athen. l. 4. Dipnosoph.* t *A. Gell. noctium Attic. lib. 17. cap. 8.*

u *Vitruv. lib. 6. Architect. c. 2.* x *Xenoph. lib. 3. Cyri pæd.* y *Boeth. de consol. Phil. l. 3. metr. 5.* z *Chrys. hom. 56. in Matth.* a *Q. Smyrn. lib. 1. v. 125.* b *Aristophan. in Nubibus act. 1. sc. 2. v. 50.* c *Plinius l. 3. ep. 1.* d *Val. Max. l. 3. c. 2. Senec. Epist. 83. Cic. 1. Tuscul. & Origen. lib. 2. adv. Celsum.* e *Trebell. in Salon. Gallieno.* f *Polybius l. 3.* g *Onasan. c. 12.* h *Cornel. Celsus de re medica l. 1. c. 1. & 3.* i *Joseph. de bello Judaico l. 2. cap. 7.*

dii parcitatem. Observat Hieronymus Mercurialis *k*, vir reconditæ eruditionis apud Græcos, Hippocratis præsertim temporibus, nullam de hac re certam legem fuisse, nam quidam ter, alii bis, plerique semel tantùm in die reficiebantur. Eustathius Thessalonicensis ad librum secundum Odysseæ Homeri veteres tribus cibus usos fuisse asseverat, matutino, meridiano, & vespertino. Apud Homerum militibus, & Heroibus multiplex cibatus fuit, teste Athenæo *l*. Et primus quidem jentaculum dicebatur, Græcè ἀκρατισμός, sive ἀκρατισμός, quod panis frusta mero intincta sumerentur. Sunt qui ἄριστον dictum jentaculum arbitrentur, qua voce bis tantum utitur Homerus *m*. Sed alii hac prandium significant. Legendus Suidas verbo Δεῖπνον. Fulgentio Planciade auctore jentaculum dicitur gustatio, & quasi prægustativa comestio. Plautus, & Martialis jentaculi mentionem faciunt: quod auroræ exortu olim sumptum asserit Philemon apud Athenæum. Sequebantur prandium, merenda, & cœna. Merendæ certam horam assignatam non invenio. Hanc Græci vocant Ἐσπέρισμα, eamque commemorat Homerus *n*. Merendæ quoque meminit Plautus in Mostellaria, actu 4. Scena secunda. Cœna vesperi sumebatur, prandium circa meridiem. Procopius Gazensis in Genesim; Adam, inquit, horâ sexta vetitum cibum in ilia demisit: est enim ea hora quasi certa regula homini constituta, ut cibum capiat, Ælius Lampridus in Alexandro Severo; Et cum dormiret post convivium hora diei ferè septima. Græcus Auctor Anonymus interprete Lilio Giraldo *o*:

*Sufficit in sextam labor horam, deinde sequentur*
*Ut vivas numeri: littera ζῆθι monet.*

Septima enim, octava, nona, & decima hora in Græcis horologiis, ut Maximus Planudes commentatur, notantur his litteris Z, H, Θ, I, quæ simul junctæ verbum ζῆθι, exprimunt, quod Latinè sonat *vive*. Juvenalis in fine Satyræ undecimæ sextam prandio designatam affirmat. Ausonius in Ephemeride quintam assignat dicens:

*Sofia prandendum est, quartam jam totus in horam*
*Sol calet, ad quintam flectitur umbra notam.*

Porrò veteres quater in die cibum modicè sumpsisse ostendit Muretus *p*. Prandium sine potu & tenue fuisse scribit Clemens Alexandrinus *q*: quale etiam describit Seneca *r* dum ait, panis siccus, & sine mensa prandium, post quod non sunt lavandæ manus. Certam verò comedendi horam non existimo omnes gentes habuisse. Caspiis venter solatium est, inquit Ammianus Marcellinus *s*: quod multò justissimum prædicat Plautinus ille Parasitus apud Gellium *t*. Sed belluarum ritus est ex ventris esurie horas sentire, ait Cassiodorus *u*. Facetè *x* Diogenes interroganti quânam horâ quis deberet cibum sumere, respondit: Si dives, quando vult; si pauper, quando potest. Prandii verò, & cœnæ mentionem faciunt Auctores celeberrimi Macrobius *y* in Saturnalibus, Plutarchus in illo Opusculo, cujus titulus est; Non posse suaviter vivi secundùm Epicurum, Xenophon in Cyripædia, in Oeconomicis, & passim in libris Ἀναβάσεως, Suetonius in Domitiano, Hippocrates *z* libro de ratione victus in morbis acutis, Athenæus *a* in cœnis sapientum, Mamertinus in Panegyrico Juliani Imperatoris, Clemens Alexandrinus *b* in Pædagogia, Sidonius Appollinaris *c* in Epistolis, Joannes Tzetzes *d* in Chiliadibus: & ex recentioribus Thomas Dempsterus *e* ad antiquitates Romanas Joannis Rosini, Joannis Savaro *f* ad Sidonium Appollinarem, Julius Cæsar Bulengerus *g* libro de conviviis, ubi de hora prandii accuratissimè disputat, & alii plures.

3. Sat dictum de infidelibus, nam quæ hactenus diximus, illis dumtaxat convenisse videntur. Jam nostrorum mores disquiramus. S. Benedictus facem mihi præfert capite quadragesimo primo suæ Regulæ. A sancto Pascha usque ad Pentecosten ad sextam reficiant fratres, & ad seram cænent: quæ prandii sexta continuanda erit totâ æstate, exceptis feriis quarta & sexta, quibus jejunandum sit nec ne, Abbatis providentiæ remittitur. Ab Idibus autem Septembris usque ad caput Quadragesimæ ad nonam semper reficiant. In Quadragesima



k *Mercurial. lib. 4. var. lect. c. 17. & l. 1. de re gymnastica cap. 9. & 11.* l *Athe. l. 1. c. 4.* m *Homer. Iliad. α. Odyss. π. ut utroque loco admonuit Eustathius.* n *Homer. Odyss. 2.* o *Lib. 2. Anthelog. cap. 91.*

p *Muret. lib. 4. var. lect. cap. 12.* q *Cl. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 2.* r *Seneca Ep. 83.* s *Ammian. Marc. lib. 23.* t *Gellius l. 3. cap. 3.* u *Cassiod. l. 1. var. Epist. 46.* x *Laertius lib. 6.* y *Macrob. l. 3. c. 17.* z *Hippoc. sec. 4.* a *Athen. l. 4. cap. 13.* b *Clem. Alex. lib. 2. cap. 2.* c *Sidon. l. 2. Epist. 9.* d *Tzetzes Chil. 8. v. 25.* e *Dempst. ad c. 27. l. 5.* f *Savaro ad Ep. 12. lib. 6.* g *Buleng. l. 1. cap. 23.*

verò usque ad Pascha ad vesperam reficiant. Ecce tria tempora prandio Monachorum sanctissimus Legislator assignat, horam sextam diebus quibus non jejunatur; jejuniis Quadragesimalibus horam vespertinam, aliis jejuniis horam nonam. Hanc autem distributionem apud omnes olim Christianos in usu fuisse manifestum est. De sextæ prandio iis diebus, qui à jejunii lege eximii sunt, possem innumeros testes afferre Græcos & Latinos, Cassianum *h* scilicet in Collationibus, & libro de spiritu Acediæ. Sanctum Nilum de eodem spiritu, Basilium sermone ascetico, cui titulus est; De homine quod sit imago Dei, sanctum Pachomium initio Regulæ, quam ab Angelo accepit, Theophylactum *i*, Auctorem * modi benè vivendi inter opera Bernardi, Gregorium magnum *k* in Dialogis, Hugonem Victorinum *l* in expositione Regulæ sancti Augustini, Divum Thomam *m* & alios. Sed nolo tot testimoniis onerare lectorem. Id verò notandum est hoc loco, errasse quosdam Canonum Interpretes *n*, horam prandii tertiam esse dicentes, nisi fortè suorum temporum consuetudinem respexerint. Certè Nicolaus Papa *o* in Responsionibus ad consulta Bulgarorum hortatur eos, ut ante horam diei tertiam nullum corporalem cibum, etiam in ipsis insignioribus solemnitatibus omninò sumant, cum scriptum legamus: *Væ iis qui manè comedunt.* Quam constitutionem ita decet interpretari, ut horâ tertiâ Missarum solemnia celebrantes postea circà quintam, vel sextam reficerentur. Nec mirum si summus Pontifex antiquum Ecclesiæ rigorem aliquantulum eis relaxaverit, feroces enim populos recens conversos ad fidem paulatim ad austeriora ducere oportuit. Ostendunt & sacra Biblia hanc eandem cibi capiendi horam. Fratres Joseph *p* parabant munera, donec ipse ingrederetur meridie, audierant enim quod ibi comesturi essent panem. Cum populus revertisset per meridiem, duo Seniores *q*, qui castam Susannam deperibant, dixerunt alter ad alterum, *Eamus domum, quia hora prandii est.* Cum Jesus *r*, fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem, hora erat quasi sexta; Discipuli verò abierant in civitatem, ut cibos emerent. Accedit quod Princeps Apostolorum *s* discipulos non esse ebrios tanquam insolubili argumento evicit, quod horâ diei tertiâ esset à solita comestionis hora plurimum distans, qua nullatenus fieri posset, ut homines modesti jam se mero ingurgitassent. Sed jam ad jejunia vocamur. Sanctus Benedictus tempus prandii à tempore jejunii distinguit, quia subtractio prandii ad jejunii integritatem spectat, quare esurialibus diebus (ut Plautino vocabulo utar) quæ fit comestio, cœna non prandium esse debet, quæ quò amplius differtur, eò melius abstinentiæ districtio observatur. Et quidem extra Quadragesimam præcipit Ecclesia, ne ante horam nonam manducemus. Athanasius rem acu tetigit libro de Virginitate: Jejuna totum annum, etiamsi nulla cogat necessitas: hora verò nona, cum jam in Hymnis & precibus perseveraveris, sume panes tuos cum oleribus consperses oleo. Adstipulantur alii, Hieronymus *t*, Augustinus *u*, Palladius *x*, & Climacus *y*. Eamdem horam antiquis Hebræis in usu fuisse scribit Aristeas *z* in Historia LXXII. Interpretum, quos ait scripsisse usque ad horam nonam, deinde curasse corpora. Aurelius Prudentius *a* Poëta clarissimus Hymno post jejunium sic canit:

*Nona submissum rotat hora solem*
*Partibus vix dum tribus evolutis,*
*Quarta devexo supereſt in axe*
*Portio lucis.*
*Nos brevis voti dape vindicata*
*Solvimus fastum, fruimurque mensis*
*Affatim plenis, quibus imbuatur*
*Prona voluptas.*

Idem in Hymno *b* de S. Fructuoso Episcopo, & aliis Martyribus Tarraconensibus eamdem rem clarius explicat his versibus:

*Quosdam de populo videt Sacerdos*
*Libandum sibi poculum afferentes:*
*Jejunamus, ait, recuso potum,*
*Nondum nona diem resignat hora.*

In majori autem jejunio quadraginta dierum, qui anniversariam Christi morientis memoriam præcurrunt,

h *Cassian. Collat.* 21. *cap.* 23. *& lib.* 10. *c.* 1. i *Theoph. in cap.* 27. *Matth.* * *De modo bene vivendi serm.* 52. k *Gr. Dial. lib.* 3. *cap.* 15. l *Hugo cap.* 3. m *D. Th.* 2. 2. *qu.* 147. *art.* 7. n *Archidiac. & Turrecrem. ad c. Quod dixit dist.* 41. o *Nicol. Papa. cap.* 60. p *Gen.* 43: 25. q *Daniel.* 13: 7, 13. r *Joa.* 4: 6, 8.

s *Act.* 2: 2, 15. t *Hieron. Ep.* 22. u *August. Ep.* 118. *in fine.* x *Pallad. cap.* 139. y *Climac. gr.* 13. z *Aristeas.* a *Prudent. hym. S. Cathim.* b *Hym.* 6. περὶ Στεφ.

currunt, usque ad vesperam inediam prorogare antiquissima religio est. E veteri Testamento desumpta videtur consuetudo, passim enim Israëlitæ jejunasse usque ad vesperam memorantur *c*. Favent sancti Patres. Basilius *d*, Expectas vesperam, ut cibum capias. Paulinus *e*; Quotidiana jejunia non refugit, & pauperem mensam vespertinus conviva non horruit. Chrysostomus *f*, Non existimemus inediam usque ad vesperam ad salutem nobis sufficere. Theodulphus *g* Episcopus Aurelianensis Epistola ad Clerum suum; Solent plures, qui se jejunare putant (loquitur autem de Quadragesima) mox ut signum audiunt ad nonam manducare, qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, antequam Vespertinum celebretur Officium: concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemnibus, sive Vespertinis Officiis, largitis eleemosynis ad cibum accedendum est. Si verò aliquis necessitate constrictus fuerit, ut ad Missam convenire non valeat, æstimata vespertina hora, completa oratione sua, jejunium absolvere debet. Bernardus *h* sermone de Quadragesima; Hactenus usque ad nonam jejunavimus soli, nunc usque ad vesperam jejunabunt nobiscum universi, Reges & Principes; clerus & populus; nobiles & ignobiles: simul in unum dives, & pauper. Extant & sacri Canones de hac re apud Gratianum *i*, Burchardum *k*, & Yvonem *l*. Hic liceat tandem subsistere & deplorare. Heu quantum à prisco jejuniorum ritu recessimus! Tunc vera jejunia erant, dura, & austera: nunc levia sunt, & vix jejunii nomine digna, ludus, & umbra jejunii. Etiam in ipsis solemnioribus pervigiliis vix meridiem expectamus, statutas Nonæ, & Vesperarum horas in solemni dumtaxat sacratum precum recitatione servantes. Utinam quod deest abstinentiæ, aliarum virtutum exercitatione farciamus.

c *Judic.* 20: 26. 1 *Reg.* 14: 24. 2 *Reg.* 1: 12. d *Basil. orat.* 1. *de jejun.* e *Paulin. Epist.* 6. *ad Amand. quæ est in ordine* 24. f *Chrys. Hom.* 4. *in Gen.* g *Theodul. Ep. ad clerum. n.* 39. h *Bernard. serm.* 3. *de Quadrag.* i *De cons. d.* 2. *c. solent.* k *Burch. l.* 13. *c.* 9. l *Yvo p.* 4. *c.* 42.

## METRUM XIX.

O *Nimium ætas aurea felix,*
*Cum sponte sua, vindice nullo*
*Colerent homines jura, fidemque.*
*Candor morum, castusque pudor*
*Querulas lites, diraque vinclis*
*Bella premebant. Saucia nullo*
*Vomere tellus teneras fruges*
*Ubere cornu lata ferebat.*
*Dulces epulas herba salubris,*
*Dabat & potum frigidus amnis.*
*Nondum certo limite campus*
*Divisus erat: nondum cinctæ*
*Mœnibus urbes, nondum foribus*
*Munita domus, pervia cunctis*
*Divitiarum gaza patebat.*
*Aberant fraudes, aberant cædes:*
*Non Thessalicis mixta venenis*
*Pocula mortis, non aconita*
*Noverat orbis. Pietas sancta,*
*Amor, & summi Numinis horror*
*Placida gentes pace regebant.*
*At nunc miseros postquam infecit*
*Deterioris vena metalli.*
*Jam vitiorum scelerata cohors*
*Agmine facto mundo incubuit,*
*Ambitio exlex, præcepsque furor,*
*Intima livor viscera rodens,*
*Rabies, cædes, furta, rapinæ,*
*Dolus, & fraudum perfida larva,*
*Venale nefas, dira venena,*
*Luxus, & auri cæca cupido,*
*Prodiga rerum gula, lautæque*
*Gloria mensæ, quam morborum*
*Immensa lues, celerique gradu*
*Aspera sequitur, duraque egestas.*
*Tum jus, & amor, cultusque Dei,*
*Veraque pietas, fasque, fidesque,*
*Atque omnis toto exulat orbe*
*Candida virtus, formaque morum.*
*Ergò querelas fundite acerbas*
*Mœstæ juventus: plangite sæva*
*Sidere nati, genus infelix,*
*In quos ætas ultima venit.*
*Sentiat æther gemitus vestros,*
*Sentiat aer, tellusque patens,*
*Et vaga pelagi mobilis unda.*
*Soboles tantis obsessa malis*
*Non est luctu plangenda levi.*
*Nos infaustum genus, ô pueri,*
*Flebile vulgus, male nata seges*
*Sævi per iter triste doloris*
*Celerèrimus: nec sic tellus*
*Infima supero distat ab axe;*
*Quantum à sensibus nova distamus*
*Turba nepotum. Nos senio piger*
*Terræ opprobrium protulit orbis,*
*Qui gravioris pondere pressi*

*Haud degeneres dabimus natos.*
*Sed inutilibus parcite lacrymis,*
*Parcite juvenes, parcite tantos*
*Promere questus: dabitur vobis*
*Alium vitæ nosse tenorem,*
*Si nunc veteres renovet mores*
*Præsens ætas. Aurea secla*
*Aurea morum norma reducet.*

## CAPUT X.

# DE VESPERIS.

### §. I.

*Mysticus solis occasus. Quid sit solem oriri, & occidere. Dicta quædam breviter de cognitione sui. Humanarum rerum magnam esse vicissitudinem.*

IAm diurni finis officii, jam jucundissimæ lucis instat occasus. *Qui producit Luciferum in tempore suo, jam vesperum super filios terræ consurgere facit a.* Nimirùm, ut Sapiens *b* observat, *Oritur sol, & occidit, & ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem. Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos revertitur.* Ortus autem sui, & occasus alternâ varietate magni nos admonet Sacramenti in Christo, & in Ecclesia, in Redemptore, & in redemptis. Et ipse quidem verus justitiæ Sol è purissimo Virginis utero feliciter ortus occubuit in Passione, ac in admirabilis Ascensionis die reversus est in locum suum. *Exivi*, inquit *c*, *à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Hic est Sol, de quo psallimus cum Propheta *d*, *sol cognovit occasum suum*, Christus scilicet cognovit passionem suam. Sed numquid ita occidit sol, ut non oriatur? Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat? Ipse dixit, *Dormivi conturbatus:* Sed de ipso etiam dictum est *e*, *exaltare super cœlos Deus*: & inde venturus est judicare vivos & mortuos. Ergò sicut sol iste visibilis decedente die per incognitas semitas ad locum regressus unde exierat, rursum expleto noctis curriculo de thalamo suo festinus erumpit: ita mysticus Sol, qui de sinu Patris in uterum matris descendit, ut lumine suo illustraret universa, è cœlis iterato nascetur exortu, quando iterum apparebit expectantibus se in salutem. Ideò facies ejus lucere dicitur, sicut sol *f* lucet in virtute sua, quia, ut S. Victorinus *g* Episcopus scribit, licet solis gloria minor sit quàm gloria Domini, propter ortum tamen & occasum, & rursùs ortum scriptura dicit faciem ejus similem gloriæ tolis. Sed & nobis singulis oritur sol, & occidit, & ad locum suum revertitur. Oritur cùm suam nobis infundendo gratiam dixerit de tenebris lucem splendescere: occidit, cum illud contingit, quod in Psalmo *h* scriptum est, *Avertisti faciem tuam à me*, & *factus sum conturbatus.* Oritur timentibus Deum, & satagentibus per bona opera certam facere vocationem suam: occidit negligentibus, & fallaci præsumptione securis Oritur, inquit Salonius *i*, timentibus se: occidit etiam hæreticis, & malis Catholicis, quia propter peccata sua lumen gratiæ ipsius amittunt. Oritur quibusdum, aliis occidit, ait Marcus Eremita *k*, pro varia eorum dispositione, qui circa divinam cognitionem versantur: ille verò beatus est, qui possidet ipsum in se ipso justitiæ Solem, qui non est circumscriptus vespera, & ignoratione. Item alio modo. Oritur nobis Sol, quando veritatis intelligentia cordi nostro inspiratur: occidit, cum intelligentiæ radius obscuratur. *Occidit ei sol*, ait Propheta *l*, *cum adhuc dies esset.* Sed post occasum ad locum suum revertitur, ut iterum renascatur, quia per subtractionem gratiæ ad sui considerationem mentis oculus reverberatur. Solis enim hujus locus proprius ipse est animus. Per hoc verò quod divina gratia se ad tempus subtrahit, cogitur homo agnoscere quàm nihil sit, & quam per se nihil possit, per quam propriæ infirmitatis cognitionem amissa intelligentia reparatur, & quasi sol renascens ad altissimam rerum cœlestium contemplationem paulatim ascendit.

2. Ecce quantum valet humilis cognitio sui, scriptum est enim *m*: *Omnis qui se humiliat, exaltabitur*: & *n*, *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam mandata tua.* Post occasum sequitur ortus, & humiliatio signum est gratiæ appropinquantis, quia sicut ante ruinam exaltatur cor, ita ante exaltationem humiliatur. Rectè Satyricus *o*:

—— *E cœlo*

a *Job.* 38; 32. b *Eccles.* 1: 5. c *Joan.* 16; 28. d *Psalm.* 103. e *Psalm.* 56. f *Apoc.* 1. *ac ibidem* g *Victorin. in Apoc. c.* 1. h *Ps.* 29. i *Salonius in c.* 1. *Eccles.* k *Marc. Eremit. de Temperantia c.* 15. l *Jer.* 15; 9. m *Luc.* 14; 11. n *Psalm.* 118. o *Juvenal. Sat.* 11. *v.* 27.

*E cœlo descendit γνῶθι σεαυτὸν*
*Figendum, & memori tractandum pectore.*

Scientiam cœlestium & terrestrium rerum, ait Hugo Victorinus *p*, laudare, atque amare solent homines; sed multò meliores sunt, qui huic scientiæ præponunt cognoscere semetipsos. Laudabilior siquidem est animus, cui nota est miseria sua, quàm qui eâ non respectâ, vias siderum & naturas rerum scrutatur. Demonax *q* interrogatus quando cœpisset philosophari, tunc, dixit, cùm agnoscere meipsum incœpi. Pythico templo inscriptam olim hanc sententiam, *Nosce teipsum*, tum multi alii, tum ipse Plato *r* testatur, qui ait, hanc inscriptionem esse tanquam Dei salutationem ad homines præcipientis, ut temperatè vivant: nosce enim teipsum, & esto temperans idem sunt. Est ergò, ut docet Christianus Pædagogus *s*, disciplinarum omnium pulcherrima, ac maxima seipsum nosse: quia si quis seipsum norit, Deum cognoscit; quod si Deum cognoscet, ei assimilabitur. Idem asserit Magnus Antonius Abbas *t*, qui ad suos Arsenoïtas scribit, eum, qui seipsum cognoscit, tum universos, tum Deum ipsum cognoscere. Porrò naturæ nostræ ignoratione, ait Hierocles *u*, nullum non malorum genus in nos irrumpit. Cognitio verò sui, inquit Isaac *x*, scientiæ omnium est plenitudo. Heu quàm turpe, & probrosum est, exclamat quidam pietate insignis Scriptor *y*, multa alia scire hominem, & nescire seipsum! Nam si quis seipsum ignorat, audiet Dominum objurgantem, & dicentem *z*: *Si ignoras te, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum.* Videtis quæ nos maneat pœna nostræ ignorationis, observat Princeps Mirandulanus *a*, illa Phœnix ingeniorum: Abeundum est à patre, quam abitionem sequitur exhæredatio, qua quid infelicius? Egrediendum est utique ex nobis, neque enim apud se est animus, qui seipsum non videt: qui autem à se exit, à se divellitur, quo quid acerbius? Eundum post vestigia gregum nostrorum, id est post brutorum vestigia, quæ sunt in nobis, quo quid miserius, quid despicatius, & contemptibilius? fieri scilicet pedissequos bestiarum quarum nos duces natura statuerat. Humanæ quippe naturæ hæc conditio est, teste Boëthio *b*, ut tunc tantùm cæteris rebus, cum se cognoscit, excellat: Eadem tamen infra bestias redigatur, si se nosse desierit. Quod si nosipsos cognoverimus, quasi meridianus fulgor consurget nobis ad vesperam intelligentiæ sol *c*: & juxtà Prophetam Zachariam *d*, *In tempore vesperi erit lux.* Omnium enim bonorum in nobis custodiendorum tutissima ratio est, seipsum non ignorare.

3. Habet dies brevissima vitæ nostræ lucem & tenebras, bonum & malum: habet ortum solis, habet & ejusdem occasum. Si fortè tuæ noctis tenebras exoriens solis jubar fugârit, cautus esto: noli ad hanc lucem incautâ securitate exultare: nam quicunque sit hic fulgor, celeri disparebit occasu. Nondum venit illa dies, quæ nescit occasum; illa dies, quæ manè habet, sed nullo terminatur vespere: illa dies, de qua scriptum est *e*, *Non occidet ultra sol tuus, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Sed etsi occultâ divinæ sapientiæ dispositione tuæ lucis nitorem subitaneus solis occasus offuscârit, ne gravi præoccupatus tristitiâ animum despondeas, nec quasi desperans illud Prophetæ *f* gemebundus usurpes, *Væ mihi, quia declinavit dies, quia longiores factæ sunt umbræ vesperi*: citò enim veniet salus tua, eruntque novissima tua meliora prioribus. Ne magnitudo lucis, & consolationis extollat te, venit Sponsus, & recedit: sed cave tibi ô Anima, non longè ille abest, & si non vides eum, ipse tamen videt te plenus oculis ante, & retrò. Hæ sunt videlicet rerum vicissitudines. Hic est jucundus, & utilis divinæ Sapientiæ ludus. *Venit mane, venit nox g.* Nubilum vesperum serenum sequitur mane, clarum mane tenebrorsus excipit vesper. *Manè dices, quis mihi det vesperum? & vespere, quis mihi det mane h?* Denique, *ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia i.* Juvat hic autem duos eloquentiâ præstantissimos viros Septimium Tertullianum, & Zenonem *k* Episcopum, hac de re loquentes audire. Hic sermone de Resurrectione; Sol, ait, quotidiè nascitur, eâdemque die quâ nascitur, moritur: nec tamen instantis finis sorte terretur, suos ut repigret cursus, ut horas ac momenta producat, ut saltem paulò diutius diei sui demoretur in vita; sed fidelis semper, semper intre-



p *Hugo lib. 2. de Anima c. ult.* q *Stobæus serm. 19.* r *Plato in Charmide.* s *Clem. Alexan. init. lib. 3. Pædagog.* t *Anton. ep. 2. & 6.* u *Hierocl. c. 14.. carmm. Pythag.* x *Isaac de contemptu mundi. cap. 35.* y *Joan. Taulerus serm. de S. Laurentio 2. Cantic. 1: 7.* a *Joan. Picus Mirandulan. in Hetaplo. Proœm. l. 4.*

b *Boeth. de conf. Phil. lib. 2. prosa 5.* c *Job. 11: 17.* d *Zach. 14: 7.* e *Isai. 60: 20.* f *Jerem. 6: 4.* g *Isai. 21: 12.* h *Deuter. 28; 67.* i *Psalm 29.* k *Zeno de Resurr.*

pidus ad sepulchrum noctis cognatæ contendit, sciens in ipso se habere quod vivit: denique adimitur ei ortus, si ei auferatur occasus. Ille libro de Pallio *l* sic differit: Dies & nox invicem vertunt solstitionibus annuis, Luna modulationibus menstruis variat, siderum distincta confusio interdum deficit quid, interdum resuscitat, cœli ambitus nunc sub divo splendidus, nunc nubilo sordidus, aut imbres ruunt, & si qua missilia cum imbribus, deinde subtillum, & denuò sudum. Consentaneum est igitur, ut quidam profanus *m* admonet, neque nos ad subitas calamitates animo ita corruere, ut omnem spem projiciamus: neque lætis in præsentia rebus usque adeò efferri, ut providentiam etiam perdamus; sed spem futuri in medio utriusque fortunæ collocatam habere, & tutò in utramque partem consilium capere. Lux, & tenebræ; frigus & æstus; dulcia & aspera mutuis vicibus veniunt, & redeunt; nascuntur & occidunt: sic disponente Domino, ut continua bonorum, malorumque successione vitæ nostræ alterna spatia constarent.

l *Tertullian. de Pall. cap.* 2. m *Dio Cassius lib.* 47.

## METRUM XX.

*Non semper spatiosos irrigat*
*Turbidus imber agros.*
*Non semper rigidis aquilonibus*
*Pigra laborat humus.*
*Non semper sylvis pecus, & comas*
*Horrida tollit hyems.*
*Phœbæum quandoque serenius*
*Surgit ab axe jubar,*
*Quandoque alterna vice temporum*
*Solvitur acris hyems.*
*Flores quandoque aura favonii*
*Imperiosa vocat.*
*Sic tempus certo ordine digerit*
*Quicquid in orbe viget.*
*Ille infans hodie qui nascitur*
*Cras tumulatur humo.*
*Qui nunc semina grata nepotibus*
*Spargit & arva colit,*
*Consita cras evellit, & arida*
*Concremat igne sata.*
*Est tempus, quo belli fulmine*
*Victima quisque cadit.*
*Est tempus quo sospitat omnia*
*Pacis alumna quies.*
*Destruit iste superba palatia,*
*Diruta at ille struit.*
*Nunc manant lacrymarum flumina,*
*Nunc dolor omnis abest.*
*Omnia sic spatiis pertranseunt,*
*Conglomerata suis.*
*Perpetuum nihil est, stabilem gradum*
*Nemo sub axe tenet.*
*Numina firmant lege adamantina*
*Quas posuere vices.*

## §. II.

*De eo quod scriptum est*; Ad vesperum demorabitur fletus. *Dictum obiter de utilitate lachrymarum. Vesper contemplationem significat.*

1. SApientissimus mortalium fuit, qui distinxit tempus flendi, & tempus ridendi. *n* Quod si quæras quale tempus fletui, quale gaudio tribui debeat, jam audisti David *o* respondentem: *ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Sed cur jubet Propheta vespere flendum esse? cur non & manè, & meridie? aut quare cum lacrymis claudendus est dies, cùm omni tempore hilarem datorem diligat Deus? Digna profectò solerti disquisitione res ista videtur, estque ejus explicatio ab antiquis Patribus petenda, quibus datum est nosse mysteria regni Dei. Primus offert sese ultrò Basilius *p*: Vespera, inquit, præsens vita est, qua peccata plangi debent: scriptum est enim, *q Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabantur.* Quicunque igitur dies sæculi hujus in consummatione jam existentis, & ad occasum tendentis in plorandis peccatis exegerint, hi demum vero illo matutino adveniente gaudebunt. Nam *qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.* Concinit Hieronymus *r*: Vespera tota ista vita præsens intelligitur, qua per peccatum Adæ omnes usque in finem sæculi gemunt: ad matutinum autem erit lætitia in generali resurrectione. Addo Augustin. *s* quo hujus rei explicatio insignior fiat. Quid est, inquit, vespere demorabitur fletus? Vespera fit, quando sol occidit. Occidit sol ab homine, id est, lux illa justitiæ, præsentia Dei. Ideo quando expulsus est Adam, quid dictum est in Genesi? *Cum deambularet Deus in Paradiso.* Ad vesperam deambulabat Deus. Jam ille peccator texerat se intra lignum, nolebat videre faciem Dei, ad quam gaudere consueverat. Occiderat illi Sol justitiæ, non

n *Eccl.* 3:4. o *Psl.* 29 p *Basil. in Psl.* 29. q *Matth.* 5:5. r *Hieron. in Psl.* 29. s *August. in eumdem Psl.*

non gaudebat ad præsentiam Dei. Diu eris in fletu ô genus humanum, nasceris enim de Adam, & sic est factum. In matutino sperandum est, lætandum est; sed perferendum est modò, & gemendum. Antonius Patavinus *t* Seraphicæ Religionis decus eximium triplicem vesperam esse docet, & triplex matutinum, in quorum quolibet est fletus, & lætitia. Prima vespera fuit Adæ culpa, in qua fuit fletus, cum de paradiso ejectus audire meruit *u*; *In sudore vultus tui vescêris pane tuo:* Primum matutinum fuit Nativitas Jesu Christi, *Euangelizo vobis gaudium magnum.* *x* Secunda vespera fuit mors Christi, in qua fuit fletus, *Filiæ Hierusalem nolite flere super me.* *y* Secundum matutinum fuit ipsius resurrectio, in qua fuit lætitia, *Gavisi sunt discipuli viso Domino* *z*. Tertia vespera est in morte cujuslibet hominis, in qua est fletus; *Mortua est Sara, venitque Abraham, ut plangeret, & fleret eam* *a*: Tertium matutinum erit Sanctis in generali resurrectione, in qua *erit lætitia sempiterna super capita eorum*, ut dicit Isaias *b*: Isychius Hierosolymitanus *c*, qui Leviticum eruditissimis commentariis illustravit, per vesperam pœnitentiam intelligit, ad quam fletus demoratur, quia nisi peccator lachrymarum flumine scelera abluat, semper immundus erit coram Domino: atque ideo præcipit lex, ut, qui aliquid ex iis, quæ lege prohibita sunt, fecerit vel attrectarit, immundus sit usque ad vesperam, donec scilicet peccati sordes abluerit lacrymis, & pœnitentiâ.

Tanta est potentia lacrymarum, ut immunda quæque purgare valeant, infirma reficere, perdita restaurare. Luctus siquidem pius, ac religiosus, ut sanctus Abbas Igniacensis *d* docet, in doctrina spiritus, & ordine primus, & utilitate invenitur præcipuus: quippe cum sit summa sapientia sanctorum, custodia justorum, sobrietas modestorum, prima incipientium virtus, proficientium stimulus, perfectorum cumulus, pereuntium salus, periclitantium portus, promissionem denique habens consolationum, quæ nunc sunt, & gaudiorum, quæ futura sunt. Joannes Climacus *e* majorem baptismate fontem lachrymarum audaci hyperbole dixit: &, Absque metu, inquit, ruinæ est, qui ex mortis, scelerumque memoria genas suas viventium aquarum perpetuis imbribus rigat. Optimè Petrus Cellensis *f*; Demergit lachryma populum criminum, rupiumque nostri pectoris solvit duritiam, judicis emollit iram, jam intentatæ iræ humili ausu flectit minas, vibratas revaginat acies, erecta jam resupinat supplicia, exundantes irrorat flammas, profundit de silice aquas, remollit aspera, rigida recurvat, humectat arida, sterilia fœcundat, sordida lavat, decorat fœda, suscitat emortua, referat clausa, prohibita accelerat, intemperata temperat, portas refringit inferni, carbones extinguit ferreæ fornacis. Quid plura? Vincit invincibilem, ligat omnipotentem, naufragium est vitiorum, portusque naufragatorum, Filium Dei ad nos inclinat, & ad veram Trinitatem interveniente spiritu nos elevat. O humilis lacryma, exclamat sapiens Idiota *g*, tuum est regnum, tua est potentia; ante aspectum judicis intras, quicquid petis obtines, accusantibus inimicis silentium imponis. O virtutem, ô efficaciam lachrymarum! rigant cœlum, terram diluunt, extinguunt gehennam. Ideò *cor sapientum*, ait Ecclesiastes *h*, *ubi tristitia est, cor stultorum ubi lætitia.* Exite lacrymæ jampridem exire cupientes, Aperiantur cataractæ miseri capitis, & erumpant fontes aquarum. Deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus, si fortè sufficiant inundantes aquæ sordes diluere culparum, quibus iram merui. Peccavi super numerum arenæ maris, iniquitatem feci in omnem justitiam Dei, à planta pedis usque ad verticem capitis non est sanitas in me. Cum nondum aliquid egissem boni, vel mali, præoccupaverunt me laquei mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me. A sæculo confregi jugum, dirupi vincula, & dixi: Non serviam. Commendavit autem charitatem suam in me Deus, quia cum totus in peccatis essem, Filium suum pro me tradidit morti, & ipse innocens in lacum missus est, ut solveret collum meum à jugo captivitatis. O ubi estis fontes lacrymarum, ut plangam die, ac nocte calamitatem meam! Lugete me montes, & colles: lugete me flumina, & maria: lugete me bestiæ sylvarum, reptilia terræ, & volucres cœli: quoniam vos quidem servitis Deo, legesque vobis ab illo impositas jugiter custoditis: Ego verò pactum meum prævaricatus sum, & amantissimo patri me filium prorsus degenerem exhibui.

Ubi

t *Anton. Patav. ser. Dominic. 17. post Pent.* u *Gen. 3. 19:* x *Luc. 2. 10.* y *Ibid. 23. 28.* z *Ioan. 20. 20:* a *Gen. 23. 2:* b *Isai. 35. 10:* c *Isychius in Levitic. cap. 11. & alibi passim.* d *Guerric. Abb. serm. 2. Pent.* e *Climac. gr. 7.*

f *Petrus Cellens. l. de panibus cap. 12.* g *Idiota de mens. lib. spirit. contempl. 2.* h *Eccl. 7. 3.*

Ubi nunc es vanitas mea, superbia mea! Quò perrexistis delectationes carnis meæ, quid profuistis mihi! Heu pro vobis innocentiam perdidi, Deum amisi, & æterna gaudia æternis suppliciis commutavi. Propterea contremisco à gravissima illa voce, *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Illam formidabilem sententiam metuo; *Ite maledicti in ignem æternum.* Contremuerunt omnia ossa mea ab ira judicis omnipotentis, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à voce Archangeli, & à verbo aspero. Tabescere me fecit pavor meus à dentibus bestiæ infernalis, à rugientibus præparatis ad escam, ab ardoribus sempiternis. Horreo conscientiæ vermem, fœtorem sulphuris, vaporem fumi, stridorem dentium, aspectus dæmonum, & spiritum procellarum. Horreo tenebras exteriores, horreo interminabilem tormentorum æternitatem. Heu me mater mea, ut quid me genuisti filium doloris, filium amaritudinis, & lacrymarum? cur exceptus genibus, cur lactatus uberibus, natus in combustionem, & cibus ignis? Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum, & dolorem dolore? Contremuerunt columnæ cœli, viri sanctissimi, si fortè legentes inciderunt in illud, *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta* i: Et ego miser, ac deperditus homo in beatæ vitæ, æternumque deplorandæ mortis colliminio constitutus, nullo sanctimoniæ munimine septus, nullo innocentiæ suffragio adjutus, nullo veræ pœnitentiæ præsidio vallatus, quasi jam securus nugabor, & ludens cum æternitate inter tot lacrymarum incitamenta ridebo in æternum periturus?

i *Eccles.* 9. 1.

## METRUM XXI.

*I Te igitur lacrymæ, rapidis concrescite rivis*
*Ite, rigate genas: ite, replete sinum.*
*Exul enim patriis tam longè dissitus oris*
*Num potero lætos reddere voce sonos?*
*Non bene consuetum mentitur gaudia pectus,*
*Nec bene mœrenti fingitur ore jocus.*
*Heu felix regio morsu deperdita pomi,*
*Quæstibus heu! quoties es revocanda meis.*
*Atque utinam tristes gemitus, vigilesque querelæ,*
*Flebilis aut posset te revocare sonus.*
*Mille genas, & mille oculos, & pectora mille*
*Optarem, & querulas fundere semper aquas.*
*O cœlum! ó superæ felicia gaudia vitæ,*
*Fulget ubi æterno lumine clara dies!*
*O Deus! ó superi! (cessa, dolor anxie, cessa,*
*Ne impediat lacrymis, carminibusque viam.)*
*Nam quid delitias patriæ, quid perdita cœli*
*Gaudia, quid superos commemorare juvat?*
*Heu magis afficiunt mœstum præsentia pectus,*
*Ipseque sum lacrymis causa sat apta meis.*
*Exulat orbe pudor, terras Astræa reliquit,*
*Sub pedibus pietas, fasque, fidesque jacent.*
*Vis colitur, jurisque locum sibi vendicat ensis,*
*Per vetitumque ruit gens sceleratа nefas.*
*Contemptrix cœli, vilisque avidissima terræ,*
*Improba turba soli sordida frustra colit.*
*Omne scelus regnat, gula, luxus, furta, rapinæ:*
*Fanda nefanda malo mixta furore licent.*
*Ipse ego post puras sancti baptismatis undas,*
*Post ea quæ religant me tria vota Deo,*
*Heu quoties meruі violati Numinis iram,*
*Committens variis crimina fœda modis?*
*Ergò ferite genas, sævite in pectora palmæ,*
*Ergò truces virgis scindite terga manus:*
*Imminet ecce dies post tot peccata verendus,*
*Stamina quo vitæ mors furibunda secet.*
*Tendimus huc omnes, nulli mors dira pepercit,*
*In se quisque sui funeris arma gerit.*
*Delitias luctus sequitur, malè sana voluptas*
*Multa sub Hyblæo melle venena premit.*
*Sustinet hanc scenam tellus, hæc fabula mundum*
*Ludit, & in tragico vita dolore gemit.*
*Atque utinam cuncti cessarent morte dolores,*
*Sed gravior post hanc luctus, & horror erit.*
*Judicium super est, & ineluctabile tempus,*
*Arida quo tellus igne soluta ruat.*
*Cynthia pallescet, vaga sidera luce carebunt,*
*Cælabitque nitens Phœbus in axe jubar.*
*Atque iterum tellus effundet in æra vivæ*
*Corpora, quæ vasto claudit avara sinu.*
*Tum veniet Judex procerum comitante caterva,*
*Et dicet reprobis Ite, Venite probis.*
*Heu quantus feriet tunc noxia pectora terror!*
*Impia quo poterit turba latere specu?*
*Ah miser! ah quantis tormentis tunc cruciabor,*
*Si mihi sit merito pœna luenda rogo!*
*O mors! ó Judex, & inexorabile Numen:*
*O mors extremum non habitura diem.*
*Parce animæ mens cæca tuæ, sortique futuræ*
*Prospice, ne incautum nox tenebrosa premat.*
*Felices nimium lacrymæ, queis Numinis ira*
*Cedit, inexhaustis currite semper aquis.*
*Currite, & in duplices vertantur lumina fontes,*
*Perque oculos undæ, qua data porta, ruant.*
*Nam licet Oceanus me fluctibus amplus inundet,*
*Nulla meis lacrymis unda sat esse potest.*

*Flebilibus*

*Flebilibus cœpi nascens vagire querelis,*
*In lacrymis vixi, par quoque finis erit.*
*Quod si mersa semel fuerint mea crimina planctu,*
*Tunc aberit causa deficiente dolor.*

3. Non omittendum hoc loco, quod Bernardus k altius se surrigens docet. Nam per vesperam otium contemplationis intelligit, juxta illud; l *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam.* Surgit nimirum, & properat fidelis homo ad animarum lucra, ad vitæ activæ officia dum dies est: Vespere autem ad quietem contemplationis tantò ardentius regreditur, quantò fructuosius eandem se meminit intermisisse. Cæterùm inter actionis negotium, & otium contemplationis fluctuat interdum, & exæstuat timens, ne plus justo alteri horum inhæreat: Et fortasse tale aliquid S. Job m patiebatur cùm diceret, *Si dormiero dicam, quando consurgam? & rursum expectabo vesperam, & replebor doloribus usque ad tenebras*: hoc est, & quietus neglecti operis, & occupatus perturbatæ nihilominus quietis me arguo. Vides virum sanctum, ait Bernardus, inter fructum operis, & somnum contemplationis graviter æstuare: & in bonis licet semper versantem, semper tamen quasi de malis pœnitentiam agere, & Dei cum gemitu momentis singulis inquirere voluntatem. Unicum quippè in hujusmodi remedium, seu refugium Oratio est, & frequens gemitus ad Deum; ut quid, quando, & quatenus nos facere velit, assiduè nobis demonstrare dignetur. Hoc itaque habet sanctæ contemplationis vesper, ut ad eum quoque fletus demoretur. *In tempore vespere* ait Isaias n, *& ecce turbatio.* Peracto enim jam die turbari item solet quisquis studet placere Deo, cum in vespertina conscientiæ discussione pro negligentiis, & peccatis admissis orat, & lachrymatur, ut divinam sibi conciliet misericordiam. Qui verò fideliter ministrando, consulendo, & prædicando Domini sui lucra studiosè quæsivit, *Dormiet ad vesperam in semitis Dedanim*, ut idem scribit Propheta o, quia cœlesti desiderio fulgens supernæ contemplationis arcem commodis dumtaxat, & opportunis horis conscendit, dormitque in semitis Dedanim, id est judiciorum, ut D. Hieronymus interpretatur, quia cooperante gratia est indulgentia præsumens, jam non laborat in gemitu suo sub timore judicii; sed proficiens in melius; Deique gloriam cum ineffabili gaudio contemplans lætus sedet, vacuus dormit, quiescit securus, prohibente Domino, & contestante, ne quis dormientem præter ejus voluntatem excitare p præsumat. De primis, id est incipientibus, & adhuc gementibus sub pondere diei, & æstus scriptum est q; *Venit mane, venit nox*: nam matutinam gratiæ illustrationem statim sequitur horribilis nox, ululatus, & planctus magnus, timor, & tremor, ac incessabilis gemitus pro remissione peccatorum obtinenda; fluctuante nimirum conscientia inter spem, & timorem, donec verbo Domini tenebræ, quæ sunt super faciem abyssi, plenioris luminis illustratione dissipentur. De secundis, qui jam pulso timore singulariter in spe constituti dormiunt in pace, mysticè intelligo, quod in mundi creatione Moyses sæpius repetit; Factum est vespere, & mane. Illis post mane sequitur nox: istis post vesperam sequitur mane, nec ulla fit mentio noctis. Ut enim subtiliter notat sacræ purpuræ insigne ornamentum Petrus Damiani r, Vesper ipsa boni operis est perfectio, mane verò lux mentis. Nam cum bonum opus pervenit ad perfectionem, tunc in operantis mente lux gratiæ spiritualis exoritur, ut, dum lucidum opus foris exequitur, intrinsecus ipse gratia Spiritus illustretur. Nulla autem nox iis computatur, quoniam divina perfusi claritate amicti sunt lumine sicut vestimento.

k *Bern. serm. 57. in Cant.* l *Psal.* 103. m *Job.* 7:4. n *Isai.* 17: 14. o *Isai.* 21: 13. ac ibi *D. Hieron.* p *Cant.* 2:7. q *Psalm* 21: 12. r *Petr. Damian. ep.* 5. *l.* 2.

## §. III.

*Magna esse vespertini temporis sacramenta. Notantur quædam de epistolis laureatis, Pacis encomium, & ad eam exhortatio.*

1. SEd quorsum hæc tam multa, tamque conquisitè? Nempè ut susceptam de vesperis tractationem symbolicis explicationibus illustrem clarius exequamur. Quis enim hac hora non solitò ferventior in Dei laudibus inveniatur, quæ tot mysteriis insignis habetur, tot sacramentis nobilitatur? Eleganter ad hoc hortatur omnes Ambrosius s: Cùm vespera diem claudit, Deo debemus per Psalterium laudem dicere, & gloriam ejus modulata suavitate concinere, quò operum nostrorum consummato certamine veluti victores requiem mereamur, & laboris quædam palma sit



s *Ambros. c.* 2. *in fine com. in Malach.*

soporis oblivio. Omitto pleraque sacramenta, quibus hæc hora illustratur. Omitto, inquam, quod vespertinum officium diurni finis, diurnæ & alternæ lucis occasus est: atque ideò seculi hujus interitum, vitæque nostræ finem demonstrat, ut Hieronymus *t* Presbyter, Salonius Episcopus *u*, Olympiodorus *x*, & Cæsarius *y* luculenter ostendunt. Omitto quod in umbra veteris testamenti vespertinum sacrificium quotidie offerebatur. Omitto quod ipse Dominus gentem suam à jugo ferreo Ægyptiacæ servitutis solemni strage primogenitorum liberaturus Agnum sine macula ab universa multitudine filiorum Israël ad vesperam immolari præcepit. Cujus vespertini sacrificii nos mysticam exprimentes intelligentiam cantamus quotidie cum Psalmographo *z*, *Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Illud quoque commendat vesperarum dignitatem, quod in sacra Genesis historia legimus. Noë vir justus, atque perfectus scire cupiens post cataclysmum, an tellus jam sicca, & detecta egressionem è tetro carcere permitteret, columbam emisit exploratricem. *At illa*, ait sacer textus *a*, *venit ad eum ad Vesperam portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo.*

*Ergò emissa semel vitali è sede columba*
*Nil referens certi, rursum dimissa reportat*
*Pacis eræ frugis parvum libamen olivæ b.*

Consules, & Imperatores Romani post debellatos Imperii hostes literas laureatas ad Senatum mittebant triumphalis victoriæ nuncias, ut solus epistolæ aspectus non nisi prospera, & felicia indicaret. Narrat id Romanæ historiæ princeps *c*, eumdemque morem recensent Julius Capitolinus *d*, Ælius Lampridius *e*, Cornelius Tacitus *f*, & ex recentioribus Alexander ab Alexandro *g*. Deus verò pro epistola columbam misit oleæ virentis ramulo insignitam, è cujus aspectu statim vir sapientissimus intelligeret magnam illam aquarum confugem imminutam, pristinamque terris faciem redditam esse. Explicat elegantissimè totius mysterii seriem Ambrosius *h* libro de Noë. Volat autem columba, dum dies est; ingruentibus tenebris ad justum revertitur, quia justitia, & pax in tenebrosis iniquorum pectoribus quiescere nequaquam possunt, nisi diluvia passionum omnimodis deferbuerint. Emiserat Noë corvum avem rapacem, & symbolum habentem cum Divina justitia, & cum vespere severitatis. Nam apud Hebræos vespere dicitur *Hereb*, corvus *Horeb*, iisdem literis puncto dumtaxat immutato. Ibat ille, non revertebatur quasi gaudens in executione justitiæ, donec cessarunt aquæ, & datus est locus misericordiæ, & emissa columba decerptum ex oliva surculum indicem pacis ad vesperam deportavit.

2. Monemur in hoc saluberrimo consilio, Apostolicum in omnibus sequi mandatum omnino præcaventes, ne *Sol occidat super iracundiam nostram i*. Sic veræ columbæ erimus dorso aureo, pennisque deargentatis fulgentes: sic germen virentis olivæ ore nostro portabimus ad vesperam, si Sole ad occasum approquinquante pacem loquamur cum proximo nostro, pacem cum nobis ipsis, & pacem habeamus ad Deum: sic delectabimur in multitudine pacis, & pacis non erit finis. Quod splendor in igne, quod serenitas in aëre, quod tranquillitas in mari, quod amœnitas in terra, id pax in corde. Ipsa enim est, ait Magnus Leo *k*, quæ parit filios Dei, nutrix dilectionis, & genitrix unitatis, requies beatorum, & æternitatis habitaculum, cujus hoc opus proprium, & speciale beneficium est, ut jungat Deo, quos secernit de mundo. Age verò, scribit Dionysius Areopagita *l* dictus Theosophus, ut testatur Hilduinus *m*: Age verò Divinam, conciliandique principem pacem pace dignis laudibus ornemus. Ea enim est, quæ omnia conjungit, atque inter omnia concordiam, connexionemque & gignit, & absolvit. Itaque eam omnia expetunt, quod dividuam ipsorum multitudinem ad totam conjunctionem traducat; intestinumque bellum hujus universitatis ad ejusdem generis domicilium conjungit. Hæc & alia plura diffusè, & abstrusè de pace Dionys. Eandem multipliciter commendat vir eximius Potho Prumiensis *n* libro primo de statu Domus Dei, atque inter cætera hæc habet: Pactum pacis est, quo Deus in Christo mundum sibi reconciliavit. Ingrediens quippè mundum Salvator, pacem nobis per Angelos annunciavit *o*.

Egrediens

t *Hieron.* u *Salon.* x *Olimp. ad cap.* 1. *Eccles.* y *Cæsar. inf. dial.* 1. z *Psalm.* 140. a *Gen.* 8: 11. b *Claud. Mar. Victor. l.* 2. *com. in Gen.* c *T. Liv. l.* 5. *dec.* 1. d *Jul. Capit. in Maximino.* e *Lamprid. in Alexan. Severo.* f *Tacit. in vita Agric.* g *Alex. ab Alex. dier. genialium lib.* 1. *c.* 27. h *Ambros. l. de Noë, cap.* 10.

i *Ad Ephes.* 4: 26. k *Leo serm.* 6. *de Nat.* l *Dionys. Areopag. c.* 11. *de div. nom.* m *Hilduin. in Areopagiticis.* n *Potho Prum. lib.* 1. *de domo Dei.* o *Luc.* 2: 14.

Egrediens de mundo, testamentum pacis fidelibus suis reliquit, dicens Apostolis, & in Apostolis nobis: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis p.* Missis etiam in mundum prædicatoribus præcepit *q*: *In quamcumque domum intraveritis, prius dicite; Pax huic domui: quod si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra.* Qui ergò sunt filii pacis, hi per gratiam pacis habitant in unum. O beata pax, ô jucunda tranquillitas! Tu perfectio sanctitatis es, tu justitiæ regula, tu magistra doctrinæ, tu morum custodia, tu puræ mentis indicium, ac omnium desideriorum amplissima plenitudo. Custodienda igitur præ omnibus virtutibus pax est, ait Petrus Chrysologus *r*, quoniam Deus semper in pace est.

p *Joan.* 14: 27. q *Luc.* 10: 5. r *Chrysol. serm.* 53.

## METRUM XXII.

*O Sincera parens beatitatis,*
*Cœli delitium, Deique proles,*
*Pax terræ columen, decusque morum.*
*Pax cunctis potior ducum triumphis,*
*Quos mundi colis abditos recessus?*
*Hic te sollicito requirit æstu,*
*Urbanos fugiens procul tumultus.*
*Hic inter scopulos, vagosque fluctus,*
*Spumantis pelagi latere credit.*
*Hic deserta petis loca, & per antra*
*Te quærens varias peragrat oras,*
*Qua lucens oritur, caditque Titan.*
*Hic ut te celer assequatur, aurum*
*Congestum colit, atque dignitatum*
*Regalem sibi præparat decorem.*
*Hic demens juga scandit, & remotos*
*Perscrutatur agros: tamen supernæ*
*Hi pacis nequeunt bonis potiri.*
*Cur sic ergò tuum benigna Numen*
*Cælans implacidum relinquis Orbem?*
*Pacem sic ego sciscitabar: illa*
*Respondit: Proprio imperare cordi*
*Si nosti, tibi cognitumque Numen,*
*Possessumque meum est: sinu receptam*
*Sic me perpetuo coles amore.*

## §. IV.

*Vesperarum ex novo Testamento prærogativæ. Vesper mundi finem significat. Oratio ad Dominum, ut nobiscum manere dignetur.*

1. SEd jam ad novum testamentum accedo, cujus veritas, & gratia *vergente mundi vespere* admiranda Divini Verbi incarnatione facta est. Vesper mundi erat, cùm Christus venit, quia totus erat mundus in tenebris. Vesper erat, temporis scilicet plenitudo, & finis dierum, mundi senectus, & ultima ætas, ut Prophetæ futurorum præscii prænunciaverunt. Vesper erat omnibus, quos immanium delictorum squalor, quos diræ mortis tenebrosus horror urgebat. Porrò per vesperam ultimam mundi peruntis ætatem intelligi, qua *Verbum caro factum est*, testes sunt, ut alios prætermittam, Origenes *s*, & Augustinus *t*. Nos sumus in quos devenerunt fines seculorum. Nos senescentis ævi postrema proles veteris abolitionem legis, novæ vidimus promulgationem. Vitiorum agmina ab incarnato verbo expulsa, virtutes vidimus revocatas. Nobis æternæ beatitudinis ostium reclusurus æternus Dei Filius augusto Virginis thalamo inclusus est. Factus est mortalis Deus, ut nos faceret immortales. Verbum enim in Christo passim fuisse dicitur non simpliciter, sed ut loquitur Rusticus Cardinalis *u*, propter unitionem propriificans ea quæ sunt passibilis naturæ per suificationem dispensativam: quod nos dicimus per Idiomatum communicationem. Quis non tantæ dignationis excessum dignis excipiat laudibus, digno colat affectu, digna gratiarum actione prosequatur? Vesper rursum erat cùm transiturus de hoc mundo ad Patrem instructa legali cœna agnum comedit cum lactucis agrestibus ipse Agnus occisus ab origine mundi acerbissimæ suæ passionis amaritudinem præfigurans. Post hæc surgens à cœna immundos discipulorum pedes lavit, & tersit: tum regressus ad mensam vivifica instituit pretiosissimi sui corporis, & sanguinis Sacramenta. O cœnam admirandam, o gratiam super excellentem! Idem Dominus conviva est, & convivium; cibans, & cibus; offerens, & oblatio; victima sacerdotii sui, & suæ victimæ sacerdos: Manducat homo panem Angelorum, qui jumentis insipientibus comparatus, fœnum ut bos comedere dignus erat. Cibum percipit vitæ, qui de cœlo descendit, cibum omnis suavitatis, sanctorum delitias, ferculum immortalitatis. Vinum bibit supercœleste, vinum germinans virgines, & aridas sitibundæ animæ fauces potu saliente in vitam æternam refocillat. In loco pascuæ, in loco



s *Orig. hom.* 7. *in Exod.* t *Augustinus ser.* 75. *de temp.*
u *Rusticus lib. contra Acephalos.*

uberi collocatus flumina mellis, fontes lactis, liquorem balsami sugit, torrente voluptatis potatur, & ab uberrimis cœlestis ambrosiæ inundationibus inebriatur. O cœleste convivium, ô suavissimam refectionem, ô amoris excessum! Hac ratione unus spiritus efficitur Sponsa cum Sponso, Ecclesia cum Christo, anima cum Deo. Hac inquam ratione devotus animus deliciatur, totus spiritualis evadit, omnem concupiscentiæ nebulam evaporat, tantique amoris incendio succensus hominem comburit in homine, & in abscondito faciei Domini gloriatur. Tantam verò mysteriorum profunditatem vespertino tempore in vespere suæ passionis operatus est Dominus, ut nos etiam in vespertinæ synaxis celebratione memoriam abundantiæ suavitatis ejus eructemus. Propterea, ait Origenes x, in mundi vespera passus est Dominus, ut tu semper manduces de carnibus Verbi, quia semper in vespera es, usquequo veniat manè. Et si in hac vespera solicitus fueris, & in fletu, ac jejuniis, atque omni labore justitiæ vitam duxeris, poteris & tu dicere: *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Lætaberis enim manè, id est in seculo futuro, si in hoc seculo fructum justitiæ in fletu, & labore collegeris.

2. Est hæc materia, quæ ducere diem possit, si cuncta horæ hujus mysteria recensere voluero. Vesper enim erat, cùm è cruce depositus, & afflictissimæ matris sinu exceptus dolorem ipsius innovavit, cùm Angeli pacis ad obsequium Reginæ circumstantes amarè flebant. Vesper erat, cùm post triumphalem resurrectionem duobus discipulis euntibus in castellum Emaus in habitu peregrini facundum se comitem adjunxit, ut corda propè desperantia mutua confabulatione ad spei constantiam revocaret. Sentiebant illi in scripturarum explicatione erumpentem ignem, qui per ossa diffusus totas animæ medullas ardentibus scintillis depascebat. Rursum per Vesperam finis mundi intelligitur, sicut dicit Chrysologus y, Vesper est cùm finitur dies seculi, mundus à luce temporum cùm declinat. Hæc est vespera, qua reddet Dominus unicuique juxta opera sua: in cujus rei typum duo Angeli impias civitates naturæ jura violantes devastante flamma consumpturi venerunt ad eas vespere, ut ipsa hora visitationis (quod Abbas Tuitiensis z notavit) tristissimæ peccatorum causæ conveniret. Hæc est vespera, qua durissima Hebræorum corda convertentur ad Dominum, & qui cœlestis doctrinæ pabulum tanquam cibum levissimum nauseabant, Divini verbi famem patientur ut canes. Tunc multi fideles adorabunt bestiam, & dulcissimum Christi nomen saxo duriores abnegabunt, sicut scriptum est, *a Lupus ad vesperam vastavit eos:* & manè florebant, vesperi decident, indurabuntur, & arescent. Hæc est vespera, de qua scriptum est, *b Ad vesperam demorabitur fletus,* hoc est de peccatoribus: nam de justis Sophonias Propheta dicit, *Ad vesperam requiescent c.* Est quoque vespera finis vitæ, ut sanctus Abbas Rievallensis *d* testatur, atque ejus item symbolicè exprimit casum, qui post opera lucis opera inchoat tenebrarum, cujus sunt novissima pejora prioribus. Has tenebras, hunc occasum avertat à nobis Dominus, qui si nobiscum fuerit, etiam vespere tenebris carebimus, *& nox sicut dies illuminabitur.*

3. Dicamus igitur cum discipulis illis, quorum cor ardens erat in via: *Mane nobiscum Domine,* mane nobiscum, *quoniam advesperascit.* Jam vespera mater noctis tenebras parturit, jam nos tristitia confundit, desperatio submergit, intraverunt aquæ usque ad animam, & non est substantia: jam mentes nostras horrenda concutit tempestas, jam frigus iniquitatis nos opprimit, glacies immunditiæ supercrescit, jam sauciata conscientia terribilem judicii sententiam pertimescit. Mane nobiscum, clementissime Domine, quoniam sine te nihil possumus, nihil sumus. Tu solatium nostrum, tu refugium, & virtus, tu es turris fortitudinis à facie inimici. Omnes occupat nox perfidiæ, deficit lux veritatis, prævalent scelera, refrigescit charitas; ad te autem sunt oculi nostri, ne pereamus. Mane nobiscum, ne tenebræ nos comprehendant, & non extinguatur in nocte lucerna lucens, & ardens, quę lucet nobis in loco isto caliginoso. Instat finis vitæ, diei vespera, eripe nos de potestate tenebrarum, & ne declines in ira à servis tuis, quia si nobiscum fueris, in medio umbræ mortis non timebimus mala, sed gratiæ tuæ fulgoribus coruscantes vitæ splendoribus illustrabimur in ipsa regione morientium. Bonum est tecum esse, Jesu dulcissime, mane nobiscum, & ne recedas à nobis: ostende nobis faciem tuam, & salvi erimus. Ecce longiores factæ sunt umbræ vesperi, imminet nox obscurissima, in qua nemo potest operari, mane nobiscum, & claude ostium à foris, donec pertranseant tenebræ, & iterum lux oriatur, & nobis ostium

x *Origen. hom. 10. in Gen.* y *Chrysol. serm. 18.*
z *Rup. Abb. lib. 6. in Gen. cap. 6.*

a *Jerem. 5. 6.* b *Psalm. 29.* c *Sophon. 2. 7.*
d *Ælredus ser. de adventu Domini.*

ostium aperias, ostium fidei, & amoris; ostium contra ostium, quod in montis ædificio Ezechieli Prophetæ monstratum est. Tu quidem habitas in excelsis, & ascendis super Cherubim, & volas super pennas ventorum, & non valent servi tui invenire locum tuum, nisi tu descendens non graveris venire ad nos; vel certè pertrahas ad te quærentes te, sicut pollicitus es dicens; *Omnia traham ad meipsum*; &, *ecce vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Memento igitut verbi tui, in quo nobis spem dedisti, & mane nobiscum in vespera vitæ hujus, ut adveniente horribili mortis nocte educas nos de carcere isto ad confitendum nomini tuo, tecumque perducas in admirabilem domum tuam, in qua nullæ sunt tenebræ, nulla mœstitia, sed lux perpetua, verum gaudium, & exultatio sempiterna. Ibi narrabimus quæ gesta sunt in via, quomodo cognovimus te in fractione panis. Ibi lætabimur in te, & cantabimus laudes tuas sine intermissione. Ibi sedebimus tecum in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta.

## §. V.

*Quid sit Vesper, & quæ ejus etymologia. Qua hora vespertinum officium persolvi debeat. Notantur quædam de Lucernario, & hora lucernari. Mores nostros ab antiquis multum distare.*

1. IPsum nomen Vesperarum à Græcis duxit originem: nam ut testantur Macrobius *e*, & Isidorus *f* ab Hespero stella occidentali Vesper dicitur. Hæc una errantium est, de qua Plinius *g*, Infra solem, ait, ambit ingens sidus appellatum Veneris, alterno meatu vagum, ipsisque cognominibus æmulum Solis, & Lunæ: præveniens quippè, & ante matutinum exoriens Luciferi nomen accipit, ut Sol alter diem maturans: contrà ab occasu refulgens nominatur vesper, ut prorogans lucem, vicemque lunæ reddens. Notat Suidas verbo Ἑσπερος ὁς καλλιστος, primò Parmenidem deprehendisse eumdem esse vesperum, & Luciferum, quod alii Pythagoræ tribuunt. De qua re sic canit Georgius Pisides *h* in Cosmurgia.

*Quis unum, & idem sidus acri lumine*
*Modo Phosphorum modo Vesperum si perspicit,*
*Hoc nesciat binorum opificem cur suum*
*Lucis Prophetam, noctis esse nuntium?*

Laudant Vesperum Callimachus *i* in hymnis, Quintus Calaber *k* in Paralipomenis, & Moschus *l* in Idylliis. A Musæo Βώτωρ ἀστὴρ stella umbrosa, ab Appollonio *m* in Argonauticis αὐλίων ἀστὴρ caularum stella nuncupatur. A Calsurnio *n* Noctifer vocatur his versibus,

*Sed jam sera dies cadit, & jam sole fugato*
*Rigidas æstivas impellit Noctifer umbras.*

Itemque à Catullo *o* in carmine nuptiali, ait enim,

*Nimirum Eoos ostendit Noctifer ignes.*

Scholiastes Euripidis Vesperum dictum arbitratur, quod omnia ferat quæcunque disperfit Aurora. Consentit huic etymologiæ Sappho *p* Poëtria apud Demetrium Phalereum his verbis; Ἑσπερε πάντα φέρεις: φέρεις ὄιν, φέρεις αἶγα, φέρεις μητρὶ παῖδα, Vesper omnia fers, fers vinum, fers capram, fers matri filiam. Hoc idem sidus multi Venerem appellant apud Jul. Hyginum *q*, quibus apud Plotinum *r* adstipulantur Platonici: Plautus *s* Vesperuginem vocat. Docet autem D. Hieron. *t*. Judæos, qui usque ad vesperam jejunium protrahebant, tunc solummodo ad sumendum cibum accessisse, cum primum hæc stella appareret.

2. Quod verò spectat ad legitimum tempus hujus officii solemniter celebrandi variant antiqui Patres. Sunt qui autument ipso noctis initio persolvendum, ideoque inter noctis officia Vesperas computant, cui opinioni favet Baronius *u* tomo primo Annalium. Alii verò extrema diei parte ante solis occubitum vespertinam synaxim agendam præcipiunt, quam propterea volunt ad diurnæ servitutis pensum pertinere. Stat pro priori parte Isidorus *x*, cujus sententiam repetit, & calculo suo approbat Rabanus Maurus *y*. Stat etiam auctoritas hymni, quem Mediolanensis Ecclesia, & Ordo Cistercienses quotidie canunt ad Vesperas, his præsertim versibus:

*Grates peracto jam die,* | *Voti reos ut adjuves,*
*Et noctis exortu preces,* | *Hymnum canentes solvimus.*

Stat denique copiosa phalanx eorum Patrum, qui vespertinum officium lucernarium, vel horam lucernarem appellant, quod tunc lucernæ ingruentibus tenebris accenderentur. S. Clemens Romanus *z* cohortem ducit. Is in Apostolicis Constitutionibus vespertinam obsecrationem,



c *Macrob. 1. Sat. cap. 3.* f *Isidor. 5. orig. cap. 31.* g *Plin. l. 2. cap. 8.* h *Pisid. v. 349.* i *Callimach. hymn. in Deliam. v. 302.* k *Calab. lib. 5. v. 131.* l *Mosch. Idyll. 7.* m *Appollon. l. 4.* n *Calsurn. in fine Ecl. 5.* o *Catullus.* p *Sappho apud Demetr. lib. de elocutione.* q *Jul. Hygin. circa fin. l. Astron.* r *Plotin. l. de amore enn. 3. l. 5. c. 8.* s *Plaut. in Amphitr.* t *Hier. l. 21. adv. Jovinian.* u *Bar. to. 1. an. 51.* x *Isidor. de Eccl. off. l. 1. c. 20.* y *Raban. l. 2. de instit. cleric. c. 7.* z *Clemens Rom. l. 2. c. 34. & seqq.*

& gratiarum actionem. Francisco Turriano interpretante, Denuntiationem obsecrationis nocturnæ, & Nocturnam gratiarum actionem post incensa lumina inscripsit. Sequuntur Clementem antiquiores Patres, Epiphanius *a*, Hieronymus *b*, Cassianus *c*, Basilius *d*, Cassiodorus *e*, Socrates *f*, Nicephorus *g*, Auctor sermonum ad fratres in Eremo *h*, Uranius Presbyter *i*, & alii multi apud Marcellum Francolinum *k*, qui lucernarium, horam lucernarem, psalmosque lucernales expresè commemorant. Hi omnes vespertinas preces nocturno tempori assignant. Non minorem tamen auctoritatem habent, qui à tenebris vindicant, & sole adhuc super finitorem fulgente celebrandas esse contendunt. Satis superque pro innumeris aliis mihi est solus Benedictus * Monachorum Pater, & legislator, qui de Vesperis hæc in regula sancivit. In Quadragesima ad Vesperam reficiant. Ipsa tamen vespera sic agatur, ut lumine lucernæ non indigeant reficientes. Sed & omni tempore sive cœnæ, sive refectionis, hora sic temperetur, ut cum luce omnia fiant. Sic præcipit vir beatus; lucis amicus, discretionis exemplar, ut cum luce diei omnia consummentur, nempè ut monachi nocturnæ quieti quantum naturæ sat est tribuentes ad nocturnas vigilias alacriores surgant: tum etiam ut completorio hora diei postrema relinquatur. Et ne quis putet, solos esse monachos, qui diurnam Vesperarum celebrationem propugnent, alium testem profero virum doctum, & gravem Amalarium Fortunatum *l*. Is tametsi lib. 4. de Ecclesiasticis officiis, Isidoro, quem supra citavimus, consentire videatur; libro tamen de ordine Antiphonarii, quasi Palinodiam canens, Nos, inquit, sæpissimè solemus vespertinale officium ante solis occubitum celebrare. Notat autem Francolinus *m* vespertinum tempus statim post Nonam incipere. Constat ex hymno ipsius Nonæ, quo precamur, Largire clarum vespere. Constat præterea, quia, licet vespera in solis occasu propriè intelligatur; nihilominus totam quartam, & ultimam diei partem denominat, quæ post Nonam incipit, & in solis occubitu terminatur. Quia verò ultima diei hora Completorio assignatur, duæ tantum horæ Vesperis relictæ sunt, decima scilicet, & undecima, ac proinde in fine undecimæ Vespertinæ synaxis legitimum tempus erit, ut Francolinus *n*, Turrecremata *o*, Joannes Beleth *p*, & alii sapienter observarunt.

3. Nostris verò temporibus hæc horarum distinctio haudquaquam in usu est. Nam Vesperæ in Quadragesima circa meridiem, aliis temporibus circa horam nonam persolvi solent. Rectè Pelagius Papa. Defectus nostrorum temporum, quibus non solum merita, sed ipsa hominum corpora defecerunt, districtionis illius non patitur manere censuram. Item Smaragdus Abbas *q*, Modò apud nos jam aliter, atque aliter habetur. Quantò enim serotini à primitivis, tantò longius vitæ merito ab antiquis distamus Patribus. Illi enim erant spiritu ferventes, Domino servientes: nos autem tepidi, & nauseam facientes, sumus tamen in misericordia Domini sperantes. Potho *r* quoque Prumiensis: in ordine, inquit, Monastico, qui honestis studiis, & laudabilibus institutis aliquando præeminebat, nostris jam diebus color optimus Ecclesiasticæ gravitatis mutatus esse videtur, superinducto quodam fuco levitatis. Ecce enim vita Monastica, quæ erat columna, & firmamentum Religionis, in qua videlicet viguit disciplinæ censura, morum gravitas, maturitas consiliorum, auctoritatis pondus, antiquitatis insigne, in Ecclesiasticis Officiis repentinis visa est novitatibus acquiescere, & quadam juvenili passa est decolorari levitate. Numquid Patribus doctiores, aut devotiores sumus? Superba mente præsumimus quicquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. Hæc Potho, qui vixit ante annos quingentos: Quod si Monasticæ institutionis fervorem jam suis diebus refrixisse viri summi, & antiqui conqueruntur; quid nobis infelicibus vix nudum Monachi nomen habentibus post tot annorum centurias dicendum erit? Heu quantum recessimus à semitis antiquis, quas posuerunt Patres nostri! Heu quam tetra vitiorum fuligine obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?

*Nona ætas agitur, pejoraque sæcula ferri*
*Temporibus, quorum sceleri non invenit ipsa*
*Nomen, & à nullo posuit natura metallo.* *s*

Hæc

a *Epiphan. lib. 3. adv. hær. inf.* b *Hieron. ep. 7. ad Lætam. & in 2. expos. Psalm. 119.* c *Cassian. lib. 3. cap. 3.* d *Basil. de Spiritu sancto c. 29.* e *Cassiod. in Trip. lib. 9. cap. 38.* f *Socrat. lib. 5. hist. cap. 21.* g *Niceph. lib. 12. cap. 34.* h *Ad fratr. in Erem. serm. 1.* i *Vran. in vita S. Paulini.* k *Francolin. c. 17.* * *Bened. reg. cap. 41.* l *Amal. l. 4. c. 7. & de ord. Antiph. c. 6.* m *Francolin. c. 19. & 20.*

n *Francol. ibid.* o *Turrecrem. tr. 73. in reg. S. Ben.* p *Beleth. cap. 26. sui Rationalis. C. Fraternitatis dist. 34.* q *Smarag. in reg. Ben. c. 20.* r *Potho in fin. l. 3. de domo Dei.* s *Juven. sat. 13.*

Hæc Satyrici objurgatio quàm verè convenit ætati noſtræ! Sed nunquid deſperandum? Abſit. Ecce enim non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat: neque aggravata eſt auris ejus, ut non exaudiat. Verumtamen iniquitates noſtræ diviſerunt inter nos, & Deum noſtrum: & peccata noſtra averterunt faciem ejus à nobis, ne ex audiret. Propterea fuſis lachrymis indulgentiam Domini poſtulemus, ne caliginoſa ſcelerum nox nos incautos apprehendat. Hora undecima eſt, ait S. Zeno *t*, concluſa ſunt diei tempora, curramus omnes, feſtinemus, ne nox adſit, ne hora prætereat, ne nox mortis inſiſtat. Beatus quidem qui à manè uſque in noctem laborans paratum denarium tanquam debitum poſtulat. Sed quia bonus eſt Dominus, quia miſericors eſt, ſperemus in eum, ut undecimæ licet horæ operarii laboris diurni denarium conſequamur.

## CAPUT XI.

# DE COMPLETORIO.

### §. I.

*Completorium cur ſic dictum. Quare à lectione inchoetur. Oſtenſum contra quoſdam ſanctum Benedictum primum Completorii inſtitutorem fuiſſe.*

1. SEptem Divinis Officiis pro viribus ingenii mei, quod ſentio quam ſit exiguum, Domino opitulante commemoratis, remanet octavum, quod Completorium dicitur, & propter ſui nominis effectum in fine cæterorum celebratur. Completorium enim dictum exiſtimant quotquot de ſacris Eccleſiæ ritibus ſcribunt, vel quia diei curſus, noſtræque ſervitutis penſum hac hora completur, ut poſt Venerabilem Bedam *a* notat Jodocus Chlictoveus *b*: vel quia in illo eſus, potus, locutio, & alia ad corporis ſuſtentationem neceſſaria complentur, & conſumuntur, ut putant Amalarius, Fortunatus *c*, & Hugo Victorinus *d* poſt D. Benedictum. Hic capite 42. ſuæ Regulæ graviſſimè præcipit, ut dicta veſpera diebus jejuniorum, aliis autem diebus ſtatim poſt cœnam, ſedeant omnes in unum, & legat unus collationes, vel vitas Patrum, aut certè aliud, quod ædificet audientes, & lectis quatuor, vel quinque foliis, vel quantum hora permittit, omnibus in unum occurrentibus per hanc moram lectionis, ſi quis fortè in aſſignato ſibi commiſſo fuerit occupatus, occurrat. Omnes ergo in unum congregati compleant, id eſt Completorium recitent, quo Divinæ laudes complentur. Ideò autem ſanctus Pater lectionem Completorio præmitti voluit, ut Monachi ex diurnis operibus, vel negotiis diſtracti, ipſa lectione revocarentur ad Deum. Quare libros magnæ ædificationis, & pietatis legi præcepit, cujuſmodi ſunt collationes Patrum à Joanne Caſſiano conſcriptæ, vitæ quoque Sanctorum, & diverſorum Patrum aſcetici ſermones. Pro qua lectione Smaragdus Abbas Diadema Monachorum compoſuit, ut ex eo ſingulis diebus capitulum unum legeretur. Ex hac verò Monaſtica conſtitutione ratio colligitur, qua factum eſt, ut præter cæterarum horarum conſuetudinem hoc Officium à lectione inchoetur. Brevis enim lectio, quæ hodie Completorium antecedit, illam procul dubio repræſentat, quam ex Collationibus, vel vitis Patrum olim Monachi faciebant, poſt quam ipſum Completorium immediatè ſequebatur. Quo peracto omnem prorſus loquendi facultatem ſanctiſſimus Legislator denegavit, gravioris vindictæ reum ſtatuens Monachum, qui hanc taciturnitatis regulam auſus fuerit prævaricari.

2. Quia verò S. Benedicti mentionem fecimus, illud hic opportunè monebo, quod à nemine, quod ſciam, hactenus eſt obſervatum, ipſum videlicet præclariſſimum Patrem primum Completorii inſtitutorem fuiſſe: quæ aſſertio, quia apud aliquos non uſquequaque eruditos admirationem habebit, æquiori lance libranda, & ſolidis rationum momentis ſtabilienda eſt. Facit in primis ad ejus veritatem aſtruendam, quod, licet in Scripturis, & Patribus frequens habeatur mentio orationis faciendæ in fine diei; ad Veſperas tamen, & non ad Completorium illæ ſententiæ referri debent. Accedit deinde quod ipſo nomine Completorii nullus Eccleſiaſticus Scriptor Benedicto antiquior uſus fuit: nec apud quempiam Græcum, vel Latinum Auctorem hujus Officii nomen reperitur. Res autem ſub aliis nominibus vix à Veſperis diſcerni poteſt. Nec eſt quod animum cujuſpiam moveat

*t* *Zeno in ſin ſer. de Pſalm.* 128. *a* *Beda lib. de medit. Paſſ. Chriſti per 7. horas.* *b* *Iodoc. Chlict. lib.* 2. *Enlicid. Eccl. cap. de horis Canonic.* *c* *Amal. lib.* 4. *cap.* 8. *d* *Hugo in ſpeculo cap.* 5.

moveat secunda Regula D. Augustini, quæ disertis verbis meminit Completorii, nam illa perperam tanto Doctori tributa est, & ab aliquo imperito conficta videtur: precibus enim matutinis Psalmos assignat octoginta octo, Lucernarium distinguit à Vesperis, & multas alias continet de Divinis Officiis absurditates. Nomen item Completorii in Regula Monacharum e inter opera D. Hieronymi reperitur, sed illa spuria est, & Auctoris recentioris. Cassiodorus *f* quoque explicans versiculum Psalmi, *Septies in die laudem dixi tibi*, septem, inquit, illas significat vices, quibus se Monachorum pia devotio consolatur, Matutinas, Tertiam, Sextam, Nonam, Lucernariam, Completorios, Nocturnos. At iste scripsit Regulâ Benedictinâ jam promulgata, ut diligentes Chronologi observant, & ex Annalibus doctissimi Baronii luce clarius constat. Errant igitur toto cælo, qui ab ipsis Apostolis originem Completorio fuisse asseverant. Et quidem Latinos Patres ante Benedictum expressam ejus mentionem nullatenus fecisse concedunt omnes diligentissimi rei hujus indagatores Marcellus Francolinus *g*, Franciscus Suarez *h*, Robertus Bellarminus *i*, & alii. Idem de Græcis sentiendum est, quicquid nonnulli homines alioquin non contemnendæ eruditionis in contrarium reclament. Quid enim? commemorant illi orationem initio noctis ante somni dormitionem faciendam. Esto sanè. An idcircò hæc institutio ad Completorium trahenda est? Non credo. Enimverò vel de Vesperarum solemnitate, vel de aliqua privata oratione explicari debent: ideoque valdè incompletum erat hoc Completorium. Miror in hac parte doctissimi viri sapientiam dormitantem. Scribit hic *k* expressam Completorii mentionem se primum inveniisse apud Basilium *l* in Regulis fusius disputatis. Age, proferamus textum. Completo jam die, ait ille, postquam horæ nonæ mysteria ex Actibus Apostolorum explanavit, pro iis omnibus, quæ in eo data nobis fuerint, feliciterve nobis evenerint, gratiarum actio succedat; eorumque quæ vel per consensum, aut secus contra animi sententiam prætermissa sint confessio: ac sicubi latens delictum aliquod admissum fuerit verbis, operibusve, aut etiam corde, pro his omnibus oratione adhibita veniam nobis à Deo comprecabimur. Siquidem ad similia peccata iterum evitanda valdè utilis est præteritorum consideratio. Idcircò David dicit, *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*. Tuam fidem obtestor amice Lector, agnoscisne hactenus aliquod vestigium Completorii? An quia meminit confessionis, quam Ecclesia Romana Completorio præmittere solet, ideò quamdam ejus effigiem hic adumbratam existimas? Sed præstat sequentia Basilii verba recitare. Tum autem, inquit, primis se jam noctis intendentibus tenebris sequetur petitio, ut quies quam sumus capturi inoffensa, & ab omni perturbatione, ac vitio libera sit, qua hora etiam necessariò nonagesimus recitari Psalmus debet. Hæc ille, qui dum ingruentes tenebras, & Psalmi nonagesimi recitationem commemorat, videtur sanè primo aspectu ipsum Completorium delineare. Sed neutra conjectura sufficiens est. Primò quia cùm statim post Nonam vespertinas preces recenseat; quæ antiquissimæ sunt, & completo jam die ad lucernam cantari solebant, ut capite superiori ostensum est, quid mirum si de tenebris mentio fiat? Deinde tametsi nonagesimum Psalmum etiam nunc ad Completorium dicamus, hujus tamen Psalmi designatio nihil facit pro Completorio: nam etiam hora sexta hunc eundem Psalmum dicendum esse præcepit, ut liberemur ab incursu, & dæmonio meridiano. Quid quod Baronius *m* hæc eadem Basilii verba de tribus nocturnis vigiliis interpretatur, quæ olim ter in nocte surgendo recitabantur? Tandem idem Basilius sermone primo de institutione Monachorum, qui aliis est sermo quartus exercitamentorum pietatis, horarum Canonicarum tempus, & numerum describens, adeò clarè rem istam diffinit, ut nulla amplius dubietas relinquatur. Is est, inquit, horarum modus tenendus, qui à veteribus olim sanctis viris ad orationem descriptus est. Etenim eximius ille David ait: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ*. Addit deinde idem Propheta: *Vespere, manè, & meridie*. Quin & Spiritus sanctus circiter horam diei tertiam missus fuit, sicut ex Actis accepimus, quo tempore, cùm propter illam variarum linguarum efficacem vim Pharisæi discipulos irriderent, negavit Petrus eos ebrios esse, qui ea loquerentur, siquidem horam illam

e *Reg. Monachar. cap.* 39. f *Cassiod. in Psalm.* 118. g *Francol. cap.* 14. & 21. h *Suarez l. de hor. Canonic. cap.* 5. i *Bellarm. lib. de bonis oper. in particul. cap.* 11. k *Bellarm. ibid.* l *Basil. reg. fus. q.* 37.

m *Baronius ann.* 51. *num.* 69.

illam tertiam fuisse. Porrò Nona Dominicæ Passionis memoriam refert, illius quæ vitæ nostræ causa susceptæ est. Verùm quoniam item hoc est apud eundem David : *Septies in die laudem dixi tibi super judicia justitiæ tuæ* : tempora autem illa, quæ diximus, neutiquam septenarium orationis numerum conficiunt, bibartito dividenda meridiana oratio est, ita videlicet, ut pars una cibum præcedat, altera subsequatur, quò perpetua hæc nobis formula sit Deum septies per singulas dierum conversiones laudibus celebrandi. Ecce quas horas Divino cultui suo tempore assignatas enumerat Basilius. Primò quidem ex Psalmis nocturnos, Laudes, Sextam, & Vesperas. Addit ex novo Testamento Tertiam, & Nonam. Postea ut septenarius Prophetæ numerus adimpleatur sextam in duas partes dividi jubet, quarum una cibum antecedat, altera subsequatur. Quis hic non videt nullum Completorium apud Basilium fuisse? Nam qua ratione jam dictæ horæ sextæ partitionem ad septenarii numeri supplementum instituisset, si post Vesperas aliæ preces superfuissent superioribus adjungendæ? Nulla igitur, non dicam expressa mentio, sed ne rudis quidem adumbratio Completorii in præcitata Basilii sententia reperitur, quam ideò ad Vesperas referre omninò debemus.

3. Confirmatur amplius hæc assertio ex diligenti cæterorum Græciæ Scriptorum discussione, qui multis sæculis post Basilium vixere. Nulla enim Completorii mentio apud illos habetur, adeò priscis Græcis ignotum fuit hoc officium. Joannes Climacus ad sextum pertinet sæculum. Is sermone de Pastoris officio ; Quidam Pater, ait ; post complementum vespertinarum orationum alicui duos, alii tres, alii centum psallere Psalmos ante somnum injungebat. Ergò post Vesperas nulla solemnis oratio remanebat, sed privata cuique psalmodia imponebatur. Euthymius Zigabenus Monachus vixit sæculo duodecimo tempore Alexii Comneni Imperatoris. Hic ad illum Psalmi versiculum, *Septies in die laudem dixi tibi*, sic enumerat horas Canonicas, mediam noctem, diluculum, manè horam tertiam, Sextam, & Nonam, & Vesperas. Nihil autem de Completorio. Eodem sæculo, vel paulò ante vixisse creditur Simeon Presbyter, & Præpositus Monasterii S. Mamantis, qui oratione vigesima quinta de fide, & moribus, vespertino officio completo præcipit Monachum benedictionem à Prælato percipere, tum in cellam recedere, & observare ostium, ac post privatas lectiones, & orationes super stoream cubare. Ante istos, sæculo scilicet nono, floruit Simeon Metaphrastes, qui passim in vitis Sanctorum Matutinum commemorat, itemque Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperas, nunquam tamen Completorium. Denique qui voluerit omnes Scriptores Græcos evolvat, & inveniet de Completorio altum ubique silentium. Auctor libri ἀγίου quem Jodocus Coccius in Thesauro Catholico scripsisse ait anno Domini 1480. primus est ex his quos vidi, qui Completorii meminerit. Sic enim scribit capite de horis Canonicis. Matutinus cantus obitur, quia primò omnis Christianus debet manè celebrare Christum : secundò mulieres manè venerunt portantes aromata ad ungendum Christum : tertiò ipse Dominus manè surrexit è sepulchro. Inter matutinum, & vespertinum interveniunt aliæ Canonicæ horæ, quibus canitur prima hora, quia principium diei est, & monstrat nobis illam lucem, quam Deus nobis donavit educens nos è tenebris, & in lucem æternæ vitæ ponens. Tertia, quia tunc descendit in Apostolos Spiritus sanctus illuminans eos, & ipsi mutarunt linguas suas, ut proficiscerentur ad prædicandum Evangelium toti orbi terrarum. Sexta, quia tunc Christus in crucem sublatus fuit, in qua pependit usque ad nonam. Nona, quia tunc expiravit Dominus. Apodipna (quasi dicas : Postcœnia, quæ nostro Completorio correspondent) canuntur, quia cubitum ituri sumus. Ideò Deo gratias agimus petentes, ut nobis sanctum suum Spiritum mittat, qui nos à laqueis diaboli custodiat, ne nos ille ad libidinem suam supplantet. Mediæ noctis canticum, quia dixit Christus, *Vigilate, & orate, quia nescitis qua hora Dominus veniat*. Rursus dicitur, *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit*. Hactenus prædictus Auctor. Quod si quempiam Græcum Scriptorem ex antiquioribus repereris, qui Latinè redditus Completorii nomine utatur, id vitio Interpretum tribuendum est, qui nostrorum temporum consuetudinem attendentes, quoties in textu Græco hanc vocem τὸ λύχνικον vel aliam similem inveniunt, Completorium vertunt, cum potius horam lucernarem, seu vespertinam interpretari debuissent. Denique, ut è Græcia in Latium regrediar, ex hymno S. Ambrosii, quem nos toto ferè anno in vespertina synaxi ritu

Cistercienſi decantamus, licet evidenter colligere ipſas veſperas tunc ſolemnium precum complementum fuiſſe, quas idcirco ante ſomni quietem perſolvebant. Precamur enim in hoc hymno;

*Artus ſolutos ut quies*
*Reddat laboris uſui:*
*Menteſque feſſas allevet,*
*Luctuſque ſolvat anxios.*

Itemque,

*Exuta ſenſu lubrico*
*Te cordis alta ſomnient:*
*Ne hoſtis invidi dolo*
*Pavor quietos ſuſcitet.*

Sanctus itaque Benedictus, qui horam veſperarum ſic temperari præcepit, ut ſubſequens cibi refectio luce adhuc diei clareſcente ſumeretur, ne Monachi, qui omnes in uno loco ſinguli in ſingulis lectis dormiebant, ſumpto cibo fabulis, otioque vacarent, aut nullo orationum muniti præſidio quieti nocturnæ ſe traderent, prudenti conſilio præcepit, ut auditâ prius ſpirituali lectione, tribus Pſalmis directaneis ſine Antipho na Completorium perſolverent, acceptaque Prælati benedictione rectâ cubitum irent, ne fortè privatâ, & indiſcretâ oratione alter alterius neceſſariam quietem impediret; Sed communi locutione ceſſante, cæteriſque diei exercitiis fideliter conſummatis, omnia corporis membra, omnes ſenſus, & potentiæ ſoli Deo, qui non dormit, neque dormitat, committerentur, donec ſomno refectis artubus obſerata nocturno ſilentio oris clauſtra janitor labiorum noſtrorum ad annunciandas ejus laudes in nocturnis officiis aperiret.

## §. II.

*Completorium quâ horâ celebrandum. Admonet nos finis noſtri. Myſticæ ejus ſignificationes. Quæ ſit bona, & vivificans mors, quam juſti optant.*

1. PAtet ex dictis, Canonicum tempus Completorii quale ſit, hora ſcilicet duodecima jam exacta poſt cœnam, & omnia opera ſomnum antecedentia, ante finem crepuſculi veſpertini, poſtremo ſcilicet termino abeuntis diei, ut docent Bellarminus *n*, & Durantus *o*, atque alii Scriptores *p* apud ipſos. Non ideò tamen quorumdam Canoniſtarum errorem ſequi debemus exiſtimantium Completorium unam eſſe ex nocturnis vigiliis: quamvis enim poſt ſolis occubitum celebretur, diurnis nihilominus officiis tanquam ipſorum complementum deputatur. Finis autem officii finis etiam noſtri nos admonet. Quotidie morimur, & quaſi aquæ dilabimur ſuper terram, quæ non reverruntur: quotidie commutamur, quot puncta ſcribo, tot meorum temporum ſunt detrimenta. Omni momento pars aliqua vitæ demitur, & tunc quoque cum creſcimus, vita decreſcit. Quid in rebus humanis certius morte? quid hora mortis incertius invenitur? ut exclamat Bernardus *q*: Senibus quidem in januis, adoleſcentibus in inſidiis eſt. Dicere quiſque poteſt cum Poëta Venuſino *r*,

*Quis ſcit an adjiciant hodiernæ craſtina ſummæ*
*Tempora Dii ſuperi?*

Quare id agendum, ut una dies inſtar totius vitæ nobis ſit: *Ne glorieris in craſtinum*, ait Sapiens *ſ*, *ignorans quid ſuperventura pariat dies.* Romanus Philoſophus luculentiſſimè *t*: Pectus mortale nunquam magis divinum eſt, quam ubi mortalitatem ſuam cogitat, & ſcit in hoc natum hominem, ut vita defungeretur. Quanti incolumes hodie vivunt, cras futuri pulvis, & umbra? Ille itaque beatus cenſeri debet, qui ſic ſemper, & ubique vivit, ut ultimam quamque lucem tanquam non redituram conſumat.

n *Bellarm. l. 1. de bonis oper. in part. c. 11.* o *Durant. de ritib. Eccl. l. 3. cap. 12.*

p *Hoſtien. Jo. Andreas, & alii in cap. 1. de celebrat. Miſſarum.* q *Bern. de conv. ad clericos c. 14.* r *Horat. l. 4. od. 7.* ſ *Prov. 27: 1.* t *Seneca ep. 120.*

## METRUM XXIII.

*PHoſphorus ecce diem ſolito properantior affert,*
*En roſeo fugat aſtra flagello.*
*Purpureis evecta rotis Tithonia conjux*
*Jam reduci parat æthera Phœbo.*
*Ecce moræ impatiens tremulis emergit ab undis*
*Claro fulgens Cynthius ore.*
*Naſcenti arridet perfuſum lumine cœlum,*
*Plaudit tellus, concinit aër,*
*Vix tamen æthereo rutilans effulſit in axe*
*Terris undique luce retectis:*
*Cum ſubitò excelſum cæli conſcendere clivum*
*Curſu nititur ocior Euris*
*Attollitque diem, medioque è culmine victor*
*Totum flammis concremat orbem.*
*Mox jam defeſſus rutilantes contrahit ignes.*

*Æquo-*

*Æquoreas declivis in undas.*
*Deficit heu senio languens, victusque recedit*
*Obscuris obnubilus umbris.*
*Primum humili, hinc celsa fulgebat lampade, tandem*
*Furvæ cessit tempora nocti.*
*Flet largis cælum lacrymis, solique cadenti*
*Tellus aggemit, aggemit aër*
*Funereis facibus prælucent sidera, terram*
*Nigro nox involvit amictu.*
*Scilicet hæc hominum norma est, vitæque fugacis,*
*Quæ nascens jam definit esse.*
*Quid senium, & multos fingis mansura per annos*
*Vitæ gaudia cæca juventus?*
*Hora vales, finis properat, nox atra tenebris*
*Imminet, & caligine multa.*
*Vive igitur, medio dum Phœbus in æthere fulget,*
*Vive hodie, cras vivere serum est.*

2. Porrò mysticæ hujus horæ significationes multæ sunt. Christus enim hac hora pridie mortis suæ ad hortum exiit post cænam, ut salutem ab horto auspicaretur, à quo nobis interitus, & perditio. Oravit prolixius procidens in faciem suam, ut orantis habitum ab ipso discceremus. Et cœpit contristari, & mœstus esse, non solùm timore imminentis mortis, sed multò magis ob Judæ infelicitatem, ob Judæorum perditionem, ob ingratum Christianorum animum erga ipsum, nam plerisque prævidebat nihil sui sanguinis effusionem profuturam. Tristitiam verò suam statim retulit ad Deum cum oratione dicens æterno Patri; *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Hæc vox capitis, salus est totius corporis, ait Magnus Leo Papa *n*. Hæc vox omnes fideles instruxit, omnes Confessores accendit, omnes Martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores: nisi Christus in omnibus, & pro omnibus patiens patri diceret, *Fiat voluntas tua*? Discant igitur hanc vocem omnes Ecclesiæ filii magno pretio redempti, gratis justificati, & cùm adversitas violentæ alicujus tentationis incubuerit, præsidio potentissimæ rationis utantur: ut superato tremore formidinis, accipiant tolerantiam Passionis. Et cùm prolixius oraret, sanguineus sudor æstuantis animæ indicium per omnes artus erumpens terram perfudit, ut hoc universo rore declararet Dominus terrenos homines Divino sanguine redimendos. Olim canebat Sponsa *x*, *Dilectus meus descendit in hortum suum, ut pascatur in hortis, & lilia colligat.* Sed mutata hic rerum facies, expiandis sceleribus, non legendis floribus destinatur hic hortus. O felicem hortum Dei cruore irrigatum, qui tui Creatoris preces audiens, ejusque mœroris, & agoniæ conscius primi illius paradisi felicitatem superasti. Utinam ariditas mea sanguineo hoc rore irrigetur. Anima mea Domine, sicut terra sine aqua tibi, fœcunda eam copioso hoc imbre, ut reddat tibi fructum temporibus suis. Hac etiam hora Dominicæ sepulturæ memoria celebratur. Corpus enim Christi è cruce depositum in monumento positum est, non corruptioni obnoxium, sed ad immortalitatem surrecturum. Quiescamus suaviter in hoc sepulchro quicunque Christi passionibus communicamus. Maneamus in eo securi, nam futurum illud glorioſum Propheta prædixit *y*. Eamus inquam & nos, & moriamur cum eo: ea scilicet morte, de qua psallimus *z*, *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*: ut consepulti cum Christo ingrediamur in abundantia sepulchrum. Hæc mors vivificans est, qua nobis ipsis, & mundi actionibus morimur. Hæc mors perducit nos ad vitam, quæ nonnisi mortua carne cognoscitur, sicut scriptum est *a*, *Non videbit me homo, & vivet.* Nos enim sumus anima immortale animal, inquit Xenocrates *b*, in habitaculo mortali clausum, & vitæ hujus amissio à malo in bonum est transitus.

3. Hominem duplici ratione mori agnoverunt Platonici apud Macrobium *c*, primùm si anima corpus relinquat: deinde si anima in corpore adhuc manens corporeas illecebras contemnat, & omnes affectiones, ac voluptates exuat. Utramque mortem, qui Dei amator est, libens amplectitur, teste Maximo Tyrio *d*: quia, nisi quis à semetipso deficiat, ad eum, qui super ipsum est, non appropinquat. Præcipuè verò mysticam mortem, qua anima à sensibus, & corporeis illecebris avellitur, optat quotidie perfectionis cupidus, & dicit *e*, *Moriatur anima mea morte justorum.* Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Bona mors, qua corpus non cadit, sed anima sublevatur. Utinam hac morte frequenter cadam, ne me laquei horrendæ mortis comprehendant: ut non sentiam lascivientis vitæ mortifera blandimenta: ut non movear ad sensum libidinis, ad æstum avaritiæ,

n *Leo serm. 7. de Passione.* x *Cant. 6: 1.*



y *Isai. 11. 10.* z *Psalm. 115.* a *Exod. 33. 20:* b *Xenocrat. lib. de morte.* c *Macrob. in Som. Scip. lib. 1. cap. 13.* d *Max. Tyr. ser. 1.* e *Num. 23. 10:*

ad iracundiæ stimulos, ad angores solicitudinum, & molestias curarum. *Moriatur anima mea morte justorum*, ita ut illam nec fraus decipiat inimici, nec carnis blanditiæ inficiant, nec ignita mundi tela conficiant. Quis mihi det, non solum carnis oblectamenta, sed & undique irruentia corporearum similitudinum phantasmata mentis puritate transvolare, ut moriar cum Christo, cum Christo sepeliar, cum ipso transeam ex hoc mundo ad Patrem, & ostenso, ac viso Patre dicam cum Philippo, *sufficit mihi*? Hæc est mors, quam optabat S. Job, cùm dicebat *f. Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.* Hæc est mors non hominum, sed Angelorum, ut eam vocat Bern. *g* de qua fidelibus ait Apostolus, *h Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* De hac morte sic loquitur Clemens Alexandrinus *i*. Vir qui eam accepit lucem, ad quam non patet aditus, ad Dominum peregrinatur, etiamsi in terra cernatur ejus tabernaculum: animam enim abducit à motibus, & affectionibus, & rursus vivit morte affectis cupiditatibus. De eadem hæc habet in moralibus Gregorius Magnus *k*. Quisquis sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne jam ejus amore teneatur. Nullus quippè eam vidit, qui adhuc carnaliter vivit, quia nemo potest Deum simul amplecti, & seculum. Qui enim Deum videt eo ipso moritur, quo vel intentione cordis, vel affectu operis ac hujus vitæ delectationibus tota mente separatur. In hac morte, ut explicat Richardus Victorinus *l*, jacet corpus sine sensu, & motu, sitque illa valdè gravis, & verè mirabilis non dissolutio animæ, & corporis; sed alia hac multo mirabilior, multoque glorioſior divisio animæ, & spiritus. Hanc autem in nobis operari solet, sicut testatur Apostolus; *Vivus ille Dei sermo, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usq; ad divisionem animæ, & spiritus.* Quod verò Deum videre mors sit, hac ratione subtiliter explicat Marius Victorinus Afer *m*: Si quis Deum viderit, moriatur necesse est, quia Dei vita, & intelligentia in semetipsa est, non in actu: omnis autem actus foris est; hoc verò est nostrum vivere, quod foris est vivere: ergò est mors Deum videre. Omittenda igitur vita foris, omittenda intelligentia, si Deum videre volumus, & hoc nobis mors est. Simili enim simile videtur. Sic disserit obscurissimus iste Scriptor. Nec desunt mortis hujus exempla, præsertim in devoto fœmineo sexu. Seraphica V. Catha. Senen. *n* quæ sæpè sæpius hanc Angelicam mortem passa est, scribit in ea separari animam ab omnibus potentiis, quia omnes elevatæ sunt, & absorptæ in Deum. Tunc autem, ait, amittit corpus sensus suos, quia oculus videndo non videt, auris audiendo non audit, & sic de cæteris sensibus, omniaque membra ab amore ligata sunt, ideòque clamant qui sunt hujusmodi, *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus*? Altera Catharina Januensis *o* verè mirabilis, ac Theodidacta mulier ita de hac morte experientia magistra philosophatur. Postquam Deus expoliavit animum mundo, carne, divitiis, exercitiis, affectibus, & omni alia re, præterquam ipso Deo; voluit insuper eam seipsa denudare, & separare animum à spiritu forma quadam terribili, modoque patiendi subtilissimo, quem explicare, & intelligere difficillimum est, nisi aliquis Divino lumine perfusus id in se experiretur. Infudit Deus in cor ejus novum amorem adeò subtilem, & vehementem, ut animam cum omnibus suis potentiis à suo esse naturali abstractam traxerit ad se, quæ hoc amore semper occupata in nulla re poterat delectari, nec cœlum, vel terram respicere. Corpus autem absque suo esse naturali quasi confusum, & attonitum remanebat nesciens ubi esset, vel quid deberet dicere, & operari. Denique Maria Vela *p* Ordinis Cistercienſis Sanctimonialis, quæ Abulæ in Hispania eximia hoc seculo floruit sanctitate, mortem, quam vivens subiit incendio amoris combusta sic scribens ad suum Confessarium describit: In ardenti charitate patitur anima felix, & delectabile tormentum, & terribile martyrium per manum ipsius Dei, adeò sæpè crescente incendio, ut animam comburat, & ad corpus etiam flamma pertingat. Cùmque aliquando natura hunc ignem recusaret timens ne ab eo consumeretur, audivit vocem Dei dicentis sibi, sine te comburi: itemque, in hoc igne purificaberis. Quid verò sentiat anima, dum cruciatur in hac flamma, quis poterit explicare? Moritur enim morte suavissima, sui obliviscitur, & omnium creaturarum, omne spatium an-

f *Job.* 7: 13. g *Bernard. serm.* 52. *in Cantic.* h *Coloss.* 3: 3. i *Clem. Alexan.* 6. *strom.* k *Greg. l.* 18. *mor. cap.* 27. l *Richard. de extrem. malt, & prom. boni tract.* 3. *cap. ult.* m *Mar. Victorin. initio l.* 3. *ad Arium.*

n *Cathar. Senensis Diologi sui c.* 79. o *Cathar. Januensis in dialogo cap.* 2. p *Ex vita Mariæ vel a par.* 2. *cap.* 53.

angustum illi videtur, nec in se manere potest, nec toto cœli, terræque ambitu contineri. Vellet coram Deo annihilari, & in laudem ipsius omninò resolvi. Porrò corpus sine pulsu remanet intensissimis doloribus afflictum, expers cibi, & somni, ac penè mortuum, nisi quod anima impetu amoris acta quandoque compellit ipsum voces tollere ad sidera altissimis gemitibus, & clamoribus inarticulatis. Hæc & alia plura de mystica hominis morte sanctæ animæ scripserunt, quæ inexpertis incredibilia videntur. Mors autem ista in contemplatione contingit, ad quam serotinum tempus jam ingruentibus tenebris maximè idoneum esse omnes Theologiæ mysticæ Doctores asseverant. Sed & quidam Ethnicus *q* hanc veritatem non ignoravit, qui de seipso ad amicum scribens ait: Mirè silentio, & tenebris animus alitur, ab iis quæ avocant abductus, & liber, & mihi relictus non oculos animo, sed animum oculis sequor, qui eadem quæ mens vident, quoties non vident alia.

## §. III.

*Horâ Completorii obtulit Abraham sacrificium. Contemplationis series ex eodem sacrificio explicatur. Deprecatio pro dono contemplationis.*

1. IDeò ante Completorium versiculus ille Psalmi decantatur *r*, *Converte nos Deus salutaris noster*, quo peracto jam die è negotio ad otium, ab externis ad interna, à militia diei ad noctis quietem, & ab actionum solicitudine ad contemplationis suavitatem revocemur. In cujus rei typum Patriarcha noster Abraham *s*, cùm accepta super numerum stellarum futuræ propaginis repromissione præscriptum à Domino sacrificium ipsa hora Completorii offerret, conversionem nostram ab activæ vitæ exercitiis ad contemplativæ sublimitatem non sine ingenti mysterio præfiguravit. *Sume*, inquit, *mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam.* Ubi illud in primis observandum est, quod quadrupedibus bestiis volucres etiam in sacrificium adjunxit. Nam, ut ait Richardus Victorinus *t*, in avibus studia spiritualia, in animalibus corporalia exercitia intelliguntur. Qui verò ad apicem perfectionis anhelat aves bestiis, interna externis, contemplationem actioni conjungere debet. *Et bestias quidem divisit Abraham in duas partes, volucres autem non divisit.* In internis enim exercitiis, quæ ad aves pertinent, cùm soli Divino conspectui pateant, illud dumtaxat oportet intendere, ut Divinæ placeant voluntati: At in externi, & corporalibus quibus tum propter Deum, tum propter proximum insistimus, intentionem nostram necessariò dividimus, & geminamus, & ad Divinum beneplacitum, & ad proximi utilitatem attendentes. His autem studiis dum incumbimus, adhuc viget diei malitia, adhuc urit æstus concupiscentiæ, adhuc fervet carnalis prudentiæ calor. Ideò sacrificium nostrum custodire debemus, ne descendentes volucres, ineptæ scilicet, ac superbæ cogitationes, immissiones, per Angelos malos, illa coinquinent, & discerpant. Sed quid dicit Scriptura? *Cùmque Sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus, ac tenebrosus invasit eum.* Ecce quomodo occidentem Solem comitantur sopor, & post soporem sequitur horror. Hunc verò soporem non illum arbitror esse, quem infirmitatis nostræ defectus, vitæque hujus necessitas immittit: soporem intelligo corporei sensus excessum, animi quietem, mentis alienationem. Dum igitur Sol occumbit, dum vanitatis deficit amor, dum carnis concupiscentia refrigescit, homo spiritualis, irruente desuper somno extra semetipsum rapitur, & ex Divina revelatione, quasi per somnum, ea incipit cernere, & cognoscere, quæ prius fervente Sole vix, vel nullatenus poterat intueri. *Per somnium in visione nocturna*, ait Job *u*, *quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina.* At hunc soporem horror magnus, & tenebrosus subsequitur, eodem attestante qui dicit *x*, *In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea præterita sunt.* Et *y*, *si dixero, consolabitur me lectulus meus, & relevabor loquens mecum in strato meo, terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties.* Quis enim non horreat, & contremiscat, dum mystico sopore supra semetipsum elevatus videt Deo revelante quantis quotidie periculis subjaceat, quam sit pronus ad casum, quam tardus ad surgendum, quam facilè perituræ carnis illecebris decipiatur; & insidiantis diaboli fraudibus ad ruinam impellatur?

q *Plin. junior. l. 9. Ep. 36.* r *Psalm. 84.* s *Gen. 15.* t *Richard. de differ. sacrificii, Abrahæ & Mariæ.*



u *Job. 33: 15.* x *Job. 4: 13.* y *Idem. 7: 13.*

2. Pergit Scriptura; *Cùm ergò occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans & lampas ignis transiens inter divisiones illas.* En veram conversionem, quam initio Completorii postulamus: En totius seriem contemplationis. Primò occumbit Sol, postea soporatur homo, horror deinde invadit eum, tum caliginem videt tenebrosam, quam clibanus fumans dissolvit, & succensa lampas transeuntis ignis inflammat. Postquam igitur prædictus horror studium spiritualis viri à caducis transtulit ad æterna, omni vitiorum tyrannide subacta, de conscientiæ incipit tranquillitate gaudere, & invalescente bonâ consuetudine in simplicem mentis nuditatem exaltatur. Tunc fit caligo tenebrosa humanâ ratione imperscrutabilis, quam Magnus Areopagita z lucem esse ait, in qua Deus inhabitat, quæ propterea tenebrosa vocatur, quod lux excedens & exuperans, id quod luce tegitur, nimio splendore involvat. *Nubes*, inquit, *a & caligo in circuitu ejus: & posuit tenebras latibulum suum.* Ad hunc fulgentissimum radium divinarum tenebrarum, qui omni essentiâ superior est, mysticæ Theologiæ magister *b* Dei amatorem elevandum fore promittit, cum à se ipso, & ab omnibus liber fuerit & solutus. Ad idem Psalmus nos hortatur, qui dicit *c*: *Accedite ad eum, & illuminamini.* Ne fortè desperes, & dicas; Nulla est spes videndi Deum, nam *Deum nemo vidit unquam d, & lucem habitat inaccessibilem e*, præcipit Psalmus, ut accedas. Ad quem? Ad Deum. Sed scriptum est *f*, *Scrutator majestatis opprimetur à gloria.* Accede ergo humiliter, accede confidenter, & illuminaberis, & facies tua non confundetur. Ideò post caliginem sequitur clibanus fumans, & lampas ignis. Prius ignis fumigans, postea ignis flammans. In clibano fumante intelligitur incendium amoris, in lampade lux gratiæ revelantis. Nam quia lux Divinitatis iis tantùm, teste Dionysio *g*, verè collucet, qui immunda omnia, & munda transeunt, omnemque omnium sanctorum fastigiorum ascensum superant, & divina omnia lumina, rationesque cœlestes relinquunt, & in caliginem ingrediuntur, in qua revera est, ut scripta divina tradunt, is qui est super omnia, ad quam sublimitatem non nisi charitate currendo pervenitur; idcircò amoris incendium in clibano cordis succendi debet. Sed quia in hac vita, quantumcumque proficiat homo, nunquam ad summum perfectionis fastigium pervenire potest, ut Deum diligat totis viribus, totâ mente, totâ virtute, non sine causa succensus clibanus, molestum & lacrymosum eructans fumum ostenditur. Lampas verò ignis intimæ lucis quandam donotat inchoationem, in cujus tenui, ac subobscuro fulgore æternorum bonorum supereminentia nobis interim manifestatur, donec crescamus usque ad perfectam diem, & ad illam felicem patriam perveniamus, in qua lumen lampadis, & lucernæ jam necessarium non erit, quia claritas Dei illuminabit nos.

3. O ignem! ô lucem! quæ post solis occasum immittitur, quæ tenebras peccatorum expellit, fiduciam gignit, nutrit spem, tollit timorem. O fidelem Abrahæ æmulatorem, cui datum est hostiam gratam offerre Deo, & post horrorem, & somnum divinum ignem, sanctumque lumen accipere. *Converte nos Deus salutaris noster, & averte iram tuam à nobis*: festina ad adjuvandum nos hâc sacratissimâ horâ, quâ à diei negotiis ad otium contemplationis toto mentis affectu converti desideramus. Ecce supplex, & lacrymans pedibus tuis advolvor novellus Ephraim, qui quasi avis avolavi, nidum quærens mihi, ubi reponam pullos meos, affectus meos. Cognovi nimirum tempus miserendi, quia venit tempus. Non me deinceps, te adjuvante, benignissime Salvator, non me ad egena convertam hujus mundi elementa, ne mihi thesaurizem iram in die iræ, ne rursum vagari incipiam post greges sodalium meorum, ne ligatis manibus & pedibus projiciar à facie tua in tenebras exteriores, ne tanquam tepidum evomas me ab ore tuo, ne cum ipse veneris scrutans renes, & corda; scrutans Jerusalem in lucernis inveniar minus habens. Et nunc Domine, Pater meus es tu, ego verò lutum: fictor meus es tu, & opus manuum tuarum ego sum. Ne memineris iniquitatum mearum, & anticipent me misericordiæ tuæ. Unam petii à te, hanc jugiter requiram, ut inhabitem in domo tua omnibus diebus vitæ meæ. Effunde ergò, clementissime Deus, largam super me benedictionem de rore cœli, & de pinguedine terræ. Terræ inquam viventium, qui potantur torrente voluptatis tuæ, & satiantur ab ubertate domus tuæ. Utinam dirumperes cœlos, & ad me descenderes, ut durities mea liquefacta diffluere, & amore tuo ignitus præsentiâ tuâ dignus in-

z *Dionys. Areop.* a *Ps.* 96. & 17. b *Dionys. Areop. cap.* 1. *myst. Theologiæ.* c *Psal.* 33. d 1 *Joan.* 4: 12. e 1 *Tim.* 6: 16. f *Prov.* 25: 27. g *Dionys. c.* 1. *mystica Theologiæ.*

invenirer. Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Quando veniam & apparebo ante faciem tuam? Quando veniam ad te supereminenti contemplatione elevatus de terra deserta, invia, & inaquosa, ut videam virtutem tuam, & gloriam tuam? Quamdiu miser jactabor in fluctibus mortalitatis meæ, clamans ad te Domine, & non exaudis? Audi clamantem de profundis tenebrarum, introduc me in caliginē tuam, in qua lucet radius majestatis tuæ, ut videam te, & sciam te nunc quidem per speculum, & in ænigmate: posteà verò discussâ caligine facie ad faciem, cùm lux perpetua fulgebit super me, in regno felicitatis.

## METRUM XXIV.

*Hoc est quod opto: cætera diffluunt*
*Vernæ more nivis, quæ tenui halitu*
*Spirantis Zephyri liquescit.*
*Quid mihi Regum culmina, quid opes,*
*Quid mollioris gaudia vitæ,*
*Aut vanæ ingeritis præmia gloriæ,*
*Gentes siniſtro tramite deviæ,*
*Jussisque indociles Dei?*
*Omnia sordent: quicquid celsum*
*Magno cœlum continet ambitu,*
*Quicquid tellus fœcunda parit.*
*Tu Rex beate cœlitum,*
*Mundi sator & rector,*
*Humani generis spes, amor, & quies,*
*Qui lucido astrorum in solio sedens*
*Intimos cordis penetras recessus,*
*Interna pelle nubila,*
*Compone fluctus turbidos,*
*Ut spiritus contagio*
*Emancipatus corporis*
*Tranquillus ad te convolet.*
*Da votis facilem te Pater optime,*
*Tuæque lucis fulgidum menti jubar*
*Emitte cœlitus,*
*Ut rursus patrio reddita cœlo*
*Veri se repleat luminis haustu.*
*Tu poli terræque præses tumidi quoque pelagi*
*Moderatrix mens veni, cuncta regens vice stabili.*
*O sacrum mundi decus, Patris & unica soboles,*
*Tuo semper parenti sapientia similis,*
*Intelligibilium expressio, nec Patre junior,*
*Nec minor, lux sempiterna effigies nitida Dei.*
*Te semper generat, & semper amat, tibi placidus*
*Annuit semper Parens: constat perpetuus amor*
*Geniti, & Genitoris, ambos nam fœdere sociat*
*Æterno unus amor, & spiritus: hunc sine numero*
*Numerum facitis, Bonum simplex, unica Deitas,*
*Simplex æternitas, parque potentia, par amor*
*Tibi cum Patre est. Nihil te sine dicere potis est,*
*Qui Verbo cuncta dicit. Sine te nihil opifex*
*Aut facit, aut firmat. A te omnia condita numerum,*
*Artemq; habuere, normam quoq;, pondera, speciem.*
*Huc igitur ades boni fons sapientia, maculas*
*Abstergе mentis, cernere ut vultum queam,*
*Vultum beatos qui facit Angelos.*
*Tu quoque Amor Deus,*
*Amor perpetuus Patris,*
*Perpetuus Verbi Amor,*
*Utrique compar, utriusque vinculum.*
*Quem vis volendi vis redamantium*
*De corde semper intimo*
*Spirat perenni amore.*
*Ades præpes & ex alto*
*Septena mitte munera.*
*Tu lux sidereæ domus,*
*Sanctorum fomes ignium,*
*Vigor igneus orbis,*
*Hospes pudici pectoris,*
*Sanctique amoris pronubus;*
*Dux ad astra, cordis ardor,*
*Et mentium voluptas.*
*Huc opum divinorum*
*Dives, pax animi veni:*
*Arcem pectoris occupa,*
*Nam tuo sine Numine*
*Mens torpet, ut flumen gelu.*
*At at recenti quo feror impetu*
*Sublimis inter nubila?*
*Subitus unde mihi*
*Venit furor? quis me vigor,*
*Aut quæ vis nova concitat?*
*Cernitis? an rerum species deludit amantem?*
*Per medias equitare nubes,*
*Stelliferumque pede*
*Iam videor calcare polum*
*Ad cœlitum consortium:*
*Super nitentis æthræ*
*Altum feror cacumen.*
*Ecce domus, turresque recedunt:*
*Iam pendula in minimam coit pilam globosa tellus,*
*Iam Solis, & Lunæ supervehor, Iovisque sedes.*
*Modò quod erat culmen refulgens siderum pyropis*
*Calco pavimentum pedibus, & sancta cerno*
*Delubra Divum.*
*Trahit me spiritus post se, meumque sacro*
*Amore pectus urit.*
*O raptus, atque excessus animæ,*
*O mysticum silentium,*

O sanc-

*O sancta solitudo,*
*Pretiosa mors carnis, quies tranquilla, fax amorùm,*
*Intus furens incendium,*
*Suspensio beata,*
*Pax cordis & suavissima*
*Mentis bonæ voluptas!*
*O quas Aligerum lyras*
*Dulcesque cantus audio!*
*Carmina resonant non prius*
*Accepta æthereis choris.*
*Auditis ut decemplicem*
*Amor intus agit molem!*
*Amor hic est, nosco sonantium*
*Errores digitorum.*
*Ut blanda pubes cœlitum*
*Arripit aure sonitum!*
*Ut accinunt Amori*
*Aligerum phalanges!*
*Ut astra mulcent cantibus!*
*Hic eloquenti verbere*
*Chelym flagellat auream.*
*Hic garrientes fistulas*
*Blandis maritat vocibus.*
*Hic leni auratum pectine tangit ebur,*
*Doctus hic est molles ungue ciere fides,*
*Hic patrios sacro personat ore modos.*
*En ut decoris saltibus*
*Errantes quatiunt solum!*
*Nunc implicantur invicem,*
*Et sese manibus trahunt.*
*Nunc delicatis gressibus*
*Cantui occinunt sonoro.*
*Nunc in obliquam celeres catervam*
*Disgregant sese placido rotatu,*
*Lætoque plausu.*
*O pura mentis gaudia,*
*O sancti Amoris Orgia!*
*Adeste Amantes, quotquot ad æthera*
*Promovet virtus leviore penna*
*Adhuc caduca corporis*
*Mole gravatos.*
*Nunc est canendum, nunc superum choris*
*Fas est adesse, & psallere.*
*Ergò huc canoræ tympana, & lyras ferte,*
*Ferte vota, ferte laudes.*
*Ludite, plaudite, psallite Amori:*
*Dulcia carmina pangite Amori:*
*Pangite laudes, fundite versus,*
*Cœlica promite cantica Amori.*
*Pulsate novo sydera cantu.*
*Plaudite cœli, plaudite terræ,*
*Plaudite Amori.*
*Sed quis repente corripit mentem dolor,*
*Et nostra turbat gaudia?*
*Scilicet injecta curarum compede, & arcto*
*Carnis ligata vinculo*
*Ad ima rursum labitur*
*Mens è polorum culmine.*
*O Amor, O tetricæ tandem fastidia vitæ*
*Tolle: ut siderea tibi liber sistar in arce.*
*Tunc mea securus jactabo gaudia, quando*
*Unica vita duos junget, & una dies.*

## §. IV.

*Completorio ferventius adesse debemus multis de causis. Somnus imago mortis.*

1. HAc horâ totius diei defectus supplere debemus, ut, si cæteris forsan officiis minus alacriter, & devotè interfuimus, majori nunc fervoris, ac pietatis conatu peractæ per diem orationis negligentiam compensemus. Illud autem summoperè Monacho cavendum est, ne absque gravissima necessitate publicæ desit officii hujus recitationi. Fratres Prædicatores huic pietati sedulò incumbebant. Nam ut ait Theodoricus in vita sancti Dominici, ceu rem valde optatam Completorium expectabant, atque ad illud tanquam ad solemne quoddam festum se præparantes, mutuis se precibus commendabant. Multæ autem sunt causæ ad hanc observationem acrius stimulantes, quas magistri spirituales *h* recensent. Primò enim hæc hora est, quâ de labore vitæ activæ ad tranquillam contemplationis pacem modo superius explicato transimus, Canticum justi senis propterea psallentes *i*: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace.* De impiis scriptum est *k*; *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt.* Justi autem si dormiunt non timebunt, quiescent, & suavis erit somnus eorum. *Creavi fructum labiorum pacem, dicit Dominus l*, fructum scilicet sacrarum precum, quas hac hora complemus, *pacem ei, qui longè est, & qui propè.* Quomodo enim perturbato animo ille poterit inveniri, de quo scriptum est: *Et factus est in pace locus ejus m?* An non illa, quæ dilectum quærebat elapsum & lectuli, & noctis secretum elegit? *In lectulo meo,* ait *n*, *quæsivi per noctem quem diligit anima mea.* En loci, & temporis quam prudenter adhibet opportunitatem! Per lectum siquidem sanctæ quietis otium intelligitur, quo nihil accommodatius ad usum amoris, ad sapientiæ investigationem, ad

h *Umbertus in Reg. S. August. c. 38.* i *Luc. 2. 29:* k *Psal. 13. 3.* l *Isai. 57. 19:* m *Psalm. 75.* n *Cant. 3. 1:*

ad gratiarum incrementa. Per noctem finis exprimitur occupationum, perturbationum fuga, omnium laborum oblivio: *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam o*, & non ultra. Nocte enim ingruente tempus tacendi est, tempus vacandi, & videndi quam dulcis est Dominus. Deinde hac hora præparandus est locus, in quo animus cum Deo quiescat sancti Regis exemplum imitando, qui per diem assiduis regni curis distractus die peracto quasi quoddam Completorii rudimentum describens dixit *p*: *Si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Sed ubi inquies locum Domino præparabo? Quæris ubi? In teipso: *Delitiæ meæ*, dicit Dominus *q*, *esse cum filiis hominum.* Audi autem ipsum designantem sibi locum. Quis est iste locus quietis meæ? *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos r?* Si tale fuerit cor tuum, locus gratissimus Domino factum est. Denique quis non studeat adversus potestates tenebrarum, hac hora potentius armari, quarum noctu major est vis? Sunt verò hæc arma specialis ad id oratio, aquæ lustralis aspersio, Prælati benedictio, & solemnis B. Mariæ invocatio.

2. Unum addiderim, turpe admodum esse inutiliter hoc tempus transigere, quo totius diei acta ad censuram revocare debemus, finemque nostrum Domino cum lacrymis commendare. Morti enim initiamur cum dormire incipimus, ait Plutarchus *s*: passimque Auctores primæ notæ *t* somnum vocant mortis fratrem. Quia videlicet, ut in libro de resurrectione scribit Athenagoras, similia accidunt sopitis, & defunctis. Apud Pausaniam in Eliacis in Cypseli Tyranni monumento efformatum legimus simulachrum noctis cum duobus infantibus, nigro uno, candido altero cum mortis, ac somni epigraphe. Dormiunt mortui Deo, sicut dormientes velut mortui sunt nobis. Locus sacer, in quo ossa mortuorum requiescunt Græco vocabulo cœmeterium, hoc est dormitorium dicitur à κοιμάω, quod est dormio, & communiter in sacris literis dormire dicuntur, qui felici securitate in Domino moriuntur. Hinc teste Amalario *u*, aptatur quodammodo officium Completorii commendationi, quâ se homo commendat Deo, quando transit de sæculo: petimus enim dimitti in pace, & spiritum nostrum in manus Domini commendamus. Sic optimo fine claudimus diem, si nostri quoque finis recordamur. Hac autem recordatione nil efficacius ad traducendas hominum mentes à scelere ad virtutem, ut si benè animo concipiatur, omnem hominem quantumvis barbarum horrore percellere, & ad meliorem frugem convertere possit. *Statutum est omnibus hominibus semel mori: & in quocumque loco ceciderit lignum, sive ad Aquilonem, ibi erit x.* Quis verò hæc audiens, & credens non perhorrescat? Momento vivimus, momento rapimur, & quidem momento inevitabili, unde pendet æternitas. Rectè priscus Satyricus *y*:

*Heu, heu nos miseros quam totus homuncio nil est!*

Ergò dum licet benè vivere studeamus. Sat dictum de Completorio. Jam tacendum, & quiescendum est. Hoc est autem summè, & perfectè quiescere, ait Richardus Victorinus *z*, à Creatoris pia laude nunquam cessare.

o *Psalm.* 103. p *Psalm.* 131. q *Prov.* 8:31. r *Isai.* 66:2. s *Plutar. de consol. ad Apoll.* t *Homer. Il.* 14. *n.* 231. *Moschus*, & *Theocr. Idyl.* 3. *Virg.* 6. *Æn. Sen. Herc. fur. act.* 4. & *alii.* u *Amalar. l.* 4. *cap.* 8.

x *Ad Hebr.* 9:27. *Eccles.* 11:3. y *Petr. Arbiter.* z *Richar. lib.* 2. *in Apoc. c.* 2.

## CAPUT XII.

# De Officio Parvo B. Virginis.

### §. I.

*Quam difficile sit de Mariæ laudibus scribere. Cur negotium omnium sæculorum dicatur esse. Ejus cultum semper viguisse. Ad ipsam Beatam Virginem deprecatio.*

IN celebrandis Beatissimæ Virginis MARIÆ præconiis tot jam sudarunt ingenia, tot sunt attriti calami, tot manus & mentes occupatæ, ut, si ejus honori conscripta volumina in unum congregarentur, insignem se solis constituerent Bibliothecam. Pia quadam æmulatione omnis natio, quæ sub cœlo est, juvenes, & virgines, senes cum junioribus in recensendis Mariæ laudibus qua ligata, qua soluta oratione decertasse videntur. Sed ut devotus fuerit, gratusque Deo generosus eorum conatus, quicquid tamen de ineffabili meritorum ejus prærogativa manu scripserint, ore protulerint, mente conceperint, stilla situlæ est, momentum stateræ, gutta roris antelucani; ut non minus de illa,

quam de Filio ipsius Domino nostro illud pleno ore decantare possimus, *Tibi silentium laus a*? possitque facilius immensum pelagus exigua scrobe concludi, quàm omnium hominum, & Angelorum vocibus Mariæ laudes exhauriri. Quis Reginæ cœlorum potentias loquetur, auditas faciet omnes laudes ejus? Major est enim omni laude, omnemque exuperat modum, quæ omnium decus creaturarum excellentissimâ dignitate transcendit. S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus sermonem de hac Virgine habiturus sic exorditur: Si palmo metiri terram possumus, ac funiculo mare circumscribere: si cubitis cœlum continetur, & stellarum numerari copia potest: si guttæ pluviæ, telluriscque glebæ, ventorumque impetus, atque arenæ comprehenduntur, certè poterit quod in manibus est argumentum comprehendi. Arnoldus Abbas Bonævallis initio Tractatus de laudibus Deiparæ hæc habet: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, nihil dignè, nihil propriè de sanctæ, ac perpetuæ Virginis Matris Christi Mariæ gloria eloqui potero, quia verè in laudibus ejus modulandis non invenies organum, & hebes est cujuscumque subtilitatis ingenium. Res mira, & inaudita, Mater Virgo, Verbum caro, Deus homo! Quis in tam celebri miraculo sileat! Item quis hæc prædicare sufficiat? Scimus quidem supra nos esse hoc aggredi; sed illa in cujus sacrato utero Verbum caro factum est, locuturis de Verbo conciliat verbum: nec fas est muta esse gaudia Ecclesiæ, ubi implente nos Verbo hoc habemus in mente, quod mater in utero. S. Amedeus *b* ex Abbate Altæcumbæ Episcopus Lausanensis magnus Virginis Encomiastes, Omnis sancta, inquit, & rationabilis anima investigans cœli secreta mysteria, & distinguens ordines supernorum spirituum invenit primam post Redemptorem illam in mulieribus benedictam, illam plenam gratia, quæ Deum genuit, & virginitatis gloriam non amisit. Hæc Virgo beata omni luce clarior, omni suavitate gratior, omnique potentatu sublimor totum mundum illuminat, & unguenti optimi perfusione innovans omnia Cherubim, & Seraphim agmina potestate transcendit, & majestate. Solus igitur Deus, cui soli secunda est, eam dignis poterit encomiis honorare, qui ad tantam dignitatem humilem, & parvulam sublimavit, qua majorem ipsa Dei omnipotentia creare non potest. Hoc unum est, in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, ut unum eumdemque Filium cum Deo Patre meruerit habere communem. Hæc illa mulier est olim in Paradiso promissa, quæ caput serpentis antiqui Dei virtute calcavit. Hæc illustris illa mulier præ cunctis mulieribus benedicta in igne, & rubo; in virga, & flore; in rore, & vellere antiquis Patribus præmonstrata. Hæc arca mystica testamenti, aureum propitiatorium, scala Jacob, virga Jesse, thronus Salomonis, arcus fœderis, janua Paradisi. Hæc fons irrigans universam terram, hæc aurora veri Solis prænuntia. Hæc salus universorum, totius mundi conciliatrix, inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis. Hæc reparatrix protoparentum, posterorum vivificatrix, vera mater salutis, vera mater viventium, desperantium salus, miserorum solatium, afflictorum refugium, spes unica peccatorum. In ipsa omnis gratia viæ, & veritatis: in ipsa omnis spes vitæ, & virtutis:

*Sola fuit mulier, patuit qua janua letho,*
*Et qua vita redit, sola fuit mulier c.*

Sub ejus umbra qui pausaverit in æstu vitiorum refrigerium inveniet, in pressuris sæculi umbraculum, in laboribus quietem.

2. S. Bernardus *d* in Mariæ laudes semper effusus eam *Negotium omnium sæculorum* aptissimo prorsus, ac singulari titulo nuncupavit. Ipsa enim tanquam mediatrix fidelissima omnium negotia in cœlesti curia procurat. Ipsa una omnium negotium est, quæ sola potuit omnia sæcula occupare, quæ magnum negotium sæculorum omnium ingeniis facessivit. Sed consultius est dulcissimi Doctoris lacteam orationem audire: lac merum loquitur, quod ab uberibus Virginis insigni privilegio fluxit. Ad Mariam sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlo, ut refarciantur; & qui in inferno, ut eripiantur; qui præcesserunt ut Prophetæ fideles inveniantur; qui sequuntur, ut glorificentur. Eò beatam te dicunt omnes generationes Genetrix vitæ, Domina mundi, Regina Cœli. Omnes inquam generationes, quæ omnibus generationibus vitam, & gloriam genuisti. In te enim Angeli lætitiam, justi gratiam, pecca-

a *Psal. 64. ex vers. Hebr.* b *Amed. hom. 1.*

c *Turcius Rufus in collat. vet. & novi Testam.* d *Bernar. serm. 2. de Pentcost.*

peccatoris veniam invenerunt in æternum. Meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotens quicquid creaverat recreavit. Apud Græcos omnibus sacris Hymnis, de quocunque argumento sint, Theotocion, in laudem Deiparæ adjungi solet, ac si minimè congruum esset ex aliis capitibus Deum laudare hoc prætermisso. Jodocus Coccius omnium sanctorum Patrum diligentissimus excerptor toto libro tertio tomi primi sui Thesauri Theologici quicquid à Græcis, & Latinis Patribus de beata Virgine præclarè dictum, & excogitatum fuit in unum collegit. Theophilus item Raynaudus vir infinitæ lectionis omnes titulos B. Virginis ex sanctis Patribus excerpsit, & ex iis librum confecit, quem inscripsit Nomenclatorem Marianum. Possunt autem iidem tituli valdè locupletari ex Menæis aliisque libris Ecclesiasticis Græcorum, quod egregiè præstitit vir eruditus Simon Wangnereckius in sua Pietate Mariana Græcorum edita Monachii. Multa quoque collegerunt ad B. Virginis laudem pertinentia præclari & noti Scriptores Petrus Antonius Spinellus in libro quem inscripsit Maria Deipara thronus Dei; Aloysius Novarinus in Umbra Virginea, & Joannes Baptista Novatus in opere de Eminentia Deiparæ c. Demum in colenda Virgine nemini cedit hoc sæculo vir religiosissimus Hypolytus Maraccius Lucensis; nam præter varia Latinorum, Græcorumque opuscula de ipsâ Dei Genitrice quæ in lucem emisit, & notis illustravit: præter Bibliothecam Marianam in qua recenset summa diligentia omnes qui de beata Virgine aliquid scripserunt: Edidit etiam Prophetas Marianos, seu de Prophetis Mariæ Præcultoribus: Apostolos item, & Pontifices Maximos Marianos, Purpuram Marianam, Antistites, Fundatores, & Religiosos Marianos, Palmam Marianam, Lilia Mariana, Heroides Marianas, Cæsares, Reges, & Principes Marianos: habetque prælo paratam Polyantheam Marianam, & alia multa, quibus benè mereri, de cultoribus Virginis non cessat. Istos consulat Lector, qui eximias Mariæ laudes noscere cupit, non eum pigebit legisse.

c *Videndi etiam Joan. Bonifac. in historia Virginal. Petrus Canisius lib. quinque de Deipara & alii innumerabiles.*

## METRUM XXV.

*VIrgo Regina polorum,*
*Summo quæ proxima Regi*
*Mundi moderaris habenas,*
*Huc è celsa ætheris aula*
*Descende, & disfice mentis*
*Rutilo splendore tenebras*
*Meritas tibi promere laudes*
*Amor est, cupioque per omnes*
*Te dignos currere honores.*
*Apis, ut studiosa, per arva*
*Quæ circum ludit Hymetti,*
*Non uno è cespite florum*
*Carpit fragrantia mella:*
*Sed læti plurima veris*
*Prægustans munera, rorem*
*Depascitur avia cœli.*
*Laudes sic ipse, tuasque*
*Celebrabo carmine dotes,*
*Si tu, dulcissima Virgo,*
*Lucem digneris, & æstum*
*Tenebroso infundere cordi.*
*Tu nostræ es gloria stirpis*
*Tu lux, tu vita, decusque,*
*Hominum spes certa, tuumque*
*Observant omnia nutum.*
*Placido me respice vultu*
*Inopem, incertumque salutis.*
*Da veri cernere sedem*
*Cæcâ caligine pulsâ.*
*Duce te mihi gratia semper*
*Divina aspiret, ut omni*
*Detersa ærugine culpæ*
*Puro tibi pectore possim*
*Canere hymnos, pangere versus.*

3. Semper Deiparæ cultum in Ecclesia viguisse, ut cætera desint argumenta, ex hoc potissimum conjicere licet, quod nullum ejus principium ostendi potest. Nam nec Pontificis alicujus decreto, aut Concilii sanctione, nec consuetudine aliqua, cujus sciatur origo, introductus fuit, sed omni ætate, omni tempore semper fideles cœli Reginam summo honore prosequi, & venerari consueverunt. Hæc enim ab æterno prædestinata, & prælecta à Deo fuit, ut arcanum Incarnationis mysterium in ea perficeretur. Hanc nascituram promisit Deus statim post lapsum primi parentis, cum serpentis malignitati iratus dixit, *Ipsa conteret caput tuum.* Hanc venerabiles Patriarchæ & sanctæ mulieres veteris testamenti ante & post diluvium multiplici allegoria præfigurarunt. Hanc Prophetæ futurorum præscii vaticinante præconio prædixerunt: inter quos Hieremias, cum in Ægypto exularet, ejus immaculatum puerperium sacer-

dotibus idolorum indicasse dicitur, ut Auctor synopsis de vita, & morte Prophetarum, sive fuerit Dorotheus Martyr, sive alius recentior, qui fuit Romæ Abbas, & Epiphanius *f* Episcopus asseverant. Etiam ab Ethnicis, & Turcis eam coli, & celebrari docet Joannes Bonifacius *g* in historia Virginali. A fidelibus autem Catholicæ, & orthodoxæ Ecclesiæ speciali cultu hyperduliæ adoratam fuisse ab ipso Ecclesiæ ortu usque ad hæc tempora innumeri Scriptores testantur, quorum testimonia, & auctoritates si ex scriptis ipsorum excerpere, & hîc inserere vellem, rem ineptissimam facerem, nam & immensi id operis foret; & materiam ab aliis dudum præoccupatam attingerem, quorum diligentiæ, & eruditioni quidpiam adjicere non præsumo. Optimos quosque profert Canisius *h* singulorum dicta perpendens, & ex his sectarios convincens. Incipit autem à D. Laurentio Justiniano, tum servata temporum serie ad anteriora secula ascendens fide dignissimis auctoritatibus evincit, in religiosa Matris Dei veneratione retinenda, & promovenda magnum semper fuisse totius Ecclesiæ consensum in omni natione quæ sub cœlo est. Frustra convellere hunc cultum oblatrantes Hagiomachi, & Iconoclastæ conati sunt. Viguit, semperque vigebit in æternum & ultra B. Virginis veneratio, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Quis enim post Deum ita generis humani curam gerit? quis nos ita tuetur in afflictionibus, liberat à periculis, præservat à malis?

4. Ideò ad te, gloriosissima Virgo, omnium fidelium corda suspirant, omnium oculi respiciunt, omnium vota confugiunt. Te celebrant omnes linguæ, te laudant omnes populi, & beatam te dicunt omnes generationes. *i* Gloriosa dicta sunt de te, sed adhuc locus est tuæ laudationi, adhuc in tuis laudibus balbutit omnis lingua. Non enim sunt loquelæ neque sermones, quibus amplitudo gloriæ tuæ ad plenum valeat explicari. O magna, ô pia, ô multum amabilis Maria, tu nec nominari quidem potes, quin accendas: nec cogitari quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine divinitus tibi insita piæ memoriæ portas ingrederis. Et nunc sequimur te, ô Domina, ex totis præcordiis vociferantes ad te, adjuva imbecillitatem nostram, aufer opprobrium nostrum. Tibi revelamus cum fiducia causam nostram, quia cœli & terræ mediatrix es, peccatorum refugium, salus pereuntium. Per te sancta Trinitas in universo orbe glorificatur; per te cœlum exultat, lætantur Angeli, fugantur dæmones: per te prolapsum plasma rursum in cœlum subvehitur: per te gentes adducuntur ad pœnitentiam: per te fundatæ sunt Ecclesiæ, destructa infidelitas: per te clausa sunt tartara, apertæ sunt fores Paradisi:

*Salve sancta parens, enixa puerpera Regem,*
*Qui cœlum terramque tenet per secula, cujus*
*Imperium sine fine manet, quæ ventre beato*
*Gaudia matris habens cum virginitatis honore,*
*Nec primam similem visa es, nec habere sequentem:*
*Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo.* *k*

Tuo interventu, benignissima Mater, & nos Christo placeamus, ut te perducente post hujus mortalitatis cursum ad eum perveniamus, qui ex te pro mundi redemptione carnem suscipere dignatus est, teque in supremo gloriæ solio tanquam nobilissimam inter omnes creaturas super choros Angelorum exaltavit.

## §. II.

### *Officii parvi B. Virginis memorabilis institutio. Ejus origo antiquior, quam vulgus putet. Deiparæ encomia, & ad eam salutatio.*

1. TAmetsi Ecclesia primi temporis tum publicis, tum privatis opplorationibus Deiparæ auxilium quotidie flagitare, eamque erectis templis, festisque diebus ejus nomini attributis venerari consueverit; usus tamen recitandi preces ejus horarias non tantam videtur præ se ferre antiquitatem, sicut officium Defunctorum, de quo capite sequenti differemus. Enim verò si generales Ecclesiæ Synodos, quarum est cunctis fidelibus leges imponere, sedulò dispiciamus, hujus officii celebratio indicta est post mille, & amplius annos à Christi nativitate in Synodo Claromontana. Institutionis hujus occasio ex Ecclesiasticis Annalibus hæc est. Anno Domini 1095. *l* Urbanus Secundus Romanus Pontifex ægrè ferens Christi incunabula, ejusque sepulchrum ab infidelibus Turcis omni genere contumeliarum affici, in generali Concilio apud Clarummontem in Galliis celebrato bellum sacrum in-

*f Epiph. in vita Hieremiæ.* *g Bonifac. lib. 2. cap. 16.* *h Canisius lib. 5. de Deip. cap. 27. & seq.* *i Echertus in laud. de B. V. inter opera D. Bernardi & Cyril. Alex. hom. adv. Nestorium.*

*k Sedulius l. 1. oper. paschal.* *l Baron. 1095. num. 50.*

indixit, & divino spiritu percitus classicum potenter intonuit toto penè occidentali orbe pro fide Christi ad arma concurrente. Ut autem res difficillima, & hactenus intentata optatum consequeretur effectum, optimum duxit sacrosanctæ Virginis precibus sibi Deum conciliare. In cujus rei gratiam rogata Patrum sententia sancivit, ut ejusdem sanctissimæ Virginis officium jam à quibusdam Monachis frequentatum ab illis deduceretur ad clericos, qui piè susceptum onus singulis diebus persolventes Dei Matrem exorarent, quò ejus aspirante gratia fidelis populus in tantis discriminibus subeundis divino præsidio muniretur. Quod officium ea occasione institutum tanto deinceps studio propagatum fuit, ut ipsi etiam laici cum magno gratiarum fœnore illud soleant frequentare. Ex dictis error quorumdam convincitur, qui Urbanum Secundum primum harum precum faciunt auctorem, cum earum promotor, non institutor, quod natum & educatum in claustris Monachorum fuerat, in lucem gentium sapienter eduxerit. Tolerabilior aliorum error videtur sacræ hujus institutionis originem ad Petrum Damiani referentium, qui paucis annis ante Synodum Claremontanam diem clausit extremum. Nam & hic clarissimus vir monasticorum rituum propugnator accerrimus est, qui in Annalibus Ecclesiasticis *m* virgineam synaxim instituisse narratur. Id autem in suo quodam Cœnobio divinitus confirmatum idemmet eleganter describit epistola *n* ad suos Eremitas Gamugnenses. Statutum, inquit, erat, atque jam per triennium ferè servatum, ut cum horis Canonicis quotidie B. Mariæ semper Virginis officia dicerentur. Erat autem inter eos Gozo habitu monachus, reprobæ quidem vitæ, sed dicacis, & accuratæ facundiæ. Hic cœpit conqueri satis superque sufficere quod sanctus præcipit Benedictus, nec novæ adinventionis pondus debere superponi, nec nos esse antiquis Patribus sanctiores, qui videlicet hæc superstitiosa, & supervacanea judicantes psallendi nobis metam, omnemque vivendi regulam præfixerunt. Hac sanè debere nos esse contentos, ne ab illa incautius declinantes per anfractus, & invia ducamur erronei. Quid plura? Contra Reginam mundi præliari visus est; & confecit. Ad hoc nimirum fratres versuta machinatione pellexit, ut solitas B. Mariæ laudes ulterius non offerrent. Sed ô divinum judicium à nostræ pravitatis intuitu non dormitans! Mox enim adversus præfatum Monasterium tot adversitatum grandines, tot undique bellorum, atque conflictuum exortæ sunt tempestates, ut ipsis quotidie Monachis minaces gladii necis exitum intentarent. Quia ergo Matrem veræ pacis de suo Monasterio projecerunt, dignum est, ut inquietis calamitatum, tribulationumque procellis atque turbinibus agitentur. Quæ fratres illi vera probantes tandem ad cor redeunt, pavimento se humiliter sternunt, ac perceptâ pœnitentiâ nunquam se de cætero neglecturos solita Genitricis Dei præconia unanimiter pollicentur. Mox itaque tanta serenitas rediit, ut ex tunc usque hodie jucundæ pacis otio perfruantur. Qui ergo facilè seniorum suorum statuta convellunt, ista considerent, & ne divini furoris super eos gladius veniat, non sine causa formident.

2. Ex hoc exemplo, quod vir disertissimus pluribus verbis exequitur, occasionem sumpsere nonnulli asserendi officium Deiparæ in venerabilis viri Monasteriis incœpisse. Sed ne illi hac in re primatum deferam, faciunt Scriptores vitæ ejus graves, & fide dignissimi Joannes Monachus *o* ejus discipulus, Joannes Antonius Flaminius Forocornelienſis *p*, Augustinus Fortunatus Camaldulensis *q*, & Hieronymus Rubeus *r*: Hi enim uniformiter asserunt officium D. Virginis à B. Petro non institutum, sed restitutum, ut, cujus desuetudo paulatim irrepserat, ipso procurante ad pristinam observantiam revocaretur. Et ne lectorem diutius protraham, in utraque Ecclesia Græca, & Latina horas S. Mariæ institutas invenio trecentis, & amplius annis ante Damianum. Et è Græca quidem Episcopus Beluacensis *s* testem profert Joannem Presbyterum Damascenum, de quo sic scribit. Joannes Damascenus in amore Dei, ac gloriosæ matris ejus se exercens monachalem habitum assumpsit, virgoque permanens Reginæ Virginum horas quotidie studiosissimè decantabat, factusque Presbyter in ejus honore Missas devotissimè, ac frequentissimè celebrabat. Porrò vivebat Damascenus anno Domini 728. cujus officia de B. Virgine ritu Græco per totum annum extant M. SS. in Monasterio Cryptæ ferratæ in agro Tusculano. E Latio autem testem habeo

m *Idem anno* 1056. *num.* 66. n *Pet. Dam. ep.* 120. *quæ est* 32. *lib.* 6.

o *Jan. Monach. c.* 15. p *Flamin. post med.* q *Fortunat. hist. Camaldul. lib.* 5. r *Rubeus hist. Ravenat. lib.* 5. s *Vincen. in Specul. hist. lib.* 17. *cap.* 105.

habeo Petrum Diaconum Cassinensem *r*. Hic in regulam S. Benedicti insignem commentarium composuit, quod Romæ manuscriptum asservatur apud D. Constantinum Cajetanum: In hoc igitur libro verba faciens Petrus de Abbatis Cassinensis consecratione ait: Eo die Abbas nihil aliud nisi panem, & aquam comedat, & Canonica septem horarum officia in commemoratione B. P. Benedicti nunquam dimittat, salvo scilicet eo, quod in honorem sanctæ Dei Genitricis persolvi consuetudo est, quod etiam generaliter sub districto præcepto Cassinensi Congregationi Zacharias Papa observare præcepit, constituens, ut totius anni tempore tam æstatis, quam hiemis ante nocturnale, vel diurnale officium mox ut fratres in choro convenerint, incipiant officium de S. Benedicto: & eo expleto inchoent officium, quod Regula præcipit, adjuncto etiam sanctæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ officio. Hæc Petrus, qui & alibi eamdem institutionem ad Gregorium Secundum refert. At verò Gregorius, teste Baronio, Pontificatum iniit anno salutis 715. cui post Gregorium Tertium successit Zacharias. Antiquior igitur, quam vulgus hominum putet, hujus officii usus, & ordinatio est.

r *Pet. Diac. in Reg. S. Bened. cap.* 64.

## METRUM XXVI.

*Virgo parens, utcunque polo me cernis ab alto,*
*Audi pulsantes sidera celsa preces.*
*Quod mea cumque sonat fidibus testudo canoris*
*Lenior è summis excipe, Diva, choris.*
*Tu sine labe nitens precibus fera crimina mundi*
*Diluis, & certam pandis ad astra viam.*
*Te duce tuta ratis rapidis dat carbasa ventis,*
*Jussa cadit natu fracta procella tuo.*
*Te sine nec flores horti, nec gramina valles*
*Nec fruges campi, grataque poma ferunt.*
*Te celebrant tardique senes, juvenesque decori,*
*Et quibus invicto robore membra vigent.*
*Te teneri cantant pueri, immptæque puellæ,*
*Gratus perspicua virginitate chorus.*
*Et tibi lacteoli, dulcissima turba, puelli*
*Truncatis recinunt carmina blæsa sonis.*
*Te cælum, te terra colit, te pontus adorat,*
*Omnia te mundi vota, precesque petunt.*
*Me licet horrenda circumsonet ira Maleæ,*
*Demersumque minax obruat unda caput.*
*Dum pelagi rabies sævit metuenda, per ipsas*
*Eripiet nautem me tua dextra neces.*
*Sive pharos, pontique jubar, navisque vocari*
*Ambiguis nautis seu cynosura cupis.*
*Si me mortifero comburat Syrius æstu,*
*Afflet & ardenti dirus ab axe calor.*
*Tu mihi tegmen eris, seu celso in colle cupressus,*
*Seu cedrus dici, seu terebinthus amas.*
*Bellica si armato circumstent agmina campo,*
*Si me mille enses, spicula mille petant.*
*Tu mihi, tu Virgo, dicaris eburnea turris,*
*Quam nequit excussis rumpere flamma globis.*
*Si te sideribus noctu mea musa fugatis*
*Evocet, ut referas ore nitente diem,*
*Clarior aurora potis es tu sola tenebras*
*Discutere, & roseâ fronte aperire diem.*
*O tandem titulo gaudes quocunque vocari,*
*Huc ades, huc felix ad tua sacra veni.*
*Mille tibi spirant teneri suspiria cordis,*
*Mille calent aræ pectora mille gemunt.*
*Quaque patet tellus liquido circumflua ponto,*
*Mille tibi laudes, carmina mille sonant.*
*Scilicet horribili scelerum sub nocte sepultis*
*Tu rutilam præfers per vada caca facem.*
*Celsaque cælorum reseras penetralia genti,*
*Quæ propè tartareis mersa peribat aquis.*

3. Si ergo fratres mei, inquit Radulphus Ardens *u*, malignus spiritus nos infestat, si caro nos tentat, si mundus nos oppugnat, ad Mariam respiciamus, ad Mariam confugiamus, ad Mariam conclamemus. Ipsa est nostra singularis apud Deum advocata, adjutrix Christi in humani generis redemptione, *a* apex gaudii nostri, *b* dulcedo credentium animarum, *c* spes & anchora Christianorum. *d* Ipsa est arca sanctificationis, quæ manna cœleste portavit; *e* capacitas illum capiens, quem nulla res capit; *f* cœlum ejus, qui fecit cœlum; *g* receptaculum Divinitatis. *h* Ipsa est fons lucis omnem hominum illuminantis; ortus solis, qui nullum ferre potest occasum, puteus aquæ semper viventis; *i* Bonum & lætitia generis humani, *k* Fons incorruptionis, fons misericordiæ, janua pœnitentiæ; *l* fons signatus sigillo totius Trinitatis, interemptrix uni-

u *Radulph. serm. in Annunc.* a *Richard. à S. Laur. lib.* 2. b *Jo. Geom. hymn.* 3. c *Richard. lib.* 4. d *Emman. Maharus l.* 2. *Turco græcia.* e *Georg. Nicomed. orat. de oblat. Deip.* f *Amphiloch. or. in Deip.* g *Andr. Crete. orat.* 1. *de dormit. Deip.* h *Sergius Hieropol. orat. in Nat. Deip.* i *Chrysipp. orat. de Deip.* k *Apollinar. in fin. Tragæd. Christi patientis.* l *Theosterict. in canone conciliatorio.*

universæ hæreticæ pravitatis. *m* Ipsa est navis institoris de longè portans panem suum; *n* mater clementiæ, & pietatis; *o* flos de spinis spinâ carens; *p* solatium eorum, qui affliguntur, ultio eorum qui vexantur; amictus eorum qui sunt nudi, quæ semper suis ulnis fovet Christianos. *q* Ipsa est fidelium fax, nutrix omnia nutrientis, omnia continentis comprehensio; *r* Rubus ardens, qui non exuritur, revocatio Adæ, Evæ redemptio; *s* castitatis speculum, sigillum virginitatis; *t* tabernaculum non manufactum, id est non hujus creationis; *u* per quam omnia ad unitatem, & perfectam charitatem sunt redacta. *x* Ipsa est clypeus pugnantium contra invisibiles & visibiles hostes; cujus ope Christianos Principes de barbaris nationibus sæpè triumphasse refert Spinellus diffusè *y* ex antiquis Historicis, Niceta, Cedreno, Procopio, Nicephoro Gregora, Joanne Curopalata, Theophane, Zonara, Vincentio Beluacensi, & aliis recentioribus. Narrant, & alii *z* venerandam imaginem in clypeis olim pictam ad bellatorum præsidium: cujus item aspectu sanari morbos, fugari dæmones, omnem auferri tribulationem quotidiana constat experientia.

4. Esto igitur protectrix nostra, Beatissima Virgo, & audi preces servorum tuorum ad te clamantium die ac nocte. Deprecare unicum Filium tuum pro excessibus multorum filiorum, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excusset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas Deo grata nostræ veniam impetret vanitati. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas gloriosa fœcunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta. Ecce procido coram te, ò benedicta, inventrix gratiæ, mater salutis, procido, & humilior coram te, ut obtineas deleri facta peccati mei, ut jubeas mundari me ab iniquitate operis mei, ut facias me diligere gloriam virtutis tuæ, ut reveles mihi multitudinem dulcedinis Filii tui: ut des mihi loqui & defendere fidei sinceritatem Filii tui: concedas etiam mihi adhærere Deo, tibi; servire Filio tuo, & tibi; Illi sicut factori meo, tibi sicut ancillæ Domini omnium. Illi sicut Domino virtutum, tibi sicut ancillæ Domini omnium. Illi sicut Deo, tibi sicut Matri Dei. Attende, & fac per gratiam quam invenisti, per prærogativam quam meruisti, & ne deseras sperantem in te. Ad te confugio singulare solatium cordis mei, ut te intercedente Jesus Christus Redemptor meus participem me faciat gloriæ suæ, qui te mediante factus est particeps humanæ miseriæ & infirmitatis.

m *Sophron. homil. de assumpt.* n *Idiota par.* 14. *cap.* 39. o *Goffrid. Vindoc. serm.* 8. p *Adam de S. Vict. in prosa de Assumpt.* q *Eutychian. de pœnitent. Theophili* r *Method. or. in Hypap.* s *Theophan. hymno de Annuntiat.* t *Alanus in cap.* 5. *Cantic.* u *Dionysius Alexand. epistol. contra P. Samosat.* x *Epiphan. Constit. epist. ad Hermisdam.* y *Spinell. in Append. lib. de Deip. tract.* 2. z *Will. Malesb. lib.* 1. *histor. Angl. & Jac. Philipp. Bergomas in suppl. Chron. lib.* 9. *Ambros. Ansbert. hom. de Purific. Bern. serm.* 2. *Advent. Hildeons. lib. de virginitate Mariæ cap.* 12.

## §. III.

*Ritus officii explicatur. Ordo Cistercienſis specialiter Deiparæ dicatus est. Exhortatio ad implorandum in omnibus Mariæ nomen, & auxilium.*

1. IN officii parvi B. Virginis recitatione idem ferè ritus observatur, quo solet majus officium recitari. Nam & septem Canonicis horis constat, & eodem Psalmorum, Antiphonarum, ac orationum numero expletur. Sola differt nocturna synaxis, quæ tres dumtaxat Psalmos habet, totidemque Lectiones. Psalmi nocturni ritu Romano novem sunt, qui ter in hebdomada mutantur, ut notum est. Aliæ quædam Ecclesiæ eosdem semper recitant, quos Romani die Dominico psallunt. Per horas diei Psalmi Graduales distribuuntur. Monachi verò quibus diebus psalmos graduales juxtà regulam S. Benedicti ad horas officii majoris dicunt, in officio parvo ea capitula psalmi 118. illis substituunt, quæ à Romanis ad Tertiam, Sextam, & Nonam semper cantantur. Hujus ritus meminit Radulphus Tungrensis libro de Canonum observantia. Nescio quâ ratione hanc psalmorum distributionem mutarint, qui Breviarium Monasticum sub Paulo V. compilarunt, in utroque officio eosdem psalmos graduales repetentes. Sanè Cistercienses, & Cartusiani antiquum morem retinuerunt. In his Ordinibus laus virginalis officio majori semper præponi-

præponitur, excepto Completorio, quod postponi solet. Id verò Cartusiensibus divinitus revelatum fuisse narrat in Chronico vir probatæ fidei Petrus Dorlandus *b*: A Romanis autem semper officio majori postponitur, excepto Matutino & Vesperis. Hoc officium, inquit Radulphus, intermittitur aliquando propter temporis incongruentiam, ut in hebdomada Paschali, & triduo præcedenti: aliquando ne bis dici videatur, ut quando servitium principale fit de Virgine gloriosa: itemque in quibusdam majoribus solemnitatibus. Sed Cistercienses nunquam illud omittunt, nullaque dies est quantumvis solemnis, qua se eximant à laudibus B. Virginis tùm publicè, tum privatim persolvendis: quæ consuetudo longissimi temporis præscriptione firmata ad hoc pensum quotidianum sub graviori culpa nostros obligare certissimum est, quicquid aliquis majoris ingenii, quam pietatis Auctor in contrarium scribere ausus sit.

2. Infinita sunt Ordini Cistercienſi à clementissima Regina collata beneficia, quæ nunquam poterunt ejus alumni digna prosequi gratiarum actione, quantumvis studeant multiplicatis obsequiis congruum illi exhibere famulatum. Ipsa Robertum *c* sanctissimum Abbatem Ordinis institutorem aureo sibi annulo desponsavit, hâc amoris exhibitione declarans se Matrem futuram Monachorum. Ipsa Beatis viris Alberico, & Stephano Roberti successoribus albi coloris cuculam tradidit, habitusque formam præscripsit, ut docet in Annalibus Cistercienſibus Angelus Manriquez *d*. Ipsa mellifluum Bernardum Ordinis propagatorem virgineis lactavit uberibus. Ipsa Monachorum detractores gravi censurâ compescuit, loca Ordinis molestantes acerbissimè castigavit, se Ordinis Advocatam professa est, vocavitque Monachos optimos amicos suos; illis psallentibus, laborantibus, iter agentibus, ægrotantibus, periclitantibus, morientibus astitit, apparuit, ministravit. Magni voluminis opus foret singula recensere, quæ in Annalibus *e* fusius descripta reperiuntur. Ubi sunt igitur, si qui tamen sunt, filii Belial nescientes quæ sunt spiritus Dei, qui dicunt, Regina cœli non regnabit super nos? qui videlicet malo spiritu inflati nullo nos præcepto adstringi asserunt ad Virgineas laudes quotidie recitandas. Date viros, ut auditis tot Deiparæ erga nos beneficiis ad meliorem frugem convertantur. Ordo noster, ut Gregorius X. Romanus Pontifex ait in quodam Privilegio *f*; inter cæteras religiones singularitate devotionis glorioſæ Virgini ex primaria institutione adscriptus fuit. Omnes Ecclesiæ nostræ in honorem ejusdem Virginis consecratæ sunt, idque ab initio statutum fuisse tum ex Cæsario *g*, tum ex antiquis diffinitionibus constat. In quibus Ecclesiis, ne ipsi Virgini debitus cultus deesset, Patres nostri doctrina & sanctitate conspicui decreverunt præter quotidianum officium, de quo sermo est, in singulis etiam horis majoris officii B. Mariæ commemorationem fieri; singulisque diebus sacrum in ejus honorem à Sacerdote ad id specialiter deputato celebrari. Non est autem omittendum hoc loco, quod narrat Cæsarius in fine libri septimi dialogorum. Monachus quidam Ordinis nostri Dominam nostram plurimum diligens, ante paucos annos mente excedens ad contemplationem gloriæ cœlestis deductus est; ubi cum diversos Ecclesiæ triumphantis Ordines videret, de suo Ordine solicitus, cum staret & circumspiceret, nec aliquam de illo personam in illa gloria reperiret, ad beatam Dei Genitricem cum gemitu respiciens ait: Quid est, sanctissima Domina, quod de Ordine Cistercienſi neminem hic video? Quare famuli tui, tibi tam devotè servientes, à consortio tantæ beatitudinis excluduntur? Videns eum turbatum Regina cœli respondit: Ita mihi dilecti, ac familiares sunt hi, qui de Ordine Cistercienſi sunt, ut eos etiam sub ulnis meis foveam. Aperiensque pallium suum, quo amicta videbatur, quod miræ erat latitudinis, innumerabilem multitudinem Monachorum, Conversorum, & Sanctimonialium illi ostendit: qui nimis exultans & gratias referens ad corpus rediit, & quid viderit, quidve audierit Abbati suo narravit. Hæc Cæsarius. Scio quidem haud dissimilia de aliis quibusdam religiosis Ordinibus narrari; sed ut integrum cuique maneat suum decus, Ordo certè Cistercienſis de singulari Dominæ nostræ protectione potest non insipienter gloriari.

3. Diutius morarer in hoc argumento, si possem cum Damasceno Augustissimæ Virgini ejusque dignitati novos hymnos promittere: aut saltem auderem cum Ephrem orare, & dicere, Dignare me laudare te Virgo sacrata; sed videns paupertatem meam, & memor imbecillitatis meæ,

b *Dorland. lib. 4. cap. 1.* c *Otho Molismeni in vita Roberti.* d *Ann. 1103. cap. 1. & 2.* e *Cæsar. lib. 7. cap. 6. 7. 42.*

f *Privileg. 43.* g *Cæsar. lib. 1. cap. 1.*

meæ, ejus præconia quibus impar omninò sum tacitus præteribo, non audens præ confusione, & conscientia sordium mearum os aperire. Nomen autem ejus sanctum & venerabile cum tremore invocabo, ut propitia mihi sit Mater misericordiæ, & reficiat langnentem animam meam. Audito hoc nomine ad spem peccator erigitur, reficitur mens justi; ridet terra, gaudet cœlum, lætantur Angeli, Dæmones contremiscunt. Sunt qui quotidie hoc nomen venerentur recitatis quinque psalmis quorum literæ initiales Mariæ nomen efficiunt, præmissâ singulis Angelicâ salutatione. Psalmi sunt isti; *Magnificat*, *Ad Dominum cum tribularer*, *Retribue servo tuo*, *In convertendo*, *Ad te levavi oculos meos*. Insigne de hac re miraculum ex Beluacensi, & Cantipratano refert Spinellus in fine capitis quarti. Optime Franco Abbas *h*. Post singulare nomen Jesu Christi, quod est super omne nomen, nullum aliud nominatur, unde tantùm gratiæ, tantum spei, tantùm suavitatis, tantùm consolationis piæ mentes concipiant. Quotiescunque enim dulcissimum nomen MARIA amatores illius audiunt, toties ex pio auditu, & suavitate auditi nominis nescio quid inenarrabilis jucunditatis intus trahunt. Nomen namque Marię mirum quid suave, ac divinum in se continet, ut cum sonuerit amicis cordibus amicis suavitatis odorem spiret. Et mirum illud est de nomine Mariæ, & valde mirum, ut millies auditum semper audiatur quasi novum. Concludo hâc dulcissimâ Paræneſi devotissimi Patris Bernardi *i*: Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus ad folia fugiebas. Jesum dedit tibi mediatorem. Sed forsitan & in ipso majestatem vereare divinam, quod licet factus sit homo, mansit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ipsum? Ad Mariam recurre. Exaudiet utique matrem filius, & exaudiet filium Pater. Hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est, plena pietatis & gratiæ, plena mansuetudinis, & misericordiæ. Ideoque modicum istud, quod offerre desideras, gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde: & ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras. Ipsâ tenente non corruis, ipsâ protegente non metuis, ipsâ duce non fatigaris. Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui te invocatam in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem servuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius invocamus. Hæc est enim, quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit. Ad hunc fontem sitibunda properat anima nostra. Ad hunc misericordiæ cumulum totâ solicitudine miseria nostra recurrit. Sit pietatis tuæ ipsam, quam apud Deum gratiam invenisti, notam facere mundo, reis veniam, periclitantibus adjutorium, & liberationem tuis sanctis precibus obtinendo. Plena es gratiarum, plena rore cœlesti. Ciba hodie pauperes tuos, Domina, ipsi quoque catelli de micis edant, sed & camelis potum tribue de supereffluenti hydria tua, ut omnibus, qui dulcissimum nomen tuum cum laude invocant, per te, Regina clementiæ, gratiæ suæ munera Jesus Christus Filius tuus Dominus noster misericorditer largiatur.

h *Franco in fine tom. 6. de gratia Dei.* i *Bernard. serm. in Nativit. B. Mariæ serm. super signum magnum. serm. 2. sup. Missus est. & serm. 4. de Assumpt.*

## Caput XIII.

# De Officio Defunctorum.

### §. 1.

*Cur oremus pro defunctis. Quædam de Purgatorio. Quæ peccata in eo puniantur. Voces purgantium animarum.*

1. Non sine causa mater Ecclesia spiritum habens sponsi, & Dei sui post solemnem officii Divini recitationem specialem pro defunctis cursum instituit. Omnes enim filios pari complectens amore postquam Dei Optimi Maxima erga viventes beneficia debitis gratiarum actionibus diu, noctuque celebravit, misericordes oculos ad eos convertens, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis; eorum etiam spiritus

æterno Regi, cui omnia vivunt, devota precum solemnitate commendat. Non omnes Ecclesiæ filii, quibus data potestas est hæredes fieri vitæ æternæ, post ultimam vitæ hujus clausulam transire statim merentur ad patriam. Pauci omnino, quos Deus insigniter prædestinavit, in suavissimo ipsiusmet Dei osculo moriuntur, qui baptismalis innocentiæ candorem usque ad finem vitæ illibatum conservarunt. Cæteri salvi quidem erunt, sic tamen quasi per ignem. Hanc Catholicam veritatem aptissimo ædificii paradigmate illustrat Apostolus *a* *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem super ædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet: si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Hanc metaphoram communi calculo approbatam de anima fideli, deque igne purgatorio explicant sancti Patres. Fundamentum Ecclesiæ, & cujusque Ecclesiæ filii Christus est, fideque viva per charitatem, super quam alii aurum, argentum, & lapides pretiosos, alii verò lignum, fœnum, & stipulam superædificant. Aurum, ait D. Thomas *b*, charitas est, argentum sapientia, & contemplatio, lapides pretiosi sunt aliæ virtutes: è contrario lignum, & fœnum, & stipula peccata levia, & venialia sunt, quibus per vanitatis studium inficitur mens. Nec enim de mortalibus hic sermo est, quæ ipsum destruunt vivæ fidei fundamentum. Coacervant in anima sua res cremabiles, inquit Eckbertus *c* Schonaugiæ Monachus, qui se non custodiunt à levioribus culpis, velut est otiosus sermo, risus, & joci, ira, vana lætitia, excessus in cibo, & potu, & hujusmodi quotidiana peccata, quæ capitalia non dicuntur. Hi ligna, fœnum, stipulam aggregant super fundamentum suum, & hæc excoquenda sunt per ignem. Clarius Augustinus *d* ligna, fœnum, & stipula non absurdè accipi possunt rerum secularium, quamvis licitè concessarum tales cupiditates, ut amitti sine animi dolore non possint. Cum autem iste dolor urit, si Christus in corde fundamenti locum habet, id est, ut ei nihil anteponatur, & malit homo, qui tali dolore uritur, rebus quas ita diligit magis carere quàm Christo; per ignem fit salvus. Si autem res hujusmodi temporales, ac sæculares tempore tentationis maluerit tenere quàm Christum, eum in fundamento non habuit, quia hæc priori loco habuit, cum in ædificio prius non sit aliquid fundamento. Purgatorium igitur ex doctrina Ecclesiæ locus est, in quo animæ temporariâ pœnâ plectuntur, quæ in obitu, nec ob mortalem culpam à Dei gratia, & amore sunt exclusæ, nec adeò defæcatæ, ut confestim ad conspectum Domini possint admitti: *Nihil enim coinquinatum intrabit in regnum cœlorum e.* Eleganter Origenes *f*: Non omnes purgantur eo igne, qui de altari assumitur. Aaron purgatur illo igne, & Isaias, & qui sunt similes illis. Alii verò, qui non sunt tales, alio igne purgabuntur. Timeo ne illo, de quo scriptum est: *Fluvius ignis currebat ante ipsum.* Iste ignis non est de altari. Qui de altari est ignis, ignis est Domini, qui autem extra altare est, non est Domini, sed proprius est uniuscujusque peccantium de quo scriptum est *g*, *Ambulate in igne vestro, & in flamma, quam accendistis vobis.* Ideò illum ignem sapientem vocat Paulinus Nolanus Episcopus *h*, quia id tantum comburet in nobis, quod combustione dignum reperiet.

2. Vacantis operæ fuerit plures congerere rationes, proferre testes, coacervare Scripturas ad hanc veritatem astruendam. Ne tamen hac etiam in parte eruditi lectoris curiositati deesse videar, sanctos Patres, & Doctores orthodoxos rem istam pertractantes in fine capitis indicabo. Sunt autem duo, quæ suppono, & Purgatorium esse, & vivorum suffragia defunctis ad expianda peccata in eo detentis prodesse. Quæ duo fidei documenta cum certissima sint, transeundum nobis est per affectum miserationis ad eos, quibus juncti fuimus per humanitatem. Vadam, ait Bernardus *i*, in regionem istam, & videbo visionem hanc grandem, quomodo pius pater glorificandos filios in manu tentatoris relinquat; non ad occisionem, sed ad purgationem; non ad iram, sed ad misericordiam; non ad destructionem, sed ad instructionem; ut jam non sint vasa iræ apta in interitum, sed vasa misericordiæ præparata ad regnum. Surgam ergò in adjutorium illis, interpellabo gemitibus, implorabo suspiriis, orationibus intercedam, satisfaciam sacrificio singulari, si fortè videat Dominus,

a 1 Cor. 3: 11. b *D. Thomas ib.* c *Eckbert. serm. 9. adv. Catharos.* d *August. Ench. ad Laurent. c. 68.*

e *Apoc. 21: 27.* f *Orig. hom. 9. in Levitic.* g *Psal. 50: 11.* h *Paulin. epist. 9. ad Severum Sulpitium.* i *Bernard. serm. de quinque negotiationibus.*

minus, & judicet, ut laborem convertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam. His enim, & hujusmodi officiis potest eorum pœnitentia resecari, finiri labor, destrui pœna. Hac tanti viri exhortatione animati percurramus & nos regionem istam, videamus quid fiat in ea: qualiter benignus pater filios examinat, sicut examinatur argentum: ducit per ignem, & aquam, ut educat in refrigerium.

## METRUM XXVII.

*Vos avernales lacus stygisque squalentes specus,*
*Tænari tristes hiatus, ac inamœnum chaos,*
*Vos gementum diræ regna, Ditis obscuræ domus.*
*Semper orbus orbis, infames paludes tartari,*
*Igneis quæ fluctibus manes rotatis noxios:*
*Vos sorores dissolutis concitæ serpentibus,*
*Quæ cruentis fœda pœnis vindicatis crimina:*
*Vos furoris administri, queis severa Numinis*
*Conterit reos manus sævisque castigat modis:*
*Si quid in surdo igne voces prævalent viventium.*
*Huc adeste, & immitis pandite citò portas stygis.*
*Pandite horrendos sinus, liceatque mœstificâ obsitum*
*Nocte diem cernere: liceat lacunas sulphure,*
*Fœtidaque pice plenas intueri: ubi vindex*
*Pœna justè noxiorum sævit in præcordiis.*

3. Cruciantur nimirum animæ Deo dilectæ *k*, ita exigente justitia, immanissimis tormentorum generibus, donec culpas eluant, quæ tametsi veniales, culpæ tamen sunt. Noctem illarum tenebrosus turbo possidet, non computatur in diebus anni, nec numeratur in mensibus: obscurant eam tenebræ, & umbra mortis, occupat eam caligo, & involvitur amaritudine. Et quod omnium malorum supremum est, projectæ sunt interim à facie Dei, ab ejus felicissima visione ad tempus exclusæ. *In momento indignationis*, dicit Dominus per Isaiam *l*, *abscondi meam faciem parumper à te, paupercula, tempestate convulsa, absque ulla consolatione.* Quale enim gaudium illis erit, qui lumen cæli non vident, qui dulcissima increatæ lucis claritate non fruuntur? *Obsecro ut videam faciem Regis*, dicebat ille sanctissimi patris degener filius *m*. Ideò tot pœnis cruciatæ clamant ab imis tormentorum sedibus, si fortè sit aliquis cujus viscera acerbissimis fratrum querelis moveantur, qui considerans contritionem filiæ populi sui audiat ploratum, & ululatum multum, atque infixis in limo profundi manum porrigat adjutricem. Penetrabo igitur omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino *n*. Descendam vivens in infernum, & videbo utrum clamor, qui venit ad me, verus sit, an non est ita, ut sciam. Videbo, inquam, utrum cuncta prospera sint erga fratres meos, ut possim enunciare quid agatur. Benè est. Jam veni, & vidi. Mirum quantum exclament afflictæ animæ omnium pœnarum genetibus laceratæ. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Gravavit me iniquitas mea, & ab angustia mea avolare non possum. Sagittæ Domini intra me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum. In me transierunt iræ ejus, & terrores ejus conturbaverunt me. Omnes fluctus suos induxit super me, afflicta sum, & humiliata nimis, quoniam comprehenderunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem. Dæmones me calumniantur, & frendent adversum me: nunc improperant scelera, ad quæ falsis adulationibus pertraxerunt. Omnes amici mei dereliquerunt me, & non est auxilium mihi in me, nam & necessarii quoque mei recesserunt à me. Veruntamen non contradico sermonibus sancti, sed hæc mihi consolatio, ut affligens me dolore non parcat: nec enim inde exibo, donec solvam universum debitum usque ad novissimum quadrantem. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec judicet causam meam, & faciat judicium meum, educet me in lucem, videbo justitiam ejus. Sed vos qui vivitis, qui superstites estis, adjuvate infirmitatem nostram, onera nostra portate; non enim opus est sanis medico, sed malè habentibus. Non exurimur in ea flamma, in qua dives cruciatur: ignis noster refrigerium admittit, & aquis vestris extingui potest. Sic animæ in Purgatorio constitutæ & suam deplorant miseriam, & nostram implorant misericordiam, quatenus suffragiis nostris adjutæ ad patriam supernæ beatitudinis quantocyus introducantur.

k *Job.* 3: 5, 6. l *Isai.* 54: 8. 11. m 2 *Reg.* 14: 3. n *Eccl.* 24: 45.

### §. III.

*Quot, & quibus operibus animabus defunctorum suffragari possimus. Officii pro defunctis quam antiqua sit institutio. Cur certi quidam dies sacris pro mortuis offerendis tribuantur.*

1. SUnt autem quatuor bonorum genera, quibus potest viventium charitas animabus in Purgatorio detentis suffragari. Nimirum eleemolyna, jejunia, & alia quælibet opera pœnalia, orationes, & sacrosanctum Missæ sacrificium. De primis scriptum est, *o Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam justi constitue.* De secundis refert Beda *p* testimonium Angeli asserentis jejunia multos juvare, ut ante diem judicii è probatorio igne eruantur. De tertiis dicit Scriptura; *q Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* De quarto tandem, quod præcipuum est, Jeremias sermone mystico testatur dicens *r*, *Matribus suis dixerunt, ubi est triticum, & vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.* Nec enim cibarium panem, aut vinum Massicum, vel Falernum eos desiderasse putandum est, qui corrupto sensu, omnisque saporis discretione extinctâ conclamati jacebant in compitis sine ulla spe temporalis remedii. Alius panis, aliud vinum hic intelligitur, *s Ecce dies veniunt*, dicit Dominus per Amos, *& mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ.* Sed famem panis vivi, qui de cœlo descendit, sitim vini refrigerantis, quod fiat in viventibus fons saliens in vitam æternam. *Quid enim est bonum ejus, & quid pulchrum ejus*, ait Zacharias *t*, *nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Hic est panis, qui descendens in castra Madian *u* percussit tabernacula, atque subvertit. Hoc est vinum quod gratis offertur sitientibus, *x Venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum.* An quispiam audire cupit parvulum aliquem morientem, & dicentem, *Ubi est triticum, & vinum?* En virum illustrissimum, parvulum in oculis suis, magnum in oculis Domini Petrum Damiani Cardinalem *y*, qui à Desiderio Abbate Montis Casini alimenta post mortem his verbis exquirit: Quia infelix ego dum vivo præ desidiæ torpore non semino, post obitum meum, si supervixeris, de manibus tuis alimoniam spero, quatenus oblationis tuæ Sacramentum animæ meæ vertatur in epulum, & orationis tuæ sacrificium mihi vitale sit alimentum. Et quid mirum si sacræ oblationis hostia refectio creditur esse defunctis, cùm in alimenta vertatur aliquando etiam viventibus in periculis constitutis? Hæc sanctus Pater, qui quod posterius dixit exemplo comprobat cujusdam fossoris saxorum, qui per annum ruderibus obrutus in angustis visceribus excavati montis vivus permansit, quod ejus uxor quotidie fecerat hostiæ salutaris Sacramentum pro anima illius, quem mortuum putabat offerri *z*. Is revera nescit lassari, ait Chrysostomus, mori non potest, cui panis, cui vita Deus est.

2. Cùm igitur viventium precibus, & suffragiis fidelium defunctorum animæ à pœnis eruantur, alma mater Ecclesia primo quidem salubri consilio decrevit, ut in tremendis Divini libaminis oblationibus eorum semper memoria à Sacerdotibus recolatur, quod olim fieri solebat recitatis ex sacris Diptychis mortuorum nominibus, ut ex sacris Canonibus constat, præsertim ex Epistola Joannis Constantinopolitani ad Hormisdam Papam *a*, & ex Epistola ejusdem Hormisdæ; Sunt autem Diptychæ duplices tabulæ, quæ à Dionysio Areopagita * τετράπτυχαι vocantur, quarum una parte defunctorum, altera vivorum nomina inscribantur. Deinde speciale officium pro defunctis instituit post reliquas Canonicas horas recitandum. Quamvis autem officii hujus, ut nunc est, institutio ignoretur, constat tamen consuetudinem orandi pro mortuis ab ipsis Apostolis emanasse, ut infra demonstrabo. Scio quidem Guilielmum Durandum officii, de quo loquimur, ordinationem referre ad Originem, cujus rei testes allegant nonnulli Sanctos Isiodorum, & Augustinum: scio etiam Arnoldum Uvion ejusdem Auctorem facere Amalarium; sed quod mala fide testes proferant antiquiores, haud digni plenaria fide credendi sunt. Ipse Amalarius ait de Officio Defunctorum lib. 4. de Eccl. Officiis cap. 42. Quid verò in eo ordinando præstiterit docet in libro de ordine Antiphonarii cap. 65. 66. & 79. Eadem ex causa opinio exploditur Isidori de Isolanis, qui ad Ambrosium, & Jacobi de Valentia, qui ad Augustinum originem referunt hujus officii. In hoc verò conveniunt omnes, antiquissimum illud esse, & à primis Ecclesiæ Patribus institutum. Apud Maronitas, Melchitas, Cophtos, & alias nationes Orientales varia esse pro defunctis officia ex Apostolica traditione docet Abrahamus Ecchellensis in notis ad librum Hebedieſu de Scriptoribus Chaldæis pag. 165. & sequen-

o *Tob.* 4: 18. p *Beda lib. 5. hist. c.* 13. q 2 *Machab.* 12: 46. r *Thren.* 2: 12. s *Amos* 8: 11. t *Zach.* 9: 17. u *Judic.* 7: 13. x *Isai.* 55: 1. y *Petr. Damian. lib.* 2. *Epist.* 14.

z *Bern. serm. de obitu Umberti.* a *Hormisd. Ep.* 28.
* *Dionys. cap.* 5. *Eccl. hier.*

sequentibus. Primas dumtaxat Vesperas habet, tres Nocturnos, & Laudes. Nocturnos quædam Ecclesiæ certis diebus tres simul recitant, vocantque Agendam pro mortuis. Ab aliis alternatim, & seorsim dicuntur. Horis minoribus, & secundis Vesperis caret, tum quia humanæ vitæ occupationes tot precibus vacare Ecclesiasticos non sinunt: tum quia par erat ab aliis officiis solemnioribus hoc discrimine has precationes discerni: tum denique quia Sanctorum memoria cum Deo regnantium, & purgantium electorum commemoratio non pari Psalmorum numero recolenda videbatur.

3. Solemus autem mortuorum memorias generaliter celebrare die post obitum tertia, septima, trigesima, & anniversaria: quæ institutio antiquissima est, ut ex Augustino, & aliis Patribus liquet. Ad has dies nonam, & quadragesimam adjunxit Simeon Metaphrastes in vita S. Theodosii Cœnobiarchæ, quas etiam commendant Eustrathius Presbyter tractatu de animis vita functorum apud Photium *b*, & Ambrosius in concione de obitu Theodosii. Sed frequentius habita ratio septimi, trigesimi, & anniversarii. Mysticas harum dierum rationes explicant eleganter Amalarius *c*, & Alcuinus *d*. Nam die tertia solemnior fieri solet defunctorum recordatio, ut pius Dominus quicquid peccarunt cogitatione, verbo, & opere erga Deum, proximum, & seipsos misericorditer indulgendo sanctæ Trinitatis similitudinem in eis restaurare dignetur. Sicut autem Christus tertia die resurgens ex mortuis vitam nostram in melius reparavit: ita nos tertia die pro spiritibus mortuorum sacrificia offerentes spem futuræ resurrectionis, & securam beatæ perennitatis gloriam profitemur. Septimo quoque die, quo numero universitas designatur, universa eorum peccata deflemus. *Luctus mortui septem dies*, ait Scriptura *e*. Sic filii Jacob optimi patris celebrantes exequias impleverunt septem dies *f*. An quia septima dies Sabbatum est, Dominum Sabbati precamur, ut requiem æternam eis donet, & amodò jam dicat spiritus, ut requiescant à laboribus suis? An verò quia anima tribus potentiis, corpus quatuor elementis constat, idcircò septenarium numerum observamus, ut anima corpori reconcilietur, & maculæ ex carnis cogitatione contractæ deleantur? Ad celebrandam verò trigesimam diem veteris Testamenti suffulti sumus exemplo. Scriptum est enim *g*, quod omnis multitudo filiorum Israel videns occubuisse Aaron, flevit eum triginta diebus. Itemque cùm mortuus esset Moyses, fleverunt eum triginta diebus in campestribus Moab *h*. Ternarius per denarium ductus tricenarium facit, per quod fides Trinitatis cum observatione præceptorum Decalogi significatur. Ideò trigesima dies in observatione est, ut animæ quiescentium delictorum obtineant remissionem, quæ transgrediendò decem mandata contra Patrem ex fragilitate, contra Filium ex ignorantia, contra Spiritum sanctum ex malitia commiserunt. Denique anniversariam diem repetimus, ne fortè criminibus nondum expiatis adhuc lustralibus flammis crucientur, nostrisque suffragiis indigeant, quæ quidem melius est, ut illis supersint, quàm ut per oblivionem, vel incuriam desint. Porrò annua sacra pro defunctis etiam ab Ethnicis fieri consueverunt, ut Plato & Thucydides *i* testantur.

b *Photius Cod.* 171. c *Amalar. lib.* 3. *cap.* 44. & *lib.* 4. *cap.* 42. d *Alcuin. in fine libri de divin. offic.* e *Eccle.* 22. 13. f *Gen.* 50: 10.

g *Num.* 20: 10. h *Deuter.* 34: 8. i *Plato* 4. *de legib. Thucid. lib.* 3.

## §. III.

*Quo ritu officium Defunctorum celebretur. Dicta quædam de mortis recordatione. Qui mores Ethnicorum erga defunctos, deque variis sepeliendi modis. Qui mortui plangendi. Purgatorii acerbitas, & ad illud declinandum adhortatio.*

1. INcipit Officium istud absolutè sine solemni Divini adjutorii invocatione, sine sanctissimæ Trinitatis glorificatione, sine benedictionibus, aliisque ritibus lætitiam indicantibus, quia, ut notat Amalarius *k*, ad imitationem agitur Officiorum, quæ aguntur in morte Domini. Accedit quod in lege veteri præceptum erat, ne in sacrificio pro peccatis oleum lætitiæ, & thus suavitatis admiscerentur; ideò etiam in his precum oblationibus pro peccatis mortuorum suavia lætitiæ Cantica reticemus, ne fiat quod scritum est *l*, *Musica in luctu importuna narratio*. A primis Vesperis inchoatur, quæ quinque Psalmorum modulatione complentur, ut Dominus noster Jesus Christus efficacissimo quinque vulnerum lavacro quicquid illi peccarunt per

k *Amal. lib.* 3. *c.* 43. l *Eccles.* 22: 6.

per quinque corporis sensus abstergat. Sequitur Canticum B. Virginis, ut omnia eorum inquinamenta ipsa Deipara intercedente deleantur. Psalmum tandem 145. in fine recitamus, in quo exitum spiritus, & extincti corporis reversionem in terram suam commemoramus. Nocturnæ preces tribus Psalmis, totidemque lectionibus, & Responsoriis constant, ut perceptâ veniâ peccatorum cordis, oris, & operis, Angelorum consortio, quorum triplex est Hierarchia, & ter triplex chorus aggregari mereantur. In Laudibus quinque Psalmos eodem quo in Vesperis mysterio decantamus. Tum per Canticum Zachariæ gratias agimus Domino, quia per viscera misericordiæ suæ visitavit sedentes in tenebris, & umbra mortis, & fecit redemptionem plebi suæ. Clauduotur Laudes Psalmo 129. qui est unus Gradualium, quem in persona cupientium ad Deum ascendere modulamur, ut de profundis, extremisque malis liberati refrigerii sedem obtineant, quietis beatitudinem, luminis claritatem.

2. Generaliter verò cùm pro defunctis oramus, finis nostri recordamur. Mortui sunt illi, moriemur & nos: illi heri, nos hodie. Sed præstat de hac re virum doctissimum Hugonem Eterianum *m* audire. Inspice, ait, sepulchra mortuorum, & videre non renuas triste, & nequaquam delectabile spectaculum. Vide pulverem dissolutionis, & nostri fastus calamitatem sustine. Replere odore nimio, intolerabili fœtore. Patere fortiter evaporantem de putredine halitum, & tabem expirantem. Suffer vermium acervos aspicere. Intuere diligentius, si libet; discerne, si tibi posse suppetit. Apta rursum os ossi, & si vis singulas eorum, quæ cernis soluta, partes partibus compone. Considera si vales, cujus hæc, cujus illa sit: quis iste, quis sit ille: utrum senex, an adolescens; felix, an pressus infortuniis vixerit; longævus, an citò vita functus; gloriosus, an ignobilis. Hæc expende, circumspice, quanto mœrore, quantaque maceraberis tristitia? Quò inquies figura horum & decor abiit? Quam ingratus est iste aspectus! Quam displicens, quam sordidus, & quam tristifer! Heu hanc sortem! Carnes solutæ sunt, viscera dirupta, partes disgregatæ, plasmationis, & fabricæ decor exterminatus. Ad horum certè similitudinem quisque nostrum in loculis deponetur, computrescet, deinde eadem vermium ingluvie consumptus dissolvetur. Intelligis, ô homo, quid dicatur! Circumspice sepulchra, & vide ossa humanæ compaginis, reversusque ad te collacryma, ingemisce, suspira de profundo, animadverte humanam calamitatem, qualem finem sortita sit animadvertito. Hæc, & alia lectu dignissima Hugo. Joannes autem Chrysostomus *n* ad hujus quoque, & æternæ mortis contemplationem Theodorum lapsum hortatur his verbis. Perge quæso ad sepulchrum, contemplare pulverem, cineres, vermes, loci deformitatem, & amarè suspira. Atque utinam ad pulverem tantum hujusmodi damnum pertingeret. Verùm interim à sepulcro, & his vermibus deduc oculos mentis ad vermem illum immortalem, ad ignem illum inextinguibilem, ad fremitum dentium, & extremam afflictionem. Hæc est nimirum mors secunda, quam timere debemus, mors animæ, mors æterna: mors enim corporis transitus est ad vitam, & ut rectè philosophatur Marcus Antoninus Imperator *o*, si quis eam per se intueatur, cogitationeque omnia ab ea separet, quæ ei inesse videntur, is jam nihil aliud existimabit esse mortem, quam opus naturæ. At verò puer est, qui naturæ aliquod opus formidat. Mortem itaque quotidie considerare, & contemplari, non autem timere debemus, ut ab ejus meditatione vitam sapienter instituere discamus. Sententia est enim sapientissimi inter Philosophos veram, solidamque Philosophiam in mortis contemplatione sitam esse.

m *Hugo Eter. lib. de Animæ. regressu cap.* 19.

n *Chrysost. ad Theod. Lapsum paræn.* 1. o *M. Antonin. lib.* 2. *de seipso.*

## METRUM XXVIII.

*Nil me amplius cultos legere libros juvat,*
*Et noctu ad tremulas evigilare faces.*
*Quicquid lycæum, porticus quicquid sonat*
*Despicio: & quicquid Castalis unda rigat.*
*Jam nolo putri squallidas chartas situ*
*Excutere, & vigili volvere scripta manu.*
*Docere parvus plura me potest cinis,*
*Dum pede nobilium contero membra ducum.*
*Cessate mœstis quæstibus funus sequi,*
*Si patris, aut nati stamina Parca secet.*
*Sincera amarum comprimat luctum fides,*
*Discite, quid mutis vocibus urna sonet.*
*Quod cernitis cadaver in meconditum*
*Nunc mage Riphæo diriguisse gelu.*
*Non semper esca vermibus sædis erit,*
*Nec rigidus semper conteget ossa lapis.*
*Sed surget arcta vincla dissolvens necis,*
*Cùm dabit extremum buccina in orbe sonum.*
*Non ergò mors est horrida, ut vulgus putat,*
*Nec miserum ut vivas est periisse semel.*
*Quid larva manis incutit viris metum?*

Mors

*Mors nihil horrificum, quod timeatur, habet.*
*Hæc post tumentis naufragum murmur maris*
*Navibus optata dat statione frui.*
*Hæc post laborem præmium justis refert,*
*Matris & gremio corpora fessa locat.*
*Hæc vita mors est, sic graves tradunt Sophi,*
*Mors est in mundo vivere, vita mori.*

3. Solemne fuit apud omnes nationes pietate uti ergà defunctos. Quia verò & ipsis Ethnicis id unum erat justitiæ genus, factum est ut parentalia, sacrificia, & funerandi celebritas justa dicerentur. Curatio autem funeris, inquit Augustinus *p* conditio sepulturæ, pompa exequiarum magis vivorum solatia sunt, quàm subsidia mortuorum. Nec ideò tamen contemnenda, & abjicienda sunt corpora defunctorum, maximeque justorum, ac fidelium, quibus tanquam organis, & vasis ad omnia bona opera sanctus usus est Spiritus. Unde & antiquorum justorum funera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepultura provisa: ipsique cùm viverent de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus filiis mandaverunt. Quare, ut scribit Julianus *q* in Prognostico, quicquid impenditur humano corpori non est præsidium salutis, sed humanitatis officium secundùm affectum; quo nemo unquam carnem suam odio habuit. Valeat Stoicorum rigida nimis, & inhumana secta, quibus nihil interest humi-ne an sublimè putrescant. Neminem de supremo officio rogo, ait Seneca *r*, nulli reliquias meas commendo: ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit. Nimis barbaræ fuerunt gentes, quæ sepelire cadavera non probarunt. Hujusmodi fuere Persæ, quorum pessimus fuit mos feris dilaniandos projicere mortuos, si vera tradunt Agathias *s*, & Theophylactus Simocatta *t*. Legimus etiam, Parthorum sepulturam aut avium, aut canum laniatus olim fuisse *u*. Apud quosdam immanes populos narrat Solinus *x* usu receptum esse, ut à propinquis consumantur defuncti, adeò quidem ut objurgentur ægri frequenter, quod carnem suam faciant deteriorem. Ponti Euxini incolæ, teste Tertulliano *y*, parentum cadavera convorant: qui non ita decesserint, ut escalites fuerint, maledicta mors est *z*: Modestinus I.C. proponit quemdam in suo testamento hæredem scripsisse sub tali conditione, si reliquias in mare abjecisset. De astuta quadam anu sic canit Horatius *a*,

*Me dicam sene quid factum est: Anus improba Thebis*
*Ex testamento sic est elata cadaver*
*Unctum oleo largo nudis humeris tulit hæres,*
*Scilicet elabi si posset mortua: credo*
*Quod nimium institerat viventi.*

Nota est apud Satyricum *b* illius barbaries, qui morti proximus post conditum testamentum; Omnes, inquit, qui legata habent, hac conditione percipient, si corpus meum in partes conciderint, & astante populo comederint. Silius Italicus *c* tumuli, & cinerum discordes sententias apud diversas Gentes his verbis describit:

*Tellure, ut perhibent, is mos antiquus Ibera,*
*Exanima obscœnus consumit corpora vultur.*
*Regia cum lucem posuerunt membra, probatum est*
*Hircanis adhibere canes. Ægyptia tellus*
*Claudit odorato post funus stantia saxo*
*Corpora, & à mensis exanguem haud separat umbram.*
*Exhausto instruit Pontus vacuare cerebro*
*Ora virum, & longum myrrhata reponit in ævum.*
*Quid qui recluſa nudos Garamantes arena*
*Infodiunt? quid qui sævo sepelire profundo*
*Exanimes mandant Lybicis Nasamones in oris?*
*At Celtæ vacui capitis circumdare gaudent*
*Ossa (nefas) auro, & mensis ea pocula servant.*
*Cecropidæ ob patriam Mavortis sorte peremptos*
*Decrevere simul communibus urgere flammis.*
*A gente in Scythica suffixa cadavera trunco*
*Lenta dies sepelit putri liquentia tabo.*

Differunt de eadem re Cicero in Tusculanis *d*, & Sextus Empyricus in Pyrrhoniis. *e*

4. Irrident etiam mortuorum curam, qui nihil hominis putant superesse post mortem, cujusmodi fuere Lucretius *f*, & Lucianus *g*. At hi rationem in vinculis habentes brutalem animum humano exuvio cælabant. Non sic Romani, & aliæ nationes politioribus disciplinis excultæ: magno enim apparatu suorum funera curabant, & corpora ingesta humo sepelientes terræ tanquam magnæ parenti commendabant. Sed ne plura hic de funeribus dicam, viri docti præoccuparunt, quorum nomina in fine capitis recitabo. Præstat autem hoc loco illud Christianis ingerere, quod Charonda, apud Stobæum *h* monet, defunctorum unumquemque non lacrymis, aut miseratione; sed bona recordatione, & fructuum quotannis nascentium oblatione honorandos esse. Aliqui enim postquam inutilibus

p *Aug. lib. de cura pro mortuis gerenda.* q *Julian. lib.* 1. *Prognost. c.* 18. r *Seneca Ep.* 92. s *Agath. hist. l.* 2. t *Simocatta l.* 3. *Hist. c.* 7. u *Justinus Hist. l.* 41. x *Solinus c.* 55. y *Tertull. l.* 1. *adv. Marcionem.* z *L. quidam ff. de conditionibus instit.* a *Horat. lib.* 2. *Sat.* 5.

b *Petr. Arb. propè finem* c *Silius lib.* 15, d *Cicer.* 1. *Tusc.* e *Sext. Emp. l.* 3. *Pyrrh. hypot. cap.* 24. f *Lucret. lib.* 3. g *Lucianus de luctu.* h *Stobæus serm.* 42.

bus lacrymis, fœmineoque ululatu suorum transitum deplorarunt, nullam amplius de anima defuncti curam habent, ac si nulla spes esset futuræ resurrectionis. Chrysostomus *i* luctum prohibens pro mortuis: Dic mihi, ait, quid sibi volunt claræ lampades? An non eos tanquam Athletas deducimus? Quid autem Hymni? An non Deum glorificamus, & gratias agimus quod eum qui excessit jam coronavit? Quod à laboribus liberaverit? Quod ejecto metu eum apud se habeat? Non ideò sunt Hymni? Non ideò Psalmodiæ? Hæc omnia sunt lætantium. Idem alibi *k*. Luge, inquit, infideles, luge eos, qui nihil ab infidelibus differunt, qui sine illuminatione, sine signaculo decesserunt. Hi lamentis digni sunt, hi lacrymis, hos lugeamus. Verè enim moritur apud Deum, ut scribit sanctus Gaudentius *l*, qui ab Apostolicæ fidei veritate discedit; cui Christus Deus, qui vita est, amputatur. Quod si manantes ab oculis lacrymas cohibere non potes, ostendet tibi Ambrosius *m* quem mortuum debeas flere. Habet unusquisque quos fleat mortuos suos, ait ille. Mortui sumus quando peccamus, quando implemur ossibus mortuorum. Cui consonans Absalon Abbas *n*, Plange, inquit, mortuum tuum. Mortuus tuus spiritus tunc est multitudine scelerum tanquam plagis multis extinctus. Non est hic mortuus quatriduanus in sepulchro, qui à memoria tua jam exciderit: non est mortuus in porta, qui jam evanescat ab oculis tuis: sed est in domo tua, præ oculis tuis, ut semper eum videas, & horrore concutiaris, & indesinenter plangas mortuum, cui viventi placere noluisti. Non dico omnem luctum, omnem miserationis affectum excludendum esse in amissione suorum, cùm sanctos Patres in morte amicorum, & consanguineorum passim flevisse legamus: sed hoc moneo, juvandos potius esse defunctos orationibus, aliisque suffragiis, quàm planctu, & lamentis, quæ nihil eis prosunt. Lex charitatis ad hoc nos urget, & obstringit. Charitas enim fortis esse dicitur *o* sicut mors, dura sicut infernus æmulatio, quia, ut Philo *p* Carpathiorum Episcopus scribit, ita obfirmatur animus charitate Dei, ac proximi, ut vel ad inferos preces penetrare faciat Divina gratia nixus ad sublevandas animas purgandorum.

5. *Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc est enim lex, & Prophetæ*, dicit Dominus Salvator noster *q*. *Eadem quippè mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis r.* Quare si quis defunctis misericordiam præstiterit, & ipse misericordiam consequetur, cùm ad eluendas culpas in ardentissima purgatorii fornace cruciabitur. Quis enim tam perfectus, tam sanctus est, ut, cùm exierit à vita, nihil illi debeat igni: qui gloriari possit, & dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato? Pauci quidem sunt electi, sed inter illos paucissimi sunt ita perfecti, ut omnem purgationem impleverint in hac vita. Consigno hoc caput aurea paræneſi dulcissimi Patris Bernardi *s*. De reliquo, fratres, dico vobis, si hæc assiduè cogitaretis, non tam facilè in vanis cogitationibus, & otiosis sermonibus, in jocis, & scurrilitatibus laberemini, quia in his multum perditis, & de vita vestra, & de tempore vestro. Volat irrevocabile tempus, & dum creditis vos cavere pœnam istam minimam, incurritis ampliorem. Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta, redduntur usque ad novissimum quadrantem. Scio ego, quia durum est homini dissoluto apprehendere disciplinam, verboso silentium pati, vagari solito stabilem permanere, sed durius, & multò durius erit futuras illas molestias tolerare. Et ne fortè parvipendens Purgatorii acerbitatem non ad te pertinere dicas, quamdiu moreris in illo, dummodò tandem pervenias ad vitam æternam, sugillat te Sanctus Cæsarius *t* Arelatensis Episcopus his verbis. Nemo hoc dicat, fratres charissimi, quia ille ipse Purgatorius ignis durior erit, quàm quicquid potest pœnarum in hoc seculo aut cogitari, aut videri, aut sentiri. Sugillat te quoque Petrus *u* Archidiaconus Bathonienſis dicens: O insensati, & cæci, *Si laverit Dominus sordes filiarum Sion in spiritu judicii, & spiritu ardoris.* Nonnè consultius vobis erat brevi contritione cordis, & confessione purgari, quàm illud incendium expectare, quod licet non sit æternum, omnes dolores vitæ præsentis, omnes angustias nostræ sensualitatis excedit?

6. Heu quantò melius nunc arderemus delectabili amore, quàm tunc illo pœnali ardore? Quantò suavius nunc igne amoris purgaremur, ut

i *Chrys. Hom. 4. in ep. ad Hebr.* k *Idem Hom. 3. ad Philipp.* l *Gaud. in Præf. ad Benevolum.* m *Ambros. in Luc. cap. 6.* n *Absal. Abb. Ser. 31. qui est 3. in Annunc.* o *Cant. 8. 6.* p *ac ibid. Philo in comm.*

q *Matth. 7. 12.* r *Luc. 6. 38.* s *Bernard. serm. de obitu Umberti.* t *Cæsar. Hom. 8.* u *Petrus Bleſen. Serm. de Transfig.*

mundanum in nobis non relinqueretur quod mundi incendio obnoxium inveniretur: sed sicut tribus pueris ventus roris fieret nobis fornax Babylonis. Alioquin *x* si tepidè, & negligenter viventes ligna, fœnum, stipulam nobis coacervamus, & tantam ignium materiam hinc nobiscum portamus, cùm examen illius Purgatorii tales intraverimus, quid poterit de nobis habitare cum igne devorante? aut quis habitabit ex nobis cum ardoribus sempiternis? quando omne etiam vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis. Scio quidem, quia si satis arderem igne charitatis, de me quoque diceretur, *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum y.* Nunc autem si purgari non mereor igne dilectionis; utinam vel purgarer alicujus igne passionis, fieretque mihi, quod Propheta imprecatur sibi *z*; *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis.* Utinam qui cœpit ipse me conterat, solvat manum suam, & succidat me: & hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat. Verumtamen nosti Domine infirmitatem figmenti mei. Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam, aut quis finis meus, ut patienter agam? *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est a.* Hoc igitur peto Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Respice infirmitatem meam, & secundùm illam moderare manum tuam, ne vehementia verberis frangat patientiam cordis; sed magis tribulatio patientiam operetur, patientia probationem, probatio spem: Væ autem mihi, si quotidie uror, & non emundor, ut & de me dici contingat *b*; *Multo labore sudatum est, & non exivit de anima rubigo ejus neque per ignem.* Væ mihi, si mundari in illâ dumtaxat die potero, quando sedebit ipse Judex quasi ignis conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi. Audiam itaque Apostolum dicentem *c*, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: & dum tempus habemus, operemur bonum.* Audiam consilium Sapientis, qui ait *d*, *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.*

x *Guerr. Abb. Ser. 1. in Quadrag.* y *Luc. 7: 47.* z *Habac. 3: 16.* a *Job. 6: 9.* b *Ezech. 24: 12.* c *2 Cor. 6: 2. Galat. 6: 10.* d *Eccl. 9: 10.*

## §. IV.

*Indicantur Auctores, qui fidem Purgatorii, ritumque orandi pro defunctis astruunt. Addita quædam ex profanis scriptoribus de funerandi ratione.*

1. NOn sine nutu, & providentia Dei factum arbitror, ut receptos Ecclesiæ ritus ab ipsa Apostolorum ætate ad hæc nostra tempora viri doctissimi divinitus excitati, & scriptis illustraverint, & moribus approbaverint. Rrævideratenim Spiritus sanctus in extrema hac delirantis mundi senecta improbos Hæresiarchas futuros, qui suggerente inimico universam Ecclesiasticam Hierarchiam convellere, & perturbare conarentur. Quod cùm in cæteris bonis operibus, tum maximè in iis quæ pro defunctis fieri solent abrogandis, irritò licet conatu, vehementius tentarunt. Ut fidem igitur liberem, quam nuper dedi, eademque opera hujus sacri ritus antiquitatem ostendam; viros præstantes, veteresque Scriptores (servata quantum fieri poterit temporum serie) breviter indicabo, qui fidem Purgatorii, ritumque orandi pro defunctis semper in Ecclesia viguisse disertis verbis testantur *e*.

2. Cæ-

e *Primum locum tribuo liturgiis Sanctorum Jacobi majoris, & minoris, Matthæi, & Marci, in quibus speciales sunt orationes pro spiritibus quiescentium. Sequitur Dionysius Areopagita, qui in libro de Ecclesiastica Hierarchia, postquam disseruit de actibus Hierarchicis, qui fiunt circa ingredientes Ecclesiam, & circa procedentes, ac proficientes in ea; de his actibus deinde tractat, qui circa ea egredientes, videlicet circa defunctos, exercentur. Hunc comitantur plures ejusdem spiritus, nimirum Clemens Romanus epist. 1. & lib. 8. constit. Apostolic. cum Notis Francisci Turriani. Hermes in Pastore visione 3. Tertullianus lib. de testim. animæ cap. 4. de corona militis cap. 3. de exhort. Castitatis cap. 11. de Monogamia cap. 10. de Resurr. c. 43. cum Notis Jacobi Pamelii. Origenes Hom. 4. in Job. Hom. 14. in Levit. & 6. in Exod. Cyprianus lib. 1. ep. 9. Zeno Veronen. Serm. de Resurrect. Athanasius ep. ad solitariam vitam agentes, & q. 34. ad Antiochum. Lactantius Firmianus l. 7. cap. 21. Cyrillus Hierosolymit. catech. 5. mystagogica. Euseb. Cæsarien. lib. de vita Constantini c. 60. & 71. Ephrem Syrus parænet. 49. & in testamento cum scholiis Gerardi Vossii. Nazianzenus orat. 10. in obitu Cæsarii fratris. Epiphanius lib. 3. hær. 75. &*

2. Cæterùm de funeribus, variisque ritibus sepeliendi cadavera multa quoque ex profanis Scriptoribus colligi possunt, è quibus constat etiam ab infidelibus magnam curam adhibitam, ut justa mortuis persolverentur. Extant de hac re in Codicibus civilium legum insignes tituli de Religios. & sumptibus funerum, de mortuo inferendo, de sepulcro violato, de cadaveribus punitorum, de debita impensa in exequiis, & ne defuncti, seu funera eorum injurientur à creditoribus. Copiosè etiam differunt de ritibus antiquorum funerum Scriptores qui sequuntur *f*, & alii plures, quos isti citant, & commendant.

Sat

*in fine ejusdem libri. Basilius Magnus in cap. 6. & 9. Isaiæ. Ambrosius orat. de obitu Satyri; item de obitu Valentiniani, & Theodosii, & lib. 2. ep. 8. de obitu sororis. Gregorius Nyssenus orat. de dormientibus. Hieron. ep. ad Pammachium de obitu Paulinæ. l. 1. adv. Pelagianos in cap. 1. Ezechiel. & in fine Comment. in Isaiam. Chrysostomus hom. 32. & 35. in Matth. hom. 61. in Joann. hom. 41. in 1. ad Cor. hom. 21. in Act. Apost. Serm. 3. in Ep. ad Philipp. hom. 69. & 70. ad populum Antiochenum. Homilia verò 35. in Matthæum ostendit multis rationibus satius esse corpora mortuorum putrescere, & dissolvi, quàm integra conservari. Augustinus integro lib. de cura pro mortuis gerenda. lib. 9. conf. c. ult. ep. 64. ad Aurel. Ser. 31. & 33. de verbis Apost. Ser. 41. de sanctis. Auctor Ser. ad fratres in Eremo Ser. 44. Paulinus ep. ad Alithium. & Pammachium, itemque ep. 5. ad Delphinum, & paraphr. in Psalm. 1. Theodoretus lib. 5. hist. c. 26. Socrates lib. 7. c. 25. Eusebius Emissenus, seu verius Eucherius Lugdunensis hom. 3. de Epiph. Victor Uticen. lib. 2. de persecut. Vandal. Cæsarius Arelaten. hom. 8. Boethius de consol. Philos. lib. 1. pr. 4. Jo. Climacus gr. 4. Gregorius Magnus in 1. Reg. l. 2. c. 3. in 1. Ps. pœnit. v. 1. & passim l. 4. Dialog. Joannes Moschus in prato spirit. c. 24. & 44. Isidorus l. 1. de Eccl. officiis c. 18. Eligius Noviomen. hom. 8. Bonifac. Archiepis. Moguntin. & Martyr. ep. 35. 36. 70. 84. 90. & alibi. Julianus l. 1. Prognosticon c. 18. usque ad finem libri, & vursum l. 1. ferè per totum. Anastasius Nicænus qu. 20. in scripturam. Beda in Ps. 37. & l. 5. hist. c. 13. Joannes Damascenus orat. de iis, qui in fide dormierunt. Germanus Constantinopol. in Theoria rerum Ecclesiasticarum. Amalarius supra citat. Haymo Halberstatensis l. 2. in Isaiam c. 28. & in c. 3. 1. ad Cor. Metaphrast. in vitis Pachomii, & Theodosii Abb. & Eusebiæ hospitæ. Rabanus l. 2. de inst. Cleric. c. 44. Rhegino Abbas l. de disciplina Ecclesiast. c. 190. Luitprandus Ticinen. l. 4. hist. c. 7. Petrus Dam. ser. 2. de S. Andrea, & serm. de S. Nic. Theophylactus in c. 12. Lucæ. Anselmus Cantuar. seu verius Petrus Babyon. in c. 12. Matth. Idem Anselmus, vel sub ejus nomine Hervæus in c. 3. 1. ad Cor. Oecumenius item in c. 3. 1. ad Cor. Sigibertus in Chronicis an. 998. Hugo Victorin. l. 2. de Sacram. p. 16. c. 4. & 6. Petrus Venerab. passim l. 1. de miraculis. Rupertus Abbas in Genes. l. 3. cap. 32. Bernardus serm. 66. in Cant. serm. de quinque Regionibus, & in obitu Umberti. Petrus Cellensis l. de Panibus c. 7. Eckbertus Monachus Schonaugiæ serm. 9. adv. Catharos. Arnoldus Abbas Bonævallis tract. de 7. verbis Domini in cruce c. 2. Nicephorus Gregoras l. 3. & 9. histor. Thomas Waldensis tom. 3. tit. 11. c. 107. Bernardus contra Waldenses c. 9. 10. 11. Ermigardus contra eosdem c. 7. Item Petrus Pisichdorsius c. 21. & 22. Scholastici omnes cum Magistro 4. Sent. d. 44. & 45. & cum D. Thoma in sup. 3. p. qu. 70. & 71. Bonaventura in Breviloquio p. 7. c. 2. & tom. 3. Serm. de animabus. Gennadius Patriarcha Constantinopol. expos. pro Conc. Florent. c. 3.* Recentiores omitto. *Sunt autem inter hos præcipui Baronius an. Christi 34. num. 310. & seqq. item an. 226. nu. 12. Antonius Demochares diffuse ex Conciliis, & Patribus, aliisque Doctoribus l. 4. de Missa c. 18. Bellarminus tom. 2. controv. libris duobus de Purgatorio. Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 45. cum trib. sequentibus. Alphonsus à Castro v. Purgatorium. Eckius c. 25. Enchiridii. Antonius Augustinus in epit. Juris Vet. Pontificii l. 27. Martinus Perez 3. p. traditionum. Jodocus Coccius tomo 2. sui præclarissimi thesauri l. 7. art. 5. ubi citat plures Rabbinos, qui Purgatorium admittunt: & lib. 10. art. 6. Theodorus Peltanus in suis tract. de igne Purgatorii, de suffragiis defunctorum, de sepulturis, & anniversariis. Petrus Tyræus de multiplicibus suffragiis defunctor. Jac. Gretzerus de receptaculis subterraneis animarum & de funere Christiano. Jacobus Gualterus in Tab. Chronographica verit. 10. Joseph. Vicecomes libr. quart. de antiquis ritibus Missæ. Henricus Spondanus in doctissimo, & eruditissimo opere de sacris Cæmiteriis. Curam autem mortuorum, & ad fidem Purgatorii à primo parente Adamo usque ad nostra tempora semper viguisse ostendit in Notis Chronicis Genebrardus.*

*f Joannes Rosinus lib. 5. Rom. antiquit. c. ult. additis Thomæ Dempsteri Paralipomenis. Lil. Bisciola Horar. subs. l. 5. c. 1. Lilius Giraldus lib. de vario sepeliendi ritu. Joannes Kuchmannus Lubecensis, qui Romanorum funerum solemnitates libris quatuor complexus est. Jacobus Gutherius libris tribus de jure manium. Spondanus in laudato opere de sacris cæmeteriis. Philippus Cluverius l. 1. Germaniæ antiquæ c. 53. Alexander ab Alex. dierum Genialium l. 3. c. 2. & 7. Cœlius Rhodiginus l. 17. antiq. lect. c. 19.*

20. &

Sat dictum de hac re. Illud autem in fine monendum, ut, cum oramus pro mortuis, mortis quoque nostræ recordemur, sicut scriptum est: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.*

20. & 21. *Justus Lipsius l. 1. elect. c. 6. ad l. 4. Annal. Hieronymus Magius var. lect. l. 1. c. 13. & l. 2. c. 17. usque ad 22. Ludovicus Cartio l. 1. emend. c. 6. Wolfangus Lazius comment. Reip. Rom. l. 3. c. ult. Cicero 2. de legibus. Onosander in strategico c. 36. cum notis Joannis Chokseri Leodiensis. Janus Durantius Casellius l. 1. var. c. 4. & l. 2. c. 3. Lucianus in dialogis mortuorum. Herodianus l. 4. hist. Diodorus Siculus l. 2. c. 2. & 5. & l. 4. c. 1. Cæsar. l. 5. de bello Gallico. Ludi funebres quando, & cui primum instituti fuerint narrat Pausanias in Arcadicis. Idem in Messenicis edictum olim ait, ut veste pulla prosequerentur omnes funera optimatum. Faces, & candelas adhibitas in funeribus constat ex Tacito 2. Ann. Persio sat. 3. Seneca de Tranquillit. animi c. 11. Suetonio in Augusto, & ex D. Hieronymo adv. Vigilantium. Cantu prosequi mortuos ad sepulturam plurimarum gentium institutum sanxerunt, teste Macrobio in somn. Scip. lib. 2. cap. 3. Græci defunctos osculabantur, quam consuetudinem commemorat Euripides in Alceste: sed inhibitum postea fuit hujusmodi osculum à Conciliis Antissiodorensi, & Matisconensi. Pompas funebres Italico idiomate describit Franciscus Petucius. Quædam item de funeribus tractat Natalis Comes in Mythologiis l. 1. c. 13. Dabantur olim convivia in mortuorum memoriam, de quibus Synesius ep. 3. Chrysostomus hom. 28. in c. 1. primæ ad Corinth. quorum etiam abusum damnant Zeno Veronensis in Psalm. 49. & Gaudentius tract. 4. de Paschate Petrus Gregorius Tholosanus l. 1. de immortal. animor. ex corporum mortuorum cura argumentum desumit ad probandam animæ immortalitatem. Ob hanc enim insitus est unicuique à natura amor, & cura propriis corporis etiam post mortem. Olympias Alexandri mater, cum Cassandri jussu interficeretur, capillis, & veste se honestè composuit, ne quid posset in cadavere inhonestum videri. Narrat id ex Trogo Pompejo Justinus in fine l. 15. Similia refert de Polyxena Euripides in Hecuba v. 68. & Ovidius 13. metam. v. 477. De Lucretia idem Ovidius 2. Fast. v. 83. de Cornelia Vestali Plinius l. 4. ep. 11. De Glaucia Statius 2. Sylvar. v. 154. De Cleopatra Florus l. 4. De Cæsare Suetonius. De Virginibus Milesiis Aulus Gellius noctium Attic. l. 15. c. 19.*

## CAPUT XIV.

## De Psalmis Pœnitentialibus, & Litaniis.

### §. I.

*Pœnitentiæ utilitas, & effectus. De Psalmis Pœnitentialibus, eorumque usu. Laudes pœnitentiæ. Cur septem tantum sint Psalmi Pœnitentiales.*

1. CAdit infelix homo in foveam peccati mortalis, & non adjiciet ut resurgat: infigitur in limo profundi, & non est substantia: infernalis tyranni servituti se subjicit, & non est qui redimat: bibit sicut aquam iniquitatem amarissimum virus, & nemo est qui alexipharmacum misceat: à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas; vulnus, & livor, & plaga tumens, & non est qui circumliget, aut curet medicamine, aut foveat oleo: nisi respiciens desuper Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis manum porrigat adjutricem. Lapsus enim ex voluntate homo, inquit Bernardus *a*, non æquè ex voluntate resurgere jam liberum habet, quia etsi datum fuit voluntati posse stare ne caderet, non tamen resurgere si caderet. Non enim tam facilè quis valet exire de fovea, quam facilè in eam labi. Cecidit sola voluntate homo in foveam peccati, sed non ex voluntate sufficit & posse resurgere. An igitur peccantis casus irreparabilis erit? An infirmitas hæc prorsus ad mortem, ut qui fecerit iniquitatem omninò moriatur in ipsa? Absit. Sed quid dicit Scriptura? *b Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Benignus itaque Deus excitante gratia præventum peccatorem è stercore sublevat, erigit à ruina, liberat à servitute, sanat à vulnere, è morte transfert ad vitam. Pulsat enim ad cor ejus per fidem, expergefactum concutit per timorem, concussum suffulcit spei adminiculo ne labatur, suffultum elevat ad altiora per actum dilectionis, elevatum denique perfectissimè sanat per contritionem, & pœnitentiam. Appositè ad hanc rem Fulgentius Ruspensis Episcopus *c*: Prævenit gratia Dei impium, ut fiat justus: subsequitur justum, ne



a *Bern. de grat. & lib. arbitrio.* b *Osea 13: 9.*
c *Fulg. l. 1. ad Monimum.*

fiat impius. Prævenit cæcum, ut lumen, quod non invenit, donet; subsequitur videntem, ut lumen, quod contulit, servet. Prævenit elisum, ut surgat: subsequitur elevatum, ne cadat. Cecidit miserando lapsu Regius Propheta, vir secundùm cor Dei, vixque protulerat salutiferum illud *Peccavi*, cum subitò in sermone Domini dictum est illi, *Dominus transtulit peccatum tuum à te*. Quem pœnitet peccasse penè est innocens, ait Tragicus *d*. Ceciderunt & alii, & computruerunt in fœcibus suis, carebant videlicet veræ pœnitentiæ præsidio, ac sinceræ contritionis adjutorio. Saul quoque reprehensus à Propheta; Peccavi dixit, sicut & David: nec tamen in pari voce par subsecuta est peccati remissio. Cum ergo in confessione peccati, inquit Fulgentius *e*, utriusque una vox fuerit, cur non una est utrique concessa remissio? nisi quia in similitudine confessionis videbat Deus dissimilitudinem voluntatis: nec sonum sermonis attendit, sed intentionem cordis in utroque discrevit.

3. Sanctus ergo Spiritus arguens mundum de peccato, sponsæ suæ Ecclesiæ inspiravit, ut præter pensum Horarum Canonicarum, Psalmos etiam Pœnitentiales, quos David pœnitentiæ Præsul (ut eum vocat sanctus Laurentius *f* Novariensis Episcopus) composuit, certis diebus pro venia delictorum recitaret. Usum autem horum Psalmorum antiquissimum esse vel ex eo colligere licet, quod de sanctissimo Patre Augustino narrat Possidius. *g* Nam cum Hippone à Vandalis obsessa morti proximus decumberet, hos tanquam ab omni jam antiquitate susceptos in tabella describi, sibique ob oculos in pariete affigi jussit, ut assidua eorum lectione se ad extremam cum diabolo luctam præpararet. Horum quoque crebra fit mentio in antiquo pœnitentiali Romano. Extant autem præclara sanctorum Patrum commentaria, quibus hosce Psalmos exposuerunt, duorum præsertim summorum Pontificum Gregorii Primi, & Innocentii Tertii. Eosdem per modum orationis explanat Gerson tomo tertio. Eos quoque Christophorus Varkevicius eleganti Paraphrasi illustravit. In eosdem scripsit Meditationes Ludovicus Vives, non pietati, sed ostentando ingenio. Quo ritu olim dicerentur docet in libro de Canonum observantia Radulphus Tungrensis *h*. Hodie ex institutione Pii Quinti sextis feriis Quadragesimæ recitantur. At Religiosi varias consuetudines habent, quas laudabiliter observant. In Ordine nostro Cisterciensi statutum fuit à primariis Abbatibus ad generalia comitia congregatis anno ab orbe redempto 1194. ut omni sexta feria per totum annum processionaliter post Primam dicerentur, cujus institutionis occasio tametsi fuerit terræ sanctæ, bellique sacri subsidium; non tamen debent ob pœnitentiæ meritum omitti: & sic revera ab universo Ordine observatur. Cum patent igitur januæ veniales, ut eleganter scribit Victor *i* Cartennensis Episcopus, cum fluctuantibus, & criminum tempestate jactatis pœnitentiæ portus offertur, cum mentibus promittitur cura languentibus, & sauciatis vitalem pollicetur ultroneus artifex medicinam, cum misericordia habetur in promptu, antequam justitia capulo tenus extrahat pugionem, sumamus arma pœnitentiæ, & judicis rigorem satisfactionis officio mulceamus.

3. Notat autem Nemesius *k* Episcopus, & Philosophus æquè convenire homini pœnitentiam, ac risibilitatem. Solus homo, inquit, inter omnia, quæ ratione sunt prædita, habet hoc præcipuum, ut ejus erratum pœnitentiæ condonetur. Nam Angeli cùm nullam habeant causam necessariam, quæ ad peccandum impellat, sed natura omni affectione corporis, & inopia, & voluptate vacent, meritò per pœnitentiam ad veniam aspirare non possunt. At homo non modò rationis particeps, sed etiam animal est, & necessarii usus vitæ animalis, motusque turbidi persæpè rationem attentant, & labefactant. Quare cum ad sanitatem rediit, & declinatis turbulentis animi motionibus virtutem complectitur, justa illi misericordia, id est venia tribuitur. Atque ut proprium ejus naturæ ridere est; nam & soli adest, & omni & semper: ita in rebus non naturæ lege, sed Dei erga nos beneficio constitutis, proprium est hominis, ut per pœnitentiam ab omni culpa liberetur. Nam soli homini, & omni, & semper quoad in terris vivit hoc datum est. Deus enim, ut docet Tertullianus *l* post tot, ac tanta delicta humanæ temeritatis à principe generis Adam auspicata, post condemnatum hominem cum seculi dote, post ejectum paradiso, mortique subjectum, cùm rursum ad suam misericordiam natura-

*d* *Seneca in Agamemn.* v. 243. *e* *Fulg. l. 2. de remiss. peccatorum.* *f* *Laurent. Novar. hom.* 1. *g* *Possid. in vita Aug.*

*h* *Radulph. prop.* 21. *i* *Victor Carten. l. de pœnit.* c. 32. *k* *Nemes. l. de nat. hominis* c. 1. *l* *Tertul. de pœnit.* c. 2.

turaviſſet, jam inde in ſempetipſo pœnitentiam dedicavit, reſciſſa ſententia irarum priſtinarum, ignoſcere pactus homini, & imagini ſuæ. Ut verò per pœnitentiam peccatorum remiſſionem obtineamus, talem eam oportet eſſe, qualem deſcribit Abbas Cellenſis *m*: ut ſit videlicet in ore veritas, in corde charitas, in conſcientia puritas, humilitas in habitu, abſtinentia in victu, modeſtia in exceſſu, caſtitas in aſpectu, in omni loco oratio, in omni tempore meditatio, in toto corpore afflictio, in tota anima devotio, deſiderium ante Deum, lacrymæ die ac nocte ad Deum. Sic juſtificatur anima à ſordibus priſtinis lota flumine lacrymarum, deterſa veritatis linteo, accenſa charitate, purgata confeſſione, ornata humilitate, cincta abſtinentia, circumcincta modeſtia, caſtitate glorificata, oratione elevata, meditatione ſuffulta, devotione inuncta, deſiderio in cœlis recepta. O felix humilitas pœnitentium, exclamat Guerricus Igniacenſis *n*, ô beata ſpes confitentium! Quam potens es apud Omnipotentem, quàm facilè vincis invincibilem, quam citò tremendum judicem convertis in piiſſimum Patrem! Evangelicæ prædicationis gratia à pœnitentia ſumpſit exordium: *o Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Initium etenim revertendi ad Deum eſt pœnitentia, Hæc porta veniæ, ſpes indulgentiæ, gratiarum cuſtos, miſericordiæ conciliatrix, terror dæmonum, lætitia Angelorum, gaudium univerſæ terræ. Hæc Deum placat, ſerenat conſcientiam, reſerat cœlum, de terris elevat, & in excelſum attollit. Magna revera hominibus fit pœnitentia, ait vir venerabilis Ephrem *p*, quia tanquam videntes Deum per ipſam reconciliamur. Magna ſuper terram eſt pœnitentia, quoniam ſcala animabus fit eò aſcendendi, unde per peccatum deturbatæ ſunt. Lætantur cœli, & qui illic Angeli de pœnitentia hominis, ut loquitur Tertullianus *q*. Heus tu peccator bono animo ſis: vides ubi de tuo reditu gaudeatur. Opera autem pœnitentiæ hæc ſunt ſacco, & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, & mugire noctes dieſque ad Dominum Deum, presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere.

m *Pet. Cellen. l. de panib. c. 3.* n *Guerric. ſer. 2. in Quadrag.* o *Matth. 3. 2.* p *Ephrem. tr. de pœnit.* q *Tertull. l. de pœnit.*

## METRUM XXIX.

*UTilis placet dolor,*
*Quem ſpes futuræ mitigat ſalutis.*
*Nec labor premit gravis,*
*Si mereor illo gloriæ coronam.*
*Terra quid mihi, aut polus*
*Offert colendum? vilibus probroſas*
*Gentibus relinquo opes,*
*Satis beatus pauperum lacerna.*
*Quid juvat domum auream,*
*Jovemque clauſum poſſidere in arca?*
*Lauta quid refert gula,*
*Et empta magnis ſumptibus voluptas?*
*Quid metalla, quid Goa*
*Merces beata, Mexicique Gazæ?*
*Nam nec aureæ domus,*
*Quæ lavigatis emicent columnis,*
*Nec clientium favor,*
*Aut ſceptrum eois fulgidum lapillis,*
*Nec minax tubæ fragor,*
*Mortis rapacis impetum coërcent.*
*Ite nobili luto*
*Tagi, vel Hermi, ſplendidiſque cœnis.*
*Ite divitum manus,*
*Lethique duras ſubmovete leges.*
*Quod ſi avara civium*
*Potentiorum dona, vel corona*
*Nil juvant, & ultimis*
*Revulſa ab Indis, ac Hydaſpe gemmæ:*
*Si nihil valent opes,*
*Nec ſceptra Averni leniunt furorem:*
*Sat mihi abdito in ſpecu*
*Arcto cibari pane, & amnis unda.*

4. Septem ſunt autem pœnitentium Pſalmi, vj. ſcilicet, xxxj. xxxvij. l. cj. cxxix. & cxlij. quos magni myſterii ſignificatione majores noſtri inſtituerunt. Docet Caſſiodorus *r* poſt Origenem * ſeptenario numero concluſos eſſe, quia ſeptem modis peccata nobis dimitti poſſunt: per baptiſmum, per paſſionem martyrii, per eleemoſynam, per hoc quod remittimus peccata fratribus noſtris, cum converterit quis peccatorem ab errore viæ ſuæ, per abundantiam charitatis, & per pœnitentiam. Inveniuntur & alii fortaſſe modi remiſſionum: congruit enim ut numerum ſupplicationis noſtræ indulgentia divina tranſcendat. Antiqui etiam canones ſeptennem pœnitentiam pro gravioribus peccatis impoſuerunt. Leproſus mundandus ſepties in veteri lege aſpergebatur *ſ*. Naamam Syrus ſepties



r *Caſſiod. in pſ. 6.* * *Orig. hom. 2. in Levit.* ſ *Levit. 14. 7.*

lavari in Jordane jussus est ab Eliseo *t*. Septimo anno fiebant remissiones, eratque magnus Jubileus post quadratum septenarium *u*. Septimo die emissa columba aquas ultrices cessasse indicavit *x*. Septies oscitavit puer è morte revocandus ad vitam *y*. Septem gradibus ascendebatur ad portam templi apud Ezechielem *z*. Septem diebus foror Mosis separata est antequam mundaretur *a*. Ipse vertex Theologorum Petrus, coryphæus, & os Apostolorum, ut eum vocat Paulus *b* Episcopus Emisenus, sublimiori instructus sapientiâ septenarium proposuit numerum, cum ageret de remissione, à quo numero Christus respondens discedere noluit, ut ex Evangelica constat historia. *Domine*, inquit *c*, *quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Usque septies? Dicit illi Jesus; Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Non ergò sine causa horum Psalmorum numerus ad septenarium redactus est, ut septuplum expurgati *d*, à septem plagis immunes *e*, exclusis septem Dæmoniis *f*, septiformi spiritus gratia illustremur. Notat autem Innocentius Papa *g* initio expositionis horum Psalmorum, quæ D. Bernardo Claræ-vallensi ab imperito quodam impressore Veneto olim perperam tributa fuit, notat inquam inter istos septem Psalmos quatuor esse consimiles, & tres dissimiles in principiis. Semper verò, ait, inter duos consimiles unus dissimilium constituitur: & inter duos dissimiles unus consimilium collocatur. Consimiles sunt primus, tertius, quintus, & septimus: dissimiles secundus, quartus, & sextus. Nulla enim in via sunt ita perfecta, quibus non interveniat aliquod imperfectum: nec aliqua tam sunt mala quibus non intercidat aliquod bonum; quatenus nec perfectis præsumptio, nec malis desperatio tribuatur: quod maximè convenit, & expedit pœnitenti, ut nec de misericordia nimium præsumat sperando, nec de justitia nimium desperet timendo; sed inter superiorem, & inferiorem molam spiritualiter conteratur. Porrò de singulis Psalmis operæ pretium erit quædam notasse.

t 4 *Reg.* 5: 10. u *Levit.* 25: 4. 8. x *Gen.* 8: 10. y 4 *Reg.* 4: 35. z *Ezech.* 40: 26. a *Numer.* 12: 14. b *Paul. Emisen. homil. de Incarn.* 1. *in actis Concilii Ephesini tom.* 6. c *Matth.* 22. d *Psal.* 11: 7. e *Apoc.* 15: 6. f *Marc.* 16: 19. g *Innocent. tertius proœm. in* 7. *Psal.*

## § II.

### *Notantur quædam de singulis Psalmis Pœnitentialibus. Denique adhortatio ad pœnitentiam.*

1. PSalmus sextus, *Domine ne in furore tuo arguas me*, primum inter pœnitentiales occupat locum. Senarius autem numerus personæ pœnitentis aptatur, quia in naturali numerorum serie primus est, cui conveniat perfectio sui ipsius. Titulus ejus est, *in finem in carminibus, sive in hymnis pro octava.* In finem Εἰς τὸ τέλος, quod quidam viri docti *assiduè*, vel *in perpetuum* vertunt: aliquot enim Psalmi certis Hebdomadæ diebus assignabantur, hic verò nulli alligatus diei assiduè psallendus erat. Finis etiam consummatæ rei perfectionem significat, ut videlicet admoneantur initio pœnitentialis cursus pœnitentes jugiter in oratione versari, & ad summum perfectionis culmen, ad Christum qui est finis universorum, aspirare. Quod nos in finem, Græci εἰς τὸ τέλος, Hebræi legunt *lamnaseach*, quam vocem D. Hieronymus *victori* est interpretatus, Symmachus ἐπινίκιος, versus Epinicius ob partam victoriam, Theodosio εἰς τὸ νίκος, *in victoriam.* Nam quæ major victoria, quam post lapsum resurgere, durum pœnitentiæ iter arripere, carnem propriam subjugare, mundi pompas contemnere, adversarium ad petram, qui est Christus, allidere, super aspidem, & Basiliscum ambulare, & conculcare leonem, & draconem? Hæc est victoria, quæ vincit mundum, compunctio cordis, pœnitentiæ rigor, orationis instantia. Gladius est pœnitentia peccatum radicitus evellens, ut non immeritò pœnitentiæ preces à victoria ducant initium: ferventer enim in via Domini incœpisse, jam viciisse est. In carminibus ergò, sive in hymnis oremus, ut det nobis tota charitate compungi, qui supplicandi præstitit rationem. Oremus inquam in hymnis, & carminibus, nam qui tactus dolore cordis intrinsecus peccata sua humiliter confitetur, dulces personat hymnos coram Deo, & Angelis ejus, sicut scriptum est: *h Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Dicitur cantari hic Psalmus pro octava, qua literaliter asserunt Hebræi genus quoddam cytharæ fuisse octo chordarum. Amavit enim vir sanctus David musicam piam, ut scribit Augustinus *i*, & in ea studia nos magis ipse, quam ullus alius auctor

h *Luca* 15: 10. i *Aug. epist.* 131.

auctor accendit. Alii ajunt hoc carmen Hypomixolydio concentu, quem nos octavum tonum nuncupamus, fuisse cantatum, ac propterea octavæ titulum præ se ferre. Sancti Patres communiter per octavam mysterium Resurrectionis intelligunt. Quæ est autem octava, inquit Chrysostomus *k*, nisi dies illa, illa Domini, inquam, dies magna, & terribilis, quæ est ut clibanus ardens quam tremunt etiam virtutes cœlestes? Futuræ enim resurrectionis, tremendique judicii consideratio animam excitat ad pœnitentiam, & ad orationem: Unde tremens, sed cum fiducia ad thronum gratiæ accedens dicit: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Primò autem judicis captat benevolentiam à potestate judicii, & consuetudine parcendi. Deinde narrat ærumnas proprias, quibus animam extabuisse deplorat. Iniquos tandem execratur, nec aliquam in posterum vult cum his habere portionem. Astat reus coràm supremo judice, peccatum lacrymis diluit, in noctibus lectum lavat, quem in noctibus inquinaverat, & accusans seipsum veniam meretur, quia se non excusat à culpa, summum defensionis genus in hoc constituens, quod se ipsum condemnat. Novum scilicet judicii genus hoc est, ait sanctus Zeno *l*, in quo reus, si excusáverit crimen, damnatur: absolvitur, si fatetur. Nam, ut magnus scribit Gregorius *m*, cum defenditur culpa, geminatur. Habet hic locum cujusdam profani *n* sententia dicentis: Morborum alimentum silentium est. Peccatum enim, si taces, serpit, & crescit, sitque animæ tanquam pestilens carcinoma: si aperis, & manifestas, protinus veneni vis evacuatur. Valida est misericordiæ precatio peccati confessio, ait Alcuinus *o*: & ille misericordiam Dei inveniet, qui se miserum confitetur.

2. Post sextum sequitur trigesimus primus: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates.* Numerus tricenarius fidem Trinitatis designat cum observatione præceptorum decalogi. Unitas superaddita charitatem significat, quæ est finis, & consummatio legis. Sicut autem custodia legis perducit ad præmium, sic ista compuncto corde fusa precatio malorum ob transgressionem Decalogi commissorum indulgentiam obtinebit, quatenus deinceps fidem S. Trinitatis bonis operibus comprobantes ad charitatis unitatem feliciter perveniamus. Titulus psalmi Hebraicè est *maschil*, Græcè συνέσεως, Latinè *intellectus*, quia spiritualis intelligentia ad mysteriorum illius profunditatem est adhibenda. Hic est intellectus, ut nemo fide per gratiam accepta de peccati impunitate præsumat. Dictum est in alio psalmo *p*: *Delicta quis intelligit?* In hoc autem dicit Deus: *Intellectum tibi dabo, & instruam te.* Promissus ergo intellectus præmittitur in titulo, ut sciamus ad pœnitentiæ studium nequaquam venire nos posse, nisi misericordia Domini suffragante peccata nostra intellexerimus. Quis enim pro diluendis oret criminibus, quæ prorsus ignorat? initio psalmi cognoscens pœnitens proprios errores humiliato corde suspirat, eos prædicans verè beatos, quorum remissæ sunt iniquitates. Fatetur deinde se malè habuisse dum tacuit, curatum autem fuisse dum culpas humiliter confessus est: tum veniæ postulationem etiam sanctis esse communem asseverat. Orat post hæc, & ad ejus verba respondens Dominus sperantibus in se misericordiam pollicetur. Hac erectus promissione commonet homines in fine, ne brutis animantibus similes facti vagis subdantur erroribus; sed ut potius sperantes in Domino, recto corde lætentur, ut piissimi judicis, qui lacrymis nostris flectitur, sententiâ absoluti in ipso gloriari mereantur. O divinam clementiam, exclamat Basilius *q* Seleuciæ Episcopus, ad quantam dignitatem evexit pœnitentia! Homines lacrymantur, & Deus immutatur: lugent mortales, & decretum solvit immortalis.

## METRUM XXX.

*Quam felix est, cui scelerum*
*Christus vincla resolvit,*
*Quem nullæ inficiunt sordes*
*Imo in corde latentes.*
*Conditur huic ferrum, & redeunt*
*Auri fulgida secla.*
*Nectare manant huic colles,*
*Sudant balsama campi.*
*Huic regales fundit opes*
*Pleno copia cornu.*
*Et quocumque terit pedibus*
*Terram, sub pede florent*
*Lilia, purpureæque rosæ.*
*Et vernus decus omne.*

*Hunc*

*k* *Chrys. lib. 2. de compunctione cordis cap. 4.* *l* *Zeno Serm. 2. ad Neophytos.* *m* *Greg. l. 4. moral. c. 19.* *n* *Heliodor. l. 4. hist. Æthiop.* *o* *Alcuin. in 1. Psal. pœnit.* *p* *Psalm. 18.* *q* *Basil. Seleuc. or. 12. qua est 1. in Jonam.*

*Hunc fas, hunc sequitur pietas,*
*Hunc sincera voluptas.*
*Hunc terræ, cœlique boni*
*Virtus alma coronat.*
*Sive citum rapit hora diem,*
*Seu sol lumina reddit.*
*Ille hilaris semper superos*
*Curvo poplite adorat.*
*Quidquid crastina lux referat*
*Expectat placido ore.*
*Innubique nitens vultu*
*Fraudes nescit, & iram.*
*Horrida terris bella fremant,*
*Tristis sæviat Orcus.*
*Immineat terribilis mors,*
*Fractus corruat orbis.*
*Hic lætus, constansque animi*
*Semper pace potitur.*
*At qui mortifero infectum*
*Gestat crimine pectus,*
*Quanta miser patitur, quanta*
*Intus prælia sentit!*
*Quot curæ cor dilacerant,*
*Quot pœnis cruciatur!*
*Sic sic præcipites erebo*
*Damnat fœda Dione.*
*Sic Bacchi, sic perdit opum*
*Effrænata cupido.*
*Discite mortales sapere,*
*Veram discite vitam.*
*Ponite criminibus finem,*
*Culpas mergite planctu.*
*Justa piis cedet lacrymis*
*Justi Numinis ira.*
*Et dicet redivivo polum*
*Scande ô mortua proles.*

3. Tertius cum primo convenit in primo versu: *Domine ne in furore tuo arguas me*, & est in ordine Psalterii trigesimus septimus fidem judicans, & observantiam Decalogi per septiformem gratiam Spiritus sancti. Ejus Hebraica inscriptio est *le azchir*, Græca Εἰς ἀνάμνησιν, Latina *in commemorationem*, sive *ad commemorandum*: Additum die Sabbati, vel pro Sabbato ex usu Synagogæ, quæ hunc Psalmum Sabbatis canebat. Sabbatum requiem significat. Fidelis ergo anima, ait magnus Gregorius *r*, requiem in primo homine perditam ad memoriam revocans, & futurum nihilominus vitæ æternæ Sabbatum spiritus agilitate contemplans, ab omni spiritus, & carnis optat corruptione eripi, & ad futuram indeficientis beatitudinis requiem consummato hujus vitæ termino, orat sine cunctatione perduci. Fecit etiam David hunc Psalmum ad commemorationem, tum ut illum semper in ore ferret ad animi sui post peccatum curationem: tum ut ipsum peccatum semper in mente habere, sicut scriptum est *s*: *Et peccatum meum contra me est semper*: ut nos quoque ejus exemplo admissa flagitia quotidiano castigantes flagello à futuris culpis præteritarum memores abstineamus. Ista est vera pœnitentia, ut verbis loquar Augustini *t*, quando sic convertitur quis, ut non revertatur; quando sic pœnitet, ut non repetat. Ambrosius *u* item verum pœnitentem describens; Pœnitentem, inquit, hominem dico, qui plangit quod peccaverat, & rogat Dominum, ut non iterum faciat quod admiserat. Pœnitentem hominem dico, qui post concupiscentiam suam non vadit, & voluptatibus suis se privat. Pœnitentem hominem dico, qui repellit quod malè fecerat, & rogat Dominum, ut veniam consequatur. Pœnitentem hominem dico, qui diligit quod ante neglexit, & quod fecerat mali, deserit. Porrò Psalmus internum, & externum morbum commemorat, corporis languorem, afflictionem animi, amicorum molestiam, fastidium extraneorum. A cunctis autem derelictus tacet, quiescit, dissimulat, spem suam in Domino reponit, paratum se quoque ad flagella testatur, quibus commissa possit abolere peccata, ac tandem in Domino exultans continuam ejus in tantis periculis assistentiam implorat.

4. Quinquagesimo Psalmo: *Miserere mei Deus*, quartum, & medium locum inter pœnitentiales sacratissimâ figuratione fecerunt antiqui. Expers sit omnis historiæ, qui nesciat peccasse Davidem cum Bethsabee, ejusque maritum regali jussione ab hostibus fuisse peremptum. Nam mulierem, quæ placuerat oculis suis, accersiri fecit, virum autem ejus innocentem bellatoribus objici jussit, ut vi opprimeretur hostili. Ex hac historia desumptus est titulus Psalmi. *In finem Psalmus David, cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intravit ad Bethsabee.* Pertinet quinquagenarius numerus ad remissionem, quinquagesimo enim anno secundùm legem remissio erat, ut, si quis distraxisset possessionem, eam reciperet, servus libertate donaretur, exul

r *Gregor. in expos. hujus Psal.*

s *Psalmo* 50. t *Aug. serm.* 3. *de Nativ. Domini.*
u *Ambros. ser.* 4. *post.* 1. *Dom.* 40.

exul rediret in patriam. Quinquagesimo etiam die data est Lex in monte Sina, & eodem dierum numero Spiritus sanctus adveniens Apostolorum corda sacris donorum charismatibus illustravit. Sic iste quinquagesimus Psalmus puro recitatus affectu dissolvit crimina, vulnera sanat, debita tollit peccatorum. Atque ideò Ecclesiastico usu receptum est, ut, quoties admissorum scelerum remissio petitur, hujus Psalmi recitatione postuletur. Optimè, ut solet, doctorum Princeps Augustinus *x*: Iste Psalmus sicut cautos facit eos, qui non ceciderunt, sic desperatos esse non vult, qui ceciderunt. Quisquis peccasti, & dubitas agere pœnitentiam pro peccato tuo, desperando salutem tuam, audi David gementem. Ad te Nathan Propheta non est missus, ipse David ad te missus est. Audi eum clamantem, & simul clama: audi gementem, & contremisce: audi flentem, & lachrymas junge: audi correctum, & condelectare. Si tibi non potuit intercludi peccatum, spes veniæ non intercludatur. Missus est ad istum virum Nathan Propheta: attende Regis humilitatem, non respuit verba præcipientis, non dixit, audes mihi loqui Regi? Rex sublimis Prophetam audivit, plebs ejus humilis Christum audiat. Audi ergò hæc, & dic cum illo: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Dulcissimus est hujus Psalmi decursus de amaro compunctionis fonte scaturiens. Nam & satisfactionem continet perfectissimæ humilitatis, & vivam misericordiæ Domini confidentiam. Peccavit David, quod solent Reges: sed pœnitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod non solent Reges. Confessus est culpam, memor peccati, oblitus imperii & ipse suum cantavit opprobrium. Hunc Regem imitatur pœnitens in hoc Psalmo, crimenque fatetur, tum Dominum rogat, ut amissam restituat gratiam, quam si fuerit consequutus, contriti cordis sacrificium, & mysticas vitulorum oblationes pollicetur.

5. Quinto loco centesimus primus Psalmus invenitur, *Domine exaudi orationem meam.* Centesimus numerus plenus in omnibus, & perfectus ostenditur, cui adjuncta unitas apicem indicat perfectionis, ad quam post remissam culpam debet pœnitens properare. Tam in Hebraico, quàm in Græco, & Latino textu hâc prænotatur inscriptione: *Oratio pauperis cum anxius fuerit, & coram Domino effuderit precem suam.* Hoc omnium malorum singulare remedium est non ad res perituras converti, sed ante Dominum effundere cor suum, & veram ab eo consolationem præstolari. Felix conscientia, quæ ob doloremi pœnitentiæ anxia risum in luctum, cantum in planctum, gaudium convertit in mœrorem, faciens membra sua servire sanctitati, quæ ante servierant iniquitati. Felix conscientia, quæ paupertate spiritus ditissima precem suam effundit coram Domino, solicitè præcavens, ne cujusque vel leviſſimæ maculæ deformitate tremendæ illius majestatis offendat aspectum. Conscientia nostra adversarius noster est, de quo scriptum est, *Esto consentiens adversario tuo y.* Adversarius dicitur, quia omni pravæ voluntati nostræ adversatur: arguit nos, cum non agimus quod debemus; accusat nos, cum agimus quod non debemus. Conscientia est lex non scripta, ait Nicetas Heraclienſis *z*, quæ viam veræ pœnitentiæ præscribit nobis. Quæ cum non habeat loquendi usum, ut Victor Cartennensis *a* eleganter scribit, nescit tamen tenere silentium. Potest tibi ad tempus testis prodesse, conscientia verò tecum semper est, & sine te non est: hæret pectori, nec unquam te deserit, & velut quædam pedissequa nullo abs te temporis intervallo discedit: tenet te reum, & in sua semper ditione captivum. Pauper igitur in hoc Psalmo conscientiæ stimulis agitatus orat gemens, & afflictus, suasque necessitates flebili narratione commemorat, ut Deus tandem placatus calamitosam anxietatem in perennem lætitiam sedatâ conscientiâ mutet, & illuc semen sanctorum dirigat, ubi regnans habitat ipse, ubi est spes gloriosa fidelium, ubi lucet perpetua claritas, & pax æterna justorum.

6. Sextus é Canticis graduum desumptus in ordine Psalterii est centesimus vigesimus nonus, *De profundis clamavi ad te Domine.* Numerus quidem centesimus vigesimus ex denario in duodenarium ducto resultans plenissimæ virtutis, & consummatæ dicitur esse perfectionis, partes enim ejus aliquotæ ordinatissimâ distinctione procedunt usque ad unitatem: sed numerus novenarius superadditus humanorum operum imperfectionem designat. Calculus ergò numericus hujusce Psalmi ex perfecto, & imperfecto compositus veram comprobat illam esse sententiam, qua dicitur, *b Cum consummaverit homo, tunc incipiet.* Nemo quippe



*x Aug. in Ps.* 30.

*y Matth.* 5. 25. *z Nicet. in orat.* 16. *Nazianz. n.* 37. *a Victor. Carten. libro de Pœn. c.* 5. *b Eccl.* 18. 6.

adeò perfectus in hac vita reperitur, qui non debeat semper ulteriorem appetere perfectionem, donec feliciter consummatus expleat tempora multa, & quod in via concessum non est, magno gratiarum cumula accipiat in patria. Hoc idem indicat non obscurè inscriptio Psalmi, *Canticum graduum*, sive ex Hebræo *scir hamahaloth*, quod significat *Canticum ascensionum*: quo titulo admonetur pœnitens ascensiones disponere in corde suo, ire de virtute in virtutem, concupiscere, & deficere in atria Domini, donec perveniat ad locum illum, ubi bonum sit esse, securum commorari, unde cadere non possit, sicut scriptum est: *c & gaudium meum nemo tollet à vobis*. Sed de Canticis graduum, deque mysticis ascensionibus sequenti capite agendum erit. Habet hic Psalmus vocem gementis, & clamantis ad Dominum, ut de profunda peccatorum abysso liberetur in sanguine Jesu Christi constituta fiducia, qui peccatores mundat ab omni delicto. Non arctatur numero, inquit Arnoldus Abbas *d*, non clauditur fine, nullas omninò habet metas divina clementia: sit qui invocet, erit qui exaudiet: sit qui pœniteat, non deerit qui indulgeat. Misericordia Domini plena est terra, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Ideò post creatum hominem quievisse dicitur Deus, quia nimirùm creaturam habebat, erga quam poterat misericordiam exercere. Fecit Deus cœlum, & terram; non lego, ait Ambrosius *e*, quod requieverit: fecit Solem, Lunam, & stellas; nec ibi lego quod requieverit: sed lego quod fecerit hominem, & tunc requievit habens cui peccata dimitteret. Nec anteactæ vitæ sordes à speranda venia quempiam terrere debent, quia, ut rursum Arnoldus scribit *f*; Nisi ad antiqua revertatur contagia, nulli prior præjudicat vita.

7. Psalmus centesimus quadragesimus secundus, *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam*, felicem perficit cursum supplicantium pœnitentium. Componitur hic numerus ex denario, quaternario, & binario: atque huic computationi rectè fidelium vita post peractam pœnitentiam comparatur, quia utrumque testamentum custodiens, & præcepta servans, quæ in quatuor Evangeliis & in legis Decalogo continentur, ad perfectionis culmen velocissimo conatur ascensu pervenire. Propria ejus inscriptio est, *Psalmus David*, addidit Latinus Interpres, *Quando persequebatur eum Absalon filius ejus*. Non vacat autem mysterio, quod in hac postrema deprecatione filii impietas commemoratur, qui insana percitus dominandi libidine ausus est contra proprium genitorem prælium concitare. Ne fortè putaret pœnitens, dimissâ culpâ se jam securum posse quiescere, exemplo monetur opportuno, debellatis hostibus externis, acrius à propriis filiis instare certamen, certamen inquam intestinum, prælium anceps, & tumultuarium à pravis affectionibus, quæ militant adversus animam. Vis audire fortissimum athletam hujus militiæ discrimen fideliter enarrantem? *Invenio*, inquit, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati*. Hic est Absalon contra parentem insurgens: hic est filius, cum quo vix possumus pacem habere, cui meritò vulgatum illud possimus occinere, *Nec tecum possum vivere, nec sine te*. Hunc igitur hostem multò vigilantius cavere debemus. Sæpè securitas incautos reducit ad transacta peccata, & cum dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. Orat Dominum pœnitens in hoc Psalmo, ut sibi periclitanti opem conferat salutarem: deinde precatur, ne cum servo suo velit intrare in judicium, sed potiùs vocem illam dulcissimam eum faciat audire, *Fili remittuntur tibi peccata tua*. Petit tandem notam sibi fieri viam vitæ, ut Dei voluntatem edoctus, & deductus in terram rectam, atque ab insidiis inimicorum liberatus felici tranquillitate potiatur.

8. Desino in hac saluberrima admonitione, ut pœnitentiam agamus, dum dies salutis lucescit, dum tempus acceptabile est. Irascere peccatis tuis, inquit Bachiarius *g* vir doctrinâ, & eloquentia insignis, ut ultrà non pecces: præveni ultricis gehennæ sæva tormenta, & ipse tibi tortor existe; ut cum venerit, nihil inveniat, quod in te possit punire inimicus. Sit tibi fames pro gladio, sitisque pro flamma, ut manu carnificis voluntatis per abstinentiæ pœnam costarum compago nudata visceribus sit, & pro supplicio ignis internas ossium medullas duræ sitis depascat incendium. Sit tibi vigilia velut officiorum custodia publicorum, ac sicut catena rigentis ferri, sic duriori consuetudine & lege constrictus sub imagine martyrii veniam misericordiæ cœlestis expecta. Pœnitentiam differre res magni periculi est. Momento enim vivimus, nihilque incertius est

c *Joan.* 16. 22. d *Arnold. lib. de 7. verbis cap.* 2. e *Ambros. exam. lib.* 6. *cap.* 20. f *Arnold. ib. cap.* 3.

g *Bachiarius Epist. de recip. lapsis.*

est horâ nostræ migrationis. Quis scit an hâc nocte à nobis repetat supremus Dominus animam nostram? Quis scit an prolongando iniquitatem, misericordiæ nobis januam occludamus? Ego sanè totus inhorrui, si fortè legens incidi in illud, quod de Antiocho Rege scriptum est *h*, *Orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus*: itemque in illud quod de Esau scribit Apostolus *i*, *Non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis requisisset eam.* Scio quidem remissionis gratiam semper illis esse promissam, qui ex toto corde convertuntur; sed vereor, ne, qui dum potest non vult, justo Dei judicio, cùm voluerit, non possit. Dicit enim Scriptura *k*, *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Formidabilis est magni Doctoris Augustini *l* sententia de his, qui usque ad mortem protrahunt pœnitentiam: Agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Nunquid dico damnabitur? Non dico. Sed dico etiam liberabitur? Non. Et quid dicis mihi? Nescio, non præsumo, non promitto, nescio. Vis te dubio liberare, vis quod incertum est evadere? Age pœnitentiam dum sanus es. Si enim tunc vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te demiserunt, non tu illa. Idem alibi *m*; Quomodo pœnitentiam agere possit, qui nulla jam pro se opera satisfactionis operari potest? Et ideò pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est, pœnitentia, quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ipsa moriatur. De eadem re sic scribit Salvianus Massilienſis *n*, quem dicit Baronius fuisse novum sui temporis Hieremiam. Peccare non desinit, quem in extremis situm recedere à crimimibus sola tantum facit impossibilitas, non voluntas. Qui enim à malis actionibus tantùm morte discedit, non relinquit scelera, sed relinquitur à sceleribus. Ac per hoc necessitate exclusus à vitiis, & tunc puto peccat, quando cessaverit, quia quantum ad animum necdum desiit, qui adhuc velit peccare, si possit. Non bonis itaque spebus innititur, qui ad hoc tantum peccat in vita, ut peccatorum molem redimat in morte. Item S. Asterius *o*; Tunc, inquit, prodest pœnitentia, cum pœnitens emendandi facultatem habet: sublatâ verò copiâ rectè faciendi inutilis est dolor & irrita pœnitentia. Quidam *p* usurarius in extremis constitutus, cum eum Sacerdotes ad pœnitentiam hortarentur, negavit se posse pœnitere, & exclamans dixit: O pœnitentia ubi es? Non possum amplius pœnitere, quia cum possem nolui. Et sic expiravit. Inimicâ videlicet persuasione mentitur, ait Faustus *q* Rhegiensis Episcopus, qui maculas longâ ætate contractas subitis etiam inutilibus abolendas gemitibus arbitratur: quo tempore confessio esse potest, satisfactio esse non potest. Nam quia Deus non irridetur, ipse decipit, qui mortem multis temporibus vixit, & ad quærendam vitam jam semivivus assurgit, ut tunc officiosus appareat, quando Dominicæ servituti omnia corporis, & animæ subtrahuntur officia. Hanc autem sententiam Alcimus Avitus Archiepiscopus Viennensis his versibus explicavit.

*Pœnitet ambiguè quem serò pœnitet: ergo*
*Præsentis spatium nobis dum creditur ævi,*
*Dum patulam cunctis Christi clementia sese*
*Præbet, præteritæ plangamus crimina vitæ,*
*Pœniteatque olim negligenter temporis acti*
*Dum licet, & sano ingenioque, animoque valemus.*
*Nam qui peccatum moriens dimittit & ipsa*
*In serum tempus differt admissa fateri,*
*Non tam dimittit, quam dimittatur ab illis.*

His accedit quod securitatem diu vivendi nemo habet. Quanti enim, inquit Eligius *r* Noviomensis Episcopus, qui se ad extremum vitæ suæ pœnitentiam accepturos esse credebant, aut subitâ ruinâ oppressi sunt, aut fortè naufragio demersi, aut apoplexiâ ita percussi, ut non solùm pœnitentiam petere, sed etiam signare se, aut orationem Dominicam dicere omninò non possent? Ergò pœnitentiam agamus confitendo peccata nostra, & dignè pro illis satisfaciendo, dum tempus habemus, nam omnis dilatio in hac re pessima est. Sed jam multa de pœnitentia dixi, quia, ut Florentis Tertulliani *s* personâ induar, peccator omnium notarum cùm sim, nec ulli rei nisi pœnitentiæ natus, non facilè possum super illa tacere. Ne verò abutar lectoris patientiâ, de Litaniis, quæ Psalmis Pœnitentialibus subnecti solent, nunc loquar, si prius dixero cum sancto Isaacio *t* Presbytero, illum ponere terminum dilectis suis, qui cognoscit terminum hujus vitæ.

h 2. *Mach.* 9. 12. i *Hebr.* 12. 17. k *Eccl.* 5. 8. l *Aug. Hom.* 41. *inter* 40. m *Id. serm.* 57. *de Temp.* n *Salvian. lib.* 1. *adversus avaritiam.* o *Asterius Hom.* 1.

p *Ant. Dauroultius cat. histor. c.* 3. *tit.* 113. *exem.* 5.
q *Faustus Epist. ad Benæd. Paulinum.* r *Eligius hom.* 6. s *Tertull. in fine lib. de pœnis.* t *Isaac de com. mundi c.* 18.

## §. IV.

### *Litania quid sit, & quotuplex. Litaniarum vis, & efficacia.*

1. GRæca vox Litania, si genuinam nominis significationem spectemus, seriam omnem, & ardentem precationem significat, à verbo λιτανεύειν, quod ardentem orationem importat. Apud Homerum, qui aliquem enixè precantur, λιτανεύοντες vocantur, & in quodam Epigrammate Græco infernus ἀλιτανεύτου, id est, inexorabilis, non ineleganter nuncupatur, quod nullis precibus flecti possit. Usu tamen receptum est, ut pro certa quadam Ecclesiasticæ supplicationis specie, qua Dei misericordiam, sanctorumque patrocinium invocamus, Litaniæ nomen usurpetur. Accipitur etiam quandoque pro solo *Kyrie eleyson*, tum in Græcis sanctorum Jacobi, Basilii, & Chrysostomi Liturgiis; tum à D. Benedicto *u* in regula dum ait, Supplicatio Litaniæ, id est, *Kyrie eleyson*, & sic finiantur vigiliæ nocturnæ: itemque Litaniæ, & completum est. Monachi enim post versum dicunt ter *Kyrie eleyson*, deinde sequitur oratio Dominica, postea collecta, & sic finitur tam nocturna, quàm diurna synaxis. Hanc autem supplicationem *Kyrie eleyson* commendat Epictetus Stoicus apud Arianum *x*: & Virgilius *y* preces Turni ad Faunum describens ait, *Faune precor miserere.* Quia verò multoties solent Litaniæ processionaliter cantari, ipsa multitudo τῶν λιτανευόντων, & procedentium ab ordine Romano, & ab aliis Litania vocatur. Abbas Joannes *z* in prato spirituali narrans cujusdam Episcopi humilitatem; Pertranseunte, inquit, Litania, id est processione. Nos hic de illis Litaniis loquimur, quibus sanctorum invocatio continetur, quarum usum multo ante Gregorii Magni tempora viguisse libello primo de Litaniis eruditissimè probat Nicolaus Serarius *a* tot antiquorum Patrum sententiis, tot veteris Historiæ exemplis, tot validis rationum momentis, ut nec ejus diligentiæ quicquam addi possit, nec sectarii novatores tam insignia antiquitatis testimonia ulla valeant exceptione submovere. Nullus certus auctor proferri potest, qui Sanctorum Litanias primus invenerit; quamvis speciales quasdam, nempè majores, quas vocant, in die S. Marci à B. Gregorio Magno; triduanas verò rogationes ante Dominicam Ascensionem à S. Mamerto Episcopo Viennensi circa annum Domini 452. institutas fuisse non contemnendi auctores affirment. De utraque institutione legendus Serarius *b* libro de Processionibus. Etsi ergò Litaniarum quarundam, quà processiones sunt, auctor aliquis ex antiquitate proferri possit, non tamen quà precationes, nec quà in iis sancti exorantur; sed illæ ab Apostolicis viris inductæ, quovis etiam vetustissimo auctore vetustiores reputantur. Quin docti plerique sentiunt, inter quos Jansenius *c*, & Baronius *d*, Christi Domini tempore jam usitatas Hierosolymis supplicationes, in quibus frequentissimè suum illud *Osanna* repetebant. Extant Harthmanni, Ratperti, Notkeri, & alterius Anonymi Monachorum S. Galli apud Helvetios versus quidam, & rithmi, quibus Litaniæ continentur in Bibliotheca veterum Patrum editionis Colonien sis *e*. Psalmis verò Pœnitentialibus sacras Litanias rectè adjungi quis neget? In his enim primò misericordiam Dei supplici confessione imploramus; Tum Reginæ cœlorum pedibus provoluti miseriam nostram potentissimæ mediatrici commendamus. Non omittimus Angelorum Principes, & omnes sanctos beatorum spirituum ordines supremâ naturæ dignitate sublimes, non Patriarchas divinâ familiaritate illustres, non Prophetas futurorum scientiâ conspicuos, non Apostolos Ecclesiæ Principatu glorioso s, non Martyres charitatis ardore succenso s, non Confessores virtutum omnium splendore coruscos, non virgines illibati pudoris candore præfulgidas, non omnes denique cœlestis curiæ cives, amicos Dei, & Principes universæ terræ. Petimus autem in Litaniis pro omni statu hominum universi generis bona, humana, divina, publica, privata, quæ ad animam, & quæ ad corpus spectant.

u *Ben. c. 9. & 12.* x *Arian. l. 2. c. 7.* y *Virgil. l. 12. Æneid.* z *Prat. spirit. c. 210.* a *Serarius tom. 3. opusc. de litan. l. 1. c. 4.*

b *Serarius l. 2. de proces. c. 7. & 8.* c *Jansen. in concord. cap. 110.* d *Baron. ann. 34. num. 5.* e *Tom. 15.*

## METRUM XXXI.

*Densa triumphali video procul agmina pompa,*
*Atque hilares, placidosque choros.*
*Plurima pars niveis, variis pars altera fulget*
*Vestibus, auratisque stolis.*

Jam

*Jam sinuosa leves rapuerunt stemmata venti,*
*Jamque micant pia signa crucis.*
*Tartareas Christi propellit imago phalanges,*
*Et superi properant cives.*
*Ordo Sacerdotum venerandaque turba canoris*
*Carminibus passim exultant.*
*Jam devota sacris aperitur scena viretis*
*Jam sanctæ resonant voces.*
*Alternis precibus pueri, innuptæque puellæ,*
*Atque senes, juvenesque canunt.*
*Ter circum viridi tremuerunt vertice colles,*
*Ter longè tremuit tellus,*
*Terque repercussas resonabilis edidit Echo*
*Voces, ter sonuere specus.*
*Audio divinæ dotes, titulosque parentis,*
*Audio virgineas laudes.*
*Sed prius Ingeniti, Genitique, & Pneumatis almi*
*Placarunt precibus Numen.*
*Tum puras, celeresque canunt sine corpore mentes,*
*Ter triplici agmine distinctas.*
*Nec veteres reticent Patres, mundique parentes,*
*Et sacros recinunt vates.*
*Quos & Apostoli sequitur sacra turba Senatus,*
*Magnaque Discipulorum acies.*
*Et pueri insontes, rabies quos sæva Tyranni*
*Sustulit è gremio matrum.*
*Vos quoque commemorant, partem qui morte coronam*
*Vertice sacrato geritis.*
*Et vos Pontifices, & quos sine sanguine virtus*
*Vicinos dedit esse Deo.*
*Postea fœminei celebratur candida sexus*
*Virginitas, castusque pudor.*
*Sic omnes cœli proceres, patriæque beatos,*
*Sollicitant precibus cives.*
*Denique per Christi mysteria sancta precantur,*
*Annuat ut votis Numen.*
*Sic procul omne malum, det prospera cuncta sereno,*
*Respiciat populum vultu.*
*Utque Dei mitis, mundi qui crimina tollit,*
*Agnus sit miseris clemens.*
*Ista ter effati reticent: sed multa perorat*
*Pronus humi sacer Antistes*
*Et cum sancta preces plebs finiit, æthera pulsant*
*Plausus, ac tremulæ voces.*
*Pictaque tolluntur Christi vexilla, recedit*
*Hinc chorus, & repetit templum.*
*Tum subitò Aligerum manibus collecta feruntur*
*Ante Deum populi vota.*
*Annuit his Numen, divinaque munera terris*
*Divite largitur dextrâ.*

2. Difficillimum foret varios, & admirabiles Litaniarum effectus è probatissimis Ecclesiasticæ Historiæ monumentis collectos recensere. In tanta enim exemplorum ubertate quid potissimum seligere, quid omittere debeam ignoro. Dicam tamen aliqua, quæ satis fuerint, ut maximam supplicationum utilitatem Ecclesiasticis viris commendent. Litaniis magnum Basilium obseratum Niceæ templum sine clavibus aperuisse magno Catholicorum applausu, magnâ Arianorum confusione Amphilochius *f*, & Zonaras *g* testantur. Litaniis Theodosium Imperatorem unà cum clero, & plebe perpetuis imbribus imposuisse finem, post quos rei frumentariæ ingens copia sequuta sit, Nicephorus Callistus *h* affirmat. Litaniis pestem, ac famem vehementissimam S. Heribertum Colonienſem Archiepiscopum submovisse Abbas Tuitiensis *i* asseverat. Imperante Theodosio Proclus Constantinopolitanus urbem funestissimis terræ fragoribus concussam, Litaniis & supplicationibus liberavit, ut Baronius *k*, & alii *l* narrant. Omni enim populo cum Patriarcha orante sublatus in aëra puer, & mox in terram reversus, sacrum Trisagion se ab Angelis didicisse testatus est, quem hymnum cum psallerent universi, terræ quassatio cessavit. S. Mammertus à Viennensi sua civitate, ut Ado *m* item Viennensis refert, gravissimos depulit terræmotus, ignes cœlitus delapsos, ferarum irruptiones, aliaque plurima pericula Litaniis ad S. Juliani Basilicam institutis. Gregorius Magnus serpentum virus, & inguinariam pestem, qua Roma quotidianis cadaveribus complebatur, non semel Litaniarum precationibus avertit, ut in ejus vita Joannes Diaconus *n* scribit. Adversus bellicos incursus idemmet Gregorius *o* Litanias indixit, ut ex Epistolis ipsius constat. Occasione magni terræmotus, de quo Agathias *p*, actas quotannis Litanias anno 27. Justiniani Imp. docet Baronius *q* è veteri Historia. In creatione summi Pontificis cantatas Litanias apud eumdem Baronium *r* commemorat Anastasius Bibliothecarius. Exundantis Tyberis alluvionem Litaniarum munimine repressam idem *s* narrat ex eodem auctore. Easdem pro salute Urbis à Stephano Papa tertio frequentatas ipsomet Baronio *t* narrante



f *Amphiloch. in vita S. Basilii.* g *Zonaras tom. 2. Annalium.* h *Niceph. Call. l. 14. cap. 13.* i *Rup. Abb. in vita S. Heriberti.* k *Baron. ann. 446. nu. 9.* l *Theodor. Balsamon ad Can. 82. sext. & Synodi in Trullo.* m *Ado Vien. ct. 6.* n *Jo. Diac. lib. 4.* o *Greg. Ep. 45. l. 9. indic. 4.* p *Agat. l. 2.* q *Baron. ann. 553. nu. 249.* r *Id. ann. 555. n. 10.* s *Id. ann. 717. n. 4.* t *Id. ann. 753. n. 3.*

didicimus. Quibus verò præsidiis Adrianus Papa ad petitionem Caroli Magni barbaram, & ferocissimam Saxonum gentem ad Christi fidem perduxit: nonne Litaniis pro eorum conversione in tota ditione Romanæ Ecclesiæ celebratis, ut scribit Rhegino Abbas *u*? Quibus artibus impurissimi Dœmones ab humanis corporibus multoties expulsi sunt? nonne efficacissimo Litaniarum exorcismo? Quâ ratione pluviarum illuviones submotæ, procellarum sedata tempestas, virulenta fulgurum vis repressa, devastantium flammarum extinctum incendium, conclamata multorum salus postliminio restituta, fideles animæ è teterrimo Purgatorii ergastulo eductæ? nonne Litaniis intimæ devotionis sensû recitatis? *x* Quidni igitur studeamus hoc saluberrimo pœnitentialium Psalmorum additamento divinam nobis misericordiam conciliare? Misericors & miserator Dominus ad beneficia humano generi præstanda suâ sponte proclivis accedentibus suffragiis omnium Sanctorum, ampliorem nobis tribuet donorum suorum largitatem.

u *Rhegino lib. 2. Chron.* x *Mart. del Rio disquis. magic. lib. 6. cap. 2. Sigebert. an. 679. Abbas Ursperg. an. 527. Greg. Turon. de gent Franc. lib. 2. cap. 34. Albert. Cranzius l. 2. metrop. c. 28. Greg. Cedrenus in Justiniano.*

## Caput XV.

## De Psalmis Gradualibus.

### §. I.

*Quindecim Psalmis Gradualibus totidem gradus Christianæ perfectionis indicari. Vitæ spiritualis triplicem esse statum. De ascensione mentis in Deum. Quindecim animæ dignitates ex Abbate Cellensi.*

1. Quindecim Psalmi Graduales à 119. usque ad 133. quartis Quadragesimæ feriis præscripto in Breviariis ritu recitari debent. Quia enim hisce diebus decet nos solito sanctiores esse, Psalmos istos ad consuetæ servitutis pensum adjungimus, quibus etiam monemur ad vitæ spiritualis perfectionem quibusdam veluti gradibus ascensum parari. Meminit horum Psalmorum, eorumque ritus Radulphus Tungrensis *a*. Ardo Monachus in vita S. Benedicti Anianæ Abbatis *b* refert, ipsum instituisse, ut ante nocturnam synaxim quinque Psalmi à Monachis recitarentur pro omnibus fidelibus in toto orbe terrarum vivis: tum quinque pro omnibus defunctis, totidemque pro iis, qui nuper defuncti erant. Sed an isti fuerint Psalmi Graduales, non liquet. Ipsa autem Cantica graduum ternâ oratione distincta noctu à Monachis recitata apud Bollandum in vita S. Joannis Gorgiæ Abbatis cap. 9. die 27. Februarii commemorantur. Hic verò obiit anno 962. Ante Pium V. quotidie in Quadragesima recitabantur, ut notat Gavantus, & in antiquo usu Cluniacensi singulis anni diebus; itemque in veteri Breviario Vallisumbrosæ in omni die feriali. Græci Psalmos graduales concinunt omnibus diebus Quadragesimæ (præterquam Sabbatis, & Dominicis, & in die Annuntiationis) quibus utuntur mysteriis ante sanctificatis, de qua re extat Canon sextæ Synodi in Trullo. Post quos psallant Idiomelon diei, & Martyricum, & tria similaria Triodii, & tria Calendarii, sive Menæi, ut habetur in eorum Typicis, & Euchologiis. Hæc autem distinctio graduum, sive à gradibus templi Salomonis desumpta sit, sive ad vocem gradatim in cantu exaltatam pertineat, sive reditum de captivitate Babylonica in Hierusalem, aut aliud quidpiam secundum historiæ fidem respiciat, quod spectat ad spiritualem intelligentiam, mysticis animæ ascensionibus à sanctis Patribus Hilario *c*, Augustino *d*, Chrysostomo *e*, Gregorio Magno *f*, itemque à Cassiodoro, Remigio Antissiodorensi *g*, & aliis applicatur. Ad supremum charitatis fastigium nonnisi per gradus pervenitur: motus enim, & conatus humanæ voluntatis, sicut ad alia omnia, ita etiam ad perfectionem non repentè fit summus. Notandum est autem ex Brunone Astensi in Psalmum 119. quod, cùm quindecim sint Psalmi Graduales, non dicimus primum gradum, secundum gradum, tertium gra-

a *Radulph. prop.* 21. b *Sex. syn. can.* 52. c *Hilar. Pict. proœ. in Ps. grad.* d *Aug. in eosdem Psal.* e *Chrys. in Ps.* 119. f *Gregor. in Ps.* 129. g *Cassiod. & Remig. in Ps.* 119.

gradum, sed unusquisque vocatur Canticum graduum, quasi unusquisque tanti sit, ut per se ad id quo tenditur ascendentem perducere possit *h*. Cantica graduum, inquit Arnobius *i*, Cantica Ascensionum sunt: veluti si alicui, qui in foveam ceciderit, ponatur scala, ut inde ascendendi capiat facultatem. Hæc est scala, quam Patriarcha Jacob vidit in somnis, per quam, ut scribit Theophilus *k* Alexandrinus, diversis virtutum gradibus ad superna conscenditur. Pulchrum spectaculum, ait Richardus Victorinus *l*, videre hujus scalæ scalaria modo congruo, proportionaliterque locata, & usque in summum ordinatæ distinctionis continuatione producta, ut paulatim se animus ad superiora promoveat, provectionisque gradibus semper ad altiora conscendat, donec Dominus innixus scalæ videatur.

2. Nascitur charitas divina operante misericordia, cum nata fuerit, nutritur, nutrita crescit, & roboratur, roborata perficitur. Hinc Theologi *m* communiter post Dionysium Areopagitam *n* ex muneribus Angelorum, quorum actus Hierarchici sunt purgare, illuminare, & perficere, vitæ spiritualis statum triplicem faciunt, Incipientium, Proficientium, & Perfectorum, quarum primi purgantur, secundi illuminantur, postremi perficiuntur. Cebes Thebanus insignis Philosophus Tabulam finxit in templo Saturni, in qua miro artificio tres ambitus posuit, per quos tres isti gradus non incommodè intelligi possunt. Nam cum vitiis seductus homo in primo ambitu describatur, in secundo post purgationem ad virtutes introducitur, ac deinde ad beatitudinem pervenit, à qua gloria, & honore coronatur. Ecclesia verò Psalmos graduales recitandos proponens in tres ordines dividit, qua partitione tres status vitæ internæ designantur. Et primus quidem quinarius incipientibus convenit, secundus proficientibus, tertius perfectis. Nicolaus Londanus tractatum edidit ad Pium V. de reversione animi in cœlum, sumpto è Psalmis istis argumento. Robertus Bellarminus sacræ purpuræ decus eximium librum scripsit de Ascensione mentis in Deum, quem ad similitudinem quindecim Psalmorum gradualium in totidem gradus distinxit. Hic liber legendus ab illis est, qui invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intelligere cupiunt, & mysticos ascensionum gradus non tam cognoscere, quam ascendere peroptant. Deus enim, inquit Basilius *o* Seleuciæ Episcopus, cum res creatas in modum scalæ adaptaverit, per eas sui amantibus ascensum ad se extruxit. Verus Philosophus ille est, qui è rebus creatis ad increta novit assurgere; & de his quæ videntur scalam sibi facit ad invisibilia ascendendi. Quare sapienter Severinus Boëthius vestem Philosophiæ in modum scalarum intextam describit initio doctissimi libelli de ejusdem Philosophiæ consolatione. Felices illi, quibus vertitur in scalam, quod aliis esse solet in ruinam: quibus aspectus creaturarum fit scala ascensionis, non lapsus dejectionis.

3. Abbas Cellensis *p* quindecim animæ dignitates, quasi quosdam gradus perfectionis ejus, enumerat, è quibus ipsa corruit per peccatum, & ad quos per pœnitentiam revocatur. Est enim anima, ait ille, puella, generosa, tenera & delicata, formosa, & candida, ignara doli, laboris insueta, virtutum capax, damnatrix vitiorum, artium inventrix, constans in amore, verax in promissione, larga in donatione, socialis ad cives, affabilis ad omnes. Ab his dignitatibus totidem gradibus excidit miserabilis anima. Nam, ut idem subjungit, rapitur puella! ô crimen! Generosa ancillatur: ô pudor! Delicata laceratur: ô pietatis naufragium! Formosa denigratur: ô damnum pulchritudinis! Obscuratur candida: ô gloriæ convitium! Ignara doli fraude seducitur: ô justitiæ exitium! Insueta laboris labore atteritur: ô miserationis exilium! Capax virtutum virtutibus evacuatur: ô exclusio bonorum! Vitiatur damnatrix vitiorum: ô communicatio Dæmonum! Inventrix artium inventorum oblivisci tur: ô ignaviæ pabulum! In amore constans instabilis invenitur: ô naturæ lubricum! Verax in promissione quotidie mentitur: ô peregrinationis invium! In donatione larga in avaram vertitur: ô exsiccatio venarum! Socialis sine fœdere: ô vitæ corruptionem! Affabilis infrunita redditur: ô coagulum dilectionis vastatum! O clementia creatoris eripe illam de ore Leonis, restitue illi statum libertatis, repone in delitiis pristinis, reforma deformatam, renova obscuratam, libera deceptam, amove laborem, redde virtutes, cura

h *Jacob. Alvarez. de vita spirit. lib. 2. part. 1. cap. 9.* i *Arnob. in Psalm. 119.* k *Theoph. ep. 1. pasc.* l *Rich. de ext. mali tr. 3. c. 16.* m *S. Th. 2. 2. qu. 183. art. ult.* n *Dionys. c. 3. cæl. hier.* o *Basil. Sel. or. 1.* p *Cellen. lib. de Panib. c. 4.*

cura vitiatam, doce oblitam, confirma lapsam, pone in veritatis viam, destrue avaritiam, fœdus societatis constitue, affabilem redde. Ecce anima quindecim gradibus, quibus peccando corrueras, pœnitendo azima sinceritatis recipies. Quot namque casibus à Deo recessimus, tot gradibus virtutum ad ipsam Dei virtutem pennis desideriorum revolamus. Hactenus Petrus Cellensis. Sunt & alia quindenarii numeri mysteria haud indigna solerti disquisitione; sed susceptí operis ratio ad ea tantum edisserenda me cogit, quæ mysticas animæ ascensiones respiciunt. Scalam igitur erigo ad Deum, qualem finxisse Cosingam Junonis apud Thracas Sacerdotem scribit Polyænus *q*. Hic enim cum Thraces ejus imperium detrectarent, ligneas scalas quamplurimas construi, atque alias aliis imponi curavit, quibus in cœlum ad Junonem ascenderet plebis contumaciam accusaturus. Quo facto stupidam gentem ita perculit, ut se inposterum obedientem fore jurejurando firmaret. Hunc ascensum, quem ille ementiri potuit, non autem perficere, ego quindenis gradibus præparo, quibus ad verum Numen subvehente sapientia conscendamus. Optimè Joannes Climacus *r*, omni arte, omnique studio quisque uti debet, ut lutum hoc à terra elevans in Dei solio collocet. Nullus verò difficultatem causetur ascensus; via enim, & janua cunctis aperta est.

q *Polyænus l. 7. stratagemat.* r *Climac. gr. 26.*

## METRUM XXXII.

1. *TU magne cœli rector, & mundi arbiter,*
*Tremende, sempiterne, inluctabilis,*
*Idem severus ultor, & clemens pater,*
*Immensa rerum spatia qui nutu regis,*
*Cui servit Orbis, Trinus, ac unus Deus.*
*Da celsa virtutum juga, & superum choros*
*Transcendere. Obsident iter vepres mali,*
*Et densa tribulorum seges: bellum ferox*
*Intentat hostis, fingit & vanos metus.*
*Sed, te juvante, per rubos, & per truces*
*Spinas iter parabo: me nullus labor,*
*Pericla terrent nulla, sunt dudum mihi*
*Hæc tela prævisa. Adjuva audentem Deus,*
*Serena donec fulgeat mihi dies,*
*Qua sistar innocens, & omnis insciis*
*Labis tuo conspectui. Quid hic moror,*
*Et hactenus mortalium sordes colo?*
*Vos nubila super solis, & Lunæ vias*
*Me citius erigite volatu præpeti,*
*O me beatum! Jam mihi tellus perit,*
*Et regna decrescunt, suum mundi globus*
*Vanescit in punctum. O veneranda Numinis*
*Præsentia! ô cœli coruscantes faces!*
*Perenne vitæ gaudium, verum decus,*
*Et clausula nullo margine voluptas! dies*
*Quem nulla temerat nox, bonorum fons patens!*
*Utinam semel vestris receptus sedibus*
*Quiete vera perfruar. Tu ne cadam*
*Adsis Pater. Gravi ruina est proximus*
*Quicunque sine te ad sidera ascensum parat.*

## § II.

*Quinque gradus incipientium: omne mortale, omne veniale crimen deserere: divitias, ac dignitates contemnere: pravos motus cohibere: proprium judicium, & propriam voluntatem abnegare. Quæ sint purgati animi indicia.*

1. ADsis huc igitur fidelis homo, quicunque es, qui in hac valle lacrymarum ascensiones disposuisti in corde tuo: Huc adsis, & cœlum suspice, ad quod erecta te ducit statura: Cœlum contemplare, ad quod oculis, manibus, totoque corpore assurgis. Hoc consilio divina manus, ut Theophilus *s* Protospatarius eleganter notavit, hominem sic effinxit, ut erectus, aut sedens vitæ negotia obiret; pronus autem, & supinus nihil prorsus faceret. Nimirum ut liqueat actiones nostras à terræ fœcibus removeri oportere, debereque hominem vita, & moribus esse ὀρθογώνιον instar piscis, qui hoc nomine insignitur, quod semper oculis cœlum aspiciat. Rectè Manilius. *t*

*An quoquam genitos nisi cœlo credere fas est*
*Esse homines? projecta jacent animalia cuncta*
*In terra, vel mersa vadis, vel in aëre pendent:*
*Omnibus una quies venter, sensusque per artus.*
*—— At homo stetit unus in arcem*
*Erectus capitis, victorque ad sidera mittit*
*Sidereos oculos, propiusque adspectat olympum,*
*Cognatumque sequens corpus, se quærit in astris.*

Ipsi ergo sibi renunciant, ait Lactantius *u*, seque hominum nomine abdicant, qui non sursum aspiciunt, sed deorsum. Spectare nos cœlum Deus

s *Theophil. Protospat. lib. 1. de homin. fabrica cap. 9.* t *Manil. circa fin. l. 4. Astronomic.* u *Lactan. div. inst. l. 2. cap. 1. & 2.*

Deus voluit, utique non fruſtra, ſed ut Deum, cujus ſedes illud eſt, quoniam oculis non poſſumus, animo contemplemur. Juvat autem velut in aliqua ſublimi ſpecula conſtitutum, unde univerſi exaudire poſſint, Perſianum illud proclamare:

*O curvæ in terras animæ, & cæleſtium inanes,*

Cœlum potius intuemini, ad cujus ſpectaculum vos excitavit ille artifex verus Deus. Ille vobis ſublimem vultum dedit, vos in terram curvamini, & altas mentes ad inferiora deprimitis, tanquam vos pœniteat non quadrupedes eſſe natos. Hoc verò ſanctioris vitæ initium eſt, hic primus gradus, à terra ſurſum elevari, & hac optima ſententia ſtabilire cor, ut mori potius optes, quam gravioris peccati macula fœdari. Hunc primum gradum nonne agnoſcis in primo Pſalmo? Terrena vitia derelinquens Propheta petit liberari à tribulationibus ingruentibus, à labiis iniquis, & à lingua doloſa. Qui enim incipit Deo ſervire, licet cum his qui oderunt pacem ſe ſemper pacificum ſtudeat exhibere; ab illis tamen quaſi hoſtis, & malè ſuadens venenatis detractionibus gratis impugnatur: quare cognoſcens ſe cum malis habitare mundi hujus duriſſimum incolatum deteſtatur.

2. Emundatus in hoc primo gradu à gravioribus noxis greſſum promove ad ſecundum. Is eſt non tantum à culpis, quæ occidunt animam, ſed etiam à levioribus abſtinere. Scio quidem natura omnibus inſitum eſſe (ſic loquitur maximus Hiſtoricorum *x*) ut privatim, & publicè peccent: nullam eſſe legem quæ homines ab hoc naturæ vitio prohibeat. Scio etiam ſententiam eſſe ejus diſcipuli, quem diligebat Jeſus: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis non eſt y.* Sed ſcio quoque non debere negligi venialia delicta, quod in hac mortali vita omninò vitari non poſſint. Quamvis enim à Catholica fide cenſeatur alienum cum Origene, & Evagrio impeccantiam aſſerere; quamvis item homini juſtificato abſque detrimento juſtitiæ peccata inſint venialia: tibi tamen, qui in via Domini progredi cupis, neceſſarium eſt, ut, quantum te Dei gratia promoverit, vel leviſſimas criminum umbras devites. Dum enim otioſa, ait Bernardus *z*, tanquam minima ſpernimus, ad turpia, atque inhoneſta dilabimur. Idem alibi. Neque hic poſſumus penitus eſſe ſine peccato, & miſeria: poſſumus tamen gratia juvante nec peccato ſuperari, nec miſeriâ. Et uſitata in ſcholis ſententia; Poſſumus à ſingulis peccatis venialibus abſtinere, non ab omnibus. Monet Chryſoſtomus *a* magis eſſe timenda parva peccata, quam magna. Magna enim ut averſemur, ipſa peccati natura efficit: parva autem hac ipſa re quia parva ſunt, deſides reddunt: & dum contemnuntur, non poteſt ad eorum expulſionem animus generosè inſurgere. Quia verò adverſus carnis moleſtias, & quotidiana peccata difficilior lucta eſt, & pugna anceps; ideò ſecundus Pſalmus oculos levat ad montes, ſalutare præſidium à ſanctis poſtulans, & infallibile auxilium ab eo expectans, qui fecit cœlum, & terram. De malis ſcriptum eſt *b* *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Nobis autem clamat Apoſtolus *c*, *Quæ ſurſum ſunt quærite, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Quid moraris in convallibus, ſi auxilium tuum à Domino eſt, qui habitat in excelſis? Ipſe cuſtodit te ab omni malo, ſemperque vigilat ad tui cuſtodiam, ut à recto virtutis tramite nunquam poſſis deviare.

3. Sic depoſitâ peccatorum ſarcinâ levior eris ad aſcendendum. Perituras autem divitias reſpue, fallaces mundi honores, ac dignitates contemne, & tertium gradum conſcendiſti. Nam ſi adhuc opus habes, ut hæc diſcas, inquit Chryſoſtomus *d*, nempè quod nihil magnum ſint divitiæ, quod umbra ſint divitiæ, quod umbra ſint res præſentes, & ſomnium; quod inſtar fumi evaneſcant, & evolent, ſta interim extra adyta, mane in veſtibulis: nondum enim fuiſti dignus, qui ingredereris ſuperna regna. Nam ſi neſcis earum inſtabilem, & perpetuo fluentem diſcernere naturam, quomodo eas poteris deſpicere?

x *Thucydides lib. 3.* y *1 Joan. 1. 8.* z *Bern. Serm. de trip. cog. Id de grat. & lib. arbit.*

a *Chryſ. Hom. 87. in Matth.* b *Pſalm. 16.* c *Coloſſ. 3. 1.* d *Chryſ. Hom. 29. in c. 1. ad Cor.*

## METRUM XXXIII.

*NOn tot monſtra cubant Tartareo in ſpecu,*
*Non tot parit Lybia feras:*
*Quot curæ lacerant pectora divitum,*
*Quot opprimuntur fluctibus,*
*Magnatum requies exulat atriis,*
*Auro bibuntur toxica.*
*Nec mentis ſtolidæ præliæ ſopiunt*
*Faſces, opes, & purpura.*

*Ah! regnum miseri, veraque gloria,*
*Qua sede lateat nesciunt.*
*Rex est, & tumido ditior Attalo,*
*Rex esse qui potest sui.*
*Hæres ipse sui possidet omnia,*
*Qui se obsequentem possidet.*

Rectè Augustinus *e*, Venenum charitatis est spes adipiscendarum, aut retinendarum rerum temporalium. Rectè item Bernardus *f*, quærat Paganus divitias, qui sine Deo vivit; quærat Judæus, qui terrenas promissiones accepit: sed quâ fronte magis, aut quâ mente Christianus divitias quærit, postquam Christus beatos esse pauperes prædicavit? Avaritia, inquit Pater Romanæ historiæ *g*, fidem, probitatem, cæteraque artes bonas subvertit; & pro his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere docuit. Ideò Lycurgus auri, argentique usum velut omnium scelerum materiam sustulit, teste Justino *h* in historiis. Eleganter Maximus Tyrius *i*: Vir bonus es? mores tuos muta, improbitatem cole, & divitias consequeris. Leno esto, aut caupo, prædo, aut veterator, perfidus, aut sycophanta, pretio æquum, bonumque perverte, honestati renuncia, ditesces. Per hanc viam ad opum fastigia, ad dignitatum culmen pervenitur. Virum, qui ascendit hunc gradum, ita describit Gregorius *k*. Alius contempta mundi superbia honores, atque dignitates hujus seculi decrevit vitare, ultimum appetit inter homines locum tenere, ut tantò excelsior inveniatur in permanenti gloria, quantò humilior aspicitur in transeunte vita. Ideò exultans in spiritu in domum Domini se mox iturum testatur, in cujus atriis consistit. Qua spe roboratus æternæ pacis præmia, bonorumque cœlestium abundantiam commendat, & dulcissimæ exultationis verba depromit.

4. Quartus ascensionis gradus ab his, quæ foris sunt, ad teipsum te ducit. Divitiarum, ac dignitatum exuta solicitudine corpus tuum castigare, sensus cohibere, perturbatos animi motus sedare, omniumque vitiorum carnalem debes reprimere concupiscentiam. Ut enim docet Eucherius Lugdunensis *l*, si unusquisque nostrum subdere sibi passiones studeat, & eminentia dominantis animi super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum constituit, quo ad superiora conscendat. Sublimabunt nos, si fuerint infra nos: de nostris etiam vitiis scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus. Ideò docet Apostolus dicens *m*: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Nam, ut scribit in moralibus B. Gregorius *n*; tantò melius mens ad superna appetenda componitur, quantò corpus ab illicitis arctius edomatur. Quemadmodum passerculus pede alligatus, ait sanctus Maximus Monachus *o*, & Martyr, volare incipiens in terram funiculo detrahitur: sic quoque mens nondum affectibus liberata, & ad rerum cœlestium cognitionem volare contendens ab affectibus ducitur, & in terram detrahitur. Sententia Domini est, non posse discipulum ejus esse, qui non odit animam suam *p*: *Et qui perdiderit animam suam, salvam faciet illam q.* Beati quos nulli metus terrent, exclamat Rom. Orator *r*, quos nullæ ægritudines exedunt, nullæ libidines incitant, nullæ futiles lætitiæ exultantes languidis liquefaciunt voluptatibus. Ut enim maris tranquillitas intelligitur, nulla, ne minima quidem aura fluctus commovente; sic animi quietus, & placatus status cernitur, cùm perturbatio nulla est, qua moveri queat. Carnem igitur spiritui subjice, coërce vagam sensuum licentiam, pravos animi motus comprime, exhibe membra tua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem: hac enim ratione purificatus non jam ad montes, sed ad ipsum Deum oculos erigere, & Divinæ misericordiæ feliciter poteris appropinquare, sicut dicit Psalmus, *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.* Opprobrium quidem abundantibus eris, & despectio superbis, qui præsentia diligentes, futura aut negligunt, aut non credunt: cunctas tamen molestias & irrisiones hoc uno remedio superabis, si semper oculos habens ad Dominum elevatos exclames, Miserere nostri Domine, miserere nostri.

5. Quintus gradus ascensum perficiens incipientium in omnimoda proprii judicii, propriæque voluntatis abnegatione consistit. Tantum enim virtuti adjicit homo, quantum propriæ voluntati, proprioque judicio subtrahit. Voluntatem verò propriam eam dicit esse Bernardus *s*, quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantùm: quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fra-

e *Aug. l. 83. qq. qu. 36.* f *Bern. Ser. 1. de omnibus Sanctis.* g *Sallust. in Catilin.* h *Justinus l. 3.* i *Tyrius Serm. 30.* k *Greg. hom. 20. in Ezech.* l *Eucher. hom. 1. de Ascens.*

m *1 Cor. 9: 27.* n *Greg. mor. l. 1. c. 28.* o *Max. cent. 1. de Char. c. 85.* p *Luc. 14: 26.* q *Luc. 9: 24.* r *Cic. 5. Tusculan.* s *Bernard. Ser. 3. de Resurrect.*

fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo, & prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum. Quid autem odit, aut punit Deus præter propriam voluntatem? Cesset propria voluntas, & infernus non erit. Et post pauca proprium etiam consilium, propriumque judicium perstringens, illorum esse ait, qui zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam, sequentes errorem suum, & obstinati in eo, ita ut nullis velint consiliis acquiescere. Hi sunt unitatis divisores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi, & magni in oculis suis, ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere. Epictetus Stoicus *t*, cujus doctrina Evangelicam redolet disciplinam, sic de propria voluntate scribit. Si talis sit nostra voluntas, qualem ipsam esse oportet, unicum nimirum id bonum erit nostrum: si secus sit affecta, unicum, solumque erit malum nostrum. Cæterum si ad hunc gradum felici progressione perveniſti, nil boni tibi arroges, ne ruinosa deceptus præsumptione præcipites. Dic autem cum Psalmographo: *Nisi quia Dominus erat in nobis, forsitan homines deglutissent nos.* Cœnosum, & rapidum pertransisti tormentum, terrenorum affectuum infectionibus sorditatum: aquam evasisti humanis viribus impertransibilem, ab illo scilicet adjutus, qui Petro Apostolo fluctuanti manum, ne mergeretur, extendit: contrito laqueo ereptus es, sicut passer ab insidiis inimici: ac propterea Psalmi devotionem assumere debes, & dicere: *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum, & terram.*

t *Epictet. apud Arianum l. 4. cap. 5.*

## METRUM XXXIV.

*O Curas hominum, stultaque pectora!*
*O quam desipiunt, qui nimium suo*
*Credunt arbitrio, qui sapiunt nimis!*
*Quam desideriis difficile est modum*
*Et metam propriis ponere sensibus!*
*Nescitis cupidi quo lateant loco*
*Mundi prosperitas, veraque gaudia;*
*Felicem Tyriæ non faciunt opes,*
*Non gemmæ, & Perues munera divitis,*
*Non regni solium, rubraque purpura.*
*Sed lætis fruitur conditionibus*
*Æternis inhians semper honoribus,*
*Qui prudens timidos edomuit metus,*
*Fœdoque imposuit frena Cupidini,*
*Nec vultum variè fingit ad improbæ*
*Plebis consilium, nec popularibus*
*Arctatur studiis, quem sapientia,*
*Et virtus solidi pectoris hospita,*
*Quem simplex probitas, nudaque veritas,*
*Quem firmat pietas, & niveus pudor.*
*Quem fluctus tumidi non quatiunt freti,*
*Non missum supero fulmen ab æthere,*
*Non vultus procerum sæva minantium.*
*Qui tuto latitans eximius loco*
*Infra se placidus conspicit omnia.*
*Quem non ambigui dura necessitas*
*Fati terrefacit, nec queritur mori.*
*Hic felix nimium, solus & entheo*
*Per nubes medias percitus impetu,*
*Sublimem intrepidus transiliet polum.*

6. Libet autem in fine horum graduum ad eos spectantium, qui purgantur à vitiis, Guerrici Abbatis *u* aurea verba usurpare. O quam felix est, de quo dici potest: *Impleti sunt dies purgationis ejus*, ut jam nihil aliud ei supersit, nisi ut ferant eum in Hierusalem supernam, & sistant eum Domino. Et quidem dies, qui ad purgandum nobis dati sunt, velimus nolimus, implemus: sed væ nobis, si dies implentur, & purgatio minimè impletur: ut postea necesse sit illo nos igne repurgari, quo nihil pœnalius, nihil acrius, aut vehementius in hac vita excogitari potest. Heu quanta dierum incuria est, dierum scilicet, qui nobis ad purgationem concessi sunt! Quam pauci reperiuntur, qui tempori pretium ponant, qui cogitent apud se, quantum valeat dies una ad purgandam animam, ad comparandam æternitatem? Ut autem quis cognoscat, an sit perfectè purgatus, debet diligenter advertere, adeptus fuerit an non strenuitatem, severitatem, & benignitatem. Porrò strenuitas est quidam vigor animi omnem excutiens negligentiam, & disponens animam ad bona opera diligenter, & accuratè facienda. Severitas omnem restringit concupiscentiam, & ferventem reddit animam ad amorem asperitatis, & paupertatis. Benignitas est quidam dulcor animæ excludens omnem iracundiam, invidiam, & nequitiam, habilitans animam ad benevolentiam, tolerantiam, & internam lætitiam. Et hic est terminus viæ purgativæ, nam omnis conscientia munda læta est, atque tranquilla, & secura mens quasi juge convivium. Agnovit hanc animi purgationem vir Ethnicissimus, sed profundæ doctrinæ Plotinus *x*, at-



x *Guerric. serm. 6. de Purific.* u *Plotin lib. 2. ex cap. 5.*

que inter cætera purgationis indicia habet; Timorem expellet omninò, nulla enim de re metuet: motum verò subitum expellet, nisi quatenus admonitionis loco sit. Cupiditatem turpium procul dubio non habebit: esculentorum quoque, & poculorum ad remissionem doloris ipse animus non habebit: sin autem habuerit naturalium dumtaxat ut arbitror, ita tamen ut neque inconsultum hæc habeant impetum. Quod si habeant, quatenus cum phanthasia solum, hac quoque præfigurata. Omninò autem ipsa ab his omnibus erit pura, voletque etiam irrationale purum efficere, adeò ut ne commoveatur quidem, aut saltem quam minimè, commotionesque illius statim ipsa propinquitate sedari queant, perinde ac si quis sapienti propinquans ipsa propinquitate aliquid ab ipso percipiat, vel similis illi factus, vel reveritus, ut nihil audeat facere eorum, quæ bonus non ausit. Non ergò erit pugna. Hæc Plotinus. Utinam sordes abluat animæ meæ, qui solus potest facere mundum ex immundo conceptum semine, qui lavat omnia peccata nostra, & projicit in profundum maris omnes iniquitates nostras. Utinam illius aquæ cœlestis, quæ super cœlos est, participio lotus, totus cœlestis efficiar, quæ sursum sunt quærens, non quæ super terram. Quid mihi cum aquis inferioribus, ut desiderem aquam cœnosam fluviorum Ægypti, quæ nec abluere potest, nec sitientem animam refocillare? Congregentur in locum unum aquæ istæ, & appareat arida: appareat inquam facies terræ, facies cordis mei terreni à vitiis emundata, & ab aquis fœtentibus expurgata, & germinet herbam virentem, & omne lignum pomiferum juxta genus suum: nec enim arida remanere poterit, sed fœcundata imbre cœlesti florebit, germinabit, & fructum afferet in patientia.

## §. III.

*Quinque gradus proficientium: virtutes omnes acquirere, virtutum exemplar aliis esse, justitiæ vias docendo demonstrare, se humilem in omnibus exhibere, omnes irrisiones, & detractiones patienter ferre.*

1. MActe animi virtute fidelis ascensor, nec te ea quæ dicta sunt perturbent, ait Climacus *y*: nemo unquam repentè uno simul passu scalæ gradus omnes conscendere potuit. Jam à malo declinasti, jam spinosum incipientium iter cucurristi: nunc à vitiis purgata mens virtutibus ornari debet. Quid enim juvat, ut sapienter Chrysostomus *z* scribit, quod omnes spinæ sunt amputatæ, si non sint dejecta bona semina? Non sufficit recessus à malo, ut in bonorum simus possessione. Nam si spinis evulsis terra maneat otiosa, herbas rursum inutiles germinabit. Est hic igitur proficientium gradus primus, omnium virtutum acquisitio. Solæ faciunt virtutes beatum, inquit Macrobius *a*, nullaque alia quisquam via hoc nomen adipiscitur. Nempe ille beatus est: *b*

*Quem non ambigui fasces, non mobile vulgus,*
*Non leges, non castra tenent: qui pectore magno*
*Spemque, metumque domat vitio sublimior omni,*
*Exemptus fatis, indignantemque refellit*
*Fortunam, dubio quem non in turbine rerum*
*Deprendet suprema dies, sed abire paratum,*
*Ac plenum vita.*

Sola virtus, ut verbis utar Isidori Pelusiotæ *c*, præclaram, & nunquam intermorituram gloriam obtinet, ut quæ nec venustati cedat, nec oblivione conteratur, nec marcescat, verùm recentem semper, ac vegetam, & florentem dignitatem habeat: ac proinde prudentibus viris omnibus viribus enitendum est, ut eam adipiscantur. Nam ut sapienter scripsit quidam *d*, virtutis ignorantia mors animæ est. Nec te terreat difficultas ascensus, quandoquidem, ut ait Poëta *e*:

*Ardua virtutem profert via.*

Quid enim dicit Psalmus? *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in æternum qui habitat in Hierusalem.* Qui proficiendi desiderio infatigabiliter ad ulteriora sese extendere conatur, tametsi in principio asperum iter, pugnam laboriosam experiatur; quantò tamen amplius progreditur, tantò magis habilitatur ascensui: & quò magis decertat, eò firmior, & robustior evadit, donec virtutis illectus pulchritudine insuperabilis omninò sit, & coronæ propinquus. Ipsi montes, ad quos prius oculos levaveras, ipsi, inquam, in circuitu tuo malos homines elongabunt à te, ne fortè pravis eorum moribus, & exemplis in ruinam traharis. In hac spe singulariter constitutus perge securus, qui

*y Climac. gr. 25.*

*z Chrysost. hom. 16. ad Ephes.* a *Macrob. in somn. Scip. lib. 1. c. 8.* b *Statius lib. 2. Sylv. v. 357.* c *Isidor. Pel. l. 2. Epist. 286.* d *Æneas Gazæus in Theophrasto.* e *Silius Ital. l. 2. punic. v. 574.*

qui sancti desiderii primitias jam habere meruisti: memineris scriptum: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Porrò Regnum cælorum regnum virtutum est, quod cum adeptus fueris, requiescet super te in fine hujus Psalmi promissa pax, quam nec mundus dare, nec mundanus recipere potest, pax exuperans omnem sensum, omnia vota transcendens.

2. In excelso virtutis fastigio collocatus ad secundum pervenies gradum, ut proximo tuo teipsum exhibeas virtutum omnium perfectissimum exemplar. Nam, ut scribit elegantissimè Hildebertus *f* Turonensis Archiepiscopus, citra profectum proficit, quisquis alteri cum potest non prodest. Magis autem prosunt exempla, quàm mores, & ut docet Salvianus *g*; Procurator est quodammodo salutis humanæ, qui non tantum id agit, ut ipse bonus sit, sed efficere & hoc nititur, ut alii mali esse desistant. Auctor est bonorum sequentium, ait quidam *h*, qui relinquit exemplum. Et alius sapiens *i* nil sibi optatius esse asseverat, quam quod sit ad recta tendentibus propositus quasi exemplar. Laurentius Justinianus *k* rem istam sic eloquenter pertractat: Quantum excitent ad virtutum studia virtutum exempla eos, qui Deo placere volunt, atque virtutibus ornari peroptant, quisque sapiens sufficienter intelligit. Erigitur namque humana fragilitas, & opportunè corroboratur in opere exemplis majorum, atque quotidie animatur ad melius Patrum rememoratione virtutis. Stude igitur omni qua vales industria morum splendore nitescere, ut Dominicæ oves ex te quotidie ædificentur videntes in te lumen fidei, spei longanimitatem, ardorem charitatis, cordis innocentiam, justitiæ zelum, amorem fraternitatis, pudicitiæ constantiam, tolerantiam laborum, dilectionem inimicorum, patientiæ robur, studium humilitatis, vitæque omnimodam integritatem. Tunc laudabiliter poteris Psalmum istum decantare, quo conversa in libertatem captivitas Diaboli commemoratur. Tunc replebitur os tuum gaudio, & lingua exultatione. *Tunc dicent inter gentes, Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.*

3. Post virtutum exhibitionem sequitur tertio loco sapientiæ illuminatio, ut sis potens verbo rudes edocere, & rectas justitiæ vias cunctis hominibus bonæ voluntatis efficaciter demonstrare. Multò enim majus beneficium eis confers, si inscitia liberaveris animum, quam si corpus ægritudine, ut Socrates asserit apud Platonem *l*. Hinc Simandius, teste Diodoro *m*, suam Bibliothecam hac Epigraphe prænotaverat, *Animi medicamentum.* Debet autem Doctor perfectus similis esse Athenodoro Philosopho, cujus doctrinam Sallustius apud Suidam igni comparabat omnia adjacentia, & propinqua incendenti. Debet virtutibus ornatus esse, ut Magnus Basilius *n* luculenter ostendit, cujus universæ totius vitæ actiones testimonio sint charitatem in eo erga Deum inesse, qui divinarum literarum scientiam habeat, vir integer, nec ulli distractioni indulgens, ab avaritia abhorrens, minimè libenter gerendis se negotiis admiscens, quietus, amans Deum, cui denique nihil sit præstantius honore Dei. Debet doctrinam moribus confirmare: nihil enim, ait Elias Cretensis *o*, sermone firmius est, qui rebus confirmetur. Quod si eloquium tuum ignitum plures converterit ab errore viæ suæ, vide ne tibi surrepat inanis gloriæ pernicioſa præsumptio, sed omne bonum Divinæ tribuens dispensationi Psalmum sequentem recitare memineris, quia *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* Inanis gloria subtilissimum venenum est omne bonum inficiens. Inter homines quidem terrenis affectionibus alligatos absque inani gloriatione nihil eximium, nihil dignum memoria geritur, ut Ælius Aristides *p* subtilissimus, & suavissimus Orator multis exemplis ostendit. At Christianæ perfectionis cupidus nihil credens humanam industriam prævalere, quidquid boni facit, Deo adscribit, & psallit cum Propheta, quia *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Non tua, sed Domini hæreditas sunt filii, quos fortasse per Evangelium genuisti: atque sicut sagitta de manu potentis egressa magna celeritate currit, & percutit; ita filii excussorum Divina', non tua virtute ad destinatum sanctitatis scopum perducti sunt.

4. Hactenus quasi alter Helias non curru igneo, sed gradibus subvectus virtutum cælum mysticum conscendisti. Cavendum nunc est, ne carnis pondere depressus ad terrena labaris:



f *Hildebert. ep.* 1. g *Salvian. lib.* 7. h *Symmach. l.* 9. *Epist.* 25. i *Plinius l.* 6. *Ep.* 11. k *Justinian. lib. de regim. prælat. cap.* 13.

l *Plato in Hippia.* m *Diodor. lib.* 1. *antiq. cap.* 1. n *Basil. orat. de renunc.* o *Elias in ora.* 19. *Naz. nu.* 17. p *Aristid. or. de paraphthegmate tom.* 3.

quo altior es, eò gravior ruina erit, si cadas. Esto igitur quartus gradus tui profectus humilitas. Nam, ut Magnus docet Gregorius *q*, qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat. Bonus fundus humilitas, ait Bernardus *r*, in quo omne ædificium spirituale constructum crescit in templum sanctum in Domino. In humilitate summum bonum statuit Antisthenes referente Clemente Alexandrino *s*. Sed & Manuel Palæologus *t* Imperator Constantinopolitanus summi Princeps ingenii in laudes humilitatis effusissimus; Humilitas, inquit, accuratum præsidium est bonorum omnium, virtutumque terminus, & requies, & portus salutaris, & locus tutus. Humilitas Divinum quiddam, multisque celebratum laudibus, nulla non parte venusta, & incomparabili cum pulchritudine circumiens, omnes ad se pertrahit, & in amorem sui pellicit. Propterea Psalmus huic gradui correspondens beatos prædicat omnes, *qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus*. Quæ sunt viæ Domini, nisi viæ humilitatis? *Discite à me*, inquit *u*, *quia mitis sum, & humilis corde*. Reputa ergò te omnium infimum, & abjectissimum, ut illius sequaris vestigia, qui dixit *x*, *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis*. Beatus eris, si hæc feceris, & videbis bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Porrò humilitas in silentio conservatur, imò, ut dicit Philippus de Claravalle *y*, humilitas silentium parit. Humilitas, ait ille, virtutum Regina primogenitum filium suum silentium parit, in quo, & de quo cultus justitiæ pendet.

5. Tandem profectum tuum coronans quintus gradus est patientia, cujus vinci victoria est: si videlicet omnes detractiones, irrisiones, contemptus, contumelias, & persecutiones patienter, & mansuetè sustineas. Patientia est, inquit Cyprianus *z*, quæ nos Deo & commendat, & servat: ipsa est quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coërcet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet: tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in conjunctis & maritatis individuam charitatem: facit humilem in prosperis, in adversis fortes, contra injurias, & contumelias mites: docet delinquentibus citò ignoscere, si ipse delinquas, diu & multum rogare: tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones, & martyria consummat. Ipsa est, quæ incrementa spei sublimiter provehit: ipsa actum dirigit, ut tenere possimus viam Christi, dum per tolerantiam gradimur: ipsa efficit ut perseveremus filii Dei, dum patientiam Patris imitamur. Hæc eloquentissimus Cyprianus. Nihil autem utilius accidere potest homini, ut Abbas Lætiensis *a* sapienter docet, quam tribulatio sive sit externa, sive interna: & nullum certius signum Divinæ electionis habetur, quàm si quis afflictionem, vel quicquid adversi à Deo immittitur, humiliter patienterque sustineat. Optimè Lucifer Calaritanus *b*: Ad æternam vitam perfruendam nos perventuros scientes omnia gratanter perpetimur, damna corporis lucris animæ repensamus, coronam in vulneribus computamus, de tormentis, & doloribus illatis in Christo triumphamus. Inter ingruentes itaque adversitates, inter crebras afflictiones, sæculique molestias constanti fervore perseverans cantabis Domino, & dices: *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea, etenim non potuerunt mihi*. Cedent, cedent diabolicæ fraudis machinamenta: arescent, & confundentur impii, cum viderint perfidiam suam bonorum constantia superari. Forti animo esto, & agere, & pati fortia Christianum est. Præclarè quidam Ethnicus *c*: sic parati esse debemus, ut quicquid acciderit, nihil animo sit novum.

q *Greg. in Psal.* 3. *Pœnit.* r *Bern. lib.* 2. *de Consid.* s *Clem. Alex. l.* 2. *Strom.* t *Manuel Palæol. or.* 7. u *Matth.* 11: 29. x *Psalm.* 21. y *Philip. Clar. præf. in lib. mirac. sancti Bern.* z *Cyprian. de bono patientiæ.*

a *Lud. Blosius Instit. spirit. c.* 8. b *Lucifer. lib.* 6. *ad Constantium.* c *Ulpianus Rhetor in* 1. *Demosth. Olynthiacam.*

## METRUM XXXV.

*Seu tibi blando speciosa vultu*
*Fortuna sæpè rideat.*
*Sive te sævis agitet procellis,*
*Durisque curis implicet.*
*Discе fatalem superare sortem,*
*Omnemque casum vincere.*
*Nulla te sursum vehat aura, nullus*
*Te mœror infra deprimat.*
*Mitius diræ ferient sagittæ,*
*Si te paratum torqueant.*
*Justus, & mentis solidæ futurum*
*In pace bellum præparat.*

*Si*

*Si ruat mundus, pelagusque terræ*
*Undas furentes misceat.*
*Si polus flammis rapidis cremetur,*
*Si monstra sæviant stygis.*
*Spernet hic stultos populi tumultus,*
*Spernet fragores fulminum.*
*Et per angores pereuntis orbis,*
*Fragmenta calcans æthoris,*
*Transiet constans, timidosque lætus*
*Cernet cadentium metus.*

Ad hunc gradum qui pervenerit, cognoscet in hoc terminum sui profectus, quia patientia opus perfectum habet: illique debetur corona, qui legitimè decertans devotus Deo permanet inter flagella.

## §. IV.

*Quinque gradus perfectorum: Orationis studium, purissima intentio, in omne bonum magno impetu ferri, velle semper quod vult Deus, adhærere Deo, & unum fieri cum eo spiritum intimo charitatis affectu.*

1. EO potissimum spectat Prophetalis iste ascensus, ut paulatim altiora petens, indicia nobis tuæ perfectionis ostendas. A vitiis purgatus, virtutibus illustratus ut sis; hactenus tamen profeciisse non sufficit: quinque supersunt perfectorum gradus, quinque scilicet ornamenta, quibus animam amiciri par est, antequam Divino conspectui præsentetur, & unus cum Deo spiritus efficiatur. Primitus sese offert sedulum orationis studium, externas nimirum deserere occupationes, pauca cum hominibus, plura cum Deo miscere colloquia, quoniam in ipso sunt omnia. Oratio, inquit Elias Monachus *d*, clavis regni cœlorum est. Oratio nuda orantes tanquam panis confirmat: quæ cum aliqua contemplatione conjuncta est impinguat: quæ vacat specie, & simulacris vini odorati instar est, quo repleti insatiabiliter admirantur, & obstupescunt. Ibi remedium vulnerum, ait Bernardus *e*, ibi subsidia necessitatum, ibi resarcitus defectuum: ibi profectuum copiæ, ibi denique quicquid accipere, vel habere hominibus expedit, quicquid decet, quicquid oportet. In hoc gradu collocatus Propheta se pia in Psalmo humilitate prosternit, quia justus in principio orationis accusator est sui. Conscius conditionis humanæ clamat de profundis ad Dominum, quia tantò se celerius credit exaudiri, quò profundius humilitatis penetralibus sese abdiderit. Quia verò cognoscit se nullatenus culpas posse delerere, quin otioso sermone delinquat, vel superfluis excedat cogitationibus, aut inanibus actibus occupetur; ideò misericordiam Domini, & copiosam ejus redemptionem desiderat, quo purior valeat purissimi Regis conspectui præsentari.

2. Jam qui assiduè cum Deo versari in suavissima orationis quiete didicisti, ad alterum gradum properare debes, ut, quicquid boni cogitas, dicis, vel operaris, id totum sincerâ ac purissimâ intentione ad solam Dei gloriam dirigas, non tuum commodum quærens, non gloriam tuam appetens, non auram captans popularem, non propriam desiderans consolationem. Ita quod omnium actionum tuarum basis, amussis, & fundamentum sit Dei solius honor, & gloria. *Quid enim mihi est in cælo*, ait Propheta *f*, *aut à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Clarè de hoc Bernardus *g*: Puritas intentionis hæc est, ut simplex oculus totum corpus lucidum faciat, ut, quicquid feceris, propter Deum facias, & ad locum unde exeunt gratiæ revertantur, ut iterum fluant. Optimè etiam exclamat Richardus *h*. O quoties ipsam veritatem non pro veritate, sed pro vanitate quærimus: & inventam veritatem non in veritate, sed ad vanitatem diligimus, &, quod miserrimum est, in verbis vitæ ad mortis lucra negotiamur! Non sic fidelis servus, non sic, sed de bonis operibus nihil arrogans sibi, psallit Domino cum Propheta, *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Rectam enim intentionem comitatur humilitas, cujus prævaricator à Divinæ suavitatis gustu, sicut infans à maternis uberibus, excludetur.

3. Hoc posito bonorum operum solidissimo fundamento ad tertium gradum provehi necesse est. Hic autem præparandus est animus, non tam ut agas, quam ut patiaris. Opera spiritus ingenti fervore perficere, & in omne bonum magno impetu ferri tertius est gradus, quem non incongruè tertium cælum dixeris, ad quod raptus Apostolus audivit arcana verba, quæ

d *Elias in Florilegio.* e *Bern. serm. ult. sup. Cantica.*

f *Psalm. 72.* g *Bern. serm. 3. in vigil. Nativit.* h *Richard. Vict. de erud. hom. int. lib. 1. c. 3.*

quæ non licet homini loqui. Intelligentia namque humana, ut subtiliter docet Richardus Victorinus *i*, divinitus inspirata, & illo cœlesti lumine irradiata aliquando sublevatur supra propriam scientiam, aliquando etiam supra industriam, aliquando autem etiam supra naturam. Cœlestis enim desiderii ardor cum vehementer exæstuat, animam Divino amore fervidam per violentiam ardoris sublevat ad superiora. De tali anima rectè illud intelligimus, quod in Canticis scriptum est: *k Quæ est ista quæ progreditur quasi Aurora consurgens?* Quæ quidem aurora sequentium graduum incremento dilatabitur, donec in diem definat splendidissimam, in diem illam, quæ melior est in atriis Domini super millia. Vide autem num illi, qui ejusmodi est, possit consequens Psalmus convenire, *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Votum enim vovit se requiem non habiturum, donec inveniat locum Domino, dignumque Deo Jacob tabernaculum ædificet in seipso, in quo ipse Dominus, cum sanctificatio efflorebit, requiescet. Prolixior cæteris est Psalmi hujus modulatio, quæ mysticæ ascensionis concinit sacramenta, & fidelem ascensorem ad celsioris sanctitatis augmentum perducit.

4. Et quidem hucusque perveniisse magna delectatio mentis est, magnum gratiæ incrementum. Sed nunquid hic præmatura statione commorandum? Absit. Sed quid dicit Scriptura? *l Amice ascende superius.* In hoc ascensu mirantur sancti animæ tuæ anagogicum provectum, & dicunt: *m Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Inniti enim super dilectum, cum Dei voluntate in omnibus concordare, à Divino beneplacito in nulla penitus re dissentire, verbo ut dicam, velle semper quod vult Deus, sublimis Philosophia est, quam ad quartum gradum promoti totis debent viribus profiteri. Hanc sapientiam petimus, cum dicimus in oratione, Fiat voluntas tua. Hanc docuit Christus, cum oravit ad Patrem, *Non mea, sed voluntas tua fiat.* Hac omnes sancti Dei excelluerunt illud jugiter clamantes, *Domine, quid me vis facere?* In hac salus, & vita, pax, & gaudium sita sunt; fastigium, & culmen Christianæ perfectionis. De hac conformitate humanæ voluntatis cum Divina libellum edidit Hieremias Drexelius, quem nunquam satis laudare valeas. Ex hoc disces quicquid de hac re, vel veterum Patrum monumenta continent, vel sanctorum exprimunt exempla. Hanc sapientiam qui possederit, verè poterit Psalmi dulcedinem experiri, verè poterit sapienter psallere, *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum: quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in sæculum.*

## METRUM XXXVI.

*Hoc fixum est mihi Numinis verendas*
*Leges, ac nutus, jussaque sancta sequi.*
*Vultus nam gero pendulos ab illis,*
*Meta voluntati figitur ista bonæ.*
*Deprensa ut pelago levis carina,*
*Horrida præcipiti bella movente Noto,*
*Sidus Parrhasiæ requirit ursæ,*
*Tutior ut dubium naufraga radat iter,*
*Arctos sic mihi erit Dei voluntas,*
*Seque mea hoc semper sidere vita reget.*
*Seu languore velit, malaque febri,*
*Fractaque continuo membra dolore premi.*
*Seu me pauperie imperet gravatum*
*Libera servili subdere colla jugo.*
*Seu duro jubeat labore fungi,*
*Reddere & ingenua sordida pensa manu.*
*Nil sædum, nihil æstimabo durum,*
*Quamvis ille novis sæviat usque modis.*
*Quod si me jubeat lacus nefandis*
*Quos merui noxis sponte subire stygis;*
*Ah! mallem stygias Deo jubente*
*Pœnas, quam celsi splendida regna Poli.*
*Cœlorum proceres, cœlique regna,*
*Quid mihi vobiscum, si meus absit Amor?*
*Ut solem Clytie aspicit fugacem,*
*Pandiatur Eoo, claudatur occiduo.*
*Sic Sol est mihi Numinis voluntas,*
*Hac sine cuncta mihi nox tenebrosa forent.*

5. Ite nunc humanæ vitæ calamitates, ite brutalium affectuum perturbationes, nunc cedendum est triumphanti. Ad cœleste fastigium virtutum gradibus perventum est, ad finem, qui nullis limitibus terminatur, ad summum totius perfectionis cacumen. Stat Dominus innixus scalæ, ut animam amoris igne candentem sibi intimè uniat, & indissolubili charitatis nexu secum conglutinet. Teste enim Climaco *n* charitas est, quam in summitate scalæ vidit Jacob. In hac intima cum Deo unione postremi gradus ascensio consistit, cujus dignitas tanta

*i Rich. lib. 5. de contempl. c. 4.* *k Cant. 6. 9.* *l Luc. 14. 10.* *m Cant. 8. 5.*

*n Climac. gr. 30.*

tanta est, ut nec linguis hominum, nec Angelorum exprimi possit. Anima siquidem ad hunc statum evecta Divina claritate, quæ à Deo resultat, miro modo afficitur, & à Deo sibi intimè unito succensa se Dei genus esse demonstrat, sicut ferrum, dum candet, mirificè ignem repræsentat, & illius proprietatibus pollet. Ejus verò potentiæ in quandam vastissimam, ut ita dicam, Divinitatis solitudinem introducuntur, ubi voluntas Deum ineffabili sensu percipit, & intellectus amissa omni rerum distinctione, ac varietate, cunctasque imagines etiam nobilissimas transcendens Deum sapientissimè ignorans contemplatur: non enim illum clarè intuetur, ut in patria; sed excelso ignorationis genere, illa videlicet irrationali, & amente sapientia à S. Dionysio Areopagita *o* tantopere celebrata ipsum divinitus agnoscit. Gustaverat celsitudinis hujus suavitatem Richardus Victorinus *p*, qui loquens de hoc statu dicit: O alta quies, ô sublimis requies, ubi omne quod humanitus moveri solet motum omnem amittit: ubi omnis qui tunc est motus divinitus fit, & in Deum transit. O illos verè beatos, de quibus scriptum est, Ego dixi dii estis, non natura, sed gratia; non essentia, sed participatione, qui videlicet unum sunt cum Deo in infinita, & inexhausta charitatis ejus abysso. Hoc est illud unum, quod solum esse necessarium edocuit Christus: hæc est meta, hic finis, ad quem tendere debemus: hæc jucunditas, hæc requies, hæc beatitudo animæ nostræ. Omitto plura hujus unionis, eaque abdita, ac inexpertis incredibilia mysteria, mysticos scilicet contemplationis excessus, lucidissimum Divinæ caliginis lumen, arcani secessus admirabile silentium, quietissimæ suspensionis securam tranquillitatem, ebrietatis spiritualis insolitos effectus, purissimi amoris oscula, castissimos amplexus, placidum somnum, exstaticos raptus, amantis animæ languores, vulnera, mortem, & quam Theologi mystici explicant, quandam sui ipsius annihilationem, & totalem in Deum transformationem. Hæc secretioris sapientiæ sacramenta ignaris relata fidem amittunt, iisque dumtaxat perspecta sunt, qui in hujus quintidecimi gradus summitate tranquilla pace fruuntur. Ultimus autem Psalmus Gradualis ad hanc ultimam perfectionem invitat dicens, *Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini: in noctibus extollite manus vestras in sancta.* Mundi enim hujus durante caligine Dominum jugiter quærere, & laudare debemus nostrasque semper operationes illuc sedula attollere intentione, unde supernæ benedictionis plenam accipere mercedem mereamur. Hanc sublimem Psalmorum Gradualium intelligentiam, dum eos ex Ecclesiæ præscripto recitamus, solerti oportet consideratione perspicere, ut omni carnis imbecillitate submota de gradu in gradum usque ad ultimum culmen perveniamus, vires tribuente Deo, quem quærimus, ad quem tendimus, quem optamus, cui est honor, & virtus in perpetuas æternitates.

*o Dionys. libro de myst. Theologia.* *p Rich. de extrem. mali tr. 3. c. ult.*

## CAPUT XVI.

## De Singulis Partibus Divinæ Psalmodiæ.

EST hoc in more positum anatomicis dissectoribus, ut post exactam totius corporis, ejusque partium integrantium considerationem, alias etiam vel minimas particulas minutissimè dividant, & investigent. Hoc moris usurpandum mihi est in præsentiarum. Cum enim hactenus majores Officii Divini partes, horasque diurnas, atque nocturnas rudi, ac retuso ingenii mei gladiolo minuatim dissectas tuæ, Lector, consideratione exposuerim; jam res ipsa nos admonet, ut de minoribus particulis, quibus unumquodque officium componitur, accuratam quoque tractationem instituam. Sed in tanta rerum sylva, quæ velut agmine facto sese offert ad dicendum, unde ordiar, aut ubi desinam? Ut enim omnia velle prosequi nimis prolixum erit: ita vereor, ne quædam relinquere incuriæ, & errori adscribatur. Dicam igitur compendio, quæ magis convenientia videbuntur, & cum viam fecero lectoris industriæ, multa prætermittam. Ordinem servo, quem ipse horarum usus suggerit, paucis dumtaxat doctrinæ gratia immutatis. Sunt autem hæc capita, de quibus figillatim disserendum est. De Oratione Dominica, Angelica salutatione, & Symbolo Apostolorum: De horarum initio, de signo Crucis, de Gloria Patri, Alleluja, Invitatorio, Hymnis, Antiphonis, Psalmis, Canticis, Versibus, Lectionibus, Responsoriis, Capitulis, & Collectis: de Symbolo Athanasii, de Lectione Martyrologii; de Precibus, & suffragiis, atque de fine Officii.

## §. I

## De Oratione Dominica.

*Ostenditur ex Patribus dignitas, utilitas, & efficacia hujus orationis. Petitionum ordo, & congruentia ex D. Thoma. Quinam possint hanc orationem ritè, ac jure recitare. Quoties, & quo ritu in Divinis Officiis recitetur.*

1. NUlla Oratio Dominica dignior, nulla utilior, nulla efficacior. Nam, ut ait eloquentissimus Cyprianus *a*, Quæ potest magis spiritualis esse oratio, quam quæ à Christo nobis data est, à quo nobis & Spiritus S. missus est? Quæ vera magis apud Patrem precatio, quam quæ à Filio, qui est veritas, de ejus ore prolata est? Ut aliter orare quam docuit non ignorantia sola sit, sed & culpa, quando ipse posuerit, & dixerit: *Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis.* Oremus itaque sicut magister Deus docuit. Amica, & familiaris oratio est Deum de suo rogare, ad aures ejus ascendere Christi orationem. Agnoscat Pater Filii sui verba cum precem facimus. Qui habitat intus in pectore, ipse sit & in voce. Et cum ipsum habeamus apud Patrem advocatum pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris petimus, advocati nostri verba ponamus. Nam cum dicat, quia quodcunque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis: quanto efficacius impetramus quod petimus, si petamus ipsius orationè? Hactenus Cyprianus, & ante ipsum Tertullianus *b*: Deus solus, ait, docere potuit, ut se vellet orari. Præstat igitur cæteris hæc oratio ob summam auctoris eminentiam, & dignitatem. Oquàm fidelis, inquit S. Chromatius, *c* & beata nobis hæc oratio est, cujus ordinem nobis doctor vitæ, ac magister cœlestis instituit! Quam beati etiam nos esse possumus, si hæc orationis Dominicæ verba non tantùm officio oris, sed fidelissimo conversationis actu servemus! Præstat etiam gratissima brevitatis simplicitate, ratione cujus facilius discitur, melius retinetur, frequentius iteratur, minus fastidit orantem, ut Doctor irrefragabilis *d* sapienter advertit. Docuit autem nos Christus breviter orare, teste Chrysologo *e*, qui citò vult postulata præstare. Perfectione item antecellit, atque fœcunditate, quia, ut notat Augustinus *f*, compendiosis verbis omnes species orationis comprehendit, quibus Deum interpellamus, aut pro appetendis bonis, aut pro vitandis malis, aut pro delendis commissis: Addit Tertullianus *g* quod quantum substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus. Neque enim propria tantum orationis officia complexa est, venerationem Dei, aut hominis petitionem; sed omnem pene sermonem Domini, omnem commemorationem disciplinæ, ut revera in hac oratione Breviarium totius Evangelii comprehendatur. Præstat demum utilitate, & efficacia. Spem habemus, inquit Augustinus *h* obtinendæ causæ nostræ, quando talis Jurisperitus nobis preces dictavit. Hac oratione levia, & quotidiana peccata deleri docet post Augustinum Divus *i* Cæsarius Arelatensis, si compuncto corde, & animo contrito recitetur. Hanc memoriter sciri, & quotidie frequentari à fidelibus præcipiunt sacri Canones *. Rursum sententia Augustini *k* est, Quamlibet alia verba dicamus, nihil aliud dici, quam quod in ista Oratione positum est, si rectè, & congruenter oramus. Ideò Thomas Aquinas *l* magna mens Theologorum hanc magni Doctoris sequutus sententiam septem petitionibus dictæ orationis omnia necessaria contineri hac ratione demonstrat.

2. Certum est, orationem desiderii nostri apud Deum fidissimam interpretem esse. Omne autem desiderium primò in finem, tum in ea quæ sunt ad finem tendere solet. Finis noster Deus est, quem præcipuo affectu diligimus in seipso, ideòque petimus gloriam ejus, cùm dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*, ut ab omnibus videlicet cognoscatur, timeatur, ametur, colatur, & laudetur. Deinde nosipsos diligimus in Deo ejus gloria perfrui cupientes, propterea subjungimus, *Adveniat regnum tuum.* Ad hunc ultimum finem dupliciter ordinamur, per se, & per accidens. Et per se quidem ad meritum beatitudinis principaliter facit obedientia legis, instrumentaliter verò panis spiritualis, & corporalis.

Quo

a *Cypr. ser. de Orat Dominica.* b *Tertull. l. de orat.* c *Chrom. conc. 2. in Matth.* d *Alex. Alensis* 4. *par. q.* 10. *tract.* 2. §. 4.

e *Chrys. serm.* 67 f *August. ser.* 182 *de temp.* g *Tertull. de orat.* h *August. Hom.* 42. *inter.* 50. *Id. lib.* 31. *de civit. Dei c.* 27. *Et Euch. ad Laur. cap.* 71. i *Cæsar. Hom.* 1. *Clem. Rom. Const. Apost. lib.* 7. *c.* 25. * *Sexta synod. Constantinop. can.* 7. k *Aug. epist.* 121. *ad Probam.* l *D. Thom.* 2. 2. *q.* 83. *art.* 9.

Quo ad primum oramus, ut fiat voluntas Dei *Sicut in cœlo, & in terra:* ut eadem promptitudine, qua Angeli, & Sancti in cœlo, ita nos in terris Domino serviamus. Quoad secundum, *Panem nostrum quotidianum*, omnia scilicet subsidia ad vitam tam animæ quàm corporis tuendam necessaria, *hodie*, id est toto tempore peregrinationis nostræ flagitamus. Media autem per accidens remotiones malorum sunt. Peccatum omnium malorum maximum est, à quo liberari ante omnia petimus dicentes, *Dimitte nobis debita nostra.* Sunt & tentationes variæ, quæ nos impediunt, ne Dei præcepta servemus; rogamus igitur, ne Deus permittat ab illis nos superari: sed ita nobis semper assistat, ne unquam succumbamus. Sunt tandem mala præsentia vitæ hujus amaritudines amarissimæ, quæ nos vexant, & ad peccatum inducunt, impediuntque majus bonum, majoremque scilicet cum Deo unionem: atque hæc incommoda, & detrimenta in postrema petitione deprecamur.

## METRUM XXXVII.

*FAllor? an excelso nemorosi è vertice montis*
*Me Deus ipse vocat?*
*Orantes, inquit, penetralia claudite cordis,*
*Sit procul omne nefas.*
*Nam Pater è clara nitidi caligine cœli*
*Abdita cuncta videt.*
*Sit modus hic precibus, longo sermone loquaces*
*Non amat ille viros.*
*Summe parens hominum, solio qui celsus olympi*
*Conteris astra pede.*
*Sit tibi laus, nomenque tuum venerabile pronus*
*Orbis ubique colat.*
*Magna triumphantis veniant citò regna cohortis*
*Imperiumque poli.*
*Angelicis sociata choris gens jura sequatur,*
*Quæ tibi cumque placent.*
*Da nobis hodie panem, da pabula gentes*
*Ne premat atra fames.*
*Fratribus offensas ut nos dimittimus, & tu*
*Omne remitte scelus.*
*Hostis tartarei victos succumbere iniquis*
*Ne patiare dolis.*
*Sed cunctis relevet præsentibus, atque futuris*
*Nos tua dextra malis.*

3. Hanc Orationem, Isidorus Pelusiota [m] ad Eutonium Diaconum scribit, illi soli ritè, ac jure recitare poterunt Deum Patrem appellantes, qui filiorum germanam indolem ostendunt. Illi poterunt dicere, *Sanctificetur nomen tuum*, qui nihil scelerati committunt. Illi & hoc, *Adveniat regnum tuum*, qui ea fugiunt, quæ Tyranno voluptatem pariunt. Illi & hoc, *Fiat voluntas tua*, qui ipsis factis huic se operam dare declarant. Illi etiam, *Panem quotidianum da nobis hodie*, qui luxui, ac deliciis nuntium remiserunt. Illi & hoc, *Dimitte nobis debita nostra*, qui veniam iis tribuunt, qui in ipsos deliquerunt. Illi & hoc, *Ne nos inducas in tentationem*, qui neque semetipsos, neque alios in eadem conjiciunt. Illi & hoc, *Libera nos à malo*, qui cum Sathana perpetuum, & irreconciliabile gerunt bellum. Illi denique verè dicere poterunt, *Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria*, qui ad ipsius verba contremiscunt, eaque re, & opere ostendunt. Non enim tantum efficere valet ipsa hujus precationis notitia, quantum mores, & vita precantis. Hæc & alia multa scitu dignissima Isidorus. O verè celestis Oratio, exclamat Augustinus [n] quæ tota est Oratio. Nam si singula verba, prout sunt, latius tractare voluerimus, dies antequam sermo deficiet. De Orationis hujus sacramento necessitate nos commentandi Cyprianus [o] vir sanctæ memoriæ liberavit, ut scribit Hilarius Pictaviensis. Sed & alii Patres, ac scriptores gravissimi eandem explicarunt, nimirum Tertullianus *libro de Oratione*, Gregorius Nyssenus *Orationibus quinque de eadem*, Cyrillus Hierosolymitanus *catechesi quinta*, Chromatius Episcopus Aquileiensis *concione secunda in Matthæum*, Augustinus, *lib. 2. de Sermone Domini in monte, libro item 2. de dono perseverantiæ*, & *in quibusdam sermonibus de tempore*, Ambros. *lib. 5. & 6. de Sacramentis*, Hieronymus *lib. 3. Dialogorum adversus Pelagianos.* Chrysost. *tom. 5. hom. de eadem*, Cassianus *collat. 9. quæ est prima Abbatis Isaac*, Chrysologus *ser. 67. & seq.* Bernardus *serm. 6. in Quadragesimam*, Stephanus Eduensis *lib. de Sacramento altaris*, Bonaventura *initio tomi 2.* Henricus Harphius *lib. 1. mysticæ Theologiæ cap. 34.* Interpretes Evangeliorum *ad cap. 6. Matthæi, & 11. Lucæ.* De eadem tractatum scripsit Ægidius Romanus. Sedulius *lib. 2. carminum Paschalium*, hanc ipsam versu heroico explicavit. Ejusdem Paraphrasis anagogica habetur in mystica Theologia Henrici de Palma inter opera D. Bonaventuræ diffusè, devotè, & eleganter. Tandem, ut alios innumeros prætermittam,



m *Isid. Pel. l. 4. ep. 24.*

n *Aug. Ser. 126. de temp.* o *Hilar. can. 5. in Matth.*

mittam, eam sublimiter, ac mysticè *tomo primo operum* explicavit Baptista Vernacia sanctimonialis magni spiritus, ac profundæ doctrinæ Ordinis Canonicorum Regularium.

4. His præmissis de præstantia, & necessitate sacræ hujus Orationis, jam videndum est, cur toties in publicis Ecclesiæ precibus repetatur. Mos Apostolorum fuit, teste magno Gregorio *p*, ad ipsam solam oblationis hostiam consecrare: de qua re elegantissimè disserit proferens nova & vetera Theoph. Raynaudus lib. de prima Missa sec. 2. c. 4. Idem asserit Hieronymus his verbis *q*. Docuit Christus Apostolos suos, ut quotidie in corporis illius sacrificio audeant dicere: *Pater noster qui es in cœlis.* In Officio autem Divino tribus modis repeti solet, in principio, in medio, & in fine: idque submissa omnino, & secreta voce; vel alta prorsus, & clara; vel partim tacita, partim elata. Et aptè quidem ab hac Oratione initium sumitur Officiorum, ut abactis ejus virtute muscis morientibus mens tranquillior facta ad pangendas Dei laudes præparetur, & devotionis suavitatem admittat. Aptè in medio usurpatur, quia totius Psalmodiæ brevem continet anacephalæosim. Aptè item in fine, ne ille hostis antiquus semen bonum Verbi divini, quod in Officii recitatione seminatum est, rapiat de corde nostro, & conceptum à facie Domini spiritum ardoris fumosis concupiscentiæ flammis extinguat. Quandoque verò submissa dicitur voce, ut interna cordis humilitas erga eum significetur, qui solus scrutator est cordium; simulque intelligamus non in clamore vocis, sed in puritate cordis, & compunctione lacrymarum nos exaudiri. Quandoque tacita, & in fine clara voce pronunciatur, idque propterea fit, ut palam ab omnibus communi consensu confirmetur, quod unusquisque oravit sub silentio. Orant singuli pro omnibus, orant omnes pro singulis, ut fiat quod scriptum est: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* In Laudibus autem, & Vesperis ritu monastico clara semper voce dicitur à Prælato, sive à Sacerdote, quem ritum sequitur Romana Ecclesia in Adventu, & Quadragesima: tum quia omnibus modis laudanda Dei bonitas est; tum quia publica est, & communis omnium postulatio; tum quia unitatis, & pacis hoc solemni recitatione admonemur, quam cum omnibus habere debemus, si cupimus exaudiri. Sententia Domini est *r*: *Cùm stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra.* Hinc sapienter Monachorum magister *s*; Planè, inquit, agenda matutina, vel vespertina non transeat aliquando, nisi in ultimo ordine Oratio Dominica omnibus audientibus dicatur à Priore propter scandalorum spinas, quæ oriri solent, ut conventi per ipsius Orationis sponsionem, qua dicunt: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, purgent se ab hujusmodi vitio. Cæteris verò agendis ultima pars ejus orationis dicatur, ut ab omnibus respondeatur, *Sed libera nos à malo.* Noverat prudentissimus pater, vix fieri posse, quin aliquando in agro dominico superseminaret zizania inimicus homo, ideò reconciliari dissidentium fratrum animos voluit initio, & fine diei per solemnem jam dictæ orationis recitationem, satis existimans fieri fraternæ charitati, si juxta præceptum Apostoli *t* Sol non occidat super iracundiam nostram. Rectè Athanasius *u*; Non retinebis offensam alicujus in corde tuo, alioquin precatio tua non purè ascendit: *Homo homini reservat iram*, clamat mirabundus sapiens *x*, *& à Deo quærit medelam.* Cæterùm de dicenda hac oratione in fine horarum extat canon ex Concilio Gerundensi *y*. De eadem verò singulis horis prætermittenda nihil memini me legisse apud Patres antiquiores. Sanè Benedictus nec principii, nec finis mentionem facit, inter precum dumtaxat solemnia modo suprascripto recitari decernens. Finio, si prius monuero, quod Mimatensis Episcopus *z* docet in Rationali, hanc orationem esse sal, & condimentum in omni sacrificio nostro juxta legis antiquæ sanctionem aspergendum. Non tamen damnari debent aliæ orationes ab Ecclesia approbatæ, & ab orthodoxis viris compositæ, de qua re plura non contemnenda scribit Abulensis *a*. Cautè igitur legendus, & piè explicandus est sanctus Edmundus *b* ex Monacho Cistercienſi Cantuariensis Archiepiscopus, qui in speculo Ecclesiæ ad suos Pontiniacenses orationes à sanctis viris compositas reprehendere videtur: non enim eas simpliciter damnat sed

p *Greg. l. 7. Indic. 2. epist. 64.* q *Hier. l. 3. Dial. adv. Pelagian.*

r *Marc. 11: 15.* s *Bened. reg. c. 13.* t *Ephes. 4: 26.* u *Athan. l. de virginit.* x *Eccl. 38: 3.* y *De consec. d. 5. Id. semper.* z *Durand. l. 5. c. 5.* a *Abul. in cap. 6. Matth. qu. 99.* b *Edmun. spec. c. 17.*

sed formam orandi à Christo Domino propositam cæteris omnibus præferendam ostendit, quod nullus rectæ fidei inficiatur. Hoc sensu R. Moyses c Ægyptius vir doctus valdè inter suos in libro, quem directorem dubitantium, seu perplexorum inscripsit, stultos eos vocat, qui multiplicant, & prolongant Orationes, quas ipsi composuerunt, ut per eas appropinquent Creatori secundùm suam æstimationem, & conculcant, inquit, Creatorem in linguis suis, quia nimirum inconvenientes orandi formulas componunt. Omnes autem Orationes præter Dominicam vaniloquium esse hæresis fuit cujusdam Basilii, quem Alexius Commenus orthodoxus Imperator ignibus damnavit, ut testatur Euthymius *d*. Sunt & Hæretici Masaliani, sive Bogomili, qui cæteras Orationes rejiciunt, & battologiam vocant, ut Constantinus Harmenopolus *e* scribit. Et quidem quoad sensum nihil aliud peti potest, quàm quod in Oratione Dominica continetur; quod autem pertinet ad formam verborum, multæ aliæ sunt Orationes utiles, & efficaces, quas sancti & orthodoxi viri composuerunt.

c *R. Moyses lib. 1. cap. 58.* d *Enthymius in Panoplia.* e *Harmen. de sectis num. 10.*

## § II.

## De Angelica Salutatione.

*Ejus dignitas, & excellentia demonstratur. Quando & à quibus fuerit instituta. Cur in Divinis officiis recitetur.*

1. QUoties sese offert occasio de laudibus intemeratæ Virginis Deiparæ differendi, vellem profectò, ut melle purior meus diffluereret sermo, cunctaque corporis mei membra verterentur in linguas, quibus si non pro meritis ipsius (quis enim hoc possit illo excepto, cujus potestas non habet finem!) at saltem pro meo affectu clementissimæ Reginæ prærogativas æternum duraturis præconiis celebrare. Sed quoniam peccatorum pondere pressus, rerumque labentium amore coinquinatus sublimioris sapientiæ illapsu indignissimus sum, jure cogor præfari veniam, & linguam fari gestientem justi silentii repagulis cohibere. Dicent alii quibus serenior illuxit cœlestis gratiæ radius, dicent uberius illibatæ Virginis encomia, & Angelicæ salutationis excellentiam copiosius explicabunt. Ego autem tenuitatis meæ conscius quæ ad meum faciunt institutum paucis expediam. Constat hæc salutatio duabus partibus, laude, & petitione. Prima pars ex Scriptura sumpta est, duosque habet auctores Angelum, & Elizabeth. Ab Angelo tanquam à primario auctore Angelicam nomenclaturam sortita est. Verba ejus hæc sunt: *f Ave gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus.* Ad hanc salutationem conceptissimis verbis componendam totius Trinitatis dignatio intervenit. Patris nimirum mittentis auctoritas, divini Verbi carnem humanam susceperi sapientia, & sancti Spiritus Virginem obumbrantis operatio. Decuit sanè novam gratiam novi partus novâ salutatione annuntiari: nullam quippe similem in toto veteri instrumento reperies. Decuit novæ gratiæ inchoationem novis præconiis Evangelizari. In virginem adhuc Evam, inquit Septimius Tertullianus *g*, irrepserat verbum ædificatorium mortis: in virginem æquè introducendum erat Dei verbum exstructorium vitæ, ut, quod per hujusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli, quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit. Similis est Irenæi sententia, quam refert Augustinus *h*; Quemadmodum astrictum est morti genus humanum per virginem, solvatur per virginem æquâ lance dispositâ virginali inobedientiâ per virginalem obedientiam. Hæc autem verba: *Benedicta tu in mulieribus*, & ab Angelo, & ab Elizabeth dicta fuerunt, ut idem verborum consensus spiritum veritatis eorum auctorem indicaret. Addidit Elizabeth sola; *Et benedictus fructus ventris tui*: Nam ab arbore benedicta non nisi fructus benedictus procedere potuit. Imò, ut Bernardus ait *i*, non quia tu benedicta, ideò benedictus fructus ventris tui; Sed quia ille te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideò tu benedicta. Verè etenim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ sunt omnes gentes: de cujus plenitudine tu quoque accepisti cum cæteris, etsi differentius à cæteris. Ac propterea quidem benedicta tu, sed in mulieribus: ille verò benedictus non in hominibus, non inter Angelos, *sed qui est*, ut ait Apostolus *k*, *super omnia benedictus*



f *Luc. 1.* g *Tertull. de carne Christi c. 17.* h *August. l. 1. contra Jul. Pelag.* i *Bern. Hom. 3. sup. Missus est.* k *Rom. 9: 5.*

*Deus in sæcula.* Huic primæ parti duo verba addita sunt ab Ecclesia, pretiosissima scilicet nomina *JESU & MARIÆ.* Angelus enim cùm Mariæ præsenti loqueretur, nomen ejus tacuit, quamvis postea trepidantem, & dubiam confirmaturus familiariter compellârit ex nomine dicens; Ne timeas Maria. Elizabeth etiam nomen *JESUS* proferre non potuit, quod licet ab Angelo pronunciatum, nondum tamen impositum erat. At Ecclesia utrumque nomen & Matris, & Filii meritò expressit, ut dulcissimo matris nomine prolato ad reverentiam, & devotionem excitemur, nomine verò Filii ejusdem matris erga nos benevolentiam conciliemus.

2. Posterior pars his verbis exprimitur: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ.* Hoc additamentum accepisse creditur magno totius Ecclesiæ gaudio Angelica salutatio in magno Synodo Ephesina, quando beatissima Virgo verè Mater Dei, verè Θεοτόκος summo Patrum consensu proclamata, & Nestorius portentosæ blasphemiæ auctor exauctoratus, & damnatus fuit. Hanc salutationem à delirantium Novatorum calumniis vindicat multiplicis doctrinæ vir, & exquisitissimus Doctor Petrus Canisius *l.* Eandem ad Horas Canonicas simul cum oratione Dominica in principio adhiberi usus est non admodum antiquus. Jure communi nunquam statutum fuisse eam dici Martinus Navarrus *m* diligentissimus Canonum indagator affirmat. Ante Breviarium jussu Pii V. Pontificis Optimi Maximi reformatum in solo Breviario Cardinalis S. Crucis legebatur. An quia olim dicebantur horæ Canonicæ de B. Virgine, quæ, cum hodie, saltem extra chorum, omittantur, statutum fuit, ut hac brevi oratione Virginis auxilium singulis horis imploremus. In hac enim labentis sæculi discriminosa peregrinatione continuâ Deiparæ protectione indigemus. Quid autem gratius offerre ei possumus hâc salutatione, à qua præcelsa ejus dignitas initium duxit: quæ & salutis nostræ, & totius Evangelii auspicatissimum principium fuit? Nam tunc descendit pluvia in vellus, tunc rorârunt cœli desuper, & montes stillârunt dulcedinem, tunc aperta est terra, ut germinaret Salvatorem.

l *Canis. l. 3. & 5. de Virg. Deip.* m *Navar. de orat. cap. 19. n. 62.*

## §. III.

## De Symbolo Apostolorum.

*Quando, & à quibus fuerit institutum. Quadam de symboli nomine. Laudes symboli ex Patribus. Quoties, & quo ritu dicatur. Cur hoc symbolum Romanum nuncupetur.*

1. POst gloriosam Christi Ascensionem, cum sacerdotum numerus compleretur, Spiritus sanctus largiori munere in Apostolos supervenit, eorumque corda tanto replevit incendio, ut statim per vicos, & plateas Christi gloriam, & divinitatem prædicantes crediti sint ab insana plebe vini fervore æstuare. Et reverà ebrii erant, non vino, quod apostatare facit sapientes; sed eo quod germinat virgines: eo vino quod lætificat cor, non statum mentis evertit: vino inquam novo, quod vitis mystica fuderat de excelso: vino novo quod utres veteres nec mererentur accipere, nec continere valerent. Tunc cœli distillaverunt à facie Dei Sinaî, à facie Dei Israël, & pluvia voluntaria segregata est hæreditati Christi. Tunc variæ linguæ ab uno ore ingenti prodigio auditæ sunt, nam ut canit Rusticus Helpidius: *n*

*Consona diversas fundit narratio linguas,*
*Barbara quæque suam cognoscit natio vocem,*
*Quam sacer humano profatur spiritus ore.*

Apostoli autem repleti Spiritu sancto Evangelii gratiam in omnem terram diffundere constituerunt, ut omnes gentes, quæ sub cœlo sunt, à via perditionis in semitam æternæ vitæ revocarentur. Ipso itaque omnium artifice agente spiritu, qui omnem habet virtutem, omnia prospicit, priusquam ab invicem in varias orbis partes separarentur, communem quandam, & uniformem fidei regulam stabilire curârunt: quâ tanquàm tesserâ falsi Christi discipuli à veris discernerentur. In unum igitur conferentes, quod quisque dictante Deo sentiebat, symbolum composuerunt, quod ab auctoribus vocamus Apostolorum. Sancti enim Apostoli, ait Clemens Romanus *o*, inter se symbolum fidei condide-

n *Helpid. in hist. vet. & novi Testamenti.* o *Clem. Epist. 1. ad S. Jacob.*

diderunt. De hoc Tertullianus *p*; Fidei, inquit, regula una omninò est, sola, immobilis, & irreformabilis; &, Hanc Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit. Et hæc quidem Apostolici symboli origo, & institutio est. Quæ autem sententiæ à singulis Apostolis compositæ sint, inveniet curiosus lector in Annalibus Ecclesiasticis *q*. Cur verò regulæ fidei symboli nomen impositum sit, id paucis exequendum est.

2. Σύμβολον à συμβάλλω derivatur, cujus verbi multiplex est significatio. Significat enim *confero, contribuo, adjuvo, comparo, utendum do, pactum ineo, stipulor.* A Cicerone nota, vel signum vocatur id, quod Græcis est σύμβολον: cumque vox nota, vel signum de variis rebus dicatur, ita & symbolum. Seligam in hanc rem è Grammaticorum dumetis aliquot flosculos. Significat aliquando symbolum, vel symbolus, vel etiam symbola collationem, id scilicet quod in cœnam parandam plures conferunt. S. Dorotheus *r* commemorans quanto ardore dum puer esset studiis litterarum incumberet, nunquam se ab amicis adduci potuisse ait in symbolum lectionis tempore. Terentius *s* symbolum dedit, cœnavit. Et Plautus *t* Symbolarum collatores quærendos dicit apud forum piscarium. Idem *u*, Symbolam dabo, & jubebo ad Sagarinum cœnam coqui. Simile habetur in sacris litteris: *x Noli esse in conviviis potatorum: nec in commessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur.* Hegesander apud Athenæum *y* symbolam ab Argivis nuncupatam ait eam pecuniam, quæ à potantibus conferretur in sumptum convivii. Eodem sensu Phrynicus Tragicus apud eumdem; Suave est, inquit, cibum parare absque symbola, id est sine sumptu. Et Chrysippus ibidem *z* recusandam ait asymbolam compotationem. Accipitur etiam symbolum pro signo bellico, sive pro tessera, quâ socii ab hostibus, & exploratoribus dignoscuntur. Itemque pro insigniis, & vexillis militaribus, ac pro stemmatibus familiarum. De qua re legendi sunt Fl. Vegetius *a* de re militari. Justus Lipsius *b* in Dialogis de militia Romana, Claudius Minoës in syntagmate de symbolorum, & stemmatum ratione, Gabriel Palæotus *c* in opere de sacris, & profanis imaginibus, & Joannes Antonius Valtrinus *d* de re militari Romanorum. Solet quoque accipi pro quolibet signo, de quo inter aliquos convenit. Plautus: *e*

*Ea causa miles hic reliquit symbolum,*
*Expressam in cera ex annulo suam imaginem,*
*Ut qui huc afferret ejus similem symbolum,*
*Cum eo simul me mitteret.*

Joannes Tzetzes in Chiliadibus. *f*

*Quod autem consilio factum est, & magis in bellis,*
*Velut cum extollentibus galeam in hasta,*
*Cum hostibus commixtio, & si quid tale,*
*Symbolum omne voca mihi, dictumque Judæ*
*Quem osculabor apprehendite. Ipse est ille.*

Symbola rursum dicuntur notæ arcani cujuspiam mysterii significativæ, ut cum dicimus ciconiam esse symbolum pietatis, leonem fortitudinis. Quo sensu Nicephorus *g* Patriarcha Constantinopolitanus libro de Cherubinis à Moyse factis dixit; Symbola ea sunt, quæ dissimiliter per ænigmata nos ad ea revocant, quorum sunt symbola. Eodem sensu nos hunc tractatum symbolicum inscripsimus, quia per ea, quæ in divinis Officiis exteriora sunt, ad interiora & spiritualia assurgimus. Theologia item symbolica sub eadem significatione à magno Dionysio Areopagita tum in libro de hoc argumento, qui temporum injuria interiit, tum in aliis passim quæ extant operibus doctissimè explicatur, quam item tradiderunt alii viri sapientissimi, nimirum Joannes sapiens Cyparissiotus in expositione elementaria eorum, quæ de Deo dicuntur: Clemens Alexandrinus libro quinto stromatum, Eucherius Lugdunensis in libro formularum spiritualis intelligentiæ; Sanctus Pagninus in Isagoge ad mysticos scripturæ sensus, Nicolaus Caussinus in Polyhistore symbolico, Joannes Goropius Becanus, Antonius Ricciardus Brixianus, & alii quos refert Maximilianus Sandæus *h* in sua symbolica Theologia. Sunt item symbola breves quædam sententiæ quidpiam reconditum significantes, quæ à Græcis allegoremata appellantur: cujus generis sunt symbola Pythagorica, de quibus Jamblicus *i* in vita Pythagoræ, & Cy-

p *Tertul. de vel. Virg. c.* 1. *& de præscript. c.* 21. *&* 37. q *Baron. an.* 44. *n* 15. *& seq.* r *Doroth. doct.* 10. s *Terent. in Andr. act.* 1. *sc.* 1. t *Plaut. Curcul. act.* 4. *sc.* 1. u *Idem in Sticho. act.* 3. *s.* 1. x *Prov.* 23. 20. y *Athen. in l.* 8. *in fin. idem l.* 6. *c.* 3. z *Idem l.* 1. *c.* 7. a *Veget. l.* 3. *c.* 5. b *Lipsius lib.* 4. *dial.* 5. *&* 12.

c *Palæotus lib.* 2. *cap.* 45. *& seqq.* d *Valtrin. l.* 3. *c.* 9. e *Plaut. in Pseud. act.* 1. *sc.* 1. f *Tzet. chil.* 7. *v.* 910. g *Nicephor. c.* 1. h *Sandæus l.* 6. *com.* 5. i *Jamblic. in l.* 1. *c.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& Cyrillus Alexandrinus *k* adversus Julianum. Pausanias in Arcadicis aquam è fontibus non utique magnis, sed numero pluribus ortam symbolam vocat, quod in unum confluat locum. Est tandem symbolum apud Aristotelem etymologia vocabulorum, apud Julium Pollucem parvum numisma, sive tessera nummaria; apud Budæum literæ collybisticæ ad pecuniæ permutationem, apud Suidam augurium, omen, vaticinium, pactum, mensura, sigillum, indicium. Sunt & aliæ minutiores, ac impropriæ significationes, quibus prætermissis notandum est Catholicæ fidei confessionem duplici sensu Apostolorum Symbolum nuncupari, tum quia singuli eorum aliquid in unum contulerunt, ut explicat Augustinus *l*: tum quia illâ veluti tesserâ fideles ab infidelibus discernuntur. Ita Maximus Taurinensis initio Homiliæ in traditione symboli: Beati Apostoli mysterium symboli tradiderunt, ut, quia sub uno Christi nomine credentium erat futura diversitas, signaculum symboli inter fideles, perfidosque secerneret, & alienus à fide, atque hostis appareret Ecclesiæ. Lucas Tudensis *m* ad hanc rem, Symbolum, ait, indicium est, quia indicat cui credere debeamus.

3. Porrò sancti Patres præclaris laudum encomiis ipsum symbolum commendant. Augustinus *n* omnibus hâc parte anteponendus; Symbolum, inquit, est breviter complexa regula fidei, ut mentem instruat, nec oneret memoriam: paucis verbis dicatur, unde multum acquiratur. Doctrina symboli virtus est sacramenti, illuminatio animæ, plenitudo credentium: breve est verbis, sed magnum sacramentis totum continens compendio brevitatis. Ex ista fidei confessione, quæ breviter symbolo continetur, & carnaliter cogitata lac est parvulorum, spiritualiter autem considerata cibus est fortium, nascitur spes bona fidelium, cui charitas sancta comitatur. Chrysologus *o* quovis nectare suavior: Hoc spei pactum, hoc salutis placitum, hoc vitæ symbolum, hanc fidei cautionem mens teneat, conservet memoria: ne Divinitatis pretiosum munus depretiet charta vilis, ne mysterium lucis atrum tenebret atramentum, ne secretum Dei habeat indignus, & profanus auditor. Cyrillus Alexandrinus *p* Attici leporis absolutum exemplar: Sufficit nobis divina Scriptura, & sanctorum Patrum sobrietas, & symbolum illud fidei, quod ad omnia rectè habenda ritè concinnatum est. Etherius *q* Episcopus Uxamensis: Quicquid foras symbolum est, hæreticorum verba sunt. Optatus Milevitanus *r*: symbolum sigillum est Catholicæ fidei. Paschasius Cardinalis *s*: Apostolica solicitudo fidem Catholicam in symbolo mirâ brevitate collegit, ac velut ex innumeris aromatibus pretiosum confecit unguentum, cujus odor omnes fines terræ potentia fragrantiæ spiritualis implevit, ut in ipso universitatis assensu virtus appareat veritatis. Leo *t* magnus Romanæ Ecclesiæ Antistes: Catholici symboli brevis, & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa est munitione cœlesti, ut omnes hæreticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari. Joannes Cassianus *u* vir doctrinâ & pietate summus: Hoc symbolum est verbum breviatum quod fecit Dominus, fidem scilicet duplicis testamenti sui in pauca colligens, & sensum omnium scripturarum in brevia concludens, sua de suis condens, & vim totius legis compendiosissimâ brevitate perficiens. Consulens scilicet in hoc, ut piissimus Pater, vel negligentiæ quorundam filiorum suorum, vel imperitiæ: ut non laboraret utique quamvis simplex, & imperita mens capere, quod possit facilè etiam memoria contineri. Eusebius Emissenus, seu potius sub ejus nomine Eucherius Lugdunensis *x*: Quomodo si aliquis possessor diffusus, ac locuples migraturus ad aliam regionem quascunque opes habet in aurum, & gemmas redigat, & intra unum sacculum congreget bona sua non cumulo æstimanda, sed pretio, ut facilè quocunque vadit suas secum possit ferre divitias concludens in sinu suo thesaurum: ita & Ecclesiarum Magistri studiosissimi salutis nostræ negotiatores in Scripturis sanctis de magnis maxima separaverunt in pagina mentium inscribenda, ut cuilibet cordi quamlibet angusto, quamlibet rustico sine ullius difficultatis impedimento facilè insinuari possit veritatis agnitio, ut ad parandum, & tenendum cœlestis sapientiæ vitale carmen, & salubritas invitaret, & brevitas; ut quodammodo

k *Cyril. lib. 9.* l *Aug. vel alius auctor serm. 115. de Temp.* m *Luc. Tuden. l. 1. adv. Albigen.* n *Aug. ser. 109. & 131. de Temp. & Euch. ad Laur. c. 114.* o *Chrysol. serm. 59. in fin.* p *Cyril. Alex. Ep. 29. ad Acacium Episc.*

q *Ether. lib. 1. adv. Elipandum.* r *Optat. lib. 2. adv. Parmen.* s *Paschas. in præf. l. de Spiritu sancto.* t *Leo Ep. 3. ad Pulcheriam Aug.* u *Cassian. lib. 6. de incarnat. c. 3.* x *Eucher. Hom. 1. de Symbolo.*

modo de hoc symboli breviſſimo textu Propheta dixiſſe videatur, Verbum breviatum faciet Dominus ſuper terram. Nullus encomiorum finis erit, ſi omnia proſequi libeat. Quid eſt enim ſymbolum? Breviarium Chriſtianæ fidei. Jam quid ſublimius, quid laudabilius fide? O fides, exclamat Ambroſius y theſauris omnibus opulentior, ô vulnerum noſtrorum, peccatorumque medicina præſtantior. Hæc eſt nimirum, teſte Bernardo z quæ velut quoddam æternitatis exemplar præterita ſimul & præſentia, & futura ſinu quodam vaſtiſſimo comprehendit, ut nihil ei prætereat, nihil pereat, præeat nihil. Denique *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.*

y *Ambroſ. lib. 2. de fide cap. 4.* z *Bern. ſerm. 6. in vig. Nat Domini.*

## METRUM XXXVIII.

*Numen coruſco ſidere pulchrius*
*Non uſitatis per liquidum æthera*
*Vidi triumphans curribus, & vagos*
*Circumvolantes Aligerum choros*
*Quis credet? ingens jam nebulæ globus*
*Clarique nimbus luminis aera*
*Perrumpit æthræ non ſine gaudio.*
*En jam beatis ſepta chortibus*
*Regina celſo venit ab æthere.*
*Agnoſco vultum: nam fidei ſacræ*
*Dudum mihi ſunt cognita ſtemmata,*
*Sanctæque felix religio Crucis.*
*Quæ forma, & oris quanta ſerenitas*
*Qualis venuſtas! Audio jam propè*
*Vocem loquentis, jam reſonat poles,*
*Favete linguis: nil humili juvat*
*Cantare plectro, fas mihi grandia*
*Non dicta priſcis carmina vatibus,*
*Fas & ſuperni ſit mihi Numinis*
*Arcana cunctis gentibus eloqui.*
*Fas ſit canoris verſibus ardui*
*Tentare cæli difficiles vias.*
*Nec me paventem ſancta fides vetet*
*Incomparandæ vim ſapientiæ,*
*Verique fontem, lucis & igneas*
*Luſtrare ſedes, & ſuperum domos.*
*O grata ſummis cœlitibus fides,*
*Per quam ſereni ſemper iter poli*
*Cunctis apertum terrigenis patet.*
*Tu ſola nobis das penetralia*
*Semper verendi noſcere Numinis.*
*Tu ſola Trinum fallere neſcia,*
*Unumque dicis, quem colimus Deum.*
*Divinitatis principium Pater,*
*Auctor bonorum ſufficiens ſibi,*
*Immenſus, omni principio carens,*
*Expers fugacis temporis, ac modi,*
*Dum ſe beatus, cunctaque perſpicit,*
*Verbum paternæ mentis imaginem,*
*Prolemque gignit perſimilem ſui.*
*Sed cum Parentem Filius inſpicit,*
*Amans amantem diligit, atque Amor*
*Spiratur unus, tertia ſcilicet*
*Perſona ſummum perficiens chorum:*
*Utrique compar Numine ſimplici.*
*Poſt hæc ad extra ter triplici gradu*
*Rerum creator per ſobolem ſuam*
*Diſtincta cœli condidit agmina.*
*Sed dum ſupremi de numero chori.*
*Unus recepta dote ſuperbiens*
*In conditorem ſpirituum ferox*
*Inſanientum prælia concitat,*
*Heu! pulſus amplo corruit æthere,*
*Præceps rebelli cum comitum grege*
*Damnatus igni carcere in infimo;*
*Tunc è rubenti pulvere compotem*
*Mentis creavit progeniem, boni*
*Summi capacem, ni ſtygiis dolis*
*Seductus heu! mox hominum parens*
*Omnes eodem crimine poſteros*
*Fœdaſſet hoſti credulus improbo.*
*Natis miſertus ſed miſeris Deus*
*Offenſionis debita noxia,*
*Et dira ſolvit vincula criminum.*
*Lignum ſalutem terrigenis dedit,*
*Sed prima lignum pernicies fuit.*
*Nam miſſus alto de ſolio Patris*
*Mortale corpus Filius induit*
*E ventre puræ Virginis editus:*
*Ferroque fixus ſupplicium grave*
*Injuriоſæ ſuſtinuit crucis,*
*Ut quæ Draconis conciderat dolo*
*Gentem paterno redderet ætheri.*
*O ter beatos cœlituum choros,*
*Quos ſcripta cœlo pagina cenſuit.*
*Jam vincla mortis, jam ſtygiæ feræ*
*Timenda non ſunt caſtra tyrannidis.*
*Victor reſurgit Chriſtus ab inferis*
*Inſertque fratrum primitias polo,*
*Venturus inde eſt, cum ſonitus tubæ*
*Omnes tremendo judicio offeret.*
*Sed quo furenti concita ſpiritu*
*Mens tendit audax? Deſine, deſine,*
*Et magna parvis ne tenues modis.*

4. Ambroſius a de quotidiana recitatione Symboli hæc habet: Symbolum quoque ſpe-



a *Ambroſ. lib. 3. de Virgin.*

cialiter debemus tanquam nostri signaculum cordis antelucanis horis quotidie recensere: quò etiam, cum horremus aliquid, assiduè recurrendum est. Quando enim sine militiæ sacramento miles in tentorio, bellator in prælio? Radulphus Tungrensis *b* de eadem re sic scribit: Multorum Episcoporum statutum erat ut clerus, & populus manè, & serò preces & orationes Deo funderent cum Pater noster, & Symbolo. Damasus Papa orthodoxæ fidei Symbolum ad omnes horas divini Officii recitari statuerat, ut refert ex ejus vita Polydorus Virgilius *c*. Timotheus quoque Constantinopolitanus Symbolum fidei, ut narrat in Collectaneis Theodorus Lector *d*, per singulas synaxes dici curavit, ad reprehensionem videlicet Macedonii Patriarchæ Catholici, ac si ille symbolum hoc non recepisset. Timotheus enim cum esset hæreticus Patriarchalem regiæ urbis sedem ab Anastasio Imperatore obtinuerat pulso in exilium Macedonio. Nunc ter in die dici solet, ante Nocturnos, & Primam, & in fine Completorii. Nocte dicitur, ut per professionem fidei gratias agamus Deo, qui nos eduxit de potestate tenebrarum in lucem Evangelii. *Eratis enim aliquando tenebræ*, ait Apostolus *e*, *nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate, & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.* Nocte etiam dicitur, quia fidei cognitio obscura est, & caliginosa: videmus enim per speculum, & in ænigmate, donec fidei succedat beata visio. Ante Primam orto jam sole, & in fine Completorii post ejusdem occasum eadem fidei protestatio repeti consuevit, ut à fide feliciter incipientes in eadem constanter perseveremus. Notandum verò, quod in hisce Officiis ipsum Symbolum secretò dicitur, quia, ut docet Angelicus Doctor *f*, Symbolum Apostolorum tempore persecutionis editum fuit fide nondum publicatâ, idcircò occultè dicitur quasi contra tenebras errorum præteritorum, & futurorum. Notandum præterea, quod Ecclesia Romana ipsum Symbolum quandoque repetit in precibus Primæ, & completiori: tunc autem partim secreta, partim clara voce recitatur, quia videlicet *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, Fides cordis, ait Bernardus *g*, sine oris fide aut nulla est, aut parva. Crede ergo, & confitere: nihilominus confitere, & crede, quia fides ad justitiam, confessio fit ad salutem.

5. Superfluum hic existimo explanationem Symboli adnexere, quæ peti potest à sanctis Patribus, aliisque Scriptoribus. Inter opera Cypriani habetur expositio Rufini dignissima quæ legatur. Symbolum quoque explicant Ambrosius *tractatu in Symbolum Apostolorum*, Leo magnus *Sermone* 11. *de Passione Domini*, & *Sermone contra hæresim Eutychetis*: Augustinus *h de fide*, & *Symbolo*, *de Symbolo ad Catechumenos*, *in Enchiridio ad Laurentium*, & *in multis Sermonibus*: Chrysostomus *tomo* 5. *Homilia de Symbolo*, *quam tamen existimo esse auctoris Latini*: Venantius Fortunatus *exegesi in Symbolum*: Chrysologus *Sermone* 56. & *sequentibus*: Athanasius *Epistola ad Jovinianum*: Maximus Taurinensis *Homilia de expositione Symboli*. D. Thomas *Opusculo* 16. Dionysius Carthusianus *i Opusculo de vita Curatorum*: & ad captum communem Catechismus Romanus. Scripsit etiam in Symbolum Apostolorum doctè & diffusè vir venerabilis Angelus del Paz duobus tomis, quorum primus editus est Romæ, secundus extat M. S. apud Lucam Radingum. De Symbolo Nicæno, sive Constantinopolitano, quod in Missa cantatur non est hic tractandi locus. De Symbolo Athanasii agendum infrà hoc eodem capite. His omnibus antiquius est Symbolum Apostolorum, quod, quia Romana Ecclesia nulla unquam hæreseos labe infecta integrum semper custodivit, ideò à Vigilio *k* Episcopo Tapsensi Symbolum Romanum nuncupatur. Sanè olim ob hanc causam Symbolum Nicænum nequaquam Romæ cantabatur, cæpitque cantari hortatu Henrici Imperatoris sub Benedicto octavo, idque Berno Augiensis *l* testis oculatus, qui cum Imperatore aderat, scribit. Ita Baronius *m*, qui & addit: Placet ista, sed nobis gratius, si venerandæ antiquitati annorum mille magis delatum fuisset, quam novitati. Finio, illudque suggero Lectori meo, ut meminisse velit fidem sine operibus mortuam esse. Audiamus Bernardum *n*, cœlestis doctrinæ pabulo nos abundè reficiet. Credis in Christum? fac opera Christi, ut vivat fides tua. Fidem tuam dilectio animet; probet actio. Non incurvet terrenum opus,

b *Radulph. prop.* 34. c *Polyd. Virg. l.* 6. *de inv. rerum cap.* 2. d *Theodor. collect. lib.* 2. e *Ephes.* 5. 8. f *D. Thom.* 2. 2. *q.* 1. *art.* 9. *ad* 6. g *Bern. Serm.* 3. *de S. Andrea.*

h *Aug. Ser.* 109. 123. 131. 192. 194. *de temp.* i *Dionys. art.* 21. k *Vigil. initio l.* 4. *adv. Eutychem.* l *Berno Aug. c.* 2. m *Baron. an.* 1014. n *Bern. Serm.* 24. *in Cant.*

opus, quem fides cœlestium erigit. Qui te dicis in Christo manere, debes sicut ipse ambulavit, & tu ambulare. Quod si propriam gloriam quæris, florenti invides, absenti detrahis, reponis lædenti te: hoc Christus non fecit. Confiteris te nosse Deum, factis autem negas. Non rectè planè, sed impiè linguam Christo, animam dedisti Diabolo. Vides quod non faciat hominem rectum fides etiam recta, quæ non operatur ex dilectione. Sed nec opera quamvis recta rectum cor efficere sufficiunt sine fide. Rectas ergò studeamus facere vias nostras, & studia nostra: levemus corda nostra cum manibus ad Deum, ut tori recti inveniamur fidei nostræ rectitudinem rectis actibus comprobantes. Ut enim ait Sanctus Calixtus Papa *o*, Non benè vivit, qui non rectè credit.

## §. IV.

## De Horarum Initio.

*Cur à versu* Domine labia mea aperies *incipiat nocturna synaxis. Quid sit mystice aperiri labia. Completorio cur præmittatur hic versus*, Converte nos Deus salutaris noster. *Conversio vera quæ sit. Ira Dei duplex. Usus multiplex hujus versiculi*, Deus in adjutorium meum intende.

1. OMnes horæ Canonicæ à primo versiculo Psalmi sexagesimi noni, *Deus in adjutorium meum intende*, usu immemorabili incipere solent. Huic in Nocturna synaxi versum *Domine labia mea aperies* ex Psalmo 50. præmittit Ecclesia Romana, postponunt Monachi. In Completorio autem præponitur ferè ab omnibus Ecclesiis Psalmi 84. versiculus *Converte nos Deus salutaris noster, & averte iram tuam à nobis.* Initio itaque nocturnæ precis labia clausa in Completorio petimus aperiri, Dominum exorantes, ut, qui labia olim Prophetæ calculo mundavit ignito, nostra quoque dignetur purgare, & aperire. Nam cum dicat Scriptura *p*, *Non est speciosa laus in ore peccatoris*, quis audeat divinas laudes immundis labiis decantare, ni prius obstructa per peccatum oris claustra misericorditer aperiat ille, qui solus potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nemo enim potest laudare Deum, nisi Deus aperiat labia, ut ostendit Augustinus *q* contra duas epistolas Pelagianorum. Alioquin sugillabit nos durissima illa exprobratione, *r Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum.* Ad rem Chrysostomus *s*: Peccatum suapte natura linguam astringit, & os obturat. Quam sententiam complens Ambrosius *t* ait; Cujus ergò labia aperit Deus, hunc peccati absolvit reatu. A vinculis itaque peccatorum absolvi petimus, cum dicimus, Domine labia mea aperies. Et quia justus prior accusator est sui, accusamus nos ipsos ante orationem confitentes peccata nostra, quatenus reconciliati per gratiam Dei facilius exaudiri mereamur. De impiis scriptum est, quia dixerunt, *u Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?* Et ideò oratio illorum erit execrabilis: At labia Sponsæ, labia fidelis animæ dulcia, & purpurea dicuntur esse sicut favus distillans, sicut vitta coccinea *x*. Cum ipsi Sponso, inquit Gilbertus Abbas *y*, Sponsa loquitur in loquela dulcioris labii, & lingua altera; Tunc cordis labia verè melle delectationis distillant divinæ: imò non tam distillant, quam fluunt, quoniam hora illa in melleas affectiones tota convertitur. Beata vicissitudo, quando de corde Sponsæ quædam fluenta mellis emanant in Dilectum, & ab ipso redundant in Sponsam. Ad locum enim unde exeunt hæc mellis flumina revertuntur, ut iterum fluant. Boni favi in labiis Sponsi, & Sponsæ eructantes ex hoc in illud, & invicem rorantes amoris dulcedinem. Ille desuper irrorat gratiam, ista deorsum actionem gratiarum. Rursus labia Sponsæ purpurea dicuntur esse sicut vitta coccinea. Per coccinum enim charitas intelligitur, quæ est vinculum perfectionis; sicut autem vitta constringit crines, ne defluant; sic anima Deo dilecta labia sua cohibet, ne verbum malum, & inutile proferens extra se diffundatur. *z Apertio oris illius inflammatio est*, & semper laus Dei in ore ipsius.

2. Cum autem Oratio cordis sit, non labiorum; miror cur Ecclesia ante orationem labia sibi, non cor postulet aperiri Sed notandum, quod usus labiorum non tantùm ad eloquium, sed etiam ad osculum est: consociant enim se mutuò osculantium labia, animis videlicet ad mutuum



o *Calix. epist.* 1. p *Eccl.* 15. 9.
q *Aug. lib.* 2. *c.* 8. r *Psalm.* 49. s *Chrys. in ps.* 50.
t *Ambros. ibid.* u *Psalm* 11. x *Cant.* 4. 3. 11.
y *Gilbert in Cantic. ser.* 34. z *Eccle.* 20. 15.

tuum congressum accedentibus, ut ait Chrysostomus *a*: cumque templum Dei simus, sicut limina templi, ita os osculamur, per quod ingreditur Christus, quando communicamus. Igitur Ecclesia dum dicit, *Domine labia mea aperies*, non tam petere videtur divinum auxilium ad laudes ejus dignè annunciandas, quam mysticam labiorum purificationem ad castissimum dilecti osculum recipiendum. Felix anima, quæ propriæ conscientiæ testimonio intus erudita cœlestis Sponsi osculo se idoneam agnoscit. Felicior, quæ unctione magistra sentiens quanta sit gratia diffusa in labiis Sponsi, osculum ejus jam amore æstuans fiducialiter petit. Felicissima planè, quæ ad ipsum osculum dignanter admissa divinæ suavitatis inenarrabile gaudium in fervore spiritus experitur, & torrente uberrimo sempiternæ voluptatis in plenitudine gratiarum inebriatur. O mihi si liceret è fœtenti cœno iniquitatum mearum tantisper assurgere, & terrenarum sordium excusso pulvere te Domine deprecari, ut labia mea aperias, & oris impuritatem emundes. Peccavi enim, justissime Judex, qui judicas æquitatem, peccavi in cœlum, & coram te: jam non sum dignus levare oculos meos à terra, quanto minus videre faciem tuam, ad oris tui osculum aspirare? Provolvar itaque pavidus, & tremens ante vestigia pedum tuorum, & de intimis visceribus longa trahens suspiria lacrymis meis pedes tuos rigabo. Plorabo coram te, qui feci mi me, mala quæ feci; nec à planctu, & oratione cessabo, donec audiam auditionem bonam, verbum consolationis; *b Remittuntur tibi peccata tua*: donec dicas, *c Consurge, consurge, excutere de pulvere, solve vincula colli tui captiva filia Sion*; donec sonet in auribus meis vox illa gratissima, *d Ecce sanus factus es, jam noli peccare*. Tunc adjutus gratia tua, auctus virtute, fiducia confortatus non confundar præsumere potiora. Erectus de stercore sedebo forsitan cum Principibus, & robur accipiens à potenti dextera tua faciem tuam Domine requiram, & quod non sine pavore, ac tremore dico, ad os tuum caput attollam, sperans omninò ut adimpleas me lætitia cum vultu tuo.

a *Chrysost. hom. 30. in 2. ad Cor.* b *Luc. 7. 47.* c *Isai. 52: 2.* d *Joan. 5: 14.*

## METRUM XXXIX.

*O Tremende Rex polorum,*
*Vindex maxime criminum.*
*Cui potestas, & maligni*
*Vis est arbitra pectoris.*
*Te requiro, ad te revertor,*
*O mentis vigor, ô amor.*
*Qui labores, & dolores,*
*Et curas hominum vides.*
*Parce fonti, parce servo*
*Mortis perpetuæ reo,*
*Quem catenis alligatum*
*Hostis tartareus tenet.*
*Tolle culpas, solve nexus,*
*Ut te perpetuo canam.*
*Ut videntes me solutum*
*Vinclis horribilis necis*
*Angelorum turba psallant*
*Quæ spes sit lacrymantibus.*

3. Solent corporales indigentiæ, rerumque labentium curæ, & variarum imaginum confusa phantasmata orantium mentes per diem sæpius distrahere, & perturbare: quapropter initio Completorii, quod ultimum diei Officium est, versiculum illum decantamus, *Converte nos Deus salutaris noster, & averte iram tuam à nobis*. Hac enim hora ab officiis activæ vitæ ad contemplationis studium convertimur, & sedato carnalium affectionum tumultu gustare, & videre desideramus quam bonus sit Deus. Per peccatum avertitur homo à Deo, & convertitur ad creaturam: *Averterunt se*, inquit *e*, *& non servaverunt pactum, & f, facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt*. Dum verò per pœnitentiam revertitur quis ad Deum, Deus eum convertit ad se per immissionem gratiæ, & ab eodem iram suam avertit per remissionem pœnæ. Quid est autem quod, cum oramus, *g Converte nos Domine ad te, & convertemur*: ipse è contrario respondet *h Convertimini ad me, & ego convertar ad vos?* An hoc nimirum, quod fides Catholica protestatur, arbitrii nostri libertatem cum gratiæ prævenientis efficacitate inconcussam manere, adeoque nos liberè Deum trahentem sequi, sicut ille fortiter nos trahit, qui dixit, *i Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum?* Sic ait Bernardus *k* Theologus verè

c *Psalm. 77.* f *Osee 9: 10.* g *Thren. 5: 21.* h *Zach. 1: 3.* i *Joan. 6: 44.* k *Bern. de grat. & l. arbitrio.*

verè Theodidactus: Tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur. Tolle gratiam, non erit unde salvetur. Nec dare potest salutem nisi Deus, nec capere valet nisi liberum arbitrium. Sedulius *l* quoque in explicatione Epistolæ Pauli ad Romanos; Velle, inquit, & currere meum est, sed ipsum meum sine Dei auxilio non est meum: nam ipsa voluntas à Domino præparatur, & Deus est qui operatur in nobis & velle, & perficere. In nullo igitur gloriandum, ut Ecclesia Lugdunensis in libro de tribus Epistolis docet, quia nostrum nihil est, & sine me nihil potestis facere, dicit Dominus: tanta est tamen bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Sed hæc acerrimis scholasticorum concertationibus diu in scholis agitata tutius est simpliciter credere, quàm mendaci hominum statera curiosius examinare. Nam, sicut eleganter scribit S. Prosper *m* Rhegiensis Episcopus; quæ sit discretionis istius in secreto consilio Dei causa, vel ratio, & supra facultatem humanæ cognitionis inquiritur, & sine fidei diminutione nescitur: modò confiteamur neminem immeritò liberari. Nisi enim Deo vocante, docente, salvante, nemo venit, nemo eruditur, nemo salvatur.

4. Illud autem quod præcipit Dominus, ut convertamur ad ipsum, existimat Bernardus *n* Doctor egregius esse mysterium regni Dei, & secretum consilium, quod solis credatur amicis. Nam quo me vertam, inquit, ut convertar ad te Domine Deus meus? *Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Quo convertar ad te? Supra, an infra? ad dexteram, an ad sinistram? Audiamus scripturam, quam conversionem nos edoceat. *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum.* Agnosce planè quo velit Dominus, ut convertamur. Ad parvulum converti necesse est, ut discamus ab eo, quia mitis est, & humilis corde. Ad hoc siquidem parvulus datus est nobis. Quid inflaris ô homo? Quid extolleris sine causa? Sublimis quidem Dominus, sed non ita proponitur tibi, ne fortè dicas, elevata est magnificentia ejus super cœlos, & non potero ad eam. Prorsus vos filii Adæ, ait Abbas Igniacensis *o*, qui nimis grandes estis in oculis vestris, & in gigantæam enormitatem per superbiam excrevistis: *Nisi conversi fueritis, & effecti sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum.* Ego sum ostium regni, ait parvulus iste: nisi incurvetur altitudo virorum, non eos admittet humilitatis janua. Ideò nimirum conquassabit capita in terra multorum: & qui elati accedunt, repulsi capite illiso cadent retrorsum. Quid enim? Adhuc tu superbis terra, & cinis, postquam Deus factus est humilis? Adhuc magnus es in oculis tuis, postquam Deus parvulus factus est sub oculis tuis? Ille semetipsum exinanivit, ut penè videretur esse nihil, sine quo factum est nihil: & tu in immensum inflaris, extolleris existimans te aliquid esse, cum verè sis nihil. Ipse te seducis. Quod si verè humiliatus fueris, & in toto corde reversus ad omnipotentem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: *p Convertam eos, & miserebor eorum, & erunt sicut fuerunt, quando non projeceram eos.* Ideò post petitionem conversionis oramus consequenter; Et averte iram tuam à nobis: nam impietas impii non ei nocebit in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua. Loquimur autem de ira Dei, quæ ad interitum peccatores perducit, de qua scriptum est: *q Nequando iratscatur Dominus, & pereatis de via justa.* Alia enim ira, qua peccantibus iratscitur ad salutem, desideranda nobis est, summisque precibus flagitanda, ne fortè dicat Dominus, Recessit zelus meus à te, ultra non iratscar tibi. Oro Domine, ut iratscaris mihi in præsenti seculo, quatenus in futuro misericordias fideles consequi merear. Verumtamen cum iratus fueris, misericordiæ memor eris, sicut dicit Psalmus: *r Iratus es, & misertus es nobis.* O ira misericors, exclamat Berengosius Abbas *s*, quæ sic iratscitur, ut subveniat: sic minatur, ut parcat: sic aufert, ut restituat: sic tradit, ut eripiat: sic destruit, ut muniat: sic abjicit, ut recipiat. O quam salubris indignatio, quæ sic avertit, ut respiciat: sic claudit, ut aperiat: sic exigit, ut dimittat: sic dejicit, ut erigat: sic perdit, ut requirat; sic amittit, ut custodiat. O ira misericors, & incomparabilis misericordia, quæ ab omnibus vitiis humana semper emundat præcordia: per quam peccator invitatur ad veniam, justus ad vitam, martyr ad palmam, confessor ad gloriam. Non enim miseretur, nisi iratscatur, qui ob hoc prius iratscitur, ut postea misereatur. Prævenit enim ira, ut sequatur misericordia: prævenit lacryma, ut sequatur venia: prævenit pœnitentia, ut sequatur indulgentia.

l *Sedul. in epist. ad Rom. c. 9.* m *Prosp. ep. ad Ruffinum de grat. & lib. arbitrio.* n *Bern. ser. 2. in cap. jejunii.* o *Guerric. Ser. 1. de Nat. Domini.*



p *Zach. 10. 6.* q *Psalm. 2.* r *Psalm. 59.* s *Berenq. Ser. 1. de SS. Martyrib.*

5. Ciſtercienſes Monachi, qui Regulam S. Benedicti *t* ad literam exactiſſimè obſervant, memoratum verſiculum ante Completorium cantare non ſolent, id enim in Regula non invenitur expreſſum, cum dicat S. Pater; In primis ſemper diurnis horis dicatur verſus, *Deus in adjutorium meum intende.* Porrò hunc verſum, *Deus in adjutorium meum intende*, ſemper in uſu fuiſſe apud antiquos Monachos Caſſianus *u* rei monaſticæ ſolertiſſimus, & primarius auctor exequitur. Hic namque verſiculus, ait ille, non immeritò de toto ſcripturarum exceptus eſt inſtrumento. Recipit enim omnes affectus quicunque inferri humanæ poſſunt naturæ, & ad omnem ſtatum, atque univerſos incurſus propriè ſatis & competenter aptatur. Habet ſiquidem adverſus univerſa diſcrimina invocationem Dei, habet humilitatem piæ confeſſionis, habet ſolicitudinis ac timoris perpetui vigilantiam, habet conſiderationem fragilitatis ſuæ, exauditionis fiduciam, confidentiam præſentis, ſemperque aſtantis præſidii. Qui enim jugiter ſuum invocat protectorem, certus eſt eum eſſe ſemper præſentem. Habet amoris, & charitatis ardorem, habet infidiarum contemplationem, inimicorumque formidinem, quibus perſpiciens ſemetipſum diu noctuque vallatum, confitetur ſe non poſſe ſine ſui defenſoris auxilio liberari. Hic verſiculus omnibus infeſtatione dæmonum laborantibus inexpugnabilis murus eſt, & impenetrabilis lorica, ac munitiſſimus clypeus. Hujus verſiculi Oratio in adverſis ut eruamur, in proſperis ut ſervemur ne extollamur, inceſſabili jugitate fundenda eſt. Hujus inquam verſiculi meditatio in tuo pectore indirupta volvatur. Hunc in opere quolibet, ſeu miniſterio, vel in itinere conſtitutus decantare non deſinas. Hunc & dormiens, & reficiens, & ultimis naturæ neceſſitatibus meditare. Hæc & alia plura diffuſiſſimè Caſſian. Tantò autem ſolicitius divinum auxilium initio orationis invocandum eſt, quantò acrius eo tempore inviſibiles hoſtes contra nos certamen inſtituunt. Nam, ut S. Joannes Climacus *x* ſcribit, Cum inſonuit ſignum ſpiritualis tubæ ad orationem vocans inviſibiliter conveniunt inimici: & alii quidem cum experrecti fuerimus nos ut iterum decumbamus lectulò hortantur. Expecta, inquiunt, dum compleantur principales hymni, ſicque demum in Eccleſiam proficiſceris. Alii cum ad orationem aſſiſtere cœperimus nos in ſomnum præcipitant. Alii ſuadent ut invicem in Eccleſia colloquamur. Alii præter conſuetudinem ventrem immodicè ſtimulant. Alii mentem noſtram in turpes cogitationes pertrahunt. Alii ſuper parietem reclinare nos ut debiles admonent. Nonnunquam verò oſcitare etiam immodicè faciunt. Nonnulli riſum nobis movent, ut per hunc ad indignationem contra nos Deus provocetur. Alii per ſummam deſidiam feſtinare nos in verſuum pronunciatione impellunt. Alii contra Pſalmodiam protrahere voluptatis cauſa hortantur. Nonnunquam verò ori etiam aſſidentes noſtro ita illud claudunt, ut vix aperiri poſſe videatur. An autem vetus Eccleſia ante D. Benedictum horis Canonicis hunc verſiculum præmiſerit incertum eſt: nec extat hujuſmodi ritus indicium aliquod apud antiquos Scriptores, & quod modò ex Caſſiano recitavimus, de privata oratione intelligi debet, ut Joannes Lorinus *y* vir multæ lectionis obſervat.

t *Bened. reg. cap.* 18. u *Caſſian. coll.* 10. *cap.* 10. x *Climac. gr.* 18.

y *Lorin. in pſ.* 69.

## §. V.

## De Signo Crucis.

*Horæ Canonicæ à ſigno Crucis incipiunt. Signi hujus antiquitas, & virtus ex ſanctis Patribus. Quâ ratione manu exprimatur. Alia quædam de Cruce obiter notantur.*

1. A Saluberrimo ſigno Crucis ómnes horas auſpicari ſolemus. Nam dum Sacerdos ſacrarum precum initio divinum poſtulat adjutorium, eo nos contra diabolicas fraudes armamus, orantes fieri nobiſcum ſignum in bonum, ut videant qui oderunt nos, & confundantur, quoniam Dominus pſallentes adjuvat & conſolatur. Hujus tremendi, ac ſacratiſſimi ſigni quanta ſit virtus, quanta antiquitas, quanta potentia, ſi collectis hinc inde è ſanctis Patribus, aliiſque Scriptoribus Eccleſiaſticis ſententiis, & teſtimoniis accuratè recenſere voluero, integrum volumen ſcribendum erit, adeò multa mihi eſt in hanc rem parata ſupellex. Ex uberrima igitur meſſe ſpicilegium faciam. S. Clemens Romanus *z* ſignum Crucis appellat infractum ſignum, quia ſicut ſignum rem cuſtodit, cui

z *Clem. l.* 1. *conſt. Ap. c.* 16.

cui appositum, & impressum est, ita Crux munitissima rerum omnium custodia est. Sanctus Ignatius Epistola ad Philippenses; Crux Christi perditio diaboli. Sanctus Martialis Epistola ad Burdigalenses, Crucem Domini, in quem credidistis, semper in mente, in ore, in signo tenete, Crux enim Domini armatura vestra. Dionysius *a* Areopagita docet signum Crucis ad omnia sacramenta adhiberi. Justinus Martyr *b*, sive Auctor quæstionum apud ipsum, à diebus Apostolorum usum ostendit emanasse, quo Christiani dexterâ manu seipsos, & alia signo Crucis obsignant. Tertullianus *c* notissimum illud scripsit. Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, atque exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad mensas, ad lavacra, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. Origenes *d*, Quid timent, inquit, dæmones? quid tremunt? sine dubio Crucem Christi, in qua triumphati sunt, in qua exuti sunt Principatus eorum, & potestates: Timor ergò & tremor cadent super eos, cùm signum Crucis in nobis viderint fideliter fixum. Hippolytus Martyr *e* inter alias abominationes Antichristi hanc enumerat, quod suis cultoribus characterem dabit in dextera, & fronte, ne Crucis signum pingant in frontibus suis. Sanctus Cornelius Papa Epistola ad Fabium Antiochiæ Episcopum Crucem vocat sigillum Domini, quo qui munitus non est, non potest accipere Spiritum sanctum. Cyprianus *f* ad plebem Thibari consistentem: Muniatur frons, ut signum Dei incolume servetur. Et initio libri de lapsis; Frons cum signo Dei pura diaboli coronam ferre non potuit, coronæ se Domini reservavit. Minutius Felix *g* Ethnicos Crucis osores irridet, illisque opponit quod signa eorum, atque vexilla nihil aliud sint, quàm Cruces inauratæ. Signo Crucis omnia magica compesci asserit Athanasius *h*. Cyrillus Hierosolymitanus *i*: Fac signum Crucis & manducans, & bibens, & sedens, & cubans, & stans, & loquens, & ambulans, & in summa in omni tuo negotio. Basilius *k* disserens de dogmatibus, quæ ex Apostolorum traditione sine scriptis recepimus, primo loco commemorat, id quod primum & vulgatissimum testatur, ut signo Crucis signentur qui spem in Christo collocârunt. Lucianus in Philopseudo scribit Eucratem annulo quodam ex Cruce facto adversus dœmones redditum esse securum. Julianum desertorem etsi Cruci pertinaciter infensum nihilominus adversus terrores, & spectra Cruce se signasse post Gregorium Nazianzenum *l* narrat Freculphus Luxoviensis *m*. Etiam Cosrhoen Regem Persarum, tametsi infidelis esset, virtutem sanctæ Crucis agnovisse testatur jucundâ narratione Evagrius *n*. Hieronymus *o* Epistolâ ad Eustochium; Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat Crucem; Et alibi refert eamdem Eustochium Paulæ matris ægrotæ os, & stomachum signasse, ut Crucis impressione dolorem leniret.

2. Docet Chrysostomus *p* Cruce signandum esse pectus ad turbatos animi motus cohibendos. Augustinus occurrendum diabolo ait cum Crucis vexillo, ut talibus armis indutus facilè vincat Christianus. Scribit Arnobius *q* junior docuisse Dominum digitos nostros ad bellum, quia adversus visibiles, & invisibiles hostes docuit armare frontem triumpho Crucis. Justinus Imperator verba facturus ad populum se signo Crucis muniebat, teste Corippo *r* Poëta Africano, qui, dum ejus laudes prosequitur, sic canit:

*Ipse coronatus solium conscendit avitum,*
*Atque Crucis faciens signum venerabile sedit,*
*Erectaque manu cuncto præsente senatu*
*Ore pio hæc orans ait:*

Ludolphus Saxo Carthusianus *s* libro de vita Christi B. Virginem primam fuisse scribit, quæ Crucem adoravit. Joannes Damascenus *t*; Crux inquit, signum nobis data est super frontem, ut Israëli circumcisio: per ipsam discernimur ab infidelibus. Ipsa signaculum est, ut non tangat nos exterminator. Sophronius *u* Patriarcha Hierosolymitanus: Crux tutelaris est, & fidissima Christianorum custodia, & universorum ex adverso occurrentium insultuum profligatrix. Andreas Cretensis *x*: Crux scala in cœlum deducens, via ad virtutem adducens, vitæ con-

a *Dionys. in Eccl. Hierarch.* b *Just. q.* 118. c *Tertull. de cor. milit.* c. 3. d *Orig. Hom.* 6. *in Exod.* e *Hyppol. or. de consum. sæcul.* f *Cypr. l.* 4. *Ep.* 6. g *Minut. in Octav.* h *Athan. or. de incarn. Verbi.* i *Cyrill. cat.* 4. k *Basilius de Spiritu sancto.* c. 27.

l *Greg. Naz. or.* 1. *in Jul.* m *Freculph. l.* 4. *Histor.* c. 9. n *Evagr. l.* 9. c. 18. o *Hier. ep.* 2. & 27. p *Chrys. hom.* 83. *in Matth.* q *Arnob. in Ps.* 143. r *Corrip. lib. de laud. Justini Imp.* s *Ludolph. par.* 2. *cap.* 66. t *Damasc. de fide Orthod. l.* 4. c. 12. u *Sophron. homil. de Cruce.* x *Andr. Cret. or.* 1. *de exalt. Crucis.*

conciliatrix, mortis solutio, corruptionis abalienatio, ignis extinctio, in Deum fiducia, clavis regni cœlorum: Crux civitates custodit, domos tuetur, amicitias conglutinat, ab inimicorum injuria vindicat, hostibus resistit, gentes persequitur, barbarorum stimulus, pacis arbitra est. S. Orientius: *y*

*Accipe tela quibus cordis pia mœnia serves,*
*Crux tibi sit clypeus, Crux tibi sit gladius.*

Julianus *z* in prognostico. Crux ante Christum in die judicii ab Angelis portabitur. Signo Crucis nihil efficacius ad turpes effugandas tentationes asserit ex divina revelatione S. Elizabeth de Schonaugia *a* libro viarum Domini. Severianus Gabalorum Episcopus apud Damascenum *b*: Percussit Moyses silicem semel, & bis, non eodem modo, sed ita ut Crucis formam describeret, ut natura etiam inanimata Crucis notam veneraretur. Theodosius, & Valentinianus Augusti gravissimâ pœnâ *c* eos mulctari debere statuerunt, qui signum Crucis humi pingere, sive insculpere præsumerent. Anselmus *d*, sive quisquis est auctor Commentariorum in Epistolam ad Romanos sub ejus nomine: Non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobria Christianus erubescat. Audoënus *e* in vita S. Eligii: Profectò magna res est signum Christi, Crux Christi, sed illis solis prodest, qui faciunt mandata Christi. Thomas à Kempis *f* in tribus locis præcipuè statue signum Crucis; super cor, super os, & super brachium. De eodem signo sic canit Prudentinus *g* Christianorum Poëtarum ocellus.

*Fac cum vocante somno*
*Castum petis cubile,*
*Frontem, locumque cordis*
*Crucis figura signet.*
*Crux pellit omne crimen,*
*Fugiunt Crucem tenebræ,*
*Tali dicata signo*
*Mens fluctuare nescit.*
*Procul, ô procul vagantum*
*Portenta somniorum,*
*Procul esto pervicaci*
*Præstigiator æstu.*
*O tortuose serpens,*
*Qui mille per meandros,*
*Fraudesque flexuosas*
*Agitas quieta corda;*
*Discede, Christus hic est,*
*Hic Christus est, liquesce.*
*Signum, quod ipse nosti,*
*Damnat tuam catervam.*

Sibilla quoque de Cruce sic cecinit in fine libri sexti oraculorum Sibyllinorum.

*O lignum felix, in quo Deus ipse pependit,*
*Non te terra capit, sed cœli tecta videbit,*
*Cum renovata Dei facies ignita micabit.*

Tityrus Christianus apud Severum Rhetorem *h* signo Crucis à pestilentia servatas pecudes astruit his versibus:

*Hoc signum mediis frontibus additum*
*Cunctarum pecudum certa salus fuit.*

3. Non desunt alii testes, & exempla multorum mirabilium, quæ Deo dilecti viri per signum sanctæ Crucis sunt operati. Nam quis liber, aut quæ pagina Ecclesiasticæ historiæ, aut quæ vita sanctorum hominum legi potest, in quibus non statim invenias salutifero Crucis signaculo expulsos dœmones, profligatos exercitus, sedatas tempestates, fugatam pestilentiam, soluta maleficia, evacuatum virus; incendia extincta, interfectos dracones, erectos claudos, cœcos illuminatos, curatas infirmitates, mortuos ad vitam revocatos? Hoc signum, inquit Chrysostomus *i*, & priscis & nostris temporibus clausas januas reseravit, hoc venenorum vires extinxit, hoc cicutæ vim dissolvit, hoc feroces bestias repressit, hoc lethales serpentum morsus curavit. Etenim si portas inferni perfregit, si cœlorum ostia recluſit, si paradisi renovavit ingressum, si diaboli nervos recidit, quid mirum est, si pestifera venena, atroces bestias, aliaque hujusmodi superavit? Sed his prætermissis illud magis quærendum videtur, quâ ratione ipsum Crucis signum exprimi debeat, & manu formari. Sunt qui illud tribus digitis dexteræ manus effingunt, sub sanctissimæ Trinitatis invocatione: sunt qui duobus ad duas Christi naturas contra Monothelitas indicandas. Sunt qui signantes se à superiori in inferius descendunt, & à dextera transeunt ad sinistram, quia Christus de cœlo descendit in terram, & à Judæis transivit ad

*y* Orient. in Commonitorio. *z* Julian. l. 3. c. 5. *a* Elizabeth. c. 21. *b* Damasc. or. 3. de Imag. *c* C. L. nullic. Nemini licere. *d* Anselm. ad cap. 10. Rom. *e* Audoën. lib. 2. c. 16. *f* Thom. Kemp. Hospital. pauper. c. 16. *g* Prudentius Hym. 6.

*h* Severus in Bucolicis. *i* Chrys. hom. 55. in Matth.

ad Gentes. Usus tamen communis Occidentalis Ecclesiæ est, ut dexterâ manu Crucis expressio à fronte ad ventrem, & à sinistra ad dexteram producatur. Dicimus autem; In nomine ad significandum trium personarum indistinctam Divinitatem. Pater in fronte collocatur tanquam principium sine principio, prima persona Deitatis. Filii nomen pronunciatur, cùm uterum tangimus, quia ex utero ante Luciferum genitus, & in plenitudine temporis in utero Virginis incarnatus salutem operatus est in medio terræ. Spiritum sanctum exprimimus, cùm manum à sinistra parte ad dexteram protendimus, quia videlicet à Patre & Filio utriusque nexus, & amor procedit: & sicut Christus de morte transivit ad vitam, ita nos de miseria transire speramus ad gloriam secundùm spem vitæ æternæ. De Crucis signo diffusissimè scribunt Jonas Episcopus Aurelianensis, & Dungalus adversus Claudium Iconoclastam Episcopum Taurinensem, itemque Chrysostomus Homilia quinquagesima quinta in Matthæum. Extant quoque de Cruce doctissimæ lucubrationes Justi Lipsii, & Jacobi Gretseri. De ejusdem veneratione antiquos canones refert Antonius Augustinus *k*, de qua re plura etiam habent Baronius *l* in Annalibus, & Jacobus Bosius in Cruce triumphante. Arnoldus Abbas Bonævallis *m* hoc apposito signo muniri ait & quod patet, & quod latet, ut habeant caro, & spiritus secura præsidia. Etiam in nummis Crux imprimi solet in testimonium, & jusjurandum bonitatis monetæ in pondere, & materia, ut Nicolaus Oresmius Episcopus Lexovienſis *n* testatur: vel in testimonium Christianæ Religionis, ut scribit Anastasius Abbas initio libri contra Judæos. Quod autem in præliis Crux adversus Crucem congrediatur, portentum est, quod primò apparuit in expeditione Constantii adversus Maxentium *o*: nec enim aliis auspicibus tantum nefas debuit inchoare, quam cum hæreticus Imperator adversus Tyrannum decertaret. Nicolaus Primus *p* in responsione ad consulta Bulgarorum, eos hortatur exemplo Constantini, cui dictum est *in hoc signo vinces*, ut Crucem ferant in signo militari, cùm prius caudam equi portarent. Finio, si Crucem prius humiliter salutavero. Salve bona Crux, splendidior stellis, Lunâ micantior, rutilantior Sole, quæ tanquam vernantibus gemmis membris ornata Salvatoris, & pretioso Dei sanguine purpurata super astra cœli felices ramos expandis. Salve lignum electum germinans vitam, fructificans jucunditatem, oleum stillans lætitiæ, balsamum sudans spiritualium deliciarum. Tu salus mundi perditi, tu portus periclitantium, tu justitiæ norma, tu morum disciplina, tu pugnantium virtus, tu vincentium gloria, tu præmium, & corona. O Crux amabilis, & dilecta salva nos omnes tremendo tuo signaculo munitos, ut qui te fieri voluit nostræ redemptionis primarium instrumentum, per te quoque sanctificatos ad suæ gloriæ consortium nos transferat: quatenus in hac nostra qualicunque pœnitentia Cruce feliciter consummati per ignominiam passionis ejus ad resurrectionis gloriam perducamur.

k *Aut. Aug. l. 16. juris Pontif. tit. 14.* l *Baron. an. 60.* m *Arnol. de verb. Dom. c. ult.* n *Nic. Oresm. de mut. monet. cap. 13.* o *Baron. an. 353.* p *Nicol. I. c. 33.*

## §. VI.

## De Gloria Patri.

*Varii errores recensentur, & confutantur de hujus Hymni origine, & institutione. Quid sit Deum glorificare. Vera gloria quæ sit. Inanis gloria sugillatur, laudatur humilitas.*

1. MAgnus Basilius incomparabilis Ecclesiæ Doctor, qui sub Valente Imperatore floruit *q*, libro de Spiritu sancto, quem in sui defensionem ad Amphilochium Iconii Episcopum scripsit, hujus versiculi: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, quem Patres antiqui hymnum glorificationis vocabant, duobus locis mentionem facit. Primò, capite septimo his verbis; Proinde quod à majoribus nostris dictum est, & nos dicimus, gloriam esse communem Patri cum Filio, quapropter & glorificationis Hymnos Patri simul cum Filio offerrimus. Clarius deinde, & fusius capite vigesimo septimo, professionem fidei velut initium quoddam glorificationis fecimus. Sed quid faciendum est? Nunc enim doceant nos, ne baptizemus quemadmodum accepimus, aut ne glorificemus quemadmodum credimus; & paucis interjectis. Dictum est igitur nihil refert ad sensum, sive dicas; *Gloria Patri, & Filio, cum Spiritu Sancto*: sive dicas, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui San-*



q *Baron. an. 371. n. 71. & seqq.*

*sancto*. Magnus item Athanasius Archiepiscopus Alexandrinus, qui triginta & amplius annis ante Basilium florere cœpit, libro de Virginitate, sive de Mediatione, nonne disertis verbis hunc Hymnum commemorat? Cum, inquit, surrexeris à mensa rursum gratias agendo trinis vicibus dicas: Miserator, & misericors Dominus escam dedit timentibus se; *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, rursumque post peractam glorificationem preces tuas absolves. Ab hisce insignibus insignium virorum testimoniis ordiri libuit, quo plura errorum capita uno ictu rescinderem. Nam in primis lapsi sunt, qui ex Theodoreto *r*, ex Sozomeno *s*, ex Tripartita *t*, & clarius ex Nicephoro *u* Flavianum Monachum Antiochenum Hymni hujus faciunt Auctorem. Cum enim Catholici Imperante Constantio Patrem cum Filio pari gloria celebrarent, Ariani verò ambiguis locutionibus Filium Patre inferiorem ostendere conarentur, Flavianus (ut isti ajunt) coacta Monachorum caterva primus omnium clara voce cantávit; *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*. Sed hunc Hymnum Flaviano antiquiorem esse Athanasii, & Basilii citatæ auctoritates convincunt. Errarunt & alii, qui post Walfridum Strabonem *x* à magna Synodo Nicæna compositum fuisse affirmant: idque Heremias Sozomenus *y* indicare videtur, cum agens de Leontio Episcopo Antiocheno ait illum, tametsi Arianus esset, eos tamen qui Hymnis fidei Concilii Nicæni consentientibus Deum laudarent, prohibere noluisse, ne populus seditionem conflaret. At verò glorificationis Hymnum non esse à Nicænis Patribus inventum Baronius *z* Ecclesiasticæ antiquitatis instructissimum promptuarium concludit tum ex allato Basilii testimonio; tum quia fideles cum ab ipsis Apostolorum temporibus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizarentur, tres easdem personas jam dicto Hymno conglorificare cœperunt.

2. Sanè Ariani sicut baptismi formam, ita glorificationem corruperant, ut dicerent, *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto*: cum Catholici more usitato, & antiquitus tradito uterentur psallentes, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*. Cumque iidem Ariani ore sacrilego blasphemantes assererent fuisse tempus, quando Filius non erat cum Patre, adversus hujuscemodi sceleratam loquelam decrevit Nicæna Synodus, ut illa appendix, *Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen*, ad antiquam glorificationem adjungeretur. Testatur id Concilium primum Vasense, seu Vasatense, verius Vasionense in Gallia paulò post Nicænum tempore Constantii Imperatoris sub Julio Papa celebratum, licet ejus Canones confusi existant cum Vasionensi Secundo sub Leone Magno; hac sanctione edita. Quia non solum in Sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem, & totam Africam, vel Italiam propter hæreticorum astutiam, qua Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed à tempore cœpisse blasphemant, in omnibus clausulis post *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*; *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen*, dicitur: etiam nos in universis Ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decernimus. Sicut autem diximus solemnem doxologiam non fuisse à Nicæna Synodo adinventam; ita etiam asseveramus non fuisse ab ea statutum, ut in fine cujusque Psalmi concineretur. Nam cum fuerint postea hac de re diversæ diversarum Ecclesiarum consuetudines, consentaneum est credere, nullam fuisse communem universalis Ecclesiæ præceptionem, à qua proculdubio nullus fidelium deviare præsumpsisset. Multi Scriptores alioquin fide dignissimi hanc legem canendæ doxologiæ in fine Psalmorum ad Damasum Papam referunt, à quo de hac re editam sanctionem ajunt Divo Hieronymo suadente, & procurante. Decepti sunt isti ob Epistolam Hieronymi ad Damasum, quæ habetur primo tomo Conciliorum in rebus Damasi, in qua hæc leguntur; Precatur ergo cliens tuus, ut vox ista psallentium in sede tua Romana diu noctuque canatur, & in fine Psalmi cujuslibet sive Matutinis, sive Vespertinis horis conjungi præcipiat Apostolatus tui ordo, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, & quæ sequuntur. Decepti sunt, inquam, nam ut in calce prædictæ Epistolæ in Conciliis Coloniæ editis ex Baronio notatum est, ab eruditis Hieronymi res accuratius expendentibus ea tanquam adulterina, ac planè commentitia exploditur.

3. Impostoram detexit Joannes Cassianus *a*, qui de institutis Cœnobiorum differens ait; Illud etiam quod in hac Provincia vidimus, ut uno cantante in clausula Psalmi omnes astantes concinant cum clamore *Gloria Patri, & Filio*, &

*r* *Theodoret. l. 2. Eccl. hist. c. 24.* *s* *Sozom. lib. 3. cap. 19.* *t* *Tripar. l. 4. cap. 35.* *u* *Niceph. Call. lib. 9. cap. 24.* *x* *Walfrid. de reb. Eccl. cap. 25.* *y* *Sozomen. loco citato.* *z* *Baron. an. 325.*

*a* *Cassian. lib. 2. de inst. cœnob. cap. 8.*

*& Spiritui sancto*, nusquam per Orientem audivimus; sed cum omnium silentio ab eo qui cantat finito Psalmo orationem succedere: hac verò glorificatione Trinitatis tantummodò solere Antiphonam terminari. Ex his verbis quis non videat nullam fidem Epistolæ prædictæ esse adhibendam: Si Cassianus sagacissimus sacrorum rituum observator nusquam audivit gloriam post Psalmos in Oriente cantari, quomodo Hieronymus, qui quinquaginta ferè annis ante Cassianum floruit, potuit usum qui non erat in Occidentem transferre? Vigilius Papa *b* in fine omnium Psalmorum dici ab omnibus ex more *Gloria Patri* asseverat: atque etiam quorumdam reprehendit errorem, qui subductâ unâ syllabâ conjunctivâ perfectum conabantur minuere vocabulum Trinitatis dicentes, *Gloria Patri, & Filio, Spiritui sancto*. Apud Baronium *c* extat Canon Narbonensis Concilii, quod celebratum fuit æra 627. anno scilicet Christi 589. centum sexagesima, & amplius annis post obitum Hieronymi: Ut in psallendis ordinibus per quemque Psalmum gloria dicatur Omnipotenti Deo, per majores verò Psalmos, prout fuerint prolixiores, pausationes fiant, & per quamque pausationem gloria Trinitatis Domino decantetur. Ex quibus omnibus colligi potest, usum canendi gloriam in fine Psalmorum non tantam præ se ferre antiquitatem, quantam vulgus Scriptorum existimat. Scripsit de hoc Hymno tractatum anagogicum Joannes Gerson *d* mysticæ Theologiæ professoribus maximè utilem. Illud autem certissimum est, Hymnum glorificationis ab Apostolis compositum, à Patribus Nicænis auctum, ab universa Ecclesia receptum omni reverentia cantandum esse. Qui enim irreverenter & nimis festinanter eum pronuntiant, non Deum glorificare, sed blasphemare dicuntur; de qua re notabilis visio S. Annonis Colonienſis Archiepiscopi refertur in ejus vita lib. 2. cap. 18. apud Surium die 4. Decembris. Gloria omnium Deus est, ait Hermes ille ter maximus in Pimandro, ac propterea ipsi soli debetur gloria, ut fiat quod scriptum est, *e Afferte Domino gloriam, & honorem, afferte gloriam nomini ejus*. Ut verò docet Fulgentius *f*, Quemadmodum non est aliud justificare, nisi justos facere; sic non est aliud glorificare, nisi gloriosos facere: Ideò quando Deus nos glorificat, facit nos gloriosiores, facit honoratiores: at verò cum nos ipsum glorificamus, nobis prodest, non illi. Nam quomodo eum glorificamus? Glorioſum dicendo; non faciendo. Proinde cum dixisset in Psalmo, *g Sacrificium laudis honorificabit me*, ne putares te aliquid præstare Deo offerendo illi sacrificium laudis, protinus addidit, *Et illic iter quo ostendam illi salutare meum*. Neque enim consistit glorificatio in novæ gloriæ adjectione ad eum qui glorificatur, sed in gloriæ jam habitæ manifestatione.

4. Rectè gloriam describit Romanæ eloquentiæ princeps *h*: Gloria est solida quædam res, & expressa, & non adumbrata: ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox benè judicantium de excellenti virtute: ea virtuti resonat tanquam imago. Quod si veritas, & stabilitas veræ gloriæ necessariò attribui debent, quænam vera gloria censenda erit, nisi illa duntaxat, quæ perpetua est, & immutabilis? Quantum enim inter gloriam, & ignominiam, ait Chrysostomus *i*, tantum inter cœlestem illam gloriam, & hanc humanam est differentiæ. *Vani sunt filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum k*. Et unde tibi gloria putride vermis? Nonne scriptum est *l*; *Sine me nihil potestis facere? Si ergo accepisti omnia, quid gloriaris quasi non acceperis?* Quare quod alienum est usurpas tibi? *Soli Deo honor, & gloria*, inquit Apostolus *m*. Et ipse Dominus per Prophetam *n* quid dicit? *Gloriam meam alteri non dabo*. Non ergo glorietur sapiens in sapientia, nec fortis in fortitudine, nec dives in divitiis. Omnis enim qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur: Vera, & secura gloriatio est in Domino gloriari, sicut ille Dei præco nos hortatur dicens *o*, *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. Quæ verba explicans speciali sermone Bernardus ait: Noverat Apostolus gloriam propriam esse Creatoris, non creaturæ: sed consideravit rationalem creaturam adeò affectare gloriam, ut aut vix, aut nunquam ab hoc compesci desiderio possit, quippè quæ ad imaginem facta est Creatoris. Propterea secundùm datam sibi à Deo sapientiam saluberrimum adinvenit consilium dicens: Quandoquidem persuaderi nobis non potest non gloriari, saltem qui gloriatur, in Domino glorietur. Enimvero, ut ait Hieronymus *p*, si ab



b *Vigil. epist.* 1. c *Baron. an.* 598. *num.* 31. d *Gerson tom.* 3. *de hymn. Gloriæ.* e *Psalm.* 28. *Fulg. l.* 1. *ad Monimum.*

g *Psalm.* 49. h *Cicero* 3. *Tuscul.* i *Chrys. hom.* 17. *de Rom.* k *Psalm.* 61. l *Joann.* 15. 5. m 1 *Tim.* 1. 17. n *Isa.* 48. 11. o 1 *Cor.* 1. 31. p *Hier. in c.* 5 *ep. ad Gal.*

hominibus quæro gloriam, vitium est: si à Deo, virtus est. Hæc meminisse nos decet, cum gloriam Domino cantamus, ut juxta verbum Prophetæ *q Benedicta sit gloria Domini de loco suo*, de corde scilicet humili, & pacifico, de corde mundo, & recto, quia, ut dicit Chrysostomus *r*, Cum Deum glorificamus, sed non rectè vivimus, tunc maximè in ipsum contumelioſi sumus.

## §. VII.

## De alleluja.

*Hujus vocis præconia ex Patribus. Cur ex Hebraico in Græcum, vel Latinum idioma non sit translata. Cur certis diebus intermittatur. Cur prolixiori modulatione cantetur. A quo primum cantari cœperit. Ejus multiplex usus. Quid Latine significet. Addita quædam ex Hebraico fonte de decem præcipuis nominibus Dei.*

1. LAudem singularem apud eruditos invenit in explicandis divinis Officiis vir doctrina, & sanctitate conspicuus Rupertus *s* Abbas Tuitiensis. Ab ejus elegantissimis verbis libet hanc tractationem de cantico Domini *Alleluja* exordiri. *Alleluja*, inquit, Latinæ linguæ peregrinum nomen est, cujus mysterium velut quoddam gaudii stillicidium de divitiis supernæ Hierusalem primum in mentem Patriarcharum, & Prophetarum, post in Apostolorum ora plenius per Spiritum sanctum delapsum est. Significat enim æternum Angelorum, & beatarum animarum convivium, quod est semper laudare Dominum, & præsentis, semperque videndi vultus Dei novum sine fine cantare miraculum. Quapropter non interpretatum hoc Hebraicum nomen remansit, ut pegrinum ab hac vita gaudium peregrinum nihilominus signaret potius, quam exprimeret vocabulum. Quoniam igitur futuræ beatitudinis quasi proprium est vocabulum, jure eo tempore magis frequentatur, quo resurgens Dominus ejusdem beatitudinis spem nobis propinavit, & promissum. Hinc dum Psallimus Alleluja, jubilamus magis, quam canimus, unamque brevem digni sermonis syllabam in plures neumas, vel neumarum distinctiones protrahimus, ut jucundo auditu mens attonita repleatur, & rapiatur illuc, ubi sancti exultabunt in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Hæc Rupertus, qui & idem argumentum fusius alibi *t* prosequitur. Beda *u* quoque Venerabilis omni disciplinarum genere sua ætate doctissimus, ejusdem cantici referans arcana, Rectissimè, ait, & pulcherrimè generalis sanctæ Ecclesiæ mos inolevit, ut hoc Divinæ laudationis carmen propter reverentiam primæ auctoritatis à cunctis per orbem fidelibus Hebræa voce cantetur. Quod ideò fit, ut per talis consonantiam devotionis omnis admoneatur Ecclesia, quia & nunc in una fidei confessione, ac dilectione Christi consistere debeat, & ad illam in futuro patriam festinare, in qua nulla diversitas mentium, nulla est dissonantia linguarum. Idcircò autem plures magistri Ecclesiæ decantationem *Alleluja* tempore Quadragesimæ intermittendam esse sanxerunt, ut nova ejus repetitio majorem, gratioremque Paschalibus solemniis honorificentiam reddat, & splendorem. Sed & hoc in mysterium maximè designare voluerunt, quod in hujus exilii peregrinatione, sicut ex parte novimus, & ex parte prophetamus, ita etiam ex parte Dominum laudamus dicentes cum Propheta, *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Cum verò nostram patriam, terram scilicet viventium, domumque regni cœlestis nobis olim à Domino repromissam intrare meruerimus, tunc ut illum perfectè intueri, sic etiam perfectè valebimus collaudare. Ex his duorum præclarissimorum hominum sententiis manet explicatum, *cur Alleluja* nativi idiomatis primigeniam retinuerit vocem, cur certis diebus intermittatur, cur prolixiori notarum decursu canterur. Alia quædam adferunt alii haud contemnenda.

2. Augustinus *x*: Nec Latino, nec barbaro licet *Alleluja* in suam linguam transferre: Amalarius *y* *Alleluja* quod cantatur in recordatione æternæ lætitiæ, tam lætitiam electorum, quam laudem Domini ad memoriam reducit. Omittitur tempore Septuagesimæ, & loco ejus dicitur *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ*, quia cùm Latina lingua humilior sit Hebræa, admonemur nos debere informari ad humiliorem conversationem in tempore Septuagesimæ, quàm

q *Ezech.* 3. 12. r *Chrys. ho.* 7. *ad Philip.* s *Rupert. l.* 1. *de divin. offic. cap.* 35.

t *Id. ibid. l.* 4. *c.* 8. u *Beda hom. in Dominic. post Ascens.* x *Aug. epist.* 178 y *Amalar. lib.* 3. *cap.* 13.

quàm in alio tempore. Albinus Flaccus *z*: Quia hac voce Angelos in cœlo Deum laudare cognovimus, hujusmodi voce laudationis creditum est Deum delectari. Hoc quoque ideò canimus, ut eumdem Deum nos colere in terra ostendamus, qui etiam colitur ab Angelis in cœlo. Beatus Ivo Carnotensis *a*: *Alleluja* non hujus temporis laudes, sed æternæ vitæ gloriam significat: unde mos inolevit, ut in diebus Septuagesimæ non cantetur, quia sunt dies luctus, & pœnitentiæ. Rursum Rupertus *b*. Quia in Septuagesima antiquæ Ecclesiæ nondum redemptæ statum commemoramus, nostrumque incolatum, quia prolongatus est, deplangimus, pulchro sacris ordine *Alleluja* ab ore nostro tollitur. Bernardus *c*: In luctu pœnitentiæ Septuagesima præsens agitur, unde & recitetur interim *Alleluja* solemne, & humanæ transgressionis historia miserabilis ab exordio recensetur. Leo Nonus *d* in Decreto Gratiani, ideò per novem Hebdomadas intermitti putat *Alleluja*, quod postea in festo Resurrectionis reassumitur, quia novem sunt ordines Angelorum, quorum decimus per superbiam corruit, & Angelicum imminuit numerum. Homo autem creatus ut impleret eorum ruinam Christo surgente resurrexit. Sed non consonat cum placitis Theolog. ejus de decem Angelorum choris sententia, quam etiam tenet Salonius in caput septimum Ecclesiastis. Etiam Calendis Januarii non dicebatur olim *Alleluja*, ut refert Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum hac ipsa die, idque vetitum propter errorem Gentilium ipsas Calendas multiplici superstitione polluentium Concilium quartum Toletanum *e* affirmat: Seraphicus Bonaventura *f*; Solemus longam notam post *Alleluja* super hanc literam A prolixius decantare, quia gaudium Sanctorum in cœlis interminabile, & ineffabile est. Stephanus Eduensis *g*. Allelujatici cantus modulatio laudes fidelium Deo dicatas exprimit, & gratiarum actiones, quibus suspirant ad æterna gaudia. Verbum est breve, sed longo protrahitur pneumate. Nec mirum si vox humana deficit ad loquendum, ubi mens non sufficit ad cogitandum, quia quæ vox, quæ lingua poterit repetere, quæ præparavit Deus diligentibus se? Lucas Tudensis *h* adversus Albigenses: Jubilus est mentis gaudium, quod homo intra se cohibere non valens in vocem verbis non expressam erumpit. Hoc sacrificium Deo plerumque offert Ecclesia, quando in sacrificio laudum sine verbis pneumata canit. Tyrrheni, teste Nicomacho Gerasseno Manualis Harmonici lib. 1. cùm summum Numen summo honore afficere volebant, non articulatis vocibus & verbis aliquid significantibus utebantur, sed sibilis & vocibus inarticulatis ineffabilem illius majestatem designantibus. Repræsentamus etiam hac vociferatione illa nobis bona futura post carnis dissolutionem, quæ verbis explicari non possunt. Richardus Victorinus *i*. Iteratur *Alleluja* ad significandam laudis æternitatem. Cassiodorus *k* vir clarissimus: Hoc verbi decus *Alleluja* à Ps. 104. fecit initium, nec ante à quoquam reperi positum: hoc Ecclesiis votivum, hoc sanctis festivitatibus decenter accommodum: hinc ornatur lingua cantorum, istud aula Domini lxta respondet, & tanquam insatiabile bonum tropis semper variantibus innovatur.

3. Non possum non subirasci hoc loco Tholosano Præsidii Durantо *l* qui admonet *Alleluja* esse Græcam vocem, idque Bedam credidisse ait, cum Beda dicat manifestè Hebræum esse vocabulum, & Hebraica nomina ponat in libello de eorumdem interpretatione. Miror & Anselmum *m* Cantuariensem Episcopum scripsisse *Alleluja* non esse vocem alicujus linguæ, sed Angelicam, quæ non habet propriam interpretationem in aliqua lingua. Miror inquam virum doctissimum non vidisse antiquorum Patrum commentaria afferentium genuinam hujus nominis significationem. Sed omnis Homo aliquid humanum patitur, & quandoque bonus dormitat Homerus. Quod autem spectat ad usum canendi hanc vocem scribit Epiphanius *n* Aggæum Prophetam primum fuisse, qui *Alleluja cantavit* anno ante Christum 517. cùm novam templi structuram vidit, ut adimpleretur quod Venerabilis ille Tobias *o* prophetico spiritu prædixerat, *ex lapide candido, & mundo omnes plateæ Hierusalem sternentur, & per vicos ejus Alleluja cantabitur.* Nec alibi in tota serie veteris testamenti exceptis Psalmis *p*, & libro Tobiæ isthæc



z *Albin. l. de div. Offic. c. de celebr. Missæ.* a *Ivo Ser. de sacram. dedicat.* b *Rupert. l. 4. c. 5.* c *Bern. in fin. Ser. 1. de Sept.* d *De conf. d. 1. c. Hi duo.* e *Conc. Tol. c. 10.* f *Bonav. l. de expos. missæ c. 2.* g *Steph. Eduen. l. de sacr. altar. c. 12.* h *Luc. Tuden. l. 2. c. 6.*

i *Richard. in c. 19. Apoc.* k *Cassiod. in ps. 104.* l *Durant. l. 2. d. de rit. Eccl. c. 20.* m *Anselm. in cap. 19. Apoc. si tamen ipse ejus operis auctor est.* n *Epiphan. lib. de vita, & morte Propher.* o *Tob. 13: 22.* p *Psalm. 104. & in titulis aliorum. psal. qui sunt 20.*

vox reperitur expressa. At in nova lege admirabilis Joannes audivit in cœlo supernarum virtutum agmina psallentia, & dicentia *Alleluja* q, ut inde cognoscamus in novam Christi Ecclesiam è cœlo descendisse nobilissimum hoc canticum *Alleluja*. Optime Isidorus in suo Breviario Mozarabico, Dominica prima xl. *Alleluja*, in cœlo & in terra: in cœlo perpetuatur, & in terra cantatur: ibi sonat jugiter, hic fideliter: illic perenniter, hic suaviter: illic feliciter, hic concorditer: illic ineffabiliter, hic instanter: illic sine syllabis, hic modulis: illic ab Angelis, hic à popalis. Extat in ditione Torretana insigne cœnobium, quod *Alleluja* nuncupatur. Hoc autem nomen, ut ex Æthiopica legatione Francisci Alvarez r refert David à Mauden, ab Ascèta quodam religiosissimo accepit, qui sæpius audierat in cœlis hanc vocem ab Angelis decantari. Est igitur *Alleluja* canticum beatorum, quod jugiter in patria Domino modulantur. Nam ut scitè scribit Augustinus s, Quid habituri sumus in illa patria, quid acturi sumus? In secula seculorum laudabunt te. Hoc erit totum negotium nostrum sine defectu *Alleluja*. Idem alibi t. Dicamus quantum possumus *Alleluja*, ut semper dicere mereamur. Ibi cibus noster *Alleluja*, potus *Alleluja*; actio quietis *Alleluja*; totum gaudium *Alleluja* erit, id est laus Dei. Quis enim laudat aliquid sine defectu, nisi qui fruitur sine fastidio?

4. Quidam secuti Sozomenum u existimarunt Ecclesiam Romanam in die dumtaxat Dominicæ Resurrectionis ceciniſse *Alleluja*, cujus erroris antesignanus fuisse videtur Vigilantius, quem idcircò D. Hieronymus x acriter reprehendit. De eadem re arguit Latinos Michael Patriarcha Constantinopolitanus in epistola ad Joannem Episcopum Tranensem: cui respondet Humbertus y Cardinalis Episcopus Sylvæ candidæ dicens, *Alleluja* toto anno psallimus, exceptis novem Hebdomadibus, quibus id intermittere à Patribus nostris accepimus, quibus scilicet negligentias aliorum temporum diluere attentius debemus. Sicut enim quondam populus in eremo peccatum Idololatriæ in seipso punirus, & Ninivitæ pœnitentiam in prædicatione Jonæ acturi, omnem ornatum suum & delitias deposuerunt, & saccum & cinerem sibi imposuerunt, nec peregrinis verbis, ac exquisitis sive dulcisonis melodiis, sed propriis sermonibus, & incompositis sive amaris ejulatibus ad Dominum clamaverunt: sic & venerabiles Patres nostri agere consueverunt. Unde ornamenta, & delitias divitis linguæ tempore Quadragesimæ deponentes, pauperrimum habitum nostræ linguæ nobis imponimus, stulti facti propter Christum, nihil nos scire judicamus nisi per ipsum crucifixum. Sanctus Augustinus z diversas diversarum Ecclesiarum hac de re consuetudines fuisse testatur. Ut autem, inquit, *Alleluja*, per solos dies quinquaginta, tempore videlicet Resurrectionis, in Ecclesia cantetur, non usquequaque observatur. Nam & in aliis diebus variè cantatur alibi, atque alibi, ipsis tamen diebus ubique. In Africanis regionibus, teste Isidoro a, non omni tempore, sed tantùm Dominicis diebus, & quinquaginta post Domini Resurrectionem *Alleluja* cantatur pro significatione futuræ resurrectionis, & lætitiæ. Verùm apud nos, ait ille, secundùm antiquam Hispaniarum traditionem præter dies jejuniorum, & quadragesimam omni tempore canitur *Alleluja*, scriptum est enim, *semper laus ejus in ore meo*. Quod verò scribit Gregorius Magnus b Damasum Papam ex B. Hieronymi traditione accepisse, ut ad imitationem Hierosolymitanæ Ecclesiæ Romanæ concineretur *Alleluja*, id cautè intelligendum est. Non enim cœpit eo tempore in Ecclesia Romana cantari *Alleluja*; sed cùm tempore tantum Paschali cantaretur, tunc sancitum est, ut etiam extra illud frequentaretur. Porrò vivente Damaso adeò communi usu liquet eam vocem fuisse receptam, ut in funere quoque defunctorum audiretur. Dum enim agerentur exequiæ Fabiolæ, ut Hieronymus c scribit, sonabant Psalmi, & aurata tecta templorum reboans in sublime quatiebat *Alleluja*. In sacris item defunctorum Liturgiis invenio ab Hispanis dictum *Alleluja* in Missali Gotthico, sive Mozarabico secundùm regulam S. Isidori. Missa siquidem pro defunctis sic incipit: *Tu es portio mea Domine alleluja, in terra viventium alleluja, alleluja*. In Ecclesia Gallicana eumdem ritum viguisse acta S. Radegundis testantur apud Baronium d. Græci quoque dicunt *Alleluja* in officio pro his, qui dormierunt. Hebræi liberati divino auxilio à morte, quam eis paraverat Ptolomæus Philopator Rex Ægypti,

q *Apoc.* 19. r *Alvarez. ca.* 41. *Mauden in c.* 13. *Tobiæ.* s *Aug. in ps.* 83. t *Id. Serm.* 7. *de diæb. piscationibus.* u *Soz. l.* 7. *c.* 19. x *Hieron. initio lib. adv. Vigilantium.* y *Humbert. adv. Michaelem Constantinopol.*

z *Aug. ep.* 119. *c.* 17. a *Isidor. l.* 1. *de div. off. c.* 13. b *Greg. lib.* 7. *ep.* 63. c *Hier. ep.* 30. d *Baron. an.* 590. *num.* 39.

Ægypti, gratias agentes, & inclamantes *Alleluja* cum gaudio receſſerunt, ut habetur lib. 3. Machabæorum *e*, quo Latini carent. Olim pro celeuſmate cantatum à nautis *Alleluja* refert Sidonius Apollinaris. *f*

*Curvorum hinc chorus helciariorum*
*Concinentibus* Alleluja *ripis*
*Ad Chriſtum levat amnicum celeuſma.*

Appoſitè ad hanc rem Auguſtinus *g*. Celeuſma noſtrum dulce cantamus *Alleluja*, ut læti, ac ſecuri ingrediamur ſempiternam, ac feliciſſimam patriam. Paulinus de eadem voce ſic canit: *h*

*Hinc ſenior ſociæ congaudet turba catervæ,*
*Alleluja novo balat ovile choro.*

Infantes ipſi in hanc vocem linguam primum ſolvere docebantur. Agricolæ ruſticum opus agentes eo cantico laboris moleſtiam allelujabant. Hac eadem ſymbolica voce ad collectam, ſive ad ſynaxim Monachi olim convocabantur, quæ omnia tradit in ep. S. Hieronymus *i*.

5. Narrat Victor Vitenſis *k*, quod in Paſchali ſolemnitate irruentibus Arianis in Eccleſiam, & ſagittas in Catholicos ſpargentibus, cum lector unus pulpito inſiſtens allelujaticum melos caneret, ſagitta in guttur jaculatus cadente de manibus codice martyr occubuit. Pſalmos allelujaricos legimus apud Auguſtinum *l*. Apud Theodorum Balſamonem *m* legunt nonnulli cantica allelujaria, neſcio qua fide, nam in textu quem citant quoſdam dumtaxat reprehendi reperio, qui in nobilium defunctorum memoriis laudatorias preces cum jambis, muſica, & organica cantica cantillabant, & pro epitaphio epithalamium recitabant: niſi fortè quiſpiam Græcum illud μυσικὰ καὶ ὀργανικὰ μινεήσκεται tranſtulerit cantica allelujaria. Hoc obiter libuit annotare. S. Germanus Pariſienſis Epiſcopus concinens *Alleluja* magnum extinxit incendium, ut Fortunatus Pictavienſis *n* ſcripſit in ejus vita. Ab altero Germano Epiſcopo Antiſiodorenſi devictos fuiſſe hoſtes, dum Sacerdotis inclamaretur *Alleluja*, acta ejus à Conſtantio Presbytero *o* conſcripta commemorant. Bandomina *p* ſanctimonialis in vita ſanctæ Radegundis Reginæ; Uſque adeò, inquit, ab ejus corde & ore laus Dei non recedebat, ut, cùm vocare vellet prætereuntem ſanctimonialem, pro nomine proprio diceret *Alleluja*. Auditam in templo Serapidis vocem concinentem *Alleluja*, & tanquam prodigium habitam, quod templum deſtruendum foret, & occupandum à Chriſtianis refert Sozomenus *q*. Et revera ſic factum eſt. Nam ejus ruinam Dei hoſtis Eunapius Sardianus *r* Diabolico ſpiritu afflatus deſcribit, & pro Sacerdotibus Idolorum Monachos ibidem ſubſtitutos his verbis exaggerat: Cultus Numinis apud Alexandriam, & Serapidis delubrum diſturbata, diſſipataque fuere, non religio tantum, ſed univerſa fabrica, & omnia eum habuerunt exitum, quem Poëtarum fabulæ tribuunt gigantum victoriæ. Et qui bellum nunquam auditione acceperant, Serapidis ædem funditus demoliti ſunt, templique donariis manus hoſtiliter injecerunt. Et poſt pauca. Iidem poſtea in ſacra loca invexerunt Monachos ſic dictos, homines quidem ſpecie, ſed vitam turpem porcorum more exigentes, qui in propatulo infinita, atque infanda ſcelera committebant, quibus tamen pietatis pars videbatur ſacri loci reverentiam proculcare. Sic ille blaſphemus, cui conſonat carmine elegiaco Rutilius *s* in Itinerario pari furore in Monachos Lirinenſis Inſulæ debachatus. Quod licet parergon eò libentius adnotavi, ut clariùs agnoſcant lectores, quo ſpiritu ducantur recentiores hæretici, qui prædicta Idololatræ verba magno ſolent plauſu adverſus Monachos effutire, & in ſuis commentariis aureis fermè literis exarare.

6. Extat in Regula ſancti Benedicti *t* integrum caput, quo ſanctus Pater determinat dicendum *Alleluja* à Paſcha quidem uſque ad Pentecoſten ſine intermiſſione: à Pentecoſte autem uſque ad caput Quadrageſimæ omnibus noctibus cum ſex poſterioribus Pſalmis nocturni Officii: omni verò Dominica extra Quadrageſimam ad cantica nocturnorum, & ad omnes horas Veſperis dumtaxat exceptis. In cujus Monaſticæ ſanctionis explicatione mirè ſe torquet Rupertus Abbas *u* tacito nomine Ciſtercienſes ſugillans, quaſi præferrent literalem Regulæ obſervantiam uni-

e 3. *Machab. in textu Græco circa finem.* f *Sidon. l. 2. ep. 12.* g *Aug. l. 2. de cantico novo cap. 2. tom. 9.* h *Paulin. ep. 18.* i *Hieron. ep. 7. 17. 27.* k *Victor lib. 1. de perſec. Wandalica.* l *Aug. in pſ. 105.* m *Theod. Balſ. ad can. 106. Conc. Carthagin.* n *Fortun. Ep. Pictavien. in vita S. Germ. cap. 5.*

o *Conſtant. lib. 1. c. 28.* p *Bandomina l. 2.* q *Sozom. l. 7. c. 20.* r *Eunapius lib. de vitis Philoſoph. in Adeſio.* s *Rutil. v. 440.* t *Bened. Reg. c. 15.* u *Rupert. in Reg. S. Bened. lib. 2. c. 13.*

universalis Ecclesiæ præcepto quo statuitur in Septuagesima dimitti *Alleluja*. De qua re eosdem Cistercienses olim reprehendit Petr. Abaelardus *x* his verbis: *Alleluja* nec in Septuag. communi Ecclesiæ more intermittitis, sed usque ad Quadragesimam retinetis. Sed nunc omnes Monachi tam Cistercienses, quàm aliarum Congregationum non discrepant in hac re ab Ecclesia Romana, quæ mater est cunctarum Ecclesiarum. Atque id jam suo tempore à quadam Synodo Gallicana statutum fuisse Smaragdus Abbas *y* commemorat. Quo verò tempore sanctissimus Legislator regulam scripsit, nondum sic erant officia ordinata, ut in Septuagesima *Alleluja* deponeretur, insinuat Augustinus *z*, & clarè docet Concilium Toletanum. *a*

7. Sed age videamus quid Latinè significet hoc Hebraicum nomen *Alleluja*. Qua in re multas omitto ineptas quorumdam interpretationes verò sensui haud consentaneas quas curiosi Lectori Joannes Lorinus *b*, & Ludovicus ad Alcazar *c* abundè suppeditabunt. Dico igitur verum, & legitimum hujus vocis sensum ex Hebraico idiomate sumendum esse. *Alleluja*, non est una simplex dictio, sed è duobus vocabulis componitur הללו *Hallelu*, & יה *Jah*: & sonat laudate Deum cum jubilo, lætitia, & cantu, הללו *Hallelu* idem est ac laudate, vocem extollite cum lætitia, à radice הלל *Hallal*. Est secunda persona numeri multitudinis modi imperativi in Pihel. הלל *Hillel* significat laudare, lætari, insanire, illuminare, splendere: quarum omnium significationum exempla affert Sanctes Pagninus in Thesauro linguæ sanctæ ex R. David Kimchi, verbo יה הלל *Jah* unum est ex nominibus Dei: ideò *Alleluja hilarem* habet acclamationem, & jucundam exhortationem ad laudes Dei concinendas, quæ cum uno Latino vocabulo sufficienter exprimi nequeat, majores nostri primitivam Hebraici idiomatis nomenclaturam retinuerunt. Auctor quæstionum ad Orthodoxos inter opera Justini Martyris *d* sic *Alleluja* explicavit: ὑμνήσατε μετὰ μέλους τὸν θεόν, laudibus celebrate canentes id quod est, sive ipsum ens. Nomen enim יה *Jah*, dictum volunt nonnulli ab היה *hajah*, quod est esse. Dionysius Areopagita in fine capitis quarti de Ecclesiastica Hierarchia hujus vocis mentionem facit, quæ in sacri Chrismatis confectione cantabatur. Porrò, ait, sacrum divinitus inspiratorum Prophetarum μιγώδημα ajunt qui Hebraicè norunt, laudem Dei significare. Clarius Abbas Vercellensis in sua Paraphrasi. *Alleluja* autem secundùm Hebræos interpretatur laus Dei, vel laudate Deum: Quam explicationem approbat Carthusianus *e* in libri hujus elucidatione. Illud verò advertendum, multò majorem vim apud Hebræos habere hanc vocem *Alleluja*, quam apud Latinos Laudate Deum; hoc est enim exhortantis, vel excitantis ad Deo laudes reddendas: at *Alleluja* vim potius habet interjectionis quàm verbi, & vehementem sonat affectum acclamantis præ gaudio, & ex laude Dei exultantis, atque in jubilum, vocemque lætitiæ erumpentis.

8. Quoniam autem de nominibus Dei semel injecta est mentio, danda mihi venia est, & permittendum, ut divertam paulisper, in hortulosne dicam, an in sylvosas convalles Hebraicarum eruditionum? Imò nec divertam quidem, cùm quotidie Prophetico moneamur affatu Dei nomen sanctum laudare, extollere, magnificare. Teste igitur D. Hieronymo *f* decem sunt apud Hebræos nomina principalia, quibus in sacris Bibliis Deus nominatur.

Primum est אל *El*, pro quo Græci ἰσχυρὸν, Pagninus fortem vertit, ut Psalmo 49. *Deus Deorum Dominus locutus est*, אל אלהים יהוה דבר *El elohim Adonai diver*, Pagninus interpretatur, Fortis Deus Dominus locutus est. Et Exodi 15. ubi nos legimus: *Quis similis tui in fortibus Domine?* textus Hebraicus sic habet מי כמכה באלם יהוה *Michamochah baelim Adonai*. Quæ verba cùm fortissimi Duces Machabæi solis capitalibus litteris מכבי *Mem*, *Chaph*, *Beth*, *Jod* in vexillis pro militari tessera inscribi fecissent, inde Machabæi Hebraicè dicti sunt.

Secundum nomen est אלהים *Elohim*, habetur statim initio Geneseos. בראשית ברא אלהים *Bereshith bara Elohim. In principio creavit Dii*, est enim Elohim numerus multitudinis, quo nomine insinuatur mysterium sanctissimæ Trinitatis in ipso limine scripturarum. Attribuitur Judicibus, & Sacerdotibus, ut Exodi 22. *Applicabitur ad Deos*, id est ad Judices. Et *Diis non detrahes*, id est Sacerdotibus. etiam pro An-

x *Abaelard. epist. 5.* y *Smarag. in cap. 15. Reg. S. Bened.* z *Aug. in ps. 110.* a *Concil. Tol. 4. can. 11.* b *Lorin. in psal. 104.* c *Alcaz. in Apoc. c. 19.* d *Justin. qu. 50.*

c *Carthus. ar. 37.* f *Hieron. ep. 136. ad Marcellam.*

Angelis usurpatur, ut Psalmo 8. *Minuisti eum paulò minus ab Angelis*, Hebraicè מאלהים *Me elohim*, à Diis. In ipsa rerum creatione describenda triginta duabus vicibus repetitur, unde Cabalistæ triginta duas semitas sapientiæ stulto prorsus, ac inani studio collegerunt.

Tertium nomen est אלהי *Elohe*. Exodi 5. אלהי העברים *Elohe Hab hiurim*, *Deus Hebræorum vocavit nos*. Quartum est צבאות *Sabaoth* virtutum, sive exercituum Deus, cujus singulare est צבא *Sabah* exercitus, Psal. 23. *Dominus virtutum* יהוה צבאות *Adonai Sabaoth*. Et 1 Reg. 1. *Ut sacrificaret Domino exercituum*. ליהוה צבאות *Ladonai Sebaoth*.

Quintum עליון *Nghelion* excelsus, summus, altiss. Ps. 90. *Qui habitat in adjutorio* עליון *altissimi*.

Sextum אהיה *Ehieh*, qui est Exod. 3. *Qui est* אהיה *misit me ad vos*. Et supra, *ego sum qui sum*, אהיה אשר אהיה *Ehieh aseer Ehieh*, quem textum legunt Septuaginta, Ego sum ipsum ὁ ὤν ens. Solus enim Deus per suum esse essentialiter subsistit, à quo tanquam à fonte & plenitudine totius essentiæ, & existentiæ cuncta quæ sunt essentialiter dependent.

Septimum אדני *Adonai*, nos Dominum generaliter appellamus: quando significat Creatorem scribitur cum puncto camets sub Nun, quando attribuitur creaturæ cum alio puncto. Psal. 67. ברוך אדני יום יום *Baruch Adonai jom jom*, *Benedictus Dominus die quotidie*. Ponitur aliquando in numero multitudinis vel ornatus gratia, vel ob majorem divinæ Majestatis reverentiam. Psalmo 135. הודו לאדני האדנים *Hodu laadone haadonim*, Confitemini Dominis Dominorum, ubi vulgata legit singulatiter, *Confitemini Domino Dominorum*.

Octavum est ipsum nomen יה *Jah*, cujus occasione huc digressi sumus. Quidam dictum autumant ab היה *hajah*, quod est esse: dat enim Deus cunctis rebus ut sint, & permaneant. Alii à timendo à radicè ירא *jare* timuit, quod Deus è cunctis timendus sit, quibus & Targhum adstipulatur pro יה *Jah* sæpius vertens timorem. Isaiæ 26. ביה יהוה *bejah Adonai*, *in Domino Deo*. Et Ps. 67. ביה שמו *bejah scemo*. In Deo nomen ejus, quod vulgata legit, *Dominus* nomen *illi*.

Nonum est illud celeberrimum, ineffabile, τετραγράμματον quadriliterum, innominabile, ἀνεκφώνητον tremendum, & inexplicabile יהוה de quo non solum Hebræi, sed etiam Græci, & Latini Scriptores multa scitu dignissima scribunt. In Sacris Literis primò scriptum reperitur Geneseos 2. *In die quo fecit Dominus Deus cœlum, & terram.* ביום עשות יהוה אלהים ארץ ושמים *Bejom nghasoth Adonai Elohim erets, vesamaiim.* Perfecta enim à Deo rerum universarum creatione perfecta ejus appellatio adhibetur. Hoc est illud nomen, de quo ipse Deus Exodi 6. dixit ad Moysen, אני יהוה *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Jacob in Deo omnipotente, & nomen meum* יהוה *non indicavi eis*. Pro nomine autem tetragrammato Septuaginta verterunt Græcè ΚΥΡΙΟΣ, & Latinus Interpres loco ejus substituit Adonai, qua in re Hebræorum traditionem sequuti sunt. Non enim audent nomen sacrum quatuor literarum σεσαρὸν ἐ ἄρρητον eloqui, aut pronunciare, sed pro illo aliud subrogant nomen Adonai, sive Elohim. Porrò hodie vera, & legitima hujusce nominis pronunciatio ignoratur. Nam quod quidam perperam hebraizantes per hanc vocem *Jehova* efferendum censent, quam erroneum, & inane sit, pluribus ostendunt duo viri rerum Hebraicarum peritissimi Bellarminus, & Genebrardus: hic Epistola ad Lectorem, quam Commentariis in Psalmos præfixit, ille in Grammatica exercitatione super Psalmum trigesimum tertium statim in principio primi versus. Hujus doctrinæ cupidos ad hos remitto. Certè notarunt viri eruditi hoc vocabulum *Jehova* ignotum prorsus fuisse priscis Scriptoribus, qui vel inter Christianos, vel inter Hebræos sacri idiomatis cognitione floruerunt, quicquid scribat in contrarium Petrus Faber *g*, plurimæ licet lectionis homo, in suo libro singulari, quem Dodecamenon, sive de Dei nomine inscripsit. Quamvis autem vera nominis prolatio ignoretur, non ideò censendum est, quod voce exprimi nequeat, alioquin nec nomen quidem esset, nec literis, & syllabis constaret. Cardinalis Cusanus *h* ideò ineffabile dici putat, quia est complexio omnis vocalitatis, sunt ejus literæ vocales, & quiescentes, quia in Deo omnia quiescunt. Ajunt Cabalistæ quandam esse hujus Divini nominis expositionem, quam vocant *scem hamephoras*, quæ per duo præsertim nomina fieri solet, quorum unum duodecim, aliud est quadraginta duarum literarum, de quibus diffusè satis, & eleganter differit Petrus Galatinus libro secundo de arcanis Catholicæ veritatis ex R. Haccados. Hoc



g *Pet. Faber dodec. cap. 5.* h *Nic. Cusan. dialogo de Genesi.*

nomen est fundamentum, & radix omnium nominum divinorum, cæterisque omnibus præeminet. Alia enim nomina vel dicuntur de Deo propter actus notionales, ut esse Patrem, Filium, Verbum; vel per relationem ad creaturas, ut esse Creatorem, Dominum, Conservatorem: vel propter attributales perfectiones, ut esse justum, sapientem, omnipotentem: vel per remotionem imperfectionum, ut esse infinitum, immutabilem, immortalem. At verò nomen יהוה ipsum esse divinum significat, ut est in seipso, per se subsistens, infinitum, independens, & prorsus incomprehensibile. Joannes Goropius Becanus vir summæ literaturæ scripsit in sua Hermathena id nominis fuisse Deo impositum ab Adamo, sed confutatur à Petro Fabro, qui libro supracitato clarissimè probat ipsummet Deum sibi ipsi hoc nomen imposuisse, & Moysi revelasse, atque ante Moysen omnibus Patribus inauditum fuisse. Licet enim in Genesi sæpius legatur, id per prolepsin factum est ab ipso Dei Chronologo Moyse. Plura de hoc nomine Raimundus Martini *i* antiquus auctor nunc primum editus Parisiis in Pugione fidei, Archangelus Burgonovensis libro *de selectioribus, & obscurioribus Cabalistarum dogmatibus*, Annibal Rosselius *k* in Pimandrum Trismegisti, Pererius *l* in Exodum, Reuelinus libro de verbo mirifico, Joachimus *m* Abbas in Apocalypsim, R. Moyses *n* Ægyptius libro de dubiis perplexis Veteris Testamenti, R. Isaac in explanatione nominis sancti, S. Simeon Ben Joachai libro Zoar, R. Akiba, R. Jacob Cohen, & ex nostris insignis nugator Guillelmus Postellus in librum magno Abrahæ falsò adscriptum, cui titulus *Sepher Jetsirah*, id est liber Creationis, R. Joseph Castiliensis in Porta lucis apud Paulum Riccium lib. 4. *de Cœlesti agricultura*, & alii Cabalistæ in plerisque ridiculi, qui cautè legendi, & quantum permittit Ecclesiasticæ censuræ districtio.

Decimum nomen est, שדי *Saddai*, quod nos robustum, victorem, omnipotentem, & sufficientem sibi possumus interpretari. Genesis 17. אני אל שדי *Ani el Saddai*, *Ego Deus omnipotens*, Psalmo 67. *Dum discernit* שדי Saddai *cœlestis reges super eam*. Derivari potest à שדד *Sadad*, quod est vastare, spoliare, diripere, quia Deus omnia vastare, & in nihilum redigere potest. Vel à ש *Schin*, & די *Dai*, quod est sufficere, quia per se sufficiens est ad omnia: & ut inquit Algazel *o*, solus absolutè dives est, & ab omni dependentia liber. Alii deducunt à שד *Scad*, quod uber, & mammam significat: unde *Saddai* idem erit ac Deus uberum, Deus scilicet pietatis, & misericordiæ, Deus veniæ & consolationis.

Hæc sunt decem præcipua Dei nomina, quæ in Sacris Literis frequentius usurpantur, quorum omnium virtus in nomine JESU includitur, dicente Apostolo *p*, *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen*: ut quod olim Prophetia signaverat, veritas adimpleret, *& hoc est nomen*, ait Hieremias *q*, *quod vocabunt eum* יהוה צדקנו *Adonai Tsidkenu*, *Dominus justus noster*: loquitur autem de Christo, ut patet ex contextu. Idem Zacharias *r* vaticinatus est dicens, *In die illa erit Dominus unus, & nomen ejus unum*. Quod autem omnia nomina divina includantur in nomine JESU fusè pertractat Franciscus Georgius Venetus *s* in Harmonia mundi. Desino, & lectorem meum hortor ad laudandum nomen Dei cum solemni cantico *Alleluja*. Ut autem mea sit efficacior exhortatio, non meis, sed Augustini *t* verbis peroro. Hortamur vos, ut laudetis Deum, & hoc est, quod nos omnes dicimus, quando dicimus *Alleluja*: Sed laudate de totis votis, id est ut non solum lingua vestra, & vox laudet Deum; sed conscientia vestra, vita vestra, facta vestra. Etenim laudamus modò in Ecclesia, quando congregamur: cùm quisque discedit ad propria, quasi cessat laudare Deum. Non cessetbenè vivere, & semper laudat Deum: nam si à vita bona nunquam declines, lingua tua tacet, vita tua clamat, & aures Dei ad cor tuum. Ergò, fratres, non tantum ad sonum attendite, cum laudatis Deum, toti laudate: Cantet vox, cantet vita, cantent facta.

i *Raimund. 3. p. distim. 3. c. 2. & 4.* k *Rossel. l. 3. dial. 3.* l *Perer. in Exod. c. 6.* m *Joachim in Apocal. c. 1.* n *R. Moys. l. 1. c. 69.*

o *Agazel l. de nominibus Dei.* p *Philip. 2: 9.* q *Hier. 23: 6.* r *Zach. 14: 9.* s *Fr. Venet. cant. 2. ton. 9. c. 6. 7. 8.* *Aug. hom. 16. inter 50.*

## §. VIII.

## De Invitatorio.

*Cur Psalmus nonagesimus quartus, & quo ritu nocturnis vigiliis præmittatur. Brevis ejusdem Psalmi explicatio.*

1. Si-

1. SIcut buccinæ sonitu, tubarumque clangore dispersæ militum classes congregari solent ad ineundum cum hoste certamen; ita nobis, quorum cœtus sicut castrorum acies ordinantur, ante prolixiorem nocturnæ Psalmodiæ decursum super omnem classici sonum Spiritus sanctus per os Prophetæ potenter intonat dicens, *Venite exultemus Domino.* Hunc Psalmum semper nocturnis vigiliis præmittit Ecclesia, addita brevi Antiphona, quam Invitatorium ex ipso Psalmi argumento nuncupamus. Quis enim adeò perfectus in hac fragili carnis mollitie reperitur, qui adversus potestates tenebrarum harum in tenebris dimicaturus divini verbi non egeat adjuvari præsidio, sublevari incitamento? Quia verò ad cœlestes delicias solis victoribus promissas æqualiter omnes invitati, non omnes tamen invitantis vocem æquali fervore subsequuntur: ideò ipsa Invitatorii præludio, qua diversimodè pro varietate Officiorum, vel ad adorandum Dominum Deum nostrum, vel ad plorandum coram eo qui fecit nos, vel ad ejus gloriam in Sanctis suis prædicandam solemniter invitamur, non post singulas Psalmi sectiones integro, perfectoque modulamine repetitur; sed integra quidem sexies, dimidiata verò tertiò iteratur. Senarius enim numerus primus ex omnibus, qui infra decem sunt, perfectus est; quia ex partibus aliquotis, ut ajunt, simul combinatis, ex uno scilicet, duobus, & tribus perfectè resultat: præterquam quod ex proportione dupla constare dignoscitur, quæ diapason facit omnium consonantiarum perfectissimam. Senaria igitur, eaque integra Invitatorii repetitio illis propriè competit, qui & perfectè cum cordis exultatione Dei laudibus insistere satagunt, & per charitatis studium alios adhuc imperfectos, pro quibus diminuta fit Invitatorii iteratio, ad communionem Dominum ferventer collaudandum hortantur, ut, sicut Spiritus, & Sponsa dicunt Veni, ita qui audit, dicat Veni: & omnes pariter unius moris, & oris psallant cum jucunditate *Venite exultemus Domino.* Marcus Gazæus Diaconus *u*, qui vivebat anno Domini 430. processionem describit Christi fidelium, Psalmum *Venite exultemus* concinentium, & in versiculorum Psalmi intercisione dicentium *Alleluja*, quæ modulatio quandam Invitatorii speciem repræsentat. Scribit quoque Amalarius *x* hunc Psalmum se audisse Constantinopoli in Ecclesia S. Sophiæ in principio Missæ celebrari. Solet Ecclesia Romana Invitatorium omittere in solo Officio Epiphaniæ, qui ritus antiquissimus est, teste Alcuino & Hugone, tum quia totum officium est de vocatione gentium, ut docet Bonaventura *y*, & ea verba frequentius iterantur, venimus adorare eum: tum quia idem Psalmus in tertio nocturno cantatur, inconveniens autem esset bis in eodem officio eundem Psalmum recitari. Nos verò qui ex præscripto Regulæ nostræ in tertio nocturno tria Cantica è veteri Testamento psallimus, ipsa etiam Apparitionis die Invitatorium more solito decantamus. In Officio Mozarabo S. Isidori Invitatorium appellatur sonus. In regula Monachorum Auctore Anonymo *z*, quem Magistrum vocant, versus apertionis nuncupatur, sive Responsorium hortationis.

2. *Venite exultemus Domino.* Invitat, ait Augustinus *a*, ad magnas epulas exultandi non sæculo, sed Domino. Nisi enim esset in hoc sæculo exultatio mala, quæ distinguenda est ab exultatione bona, sufficeret dicere Venite exultemus, sed breviter distinxit. Quid est benè exultare? Domino exultare. Ergo exultatio mala est exultare sæculo, exultatio bona est exultare Deo. Piè debes Domino exultare, si vis securus mundo insultare. Hæc Augustinus. Quibus autem, & à quo dicitur Venite? Certè non potest fideliter dicere Venite, nisi ille qui jam viam intravit mandatorum Dei, qui jam exultans Domino alios, qui per somnolentiam, distractionem, vel vanitatem longè facti sunt, ferventer invitat, ut veniendo propinquent, propinquando accedant, accedendo exultent: ne fortè inter illos computentur, de quibus scriptum est *b Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Clamant membra diaboli *c*, *Venite, fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter: Venite, opprimamus pauperem, circumveniamus justum.* Clamant membra Christi, *d Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob.* Venite exultemus Domino, à quo facti sumus. Quò disceditis? Quem sequimini? Diabolum decipientem, mundum deficientem, carnem inficientem? Convertimini, & venite. Quò? vel unde? Ex vobis in vos ipsos: non enim locorum mutatio, sed conversio



u *Marc. Gaz. in vita S. Porphyrii.* x *Amalar. de Ord. Antiphonarii* c. 21.

y *Bonav. in Psal.* 94. z *Magister regulæ cap.* 44. a *Aug. in Ps.* 94. b *Matth.* 15. 18. c *Sap.* 2. 6. *Hierem.* 18. d *Isai.* 2. 3.

sensuum lætitiæ Divinæ æternam præparat mansionem. Ergo venite exultemus Domino. Sed ubi est illud, ait Chrysologus *e*, *Beati qui lugent, & Væ vobis qui ridetis?* Planè beati qui lugent mundo, & væ qui rident mundo: sed beati qui exultant Domino, qui nesciunt de rapinis, nesciunt de fraudibus, nesciunt lætari de lacrymis populorum. Hæc sit autem exultatio nostra, inquit Valerianus Cemelensis Episcopus *f*, ut diu noctuque lætemur in Domino. Hoc est autem exultare, mandatis Domini tota mente servire. *Jubilemus Deo salutari nostro*, à quo redempti, & liberati sumus. Jubilemus vincentium voce est, quia igitur vicit piorum chorus impiorum superbiam, meritò ad triumphalem Hymnum Deo psallendum victrix justorum turma incitatur. Porrò quod sequitur, *Præoccupemus faciem ejus in confessione*, dupliciter intelligi potest. Duplex enim est confessio; Est confessio laudantis ad honorem pertinens ejus qui laudatur; est confessio gementis ad pœnitentiam spectans ejus qui confitetur. Ad confessionem laudis vocantur perfectiores. Nos autem imperfecti ad pœnitentiam excitamur, quia non est speciosa laus in ore peccatoris. Præveniamus ergo faciem Dei in confessione, confiteamur Patri, ne judicem sentiamus: dicamus indulgentiæ tempore delicta nostra, ne severitati cogamur exolvere, quæ tacemus. *Et in Psalmis jubilemus ei.* Exigit Psalmographus jubilationem tanquam conditionem præcipuam ad dignè psallendum: hilarem enim datorem diligit Deus, & beatus dicitur populus qui scit jubilationem. *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos.* Rationes affert cur laudandus sit Deus. Quia magnus est super omnes Angelos, & Principatus, Rex Rerum, & Dominus dominantium. *Quoniam non repellet Dominus plebem suam. Eum*, inquit *g*, *qui venit ad me, non ejiciam foras. Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipsius sunt.* Nihil est tam abditum in rerum natura, nihil tam eminens, & elevatum, quod non sublit ejus arbitrio, præsentiæ, & potestati. *Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundaverunt manus ejus.* Ne fortè timeas ab altitudine maris demergi, & multitudine tribulationum ultra vires aggravari; Scito quoniam ipsius est mare, & non permittet fluctus ejus nimia perturbatione sævire, sed faciet cum tentatione proventum, ut possis sustinere. Quod si mentis ariditatem pertimescis, quia exarunt sicut testa virtus tua, accede ad Dominum, & dic illi, Anima mea sicut terra sine aqua tibi: & veniet super te gratia ejus, sicut imber temporaneus, & serotinus, ut fructum afferas in patientia: nam & aridam fundaverunt manus ejus. Propterea *Venite adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos.* Jam commemoratis Dei laudibus, & beneficiis concurramus omnes alacriter ad Dominum: illum solum adoremus, illi soli procidamus, illi per humilem subjectionem curvemus genua. Sola enim illa virtus, ait Leo Pontifex *h*, illa sapientia, illa est colenda majestas, quæ universitatem mundi creavit ex nihilo, & in quas voluit, formas, atque mensuras terrenam, cœlestemque substantiam omnipotenti ratione produxit. Sol, Luna, & sidera sint commoda utentibus, sint speciosa cernentibus; sed ita ut de illis gratiæ referantur Auctori, & adoretur Deus qui condidit, non creatura quæ servit. Quod si soliciti sumus de peccatis, quæ nos elongarunt à Deo, faciamus quod ait Propheta, ploremus coram Domino qui fecit nos. Etenim lacrymæ, teste Maximo *i* Taurinensi Episcopo tacitæ quodammodo preces sunt: veniam non postulant, & merentur: causam non dicunt, & misericordiam consequuntur: nisi quod utiliores lacrymarum preces sunt, quam sermonum, quia sermo in precando fortè fallit, lacryma omninò non fallit. Adoremus igitur, & ploremus: rursum ploremus, & adoremus: *Quoniam ipse* quidem *est Dominus Deus noster; nos autem populus ejus, & oves pascuæ ejus.* Ipse pastor, nos greges: ipse custos, nos oves. Ipse nos regit, ipse irrigat, ipse vivifica subministrat alimenta. Utrum verò inter oves Domini numerari possimus, ex hoc quod sequitur cognoscemus. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in irritatione, secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt & viderunt opera mea. Oves meæ*, ait Pastor *k*, *vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis.* Ad hœdos autem dictum est *l*, *Vocavi & renuistis.* Quare in hac die salutis, in hoc tempore acceptabili, si vocem Domini audieritis, vel vocantis per internam allocutionem, vel clamantis in virtute, & magnificentia, vel in sibilo

c *Chrysol. serm.* 46. f *Valerian. hom.* 10. g *Joan.* 6. 37.

h *Leo Magn. ser.* 2. *de Nat. Domini.* i *Max. ho.* 3. *de Pœnit. Petri.* k *Joan.* 10. 27. l *Prov.* 1. 24.

sibilo auræ tenuis susurrantis: audite monentem, sequimini trahentem, nolite rebellantem patrum vestrorum proterviam imitari, de quibus scriptum est, *Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem.* Et illi quidem terga verterunt Deo, cum ipse nunquam misericordiæ suæ beneficia ab eis subtraxerit. Nam *Quadraginta annis*, dicit Dominus, *offensus fui generationi huic*, jurgatus sum cum populo isto, proximus fuit illi in signis, & mirabilibus: *Et dixi, semper hi errant corde*, semper corde obdurato in peccatis contentiosè egerunt adversum me. *Ipsi verò non cognoverunt vias meas*, opera mea, & præcepta, vias vitæ, & semitas salutis: *quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Irrevocabili nimirum sententia decrevi, ne in terram quietis, quam promiseram Patribus eorum, ingrederentur. Ingens pœna hæc est, horrendumque supplicium adversus impios, qui vocem Domini contemnunt audire. Magnus terror, ait Augustinus *m*, ab exultatione cœpimus, sed ad magnum timorem concluſit Psalmus iste. Jurantem hominem debes timere, ne propter jurationem faciat, quod contra voluntatem ejus est: quantò magis Deum, qui nihil temerè jurare potest? Ecclesia itaque à spiritu veritatis edocta nocturnæ precis initio hunc Psalmum decantat, ut discamus exultare Domino cum tremore, quasi hilares, sed nondum securi. Quia verò benè cœpisse dimidium operis fecisse est, maximoperè studendum est, ut hoc solemne nocturnæ synaxis exordium pio mentis affectu, & sincera cordis intentione percurramus, omnes creaturas Dei ad ejus laudes nobiscum decantandas alacriter invitantes.

## §. IX.

## De Hymnis.

*Hymnorum usus antiquissimus. De Hymnis Orphei. Varia genera Hymnorum. Laudantur Hymni ex sacris, & prophanis auctoribus. Quid sit Hymnus. Quo ritu cantari soleant.*

1. NUlli dubium est Hymnorum usum antiquissimum esse. Homerus enim, & illo majores natu Linus, Musæus, & Callimachus ingentem illorum Deorum turbam pluribus, iisque doctissimis Hymnis celebrarunt, quorum venustatem etiam nunc vel ipsi sapientissimi viri admirantur. Auctor est Pausanias in Bœoticis, Licium Oden primum omnium Hymnos composuisse. Alii *n* hunc primatum Anthi Anthedonio tribuunt. Sed quicquid sit de primo Hymnorum Auctore, illud certissimum est, quod & Pausanias *o* advertit, Hymnos Orphei religione, sanctitate, & elegantia cæteris omnibus anteire. Claruit hic, teste Suida *p*, sub Judæorum judicibus sublato Athenienſium regno: eumque primas Theologiæ partes post Hermetem Trismegistum obtinuisse Marsilius Ficinus *q* asseverat. Sed & Gregorius Nazianzenus *r* Pythagoricam Philosophiam ex eo prodiisse innuit, & Cyrillus Alexandrinus ejusdem Hymnos præ cæteris commendat lib. 1. contra Julianum. Jacobus Boulduc *s* hunc veræ, & Mosaicæ Theologiæ sectatorem fuisse non sine probabilibus conjecturis suspicatur. Tatianus *t* quidem, Clemens Alexandrinus *u*, aliique nonnulli *x* negant Hymnos Orphei esse, qui ejus nomine insigniti circumferuntur, sed Onomacriti Athenienſis, vel cujusdam Cercopis: sed istos erasse, & revera Orpheum extitisse, atque Hymnos composuisse sapientum auctoritas, omniumque Doctorum consensus evincit, ut Guillelmus Canterus *y* in novis lectionibus observat. Princeps Mirandulanus una, & triginta conclusionibus practicè ostendit à se primum reperta in Orphicis Hymnis magiæ naturalis occulta mysteria, secretam scilicet humanarum, divinarumque rerum sapientiam. Mercurium verò Trismegistum Hymnos item scripsisse, quibus in sacris utebantur Ægytii tradit Clemens Alexandrinus *z*. Varia sunt autem Hymnorum genera, quibus vetusto sacrorum ritu utebantur Græci. Præcipua fuere tria, quæ Cœlius Rhodiginus *a* enumerat, Prosodion, Hyporchema, Stasimon: Prosodion, Litania, sive supplicatio dicebatur, cum sacrificium ad altare proferrent: Hyporchemata concinebant saltantes in altaris ambitu, ubi sacra jam igni admota forent: mox cum quiescentes canerent, stasima



m *Aug. in hunc Psalm.*

n *Scaliger. l. 1. Poetic. c. 45.* o *Pausan. in Bœtic.* p *Suid. v. Orph.* q *Ficin. præfat. in Pimandr.* r *Nazianz. orat. 33. num. 30.* s *Boulduc. lib. 3. de oggio Christiano.* t *Tatianus or. adv. Græc. in fine.* u *Cl. Alex. 1. Strom.* x *Cicero 1. de Nat. Deor.* y *Canter. nov. lect. lib. 3. c. 3.* z *Clem. Alex. 5. Strom.* a *Rhodig. lect. antiq. lib. 8. c. 3. & lib. 4. cap. 5.*

vocabantur. Plura de Hymnis Photius *b* ex Procli laudabilibus de re poëtica. Hymnum, inquit, sic dictum ajunt, quasi ὑπόμνησις, id est commemoratio quædam sit, & quasi in memoriam revocet res gestas eorum, qui hymnis celebrantur. Quare omnia melici carminis genera in gratiam sacrorum ministrorum conscripta hymni vocabantur. Hujusmodi sunt Prosodion, Pæan, Dithyrambus, Nomos, Adonidia, Jobacchus, Hyporchemata, Parthenia, Daphnephorica, Oschophorica, & precatoria. Prosodion dicebatur, cum ad aras, aut templa accederent, & in accessu ad tibiam canebatur. Pæan olim Apollini, & Dianæ attributum, ut pestis morbique depellerentur. Dithyrambus in Bacchum conscriptus, Nomon in Apollinem. Est autem Dithyrambus concitatus, & multum furoris cum saltatione ostendens, & ad affectus vehementiores comparatus, quare Phrygiam, & Hypophrygiam adhibet harmoniam, & concitatus est numeris, & dictione utitur simpliciori: Nomos contra per affectus, & numeros leviores remittitur, composito gradu ac magnifico incedit, & Lydio modo temperatur. Adonidia in Adonim referebantur. Jobacchus in festis, & sacrificiis Bacchi cum insolenti fremitu canebatur. Hyporchema vocabant carmen cum saltatione decantatum. Parthenia virginum choris adaptabantur. Daphnephorica cum lauros nono quoque anno Apollini inferebant. Oschophorica ab Athenien sibus canebantur palmites vitis gestantibus plenos maturis uvis, quod ipsi Oschin vocarunt, unde & carminibus nomen inditum est. Precatoria ab his componebantur, qui à Deo aliquid rogarent. Hæc Photius ex Procli χρηστομαθίᾳ. Aliam hymnorum divisionem tradit Scaliger *c* in Poëticis: seu verius Menander Rhetor initio libri de divisione causarum in genere demonstrativo, à quo Scaliger eam accepit. Sunt enim hymni Clytici, sive evocatorii, aut invocatorii: sunt apopemptici, quibus ethnici Deos suos quasi abeuntes postremo festorum die prosequebantur. Sunt etiam Physici, quibus dies, & nox: mythici, quibus justitia, & pax celebrantur. Sunt genealogici, proseuctici, heroïci, pæanes, & mixti: Qua verò ratione ad colenda Numina adhiberentur hymni, docet Natalis Comes *d* in Mythologiis.

2. Obscurum est quod minutiores quidam Scriptores ajunt, primum hymnorum usum in agresti, rudique vita apud pastores extitisse: nullum enim extat hujusce ritus vestigium. Romæ à Saliis Sacerdotibus Martis hymni saliares à Numa Pompilio compositi cantabantur ante omnem Poëtarum memoriam. Non est autem cur Græci semper mendaces primam hymnorum inventionem sibi arroganter attribuant: Moyses enim, cujus ingenium, & mirabilem dicendi vim Dionysius Longinus *e* miratur, & alii vates Hebræi hymnos Deo cantarunt multis ante seculis quam in Græcia Poetæ florerent. Atque ut fileam de cæteris, Moses vixisse creditur octingentis circiter annis ante conditam Urbem, adhuc vigente prima Monarchia Assyriorum. Rex quoque David à Philone Hebræo hymnographus antonomasticè nuncupatur, & in morem Pindari, Flacci, & Alcæi lyra excellenter personuit. Age verò quàm excellens, quàm nobilis Hymnorum usus dicendus est, quos non solum Apostoli, & alii fideles in primitiva Ecclesia frequentarunt, sed ipse etiam Christus exemplo suo commendavit? *Et hymno dicto*, ajunt Evangelistæ *f*, *exierunt in montem olivarum.* Dubitavit olim Carolus Magnus Imperator, quisnam fuerit Hymnus iste, quem dixit Jesus post cœnam, cumque hanc quæstionem Albino Flacco *g* proposuisset, respondit ille longa, & eleganti epistola, confutatque primò eorum sententiam, qui dicunt fuisse aliquem psalmum: tum asserit, vel non omnia ab Evangelistis scripta esse, vel Hymnum fuisse partem illam sermonis, *Pater clarifica filium tuum*, & quæ sequuntur Joannis XVII. Iste est Hymnus, ait Albinus, sacratissimus, & pulcherrimus, & cunctis perneccessarius credentibus, quem advocatus noster Dominus Jesus Christus peracto nostræ salutis, & suæ pietatis convivio magna dulcedine, & mirabili suavitate præsentibus suis discipulis decantavit. Ipse est hymnus, quem in spe vitæ æternæ beatitudinis memoria tenere debemus. De Hymnis quos canebant Christiani initio nascentis Ecclesiæ multa Eusebius *h* ex Philone. Dionysius libro de divinis nominibus passim hymnos admirabilis viri Hierothei magistri sui citat, & commendat, quem imitatus scripsit & ipse plures Hymnos, qui tamen injuria temporis perierunt. Idem Dionys apud Euseb. *i* Hymnos Nepotis collaudat, quos tunc fideles cantabant. S. Athenogenis antiqui Theologi Hymnum,

b *Photius cod.* 239. c *Scal. l.* 3. *poetic. c.* 112. d *Nat. Comes lib.* 1. *cap.* 16.

e *Dio. Longin. libro de sublimi eloquen.* f *Matth* 26: 30. *Marc.* 14: 26. g *Albin. epist.* 106. h *Euseb. l.* 2. *Eccl. hist. cap.* 16. i *Idem l.* 7. *c.* 19.

Hymnum, quem cecinit per ignem martyrium consummaturus tanquam vulgò notum citat Basilius libro de Spiritu sancto ad Amphilochium, ipsumque vocat exiterion, id est egressorium, vel ut alii legunt alexiterion, id est amuletum. Ecquis est adeò rudis, & imperitus Ecclesiasticæ antiquitatis, qui nesciat Paulum Samosatenum in Concilio Antiocheno damnatum, quod Hymnos, & cantus in honorem Christi compositos exploderet, ut patet ex epistola Catholicorum Episcoporum in historia Ecclesiastica Eusebii *k*? S. Ephræm Harmonium hæreticum Bardesanis Syri filium, & Gregorius Nazianzenus Apollinarium sacris Hymnis silere fecerunt.

3. Plato *l* Philosophorum mens rectissimum fore ait, ut Hymni, & laudes Dei precibus mixtæ canantur. Idem asserit Proclus lib. 2. Platonicæ Theologiæ cap. 11. Agesilaus nunquam Hymnos dicere desinebat, teste Xenophonte in ejus vita. Militibus sacros Hymnos commendant Leo *m* imperator, & Joannes Cantacuzenus *n*. Ipse quoque Julianus desertor eorum usum laudat, & extollit in quadam oratione, sive epistola acephala, cujus solum fragmentum ad nos pervenit. Eosdem inter assiduas Imperii curas Carolum Magnum frequentasse gesta ipsius testantur. Robertus Rex Franciæ cum Avallonem obsideret, sacrosque Hymnos decantaret, magna pars murorum sponte corruit, ut tradit Paulus Æmilius *o*. Concinnè apud Arrianum Epictetus *p*. Num aliquid oportebat nos, si quidem intelligentia in nobis est quædam, publicè, & privatim facere quam laudare & celebrare Numen, eique pro beneficiis in nos collatis gratias agere? Nonne & fodientes decet, & arantes, & comedentes canere Hymnum Deo? Magnus Deus, qui nobis instrumenta hæc, quibus terram coleremus, exhibuit: magnus, qui nobis manus dedit, item ut gula deglutire possemus, qui ventrem, qui incrementa corporis occulta, qui ut sopiti somno possemus spirare effecit. Pro his universis laudare eum decebat, ac præstantissimum, divinissimumque Hymnum accinere confessionem hanc exprimentem, quod nimirum dederit nobis facultatem assequendi hæc omnia, ac certa via, ratioque iis utentem. Quid igitur fit? Quandoquidem plures cæci estis, an non esse oportet aliquem isto munere fungentem, & pro omnibus debitam laudem Deo exhibentem? Si ego luscinia essem, facerem quod solent luscinæ: si Cygnus, Cygni more canerem. Atqui compos sum rationis. Itaque Hymno mihi celebrandus est Deus: nam meum illud est officium, quod sanè præstabo, nec deseram ordinem hunc quoad ejus possum: vosque ut idem faciatis, atque eadem incedatis via, hortor. Hactenus Epictetus. Et cantum quidem Hymnorum utilem esse ad movendum piè animum, & accendendum divinæ lectionis affectum asserit Augustinus *q*: De quibus Hymnis, inquit, in Ecclesia canendis, & ipsius Domini, & Apostolorum habemus documenta, & exempla, & præcepta. Augustino suffragantur alii Patres, quos in re clarissima superfluum est recensere. Est autem Hymnus, si propriè loquamur, ὑμνος Θεοῦ ᾠδή, Dei laus per carmen, sive cantus in Deum, sicut scholiastes Sophoclis definivit. Athenæus *r* in dipnosophistis, Hymnus cantus de Deo. Gregorius Naz. *s* in carminibus, Modulata laus est Hymnus, ut quidem arbitror. Elias Cretensis *t* ejusdem Gregorii Scholiastes, Hymnus divinæ gloriæ est decantatio, laudisque ipsius prædicatio. Chrysostomus Procœmio 2. in Psal. Hymnus est bonorum verborum conceptio, quæ Deo offertur pro bonis, quæ nobis adsunt. Minus recta videtur Hymni finitio, quam assignat Ven. Beda præfatione in Psal. Hymnus est propriè laus Dei metricè scripta: si enim ad Hymnum ligatam orationem necessariam existimat, errat. Primarii sapientiæ antistites sunt, apud quos reperimus Hymnos soluta oratione compositos, videlicet apud Trismegistum in Pimandro, Platonem in Symposio, & in Phædro præter alios adnotavit Rhodiginus *u*. Marinus Neapolitanus in Proclo, sive de felicitate, Hymnos inquit, efficiunt alii metro, alii oratione soluta. Egregiè Augustinus *x* Hymni proprietatem describit. Hymnus scitis quid est? Cantus est cum laude Dei: Si laudas Deum, & non cantas, non dicis Hymnum. Si cantas, & non laudas Deum, non dicis Hymnum. Si laudas aliquid, quod non pertinet ad laudem Dei, etsi cantando laudes, non dicis Hymnum. Hymnus ergo tria ista habet, & canticum, & laudem, & Dei. Laus ergo Dei cum cantico Hymnus dicitur. Quidam recentiores Poëtæ suis carminibus, quibus Sanctos invocant, Hymni titulum præfigunt, sed pro-

*k* *Id. ibid. c. 24.* *l* *Plato 7. de legib.* m *Leo Imp. de re tactica c. 12. n. 115.* n *Cantacuz. l. 3. c. 68.* o *Paul. Æmil. in vita Roberti.* p *Epictet. l. 1. c. 16.*

q *Aug. ep. 119. c. 18.* r *Athen. l. 4. c. 4.* s *Nazian. Jambo l. 15. v. 14.* t *Elias in or. 9. Naz. n. 21.* u *Rhodig. l. 7. cap. 5.* x *Aug. in Ps. 148.*

propriè Hymni ad Deum pertinent, & soli Deo conscribi solent, quod præter alios observat Menander Rhetor. y

4. S. Benedictus z in Reg. Hymnum vocat Ambrosianum, nam tempore Divi Ambrosii frequentius cantari cœperunt Hymni ab eodem compositi, ut ipsemet de se testatur in fine concionis de basilicis non tradendis hæreticis. Monasticæ verò Regulæ sanctionem sic explicat Walfridus Strabo a, ut beatissimus Legislator per Ambrosianos, vel eos intelligat Hymnos, quos confecit Ambrosius, vel alios ad imitationem Ambrosianorum compositos. De qua re extat hic canon secundi Concilii Turonensis b. Licet Hymnos Ambrosianos habeamus in canone, tamen quoniam reliquorum sunt aliqui, qui digni sunt forma cantari, volumus libenter amplecti eos præter ea quorum auctorum nomina non fuerint in limine prænotata: quoniam quæ fide constiterint, dicendi ratione non obstant. Hymnos authenticos, qui in antiquis hymnariis reperiuntur, nominatim recenset Radulphus Tungrensis c eosdemque collegit, ac scholiis illustravit Jodochus Clichtovæus. Laudant Hymnorum auctores Isidorus d, Rabanus Maurus e, Walfridus Strabo f, & Berno Augiensis g. Sunt autem præcipui, qui Hymnos scripserunt, Synesius, & Hilarius Episcopi, Cosmas Hierosolymitanus, Joannes Damascenus, Theophanes, Theosterictus, Theoleptus, Metrophanes Smyrnæus, Prudentius, Beda, Sedulius, Paulinus, Venantius Fortunatus, Fulbertus Carnotens. Paulus Diaconus, Thomas de Aquino, Joannes Geometra, Maximus Margunius, & alii. In Officio nocturno solent hymni statim post Invitatorium decantari. Vocati enim, & invitati ad Deum illicò gaudemus, & exultamus, & si quæ sunt adhuc torpentia corda ad invitantis vocem nondum satis commota, per Hymni alacritatem, & jubilationem ad Psalmos devotè persolvendos excitantur. Si quidem, ut Magnus scribit Basilius h, hilarem alacremque animæ æqualitatem hymnica conferunt cohortamenta. In Laudibus verò, itemque in Vesperis, & Completorio Hymni dicuntur post Psalmos, quia cum his horis ferventiores in divinis laudibus inveniri debeamus, consentaneum est, ut ad opus psalmodiæ sine prævia Hymni cohortatione procedamus, ut fiat quod scriptum est, i *In Psalmis, Hymnis, & Canticis.* Prius enim ponuntur Psalmi, postea Hymni, utpotè res quædam divinior, teste Chrysostomo, demum cantica: qui ordo in hisce tribus officiis omninò servatur, nam post Hymnos Evangelica cantica modulamur. At in cæteris diurnis horis Hymnus præcedit Psalmos, quia curis quotidianis occupatum cor ad dulcedinem divini amoris hymnico personante concentu retrahi debet, sicut dicit Scriptura, k *Pingueſcent speciosa deserti, & valles abundabunt frumento, clamabunt, etenim Hymnum dicent.* Quomodo pingueſcet desertum? Quomodo corda depressa, & distracta divinæ gratiæ suavitate abundabunt? clamabunt inquit. Quid clamabunt? Hymnum dicent. Hymnus igitur dicendus est, ut divinæ consolationis epulo saginemur. *Eructabunt labia mea Hymnum*, inquit Psalmographus l, *cum docueris me justificationes tuas.* Eructat qui plenus est. Si divina jucunditate repletus es, si donis cœlestibus impinguatus, eructabunt Hymnum labia tua. Quare Hymnus aliquando præcedit, ut laude Dei repleatur os nostrum: aliquando subsequitur, ut de perceptis muneribus summo largitori gratias referamus. Quod enim à superis descendit, ut sapienter scribit Ennodius Ticinensis m, sola licet Hymnorum mercede taxari: Fabricator mundi ad potiora munera modulatis invitatur eloquiis. Hymnos autem idcirco stantes cantamus, ut in corporis erectione rectitudinem mentis ostendamus. Nam quid prodest, ait Augustinus n, quod Hymnum cantat lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua? Male vivendo multas linguas misisti in blasphemiam. Lingua tua vacat Hymno, & cæteræ te intuentium vacant blasphemiis. Si ergo vis benedicere Dominum, fac verbum ejus, fac voluntatem ejus. *Te decet Hymnus Deus*, ait Psalmus. Sed ubi? *In Sion.* In Babylone non decet. Spes nostra fundata est in illa Civitate Hierusalem. Qui cantat secundum hanc spem, licet carne sit adhuc in Babylone, corde tamen cantat in Sion, dicente Apostolo, *Conversatio nostra in cœlis est.* Qui verò terrenis adhuc inhiat cupiditatibus, hic ab Hymnis alienus est, hic Hymnos cantare nequit de canticis Sion.

§. X. De

y *Menander loco citato.* z *Bened. Reg. cap.* 17. a *Strabo c.* 25. *de reb. Eccl.* b *Concil. Turon. cap.* 24. c *Radulph. pro.* 13. d *Isidor. lib.* 1. *de Ecc. off. cap.* 9. e *Rab. Maurus l.* 2. *c.* 49. f *Strabo cap.* 2. g *Berno Abb. cap. de reb. ad Miſ. ſpectant.* h *Basil. epist.* 1. *ad Greg. Theol.*

i *Coloss.* 3: 16. *& ibid. Chrysost.* k *Psal.* 64. l *Psalm.* 118. m *Ennod. in Panegyrico ad Theodoricum.* n *Aug. in ps.* 102.

## §. X.

## De Antiphonis.

*Quid sit Antiphona. Quis primus fuerit Antiphonarum institutor. Alterni cantus antiquitas. Antiphona charitatem designat. Suspiria amantis animæ.*

1. FErventissimus Christi Martyr Ignatius primus in Ecclesia Orientali Antiphonis initium dedit, ut Socrates Scholasticus *o* testatur. Est autem ἀντιφωνὴ vox contra sonans, sive cantus oppositus, & reciprocus à verbo Græco ἀντιφωνεῖν quod est contra clamare, seu vicissim, & ex adverso respondere. Unde Echo à Græcis Poëtis *Antiphonn*, id est vicissim resonans, aut reclamans nuncupatur. Antiquiores musici, cum multiplex consonantiæ genus faciant, unum eorum vocant ἀντιφωνον, ut doctissimus Zerlinus *p* ostendit, estque hujusmodi diapason, diapason diapente, & disdiapason. Usu verò receptum est, ut sententia, quæ Psalmum vel canticum antecedit, Antiphona dicatur, nam teste Amalario *q*, totus Psalmus, totumve canticum juxta ejus tonum alternis versibus vicissim cantatur, ac deinde duo chori in ipsa Antiphona post finem Psalmi simul conveniunt. Dico Antiphonam more Ecclesiastico, quamvis sic loquentes irrideat l. 1. Dodecachordi cap. 16. Henr. Glareanus, qui Antiphonum dici vult, ut linguæ Græcæ ratio postulat. Ignoscant Critici. Ipsi quoque Psalmi, cùm à pluribus alternatim recitantur, Antiphonæ dici possunt, quia scilicet duo chori ad statutæ Antiphonæ symphoniam alternâ modulatione sibi mutuò respondent. Hanc igitur consuetudinem alternatim psallendi habet ab antiquissimis seculis orthodoxa Ecclesia, ab Ignatio nimirum, qui post Euodium Antiochenæ Ecclesiæ Antistes pontificatus gratiam, ut ait Theodoretus *r*, per Magni Petri dexteram accepit. Hic in excessu mentis suæ vidit Angelos alternis Hymnis sanctissimam Trinitatem collaudantes, unde psallendi formam in ea visione expressam Ecclesiæ tradidit Antiochenæ, quæ deinde in varias Ecclesias piorum Episcoporum studio insinuata ab omnibus demum Catholicis recepta est. Scio quidem Theodoretum *s*, Suidam *t*; quos nonnulli recentiores secuti sunt, ad Flavianum, & Diodorum Antiochenos Monachos, qui tempore Constantii Imperatoris floruerunt, hanc institutionem referre. Verumtamen vel erasse istos dicendum est; vel nonde quocunque alterno cantu, sed de solis Davidicis Psalmis intelligi debent. Hi enim primi, ait Theodoretus, psallentium choro in duas partes diviso Hymnos Davidicos alternis canendos instituerunt. Theodorus autem Mopsuestenus citatus à Niceta Choniate lib. 5. Thesauri Orthodoxæ fidei c. 30. præfatos Monachos eam Psalmodiæ speciem ex Syrorum Lingua in Græcam transtulisse asseverat. Scio etiam ritum Monachorum tempore Cassiani *u* diversum fuisse. Nam in cœnobiis hunc morem viguisse refert, ut sedentibus cæteris, & omni cordis intentione ad vocem psallentis intentis unus in medio integrum Psalmum solus cantaret: imò quantalibet multitudo convenisset, nunquam amplius psallebant in synaxi, quàm quatuor fratres. Nondum videlicet illa alternatio in monasteriis approbata fuerat, nec statim in omnes terræ partes propagata. Sanè in Latina, & Occidentali Ecclesia, quotquot scribunt de sacris ritibus, Beatum ajunt Ambrosium Mediolanensem Episcopum primum fuisse, qui Græcorum imitatus exemplum hunc canendi modum per Antiphonas tradiderit, quem postea Damasus Papa Pontificali auctoritate confirmârit. Atque hinc fortasse quorundam historicorum error defluxit alterni cantus auctorem B. Damasum asserentium, quem tamen ipse non introduxit, sed ab Ambrosio institutum Apostolico decreto stabilivit.

2. Hanc veritatem unico testimonio confirmo, quod nullâ possit exceptione pervicax adversarius eludere. Audiamus Augustinum *x*: scimus enim quia verum est testimonium ejus. Quantum flevi, ait, in Hymnis, & canticis tuis suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter? & infra. Non longè cœperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc consolationis, & exhortationis celebrare magno studio fratrum concinentium vocibus, & cordibus. Nimirùm annus erat, aut non multò amplius, cum Justina Valentiniani Regis pueri mater hominem tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ causa, quâ fuerat seducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in Ecclesia mori parata cum Episcopo suo servo



o *Socrat. lib. 6. c. 8.* p *Zerlin. initio l. 3. supplem. Musicalis.* q *Amalar. l. 4. c. 7.* r *Theodoret. lib. 1. hæretic. fabularum.*

s *Id. hist. Eccl. lib. 2. cap. 2.* t *Suidas v.* Χρύσ. u *Cassiani lib. 2. de inst. cœnob. c. 5. & seqq.* x *Aug. lib. 9. confess. cap. 6. & 7*

tuo. Tunc Hymni, & Psalmi ut canerentur secundùm morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est, & ex illo in hodiernum retentum multis jam, ac penè omnibus gregibus tuis, & per cæteras orbis imitantibus. Hæc Augustinus. Cæterùm in Veteri Testamento cantus alternationem adumbratam videmus Isaiæ sexto in duobus Seraphim, qui clamabant alter ad alterum *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Initio autem Evangelii, si non alterni cantus expressio manifesta, aliquod saltem ejus vestigium apud Philonem *y*, & Dionysium Areopagitam *z* reperitur. Et ille quidem choros describit nunc junctis vocibus resonantes, nunc sibi invicem congruè respondentes. Hic verò canentes ad alterutrum laudat, quasi una concordi, & consona sacrarum rerum chorea. Tertullianus quoque in fine libri secundi ad uxorem; Sonant, inquit, inter duos Psalmi, & Hymni, & mutuò provocant quis melius Deo suo canet. Quod si ad sinceram Christi fidelium pietatem profanos etiam ritus adjungere libeat, viguisse apud Ethnicos cantus alternationem manifestum est. Poëtis enim solemne est carmen Amœbæum, in quo cantantes alternis sibi respondent. Sic ille Pastor apud Poëtam in Bucolicis, *a*

*Vis ergò inter nos quid possit uterque vicissim*
*Experiamur?*

Et post pauca:

*Incipe Damœta, tu deinde sequere Menalca?*
*Alternis dicetis, amant alterna Camœnæ.*

Calpurnius, *b*

*Tuque prior Corydon, tu proximus ibis Amyntha.*

Statius Papinius. *c*

*—— Paulatim alternis in verba, minasque*
*Cunctantur.*

Homerus *d* describit Musas alternatim cantantes, ἄειδον ἀμειβόμεναι καλῇ canebant alternantes voce pulchrâ. Sed his omissis, quæ sit mystica Antiphonarum intelligentia libet paucis investigare.

3. Amalarius *e* doctè, & eleganter rem istam edisserit. Quantò melior, ait, anima corpore, tantò melior est cantus animæ quàm corporis. Igitur intendendum est, quæ sit Antiphona animæ. Videtur nobis virtus dilectionis esse, quæ conjungit opera duorum fratrum simul. Psalmi ad opera referuntur, Antiphona ad illam dilectionem, qua unusquisque fratri suo porrigit suum opus. Duobus choris alternatur Antiphona, quoniam non potest minus esse charitas, quàm inter duos. Hanc vicissitudinem charitatis significant Cantores, qui alternatim ex utraque parte Antiphonas levant. Hos duos choros designaverunt pennæ animalium invicem porrectæ, quas vidit Ezechiel in figura adventus Christi, & novi testamenti. Conjunctio duarum pennarum Antiphona est, quæ vicem tenet charitatis. Penna enim animalium alterius ad alterum jungitur, ait Gregorius Magnus *f*, quia sanctorum Prædicatorum virtus, atque sapientia vicissim sibi in charitatis atque concordiæ pace sociatur. Ut autem charitas perfecta sit, necesse est adesse alterum, cui ejus affectus exhibeatur. Ideò Psalmos alternâ modulatione cantamus, quia amor si non sit mutuus, jucundus esse non potest; quandoquidem si desit qui amorem impendat, & qui rependat, amor non est. Ante Psalmum imponitur Antiphona, quia opus bonum, ut sit meritorium, ex charitate procedere debet. Juxtà tonum Antiphonæ cantatur Psalmus, quia juxta charitatis mensuram solet manus operari. Frustrà accedit ad Psalmum cantandum, qui amoris Antiphonam non intermiscet. Fides per dilectionem operatur, nec potest capere frigidum pectus eloquium Dei ignitum vehementer. Sicut enim, ait Bernardus *g*, Græcè loquentem non intelligit, qui Græcum non novit; nec Latinè loquentem, qui Latinus non est: sic lingua amoris ei qui non amat, barbara erit, erit sicut æs sonans aut cymbalum tinniens. In solemnioribus festis, quia perfectior charitas esse debet, duplicatur Antiphona: in aliis autem initio Psalmi imperfectè inchoatur, & in fine integra dicitur, quia, ut explicat Hugo Victorinus *h*, inchoata in hac vita charitas in fine consummanda est. Cantor solus incipit Antiphonam, quæ ab omnibus deinde completur, tum quia charitas ab uno Christo ad membra diffunditur, tum quia summus Dei amor prævenit nostrum, & ipse prior dilexit nos. Ideò post Psalmos cantant omnes communiter Antiphonam, quia commune gaudium à communi oritur dilectione. Tempore Resurrectionis minor est numerus Antiphonarum, quia Clerici, & Sacerdotes Paschalibus gaudiis, & Sacramentis quasi succenso clibano intus

y *Philo de vita contemplat.* z *Dionys. cap. 3. Eccles. Hierarch.* a *Virgil. Ecl. 3.* b *Calpurn. Ecl. 4.*
c *Statius 1. Theobaid.* d *Homer. Iliad. 1. v. 604.*
e *Amalar. l. 4. c. 7.*
f *Greg. hom. 3. in Ezech.* g *Bern. serm. 69. in Cant.*
h *Hugo c. 3. Specul.*

intus æstuantes non indigent externis adminiculis, ut ad amorem incitentur.

4. Utinam, Domine Jesu, possideat me semper amor tuus, & vera charitatis Antiphona semper resonet in corde meo. Recedat ab anima mea omnis dissonantia, ut te solùm diligam, tibi soli placere cupiam, cui soli debetur amor. Vulnera cor meum potenti jaculo charitatis tuæ, ut amore tuo saucius vivam semper in vulnere tuo. Absconde me in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum, protege me in tabernaculo tuo à contradictione malorum, qui non diligunt te, nec agnoscunt te, & dicunt mihi; Veni, serviamus Diis alienis, & idolis offeramus libamina, cum tu solus sis Deus, quem solum quæro die ac nocte, attrahens ventum amoris mei, & durissimum terræ hujus incolatum detestans à malitia inhabitantium in ea. Fecisti me Domine ad te, & inquietum est cor meum, donec requiescat in te. Sed quando te videbo? Quando apparebo ante faciem tuam? Quando satiabor pulchritudine vultus tui, in quem desiderant Angeli prospicere? Renuit consolari anima mea, nec requiem invenire potest, nisi in te dulcedo mea, & unicum solatium cordis mei. Veniat igitur dies illa, dies inquam æternitatis, dies quæ nescit occasum, in qua te perfruar sine fine, in qua videbo te revelatâ facie, ad quem nunc de longè suspiro.

## METRUM XL.

*Hei mihi, dulcis Amor, mea qui suspiria solus,*
*Et gemitus nosti, cordis & ima vides,*
*Hei mihi, te quærens, qua non loca tristis obivi,*
*Nec, mea vita, tamen te reperire queo.*
*Non mihi sunt sylvæ, non spinea lustra relicta,*
*Invia fluctivagi, nec via spreta maris.*
*Sed mare dum peragro, dum terras lustro, nec ulla*
*Respondent lacrymis compita trita meis:*
*Sentio me tantos frustra impendisse labores,*
*Perque viam insuetos attenuasse pedes.*
*Dicite vos socii, populus genialis amantum,*
*Dicite, si nostis, quà meus vivit Amor.*
*Ille meus, vita quem diligo carius ipsa*
*His erit indiciis cognitus ille meus.*
*Pulchrior est rutilo radiantis lumine solis,*
*Cœlis splendidior cum sine nube nitent.*
*Cynthia flammiferis quantò supereminet astris,*
*Tantò est Angelicis pulchrior ille choris.*
*Cernite odoratis gemmantem floribus hortum,*
*Cernite puniceis lilia mixta rosis.*
*Cernite florigero vernantes gramine campos,*
*Cernite quam læto prata colore virent.*
*Omne decus terræ nitor omnis fulget in illo,*
*Et cœli supero quicquid in axe micat.*
*Nondum opifex rerum cœlorum extenderat orbes,*
*Nec librata suo pondere stabat humus.*
*Non Phœbus nitida lustrabat lampade terras,*
*Non pelagi spumans cinxerat unda solum.*
*Jamque meus vivebat Amor, flammaque perenni*
*In semet restuus fons bonitatis erat.*
*Sed licet æternos sine tempore computet annos,*
*At tamen illum omnis parturit usque dies.*
*Ardet, & ardenti perfundit lumine Solem,*
*Deque ejus radiis sidera lumen habent.*
*Jactat ubique faces, terras comburit, & astra,*
*Illius & gelidis incubat ardor aquis.*
*O superi, ô vigiles, ô vos qui nostis Amorem,*
*Dicite quando abiit, quò simulavit iter.*
*Dicite vos sancto mihi quondam fœdere juncti,*
*An meus, ille meus, perditus usque latet?*
*Sed tu dulcis Amor, cur non te ostendis amanti?*
*Cur fugis, & sponsam deseris usque tuam?*
*Ergone sponsæ animas ad vulnera cogis amantes,*
*Atque venenata cuspide corda feris?*
*An fortè hic præsens vultum tegis obice nubis,*
*Nec sinor ore tuo, nube tegente frui?*
*Sic tu nempe soles tacitis illudere votis,*
*Sicque meam speras posse probare fidem.*
*Ast ego te nunquam, dulcissime sponse, relinquam;*
*Nec mea comburet viscera falsus amor.*
*Spiritus ante meus temnes vanescet in auras,*
*Quam mea mens possit non meminisse tui.*
*Te mihi non ensis, non unda, nec auferet ignis,*
*Ipsa licet tristis Styx adeunda foret.*
*Ergo veni mea lux: cur longa absentia amantem*
*Vexat, & infestum pectora vulnus edit?*
*Ora notat pallor, totoque in corpore languor,*
*Et tetrico in vultu mortis imago sedet.*
*Sed quo nunc rapior? quis me novus occupat ardor?*
*Qua flamma insoliti membra calore cremat?*
*An te conspicio mea lux, & Amore fatiscens*
*Te mihi præsentem, sponse, latere puto?*
*Ah! præsens sponse es; nec se mens credula fallit,*
*Intus nam sentit Numen adesse tuum.*
*Jam mea divinum spirant præcordia amorem,*
*Involo in amplexus jam, mea vita, tuos.*
*Jam super astra fero, pedibus sublimia calco*
*Culmina cœlorum: sordida terra vale.*
*Terra vale, & mundi vos impia turba valete,*
*Gens infixa solo, turbaque amoris inops.*
*Fas mihi nunc tecum, mea spes, mea vita, morari:*
*Fas mihi te solo nunc sine teste frui.*
*In te suavis Amor, votorum meta meorum,*
*Sit mihi certa salus, sit mihi tuta quies.*
*Oscula jam liceat per amica silentia tecum,*
*Oscula per longas jungere pressa moras.*
*Te plenum, vacuumque sui ad te pectus anhelat,*

*Et mea vita tuis ignibus usta perit.*
*Ignibus usta perit mea vita: ô parce sagittis,*
*Parce Amor, ah! tantas comprime, sponse, faces.*
*Pone modum flammis, ignem compesce furentem:*
*Quam jacis ah! miser a figit arundo necem,*
*En morior, jam victor ovans prædare jacentem,*
*Oreque grandiloquo parta trophæa cane.*
*O Amor! o juror! ô quæ me dementia cepit!*
*O mors! ô miris perdita vita modis!*
*O signa! ô monstra! ô sanæ ludibria mentis!*
*O vigilans somnus! ô sine nocte dies!*
*O rutilans nox! ô sapiens dementia! flamma*
*Ardorem extinguens! os sine voce loquax!*
*O casta ebrietas! clamosa silentia cordis!*
*O ubi sum? quid ago? quò furibunda feror?*
*Desipio, tu cogis Amor. Sed nunquid mermis*
*Semper ero? & mortem semper inulta feram?*
*Arma, arma huc ferte, huc fidi properate sodales,*
*Ferte enses, gladios, spicula, tela, faces.*
*Quid moror? & cesso jaculum torquere, vel hastam,*
*Et non incerta figere tela manu?*
*Sed jam victus Amor proprio comburitur igni,*
*Et patitur telis vulnera facta suis.*
*Dicite io bæan, io plaudite: victor Amoris*
*Est Amor, en victas porrigit ille manus.*
*Ponite pos socis tumulum, tum cædite saxo*
*Hæc duo perspicuis carmina scripta notis.*
*Hæc tenet urna duos alternâ cæde peremptos:*
*Victus uterque fuit, victor uterque fuit.*

## §. XI.

## De Psalmis.

*Psalmorum encomia ex Patribus. Psalterium compendium est omnium scientiarum. Divisio Psalterii. Psalmus quid sit. Usus Psalmorum laudabilis & antiquissimus.*

1. INgens argumentum, & non unius operis esset, quicquid de Psalmis ab orthodoxis viris præclarè dictum, & sapienter excogitatum est in unum colligere: superat enim argumenti fœcunditas, vel diligentissimi scriptoris sedulitatem, ut ex multis pauca secernere res ardua sit, cuncta verò in pauca congerere pompam potius ingenii præ se ferre, quam solidam legentium utilitatem videatur. Satis igitur erit in tanta rerum copia præcipua quædam non meis, sed sanctorum Patrum verbis carptim adnotasse, quæ Psalmorum præstantiam, vim & excellentiam sinceris mentibus ostendant. Nulla pars est sacrarum Scripturarum, in qua ornanda, & interpretanda plura sudârint tum veterum, tum recentiorum ingenia, ut ad eorum labores curiosi lectoris studium omninò remittere debeam circa varias difficultates, quæ de Psalmorum auctore, materia, nomine, divisione, titulis, ordine, & argumento in ipso tractationis limine disputanda forent. His igitur consultò prætermissis excitandus lectoris animus est ad amorem Psalmodiæ ignitis sanctorum eloquiis, & exhortationibus. Extat in primis admirabilis viri Ephrem Syri *i* præclarum encomium in Psalmos. Cum Deo, inquit, multis, cum hominibus paucis loquere. Psalmus in ore tuo sit assiduè. Quoniam Deus cum nominatur dœmones fugat, & psaltem sanctificat. Psalmus tranquillitas est animæ, designator pacis. Psalmus amicitiæ conciliator, dissidentium unio, inimicantium inter se fœdus, ac pacificatio. Psalmus Angelorum ad subveniendum inductio, præsidium timoris nocturni, requies à laboribus diurnis, infantium tutela, ornamentum senibus, majorum natu consolatio, mulieribus aptissimum ornamentum. Hic solitudines inhabitat, conciones temperat, rudibus est instructio, proficientibus incrementum, perfectorum firmamentum, & vox Ecclesiæ. Hic festa collustrat, hic dolorem secundùm Deum operatur. Etenim Psalmus ex lapideo etiam corde lacrymas excutit. Psalmus Angelorum opus est; cœleste munus, atque administratio, incensum spirituale. Psalmus mentium illuminatio, ac corporum sanctificatio. In hoc fratres, nunquam exerceri desistamus, & domi, & extra, in viis, & dormientes, & excitati, loquentes nobismetipsis in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus. Psalmus piorum gaudium: hic otiosiloquium exterminat, risum reprimit, judicium suggerit, animam in Dei laudem excitat, cum Angelis choros agit. Hæc Ephræm Syrus, cui Græcorum eloquentissimum adjungo Basilium *k*; Psalmorum liber, ait iste, quidvis ex omnibus in se complectitur, quod usui sit omnibus, futura certissimis præcinit oraculis, historicam continet narrationem, leges sancit vitæ sanctius instituendæ, cuique agenda præscribit, & submonet. Utque semel omnia, liber hic bonæ omnis doctrinæ uberrimum quoddam est, & commune promptuarium. O inventum sanè quàm admirabile, ac sapiens

Docto-

*i Ephr. Syrus tom. 1. pag. mihi 13.* *k Basil. præf. in Ps. sive hom. in Psal. 1.*

Doctoris, qui excogitavit quo pacto una, eademque opera ipsi melicos cantus emodularemur, & doctrinam animæ salutarem condisceremus. Quid porrò non hinc possis edoceri? non fortitudinis magnificentiam? non exactam severitatem justitiæ? non temperantiam vel ipso aspectu venerabilem? non absolutam perfectionem prudentiæ? non pœnitentiæ formulam? non modum patientiæ? non denique quic quid dicere possis de genere bonorum? Hæc & alia plura verè magnus Basilius, cui consonat Chrysostomus Homilia 7. de pœnitentiis.

2. Latinorum quoque doctissimus Augustinus cùm in omnibus scriptis insigni niteat eloquentiâ, in Psalmis tamen laudandis, & explicandis tantâ pollet dicendi facundiâ, ut seipso major videatur. Quid Ambrosium *l* commemorem? cujus oratio tanto diffluit verborum nectare, ut de illo meritò usurpem Davidicum illud, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.* Quid dulcius his verbis, quibus Psalmorum explicationi præludit? In libro Psalmorum profectus est omnium, & medicina quædam salutis humanæ. Quicunque legerit, habet quo propriæ vulnera passionis speciali possit curare remedio. Psalmus benedictio populi est, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiæ, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis lætitia, clamor jucunditatis, lætitiæ resultatio. Iracundiam mitigat, solicitudinem abdicat, mœrorem allevat. Nocturna arma, diurna magisteria. Scutum in timore, festum in sanctitate. Imago tranquillitatis, pignus pacis, atque concordiæ, citharæ modo ex diversis & disparibus vocibus unam exprimens cantilenam. Diei ortus Psalmum resultat, Psalmum resonat occasus. Mulieres Apostolus in Ecclesia tacere jubet, Psalmum etiam bene clamant. Hic omni dulcis ætati, hic utrique aptus est sexui. Hunc senes rigore senectutis depositò canunt, hunc veterani tristes in cordis sui jucunditate respondent. Hunc juvenes sine invidia cantant lasciviæ, hunc adolescentes sine lubricæ ætatis periculo, &. tentamento concinunt voluptatis. Juvenculæ ipsæ sine dispendio matronalis psallunt pudoris; puellulæ sine prolapsione verecundiæ cum sobrietate gravitatis Hymnum Deo inflexæ vocis suavitate modulantur. Hunc tenere gestit pueritia, hunc meditari gaudet infantia, quæ alia declinat edisçere. Psalmum Reges sine potestatis supercilio resultant. Psalmus cantatur ab Imperatoribus, jubilatur à populis. Certant clamare singuli quo a omnibus proficit. Psalmus virtutum organum est, quo sancti Spiritus plectro pangens Propheta venerabilis cœlestis sonitus fecit in terris dulcedinem resultare.

Grandiori cothurno attollitur Theologorum vetustissimus Dionysius Areopagita *m.* Sancta, inquit, Psalmorum modulatio omnibus Sacerdotalibus mysteriis jungitur, & subsantiæ ratione cohæret Omnis quidem textus sacræ Scripturæ, rerum subsantiam, ac distinctionem à Deo conditam prædicat: aut legale sacerdotium, vivendique denunciat modum: aut sortes Dei populo distributas, ac possessiones narrat, aut judicum sanctorum, aut sapientium Regum, aut piorum Sacerdotum sensum, ac prudentiam celebrat: aut veterum hominum inter varios, & multiplices tristium casus mirabilem constantiam, immobilemque Philosophiam eloquitur: sive agendæ vitæ sapientia monita, sive divinorum amorum dulcia carmina, & divinas effigies profert: sive plenas doctrina salutari futurorum prædictiones enunciat: sive divina Domini Jesu in humano corpore opera loquitur: sive discipulorum ejus mores, atque instituta divinitus tradita, & ad Dei similitudinem imitando ducentia, sanctissimasque doctrinas: sive arcanam illam, ac mysticam omninò visionem dilecti discipuli, divinamque Domini Jesu, & altissimam Theologiam iis, qui fieri Dii merentur, exponit, eosque per mysteria sacra, & divina sustollit, atque confirmat. At divinorum carminum sacrosancta Scriptura, cùm id præcipuè intendat, ut omnia Dei eloquia, & operationes concelebret, omnia divina universaliter canit, atque exponit, aptissimum habitum inferens eis, qui eam dignis affectibus promunt. Pergit sanctus Pater ostendere ea omnia, quæ in sacris Scripturis diffusè explicantur brevi Psalmorum compendio contineri. Est igitur Psalterium consummatio totius Theologiæ, ut loquitur Radulphus Tungrensis *n.* Est totius Scripturæ summarium, est omnium insuper artium, omniumque scientiarum collectio, & promptuarium. Quicquid literator Grammaticus de congrua differit oratione, quicquid subtilis Dialecticus de operationibus mentis ratiocinatur, quicquid venustatis facundus promit Rhetoricus, quicquid perspicax Arithmeticus de mystica numerorum

l *Ambros. præf. in Psal.*



m *Dion. c. 3. Eccl. Hierarch.* n *Radulph. prop. 8.*

ratione philosophatur, quicquid solers Geometra accuratâ delineat mensuratione, quicquid dulcisonus Musicus canoro pangit modulamine, quicquid siderum indagator Astrologus in sublimi sphærarum circulatione speculatur, quicquid gravis doctusque Philosophus de rerum naturis, & proprietatibus curiosa disputat sedulitate; quicquid denique sacer docet Theologus divinæ lucis fulgore illustratus, id totum tanquam in amplissimo quodam scientiarum omnium thesauro in Davidicis Psalmis reconditum reperitur. Sic varietas ista Psalmorum, ait Cassiodorus *o*, aut pretiosissimo lapidi topazio, aut pulcherrimo pavoni congruè forsitan comparatur, qui toties diversos reddunt colores corporis sui, quoties in eis defixus fuerit oculus intendentis.

## METRUM XLI.

*NEmo Jessiadis carmina Principis*
*Æquo reddere plectro,*
*Vel dignis studeat tollere laudibus*
*Vana concitus aura.*
*Nam præceps liquidum vectus in aëra*
*Falsis nititur alis,*
*Audit qui temerè culmina scandere*
*Non concessa polorum.*
*Ut campos tumidi fluminis impetus*
*Rupto gurgite inundat,*
*Sic mentem rapidis cursibus irrigant*
*Magni carmina Vatis.*
*Nec tot flammivomis faucibus egerit*
*Ardens Ætna favillas,*
*Quot flammis populat viscera, quot faces*
*Psalmus vibrat amoris.*
*Seu Regem superum concinit, & Patrum*
*Laudat facta priorum,*
*Et castra Israëlidum, justaque prælia,*
*Et stantes pelagi undas.*
*Seu seris referat fata nepotibus*
*Cœli insculpta pyropis.*
*Evolvitque Patris consilia, & sacros*
*Scribit Verbi hymenæos.*
*Sive implorat opem Numinis, & preces*
*Pronus fundit Olympo.*
*Divinus fidicen semper amabili*
*Mulcet carmine cœlum.*

4. Theodorus ille lapsus, ad quem Chrysostomus scripsit, ut eum revocaret ad Monasterium, & à quo Nestorius suam hausit impietatem, non amplius quam 18. annos, ut testatur Leontius Byzantinus *p*, in scripturas debacchatus est, non enim nisi debacchationes scripturarum ejus interpretationes vocari possunt & inter cætera inscriptiones Hymnorum, & Psalmorum, & Canticorum penitus ejecit, & omnes Psalmos ad Zorobabelem, & Ezechiam retulit, tribus tantùm ad Dominum rejectis, qui error intolerabilis est. Alii verò in hoc errarunt, quod non omnes Psalmos à S. Rege David fuisse conscriptos existimârunt, sed hi tamen ob hanc causam inter Hæreticos numerari non debent, ut censuit S. Philastrius *q* Episcopus Brixiensis. Libet autem Ecclesiasticos homines hic admonere, ut Psalterium non solùm verbo tenus memoriter scire, sed ejus quoque mysticam intelligentiam percipere studeant. Notissimum est illud Augustini, vix nomen Sacerdotis mereri, qui Psalterium ignoraverit: & Concilium Toletanum *r* sacris Ordinibus eos prohibuit insigniri, qui totum Psalterium, & Cantica usualia nescirent. Magnus item Gregorius *s* eum qui Psalmos ignorabat noluit Episcopum ordinare. Possem paginas latè implere Auctorum nominibus, qui Psalterium præclaris lucubrationibus illustrarunt, sed nolo ego assumpta censoria virga sedere arbiter tot ingeniorum, & critica dicacitate aliorum opera subtilius examinare: puto tamen hominibus mediocri prædicatis literatura sufficere posse Commentaria Cardinalis Bellarmini, & Paraphrasim Cornelii Jansenii, doctoribus enim hac in re legem præscribere supercilii esset non tolerandi. R. Abraham aben Hezra Psalterium dividit in decem Psalmorum genera. Primum est *Menatzeach*, quod nos dicere possumus carmen triumphale. Secundum *Neghinah*, cantus cum musico instrumento. Tertium *Mizmor*, Psalmus. Quartum *Scir*, Canticum. Quintum *Tehilah*, laus. Sextum *Tephilim*, Orationes. Septimum *Berachot*, Benedictiones. Octavum *Hodoth*, Confessiones. Nonum *Asre*, Beatitudines. Decimum *Halleluioth*, quæ sunt laudes *Jah*, unde Hallelujah. Porrò Psalmus Græca vox est, quæ Latinis idem est ac cantus à verbo ψάλλω, quod est canto, sive id ore duntaxat fiat, sive addito musicali instrumento. Hebræi Psalmos vocant *Tehilim*, id est laudes, sive Hymnos, quod præcipua eorum pars

o *Cassiod. in Psalm. ult.*

p *Leont. lib. 3. adv. Nest. & Eutych.* q *Philast. de hæresib. num. 79.* r *Concil. Toletan. 7. c. 10.* s *Greg. l. 4. Ep. 45.*

pars in cantandis Dei laudibus versetur. Quam sit antiquus eorum usus in Ecclesia, superfluum est hic repetere, cum jam probatum sit supra capite primo. Cur verò Ecclesia præ cæteris scripturis frequentius utatur Psalmis, tractant Radulphus de Rivo *t*, & Joannes à Turrecremata Cardinalis *u*, quia videlicet excellentiores sunt, ut modò ex Patribus ostensum est, perfectam orandi formam continent, suntque magis idonei ad cantum, & vocalem jubilationem. De numero Psalmorum, deque mysticis eorum sensibus, & de usu psallendi insignem tractatum scripsit Joachimus Abbas in tres libros distinctum. De privato usu Psalmorum quomodo, & qua ratione in diversis occasionibus illis uti debeamus, differit Athanasius in aureo libello de interpretatione Psalmorum ad Marcellinum, qui tractatus & lectu dignissimus est, & Christianis omnibus maximè utilis. Docet Amalarius *x* nos stare solere, quando Psalmos cantamus, ut ex situ corporis affectum mentis demonstremus, paratos videlicet nos esse ad exercitium operis, quod per Psalmos significatur. Parum enim valeret Psalmorum modulatio, ni bonorum operum executio oris cantum sequeretur. Finio hac præclara melliphthongi Doctoris *y* paræneſi. Cibus in ore, Psalmus in corde sapit: tantum illum terere non negligat fidelis, & prudens anima quibusdam dentibus intelligentiæ suæ: ne si fortè integrum glutiat, & non mansum, frustretur palatum sapore desiderabili super mel, & favum. Mel in cera, devotio in litera est. Alioquin litera occidit, si absque spiritus condimento glutieris. Si autem cum Apostolo psallas spiritu, psallas & mente, cognosces & tu de illius veritate sermonis: quem dixit Jesus: *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt.* Sic delectabitur in crassitudine anima tua, sic holocaustum tuum pingue fiet: sic placabis Regem, sic placebis Principibus, sic denique totam tibi curiam benevolam reddes.

t *Radulph. prop.* 8. & 9. u *Turrecrem. in regul. S. Bened. tract.* 75. x *Amalar. l.* 4. *c.* 3. y *Bern. serm.* 7. *in Cant.*

## §. XII.

## De Canticis.

*Quomodo inter se differant Psalmus, Canticum, Canticum Psalmi, & Psalmus Cantici. Canticum quid sit. De Canticorum usu, numero, materia, & antiquitate. De Cantico* Te Deum laudamus. *Per alia Cantica properandum esse ad Cantica Canticorum.*

1. DE divinis Canticis paucis agendum est, si de tanta re pauca proloqui fas erit. Orthodoxi Patres *z* Cantica à Psalmis distinguunt juxta diversas musicæ artis præscriptiones. Et Psalmus quidem sermo musicus est, qui secundum harmoniæ rationem ad organum pulsari, & simul cantari solet. Canticum verò est, cum cantantium chorus, libertate sua utens, nec in consonum organi adstrictus obsequium solius vocis modulatione exultat. At cum organo præcinente Cantoris vox instrumenti æmulatrix subsequitur, Canticum Psalmi nuncupatur. Cum autem humana voce incipiente organi sonus pari suauitate vocis modulos imitatur, Psalmus Cantici vocari consuevit. His ergo quatuor musicæ artis generibus competentes Canticorum inscriptiones prænotantur. Canticum sola voce, Psalmus voce simul, & organo: incipiente organo Canticum Psalmi; instrumentali symphonia vocem subsequente Psalmus Cantici decantatur. Porrò Canticum, quod in sacris literis *a* collaudare jubemur, significat apud Hilarium *b*, & Augustinum *c* scientiam spiritualem, & intelligentiam cœlestis arcani, quam quis per cognitionem sapientiæ consequitur. Sive, ut ait Basilius *d*, Canticum est, quodcunque contemplatione simplici, ac Theologica comprehenditur, vel, ut docet Maximus Martyr *e*, Cantica voluptatem significant divinorum bonorum, quæ animas commovent ad sincerum Dei amorem. Non enim semper boni operis exercitium habitam de Deo cognitionem statim subsequitur, sed cognoscens divinæ majestatis miranda secreta in nuda eorum contemplatione aliquando quiescit, sicut scriptum est *f*; *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus.* Hanc autem animæ voluptatem, hanc animi sublimem contemplationem denotat Canticum, quod, teste Chrysostomo *g* animam erigit, & alatam quodammodo efficit, & à terra liberat, & exolvit à vinculis corporis, & amore sapientiæ afficit, & ut res omnes ad hanc vitam per-

z *Hilarius, Euthymius & Chrysost. in præf. Psal. Basilius in Ps.* 29. a *Eccl.* 39: 19. b *Hilar. præf. in Psalm.* c *Aug. in Ps.* 67. d *Basil. in Psal.* 29. e *Maxim. Mar. de Eccl. mystagogia c.* 11. f *Ps.* 45. g *Chrys. in Psal.* 41.

pertinentes irrideat, perficit. Hac verò dispositione divini Officii series ordinatur, ut nonnisi præmissis aliquot Psalmis Canticorum modulatio subsequatur: nam Psalmus exteriores indicat actiones, quarum laboriosa efficientia, ad sublimem contemplationis statum in Canticis symbolicè adumbratum aptatur homo. Et quia solet nonnunquam rerum divinarum adepta cognitio magnarum rerum operationem parturire, ideo post Cantica adhuc Psalmi aliquando cantantur, necessariam actionis, & contemplationis vicissitudinem indicantes. Sed post Cantica ex Evangelio desumpta nullus sequitur Psalmus, quia futuræ vitæ perennem contemplationem significant, quando non erit amplius neque labor, neque dolor. Cæterùm Cantica antiquitate temporis Psalmos omnes antecellunt. Nam Moyses ante omnem Psalmorum usum primus omnium cecinisse Canticum narratur, cùm subsistentium, & decurrentium aquarum obsequio è durissima servitute liber evasit. Ecclesia è veteri testamento septem accepit Cantica, quæ septem diebus Hebdomadæ pro matutinis laudibus assignavit. E novo autem tria dumtaxat quotidie frequentantur, Canticum quidem Zachariæ in matutinis, Canticum B. Virginis in vespertina synaxi, Canticum denique Simeonis in postrema Completorii hora. Vides quod hæc tria Cantica singulis diebus, cætera nonnisi semel in Hebdoma concinuntur? An hæc sunt nova Cantica, ad quæ Psalmographus toties repetito carmine fideles populos hortatus est dicens, *h Cantate Domino Canticum novum, Cantate Domino omnis terra?*

2. Rectè Chrysostomus *i*. Vetus Canticum unius populi finibus circumscriptum erat, unoque climate continebatur, neque fas erat populo extra illud clima vetus afferre Canticum; sed novum per omnem terram incedit, quæ sub cœlo est, & ab universo decantatur orbe. Rectè item Augustinus *k*. Prius fuit testamentum vetus, Canticum vetus, homo vetus: nunc autem testamentum novum, Canticum novum, homo novus. Hoc est discrimen inter Canticum novum, & vetus. Veteres interrogati ab alienigenis, ut inter salices Babylonis Canticum Domini psallerent, responderunt: *Quomodo cantabimus Canticum Domini in terra aliena?* At de novis Canticis scriptum est: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Ideò hæc frequentius, illa parcius decantamus. Quare autem prædicta Cantica certis diebus, & non aliis assignarit Ecclesia, pluribus edisserit Amalarius Fortunatus *l*, cujus allegoricas rationes, cum sint prorsus voluntariæ, consultò prætermitto. Odi enim, ut verum fatear, has ingenii lascivientis fœturas, nec placent allegoriæ, nisi sacrarum literarum auctoritate confirmentur. Utrumque vitiosum est, & omnem spernere allegoriam, & nimium illis insistere, & facere ingenium suum Ecclesiæ sacramenta, ut loquitur Divus Hieronymus *m* scribens de Origene. Omnia Cantica ad gratias agendas Deo pro insigni aliquo, & speciali beneficio fuisse composita Richardus Victorinus *n*, Rupertus Abbas *o* affirmant. Alii tamen observarunt multiplicem esse Canticorum materiam. Est materia gratulatoria, ut in Cantico Moysis post transitum maris rubri; in Cantico Debboræ post interfectum Sisaram; in Cantico Judith post necem Holofernis; & in eo quod tres pueri ab incendio liberati cecinerunt. Est & materia prophetica, ut in Canticis Isaiæ, & Habacuc. Est item invectiva, ut in Cantico, quod cecinit Moyses coram filiis Israël, quando invocavit contra ipsos cœlum, & terram. Præclarè Ambrosius *p*. Cantavit Moyses, quando in mari rubro ad transitum Judæorum fluctus obriguit, unda circumstetit, eademque equos Ægyptiorum, ascensoresque resusa demersit. Cantavit Isaias dilecto dilecti vineæ suæ Canticum, significans asperam flagitiis fore plebem, quæ fœcundis prius erat virtutibus fructuosa. Cantaverunt Hebræi, cum vestigia eorum tactu flammæ rorantis humescerent, & intus, extraque ardentibus omnibus solos ignis innoxius lamberet, nec adureret. Habacuc quoque Cantico publicam doctus mulcere mœstitiam prophetavit dulcem Domini fore fidelibus passionem. Cantaverunt ergò Prophetæ spiritualibus modulis publicæ salutis oracula, resultantes. Quamvis autem multa sint Cantica, Ecclesia tamen Romana plura non recipit, quam Duo Cantica Moysis, Canticum Annæ, Canticum Isaiæ, Ezechiæ Regis, Habacuc, & trium puerorum, & tria ex novo testamento. At Monachi ex præscripto Regulæ S. Benedicti diebus festis in tertio Nocturno tria Cantica recitant.

h *Psalm.* 95. i *Chrys. Hom. in psal.* 95. k *Aug. l. de Cantico novo c.* 1.

l *Amal. l.* 4. *à cap.* 10. *usque ad* 18. m *Hier. prolog. l.* 5. *comm. in Isai.* n *Richard. l.* 4. *in Apoc. cap.* 6. o *Rupert. in Prol. Cantic.* p *Ambros. lib.* 6. *in Lucam.*

recitant ex Prophetis, & aliis scripturis, quorum rationem suo loco *q* explicabo. Hisce Canticis diutinam hujus exilii solitudinem consolamur, donec in cœlesti patria Canticum verè novum immortalitate donati sine ulla doloris admixtione modulemur. Etenim in præsentiarum sicut nulla sine miseriis plena sunt gaudia, ita teste Paschasio Ratberto Abbate *r* sine lamentis vix aut nulla inveniuntur Cantica: quoniam solummodo Cantica in cœlesti Sion decent, lamentationes autem in hac nostra peregrinatione: mixtim verò quasi in meditullio jure lamenta carminibus, atque carmina fletibus permiscentur, ubi & mala planguntur, & in spe gaudia cum fide celebrantur. Plura de Canticis mysticè & anagogicè Joannes Gerson tertiâ parte suorum operum.

3. Est & aliud canticum, si tamen inter cantica, & non potius inter Hymnos numerandum, ut putat Rupertus Abbas *s*, quod licet in sacris literis non inveniatur, divinitus tamen compositum est, & diebus festis post ultimam Nocturnorum lectionem solemniter decantatur. Hoc est *Te Deum laudamus*; de quo sanctus Dacius *t* Mediolanensis Episcopus sic scribit: A.B. Ambrosio cunctis fidelibus urbis adstantibus, & videntibus in nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis Augustinus baptizatus, & confirmatus est: in quibus fontibus prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, *Te Deum laudamus* cantantes cunctis qui aderant audientibus, & videntibus ediderunt, quod ab universa Ecclesia Catholica usque hodie tenetur, & religiosè cantatur. Hæc Dacius, ut vulgò citari solet, cujus meminit S. Gregorius in Dialogis. Verùm Hugo Menardus in Notis ad sacramentarium ejusdem S. Gregorii *u* certum ait non esse S. Dacii illud Chronicon, ex quo præallegata auctoritas desumpta est, quod non redoleat stylum illorum temporum, atque etiam quædam falsa contineat. Sententiæ Menardi subscribit Bartholomæus Gavantus *x*, totumque canticum uni Ambrosio deberi ait, cum careat dialogismo: additque in antiquissimo Breviario M. S. Collegii Aniciani de Urbe isti cantico præferri hunc titulum, Hymnus S. Abundii. Sed quis fuerit iste Abundius incertum est. Ante sanctum Benedictum *y*, & Teridium discipulum sancti Cæsarii Arelatensis Episcopi, qui de hoc in suis scriptis locuti sunt, nullus veterum mentionem illius fecit. In Psalterio M.S. Basilicæ S. Petri in Vaticano inscribitur, Hymnus S. Sisibuti. In Psalterio Latino Gallico, cujus meminit Jacobus Usserius Armachanus in tractatu de Symbolo Romanæ Ecclesiæ, Epistola ad Vossium, S. Nicetio adscribitur. Sed an hic fuerit Trevirensis, aut Lugdunensis Episcopus, non liquet: nec etiam constat quis fuerit ille Sisibutus. Nam Sisibuto Hispaniarum Regi vix puto convenire, cum ratio temporis obstet. Non esse autem recedendum ab antiqua traditione, quæ hoc Canticum sanctis Ambrosio, & Augustino tribuit, cum sit adeò communiter recepta, asserit Lorinus *z*. Ecclesia Romana illud omittit in Adventu, & Quadragesima; at Monachi omni die Dominica ipsum cantant, etiam in ipso tempore Adventus, & Quadragesimæ, de qua re cum incidisset quæstio inter Episcopos, & Abbates in quodam Concilio congregatos, responderunt Abbates se id agere ex B. Benedicti nominatissimi, atque excellentissimi Patris præceptione, cujus Regulam Summus Pontifex Gregorius Magnus approbavit. Quo audito quieverunt Episcopi, ut scribit Radulphus Glaber *a* in Historia.

4. Notat Origenes *b*, nos omnia veteris testamenti Cantica peragrare debere, antequam dignè possimus ad Canticum Canticorum pervenire. Hoc primarium Canticum est, omniumque finis & scopus, quo Christi, & Ecclesiæ laudes, quo mystici connubii sacramenta, amorisque divini operationes mirabiliter describuntur. Canere prius oportet alia Cantica: nam in exitu nostro de Ægypto, de domo servitutis cantavimus Domino Canticum novum, quia mirabilia fecit. Rursum cum nobis pœnitentibus peccata dimissa sunt, immissa gratia, & promissa gloria, spe gaudentes cantavimus in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini. Cum pravas animæ affectiones Deo juvante repressimus, cùm vicimus mundum, & carnis laqueos declinavimus, necessarium fuit psallere Domino Canticum novum, carmen Deo nostro. Cùm profligatis vitiis virtutum ornamentis illustrari cœpit anima, tunc exaltatum est cornu nostrum in Deo nostro, & factus est in voce exultationis, & confessionis sonus epulantis. At Canticum Salomonis, Canticum pacifici quando cantabimus?



q *Infra* c. 18. r *Paschas. initio l. 5. in lament. Jeremiæ.* s *Rupert. Abb. lib. 2. in Reg. S. Bened. c. 7.* t *Dacius l. 1. Chron. c.* 10. u *Greg. 3. Dialog. c. 4.* x *Gavant. in R. Brev. sect. 5. c. 19.* y *Bened. Reg. c. 11.*

z *Lorin. in ps. 27.* a *Glab. lib. 3. hist. cap. 3.* b *Origin. Hom. 1. in Cant.*

Quando ad eam perveniemus ætatem, ætatem inquam non dierum, sed meritorum, quâ cœlestis sponsi nuptiis idonei Canticum illud excellentissimum psallamus, non labiorum strepitu, sed jubilo cordis; non vocum melodia, sed consonantia voluntatum? Philo c Carpathiorum Episcopus, Quicunque ait, omni occasione carnis præcisâ, remotisque, atque depulsis illecebris voluptatum, mente tranquillâ, corpore castus & animo, temperantiæ viribus vallatus erit, is Cantica Canticorum intrepidè adire potest. O verè Canticum Canticorum, Canticum singulare, Epithalamium amoris, quod omnibus præcellit Canticis, sicut omnibus sanctis major est ille, qui Rex Regum vocatur, & Dominus dominantium; ut scribit Aponius d. Verè Canticum Canticorum, quod nemo dicere potest, nisi emptus sit de terra, & transgressus sit universam naturam sensibilium, ac intelligibilium, & ad Sancta Sanctorum pervenerit. Utinam Domine talia psallere possem, qualia servi tui fideles ineffabili exultatione modulantur. O quam libenter in tuas laudes effusus Canticum novum, carmen lætitiæ, Canticum Canticorum infatigabiliter decantarem! Sed quoniam curis carnalibus præpeditus à præsentia vultus tui adhuc longè constitutus ad tantam dignitatem assurgere nequeo, psallam nihilominus quamdiu fuero, & in minoribus Canticis exercebor, donec te promovente tantis increvero virtutum augmentis, ut oris tui osculo dignus inveniar, atque adeò supremi Cantici valeam modulamine recreari. Doce me interim tu ipse quid & qualiter cantare debeam, quia ut quidam servus tuus e scripsit; Nemo tibi cantat digna, nisi qui à te acceperit quod cantet.

## §. XIII.

## De Versibus.

*Versus unde dicatur. Quid significet. Aliquot versuum explicatio. Cantica Evangelica cur stando psallantur.*

1. VErsum à vertendo dictum ipsa nominis derivatio indicat. Quando enim versum audimus, faciem illicò vertimus ad altare, ut omnis cogitatio, quæ foras exivit per evagationem, revertatur ad Deum, per devotam introversionem. Nam & ipsa mentis intentio in aliam intentionem ducta voluntatem secum trahit de uno in alium affectum, de psalmodia scilicet ad lectionem, de lectione ad orationem. Significat versus boni operis fructum, debetque statum notare vel Officii, vel temporis. Officii status indicatur, cum exempli gratia de virginibus cantamus. *Diffusa est gratia in labiis tuis*: vel de Confessoribus, *Justum deduxit Dominus per vias rectas*: aut de Martyribus, *Gloria, & honore coronasti eum*: sive de Apostolis, *In omnem terram exivit sonus eorum*. Status autem Officii in his versibus apparet, quos horis diurnis frequentamus. Primo enim mane Deum precamur, ut virtute brachii sui adjuvet nos ad operandum, & liberet de insidiis, quæ paratæ sunt contra nos dicentes: *Exurge Domine adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum*. Horâ tertiâ dicimus versum, *Adjutor meus esto Deus, ne derelinquas me*; ut, qui adjuvit nos usque ad hanc horam, auxilium suum protegat, donec ad meridiem, in quo ipse pascitur, perveniamus. Hora sexta cum Sol in auge ferventissimum ardorem diffundit in terram, devotorum hominum perfectio demonstratur, quorum fervor ita divino igni conjunctus est, ut ab ipso pascantur, & illustrentur, nihilque eis desit, ut ait Apostolus: *Omnia possum in eo qui me confortat*: ideò canimus: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit in loco pascuæ ibi me collocavit*. Sed quia hora nona per solis declinationem fervoris diminutio, & tentationes ingruentes designantur, ab illis petimus liberari dicentes: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo*. Sic in Vesperis vespertinam orationem commemoramus, & in Completorio custodiam Domini propter timores nocturnos postulamus. Longi operis esset omnium versuum rationem describere, cùm id præsertim eleganter præstiterit Amalarius Fortunatus.

2. Dicitur versus clarâ & acutâ voce, ut eo audito excitentur pigri, & revertantur ad cor. Dicitur noctu ante lectiones, ut qui psallendo laboravit, sedeat jam & requiescat, & ad lectionum doctrinam vigilanter audiendam elevetur, ne fortè sedenti importuna irrepat dormitatio. Dicitur singulis horis diei ante collectam, sive orationem, quia scriptum est f, *Ante orationem præpara animam tuam*. Paucos reperias, qui soliciti sint omni custodiâ servare cor suum, & conscientiam semper immaculatam exhi-

c *Philo initio Comment. in Cant.* d *Apon. lib. 1. Com. in Cant.* e *Aug. præf. in psalm. 34.*

f *Eccli. 18. 23.*

exhibere, ideo necesse est maculas diluere subintrantes, quia dicit Psalmus *g*, *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Hoc nimirum admonet versus orationi præmissus, ut quicquid minus est fervoris, humilitas suppleat puræ confessionis. Si confiteamur peccata nostra, si miserias exponamus, ignoscet nobis Deus, quia benignus & misericors est. Idcircò post versum subdunt Monachi: *Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson*, nam quid oremus sicut oportet nos nescimus, nisi spiritus, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, adjuvet infirmitatem nostram: Electorum mentes, ait Laurentius Justinianus *h*, si quas in se præsentis vitæ cogitationes inveniunt, pœnitentiæ ardore consumunt, nec cogitationes suas extrà se dilatari permittunt; sed eò se districtius in seipsos colligunt, quo ferventius assistere ante Deum per orationis studium disponunt: quia reverà absque confusione Deo vacare non potest, qui extra se mente inaniter exciterit dilatatus. Etiam ante cantica Evangelica versibus præparamur, quia & modum orationis habent, & altissimam continent doctrinam, quam nec corde percipere, nec moribus exprimere possumus, nisi doceat nos veritas, illa inquam veritas quæ dicit: Ego sum via, veritas, & vita. Unde & ipsa Cantica stando cantamus; quia parati semper esse debemus ad currendam viam mandatorum Dei per semitas Evangelii, sicut scriptum est, *i Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.*

## §. XIV.

## De Lectionibus.

*Antiquitas, utilitas, & excellentia sacrarum lectionum. Ritus lectionum explicatur. De benedictionibus. Cur Prælatus Domnus, & non Dominus nuncupetur. Dicta quædam obiter de hac voce. Sacra Scriptura cur difficilis.*

1. IN *sacris libris linguaque, & mente frequenter Versare, aut etenim donat Deus ista laborum Præmia, ut absconsæ lucis mens sedula quiddam Conspiciat: vel certè istinc ea commoda carpit, Ut per sancta Dei capiat præcepta dolorem:*

g *Psalm.* 65. h *Laur. Justin. ligni vitæ de orat. cap.* 3. i *Psalm.* 118.

*Aut quod postremum est animos hæc lectio rebus Abstrahit à fluxis studia ad meliora vocatos.*

Sic canit Gregorius Nazianzenus *k*. Sacrarum enim lectionum usus ita interiorem hominem illustrat, ut meritò Davidicum illud usurpare possit, *l Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Lumen animæ, inquit Cæsarius Arelatensis *m*, & cibus æternus non est aliud nisi Verbum Dei, sine quo anima nec videre potest, nec vivere: quia quomodo caro nostra moritur, si non capiat cibum, ita & anima nostra extinguitur, si non accipiat Dei verbum. Quod Sol diei, quod Luna noctibus, quod Stellæ navigantibus, hoc est animæ lectio. Diem statuit pulsa criminum nocte, divini amoris radiis calefacit, errantes in tenebris hujus mundi ad viam revocat, oppressis denique tentationum fluctibus tuta littora, portumque gratissimum designat. In sacris literis legendis, teste Philone *n* Carpathiorum Episcopo, peccatores de propriis erratis admonentur, & quomodò se castigent, corrigant ac emendent, apertissimè docentur, & quicquid homines alter alteri, vel dicere verentur, vel ignorant, hoc sacræ literæ, & sanctissimè audent, & uberrimè noverunt. Scriptura enim sacra, ait Magnus Gregorius *o*, mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur, ut interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi etenim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus. Ibi sentimus quantum proficimus, ibi à profectu quàm longè distamus. Sed verba Chrysostomi *p* hic omittenda non sunt initio Homiliæ de paradiso, & scripturis, quam habuit cum Eutropius deprehensus est extra Ecclesiam. Suave quidem est pratum, & hortus, utroque tamen multò suaviùs spirat lectio divinæ scripturæ. Illic siquidem flores invenire est, sed qui tempore marcescunt: hic autem occurrunt sententiæ in nativo vigore perennantes. Illic aspirat favonius, hic afflat aura Spiritus S. Illic spinæ pro muro obsepiunt hortum, hic Dei providentia tutum reddit lectorem. Illic cicadæ stridore suo obstreperæ: hic Prophetæ suavi jubilo personantes. Illic ex ipso aspectu quiddam oblectationis concipitur: hic autem ex ipsa mox lectione plurimum decerpitur utilitatis. Hortus uno quopiam circumscribitur loco: divinæ autem Scripturæ omni loco terræ habitabilis circumferuntur. Hortus pro temporum



k *Gregor. Naz. carm. de lib. sac. Script.* l *Psal.* 118. m *Cæsar. hom.* 18. n *Philo in c.* 4. *Cant.* o *Greg. lib.* 2, *mor. cap.* 1. p *Chrys. tom.* 1.

qualitate servit necessitatibus: scripturæ autem tam hiberno, quàm æstivo tempore fructuum pondere degravantur. Nihil verò aptius ad comparationem eorum, qui per ampla scripturarum studia decurrentes assiduâ lectione animorum industriam exercent, nihil aptius inquam, quàm sedularum apum similitudo. Istæ enim, ut tumidis utar verbis sancti viri Aldhelmi *q* Scireburgensis Episcopi, roscido facessente crepusculo tripudiantium turmarum exercitus per patentes campos gregatim diffundentes, modò melligeris caltharum frondibus, seu purpureis maluarum floribus incubantes multa nectaris stillicidia guttatim rostro decerpunt: modo flavescentes saliculas, & croceta genistarum cacumina circumvolantes fertilem prædam numerosis cruribus, & coxarum oneribus advehunt, quibus cerea castra conficiunt: modò teretes hederarum corymbos, & levissimos florentis tiliæ surculos constipantes multiformem favorum machinam angulosis, & opertis cellulis construunt. Eadem verò ratione mens religiosa per florulenta scripturarum prata latè vagans bibulâ curiositate decurrit. Nunc divina priscorum Prophetarum Oracula certis astipulationibus jam dudum Salvatoris adventum vaticinantia enixius investigando: nunc antiquarum arcana legum ab illo mirabiliter digesta, quæ bis quinis Memphitica regna plagarum afflictionibus crudeliter percussisse, & rubicundi tumentes Oceani gurgites sacrosancti tactu viminis ex colubro nuper transfigurati in simulachro maceriæ altrinsecus sequestrasse, & post cœleste colloquium cornutis vultibus incredulum fugasse vulgus describunt, solicitâ intentione scrutando: nunc quadrifariam Evangelicæ relationis dicta mysticis Catholicorum Patrum commentariis exposita, & quadriformis Ecclesiasticæ traditionis normulis secundùm historiam, allegoriam, tropologiam, anagogen digesta, solerter indagando. Apis autem propter peculiaris castimoniæ privilegium Ecclesiæ speciem portendere dicitur, quæ florentes saltuum cespites ineffabili prædâ depopulans dulcia natorum pignora, nesciens conjugii illecebrosa consortia, fœtosa quadam suavissimi succi de balsamo concretione producit. Ecclesiæ verò bis acuto Testamentorum mucrone hominum vitaliter corda transverberans hæreditariam legitimæ æternitatis sobolem casto Verbi semine fœcundat. Hæc carptim ex Aldhelmo.

*q* *Aldhel. de laud. Virginit. c. 2.*

2. Filiorum ergò profectui sedulò incumbens sancta Mater Ecclesia nocturnæ Psalmorum modulationi sacrarum literarum, sanctorumque Patrum lectiones inserendas esse decrevit, quatenus defessi, & aberrantes eorum animi hoc pabulo reficerentur, hâc luce illustrarentur. Parum est, ait unus *r* è primis Ecclesiæ Patribus, quod Dei plebem classico nostræ vocis erigimus, nisi credentium fidem, & dicatam Deo devotamque virtutem divinâ lectione firmemus. Sic sanctus ille Moyses *s* volumen legis cunctis audientibus legere consuevit, ut rudis populus præceptis Domini disceret obedire. Sic legis Deuteronomium *t* continuâ lectione commemorari præcipitur, ut discant omnes timere Dominum, & verba ejus custodire. Sic Levitæ, jubente Esdra *u* in libro legis Dei, legebant distinctè, & apertè ad intelligendum rectè legendi modum edocentes. Sic seniores Judææ *x* gentis inter bellorum pressuras, ac innumeras calamitatum angustias se libros sanctos habere pro solatio gloriantur. Sic ipse Christus Redemptor noster intravit secundùm consuetudinem die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere, & traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ *y*. Sic denique in ipso Ecclesiæ ortu lectiones ex Prophetis, & Apostolis in Conventu Christianorum legi solebant, ut Paulus in fine Epistolæ ad Colossenses, & Justinus Martyr Apologetico secundo pro Christianis testes insuperabiles ostendunt. Hic vero usus œcumenica sanctione in Concilio Laodiceno *z* stabilitus fuit, ordinemque lectionum per anni circulum legendarum Gelasius Papa digessit, cujus Ordinis accuratam rationem Rupertus *a* Abbas Tuitiensis in fine librorum de divinis Officiis secundùm datam sibi sapientiam explicavit. Nam Historia Regum, quæ statim post Pentecosten ponitur, primis duobus libris mysticè assimilatur primis Christianitatis temporibus, quando paulatim crescente fide vetus idololatria decidit, sicut post regnum Saül successit David vir secundùm cor Dei. Duobus autem sequentibus libris in divisione regni à domo David, tempora significantur Hæreticorum, à quibus Ecclesia scissa est. Sequuntur libri Salomonis, quia post certamina Hæreticorum

*r* *Cyprian. præf. libro de exhort. Martyr.* *s* *Exod.* 24: *vers.* 7. *t* *Deuter.* 31: 11. *u* 2 *Esdræ* 8: 8. *x* 1 *Mach.* 12: 9. *y* *Luc.* 4: 16. *z* *Concil. Laodic. cap.* 59. *Dist.* 15. *C. sancta Romana Ecclesia.* *a* *Rupert. l.* 12. *c.* 24. *&* 25.

corum sapientia enituit Doctorum Ecclesiæ, quos illorum contentiones excitarunt. Legitur deinde Job, quia in pace Ecclesiæ non desunt fidelibus tentationes ad probationem, & exercitium virtutis. Mense verò Septembri libri quatuor percurri solent, videlicet Tobias, Judith, Esther, & Esdras, per quos quatuor virtutes Cardinales indicantur: Tobias enim prudentiæ typum gessit, Judith fortitudinis, Esther temperantiæ, Esdras justitiæ. Quia verò dum in hoc mundo peregrinamur à Domino inter virtutum exercitia vitiorum ingruunt bella, quatuor jam dictos libros prælia Machabæorum aptè sequi consueverunt. Reliquo tempore usque ad Nativitatem Domini Prophetarum personant scripta, ut inter tenebras, & conflictus sæculi usque ad reditum Christi scripturæ nos illuminent, & consolentur. Hæc ferè Rupertus. A die verò Nativitatis Christi usque ad Septuagesimam novum legitur Testamentum, magnusque Præco Evangelii Paulus auditur, ut discamus in novitate vitæ ambulare. A Septuagesima autem usque ad Pascha, diebus nimirum luctus, & pœnitentiæ, veteris miseriæ narrantur Historiæ, à qua Christi sanguine redempti sumus. Demum Paschali fulgente gaudio Apocalypsis B. Joannis Apostoli nobis proponitur, post quam sequuntur Epistolæ Canonicæ, ut de fine mundi sanctis revelationibus admoniti Apostolicis doctrinis, & documentis nos diligenter ad finem nostrum præparemus.

3. Concilium Carthaginense, sive illud tertium fuerit, ut in collectionibus Conciliorum prænotatur, sive sextum, ut mavult Baronius *b*, etiam passiones Martyrum legi in Ecclesia permisit, cum anniversarii dies eorum celebrantur. Gelasius Papa in Decreto habito cum 70. Episcopis, post sacras Scripturas, sanctasque Synodos universales, & opuscula omnium Patrum orthodoxorum, atque Epistolas decretales summorum Pontificum, recipi item jubet gesta sanctorum Martyrum. Sed ideò, inquit, secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia eorum qui conscripsere nomina penitus ignorantur. De eadem re Adrianus Papa *c* in Epistola, qua refellit objectiones adversus septimam Synodum, hæc habet: Vitæ Patrum sine probabilibus auctoribus minimè in Ecclesia leguntur: nam ab orthodoxis titulatæ & suscipiuntur, & leguntur. Magis enim passiones sanctorum Martyrum sacri Canones censuerunt ut liceat eas in Ecclesia legi, cum Anniversarii dies eorum celebrantur. Paratæ sunt igitur lectiones, ut in sanctorum festivitatibus eos qui divinis laudibus vacant loqui faciat sermo qui tacet, ut elegantèr ait Berengosius Abbas *d*. Parata sunt scripta sanctorum Patrum, ut loquitur in Dialogis de fide Cæsarius *e*, quæ nihil aliud quam flores sunt, qui aqua manante ex latere Christi irrigantur, ejus sanguine tinguntur, totumque mundum suavi odoris fragrantia replent. Primus qui in Italia divinum officium ordinavit distinguendo libros veteris, & novi testamenti, prout hodie leguntur, si vera tradit Hieronymus Rubeus *f*, fuit sanctus Eleucadius Ravennæ Archiepiscopus, qui vivere desiit anno Domini 112. Magnus autem Carolus Imperator, ut tradit Sigibertus *g* in Chronico, per manum Pauli Diaconi sui decerpens optima quæque de scriptis Catholicorum Patrum lectiones unicuique festivitati convenientes per circulum anni in Ecclesia legendas compilari fecit. Jacobus Pamelius *h* lectionum antiquitatem demonstrat in Latinorum Liturgicis, ubi in hanc rem testimonia Sanctorum Patrum plurima affert. Quæ verò lectiones ad præscriptum sacrorum Canonum legi debeant, docet Radulphus Tungrensis *i*, ut nulla scilicet apocripha Historia, nulla profana novitas introducatur: verum ut præcipit Monachorum Magister *k*, Codices legantur in vigiliis tam veteris Testamenti, quam novi divinæ auctoritatis, & expositiones eorum, quæ à nominatissimis Doctoribus Orthodoxis, & Catholicis Patribus factæ sunt. Inter errores Agobardi Lugdunensis Episcopi non minimus ille est, quem in opusculis de veteri ritu canendi Psalmos, & de correctione Antiphonarii propugnat, nihil scilicet in divinis Officiis audiri debere, nisi sacram Scripturam, ne inquit ignem alienum offeramus Domino, quasi non sit à Deo omnis sermo verus. Magnus Gregorius *l* cum audisset publicè ad vigilias legi in Ecclesia Ravennensi sua Commentaria in Job, scripsit de hac re Joanni ejus Ecclesiæ Subdiacono in hæc verba: Illud quod ad me quorumdam relatione perlatum



b *Baron. ann.* 419. *num.* 95. *In Epistol. Summ. Pont. tom.* 2. *par.* 2. c *Adrian. Epist.* 3. *pag. mihi* 749.

d *Bereng. ser.* 1. *de Martyr.* e *Cæsar. dial.* 1. *inter.* 1. f *Rubeus hist. Ravennat. lib.* 2. g *Sigibert. ann.* 807. h *Pamel. Liturg. to.* 1. i *Radulph. prop.* 11. k *Bened. reg. cap.* 9. l *Greg. l.* 10. *Ep.* 22.

est, quia Reverendissimus frater, & Coëpiscopus meus Marianus legi commenta B. Job publicè ad vigilias faciat, non gratè suscepi: quia non est illud opus populare, & rudibus auditobus impedimentum magis, quam provectum generat. Sed dic ei ut commenta Psalmorum legi ad vigilias faciat, quæ mentes sæcularium ad bonos mores præcipuè informant. Habendus igitur in lectionibus delectus est, sapientibus enim, & insipientibus debitores sumus.

4. Non facilè dixerim, quam convenienter id ab antiquis institutum sit, ut orationi subdatur lectio, rursumque lectionem excipiat oratio: nam cùm oramus, cum Deo loquimur; cùm legimus, Deus loquitur nobiscum. Per orationem mundamur à peccatis, per lectionem discimus quid facere, quid cavere, quò tendere debeamus. Disertissimè Bernardus libro de modo orandi, seu verius Guigo Carthusiensis *m* hactenus sub Bernardi nomine citatus: Beatæ vitæ dulcedinem lectio inquirit, meditatio invenit, oratio postulat, contemplatio degustat. Unde ipse Dominus dicit, *Quærite, & invenietis, pulsate & aperietur vobis.* Quærite legendo, & invenietis meditando: pulsate orando, & aperietur vobis contemplando. Lectio quasi solidum cibum ori apponit, meditatio masticat, & frangit, oratio saporem acquirit, contemplatio est ipsa dulcedo, quæ jucundat, & reficit. Denique ingens bonum est lectio, ait Chrysostomus *n*, quæ facit animam optimis moribus præditam, & mentem in cœlum transfert. Porrò ritus, quo legi solent lectiones, hic est; Post Psalmos dicitur Versus, ut à Psalmodia ad lectiones vertatur intentio. In pluribus Ecclesiis sequitur post versum Absolutio, itemque Oratio Dominicalis: quia enim in malevolam animam non introïbit sapientia, mundari cor debet, atque per orationem præparari ad audiendum verbum Dei, quatenus precibus nostris propitiatus is qui dat omnibus affluenter, adaperiat cor nostrum in lege sua, & in præceptis suis, aperiatque sensum ad intelligendas Scripturas. Lector verò accepto codice licentiam petit legendi à prælato, vel Sacerdote dicens, *Jube Domine benedicere*; quia, ut dicit Rupertus *o*, Nemo nisi missus, aut permissus officium prædicandi usurpare debet, quomodo enim prædicabunt nisi mittantur? Non tamen petit se à Sacerdote benedici, sed ut jubeat sibi à quocunque alio benedictionem impertiri, cujus rei mysterium edisserit his verbis Petrus Damianus *p*. Lecturus magnæ humilitatis gratia non à Sacerdote, sed ab eo cui Sacerdos jusserit se postulat benedici dicens, *Jube Domine benedicere*. Sacerdos autem, ut tantæ humilitati vicem reddat, non subjecto cuiquam benedicendi delegat officium, non per semetipsum benedictionem dare præsumit, sed potius ut à Deo, qui est super omnia benedictus, prærogetur, exposcit. Hic ritus benedicendi antiquissimus esse videtur: nam in manuscriptis Græcorum Patrum Homiliis plerumque præfixa reperiuntur hæc verba, *ἐυλόγησον πάτερ*, *Benedic Pater*, quod Jacobus Gretzerus *q* ex antiquo more petendi, benedictionem à Prælato, priusquàm legere quis inciperet, derivasse arbitratur. Quare & in multis sermonibus Sancti Ephræm hæc eadem verba prænotata videmus, quia ejus scripta publicè in Ecclesia legi solebant, ut testatur D. Hieronymus *r*. Hac autem voce benedicendi antiquos etiam Ethnicos usos fuisse ex multis scriptoribus constat. Cicero pro Sextio: Cui benedixit unquam bono? benedixit? imò quem fortem, & bonum civem non petulantissimè est insectatus? Ovidius. *s*

*Scis benè cui dicam positis pro nomine signis.*

Plautus in Milite glorioso. *t*

*Conservi, conservæque omnes benè valete, & vivite,*
*Benè quæso dicatis inter vos, & mihi absenti tamen.*

Idem in Cassina. *u*

*Benedicite, Diis sum fretus, Deo speravimus,*

Et in Aulularia. *x*

*—— Bono animo es, & benedice.*

Et alibi. *y*

*Eja benedicite, ite intro, valete.*

Extant autem de benedictionibus doctissimæ lucubrationes prædicti Gretzeri, quibus nihil addi potest. Illud etiam observandum, non Dominum vocari Prælatum, sed Domnum ablata literula, quæ appellatio, cum ad Monachos maximè pertineat, aliquanto fusius explicanda est.

5. Joan-

m *Guigo Carth. in scala claustralium c.* 1. n *Chrys. Hom.* 35. *in Genes.* o *Rupert. l.* 1. *cap.* 12.

p *P. Damian. lib. de Dom. vobiscum cap.* 2. q *Gretzer. to.* 1. *de Cruce in or. Alex. de Crucis Invent.* r *Hieron. de vitis illustr.* s *Ovid.* 4. *Trist.* t *Plaut. mil. gl. ac.* 4. *sc.* 8. u *Cas. ac.* 2. *sc.* 5. x *Aulul. ac.* 4. *sc. ult.* y *Asinar. ac.* 3. *scen. ult.*

5. Joannes Buſæus *z*, & Nicolaus Serarius *a* huic voci initium dediſſe autumant humilem Chriſtianorum modeſtiam, qui integrum Domini nomen ei ſoli reſervarint, de quo pſalmus, Tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſſimus. Unde vulgatus extitit verſus:

*Cœleſtem Dominum, terreſtrem dicito Domnum.*

Sanè Tertullianus *b* eos Imperatores ob urgans, qui ſublimem divinitatis titulum ſuperbè aſſumebant, Auguſti moderationem commendat, qui ne Dominum quidem dici ſe volebat: hoc enim, ait, Dei eſt cognomen. Atque idipſum de Auguſto teſtatur Suetonius *c* his verbis. Domini appellationem ut maledictum, & opprobrium ſemper exhorruit, Dominumque ſe appellari ne à liberis quidem, aut nepotibus ſuis, vel ſeriò, vel joco paſſus eſt. Eamdem Domini appellationem Alexandrum Severum reſpuiſſe ſcribit in ejus vita Ælius Lampridius *d*. Idem de Tiberio aſſerit Tacitus *e*, De Juſtiniano Imperatore, & impia Theodora ejus conjuge hæc notat Procopius Cæſarienſis *f* in Hiſtoria ἀνέκδοτα: Antiquitus etiam qui Cæſarem alloquerentur, Imperatorem compellarunt, conjugemque Imperatricem. At quiſquis cum alterutro horum Auguſtorum ſermones miſceret, Imperatoremve, aut Imperatricem non Dominum, Dominamque nominaſſet, is verò rudior, ac procax habebatur, & quaſi fœdiſſimè lapſus abigebatur. Sed & teſte Seneca *g*, olim Dominum Patrem familias appellaverunt, idque modeſtiæ, ac humanitatis cauſa. Solebant quidem Romani obvios quoſque Dominos ſalutare, ſed hoc dumtaxat, cùm nomen proprium neſcirent, vel ſtatim memoriæ non occurreret. Conſtat ex Seneca initio Epiſtolæ tertiæ, & ex Martiali his verſibus. *h*

*Cum te non noſſem, Dominum regemque vocabam.*
*Cum bene te novi, jam mihi Priſcus eris.*

Item, *i*

*Cum voco te Dominum, noli tibi Cinna placere,*
*Sæpè etiam ſervum ſic reſaluto meum.*

Obſervant Baronius *k*, & Ludovicus de la Cerda *l* clariſſimis olim viris, & fœminis, præſertim Eccleſiaſticis, atque ipſis quoque ſanctis hoc Domni, & Domnæ præno men attributum fuiſſe. Sanctus Odo *m* Cluniacenſis Abbas ſanctum Martinum Dominum vocat. Apud Baronium *n* in notis ad Romanum Martyrologium extat Epitaphium S. Anathalonis primi poſt S. Barnabam Mediolanenſis Epiſcopi à S. Mirocle conſcriptum ante annos mille, & multò amplius, cujus primus verſus hic eſt:

*Petri hoſpes, ſanctæque Anathalon, Domne probate.*

Apud Briſſonium *o* legitur teſtamentum Hadoindi Epiſcopi Cenomanenſis, in quo ſancti Martyres, & Apoſtoli, ſicut & viri illuſtres ſemper Domni appellantur. In fine Hiſtoriæ Apoſtolicæ Aratoris Subdiaconi hæc inſcriptio reperitur ex antiquiſſimo Codice manuſcripto. Beato Domno Petro adjuvante oblatus hujuſmodi Codex ab Aratore excomite domeſticorum, excomite privatarum, viro religioſo, Subdiacono S. R. E. ſanctoque, atque Apoſtolico viro Papæ Vigilio, & ſuſceptus ab eo ante Confeſſionem beati Domni Petri. In Litaniis, quas Serarius vetuſtiſſimas ſe vidiſſe teſtatur, ſummus Pontifex Domnus Apoſtolicus nuncupatur. Eadem vox paſſim occurrit apud Gregorium Magnum, Goffridum Vindocinenſem, Petrum Bleſenſem, Ennodium, & alios. Nunc etiam in Hiſpania, & maxima Italiæ parte illuſtres, & ſummates viri Domni vocantur, quem titulum olim quoque Regibus attributum conſtat ex Caſſiodoro *p*. Sicut autem nos dimidiato vocabulo Italicè *Don* pro Domno dicimus, ita eandem ſyncopen amare Græcos invenio, qui κύριε pro κύριε ponunt, & brevius aliquando κύρ: ut obſervat Gretzerus *q* in notis ad Orationem Germani Patriarchæ. Quidam vir doctus non à Domino per ſyncopen, ſed à voce Hebraica *Adon*, quæ Dominum ſignificat, ſublata per aphæreſim prima litera, & Latino more inflexo vocabulo Domni appellationem derivaſſe exiſtimat. Sed hæc opinio qua nitatur probabilitate viderint doctiores. Non eſt autem hic omittenda S. Benedicti *r* regularis inſtitutio. Is enim poſtquam præcepit nulli licere alium puro nomine appellare, jubet deinde à junio-

z *Buſæus in not. ad Epiſt. 4. Petri Bleſen.* a *Serar. lib. 1. de Litaniis cap. 13.* b *Tertull. Apolog. cap. 34.* c *Sueton. in Aug. cap. 53.* d *Lamprid. in Alex. cap. 4.* e *Tacit. 2. Annal.* f *Procop. in fin. hiſt. arcanæ.* g *Senec. Ep. 57.* h *Martial. lib. 1. Epig. 113.* i *Id. l. 2. Ep. 68.* & *l. 5. Epig. 58.* k *Baron. an. 416. num. 23.*

l *Cerda adverſar. cap. 77.* m *Odo ſerm. de combuſt. Baſilicæ ſancti Martini.* n *Baron. ad diem 25. Sept.* o *Briſſon. lib. 7. de formul.* p *Caſſiod. l. 8. variar. Ep. 5.* q *Gretzer. tom. 2. de Cruce.* r *Bened. reg. c. 63.*

junioribus seniores vocari Nonnos, Abbatem verò, quia Christi vices agit, Domnum appellari decernit. Quam regulæ jussionem sic ex usu suorum temporum interpretatur Smaragdus *s*, ut non solum Abbas, sed etiam cæteri Monachi Domni vocarentur. Sicut, inquit, tunc apud illos paterna exhibebatur reverentia, ut priores vocarentur Nonni: ita nunc apud nos exigitur hodie, ut ipsa paterna reverentia priores nostri à nobis vocentur Domni. Non est igitur recens inventum, quod Monachi omnes indiscriminatim Domni vocentur, quod nostris hisce temporibus multò potiori ratione ab universis Monasticis Congregationibus sancitum videtur, ut à Mendicantium Ordinibus ipsa nuncupatione secernerentur. Abiit nunc in dissuetudinem Nonni, & Domni discrimen, quod tamen non rei, sed vocis fuisse ex veterum monumentis conjicio. Ut enim Domnos viros præstantissimos honoris, ac reverentiæ gratia vocitamus; ita per Nonnum intelligi paternam reverentiam S. Benedictus asseverat. Illi etiam qui sanctitatis titulo insignes erant Domni dicebantur, quos item Nonnos dici reperio apud Arnobium *t*. Terrenæ mentes, ait, interficiuntur hoc ordine: si ille qui sanctus, & Nonnus vocâtur, sic agit; ego quis, aut quotus sum, ut non agam? Eandem vocem adulationis notam fuisse testatur Hieronymus *u*: Quæ in adulationem tui sanctum, Nonnumque coram te vocat. Ubi malè in quibusdam codicibus irrepsit, sanctum nonnunquam. Xiphilinus *x* auctor Græcus virgines Nonnas vocat: Quæ vox frequentius pro sanctimoniali usurpatur. In Pœnitentiali S. Fulberti, si quis Nonnam corruperit, septem annis pœniteat. Rursum Hieronymus *y*: Quia maritorum expertæ dominatum viduitatis præferunt libertatem; castæ vocantur, & Nonnæ. Dictæ sunt etiam Nonnanes, & Nonnanæ, ut ostendit Rosuveidus, in Onomastico. Esse autem hanc vocem reverentiæ, & quæ propriè majoribus natu, ac senioribus olim tributa fuerit docet Hugo Menardus ad cap. 70. Concordiæ Regularum. At de Domni, Nonnique appellatione hæc notasse sufficiat. Jam ad ritum lectionum regredior.

6. Cùm legitur lectio sedere solemus exemplo Christi sedentis inter Doctores, ut eos audiret, nam sessio propter quietem attentioni maximè servit: &, ut docet Aristoteles *z*, sedendo, & quiescendo animus fit sapiens. Nec vacat sessio, ait Bernardus *a*, tranquillitatis insigne est. Altum verò silentium servandum est, dum leguntur lectiones. Nam, ut loquitur Chrysostomus *b*, si cùm Regiæ leguntur literæ ubique est silentium, abestque strepitus, & tumultus, omnibus astantibus, & aures arrigentibus, ut sciant quæ regiis literis manifestentur: & quisquis vel parum tumultuatus fuerit, & quæ leguntur interruperit, in magno periculo est: multò magis cùm leguntur Divinæ lectiones cum magno timore, & tremore astandum est, & altum habendum silentium, & pellendæ cogitationes turbulentæ, ut quæ dicuntur intelligere possitis *c*. An non creditis quod hæc quæ leguntur, sunt à Deo? Sunt Epistolæ ad nos è cœlo missæ? cum timore igitur audiamus quæ dicuntur. Ethnicis quoque solemne erat in templis proclamare, *Favete linguis*, nimirum ut sacra cum debita veneratione perficerentur, nulla voce non mala solum, ut inquit Seneca *d*, sed ne bona quidem obstrepente. Quod & illud quoque indicabat ex Brissonio *e*, σίγα, πᾶς ἑστω λαὸς, *Tace, omnis esto mutus*. Sanè in Gentilium templis nefas fuisse expuere, aut nasum emungere scribit Arianus *f*. Quem morem commendans Quintilianus *g*, ait: In templo verbis parcimus, animos componimus, tacitam mentem velut in solitudine, velut in secreto quodam custodimus. Sunt autem multi, qui, cùm leguntur lectiones, tametsi lingua taceant, mente tamen distrahuntur, de quibus audeo dicere cum Origene *h*, quia cùm legitur Moyses, jam non velamen super cor eorum, sed paries quidam, & murus positus est. Quoties ergò Dominica nobis panduntur eloquia, mens evigilet, ut ait Chrysologus *i*, animus intendat, ut possit intellectus scientiæ cœlestis intrare secretum. Quid enim prodest lectione continua tempus occupare, sicut scribit quidam vir pius *k*, sanctorum gesta & scripta legendo transcurrere, nisi ea etiam mastricando, & ruminando succum eliciamus, & transglutiendo usque ad cordis intima transmittamus, ut ex his diligenter consideremus statum nostrum,

*s* *Smaragd. in c. 6. regulæ.* *t* *Arnob. in Psalm. 105.* *u* *Hieron. Ep. 47.* *x* *Xiphilin. in Domitiano.* *y* *Hieron. Ep. 22.*

*z* *Aristot. 7. Physic.* *a* *Bern. de consid. lib. 5. cap. 4.* *b* *Chrys. hom. 14. in Gen.* *c* *Id. hom. 3. in 2. ad Thess.* *d* *Senec. c. 26. de vita beata.* *e* *Brisson. l. 1. de formul.* *f* *Arian. Epict. l. 4. c. 12.* *g* *Quintil. declam. 365.* *h* *Origen. Hom. 12. in Exod.* *i* *Chrysol. serm. 139.* *k* *Guigo Carthus. in scala claustral. c. 11.*

nostrum, & studeamus eorum opera agere, quorum facta cupimus lectitare? Optimè de hac re S. Antiochus *l*: Qui opus tractat spirituale, dum divinas legit Scripturas, quæcunque occurrunt universa in seipsum debet tacita cogitatione reflectere, & non in alterum. Item Marcus Eremita *m*: Legens verba sanctæ Scripturæ, opere ipsa exequaris, & ne glorieris de nuda ejus cognitione.

7. Cùm verò audituri sumus sacrarum Scripturarum lectionem, orare cum Propheta debemus, & dicere, *n Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Tanta est enim earum profunditas, tanta obscuritas, ut illarum penetrare mysteria nemo valeat, nisi sensum aperiat *o* ad intelligendum, ille qui aperit, & nemo claudit. *Tenebrosa est aqua in nubibus aëris*, inquit Gregorius Magnus *p*, quia obscura est scientia in Prophetis. Et Augustinus *q* ad Volusianum scribens, Tanta est, ait, Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. Oritur hæc obscuritas, seu difficultas ex multiplici capite. Primò quidem ex Hebraico idiomate, quo ferè omnes conscriptæ sunt, ut observat Euthymius *r*, Hæc autem lingua à cæteris omnibus aliena cum nullis Europæ communicat: unde factum est, ut de Judæis fileant Græci, & Latini Historici, nec nisi quædam mendacia scribant ore tenus accepta à finitimis Gentibus, quæ semper Hebræis fuerunt infensæ, qualia sunt ea, quæ Trogus, & Tacitus mentiuntur: Deinde sacræ literæ tropis abundant, & sensibus mysticis; pro quorum intelligentia sancti Patres plures Regulas, & Canones tradiderunt, multumque laborarunt, nec tamen omnia sunt assecuti, & sæpè dissentiunt inter se in unius sententiæ expositione, ut docet Fulgentius *s* lib. 2. ad Monimum. His accedit mysteriorum altitudo, quibus plenæ sunt omnes paginæ testamenti. Denique, teste Augustino *t*, divinitus provisum est, ut multa in scripturis obscurè dicta retineantur, quæ densissimam caliginem obducunt, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio revocandum, cui facilè investigata plerumque vilescunt. Cùm ergò leguntur scripturæ, magno studio eis attendamus, facientes quod ait Psalmographus, *u In corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem.* Tunc enim bona sunt verba Domini, inquit Remigius Altisiodorensis *x*; si opere impleantur, si cor labiis consentiat. Post lectionem vertitur lector ad Dominum dicens, *Tu autem Domine miserere nobis:* quia ipsum legendi munus sine aliqua culpa peragi nequit. Si rectè legit, animum tentat elatio: si malè, vana sequitur confusio. Semper ideò misericordia Dei indiget qui legit, ne opus per se bonum vel superbiæ contaminet vitium, vel damnabilis verecundiæ pudor inficiat. Olim lectiones admodum prolixæ legebantur ex Codicibus sacræ Scripturæ & sanctorum Patrum, nec finis à legente imponebatur, nisi Superior præciperet dicens *Tu autem*, cui parens Lector statim dicebat, *Domine miserere nobis.* Ad hunc ritum alludit Petrus Cellensis Epist. 20. libro 6. ubi loquens de charitate ait, Lectio ista sine *Tu autem* continuetur. Succinit chorus, *gratias Deo*, quod ad totam lectionem refertur: namque gratias agimus Domino, quod panem suæ doctrinæ nobis frangere dignatus sit, & animas esurientibus sapientiæ pabulo recrearit. Hæc autem vox *Deo gratias* antiquissima est, eaque olim utebantur Monachi, cùm sibi invicem occurrerent. Testis est Augustinus *y* Donatistas redarguens, qui nostrum *Deo gratias* irridebant: ut scias recentiores Hæreticos omnem errorum luem jam à Patribus damnatum ab inferis revocasse.

l *Antioch. ho.* 70. m *Marc. Erem. lib. de lege spirituali c.* 87. n *Psal.* 118. o *Psalm.* 17. p *Greg. hom.* 6. *in Ezech.* q *Aug. Epist.* 3. r *Euthym. præf. in Psalm.* s *Ful. lib.* 2. *ad Mon. cap.* 14. t *Aug. lib.* 2. *de doctr. Christ. c.* 6.

u *Psalm.* 118. x *Remig. in Mich. cap.* 2. y *Aug. in Psal.* 132.

## §. XV.

## DE RESPONSORIIS.

*Responsoria quid significent. Cur prolixius cantentur. Quis eorum auctor. Quo ritu dicantur.*

1. QUi aurum, & argentum, in quo confidunt homines, ingentisve pretii splendidissimas gemmas repererit, non publicè hominum avaritiæ diripiendas prostituit, sed in intimis penetralium recessibus centum clavibus ser-

servandas abscondit. Eadem prorsus ratione qui verbum Dei fidele, immaculatum, convertens animas, desiderabile super aurum, & lapidem pretiosum auribus corporis, & cordis perceperit, servare illud, & custodire debet non auditor oblivioſus factus, sed memor semper mandatorum Dei ad faciendum ea. Sicut qui thesauros effodiunt, inquit Chrysost. z non solum in superficie fodiunt, sed in profundum descendunt, & penitiores terræ sinus scrutantur: ita nos pari diligentia spiritualem thesaurum in verbis reconditum inquirere debemus. Diripi autem a spiritualis thesaurus nequit, & ubi in promptuaria mentis nostræ reconditus fuerit, ab omnibus insidiis est securus: modò per ignaviam locum non demus ei, qui illum nobis auferre cupit. *Fili mi*, ait Sapiens b, *custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi.* Beati sunt qui audiunt verbum Dei, sed si custodiunt illud: *si hæc scitis*, dicit Dominus c, *beati eritis si feceritis ea.* Hoc significant ex antiqua sapientum traditione Responsoria, quæ lectiones subsequi, eisque consonare solent. Quid enim habet emolumenti virtutem cognoscere, si meliora videntes, & probantes sequantur deteriora? Divinorum quippè sermonum meditatio, ac lectionis auscultatio, ait rursum Chrysostomus d, in bona opera desinere debet. Et quidam profanus e: Hic fructus legendi est, æmulari ea quæ in aliis probes, & quæ maximè inter aliorum dicta mireris in aliquem usum tuum opportuna derivatione convertere. Item Gregorius Magnus f: In nobismetipsis debemus transformare quod legimus, ut, cùm per auditum se animus excitat, ad operandum quod audierat, vita concurrat. Ideò, juxta sententiam Epicteti g, in nostris lectionibus non proficimus, quia dumtaxat ea intentione legimus, ut sciamus: nec studium nostrum ad actionem, & morum compositionem dirigimus. Amicitiam suam non audientibus legem, sed facientibus quod præcepit lex, legis & mandatorum auctor pollicetur. *Vos*, inquit h, *amici mei eritis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Sicut igitur unamquamque lectionem congruum, & consonum excepit Responsorium; ita Divinorum sermonum auscultatio in copiosam desinat bonorum operum fructificationem. Pulcherrimus ordo hic est, ut ex cœlestium mandatorum auditu sanctarum operationum usus inolescat.

2. Ipse cantus, quo Responsorium cantatur, laborem activæ vitæ subindicat: creberrimæ enim sub eadem syllaba plurium notarum excursiones, vocum itidem difficiles saltus, sublimes elationes, infimæ depressiones, frequentes ac subitæ mutationes indicia sunt multiplicium laborum, quos in mandatorum cœlestium executione subire debemus. Docet Stephanus Eduensis Episcopus i, cui consentit Hugo Victorinus k, Responsorium significare ascensum, quem auditores lectioni, ejusque monitis præbuerunt: atque ideò dicitur Responsorium, quia responsio secundùm voluntatem interrogantium assensus est, vel concessio: sive, ut Rupertus l docet, Responsoria dicuntur, quia respondent lectionibus, tristia tristibus, læta lætis: vel choro respondente cantantur. Quomodo verò, & à quibus Romanis Pontificibus mutatus sit cantus in Responsoriis ostendit Amalarius initio libri de ordine Antiphonarii. Asserit Isidorus m Responsoria ab Italis inventa fuisse. At Sozomenus n auctor est S. Joannem Chrysostomum responsorias cantiones instituisse ad æmulationem Arianorum, qui in cœtus distributi alternatim, & ad modum Responsoriorum canebant, & Corollaria adjiciebant in sectæ suæ gratiam composita. Responsorii versus ab uno solo cantatur, per quod singularitas operationum designatur. Chorus autem repetit post versum partem Responsorii, ut idipsum dicamus omnes, & non sint schismata in nobis: quia autem opera nostra imperfecta sunt, ideò ex parte tantùm repetitur. Additur in quibusdam *Gloria Patri* in gratiarum actionem ei, qui dedit nobis velle, & perficere: & in confessionem fidei, sine qua impossibile est placere Deo. Hæc est autem discretio, inquit Concilium Toletanum o, ut in lætis sequatur *Gloria*, in tristibus Responsorii principium repetatur. Post Capitula, quæ breves lectiones sunt, breviora sequuntur Responsoria, ut præcedenti doctrinæ subsequens operatio conveniat. Nocturno tempore longiores, diurno breviores recitantur lectiones, quia nox ad contemplandum, dies ad agendum tri-

z *Chrys. hom. 8. in Gen.* a *Id. ibid. ho. 5.* b *Proverb. 7. 1.* c *Ioan. 13. 17.* d *Chrys. in Psal. 118. v. 48.* e *Macrob. lib. 5. Satur. cap. 1.* f *Greg. lib. 1. mor. cap. 10.* g *Epictet. apud Arianum lib. 4. cap. 4.* h *Ioan. 15. 14.*

i *Steph. Eduen. lib. de sacr. altaris cap. 12.* k *Hugo in spect. c. 7.* l *Rupert. lib. 1. cap. 15.* m *Isidor. de Eccles. off. lib. 1. c. 8.* n *Soz. lib. 8. c. 8.* o *Concil. Tolet. 4. cap. 15.*

tributa videtur; contemplatio autem longior, actio brevior esse debet, quia qui minoratur actu, percipiet sapientiam. Tempore Paschali in fine Responsorii adjungitur *Alleluja*, quod lætitiæ additamentum & gloriam Dominicæ Resurrectionis respicit, & ferventius benè operandi studium sacris illis diebus ostendit.

## §. XVI.

## DE CAPITULIS.

*Capitulum quid sit. Quare singulis horis, & quo ritu recitetur.*

1. BRevis quædam lectio è divinis libris deprompta, quam in singulis Officiis recitamus, à nonnullis antiquioribus [p] collectio, lectiuncula, & versiculus dicebatur, à D. autem Benedicto [q] lectio, ab omnibus communiter Capitulum nuncupatur. Hujus nominis ratio est, quia Capitula ut plurimùm brevia capita sunt Epistolarum; quæ in Missa leguntur. Est autem Capitulum, teste S. Anselmo [r], brevis multorum complexio, sic dicta quia breviter capit totam summam. Nam per hoc quod diminutivum est Capitulum designatur brevitas: & per hoc quod venit à capite, vel à capio, intelligitur quod magnum sensum capiat, & sit breve caput multorum, quæ latè differuntur. Notat Baronius ad diem 12. Novembris, antiquum esse nomen Capitulorum in Ecclesiasticis Officiis, alterius tamen significationis ab ea qua nunc accipi solent. Erant enim preces quædam prolixiores in honorem Sanctorum vel solemnitatum, ut constat ex Epistola Vigilii Papæ ad Eucharium. Capitula secundum alios breves quædam partitiones sunt, & in solo Evangelio Marci erant olim 235. A Joanne Chrysostomo [s] ἀνακεφαλαίωσις sive Capitulum reductio in summam dicitur, cùm quæ prolixè dicta sunt compendiosè dicuntur. Xenophon [t] totius rei summarium κεφάλαιον id est Capitulum vocat. Plato [u] eadem voce utitur pro eo quod in aliqua re summum, & præcipuum est. Notat Ven. Beda [x] exemplo gentis Israëliticæ quæ tempore Esdræ, legebat in volumine legis quater in die, hunc morem in Ecclesia inoluisse, ut per singulas diurnæ Psalmodiæ horas lectio una de veteri, sive de novo Testamento cunctis audientibus ex corde dicatur: & sic Apostolicis, sive Propheticis verbis confirmati ad instantiam orationis genua flectant. Horis nocturnis plures lectiones, & longiores dicuntur, quia tunc à laboribus operum cessantes liberiores aures divinis auscultationibus accommodamus. Stamus ad diurnas, quia breviores. Non præmittitur benedictio, quia à Prælato, vel Sacerdote dicuntur, cujus est aliis benè precari. In fine non dicitur, *Tu autem Domine*, quia in brevi lectione facilius est culpam evitare, cum præsertim à viro perfectiori recitetur. Sine titulo leguntur, quia Sacerdotes docti esse debent in divinis scripturis. Sermonibus autem sanctorum Patrum titulus præfigi solet, quia multiplicem eorum doctrinam non omnes Ecclesiastici viri, vel scire possunt, vel ejus meminisse si sciant. Post Capitulum respondemus *Deo gratias*, ut pro singulis gratiæ donis gratias agentes locum gratiæ faciamus in nobis, & cum gratiarum actione petitiones nostræ innotescant apud Deum.

p *Conc. Agathense c.* 30. q *Benedict. in Reg. c.* 13. & 17. r *Anselm. seu quisquis est auctor in c.* 8. *ad Hebr.* s *Chrys. ad Ephes. hom.* 1. t *Xenoph. lib.* 6. *Cyripæd.* u *Plato* 1. *de leg.* x *Beda lib.* 2. *exposit. in Esdr. cap.* 2.

## §. XVII.

## DE COLLECTIS.

*Collectæ nomen æquivocum. Collectarum primi auctores. D. Benedictus benedictionis nomine Collectam indicat. De salutatione* Dominus vobiscum, *quæ collectis præmittitur. Notantur quædam de ultima collectarum clausula, & de hac voce*, Amen.

1. INter minores Officii divini partes locum potissimum tenent breviusculæ orationes, quas Collectas nuncupamus, vel quia Collectæ sunt ex auctoritate divinarum scripturarum: vel quia sacerdos, ut notat Innocentius Papa [z], totius populi preces colligit, & refert ad Deum: vel quia hujusmodi precationes populo in unum collecto fieri solent, idque Pamelius observat ad verba Tertulliani [a]; Quomodo colligemus, quomodo Dominica solemnia celebrabimus?



y 2. *Esdr.* 9. 3. z *Innoc.* 3. *l.* 2. *de Myster. Missæ cap.* 27. a *Tert. l. de fuga in persec. c. ult.*

bimus? Atque hoc sensu phrasis est antiquis Patribus, & historicis Ecclesiasticis valdè usitata Collectas agere, convenire ad Collectam, pro eo quod communiter dicimus Ecclesiam aliquam orationis gratia adire. Etiam in veteri testamento cœtus fidelium, dieſque solemnes Collecta dicebantur [b]. Eadem voce pro conventu, & congregatione fratrum ad orationem simul convenientium utitur passim S. Pachomius [c] in Regula, quam Angelo dictante conscripsit. Paulus Apostolus Collectarum voce utitur pro eleemosynis, quæ ad alendos pauperes colligebantur [d]: *De Collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite: ut non cum venero tunc Collectæ fiant.* Scribit Cassianus [e] Sacerdotem post Psalmos collegisse omnium preces, unde usus Collectarum. Uranius in vita S. Paulini narrans obitum S. Joannis Episcopi Neapolitani, ad Ecclesiam, inquit, processit, & populum ex more salutavit, resalutatusque à populo orationem dedit, & collecta oratione spiritum exhalavit. Breves autem fuerunt institutæ Collectæ, quia brevis & pura debet esse oratio. Usum earum antiquissimum esse colligunt quidam ex Liturgiis Sanctorum Jacobi, & Marci. Berno Augiensis [f], & Sigebertus [g] præcipuum earum auctorem faciunt S. Gelasium Papam. Sed Magnus Gregorius meliores, & emendatiores in ordinem redegit, & ex iis librum composuit, quem Sacramentorum inscripsit. Hic mihi primarius Collectarum Auctor fuisse videtur: nam ante ipsum rarior earum mentio apud Scriptores Ecclesiasticos reperitur. Refert Jonas Abbas [h] in vita S. Eustachii Luxovienſis Abbatis, quemdam Schismaticum Regulam S. Columbani inter cætera accusasse, quod plures Collectas in divinis officiis multiplicari juberet: quod tamen rationabiliter institutum S. Abbas ostendit in synodo Matisconensi. De Collectis earumque in Ecclesia Latina origine, antiquitate, auctoribus, seu inventoribus, ratione, atque usu extat insignis Commentarius Claudii Espencei Theologi Parisiensis.

2. Illud autem hoc loco obiter notandum, quod facit ad intelligentiam cujusdam monasticæ Sanctionis. Sanctus enim Pater Benedictus nocturnarum vigiliarum ordinem disponens Dominicis diebus post duodecimum Responsorium dicto Hymno *Te Deum Laudamus*, præcipit ut Abbas legat Evangelium: lecto autem Evangelio, & data, inquit, benedictione incipiant Matutinos. Dubitavi sæpius, fateor, quidnam intelligeret beatus Pater per benedictionem, quam dari vult, antequam Laudes incipiantur. Nam omnes Monachi Collectam officii currentis legunt, post quam immediatè subsequuntur Laudes. Sed inveni tandem, qui nodum solveret Amalarium Fortunatum [k]; Episcopus, inquit, vel sacerdos dicit *Oremus*, ac deinde sequitur benedictio. Utroque nomine benedictionis, & orationis vocatur oratio sacerdotis. De benedictione dicit Apostolus [l] *Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicit Amen super tuam benedictionem, quia nescit quid dicas?* Hanc benedictionem vocat Ambr. orationem dicens: Imperitus audiens, quod non intelligit, nescit finem orationis, & non respondet *Amen*, id est verum, ut confirmetur benedictio. Hactenus Amalarius. Sed sententia, quam tribuit Ambrosio, Hilarii Diaconi est, cujus sunt Commentaria in Paulum Ambrosio adscripta. Hujus Hilarii meminit Augustinus [m], eum sanctum vocans ex usu temporum, citatque locum ex his Commentariis in caput 5. epistolæ ad Romanos. D. quoque Hieronymus ejusdem mentionem facit in Dialogo adversus Luciferianos, ipsumque appellat orbis Deucalionem ob inductum anabaptismum. Quod verò benedictio pro Collecta accipi soleat, probatur etiam ex Augustino [n] his verbis: An quis sacerdotem super fideles Dominum invocantem, si quando dixit, da illis Domine in te perseverare usque in finem, non solùm voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere, ac non potius super ejus talem benedictionem, & corde credente, & ore confitente respondit *Amen*? Cæterùm S. Benedictus nullam in reliquis horis collectæ mentionem facit, ut vel inde discas præcipuam earum institutionem ad Magnum Gregorium pertinere. Notat autem sancta Hildegardis præclarissimi ingenii fœmina in explicatione regulæ nullam collectam designari à sancto Patre, nisi tantùm post Evangelium, quia Dominica oratione nullam pretiosiorem invenit,

b *Levitic.* 23. 36. *Deuter.* 16. 8. 2. *Par.* 7. 9. c *Pachom. reg. num.* 2. 3. & 10. d 1. *Cor.* 16. 1. e *Cass. lib.* 2. *de Inst. cœn. cap.* 7. & 10. f *Berno de Missa c.* 1, g *Sigibert. an.* 487. h *Jonas Abb. cap.* 3. i *Bened. reg. cap.* 18.

k *Amalar. lib* 2. *c.* 9. l 1. *Cor.* 14. 16. m *Aug. adv. duas epist. Pelag. lib.* 4. *cap.* 4. n *Aug. de dono persever. cap.* 23.

nit, per quam divinum Officium terminaretur. Præclarè de collectis, earumque materia Gennadius Massilienſis [o]. Cum ſanctarum plebium præſules mandata ſibimet legatione fungantur apud divinam clementiam, humani generis agunt cauſam, & tota ſecum Eccleſia congemiſcente poſtulant, & precantur; ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, & hæretici Catholicæ Fidei perceptione reſipiſcant, ut Schiſmatici ſpiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapſis pœnitentiæ remedia conferantur, ut denique Catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis cœleſtis miſericordi aula reſeretur.

3. At verò ſacerdos, priuſquam orationem incipiat, diviniſſimam ſalutationem, ut verbis utar Dionyſii Areopagitæ [p], præmittit dicens, *Dominus vobiſcum*. De qua ſalutatione extat Canon [q] Concilii primi Bracarenſis ejus antiquitatem oſtendens his verbis: Placuit ut non aliter Epiſcopi, & aliter Presbyteri populum, ſed uno modo ſalutent dicentes: *Dominus ſit vobiſcum*, ſicut in libro Ruth legitur, & ut reſpondeatur à populo, *Et cum ſpiritu tuo*, ſicut & ab ipſis Apoſtolis traditum omnis retinet Oriens, & non ſicut Priſcilliana pravitas permutavit. Eadem utitur ſanctus Martyr Ignatius in fine epiſtolæ ad Tharſenſes. Maximus quoque Martyr [r] de ea ſic ſcribit in Eccleſiaſtica myſtagogia: ſpiritualis ſalutatio, quæ Latinis eſt *Dominus vobiſcum*, Græcis Εἰρήνη πᾶσιν, *Pax omnibus*, bonorum omnium conſenſum, & concordiam, & rationalem quodammodo identitatem per fidem, & dilectionem præfigurat. Reſpondet populus, *Et cum ſpiritu tuo*, quæ verba, teſte Chryſoſtomo [ſ], nihil aliud ſignificant, quam communem eſſe orationem plebis, & ſacerdotis; Unum enim corpus ſumus. Nihil autem melius invenit Eccleſia, ut obſervat Florus Magiſter [t], quod optaret ſacerdoti, niſi quod ſacerdos optat Eccleſiæ, ut idem Dominus, qui dignatur eſſe cum Eccleſia, dignetur etiam eſſe cum ſpiritu ſacerdotis. Et benè Dominus cum ſpiritu hominis eſſe optatur, quia in ſpiritu, & mente rationali creatus eſt homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. Aliter explicat hanc reſponſionem Iſidorus Peluſiota [u]. Illud autem quod à plebe reſpondetur, *Et cum ſpiritu tuo*, hanc habet ſententiam: Pacem quidem nobis præbuiſti Domine, hoc eſt mutuam inter nos concordiam. Pacem autem nobis da, hoc eſt hujuſmodi tecum conjunctionem, quæ nullo modo divelli poſſit, ut cum ſpiritu tuo pacati, quem nobis in creationis initio indidiſti, à tua charitate diſtrahi nequeamus. Scripſit verò de hac ſolutatione elegantiſſimum opuſculum Petrus Damianus, quod omninò legendum eſt à ſtudioſo rerum Eccleſiaſticarum lectore. Ego pauca delibo, & in guſtum de hoc nectare propino. Id, quod dicitur *Dominus vobiſcum*, ſacerdos, inquit, ad populum eſt ſalutatio. Orat enim, Dominus ſit cum eis, ſicut dignatur dicere per Prophetam: *Inhabitabo in illis*: & Salvator diſcipulis ſuis, cunctiſque fidelibus, *Ecce*, inquit, *ego vobiſcum ſum*. Qui nimirũ ſalutationis ſermo non moderno humanæ adinventionis arbitrio conſtitutus, ſed ex antiqua ſacri eloquii auctoritate probatur aſſumptus. Ubi ſi diligenter inquiritur, ſæpius ſingulariter, & pluraliter appoſitus invenitur. Singulariter ſicut ad B. Dei Genitricem Angelus dicit, *Ave gratia plena Dominus tecum*. Ad Gedeonem quoque ait, ſalutando; *Dominus tecum virorum fortiſſime*. Pluraliter autem, ut in libro Ruth Booz ſalutando meſſoribus ſuis ait, *Dominus vobiſcum*. Et ſicut Propheta à Deo miſſus invenitur ſalutaſſe Aſa Regem Juda cum exercitu ſuo victorem de prælio revertentem dicendo, *Dominus vobiſcum, quia fuiſtis cum eo*. Eccleſia ergo ſalubri ſalutatione accepta Sacerdotis, & ipſa reſalutando orat, & orando reſalutat poſtulans, ut, ſicut ille Dominum eſſe cum ipſis optavit, ita & cum eo eſſe dignetur dicens, *Et cum ſpiritu tuo*, id eſt cum anima tua ſit, ut eum digne pro noſtra ſalute poſſis orare. Et notandum, quod non dicit tecum, *ſed cum ſpiritu tuo*, ut totum quod in Officiis Eccleſiaſticis geritur, ſpirtualiter fieri perpendatur. Eadem ferè verba in expoſitione Miſſæ Remigii Antiſſiodorenſis reperiuntur, qui Petro Damiano antiquior eſt. Porrò Sacerdos Collectam dicturus tam ſe, quàm alios ad orandum hortatur dicens, *Oremus*, idque ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine, ut patet in Liturgiis Sanctorum

o *Gennad. lib. de Eccl. dogm. cap.* 30. p *Dionyſ. l. de Eccl. Hierarch.* q *Conc. Brac. can.* 21. r *Maxim. Martyr. capite.* 17. ſ *Chryſ. homil.* 18. *in* 2. *ad Cor.* t *Florus in ex. miſſæ.*

u *Iſidor. lib.* 1. *Ep.* 122.

ctorum Jacobi, Marci, Basilii, & aliorum. Meminit hujus ritus S. Augustinus x. Nam populus post indictam à Sacerdote orationem aliquantulum orabat sub silentio, & deinde Sacerdos communes populi preces colligebat, & offerebat Deo. Stephanus Eduensis y, Exclamat, inquit, Sacerdos *Oremus* monens se, & alios orare, quia Dominus oravit, & discipulos ad orandum excitavit. Et inter Græcos non contemnendus auctor, sed Schismaticus, Nicolaus Cabasila z; Hortatur, ait, ad orationem Sacerdos, ut qui ad orandum sit ordinatus, & sit populi præpositus, intercessor, & mediator.

4. Tandem Collecta hac celeberrima clausula concluditur, *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum.* Ad Patrem enim dirigitur oratio, ut Concilium Carthaginense tertium decrevit, & per Filium terminatur, ut ipse olim præceperat, *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Ipse itaque est, qui interpellat pro nobis, ipse frater, & caro nostra, ipse mediator Dei & hominum, Deus & homo, Christus Jesus. De hoc mysterio B. Fulgentius Ruspensis Episcopus a libellum scripsit ad Trasimundum Regem Arianum eleganter ostendens: qualiter oportuerit mediatorem Dei & hominum verum Deum, & verum hominem esse, ut per ipsum omnia nobis necessaria ab æterno Patre concederentur. Ad eundem Fulgentium epistolam scripsit Ferrandus Diaconus Carthaginensis quinque quæstionum solutionem ab eo postulans. Harum quarta hæc est: Unum, inquit, regnum Patris, & Filii, & Spiritus sancti credimus, & fatemur, simul eos dominari creaturis omnibus sentientes. Quare ergo in orationibus Sacerdotum *Per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti* per universas penè Africæ regiones Catholica dicere consuevit Ecclesia, tanquam solus Filius cum Patre possideat regnum, in unitate scilicet Spiritus sancti, ut regnantes adunare, non simul regnare Spiritus Sanctus intimetur? Respondet elegantissimè ad hanc dubitationem Fulgentius b Ipsum consulat cui libet, nam responsio longior est, quam ut hic debeat integra transcribi. Asserit autem nos per Jesum concludere orationem, quod ille mediator sit. Tum ex doctrina B. Augustini c concludit, ideò nos unitatem Spiritus sancti cum Patre, & Filio prædicare, ut ex ipso unitatis nomine una essentia, & ex hoc unum regnum, & in eodem uno regno una Trinitatis potestas, unaque majestas à fidelibus agnoscatur: ne putetur aut Filius, aut, Spiritus sanctus secundùm divinam naturam ita cum Patre regnare, quemadmodum cum potiore regnat inferior, sed illa unitas Spiritus sancti, quæ est communio Patris, & Filii, dum in illo regno unitatem Divinitatis monstrat, unam esse regnandi æternitatem, unam potestatem, unam majestatem, unamque dominationem summæ Trinitatis edocear. Nullum autem præjudicium Filio, vel sancto Spiritui comparatur, ut idem Fulgentius d alibi scribit, dum ad Patris personam precatio ab offerente dirigitur, cujus consummatio, dum Filii, & Spiritus sancti complectitur nomen, ostendit nullum esse in Trinitate discrimen: quia dum ad solius Patris personam honoris sermo dirigitur, benè credentis fide tota Trinitas honoratur; & cum ad Patrem litantis destinatur intentio, sacrificii munus omni Trinitati uno eodemque offertur litantis officio. Collectæ autem ferè omnes diriguntur ad Patrem, paucæ ad Filium, nulla ad Spiritum sanctum, quia cum procedat ut donum, proprium ejus est dari potius, quam dare. Cum verò de extrema Collectæ clausula agimus, non parergon fortasse fuerit admonuisse, quod nos dicimus *Per omnia sæcula sæculorum.* Græcè dici εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, idque notasse non piget, ut hujus clausulæ antiquitas dignoscatur. Sanctus enim Irenæus Episcopus e, & Martyr S. Polycarpi discipulus redarguens Valentini Hæresiarchæ portentosum commentum de triginta Æonibus, variisque Æonum generationibus, refert discipulos Valentini conatos fuisse illius erroris Catholicos participes facere, quod in Orationibus dicerent æonas æonum, id est sæcula sæculorum. Quid sit autem sæculorum sæculum his qui altiori doctrina digni sunt ostendit apex Theologorum Dionysius f in libro de divinis nominibus.

5. Post

x *Aug. epist. 107.* y *Steph. Eduen. de sacr. alt. cap. 12.* z *Nic. Cabas. expos. Liturg. cap. 12.* a *Fulgent. lib. 1. ad Trasimund.* b *Fulg. epist. ad Ferrand. de v. quæstionibus.*

c *Aug. lib. 6. de Trinit.* d *Fulg. lib. 2. ad Monimum cap. 5.* e *Iræn. lib. 1. cap. 1. & ex eo Epiphan. l. 1. tom. 2. hæres. 31.* f *Dionys. de div. nom. cap. 5.*

5. Post precationem, & collectam totus cœtus cecinit *Amen*, cujus responsionis antiquitas manifesta est, tum ex Apostolo, tum ex Patribus Justino [g], Tertulliano [h], & aliis [i]. *Amen* vox Hebraica est, qua utuntur sacræ literæ ad aliquid confirmandum; Latinè idem sonat ac *verè, fideliter, sic est, ita fiat*. In alienum idioma ab Interpretibus translata non fuit propter sui excellentiam, & ne Græcè vel Latinè reddita, vim amitteret. Oraculum Zoroastris Magorum Principis, est, nunquam mutanda esse in sacris nomina barbara. Verba item antiqua in divinis sacrificiis efficaciora esse Platonici, & Cabalistæ (quos in multis convenire Leo Hebræus [k] eleganter ostendit) ea ratione asserunt, quia antiquum æternitati, quæ Deus est, proximè accedit. Hanc verò doctrinam Psellus in Scholiis Zoroastris quamvis non omnino probet, asserit tamen singulas gentes habere quædam nomina divinitus data, quæ incredibilem vim habent in sacris, ut *Seraphim, Cherubim, Michael, Gabriel*. Hujusmodi est vox *Amen*. Ecclesia eam adhibet tanquam sigillum confirmans, & consignans præcedentes precationes. Nam, ut ait B. Yvo Carnotensis Episcopus libro de convenientia veteris, & novi sacrificii, hac voce participem se facit populus omnium charismatum, quæ sacerdos multiplici sacramentorum diversitate studuit impetrare. Ideò Augustinus [l] libro de catechizandis rudibus monet Antistites, ut distinctè orent, quatenus populus ad id quod intelligit dicat *Amen*. Notat Urbanus [m] Quartus Pontifex maximus tres significationes habere hoc vocabulum, nam quandoque accipitur nominaliter, & significat nomen Dei, *Hæc dicit Amen testis fidelis*. Aliquando sumitur adverbialiter, ut passim in Evangeliis; *Amen, Amen dico vobis*, & significat, *verè, infallibiliter, ita est sicut dico vobis*. Tandem accipi solet verbaliter, & idem est ac fiat. Hoc sensu in fine Orationum ponitur: & Psalmista in fine quorumdam Psalmorum ad prædictorum confirmationem hanc vocem ingeminat, quia, ubi nos legimus *fiat, fiat*, in Hebraico habetur *Amen, Amen*. Alias affert hujus vocis significationes S. Ambrosius [n], ut aliquando sit imperantis, interdum precantis, interdum verò confirmantis. Idem asserit B. Ogerius Abbas Locedii Ordinis Cisterciensis serm. 7. de Cœna Domini inter opera D. Bernardi. Baptista Vernacia [o] magni spiritus, & cœlestis doctrinæ sanctimonialis libro de unione cum Deo triplex *Amen* distinguit divinum, Angelicum, & viatorum. Deus dicit *Amen*, quia est prima, & summa veritas: Angeli dicunt *Amen*, ut in Apocalypsi, gaudentes Deum esse id quod est: Viatores dicunt, *Amen*, desiderantes ad eum pervenire, qui est veritas æterna. In Thalmudicis Massecheth Berachet apud Angelum Caninium [p] in locis novi Testamenti, dum audientium oscitantia reprehenditur, triplex malum, & illegitimum *Amen* describitur. Nam cum ille qui respondet *Amen* non intellexit quod dictum est, *Amen pupillum* appellatur: cum autem *Amen* pronunciatur, antequam perfecta sit oratio, *surreptitium* dicitur, ex oratione nondum absoluta aliquid surripiens: At verò cum aliud agens respondet *Amen*, *sectile* nuncupatur, quasi dissectum in duas partes. Plura de hac voce Archangelus Burgonovensis in dogmatibus Cabalisticis conclusione ultima, cujus hanc unicam observationem notatu dignissimam præterire nequeo, quam à Joachimo Abbate [q] accepit. Hoc verbo, inquit, utitur Dominus in Evangelio, sed & nos cum aliquid affirmare volumus, respondere solemus *Amen*. Hoc tamen distat, quia Deus in principio, nos autem in fine orationis uti consuevimus verbo isto, ut ipsum esse auctorem veri, nos autem veritatis discipulos, dum ei, & in eum credimus, demonstremus.

g *Iustin. Apolog. ad Anton.* h *Tertull. de spect. cap.* 25. i *Athanas. Apolog. ad Constan.* k *Leo Hebr. dial.* 3. *de Amore.* l *Aug. de cat. rud. cap.* 9. m *Urban. in fine metaphras. in Psal.* 50. n *Ambros. in Psal.* 40.

o *Bapt. Vernac. lib. de unione cum Deo cap.* 115. & 116. p *Canin. cap.* 5. q *Ioach. Abb. in cap.* 1. *Apoc.*

## §. XVIII.

## DE SYMBOLO ATHANASII.

*Quando Symbolum scripserit Athanasius. Cur die Dominica recitetur. Notantur obiter hujus diei prærogativæ.*

1. ATHanasius Archiepiscopus Alexandrinus magnum illud Christiani orbis prodigium, omniumque virtutum sacrarium sub Constantino Augusto florere cœpit, & sub Valente

lente vivere mundo desiit, ut viveret Deo. Hic teste Baronio r, cum esset Romæ anno quarto Julii Summi Pontificis, Symbolum scripsit suæ fidei memorabile documentum, quod Latino idiomate coram Pontifice recitavit. In hoc autem symbolo sive componendo, sive è Græco in Latinum traducendo adjutorem fuisse Athanasio Eusebium Vercellensem Episcopum refert Guillelmus Baldesanus in Historia Pedemontana, quæ manuscripta Taurini asservatur in Bibliotheca Ducis Sabaudiæ, ex tabulario Vercellensis Ecclesiæ. Imò solum Eusebium ejus Auctorem agnoscunt aliqui, ut testatur Vossius in fine dissert. 2. de tribus Symbolis, qui etiam ait Latinè primum scriptum fuisse, & ex Latino Græcè redditum: nam Latinus contextus unus est, Græca autem exemplaria plurimum variant. Jam supra dictum est, quid per Symbolum intelligamus, & quam multæ sint hujus vocis significationes, quas omnes eleganti carmine explicavit in Symbolicis quæstionibus Achilles Bocchius s Bononiensis. Est autem hoc Symbolum tessera Orthodoxorum, Apostolicæ fidei fusiorem continens explicationem. Olim quotidie ad Primam cantabatur, ut Honorius t scribit: nunc diebus tantùm Dominicis congregata in unum majori frequentia populi recitatur, ut sanctæ fidei confessio ea die apertius celebretur, qua Dominus noster præcipua ejusdem fidei mysteria operari dignatus est. Hac enim die, ut sancti Patres observant u, novæ lucis primordia mundi originem illustraverunt. Hac die Patres nostri mare rubrum sicco vestigio transierunt. Hac eadem die panem de cœlo omne delectamentum in se habentem acceperunt. Initio ejusdem diei natus de Virgine Christus, dictaque die postmodum baptizatus, aqua in vinum mutata recreavit convivas, & de quinque panibus multiplicatis quinque millia hominum satiavit. Hac die resurrexit à mortuis, & januis clausis ingressus ad discipulos dedit eis Spiritum sanctum, & potestatem remittendi peccata. Hac die Spiritus sancti gratia discipulorum corda divinis charismatibus replevit. Hac die Joannes mirandam illam visionem vidit, cujus plura sunt sacramenta, quam verba. Demum hac die futura creditur generalis resurrectio, & totius mundi renovatio, quando qui bona fecerunt ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum. Meminit hujus symboli Gregorius Nazianzenus x, & de illo post sanctam Hildegardem, post Brunonem Herbipolensem, & Richardum Pampolitanum insignè scripsit opusculum Nicolaus Serarius y. Agit item de illo Genebrardus lib. 3. de Trinitate. Diem verò Dominicam, qua hoc symbolum recitamus, vocat Sophronius z Hierosolymorum Archiepiscopus dierum dominam: Theodorus Studita a diem pacis: Chrysostomus b diem panis, & lucis. Quædam Ecclesiæ recitant post symbolum collectam de sanctissima Trinitate, ut, qui dedit nobis veræ fidei Sacramenta cognoscere, gratiæ quoque præsidia conferat, quatenus fidem nostram animet actio, probet charitas. Illa enim dumtaxat fides in pretio habenda est, quæ per dilectionem operatur.

r *Baron. ann.* 340. *nu.* 11. s *Achil. Bocch. initio lib.* 1. *qq. Symbolicarum.* t *Honorius in Gemma animæ lib.* 2. *c.* 59. u *Leo Magn. ep.* 81. *ad Dioscorum. August. ser.* 154. *&* 151. *de temp. Origen. hom.* 7. *in Exod. Basil. hom.* 2. *exam. Beda lib. de æquinoct. vern. apud Baron. ann.* 198. *n.* 4.

x *Nazianz. orat.* 21. y *Serar. tom.* 2. *opusc.* z *Sophr. orat. de Nat.* a *Theod. Stud. cat.* 11. b *Chrys. hom.* 5. *de resurrect.*

## §. XIX.

## DE LECTIONE MARTYROLOGII.

*Exemplorum quanta sit vis. De cruciatibus sanctorum Martyrum. De usu, & ritu legendi Martyrologium.*

1. RECTÈ à quodam c dictum est, longum iter per præcepta, breve per exempla esse. Ideò veterum sanctorum vitas literarum monumentis mandari voluit Spiritus sanctus, ut, quam quisque vivendi rationem elegit, ex propriis exemplis exploret, & dirigat ad veritatem, ut sanctus Nilus d scribit. Et ut docet Symmachus e Papa, illa monita discipulorum conscientiam erudiunt, quæ probantur exemplo. Sine pudore invitat ad innocentiam, qui illam fuerit ipse sectatus f. Nescio quo pacto tenacius hæret doctrina operum, quàm verborum, atque illi verè docent, qui cùm dixerint quid faciendum sit, probant faciendo: quos

c *Senec. Ep.* 6. d *Nilus in lib. ascetico.* e *Symmach. Epist.* 2. f *Seneca Ep.* 53.

quos magis admireris cum videris, quàm cùm audieris. Magnus Basilius [g] pietatis studiosos ad sanctorum exempla consideranda eleganter hortatur, quia sicut pictores, inquit, cùm imaginem ex imagine pingunt, exemplar identidem respectantes lineamenta ejus transferre conantur magno studio ad suum opificium; ita qui sese meditatur omnibus numeris virtutis absolutum reddere, velut simulachra quædam spirantia & actuosa sanorum vitas respicere oportet, probaque opera illorum sua imitando facere. Non ignoravit Ecclesia sancti Spiritus magisterio edocta hoc saluberrimum benè vivendi documentum, ideoque præcepit, ut quotidie in divinis Officiis sanctorum memoria è Martyrologio recitaretur, ut audientes beatorum Martyrum, aliorumque piorum hominum invicta certamina ad similem pugnam animarentur. Nam illi tanquam pugiles Christi Tyrannorum rabiem experti secti sunt, tentati sunt, in occasione gladii mortui sunt. Alii fustibus cæsi, sagittis confixi, ungulis ac pectinibus excarnificati, torcularibus pressi, ignibus consumpti fuerunt. Alii stipitibus affixi, ferarum dentibus discerpti, ponderibus gravati, altero brachio vel summis pollicibus appensi, trochleis elevati, testaceis fragmentis dilaniati. Alii pugnis contusi, verubus transfixi, ardentibus laminis, facibusque combusti, ad metalla damnati, in mare demersi, capillis suspensi, lapidibus obruti, in equuleo extensi, melleque peruncti sub ardentissimo Solis æstu vesparum morsibus objecti. Quid sanctas Virgines memorem, quibus evulsi dentes, excisa lingua, amputatæ mammillæ? Quid universam illam tyrannicæ crudelitatis supellectilem enumerem, nervos, pedicas, numellas, manicas, fustes, catenas, vincula, lora, virgas, scorpiones, sartagines, tauros æneos, craticulas, lebetes, galeas ignitas, tela, gladios, exilium, carcerem, & mortem denique ipsam, quæ sola mitis fuisse inter tot supplicia videtur? Omitto sanctorum Confessorum prolixum, & incruentum martyrium, eorumque omnium, qui Deo placuerunt, angustias, afflictiones, vigilias, jejunia, silentium, nuditatem, & innumeras tribulationes. Hæc utique cogitatio omnem nobis torporem ex animo excutiet, acerrimosque ad virtutem stimulos admovebit. Quid enim dicturi sumus, ait sanctissimus Ephræm [h], in die illa horrenda extremi judicii, cùm beatissimi Christi Martyres, juxta solium gloriæ astantes ostendent vulnerum suorum, atrociumque cruciatuum, ac verberum cicatrices in suis corporibus relucentes? Nos, inquam, charissimi fratres, quid obsecro tunc ibi ostensuri sumus? quas illic virtutes proferemus? Num charitatem erga Deum, & proximum? Num integram, inviolabilemque fidem? num voluntariam paupertatem, ac terrenorum omnium nuditatem? num forte quietem, & tranquillitatem? num eleemosynas? num commiserationis affectum? numquid spiritum mansuetudinis? numquid orationes mundas? numquid compunctionem salutarem? num vigilias, lacrymas, & veram pœnitentiam? Felix profectò, atque beatus erit, quem ista ibi comitabuntur: Tunc sociabitur sanctorum choris, qui eorum vestigia sequutus fuerit. Tunc participes passionum, erunt quoque præmii & coronæ consortes. Martyres enim, ut eleganter scribit Salvianus [i], ad cœlestis regiæ januas gradibus pœnarum suarum ascendentes scalas sibi quodammodo de equuleis, catastisque fecerunt.

[g] *Basil. Epist. 1. ad Gregor.* [h] *Ephr. serm. de laud. sanct. Mart.*

*Salvian. lib. 3. de provid.*

## METRUM XLII.

*Felices animæ, quas nec mors dira, nec Orci*
*Furor cruentus terruit,*
*Non mundi vis tanta fuit, stygiique Tyranni,*
*Ut corda eorum frangeret,*
*Sed pœnis nutritur amor, vitæque periclis,*
*Et sanguinis dispendio.*
*Ut pelagi rupes, circum latrante procella,*
*Crebris resistit fluctibus,*
*Sic devota cohors, soboles generosa Tonanti,*
*Immota cunctis ictibus,*
*Horrendæ genus omne necis, vitæque cadentis*
*Annos fugaces despicit.*
*Membra secet ferro, salientia viscera rostris*
*Ferox satelles extrahat.*
*Pectora dilaniet rigidis moribunda flagellis,*
*Discerpat ungulis genas,*
*Congerat in ventrem liquefacti pondera plumbi,*
*Tundatque terga fustibus,*
*Torreat ignitis facibus, corrupta veneno*
*Propinet ori pocula,*
*Pectinibus carnem laceret, nexuque rotarum,*
*Et bestiarum dentibus,*
*Lumina diripiat, dentes evellat, & artus*

*In frusta cunctos amputet:*
*Attamen invictum patienti in pectore robur,*
*Vires que servat integras,*
*Stat que animo constans Martyr, sævique lacessit*
*Lictoris ad pœnas manus.*
*Heu quantum fremuit scelerata potentia Regum,*
*Ut Christi amantes perderet!*
*Quanta seges mortis, quam multa reperta supellex,*
*Quæ rumperet lethi moras!*
*Ille suis pascit flammarum incendia membris,*
*Sed crescit in flammis amor.*
*Hic trabe suspensus caput inter sidera condit,*
*Terram perosus impiam.*
*Detracta cute regales ostentat honores*
*Amictus ille murice.*
*Quid memorem fumo extinctos, tetroque vapore,*
*Taurisque clausos æneis?*
*Quid pice persusos? media quid in urbe protervæ*
*Ludibrio plebis datos?*
*O nimium dilecta Deo, pars magna polorum*
*Phalanx beata Martyrum:*
*Non ego (si faciles superi mea vota secundent,*
*Mihique dent pati, & mori)*
*Non ego præ vestra fortunam optavero regum,*
*Vestræ coronæ particeps.*
*Hoc nempe ad superos iter est. Jam claudite cœli*
*Viam, poetæ, lacteam.*
*Sanguineam docuit Christus, Christumque sequuti*
*Quotquot fuere Martyres.*

2. Hic finis, & scopus est, ob quem Ecclesia singulis diebus post Primam legi voluit Martyrologium, ut eorum facta imitemur, quorum exitus admiramur. Præclarè Augustinus [k]. Solemnitates Martyrum exhortationes Martyriorum sunt: ut imitari non pigeat quod celebrare delectat. Illorum autem nomina anticipata lectione recitantur, quorum memoria sequenti die recolitur, quatenus venturæ festivitatis celebrationem digniori apparatu præveniamus. Post lectionem sequitur versus, quo pretiosam in conspectu Domini sanctorum mortem commemoramus, qui pretio sanguinis emerunt immortalitatem. Tum ipsos exoramus, ut Dei clementiam nostris inclinent necessitatibus, quò vitæ hujus momento æternitatem acquirere valeamus. Ter deinde divinum imploramus adjutorium, ut in nomine sanctissimæ Trinitatis adversus Diabolum, mundum, & carnem armati peccata præterita deleamus, præsentia detestemur, futura caveamus. Additur versus *Respice Domine in servos tuos*, quo omnes cogitationes, & operationes nostras ad finem dirigimus sempiternum. Post actum directionis solent Monachi longam audire lectionem ex regula S. Benedicti, quem usum commendat Amalarius [l]. Pro hac in Breviariis brevis lectio posita est ad Capituli absolutionem. Tandem omnium fratrum, familiarium, & benefactorum in pace quiescentium memoriam agimus, recitatis more antiquo eorum nominibus, qui ea die obierunt. In quem usum in antiquis Cœnobiis Necrologia sunt, in quibus fratrum, & benefactorum obitus describuntur. Hac ratione inchoata dies non nisi optimum finem sortiri poterit, quàm à sanctorum intercessionibus, & pia mortuorum recordatione auspicati sumus. Primi qui scripserunt Martyrologium fuerunt Notarii Romanæ Ecclesiæ tempore S. Clementis Papæ; non autem Eusebius, ut quidam perperam existimarunt; de qua re, & de variis Martyrologiis legendus Baronius in Præfatione, & Annotationibus Romani Martyrologii. S. Cyprianus [m] præcipit notari diem mortis cujusque Martyris, ut eorum inquit commemorationes celebrare possimus. Magnus item Gregorius [n] scribit Eulogio Episcopo Alexandrino, qui petierat sibi transmitti Martyrum gesta ab Eusebio Cæsariensi collecta, dicens non extare Romæ hujusmodi librum: deinde addit: Nos autem penè omnium Martyrum distinctis per dies singulos passionibus collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus. Non tamen in eodem volumine quis qualiter sit passus indicatur; sed tantummodo nomen, locus, & dies passionis ponitur. Unde fit ut multi ex diversis terris, atque Provinciis per dies, ut prædixi, singulos, cognoscantur martyrio coronati. Porrò ritum legendi in Ecclesia Martyrologium antiquissimum esse constat ex regula Canonicorum Grodegandi Metensis Episcopi cap. 18. ex vita quoque S. Bernardi Episcopi Hildesheimensis apud Brouverum in Sideribus Germaniæ.

k *Aug. ser. 47. de Sanctis.*

l *Amalar. lib. 4. c. 1.* m *Cyprian. Epist. 37.*
n *Greg. lib. 7. Epist. 29.*

maniæ. Hugo autem Menardus in notis ad Sacrament. S. Gregorii putat non fuisse in usu ante tempora Ludovici Pii.

## §. XX.

## DE PRECIBUS, ET SUFFRAGIIS, ATQUE DE FINE OFFICII.

*Cur ad Primam, & Completorium quædam preces certis diebus recitentur. Cur etiam in laudibus & Vesperis commemorationes sanctorum fiant, itemque sanctæ Crucis, & deprecatio pro pace. De versu* Benedicamus Domino. *De Oratione ad B. Virginem, quæ dicitur in fine cujusque horæ. Quis Antiphonam* Salve Regina *composuerit.*

1. IAm spatium confecimus prolixi discursus, quo singulas divinarum laudum particulas, Deo favente explicavimus. Restant adhuc leviora quædam fragmenta, quæ omnino, ne pereant, colligenda sunt. Quidam enim versus, ac breves aliquot Orationes certis diebus & horis ex præscripto Ecclesiastici Canonis recitantur, ut, sicut dicit Apostolus, o *Fiant obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate.* Hæ preces ad Primam & Completorium frequentari solent, quibus horis generalis quoque confessio recitatur, ut quicquid in nocte vel die quocunque modo deliquimus, pœnitentiæ lavacro mundemus, sicut scriptum est: p *Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* In Laudibus item ac Vesperis unaquæque Ecclesia juxta proprii ritus consuetudinem Beatæ Mariæ Virginis, sanctorumque suffragia eorumdem solemni commemoratione implorat, ut, quos solemni veneratione prosequimur, etiam simili conversatione sequamur: quos beatissimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota aviditate curramus: quorum delectamur præconiis, eorum patrociniis sublevemur. Hi sunt qui assiduè orant pro nobis, quorum intercessione humana juvatur infirmitas, excitatur negligentia, ignorantia eruditur. Confirmate igitur amicitias cum sanctis Angelis, ait B. Leo Papa q, intrate in civitatem Dei, cujus nobis spondetur habitatio: & Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribusque sociamini. Unde & illi gaudent, gaudete. Horum divitias concupiscite, & per bonam æmulationem ipsorum ambite suffragia. Cum quibus enim fuerit vobis consortium devotionis, erit & communio dignitatis. Et Theofridus Abbas r, Digni sunt, inquit, apud homines honore, qui quotidie interpellant pro hominum salute. Memor humanæ fragilitatis hoc gratiæ nobis clementia Salvatoris contulit, ut, quod peccatores per nostra non possumus merita, per sanctorum impetremus patrocinia. Jam securi de sua soliciti sunt pro nostra salute. Offeramus ergò illis laudis sacrificium, ut pro nobis fumus incensorum ascendat de oratione sanctorum, qui per manum Angeli divino præsentatur conspectui: vestigia sequamur eorum, quibus ipsi sequuti sunt Dominum. Inspiciamus perfectam eorum vitam, & emendemus nostram, quæ minus composita est, ut nostri sint adjutores in precibus, quorum sumus imitatores in actibus. Relinquamus cum Apostolis omnia, ut liberè sequamur Domini vestigia. Martyribus associemur in passione, ut eisdem participemus in consolatione. Ne fur domum nostram perfodiat, Confessorum vigilias mens nostra custodiat: Ornemus lampades cum Virginibus, ut intremus cum eis ad nuptias, quando venerit Sponsus. Memoriam item facimus sanctissimæ Crucis, ut ascendentes in palmam apprehendamus fructus ejus, quoniam ejus virtute fugantur dæmones, roboratur virtus, vitia propulsantur. Sequitur pro pace deprecatio, magnum etenim est pacis bonum, per quod solum ad vocabulum filii Dei feliciter pervenitur. *Beati pacifici*, dicit Dominus, *quoniam filii Dei vocabuntur.* Pax serenitas mentis est, ut loquitur Augustinus s, tranquillitas animæ, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. Hæc est quæ simultates tollit, bella compescit, comprimit iras, superbos calcat, humiles elevat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placita, non quærit alienum, nihil deputat suum, docet amare quæ odisse non novit, nescit extolli, nescit inflari.



o 1. *Tim.* 2. p *Psalm.* 31.

q *Leo serm.* 5. *de Epiphania.* r *Theofrid. Abbas ser. de veneral. sanctorum.* s *Aug. ser.* 167. *de Temp.*

2. Cæterùm in fine horarum post ultimam Collectam Sacerdos repetita salutatione Domini præsentiam populis adesse precatur, ut, quemadmodum est pollicitus, maneat nobiscum usque ad consummationem seculi. Tum pia plebs ad benedicendum Dominum invitatur, ut, cujus beneficio vivit, in ejus semper laudibus perseveret. Respondet illa *Deogratias*, ut in gratiarum actionem desinat divinarum laudum celebratio. Quia verò Beata Virgo prima post Deum humani generis sospitatrix semper mortales materno protegit affectu: ideò in fine cujusque officii salutatio quædam, & deprecatio ad eandem Deiparam Virginem effundi solet, ut, si quid in tremendo Dei cultu humana fragilitate erratum est, matris interventu propitiatus Dominus nobis non imputet ad culpam. Ipsa cunctos qui confidunt in ea depulsis vitæ procellis munifico fovet amplexu. Ipsa periclitantibus in hoc damnabili mundo salutarem porrigit dexteram. Hæc noxios hostium conatus coercet. Sine aliquo ejus beneficio nullus dies, nulla hora, ac ne tenue quidem momentum transcurrit. Hanc colunt superi, observant inferi, mundus adorat: ejus majestatem supremi spiritus perhorrescunt. Ejus nutu regitur orbis, splendent sidera, micat sol, spirant venti, vernant horti, crescunt sylvæ, redeunt tempora, serviunt elementa. Decus morum, nitorem operum, meritorum gloriam de Mariæ gratia suscipimus, cum eam colimus, & veneramur. Novit Ecclesia quanti sit periculi ab indulgentissimæ matris cura exules filios elongari, ac propterea saluberrimo consilio decrevit, ut ad ejus protectionem frequenti obsequio confugerent, non solùm speciali Officio de ea instituto; sed etiam in fine singularum horarum variis pro ratione temporum adhibitis orationibus. Harum præcipua ea noscitur esse, quæ incipit *Salve Regina*, quàm Ecclesia Romana certis tantum diebus, quidam verò Regulares quotidie post Completorium solemni modulatione recitare consueverunt. Ejus auctor fuisse dicitur Hermannus Contractus Monachus S. Benedicti anno 1059. qui cum omnis politioris literaturæ expers omninò esset, B. Virginis intercessione in virum alterum mutatus tantâ deinceps doctrinæ laude resplenduit, ut nulli suo tempore secundus haberetur. Hoc Canticum jam solemne factum cum Spirenses Clerici decantarent, Bernardus Abbas Claræ-vallis tunc ad Germanos Apostolicus legatus, ut refert in Chronico Spirensi Guillelmus Eisengrenius [t], postrema illa verba ter genua flectens adjunxit, *ô clemens, ô pia, ô dulcis Maria.* At ego libenter huic longo capiti in dulcissimæ Virginis Mariæ commemoratione finem impono. Impar equidem sum, & ingenio exilis ejus laudibus referendis, nec mei sermonis penuria sufficit ad ea exprimenda, quæ de tanta majestate concipio, cujus exiguam partem nec ora mille, totidemque linguæ, aut indefessæ vocis æterna series vix attingere possent. Curabo tamen, ut sanctissimum ejus numen, & nomen intra pectoris mei secreta perpetuo cultu custodiatur, quod ut omnes item Christiani efficiant, summoperè cupio & exhortor.

t *Eisengren. lib.* 12. *ann.* 1147.

## CAPUT XVII.

### De Cantu Ecclesiastico.

#### §. I.

*Laudatur universim Musica, ejusque varii, & admirabiles effectus enumerantur.*

1. QUoniam divinum Officium, ejusque partes non simplici vocis prolatione, sed musico etiam adhibito concentu publicè in Ecclesia persolvi solent, hanc consequenter de Ecclesiastico Cantu tractationem institui, quam Religiosis divinas quotidie laudes decantantibus, nec inutilem fore, nec injucundam confido. Ut enim Rabanus Maurus [a] luculenter affirmat, tam nobilis est, tamque utilis rectè canendi disciplina, ut, qui eâ caruerit, Ecclesiasticum Officium congruè implere non possit. Nam quicquid in lectionibus decenter pronunciatur, quicquid de psalmis suaviter modulamur, ita musica scientia temperatur, ut per eam omne Dei servitium impleatur. Hinc musicæ rudimenta lac animæ vocat Philo doctissimus Hebræorum initio libri de Agricultura, dicitque Isidorus [b] tam turpe olim fuisse musicam nescire, quam litteras, tantique semper æstimatum fuisse cantum ab omnibus

a *Raban. de inst. Cleric. lib.* 3. *cap.* 24. b *Isidor. l.* 3. *origin.*

bus nationibus, utcunctis solemniis sacris, & profanis adhiberetur. Et nuptias quidem sine musicis concentibus numquam celebratas fuisse ex antiquis Epithalamiis luce clarius constat, idq; probat doctè & diffusè Paulus Sherlogus [c] vir infinitę lectionis in Anteloquiis Canticorum. Sed & conviviis adhibitos olim cantores, ut temperantiæ, & moderationis admonerentur convivæ, non ad luxuriam, atq; inanem voluptatem Athenæus [d], & Plutarchus [e], Græci scriptores commemorant. In funeribus quoque nobilium Græcorum, & Latinorum adfuisse tibicines, & æneatores Seneca in ludo Claudii, Plutarchus de consolatione ad uxorem, Tertullianus de corona militis, Valerius Maximus [f], & alii complures asseverant, hunc que morem secutos fuisse Judæos tum ex Evangelistis [g], tum ex Flav. Josepho [h] cognosci potest. Inter belicos tumultus locum item fuisse modulationi testis est ex Horatio, & Thucydide Franciscus Luisinus Utinensis [i] in suis Parergis. Nam antiqui duos Pæanes habebant, alterum Martis, quo initio pugnæ utebantur: alterum Apollinis, quem fusis, cæsisque hostibus decantabant. Et cui notus non est tibiarum, tympanorum, tubarumque usus in prœliis? in suis namque bellis ait Clemens Alexandrinus [k], tuba utuntur Hetrusci, fistulâ Arcades, Siculi autem instrumentis; quæ appellant πανδοῦρα; Gretenses lyra, Lacedæmonii tibia, cornu Thraces tympano Ægyptii, & Arabes cymbalo. Vegetius [l] de re militari; Sive, inquit, ad vigilias, vel agrarias faciendas: sive ad opus aliquod, vel ad decursionem campi exeunt milites, tubicine vocante operantur, & rursus tubicine admonente cessant. Lycurgus teste Plutarcho in Laconicis, bellicæ exercitationi Musicæ adjunxit studium, ut nimius belli fervor modulatione temperatus concinnitatem nanciscereretur. Ita Cretes ad citharam dimicabant, ait Martianus Capella [m], Lacedæmones ad tibiam. Quid Amazones, nonne ad calamos arma tractabant? In Italia Sybaritas tibicines ad prœlia præisse quis nesciat? Præter hæc de vario Musicæ usu in bellis, legendi sunt Diodorus Siculus [n], & Aulus Gellius [o].

2. Ludorum autem quam magna pars fuerit musica, pluribus exequitur in doctissimo opere de Theatro omnium doctrinarum curiosissimus explorator Julius Cæsar Bulengerus. Quid sacrificia commemorem, quid Numinis cultum, qui sine Musica nullo modo constare potest? Ideo sententia Strabonis [p] est, omne id quod musicum est opus Dei esse, ipsosque Musicos non solùm ministros Dei, sed Deos quodammodo existimandos. Multum itaque Divinitatis obtinet musica, ait Censorinus [q], & animis permovendis plurimum valet. Nam nisi grata esset immortalibus Diis, qui ex anima constant divina, profectò ludi scenici placandorum Deorum causa instituti non essent, nec tibicen omnibus supplicationibus in sacris ædibus adhiberetur. Hominum quoque mentes & ipsæ divinæ, quamvis Epicuro reclamante, suam naturam per cantus agnoscunt. Denique quò facilius ferant laborem, vel in navis metu à vectore symphonia adhibetur: legionibus quoque in acie dimicantibus, etiam metus mortis classico depellitur. Ob quam rem Pythagoras, ut animum suâ semper divinitate imbueret, priusquam se somno daret, & cum esset experrectus citharâ, ut ferunt, cantare consueverat. Et Asclepiades Medicus phreneticorum mentes morbo turbatas, sæpe per symphoniam suæ naturæ reddebat. Hæc Censorinus. Socrates autem vir sapientissimus tanti musicam fecisse dicitur, ut eam natu jam grandior inter pueros edisce re non erubuerit. De Arcadibus scribit Polybius Magalopolitanus [r], quod, cum alioquin naturæ essent asperioris, musicis tamen disciplinis mirificè delectabantur. Cæteras artes ignorare nulla apud illos ignominia erat, at musicæ imperitiam fateri turpissimum habebatur. Nec minor Lacedæmoniis amor musicæ fuit, quos refert Plutarchus in Laconicis majorem curam de illa, quàm de victu habuisse. Themistoclem narrat Cicero [s] cum oblatam in convivio lyram recusasset, habitum fuisse indoctiorem. Julianus [t] desertor impietate notior quàm scriptis ipsos barbaros se vidisse testatur rustica carmina verbis facta similibus clangorum, quos asperè clamantes aves edunt, studiosè amplecti, & musicis carminibus delectari. Macro-



c *Sherlog. in Cant. antel. 5. sect. 3. subsec. 1. & 3.* d *Athen. lib. 1. & 14.* e *Plut. 7. sympos.* f *Val. Max. lib. 2. cap. 5. nu. 4.* g *Matth. 9. 23.* h *Joseph. lib. 3. de bello Judaic. 5.* i *Luisin. lib. 2. Parergon. cap. 12.* k *Cl. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 4.* l *Veget. lib. 2. cap. 22.* m *Capella de nupt. Merc. & Philologiæ lib. 9.*

n *Diod. lib. 5. c. 9.* o *Gellius l. 9. c. 11.* p *Strabo l. 10. Geograph.* q *Censorin. de die natali c. 11.* r *Polybius lib. 4.* s *Cic. 1. Tuscul.* t *Julian. initio Misopogonis.*

bii *u* observatio est plurimarum gentium, vel regionum instituta sanxisse mortuos ad sepulturam cum cantu prosequi oportere, persuasione hac, quâ post corpus ad originem dulcedinis musicæ, hoc est ad cœlum, animæ redire credantur. Lycurgus vir duræ, difficilisque vitæ, musicæ tamen studium in suis legibus commendavit. Hanc primarium Philosophiæ adminiculum Xenocrates Chalcedonius vocabat apud Laërtium *x*: Plato etiam, & Aristoteles summa capita Philosophorum hic in Politicis, ille in Convivio, & septimo de legibus eò musicam efferunt, ut in ea potissimam rationem puerilis institutionis constituant. Sciebant videlicet viri præstantissimi ita nobis musicam naturaliter conjunctam esse, ut eâ nullo modo carere possimus.

3. Nullum est tam immite, tam asperum pectus, quod non musicis sonis capiatur. In cujus rei typum fabulantur Poëtæ à Cadmo fistulâ canente deceptum Typhœum; nam ut explicat Nonnus, in Dionysiacis, etiam stolidissimi, & furiosissimi musicâ afficiuntur. Nostra enim natura, ait Chrysostomus *z*, usque adeò delectatur Canticis, & carminibus, & tantam cum eis habet necessitudinem, ut vel infantes ab uberibus pendentes, si fleant & afflictentur, eâ ratione sopiantur. Nutrices quidem, qui eos gestant in ulnis, sæpè abeuntes, & redeuntes, & quædam puerilia eis carmina decantantes, supercilia eorum ita sopiunt. Quocircà sæpè quoque viatores meridie agentes jugalia animalia hoc faciunt canentes, itineris molestiam illis Canticis consolantes. Nec solùm viatores, sed etiam agricolæ uvas in torculari calcantes, vindemiantes, & vites colentes, & quodcunque aliud opus facientes sæpè cantant: nautæ quoque remos impellentes hoc faciunt. Jam verò mulieres quoque texentes, & confusa stamina radio discernentes sæpè quidem & per se singulæ, sæpe autem etiam omnes concorditer unam quamdam melodiam concinunt. Hoc autem faciunt & mulieres, & viatores, & agricolæ, & nautæ, laborem, qui ex opere faciendo suscipitur, cantu consolari volentes, utpotè quod anima, si carmina & canticum audierit, molesta & difficilia sit facilius toleratura. Quoniam ergò hoc genus delectationis est animæ nostræ valde cognatum, & familiare; ne dæmones lasciva meretricia cantica introducentes omnia everterent, Psalmos Deus construxit, ut ex ea re simul caperetur voluptas, & utilitas. Hactenus Chrysost. cui consonans quidam è Poetis ait *a*:

*Hoc est cur cantet vinctus quoque compede sossor,*
*Indocili numero cum grave mollit opus.*
*Cantat & invitens limosæ pronus arenæ*
*Adverso tardam qui vehit amne ratem.*
*Quique refert pariter lentos ad pectora remos*
*In numerum pulsa brachia versat aqua.*
*Fessus ut incubuit baculo, saxoque resedit*
*Pastor, arundineo carmine mulcet oves.*
*Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis*
*Fallitur ancillæ, decipiturque labor.*

Etiam monachi antiquiores manibus operantes, & divina psallentes Cantica ipsum laborem, ut scribit Augustinus *b*, tanquam divino celeumate consolebantur.

4. Ecquid mirum si inter homines tanta musicæ dominatio est, cùm aves quoque, ut luscinia, cygni, & aliæ id genus veluti quâdam disciplina artis cantum exerceant; nonnullæ verò terrenæ, & aquatiles bestiæ musicâ suavitate capiantur? Fistulis aves allici, serpentes cantu disrumpi comprobatum est, inquit Martianus *c*. Equos tubarum clangore ad prælium concitari testatur Job *. Cervos cantu demulceri, & sonitu tibiarum scribunt Plutarchus *d*. & Clemens Alexandrinus *e*. Idem asserit Strabo de elephantis. Quod spectat ad pisces, nota est omnibus Arionis Methymnæi fabulosa narratio, adeò pro vera habita, ut etiam annalibus inserta apud Historicos *f* fidem invenerit. De hoc Poeta *g*:

*Quamvis mutus erat, voci favisse putatur*
*Piscis Arioniæ fabula nota lyræ.*

Sed utcunque se habeat Arionis fabella, quam explicat allegoricè Tzetzes *h* in chiliadibus, illud certissima experientia compertum est, Delphinos, & alios quosdam pisces instrumentali musicâ plurimùm delectari, quod etiam Plutarchus asserit in Convivio septem sapientum. Orphei lyra etiam nunc inter sidera nomen habet, cujus dulcedo non solùm lenire tygres potuit.

u *Macrob. in som. Scip. 2. cap. 3.* x *Laertius. lib. 4.*
y *Nonnus circa fin. lib. 1.* z *Chrys. in Ps. 41.*
a *Ovidius 4. de Tristib. eleg. 1.* b *Aug. de opere monach. cap. 17.* c *Martian. lib. 9.* * *Job. 39. 25.* d *Plutar. 7. Symp.* e *Cl. Alex. init. orat. ad gentes* f *Herodotus in Clio.* g *Ovid. 4. de arte* h *Tzetzes Chil. 1. vers. 419.*

cuit, rapidosque leones, sed ut Tragicus canit i,

*Cantu tartara flebili,*
*Et tristes Erebi Deos*
*Movit, nec timuit stygis*
*Juratos superis lacus.*

Amphioni autem quod tantum carmen, inquit Eumenius Rhetor k, quæ tanta plectro, fidibusque dulcedo? quam sequuta quondam saxa perhibentur, ut ducentibus subvecta modulis, & ad intervalla carminum resistentia spontè murum velut arte construerent. Hæc figmenta præterissem, ni sub eorum cortice præclaræ musicæ dotes continerentur. Orpheus enim, & Amphion, ut docet Macrobius l in Somnio Scipionis, Pausanias in Bœoticis. Palæphatus m in libro ἀπίστων ἱστοριῶν, Fulgentius & Natalis Comes n in Mythologiis, & alii o, cùm duros & sylvestros homines è ferinis moribus ad civilem societatem harmonico modulamine transtulissent, locum fabulæ dederunt, ac propterea dicti sunt immanium ferarum extinxisse furorem, fluviorum impetum stitisse, animasse montes, sax & cautibus humanos sensus inseruisse.

5. O immensam musicæ suavitatis efficaciam! quam dulci tyrannide in omnes Microcosmi potentias dominaris? Transeunt in stuporem admirabiles ejus effectus, ac omnem prorsùs amitterent fidem, ni præter summorum virorum auctoritatem continua probarentur experientia. Timotheus musicus quam facilè omnes affectus Alexandri in quamcunque partem flecteret Basilius magnus p, Dio Chrysostomus q, & Himerius r Sophista eleganter ostendunt; Hujus postremi verba digniſſima profectò sunt, quæ transcribantur. Parumne, inquit, Rex aliquando sapuit? non permisit id Timotheus, sed cantu in cœlum usque Regis animum abduxit. Immoderatene æstuabat animus? præsens ille elatum animum pulsando citharam domabat. Mœstusne erat? statim ridentem ostendebat. An voluptatibus tenebatur? post cantum statim castissimum videbas. Et ut omnia dicam, talem videre eum licebat, qualem tibi eum Timotheus reddidisset. Hinc Aristonico Citharœdo æream statuam fieri jussit Alexander, teste Plutarcho s, ante quam hasta projecta jaceret. Et Pausanias in Corinthiacis effigiem Amoris commemorat Pausiæ pictoris opus, qui abjecto arcu & sagittis lyram tenet; quia nimirum musica in omnes affectus humanos dominatur. Sanctus Albertus Monachus t, cum adhuc secularis esset, audiens Mimum quemdam vitam & conversionem S. Theobaldi musicè decantantem, tanta repente gratia divinitus compunctus est, ut inde cœperit in magna vivere sanctitate. S. Amsbertus Monachus u, & Episcopus Rothomagensis, cum adhuc laicus in aula Regis viveret, diversa musicæ artis instrumenta audiens personantia dicebat sibi, O bone conditor! quale erit te diligentibus Canticum indeficiens in cœlestibus audire Angelorum: quàmque suave, & delectabile sanctorum choris concinentibus interesse, si tantam mortalibus præbes industriam, ut peritia artis, ac suavitas cantilenæ provocent animos audientium, ut te Deum creatorem omnium devotè collaudent? S. Dunstanus Archepiscopus Cantuariensis x adhuc adolescens & se, & alios musicis modulis à turbulentis mundi negotiis avocabat, & in meditationem cœlestis harmoniæ erigebat. B. Maria Oegniacensis y triduo ante obitum jugiter cecinit Cantica inaudita, & mirabilia, & se cantu ad mortem præparavit. Dicitur & Pythagoras in ebrios olim incidens jussisse tibicinem convivio præsidentem mutare harmoniam, ac Dorion ipsis canere, atque hoc modo melodiæ illos ad sobrietatem reduxisse. Parrhasius pictor, teste Theophrasto apud Ælianum z cantu, & modulatione vocis laborem artis mitigabat, quod solitium omnibus artificibus commune est. Achilles apud Homerum cum se sentiret iratum, musicæ sensu ad animi sensum redibat: quare Seneca a inter alia quamplurima iræ remedia etiam musicam recenset. Et Climacus, Moderata, inquit, melodia furorem lenit, & mitigat. Multas autem infirmitates tam mentis quam

i *Seneca in Herc. Oetæo act.* 3. k *Eumen. orat. pro scholis instaurandis.* l *Macrob. lib.* 2. m *Palæph. c.* 34. & 42. n *Nat. Comes lib.* 7. *cap.* 14. & *lib.* 8. *cap.* 15. o *Suidas v. Amph. Tzetzes Chil.* 1. *v.* 305. *Horatius de arte Poet.* p *Basil. hom. de legendis Gentilium libris.* q *Dio Chrys. or.* 1. *de Regno.* r *Himerius apud Photium cod.* 243.

s *Plut. or.* 2. *de Alexandro.* t *Surius* 7. *April.* u *Amsbertus Monachus in ejus vita.* x *Osbert. Monachus Cantuar. in ejus vita.* y *Jacob. de Vitriaco vitæ ejus lib.* 2. *cap.* 11. z *Ælian. de var. histor. l.* 9. *cap.* 11. a *Senec. lib.* 3. *de Ira cap.* 9. b *Climac. gr.* 8.

quam corporis potenti musicæ pharmaco sanari Theophrastus c, Jamblicus d, Martianus Capella e, Severinus Boëthius f; Joannes Brodæus g, Hieronymus Magius h, & alii non contemnendi auctores asseverant: vocum enim concentus ex anima in corpus influere solet, & occulto quodam tramite sese insinuans eos præsertim morbos levat, qui animum vehementer exagitant. Xenocrates organicis modulis lymphaticos liberabat. Tales Cretensis citharæ suavitate pestilentiam fugavit. Empedocles, cum quidam ejus hospitem gladio furibundus invaderet, canendi modo juvenis iracundiam repressit. παραλύζοντες quos phalangum virus morsu pestifero infecit, non nisi musicâ sanari posse res est manifestissima in Apuliæ provincia. Adeò verum est, quod Bion Smyrnæus i decinit, nullum esse medicamentum præstantius cantu. Olim cum Lacedæmones bellis civilibus affligerentur, oraculum illis redditum est k, si Terpandrum Methymnæum cithara canentem audirent, protinus conciliandos esse: quod & factum est, nam ejus cantu commoti lacrymantes se invicem osculabantur. Getæ majorum facta ad citharam canebant, ut Jordanus Episcopus m eorum Chronologus scribit: & cum legationes obibant, pacem vel impetrare, vel stabilire cupientes citharas increpabant erudito consilio, quod crederent musicam optatæ pacis blandissimam fore conciliatricem. Has efficacissimas musicæ operationes considerantes nonnulli existimarunt inesse musicis concentibus vim quamdam magicam, & supernaturalem: sed hanc opinionem erroneam esse Martinus Del Rio n vir doctissimus in suis magicis disquisitionibus luculenter ostendit.

6. Ad sacræ Scripturæ intelligentiam musicam necessariam esse Rupertus Abbas o affirmat, probatque Abrahamum in oratione pro civitatibus illis incendio cœlitus devastandis ob rationem musicam numeros illos proposuisse. Eamdem utilem ad omnes scientias docent peritissimi musici Joseph Zerlinus p, & Franchinus Gafforius q. In ipso sermone inesse musicam Priscianus Cæsariensis Grammaticus lib. de accentibus, Diomedes lib. 2. Ælius Donatus cap. de Tonis, Cledonius senator in Donati expositione, & alii Grammatici ostendunt, itemque Augustinus in libris de Musica. Ad Architecturam quantum valeat longo sermone Vitruvius exequitur. Quantum etiam medico prosit scribit Ficinus r Antonio Canisiano. Diebus attributa nomina ex Planetis secundùm musicam habitudinem ex Dione Cassio s didici; nam feria secunda dies Lunæ dicitur, feria autem tertia non à Mercurio juxta naturalem sphærarum ordinem, sed à Marte denominatur, quia Luna ad Martem proportionem habet sesquialteram, ex qua oritur consonantia diapente. Post diem Martis Mercurii diem numeramus, Martis enim ad Mercurium intervallum est sesquitertium, è quo provenit diatessaron cum superiori diapente plenum diapason efficiens. Idem consonantiarum respectus in cæteris diebus observatus est. Pythagoram refert Jamblicus omnem rectè vivendi institutionem per musicam constituisse. Ægyptii quoque, teste Pierio t, musicæ symbolo mores compositissimos intelligebant: Priscis enim sæculis modestum fuit cantorum genus, & Philosophica prorsus morum gravitate. Quamobrem Agamemnon u peregrè profecturus uxorem Clytemnestram Cantori reliquit custodiendam, ut ab improbis cogitationibus mentem ejus averteret illustrium fœminarum exempla pudicis modis decantando. Nec prius Ægistus illi vitium potuit inferre, quam Cantorem interemisset. Ericus secundus cognomento Bonus Rex Daniæ in rabiem tractus est à Citharœdo, si verax est Saxo x in Historia. Contra verò Terpander coortam Lacedæmone seditionem musica sedasse dicitur apud Plutarchum y. Iidem Lacedæmonii, ut scribit Tyrius z doctrina, & nomine Maximus, ex Tyrtæi carminibus animos sumpserunt. Argivi ex Telesillæ melodia, Lesbii ex odis Alcæi. Proclum in gravissimis cruciatibus doloris remissionem cantu consecutum fuisse testatur Marinus in ejus vita. Vis enim carminis, ait Georgias a, cum animi

c *Theophr. l. de enthusiasmo.* d *Iambl. de vita Pythag. lib. 1. cap. 25.* e *Mart. Capella l. 9.* f *Boeth. de musica lib. 1. cap. 1.* g *Erodæus l. 4. miscell. cap. 31.* h *Magius var. lection. l. 4. c. 13.* i *Gellius lib. 4. c. 13.* k *Bion. Idyll. 5.* l *Tzetzes Chil. 1. v. 385.* m *Iordan. de rebus Getar. cap. 19.* n *Del Rio disq. magic. l. 1. c. 4. qu. 2.* o *Rupert. lib. 7. de operibus Spiritus sancti c. 16. & in Gen. lib. 16. cap. 5.* p *Zerlin. lib. 1. harmonic. institutionum.*

q *Gaffor. lib. 1. Musicæ theoreticæ.* r *Ficin. l. 1. epist.* s *Dio Cassius lib. 37.* t *Pier. lib. 23. hieroglyph. cap. 1.* u *Eustathius in 2. Odyss.* x *Saxo hist. Daniæ lib. 12.* y *Plutarch. l. de musica.* z *Tyrius ser. 21.* a *Georgias or. in Helenam.*

animi opinione conjuncta fascino eam demulcet, & quò vult transfert. Hesiodus in Theogonia beatos esse musicos prædicat, qui psallentes omnium dolorum obliviscuntur. Idem de se canit Horatius. b

*Musis amicus tristitiam, & metus*
*Tradam protervis in mare Creticum*
*Portare ventis.*

7. Sextus Empyricus Pyrrhonius c cum omnium scientiarum hostis, & everfor fuerit, musicam tamen laudat, quod non per vim imperat, sed cum voluntaria quadam persuasione. Docet Plotinus d Platonicæ Sapientiæ antistes per musicam reduci hominem ad Deum. Quam infidelis hominis sententiam Rupertus Abbas e confirmare videtur. Movet enim intus musica, ait ipse, vi quadam & potentia naturali spiritum hominis, & cum decenter convenit cum verbo, vel sensu divinæ laudis concutit penetralia cordis, & illam quam accepit homo, resuscitat in eo gratiam Spiritus sancti. Hinc Propheta Elisæus f requisitus à Regibus, ut futuri belli exitum prænunciaret, jussit sibi psaltem adduci, quo psallente facta est super eum manus Domini, statimque Spiritus Propheticus, qui propter præcedentem commotionem recesserat, restitutus est ei. Quid igitur aliud de Prophetico viro sentire oportet, ait Richardus Victorinus g, nisi quod dexterior harmonia interiorem illam, & spiritualem ei harmoniam ad memoriam reduxit, & audita melodia audientis animum ad assueta gaudia revocavit? Pergit Richardus, & ostendit magnam esse musicæ utilitatem ad gratiam contemplationis comparandam. Agit quippe cantus in spiritum, eumque potentissimè afficiens ad Cœlestes influxus recipiendos idoneum efficere censetur: quia dum auribus, inquit Alcinous h, vocum haurimus harmoniam ab iis quæ audiuntur, ad ea quæ intellectu percipiuntur gradatim ascendimus. Quod si cantus occulta proprietate mentem revocat ad divina, quid mirum si mali spiritus musicæ suavitatem sustinere non possunt? Nam citharam pulsante David recedebat à Saul spiritus malus. Rebelles enim dæmones in malo obdurati, cum nullo modo reduci possint ad Deum, omnem concordiam, & harmoniam implacabili odio prosequuntur. Mira res, inquit egregius Scriptor B. Thomas de Villanova i Archiepiscopus Valentinus, musicâ fugatur diabolus, & qui juxta sententiam Job sagittas reputat quasi paleas, & lapides fundæ velut stipulas spernit, deridet etiam vibrantem hastam, & durissimos malleos pro nihilo pendit, ad citharæ sonitum tremefactus recedit, & quem nulla vis superat, superat harmonia.

8. Julianus Imperator k laudabilis scriptor, si in fide Christi perstitisset, nihil aliud fuisse arbitratur celeberrimum illud Homeri l Nepenthes omnium malorum oblivionem inducens, quod Polydamna Ægyptia Thonis uxor temperavit, Helenæ verò Hospitalis cujusdam muneris loco dedit, quàm consummatam musicæ consonantiam, omnibusque numeris absolutam symphoniam. Vinum, & musica, ait Sapiens m, lætificant cor. Quid enim illa præstantius, ut magnus scribit Cassiodorus n, quæ naturæ convenientiam ubique dispersam virtutis suæ gratia comprehendit? Hæc cum de secreto naturæ tanquam sensuum Regina tropis suis ornata processerit, reliquæ cogitationes exiliunt, ut ipsam solummodo delectet audiri. Hæc tristitiam noxiam jucundat, tumidos furores attenuat, cruentam sævitiam efficit blandam, excitat ignaviam, soporantemque languorem, vigilantibus reddit saluberrimam quietem, vitiatam turpi amore ad honestum studium revocat castitatem, sanat mentis tædium bonis cogitationibus semper adversum, pernicioſa odia convertit ad auxiliatricem gratiam, & quod beatum genus curationis est, per dulcissimas voluptates expellit animi passiones. Incorpoream animam corporaliter mulcet, & solo auditu ad quod vult deducit, & per insensibilium obsequium prævalet sensuum exercere dominatum. Hæc Cassiodorus, cui consonans Maximus Tyrius o, Humanam musicam, ait, quæ animos circuit, quidnam aliud esse dixerimus, quam pædagogicum quoddam officium, quod animæ affectiones moderatur? Id enim nimiam elationem, impetumque animi quasi quibusdam incantationibus demulcet, remissionem atque infractionem sublevat, exacuitque. Musica aptissima artifex



b *Horat. l. 1. ode. 26.* c *Sext. Emp. l. 6. adv. Mathematicos.* d *Plot. in lib. 3. enn. 1.* e *Rupert. in lib. Reg. lib. 5. c. 23.* f *4. Reg. 3. 15.* g *Richard. lib. 5. de contempl. cap. 17.* h *Alcinous de doctr. Platonis cap. 8.*

i *Thom. Valentin. serm. de Visitat. B. V.* k *Julian. init. or. 8.* l *Homer. Odyss. δ. & Diodor. Sicul. lib. 1.* m *Eccl. 40. 20.* n *Cassiod. l. 2. var. Ep. 40.* o *Tyrius ser. 21.*

est in luctu levando, in contundenda iracundia, in comprimenda audacia, in temperanda bonorum virorum cupiditate, in sanando dolore, in consolandis amoribus, in levanda miseria. Optima in sacrificiis comes, sodalis in convivio, imperatrix in bello, aptissima præterea ad celebritates inspergendas leporibus, Dionysiaque exhilaranda. Sed cur musicam oportet tam multo celebrare sermone, aut ejus exaggerare dignitatem? quando eam satis constat, optimam pacis atque otii nobiscum ministram esse, optimam commilitonem, egregiam nobiscum civem, aptissimam puerorum nutricem. Ocyssimè namque ex omnibus sensibus auditus quodcunque novit, transmittit ad animum, sibique consentientissimum reddens in eosdem affectionum impetus trahit. Unde animi musicæ expertes nunquam erit ut rectè cultores legis evadant. Hactenus ille.

9. Possem & alia plura in musicæ commendationem ex variis Auctoribus tum vetustis tum recentioribus huc transferre; sed mihi animus est ea seligere, quæ propius rem nostram attingunt. Curioso autem lectori plurima suppeditabunt Clemens Alexandrinus *6. stromatum*, Justinus Martyr, *quæst.* 107. Beda *lib. de musica*, Cicero 1. & 4. *Tusculan.* Quintilianus *lib.* 1. *cap.* 10. Lucianus *de saltatione*, Athenæus *lib.* 14. Sextus Empyricus *lib. 6. adversus Mathematicos, qui est adversus musicos*, Dio Chrysostomus *oratione* 1. & 31. Jamblicus *de vita Pythagoræ lib.* 1. *cap.* 15. Joannes Sarisberiensis *lib.* 1. *Policratici*, Franciscus Georgius Venetus *in Harmonia mundi*, Bartholomæus Chassanæus *in Catalogo gloriæ mundi parte* 10. *consid.* 51. Julius Cæsar Bulengerus *lib.* 2. *de Theatro*, Petrus Montius lib. 4. de varietate unius legis cap. 25. Fabius Paulinus lib. 2. 3. & 4. de septenario, Cœlius Rhodiginus lib. 1. Roderic. Zamoren. lib. 3. speculi cap. 39. Marsilius Ficinus *de vita cœlitus comparanda cap.* 21. Marinus Mersennius *in cap. 4. Geneseos diffusissimè*, Petrus Faber *de re athletica*, Raphaël Volaterranus *lib.* 35. *Commentariorum Urbanorum*, Guillelmus Parisiensis *secundæ partis de Universo p.* 3. *cap.* 20. Hieronymus Osorius *in fine libri* 4. *de Regis institutione*, Angelus Minorita, *initio lib.* 1. *floris Angelici*, Ottomarus Luscinius *lib.* 1. *Musurgiæ*, Athanasius Kircher Fuldensis *lib.* 3. *artis magneticæ par.* 8. *quæ est de magnetismo musicæ & in Arte magna consoni, & dissoni, sive Musurgia Universali*, Tiraquellus *libro de nobilitate cap.* 34. Ludovicus Cresolius *lib.* 3. *mystagog. cap.* 27. & alii innumeri, illi præsertim, qui musicas institutiones conscripserunt.

## METRUM XLIII.

*Eia cantu personate*
*Quotquot estis musici.*
*Eja laudes, eja nomen*
*Personate Numinis.*
*Huc adeste voce, plausu,*
*Orbis omnes incolæ,*
*Huc adeste mente pura*
*Qui Deum veremini.*
*Barbito dulci sonate,*
*Mollibusque Canticis.*
*Organorum, buccinarum,*
*Et lyræ concentibus.*
*Nunciate quam potenti*
*Cuncta firmet dextera.*
*Prædicate quam benigna*
*Nos regat clementia.*
*Ferte laudes, ferte cantus*
*Ejus ad sacrarium:*
*Plaudat orbis: plaudat æther*
*Nabliis, & tympanis.*
*Angelorum candidati*
*Personent exercitus.*
*Cœlitumque glorioſa*
*Turba laudes concinat.*
*Astra laudent, & serenum*
*Quicquid ornat æthera.*
*Terra saltet & choreis*
*Læta blandis perstrepat.*
*Alta plaudant floridorum*
*Montium cacumina.*
*Pontus adsit, & capaci*
*Quicquid alvo continet,*
*Amniumque pura rauco*
*Psallat unda murmure.*
*O superne Rex polorum,*
*Quo jubente vivimus,*
*Te parentem prona adoret*
*Trina rerum machina.*
*Te potentem læta honoret*
*Omnis orbis natio.*
*Eja cantu personate*
*Quotquot estis musici.*
*Eja laudes, eja nomen*
*Personate Numinis.*

## §. II.

*Dicta quædam de harmonia mundi. Ineſſe muſicam ſingulis rebus. Origo muſicæ. De cantu Eccleſiaſtico. Eum antiquiſſimum eſſe. An inſtrumenta muſicalia admittenda in Eccleſia. Primus Organorum uſus.*

1. PLatonici cum vidiſſent omne quod vivit cantibus permulceri, cœleſtem animam, qua univerſum animaretur, originem ſumpſiſſe autumant à muſica. Nam & eloquium Dei è nihilo cuncta creantis muſicum cantum fuiſſe ſcribunt [p], & omnia muſicis proportionibus conſtare aſſeverant. Ipſam animam rationalem ex harmonia componi falsò quidam ex ipſis arbitrantur, quem errorem egregiè confutant Nemeſius [q], Iſidorus Peluſiota [r], & ex recentioribus Marſilius Ficinus [ſ]. De myſtica Angelorum harmonia agit Dionyſius Areopagita cap. 10. Cœleſtis Hierarchiæ. De muſica ſive conſonantia Chriſti ad nos, & quomodo ſimplum Salvatoris noſtri duplo noſtro concinat ad ſalutem, doctè, & diffusè differit Auguſtinus initio libri quarti de Trinitate. Nolo hic autem cum Scipione ſomniante cœlos conſcendere, & cum Aurelio Macrobio [t] Pythagoricum cœlorum concentum ſpeculari. Nolo ex Epicuri intermundiis imaginariam muſicam huc deducere. Nolo ſiderum, mundique harmoniam inutili curioſitate inveſtigare. Quomodo videlicet terra cum Luna conveniat: aqua cum Mercurio, & Saturno interſonet: reboet cum Jove, & Venere aër: ferveat ignis cum Sole, & Marte: quo ſonitu lapides, & metalla Marti reſpondeant: herbæ cum Jove, animalia cum firmamento. Hæc laſcivientis ingenii lucubramenta curioſam quidem, ſed parum ſolidam doctrinam continent. Scripſit de harmonia mundi Franciſcus Georgius Venetus vir Platonicis, & Cabaliſtis plus juſto addictus inſigne volumen, jucunda magis, quam neceſſaria ſubtilitate juxta Eccleſiaſticam cenſuram expurgandum, quod in tria Cantica diviſit. Cantico primo tractat de Deo, quatenus eſt principium & finis univerſorum; & de ſuaviſſima conſonantia, qua ad invicem, & cum ſupremo Archetypo reſonant creaturæ. Cantico ſecundo demonſtrat quam multiplici conſonantia omnia membra cum capite Chriſto conveniant. Tertiò agit de hominis cum ſuo opifice, de minoris cum majori mundo concordantia, de concentu quem faciunt homines boni cum Deo: Tum de corporis & animæ harmonia in melius mutanda per reſurrectionem, deque æterna pauſa in cœleſti beatitudine. Scripſit etiam de humana, & mundana muſica diffuſiſſimè Robertus à Flud, ſive de Fluctibus Oxonienſis in ſua utriuſque Coſmi hiſtoria. Sed ejus harmoniam Joannes Kepplerus Mathematicus libro de harmonia mundi in quinque tractatus diviſo, itemque in Myſterio Coſmographico fallacem, & diſſonam multis rationibus eſſe contendit. At Robertus in Proſcenio Veritatis, & in Monochordo Mundi acriter ſe tuetur, & rationes Keppleri evertere conatur. Ambo autem Andabatarum more in tenebris digladiantur, nam extra Eccleſiæ caſtra militantes, cum careant fide per dilectionem operante, vera etiam & conſonanti muſica caruiſſe dignoſcuntur. Ipſos conſulat cui licet, & libet. Doctius de hac muſica, & adverſus Fluddi mendacia diſſerunt viri doctiſſimi Marinus Merſennius in inſigni ſuo Commentario ſuper Geneſim, & Athanaſius Kircher in ſua Muſurgia univerſali. Aliam item mundi viſibilis harmonicam dimenſionem tradit vir peritiſſimus rei Mathematicæ Marius Bettinus Bononienſis [u]. Hanc eandem univerſi harmoniam antiquiores Sophi pertractant Triſmegiſtus, Plotinus, Proclus, Jamblicus, Maximus Tyrius, Chalcidius, & alii Platonici paſſim, Heraclides in Allegoriis Homeri, Clemens Alexandrinus initio orationis ad Græcos. Boëtius lib. 1. muſicæ, Plutarchus in quæſtionibus Platonicis, & libro de animæ procreatione ex Timæo Platonis, Plinius lib. 2. Macrobius in ſomnium Scipionis, Cenſorinus, Martianus Capella, & omnes ferè recentiores, qui harmonicas inſtitutiones conſcripſerunt. A primo enim tenebroſo corpore, ait gravis ſcriptor Guilbertus Tornacenſis [x], infra quod nihil eſt, uſque ad Deum,



p *Ficin. in Timæum Platonis.* q *Nemeſ. de nat. hominis.* r *Iſidor. l. 4. Ep. 125.* ſ *Ficin. lib. 7. Platonicæ Theologiæ c. 10. & 10. Sarisberien. lib. 1. Policratici.* t *Macrob. in ſomn. Scip. l. 1.*

u *Bettinus Apiario 10. progym. 1. propoſ. 3.* x *Guilbert. tract. de pace c. 14.*

supra quem nihil est, quædam musica sive harmonia reperitur, per quam invicem universa cohærent. Et ut Ruricius y Lemovicensis Episcopus ad Hesperium scribit. In harmonia mundi universa animantia bruta pariter, & elinguia, incedentia, volantia, atque vocibus, etsi sono dissono, autore diverso, pari tamen affectu, quasi uno concentu in laudem proprii auctoris erumpunt, & potentiam quam promere nequeunt, sentire se produnt. De harmonica animæ compositione ex placitis Platonicorum doctè & diffusè, sed obscurè differit Christophorus Marcellus libro 6. de Anima.

2. Cæterùm cum de musica loquimur, piaculum grave esset ejus originem præterire. Eam plerique Græcorum ad Pythagoram, alii ad Mercurium, alii ad alios referunt, quorum mendacia recenset Bulengerus z Mendacia dixi, nam sacra Mosis historia docet * Jubal de progenie Cain fuisse patrem canentium citharæ, & organo. Quomodo autem Pythagoras ex sonitu malleorum musicam inveniisse dicatur, tractat diffusè Jamblicus a in ejus vita, Plutarchus b in symposiacis explicans dictum illud antiquum, *Amor musicam docet*, Theophrastum laudat, qui libro de musica tria ejus principia facit dolorem, voluptatem, & instinctum divinum; nam unumquodque horum vocem à consueto modo aversam ad canendum inclinat. Sed si quis unquam amavit, sanè fatebitur Amorem primum musicæ inventorem, primum ejus principium esse. Amorem omnium artium, scientiarumque Magistrum vocant Platonici, prima tamen Amoris scientia musica est, teste ipso Platone in doctissimo illo convivio, quo ejusdem Amoris describuntur actiones. Hæc de musicæ origine dum scribo, occurrit mihi fabula quædam non indigna relatu, quod à viro summæ sapientiæ Philone Judæo c eam didicerim. Cum Deus, inquit, rerum omnium conditor è nihilo cuncta creasset, jamque hominem operum suorum principem constituisset, videns cuncta quæ fecerat, eorumque pulchritudinem suspiciens unum de Prophetis interrogavit, num aliquid ad universi perfectionem deesset. Deest unum, ait ille, quod tamen mihi prorsus necessarium videtur, deest inquam concinnus sermo, qui omnia quæ tu creasti, tuamque bonitatem, & providentiam jugiter laudet. Placuit Deo hæc tam commoda admonitio, statimque musicorum genus creavit, qui Deum mirabilem in operibus suis dulciter decantarent. Significat adfabulatio aut solum esse, aut præcipuum musicæ usum divinas laudes resonare. Nescio autem an hujus fabulæ occasionem acceperit Philo ab Hermete illo ter maximo, qui scribit in Asclepio musicam suavitatem ad concinendas Dei cœlestiumque laudes hominibus indultam, ne terrenus mundus videretur incultior, si modulorum dulcedine caruisset. Verum has Nilotici calami argutias, ut Apuleius d loquitur, prætermittentes, jam ipsam musicam in sacrosancta Christi Ecclesia resonantem audiamus.

3. Ab ipso Domino, & ab Apostolis, ait Augustinus e, Psalmos & Hymnos canendi habemus documenta, & exempla, & præcepta. In veteri quoque testamento quam multiplex cantorum, ac musicalium instrumentorum mentio habetur, ut divina præconia ordinatissimis vicibus celebrarentur? Davidem in Canticis eruditissimum celebrat Augustinus f. Salomonem ejus filium musicæ item peritissimum Pineda g commendat. Quid Moses? quid veteres Patriarchæ? an musicam ignorarunt, quos adeo frequentes in divinis modulationibus sacræ literæ asseverant? Superfluum igitur fuerit sive ad probandam Ecclesiastici cantus antiquitatem, sive ad multam ejus utilitatem adversus novatores astruendam sanctorum Patrum, & Scripturarum testimonia coacervare. Stultus ego sim si rem clarissimam, & jam à multis auctoribus illustratam velim clarius illustrare. Legendi de hac re Bellarminus *tom. 4. controversiarum lib. 1. de bonis operibus in particulari cap.* 16. Albertus Pighius *lib. 1. Ecclesiasticæ Hierarchiæ.* Thomas Valdensis *tom. 3. Doctrinalis tit. 2.* Alphonsus à Castro *lib. 4. adversus hæreses*, Antonius Democharis lib. 4. de Missa cap. 12. & 13. Joannes Filesacus Theologus Parisiensis *libro 2. Selectorum.* Ludovicus Cresolius *libro 3. mystagogi.* Pamelius *tomo 1. Liturgicorum Latinorum.* Franciscus Suarez *tomo secundo de Religione libro 4. cap. 7. & 8.* Baronius *anno*

y *Ruricius lib. 1. Epist. 5.* z *Bulenger. lib. 2. de Theatro, cap. 3.* * *Gen. 4. 21.* a *Jamblic. l. 1. cap. 26.* b *Plutarch. sympos. lib. 1. q. 5.* c *Philo lib. de plantatione Noe.*

d *Apul. lib. 1. metamorph.* e *Aug. Ep. 119. c. 18.* f *Idem de civit. Dei lib. 17. cap. 14.* g *Pineda de reb. Salom. lib. 3. cap. 13.*

*anno* 60. *numero* 24. Durantus Tolosanus *lib.* 3. *de ritibus Ecclesiæ cap.* 21. Scholastici cum D. Thoma 2. 2. *q.* 91. & alii multi.

4. Una autem difficultas hic enodanda videtur : An deceat Ecclesiam instrumentis musicalibus uti in divinæ Synaxis celebratione. Rem ambiguam reddunt diversæ diversorum sententiæ. Auctor quæstionum ad Orthodoxos inter opera Justini Martyris [h] cantum vocalem laudat, sed ad cantum adhiberi instrumenta non permittit. Sancti quoque Patres Joannes Chrysostomus [i], & Isidorus Pelusiota [k] solis Hebræis permissa olim instrumenta scribunt ob eorum imbecillitatem. Damnat eadem instrumenta elegantissima oratione S. Aelredus [l] Abbas Rievallis Bernardi synchronus, & discipulus : Unde, inquit, cessantibus jam typis, & figuris, unde in Ecclesia tot organa, tot cymbala? Ad quid, rogo, terribilis ille follium flatus tonitrui potius fragorem, quam vocis exprimens suavitatem? Pergit sanctus Pater, & cantum quoque figurarum sugillans ait : Ad quid illa vocis contractio, & infractio? Hic succinit, ille discinit, alter supercinit, alter medias quasdam notas dividit, & incidit. Nunc vox stringitur, nunc frangitur, nunc impingitur, nunc diffusiori sonitu dilatatur. Aliquando, quod pudet dicere, in equinos hinnitus cogitur, aliquando virili vigore depositio in fœmineæ vocis gracilitates acuitur, nonunquam artificiosa quadam circumvolutione torquetur, & retorquetur. Videas aliquando hominem aperto ore quasi intercluso halitu expirare, non cantare : ac ridiculosa quadam vocis interceptione quasi minitari silentium, nunc agones morientium, vel extasim patientium imitari. Interim histrionicis quibusdam gestibus totum corpus agitatur, torquentur labia, rotantur oculi, ludunt humeri, & ad singulas quasque notas digitorum flexus respondet. Et hæc ridiculosa dissolutio vocatur religio : & ubi hæc frequentiùs agitantur, ibi Deo honorabiliùs serviri clamatur. Hactenus ille. Sed alii è diverso instrumentorum usum admittunt, & laudant. Et primò quidem Christianus Pædagogus apud Clementem Alexandrinum [m] instrumentis uti permittit. Deinde Prudentius [n] audiendus est, qui vivebat sub Theodosio seniore, & filiis ejus. Sic autem canit;

*Quicquid in ære cavo reboans tuba curva remugit,*
*Quicquid in arcano vomit ingens spiritus haustu,*
*Quicquid casta chelys, quicquid testudo resultat,*
*Organa disparibus calamis quod consona miscent,*
*Æmula pastorum quod reddunt vocibus antra,*
*Christum concelebrat, Christum sonat, omnia Christum,*
*Muta etiam fidibus sanctis animata loquuntur.*

E Scriptoribus denique recentioribus Joannes Sarisberiensis Carnotensis Episcopus prodibit in medium, qui eodem quo Aelredus sæculo vixit, tempore scilicet Alexandri III. Is libro primo Polieratici musicam instrumentalem commendat his verbis. Ad mores itaque instruendos, & animos exultatione virtutis trajiciendos in cultum Domini, non modò concentum hominum, sed etiam instrumentorum modos censuerunt sancti Patres Domino applicandos, cùm templi reverentiam dilatarent. Et si militantis Ecclesiæ tibi parva videtur auctoritas, vel triumphatrix illa præconia musicæ non tacebit, cujus seniores vidit, & tibi monstravit tonitrui filius, & voces eorum sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. Quod si illos nondum audisti, Regem audias exultantem, qui te regni, & exultationis suæ vult esse participem. Ait enim, *Sumite Psalmum, & date tympanum, Psalterium jucundum cum cithara.* Ad quid inquis? Ut laudetis Dominum in tympano, & choro, in chordis & organo.

5. Constat igitur ex dictis, nec statim ab initio, nec ubique recepta fuisse musicalia instrumenta : nam etiam nunc Romæ in sacello summi Pontificis semper sine instrumentis officiorum solemnia celebrantur ; & Ecclesia Lugdunensis, quæ novitates nescit, semper organa repudiavit, neque in hunc diem admisit. Non tamen damnari debet moderatus eorum usus, cùm à sanctissimis, & sapientissimis viris, ac novissimè à sancto Tridentino Concilio approbatus & permissus sit. Lætificat organorum concentus tristes hominum mentes, & supernæ civitatis insinuat jucunditatem : solicitat pigros, recreat diligentes : provocat justos ad amorem, peccatores ad compunctionem. Qui Deum diligunt, ait Clima-

h *Iustin. q.* 107. i *Chrysost. in Psal.* 150. k *Isidor. lib.* 2. *Ep.* 176. l *Aelred. lib.* 2. *speculi charitatis cap.* 23. m *Clem. Alex. pædag. lib.* 2. *cap.* 4. n *Prudent. adv. Judæos.*

cus o ad hilaritatem & divinam dilectionem, atque ad lachrymas, & ex mundanis, & ex spiritualibus Canticis ac melodiis excitari solent, qui verò voluptatibus addicti sunt, sibi colligunt materiam perditionis. Porrò organa pneumatica ætate Juliani Apostatæ adinventa fuisse docet Bulengerus p. Extat autem ejusdem Juliani Epigramma in organum, à P. Martinio Morentino relatum præfatione in ejus Misopogonem, quod hic transcribere non gravabor.

*Quam cerno alterius naturæ est fistula: nempe*
*Altera produxit fortasse hanc ænea tellus.*
*Horrendum stridet, nec nostris illa movetur*
*Flatibus, at missus taurino è carcere ventus*
*Subtus agit læves calamos, perque ima vagatur.*
*Mox aliquis velox digitis, insignis & arte*
*Adflat, concordes calamis pulsatque tabellas:*
*Ast illæ subitò exiliunt, & carmina miscent.*

Hæc organa statim audiri cœperunt in Ecclesia permittente Damaso Pontifice, ut quidam ajunt apud Cresolium q in Mystagogo. Sed verior, & communior sententia Platinæ est asserentis eorum usum tempore Vitaliani Papæ circa annum Domini 660. in Ecclesiis incœpisse. Desino, si prius Ecclesiasticos cantores admonuero, ne ad usum illicitæ voluptatis assumant, quod sancti Patres ad effectum pietatis instituerunt. Talis enim debet esse sonus, tam gravis, tam moderatus, ut non totum animum ad sui rapiat oblectationem; sed eorum quæ cantantur sensui, & pietatis affectui majorem relinquat portionem.

## §. III.

*Cantus Ecclesiastici qui fuerint primi inventores. De musicis, & cantoribus, eorumque discrimine. De tonis, seu modis tropicis. Omnem musicæ mutationem malam esse. Cur ab hodierna musica non iidem effectus sint, qui ab antiqua. Actum obiter de triplici genere cantus Diatonico, Chromatico, Enharmonico.*

1. AB Apostolis, & Apostolicis viris Ecclesiastici cantus initia fuisse doctissimus Cardinalis Baronius r tam evidenter ostendit, ut nihil ejus eruditioni adjungi possit. Quod autem Theodoretus s & Nicephorus t S. Ephrem Syro harmoniacæ modulationis inventionem attribuunt, id ita intelligendum est, quod vel antiquum cantum in aliqua particulari Ecclesia instituerit: vel canendi methodum, & notulas intervallorum ac vocum indices aliquâ faciliori ratione innovârit. Sic Joannes Damascenus novam quandam musicæ rationem pro Ecclesiasticis cantibus adinvenisse perhibetur. Sic Magnus Gregorius non omnen cantum, sed planum & unisonum adinvenit, quo deinceps semper usa est Ecclesia Latina. Sic etiam Guido Aretinus Monachus S. Benedicti anno Domini vigesimo secundo supra millesimum maximâ omnium admiratione novam musicæ rationem, novasque claves edocuit, & manum quam vocant cum sex vulgaribus notis, adeò ut puer rudis & semigrammaticus paucis mensibus addiscceret, quod homo grandævus, magnoque pollens ingenio vix pluribus annis addiscere potuisset. Erat enim ante ipsum difficillimus cantus, quem nunc balbutientes pueri nullo negotio ediscunt. Hoc item seculo Erycius Puteanus u vir eruditissimus, & omni doctrinâ refertus duobus editis libellis ad sex vulgares notas septimam adjungere conatus est, ut omnes vocum mutationes tollantur, quæ pueris majus negotium in cantu discendo faceſſunt; & hoc modo praxis musicæ multò facilior reddatur. Porrò musica antiqua pro notis literas Græcas habuit, nunc rectas, nunc inversas, nunc alio situ super verba canenda collocatas. In media literarum usus, sed latinarum, de quibus earumque significatione in superscriptione cantilenæ extat Notkeri Monachi parvus tractatus in supplemento Bibliothecæ veterum Patrum editionis Colonienſis. In harmonia denique nostra diversa forma est, ut omnes norunt. Scripsit de notis musicis librum Alypius Græcus, cujus meminit Vincentius Galilæus in suo opere de nova, & antiqua musica, quod musicis, & cantoribus valde utile est. Cantorum verò, & musicorum magnum esse discrimen docet Boëthius x. Cantor ille est, qui harmoniacæ rationis expers, & à musicæ scientiæ intellectu

o *Climac. gr.* 15. p *Bulenger. lib* 2. *de Theatr.* q *Cresci. lib.* 3 *Mystag. c.* 27. r *Baron. an.* 601. *nn.* 24. *& seqq.*

s *Theodoret. hist. Eccl. lib.* 4. *cap.* 19. t *Nicephor. lib.* 9. *c.* 19. u *Puteanus in Musathena. & Pallade modulata.* x *Boeth. de musica lib.* 1. *cap. ult.*

lectu sejunctus famulatur, nec quicquam affert rationis: is autem musicus est, qui ratione perpensâ canendi scientiam non servitio operis, sed imperio speculationis assumit. Cantor nec discernens musicam, nec dijudicans, vocem suam flectere quidem, elevare, ac deprimere novit per phtongos, & intervalla; sed musicum systema, variamque modorum ordinationem prorsùs ignorat. Musicus ordinationem prorsùs ignorat. Musicus ordinat, & componit cantum, scitque eorum quæ cantantur rationem reddere. Hoc prænotato, quia Davo, & Oedippo debitor sum, operæ pretium me facturum arbitror, si quædam de tonis, & modis musicis tractavero, quo prænoscentes musicæ artificium & ornamenta alacriores in Dei laudibus decantandis sacri cantores inveniantur. In qua sanè tractatione ne molestus sit mihi lector, si prolixus fuero; nam, ut fatear quod res est, & musicam amo, & pudet me plerosque Ecclesiasticos viros totius vitæ cursu in cantu versari, ipsum verò cantum, quod turpe est, ignorare.

2. Ex diapason igitur consonantiæ speciebus, ut cum Boethio *y* loquar, existunt qui appellantur modi, quos eosdem tropos, vel tonos nominant. Sunt autem tropi constitutiones in totis vocum ordinibus, vel gravitate, vel acumine differentes, quorum omnium compositio plenum continet diapason, sive octavam, ut ajunt, quæ ex octo vocibus constat & septem intervallis. Omnis verò tonus certos modos & terminos vocis elevandæ vel deprimendæ diffinit, & certis quibusdam differentiis omnem cantum coercet, qui, quoniam à gravi vertitur in acutum, inde tropi nomenclaturam accepit. De numero, & nominibus eorum dubitatum sæpè est à viris doctis. Martianus Felix Capella quindecim enumerat, quorum quinque principales, alii collaterales sunt additis particulis ὕπατε & ὑπὸ *super*, & *subtus*; quia super vel subtus principales proximè collocantur. Primus est Lydius, cui adhærent hyperlydius, & hypolydius. Secundus Iastius, cui sociantur hyperiastius, & hypoiastius. Tertius Æolius cùm hyperæolio, & hypoæolio. Quartus Phrygius cùm duobus hyperphrygio, & hypophrygio. Quintus Dorius cum hyperdorio, & hypodorio. Alypius eosdem quindecim modos enumerat. Verum hi modi super additi ad pleni & integri systematis sensibilem harmoniam inutiles sunt, quos Cassiodorus ita constituit, ut à se invicem sola semitonii intensione, vel remissione superentur: propterea in genere datonico locum habere non possunt. Plato numerum senarium, Aristoteles, Bacchius, & Pappus Alexandrinus septenarium non excedunt. Ptolomæus ut totum disdiapason systema modulis conveniret, octavum & acutissimum modum adjunxit, quem hypermixolydium nuncupavit. Censorinus *z*, Genera, inquit, carminum tredecim sunt, ex quibus prima sunt Dorium, Phrygium, Lydium. His accesserunt gravissimum hyperdorium, mox duo hypophrygii gravior, & acutior, deinde Dorius medius, tum Phrygius gravis & alter excelsus: totidem lydii gravis & acutus: tum mixolydii pari diversitate, postremò hypermixolydius acutissimus. Practici recentiores post Henricum Glareanum *a* sex tonos authentos ponunt ex harmonica, totidemque plagales ex arithmetica divisione diapason: nec plures esse posse contendunt, quod non sint plures species diapason. Lucius Apuleius *b* modos sic recenset. Seu tu velles Æolium, simples, seu Asium varium, seu Lydium querulum, seu Prygium religiosum, seu Dorium bellicosum. Hunc verò Apuleii textum corruptum esse monet Glareanus l. 2. c. 11. & non *Asium* legendum, sed *Iastium*, nam de modo Asio nulla apud reliquos Scriptores mentio est. Philostratus Lemnius *c* Æolia, & Pamphilia modulamina commemorat. Euclides, Aristoxenus, Plutarchus, Quintilianus Aristides, Lucianus, Athenæus, Emmanuel Bryennius, & omnes antiqui Scriptores, discrepant non in numero tantum & nomine, sed in eorum etiam initiis, proprietatibus & finibus assignandis. Referunt hac de re varias eorum sententias Bulengerus *d*, Galilæus *e* & Joannes Baptista Donius *f*. Sed hanc omnem controversiam de vocibus esse hinc colligo, quod ex hominum arbitrio pendeat, quis primus tonus sit, quis secundus, quis tertius. Debet enim investigari omnium specierum diapason natura ex gravitate & acumine vocum; sive ex intensione & remissione chordarum, quæ certa & invariabilis est; seu tonum illius diapason primum, seu tertium nuncupemus. Porrò modi musici.

*y* *ibid. lib. 4. cap. 14.*

*z* *Censorin. cap. 21.* *a* *Henric. Glarean. in dodeca chordo.* *b* *Apuleius lib. 3. floridor.* *c* *Philostrat vitæ Apollon. l. 1. c. 10.* *d* *Buleng. 2. de Theatro, c. 17.* *e* *Galilæus l. de musf. antiq.* *f* *Dominus de tonis antiq.*

ci gentium vocabulo designati sunt, quæ pro varietate morum, & ingeniorum variis etiam modis delectabantur. Sic nos quoque diversum musicæ stylum apud diversas nationes esse dignoscimus. Sunt Gallicæ modulationes hilares, molles, concitatæ, choreis, & saltationibus idoneæ: Hispanicæ severæ, vehementes, tetricæ: Italicæ graves, magnificæ, nobiles, insinuandæ pietati, moribusque efformandis aptissimæ.

3. Illud autem ab antiquis observatum est, nunquam ab aliqua gente mutatam fuisse musicam, quin & ipsa in deterius mutata, ipsique mutantium mores in pejora delapsi sint. Ideò quotquot scripserunt de musica semper recentiori rejecta, antiquam commendârunt. Plutarchus libro de musica; At enim, ait, apud antiquiores Græcos ne notam quidem dicunt musicam, quæ theatris inserviret: totam scientiam illam Deorum venerationi, & adolescentum institutioni impensam fuisse. Omnis tunc musica in templis versabatur. Cæterùm nostris temporibus ejus musicæ, quæ ad disciplinam puerorum facit, nulla memoria, nulla cura: omnes theatris inservientem amplectuntur. Qui ergò vult musicâ rectè & cum judicio uti, is veterem modum æmuletur. Basilius Magnus *g*. Tanta melodiæ rectæ differentia à turpi atque obscœna est, ut eam, quæ nunc in usu est, non minus fugere debeatis, quam rem aliquam turpissimam. Athenæus *h* in cœnis sapientum Musicam sanè veteres optimè noverunt, ejusque leges non sunt prætergressi: nunc autem senio jam cunctis labescentibus, depravati sunt musices numeri, & pro benignitate mollities, pro temperantia insolens audacia, ignavusque animi languor irrepsit: quæ mala magis post hac vigebunt, nisi quispiam patriam musicam in pristinum splendorem asserat. Sextus Empyricus *i*: Musica vetus virilis erat, recens effracta & effœminata. Severinus Boëthius *k*: Amisit musica gravitatis & virtutis modum, ac penè in turpitudinem prolapsa minimum antiquam speciem servat. Iterum Athenæus *l*. Modus Ionicus minimè floridus & lætus est, sed austerus, & durus; in quo tamen deprehendas elatum quidpiam generositatis non expers, quamobrem amat concentum illum Tragœdia: nostrâ verò ætate Ionum mores delitiis sunt perditissimi, eorumque itidem cantus ab illo vetusto multum diversus. Maximus Tyrius *m*: Musica ut nunc est extenuato corpore incidens, pulchritudinem, & suavitatem illam veterem abjecit. Quapropter à lege propria deflectens calamitosa nobiscu efficitur, animumque tum publicè tùm privatim in perniciem trahit: relictâ autem priori simplicitate, in levitatem fatuam abiit, & ut verissimè dicamus, evasit in flagitium; nam in theatris ac scenis corrumpendæ Reipublicæ initium fecit. Cicero secundo de legibus: Assentio Platoni nihil tam facile in animos teneros, atque molles influere, quam varios canendi sonos, quorum dici vix potest, quanta sit vis in utramque partem. Civitatum hoc multarum in Græcia interfuit antiquum vocum servare modum, quarum mores lapsi ad mollitiem pariter sunt immutati cum cantibus: aut hâc dulcedine corruptelâque depravati, ut quidam putant: aut quod cùm severitas eorum ob alia venialia cecidisset, tum fuit in auribus, animisque mutatis etiam huic mutationi locus. Quamobrem ille quidem sapientissimus Græciæ vir, longeque doctissimus valdè hanc labem veretur, negat enim mutari posse musicas leges sine mutatione legum publicarum. Rursum Plutarchus in Laconicis Terpandrum, Timotheum, ac Phrynidem mulctatos ab Ephoris enarrat, quod vel unam citharæ chordam addidissent, quam & incidi jusserunt: adeò non permittebant de veteri musica aliquid immutari. Has veterum sententias eò libentius transcripsi, quo magis hodiernæ musicæ deplorabilis status innotescat. Fastidit ætas nostra concentum gravem, & stabilem, amatque modulos quosdam, quibus in frustra concisus cantus dissiliat, & enervetur. Ipse cantus Ecclesiasticus quam à vero Gregoriano dissimilis est! Adeò verum est quod scribit Xenephon *n*, ea quæ nova sunt, & ipso quasi in flore vehementer in musicis celebrari.

4. Sed revertor ad tonos, quos à Gentibus denominatos dixi, & cum earum moribus immutatos. Sunt autem, quod attinet ad Ecclesiasticum cantum, octo. Primus, tertius, quintus, & septimus dicuntur principales, & authenti: Secundus, quartus, sextus, & octavus inferiores & plagales nuncupantur. Authenti supra finalem ascendunt usque ad diapason, & una tantum voce descendunt: Plagales ascendunt

g *Basil. hom. de legendis Gentil. libris.* h *Athenæus l.* 14. i *Sext. Empyr. l.* 6. *adv. Mathemat. c.* 22. k *Boeth. l.* 1. *c.* 1. l *Athen. lib.* 14.

m *Max. Tyrius ser.* 21. n *Xenoph. lib.* 1. *Cyripæd.*

dunt supra finalem usque ad diapenten, sive quintam; infra verò descendunt usque ad diatessaron, sive quartam. Quatuor sunt chordæ finales tonorum, nam primus, & secundus desinunt in lychano hypaton: tertius, & quartus in hypate meson: quintus, & sextus in parhypatemeson: septimus, & octavus in lychano meson. Cum autem omnis tonus plenam diapason contineat, atque ea ex diapente, & diatessaron componatur: hoc discrimen est inter duos tonos in eadem chorda desinentes, quod is qui authentus est, plenum diapason habet supra finalem: plagalis verò habet quidem diapentem supra finalem, sed diatessaron quæ diapason complet sub finali collocatur. Legendi hac de re practici recentiores, atque inter cæteros doctissimus Glareanus, qui de modis musicis eruditè disseruit in suo Dodecachordo: Itemque Franchinus Gafforius libro quarto musicæ instrumentalis, & in descriptione musicæ actionis: Petrus Pontius in dialogo de musica: Joseph Zerlinus, & Petrus Aron in harmonicis institutionibus: iterum Zerlinus lib. 6. supplementi musicalis, & in defensione quintidemonstrationum harmonicarum: Frater Angelus Minorita lib. 1. Floris Angelici: & Marchettus Patavinus in tractatu de cantu plano. Is autem tonus, quem nos primum dicimus, Dorius est antiquorum, ut musici communiter existimant, quod tamen non caret difficultate, quam tangit, sed meo judicio non dissolvit præcitatus Glareanus lib. 2. cap. 9. secundus Hypodorius, tertius Phrygius, quartus Hypophrygius, quintus Lydius, sextus Hypolydius, septimus Mixolydius sive lydius mixtus. Octavo carebant antiqui, nam revera Mixolydius plagalem, seu collateralem non sustinet modum: gravius enim tetrachordum illius cum gravissimo Dorii conjunctum est. Verum de singulis tonis, eorumque constitutione, & proprietatibus uberius infra differemus, si prius dubitatio quædam soluta fuerit, quæ non indigna videtur solerti discussione.

5. Nam si primus noster modus Dorius est antiquorum, si Phrygius idem ac tertius, & sic de cæteris: cur non eosdem pariunt effectus? Cur non iisdem sonantibus modis & tranquillari animum, & commoveri sentimus? Possem equidem respondere non omnes antiquos musicos & cantores hos admirabiles effectus edidisse; sed eos tantùm, qui in hac disciplina peritissimi fuissent, qui cum rari semper fuerint, ita non desunt etiam hac tempestate, qui cum veteribus comparari possint. Satius est tamen fateri id quod verissimum est, priscos illos modos nos nescire, illudque in primis, in quo maximè excelluerunt. Errant itaque toto cælo, qui generum illorum differentias ignorantes acumen tantum, & gravitatem sonorum considerant. Non enim, ut hoc utar exemplo, Doricæ harmoniæ præstabit effectus omnis cantus à lychano meson usque ad Paraneten protensus, nisi etiam præter suæ octavæ compositionem alia quædam habeat ad excitandos affectus requisita. Sunt autem quatuor, ni fallor, hæ conditiones, quibus positis musica procul dubiò inducet hominem in varios affectus, & commotiones. Prima conditio est, ut harmonia ex vocibus, & sonitu proveniens juxta toni exigentiam rectè ordinetur. Secunda ut numerus musicus, quo modulationis totius series à gravi in acutum, & ab acuto in grave procedit qualitati verborum, & toni accommodetur. Hic est numerus, quem vulgus vocat aërem cantionis, de quo Poëta. *Numeros memini, si verba tenerem.* Tertia ut ipsa verba talia sint, quæ mentem percellere, & commovere possint. His adjungebant antiqui totius corporis motus, ac gestus patheticos ad excitandos affectus aptissimos. Quarta tandem, ut, qui musicos concentus audit, non tam aurem quam rationem adhibeat, uti docet Boetius [o], sitque aptus & dispositus ad musicæ effectus recipiendos. Fit enim quandoque, teste Divo Bonaventura [p], ut propter pravam audientis dispositionem, quem musica invenit tristem, reddat tristiorem; & quem lætum, lætiorem. Istæ conditiones si ad toni systema adjiciantur, efficient, ut puto, musicam nostram veteri non inferiorem: alioquin omnes affectus in omnibus tonis confusi, singulisque permixti sunt pro varietate modi procedendi, ut Keplerus [q] observat. Non possum hoc loco quorundam errorem dissimulare, qui suæ insciliæ frivolam prætendentes excusationem, ajunt musicam nostram insignes illos effectus, quos in veteri admiramur, operari non posse, quia omnis musica nostra in genere Diatonico est; antiqui autem Enharmonico, & Chromatico utebantur; quæ cantus genera jam pridem antiquata ad mentes hominum subitò commovendas aptiora



o *Boet. lib. 1. c. 9.* p *Bonav. prolog. in Thren.*
q *Kepler. tract. 3. harmon. c. 15.*

erant. De triplici hoc genere differunt antiqui Musici Aristoxenus, & Nicomachus Gerasenus in suis Harmonicis institutionibus, Euclides item, & Theo Smyrnæus [r], & ex ipsis alii recentiores. Porrò genus Enharmonicum illud dicitur, quod pluribus spatiis, & angustioribus separatur: cantatur autem per diesim, & diesim, & ditonum. Chromaticum autem per duo inæqualia semitonia, & trihemitonium constans ex tono, & semitonio minori conscendit. Diatonicum verò per duos tonos, & semitonium naturaliter procedit. Hoc postremum aliis generibus dignitate, & efficacia præeminet; & sine ejus mixtura reliqua duo subsistere nequeunt; atque ideò supradictam opinionem mirabiliores musicæ effectus Chromatico, & Enharmonico generi tribuentium damnat, ac pluribus confutat Joseph Zerlinus [s] excellentissimus musicorum. Accedit ad rationem experientia: nam Enharmonicum ob nimiam difficultatem, Chromaticum ob nimiam mollitiem jam pridem ab usu recessit, ut docet Macrobius [t]. Plato quoque antiquissimus Philosophorum solo Diatonico utebatur, quod & mundanæ musicæ adscripsit. Plutarchus [u] repudiatum asserit Enharmonicum genus, quod sensui ingratum foret. Aristoxenus initio libri primi veteres solo genere Enharmonico usos esse perperam asserit, cætera neglexisse, vel ignorasse, de quo acriter reprehenditur à Proclo lib. 3. in Timæum Platonis. Damascius in vita Isidori Philosophi apud Photium [x], Natus, inquit, ad musicam Asclepiodorus, deperditum tamen Enharmonicum genus non potuit revocare, quamquam alia duo cantus genera rescinderet, & reprimeret, alterum Chromaticum appellatum, alterum diatonicum: harmoniam tamen non invenit, quamvis magades mutarit, & transposuerit non minus quàm viginti duas: Sunt autem magades instrumenta musica tabula quadrata repanda, quæ in se recipit chordas, & efficit sonum. Dicitur etiam magadium ea pars lyræ, in qua plectrum illiditur, ubi scilicet percussio chordarum fit manu dextera, ut Budæus notavit. Vide Suidam verbo μάγας. Aristoteles item solum genus diatonicum commendat: & tamen musicam illorum temporum mirabilem fuisse exempla crebra testantur. Servanda igitur est cujusque modi proprietas: nam ut verbis utar Plutarchi, si musicæ peritiæ accedat facultas judicandi, his præditum constat perfectum musicum fore. Qui enim novit Doricum tonum, neque tamen judicare potest ubi is propriè, & convenienter usurpetur, non sciet quid faciendum sit, neque genium ejus servabit. Idem auctor eos redarguit, qui initio carminis hypodorium, in fine mixolydium, aut Dorium: hypophrygium & Phrygium in medio adhibent: quam culpam multi recentiores committunt omnium tonorum definentiam confundentes, solidam enervantes concinnitatem, ut auribus gratificentur. Sic fit, ut eorum musica talis sit, qualem Plato describit in Philebo, quæ videlicet obscuritatem multam habeat, soliditatem paucam. Sed jam tractatum ad singulos tonos conferamus.

r *Theo. lib. 2. Matth. cap. 9. & seqq.*
s *Zerlin. par. 2. cap. 9.* t *Macrob. in Somn. Scip. li. 2. cap. 4.* u *Plutarch. li. de musica.* x *Photius Cod. 242.*

## §. IV.

### *De singulis tonis, eorumque proprietatibus, & effectibus. Quædam de cantu Gregoriano.*

1. PRimam sedem ordine, & dignitate tenet Dorius. Hic à Platone, & Aristotele cæteris omnibus præfertur. Hoc modulo psallebant antiqui prosodia multa, & pæana, erotica etiam, & quæ spondæa nominantur. Dux ad benè vivendum existimatur hic modus. Arcades, & Lacedæmones hoc impensius delectabantur, teste Polybio [y]. Virilem, ait Athenæus [z], præ se fert gravitatem, & magnificentiam, unde veteres eo utebantur ad efformandos adolescentum mores. A Cassiodoro [a] pudicitiæ largitor, & castitatis effector dicitur. Hoc Pythagorici summo manè ad intermissa studia se excitabant. A Ptolomæo [b], qui octo tonos sphæris cœlestibus convenire docet, luminoso soli comparatur, nam sicut Sol humida exsiccat, noctisque tenebras fugat; ita hic tonus, qui phlegmati dominatur, pigritiam, stuporem, somnum, mœstitiam, & confusionem ex motione phlegmatis provenientem statim expellit. Viris præclaris, magnoque ingenio præditis convenit. Modestus est, hilaris, curiosus, magnificus, sublimis, nihil solutum habens, nihil molle, & ad omnes affectus idoneus. Ali-

y *Polyb. lib. 4.* z *Athen. lib. 14.* a *Cassiod. lib. de mus. sica.* b *Ptolom. lib. 3. Harmonic. c. 11.*

Aliquando chorda ejus finalis in meſe conſtituitur, & tunc idem eſt, ac Hypermixolydius Ptolomæi, & à recentioribus practicis nonus tonus, ab aliis Æolius nuncupatur.

2. Secundo loco Hypodorius, ſive ſubdorius eſt contrario modo ſe habens, ſomnum enim lenem inducit, eoque Pythagorici veſpere utebantur ad mitigandas animi curas, & quietem conciliandam. Pigris, mœſtis, ac miſeris convenit, & ut docet Caſſiodorus, animi tempeſtates tranquillat, ſomnumque jam placatis attribuit. Ab Ariſtotele [c] magnificus, conſtans & gravis dicitur. Æolium à quibuſdam, ſed falſo, nuncupari docet Scaliger [d]. Lunæ comparatur, quæ infimum tenet locum inter Planetas, rebuſque humidis præeſt: ita hic tonus flebilis, & gravis, cæteriſque inferior eſt uſque ad poſtremam vocem Monochordis deſcendens. Verba quæ mœſtitiam inducunt, lacrymas movent, liberationem ab anguſtiis, calumniis, & ſervitute deprecantur, huic tonò attribuuntur. Si deſinat in meſe decimus, & Hypoælius vocatur. De hoc, & cæteris plagalibus hæc ſcribit Athenæus [e]. Sicut nos ſubalbum dicimus, quod albo ſimile eſt; ſubdulce, quod accedit ad dulce, quamvis non ſit hujuſmodi: ita & Hypodorium appellatum fuiſſe arbitror, quod Dorium valdè non ſit.

3. Tertius ſequitur, quem Phrygium dicunt. Mari attribuitur, nam furioſus eſt; & incitativus, iram provocat, pugnas excitat, & votum furoris inflammat. Vehementem, & acutum vocat Clemens Alexandrinus [f], & ipſa acuminis velocitate vehementius percellit animum. Huic modo carmen congruit anapeſtum. Fortes habet ſaltus in ſua progreſſione, convenitque ſuperbis, iracundis, crudelibus, cholericis, & furioſis. Verba requirit aſpera, deque præliis ſpiritualibus, vel temporalibus pertractantia, & quæ celerius debeant affectus concitare. Hunc autem ſimul cum Dorico Plato, & Ariſtoteles præ cæteris commendant: ejus tamen uſum adoleſcentibus interdixerunt, quod eorum affectus nimium circa decorum commoveat. Sarisberienſis [g] hunc modum vituperat tanquam incitantem ad laſciviam, cùm potius ad certamina provocet; ſed Marti amicam Venerem fabulantur Poëtæ. Entheus à Luciano nuncupatur. De Phrygia harmonia eruditè Læl. Biſciola Hor. ſubſ. tom. 1. lib. 15. cap. 18.

4. Quartus eſt Hypophrygius mollis, compunctivus, choleram mulcens, blandus, adulatorius, & attractivus. Mercurio aſſimilatur, cujus natura cum bonis bona, cum malis peſſima eſt: ſic adulatores, quibus hic tonus maximè congruit, bonis & malis, ſapientibus & inſipientibus æqualiter ſe accommodant. Illis item competit, qui faciles ſunt, teneri, ſtatimque ſedari, ac mitigari ſolent, & in omnem partem converti. Hoc Cretenſes, & Lacedæmones à pugna revocabantur. Verba quæ blanditias, admonitiones, deprecationes, deceptiones, & detractiones ſignificant, huic tono ſunt aſſignanda. Dicit Ariſtoteles quod Hypophrygius animos lymphatis ſimiles reddit, cogitque debacchari. Hæc proprietas quamvis Phrygio propriè conveniat, huic tamen deneganda non eſt ob affinitatem, quam habet cum ſuo authento, quem & aliquando imitatur.

5. Quintum occupat locum Lydius. Hic ſanguinis dominium obtinet, & Jovi comparatur, qui homines ſanguineos, benevolos, mites, & jucundos ſua influentia facit. Delectabilis eſt, choreis & ſaltationibus idoneus, & cum quadam voluptate reſiliens. Nimias curas, ait Caſſiodorus, animæque tædia remiſſione reparat, & oblectatione corroborat: anxios lætificat, revocat deſperatos. Verba lætitiam denotantia, & quæ victoriam, ac triumphum celebrent hujus toni propria ſunt. Quando deſinit in trite diezeugmenon undecimus tonus, ſive Jonicus, vel etiam Jaſtius à recentioribus; ejuſque plagis duodecimus, hypojonicus, vel hypojaſtius nuncupatur. Harmonias Lydias luctuoſas eſſe aſſerit Plato [h], ſed de hypolydiis, & mixolydiis intelligi debet: Lydia enim ſimplex, & principalis hilaris eſt, quare Propertius [i] in campis Eliſiis Lydia plectra reſonare commemorat.

6. Sextam tenet ſedem Hypolydius, qui pius, devotus, humanus, & lacrymabilis eſt. Veneri attribuitur, cujus influentia homines reddit ad pietatem, amorem, & planctum proclives. Differt ab Hypodorio, quia fletus ab illo cauſatus ab anguſtiis, & anxietatibus oritur: hic autem ex devotione, & lætitia, vel ex affectu commiſerationis erga proximum procedit. Verba igitur hos affectus inducentia, vel explicantia ei propriè competunt. In hujuſmodi com-

c *Ariſtot. ſec.* 19. *Problem.* d *Scalig. l.* 1. *Poëtic. c.* 19. e *Athen. l.* 14. f *Clem. Alex. li.* 6. *Strom.* g *Sarisb. lib.* 1. *Pocrat.*

h *Plato* 3. *de Rep.* i *Propert. lib.* 4 *eleg.* 7

compositione advertendum est, ut voces gradatim progrediantur, sintque inter se colligatæ, & coadunatæ.

7. Septimus Mixolydius est, qui suis modulis duplicem producit effectum, incitat enim ad gaudium, sed statim revocat ad mœstitiam. Dicitur Mixolydius, quia cum Lydio communionem habet. Eo in tragœdiis utebantur antiqui, nam & melancholiam movet, partem habet incitationis, ac jucunditatis. Quos Saturnus sua influentia tristes facit, hic tonus concinnitate sua ad quietem incitat, & adducit. Intellectum obtusis acuit, sanctique Spiritus dona designat. Altior est omnibus tonis, perque suaves, & jucundos saltus progreditur: tum terreno desiderio gravatis cœlestium appetentiam indulget. Ex his patet, quæ verba huic tono conveniant. A Julio Polluce Locrensis appellatur. Hos septem tonos dumtaxat agnoscebant Pythagorici, teste Jacobo Fabro [k], quod totius universi harmonia septenario numero secundùm ipsos comprehendatur.

8. Octavum tonum, quem Hypomixolydium & Hyperiastium vocant, adjecerunt septem præscriptis recentiores, ne Mixolydius suo plagali careret. Firmamento attribuitur varia stellarum figuratione distincto, nam & omni negotio convenit, & immunis est ab omnibus qualitatibus. Super omnes tonos insita quadam dulcedine, & venustate nitescit. Suavis, canorus, atque moratus dicitur, & soliditatem futuræ gloriæ repræsentat. Viris discretis convenit, & qui subtili ingenio profunda speculantur. Verba itaque de rebus altis, & cœlestibus pertractantia ad hunc tonum non incongruè pertinebunt. Dicitur quoque deprecativus esse, quo propterea utendum erit cùm aliquam felicitatem, & gloriam etiam cum lacrymis cupimus obtinere. Habet hic tonus hoc cum primo commune, quod omnia verba, quæ commodè nequeunt reliquis applicari, ad hunc poterunt reduci; est enim aptus ad omnes affectus, & omnium capax.

9. Cæterùm S. Gregorius Magnus cantum planum instituit, qui de plano procedens singulas notas brevis temporis æquali mensura dimetitur. Non enim variarum vocum concordem discordiam, & concinnam per intervallorum distantiam melodiam observavit; sed certos tantùm limites, & terminos cujusque toni constituit, certosque vocum transitus, & progressiones secundùm naturalem diatonici generis dispositionem. Observat autem Franchinus [l] Sanctum Gregorium in nocturnis Responsoriis vehementer, & dissolutè somnolentos ad vigilandum hortari: in Antiphonis planè, atque suaviter sonare: in introitibus quasi voce præconis ad divinum officium evocare: in Alleluja & versibus divino jubilo dulciter gaudere: in tractibus & gradualibus protensè, atque humiliter procedere: in offertoriis, & communionibus quamdam servare mediocritatem. Ut ipse verò cantus supernæ Patriæ lætitiam indicet, aliquando sine voce longum edit sonum jubilationis pluribus notis sub una syllaba descriptis, quod maximè fit hac voce *Alleluja*. Illi enim qui cantant, ait Augustinus [m], cùm cœperint in verbis Canticorum exultare lætitia, veluti impleti tanta lætitia, ut eam verbis explicare non possint, avertunt se à syllabis verborum, & eunt in sonum jubilationis. Jubilus sonus quidam est significans cor parturire quod dicere non potest. Et quem decet ista jubilatio, nisi ineffabilem Deum? Ineffabilis enim, quem fari non potes; & si eum fari non potes, & tacere non debes, quid restat nisi ut jubiles? Ut gaudeat cor sine verbis, & immensa latitudo gaudiorum metas non habeat syllabarum. Narrat Joannes Diaconus [n] in vita Magni Gregorii, qualiter Beatissimus Pontifex Cantorum scholam instituerit, & cantum Ecclesiasticum reformarit. Queritur autem Gallos, & Germanos, Gregorianis cantibus quædam propria miscuisse: cujus rei hanc reddit rationem. Alpina siquidem corpora vocum suarum tonitruis altisone perstrepentia susceptæ modulationis dulcedinem propriè non resultant: quia bibuli gutturis barbara feritas dum inflexionibus, & repercussionibus mitem nititur edere cantilenam, naturali quodam fragore quasi plaustra per gradus confusè sonantia rigidas voces jactat, sicque audientium animos, quos mulcere debuerat, exasperando magis ac obstrependo conturbat. Refert deinde, qualiter Carolus Magnus cantum Ecclesiarum Galliæ ad Romanæ dulcedinis præscriptum revocarit, directis in Gallias ea de causa duobus cantoribus à Sanctissimo Papa Adriano. Scribit Henricus de Knyghton Canonicus Leycestren. libro 2. de eventibus Angliæ circa annum 1072. fuisse quemdam igno-

k *Faber in fine l. 4. element. musicalium.*

l *Franchin. l. 3. c. 8.* m *Aug. in Psal. 32. Conc. 1.*

n *Jo. Diacon. l. 2. cap. 6. & seqq.*

ignominiosum Abbatem nomine Thuristinum, qui inter cæteras stultitiæ suæ ineptias Gregorianum cantum in officio aspernatus, Monachos cœpit compellere, ut Wilielmi cujusdam Fiscanensis Monachi cantum excercerent. Hujus ineptiam in fine præcedentis sæculi quidam imitati cantum quemdam ridiculum explosо Gregoriano introduxerant, non sine maximo Ecclesiasticæ gravitatis detrimento. Sed hæc de cantu dicta sunt satis, jam rectè canendi disciplinam breviter explicare ex sanctis Patribus aggredior.

## §. V.

*Qualis esse debeat Ecclesiasticus cantus. Quæ vitia à Cantoribus evitanda. Quinam censeantur bene cantare. Quæ vera musica, quis verus animæ concentus sit.*

1. VNde autem mihi potius exordium, quàm à sanctissimo Patre Bernardo [o] in re præsertim ascetica, & religiosa? is igitur Epistola ad Abbatem Arremarensem qualis debeat esse cantus sic describit. Cantus plenus sit gravitate, nec lasciviam resonet, nec rusticitatem. Sic suavis, ut non sit levis: sic mulceat aures, ut moveat corda. Tristitiam levet, iram mitiget, sensum literæ non evacuet, sed fœcundet. Non est levis jactura gratiæ spiritualis levitate cantus abduci à sensuum utilitate, & plus sinuandis intendere vocibus, quàm rebus insinuandis. Item [p] alibi cantantium vitia sic redarguit. Sunt quidam voce dissoluti, qui vocis suæ modulatione gloriantur, nec tantum gaudent de dono gratiæ, sed etiam alios spernunt. Tumentes elatione aliud cantant, quàm libri habeant, tanta est levitas vocis, forsitan & mentis. Cantant, ut placeant populo, magis quàm Deo. Si sic cantas, ut ab aliis laudem quæras, vocem tuam vendis, & facis eam non tuam, sed suam. Habes in potestate vocem tuam, habeto & animum. Frangis vocem, frange & voluntatem. Servas consonantias vocum, serva & concordiam morum. Cave ne sicut delectaris altitudine vocis, delecteris elatione mentis. Ingenium musicum à proportione in voce reducendum esse ad proportionem in mente ostendit Plotinus [q]. Nimis enim indignum videtur, & nimis flendum, ut ait Augustinus [r], per suam scientiam versum bene currere, citharamque concinnere, & suam vitam, seque ipsam quæ anima est devium iter sequi, & dominante sibi libidine cum turpissimo se vitiorum strepitu dissonare. Extat etiam in antiquissimo nostri Ordinis statuto optima canendi institutio, quam idem sanctissimus Pater Bernardus suis discipulis reliquit. Psalmodiam, inquit, non nimium protrahamus, sed rotundè & viva voce cantemus. Metrum & finem versus simul intonemus, & simul dimittamus. Punctum nullus teneat, sed statim dimittat. Post metrum bonam pausam faciamus. Nullus ante alios incipere, & nimis currere præsumat, aut post alios pneuma trahere, vel punctum tenere. Simul cantemus, simul pausemus semper auscultando. Quicunque incipit Antiphonam, aut Psalmum, Hymnum, Responsorium, Alleluja, unam aut duas partes solus dicat aliis tacentibus: & ab eo loco, quo ille dimittit, alii incipiant non repetentes, quod ille jam dixit. Monemus vos dilectissimi, ut, sicut reverenter, ita & alacriter Domino assistatis non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis, & remissis vocibus muliebre quiddam de nare sonantes, sed virili sonitu & affectu voces sancti Spiritus depromentes. Viros enim decet virili voce cantare, & non more fœmineo tinnulis vel falsis vocibus veluti histrionicam imitari lasciviam; & ideò constituimus mediocritatem in cantu servari, ut gravitatem redoleat, & devotio conservetur. Hæc statutum Cisterciense. Liquet autem ex dictis, quænam debeant vitia Ecclesiastici cantores evitare.

2. Et primò quidem receptum à majoribus cantum integrum oportet, & illibatum custodire, ne si semel aberrare cœperimus à semitis antiquis, quas posuerunt Patres nostri, paulatim inconsultis mutationibus religionis integritas destruatur. Mutant mores qui mutant cantum, ut supra ex Platone monstratum est. Deinde in ipso cantu auream decet servari mediocritatem, ut, qui beneficii fructus, corporisque alimenta integra percipere volunt, integrum etiam persolvant officium, non tumultuaria quadam præcipitatione



o *Bern. Ep.* 312. & *sup. Cantic. serm.* 47. p *Idem, sit tamen ipse est, de inter. domo. cap.* 51.

q *Plotin. Enn.* 1, *lib.* 3. *cap.* 1. r *Aug. lib.* 2. *de ordine cap.* 2.

longiores notularum decursus transilientes, sed moderata æqualitate omnes notas ita proferentes, ut nimia acceleritate, ac morosa protractione sublata ex dulci vocum concordia omnes fideles ædificentur. Alioquin extra legem canenti dicet Deus *f*, *Auser à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam.* Nec ad solam cantus suavitatem intendere oportet, ut monet Dorotheus *t*, sed mens etiam, ut par est, incalescat in virtute sermonum. Apud Xenophontem *u* Rex Cyrus quosdam convivas sic reprehendit: Omnes enim clamabatis simul, & intelligebatis invicem nihil, canebatis magno cum ridiculo, & cum canentem minimè audiretis, jurabatis optimè eum canere. Hac redargutione quidam Ecclesiastici perstringi possent, qui modum in cantu non servantes inamœno quodam stridore ita prestrepunt, ut nec ipsi, nec alii ea quæ cantantur, intelligant. Gregorius Nazianzenus *x* senilem narransapologum, Cigni, inquit, Olim ad hirundines ajebant, si non multum, nec apud multos canimus, at illud certè in nobis pulcherrimum est, quod modum in canendo tenemus. Servanda quoque modestia in cantu est, quia, ut sanctus docet Ambrosius *y* in ipso canendi genere prima disciplina verecunda est, ut sensim quis aut psallere, aut canere incipiat, ut verecunda principia commendent processum. Nam quid in plano cantu stridulis, inamœnis, & superacutis vocibus obstrepere necesse est, cùm talis clamor immoderatus stomachum turbet, venas exhauriat, vires enervet, aures offendat, provocet risum, confusionem excitet, impediat devotionem? Non in clamosa voce, ait S. Benedictus *z*, sed in puritate cordis, & compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus. Altè cantat apud Deum humilitas, sicut dicit Scriptura *a*. *Oratio humiliantis se penetrat nubes.* Nec minoris culpæ reos illos existimo, qui præter religionis gravitatem vocem, ut ajunt, frangentes, dum dulcioribus modulis populo magis, quàm Deo placere desiderant, & vanitatis studio Deo displicent, & scandali occasione populum offendunt. Vanam istorum curiositatem Joannes XXII. Ecclesiæ Romanæ summus Antistes gravi animadversione condemnat in ea extravag. nti quæ incipit. *Docta sanctorum Patrum.* Divus etiam Hieronymus *b* eosdem redarguit dicens; Audiant hæc adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum: nec in tragœdorum modum guttur, & fauces dulci medicamine colliniendas, ut in Ecclesia theatrales modi audiantur, & Cantica; sed in timore, in opere, in scientia Scripturarum. Quamvis sit aliquis, ut illi solent appellare, μακάριος, si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor est. Hæc autem verba S. Doctoris citat & amplificat Agobardus Episcopus Lugdunensis libro de correctione Antiphonarii. Denique damnati sunt illi, qui parcentes vocibus suis rapinam faciunt in holocaustis, qui vitulos scilicet labiorum suorum Domino reddere negligentes vel dolorem capitis, vel stomachi debilitatem, vel exilitatem vocis prætendunt ad excusandas excusationes in peccatis: cùm revera totum in eis sibi vendicent mentis evagatio, distractio cordis, carnis inertia, & propriæ salutis incuria. Non enim considerant, quod qui à communi labore se subtrahunt, communi etiam retributione carebunt, & qui Ecclesiam servitute, proximum ædificatione, Angelos lætitia, sanctos gloria, Deum cultu defraudant; ipsi quoque Dei gratia, sanctorum suffragiis, Angelorum custodia, proximi adjutorio, Ecclesiæ beneficiis se reddunt indignos. *Qui reminiscemini Domini*: ait Propheta *c*, *ne taceatis, neque detis silentium ei.* Psalmographus etiam dicit *d*, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*; & *e in te cantatio mea semper*: & *f Confitemini illi in voce labiorum vestrorum*: & *g Benè psallite illi in vociferatione.* Eis enim qui legitimè canunt, & sapienter psallunt, inquit Rupertus Abbas *h*, remuneratio vel præmium erit carmen æternum. Ergò, ut præcipit S. Benedictus *i*, sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ.

3. Hæc optima symphonia est, quæ non in vocibus tantùm, sed & moribus resonat, & in recto virtutum temperamento. Musica, ait Cassiodorus *k*, est scientia benè modulandi, quod si nos bona conversatione tractemus, tali disciplinæ probamur semper esse sociati: quando verò iniquitates gerimus, musicam non

*f* *Amos* 5. 23. *t* *Doroth. initio doctr.* 22. *u* *Xenoph.* 1. *Cyripæd.* *x* *Greg. Naz. Ep.* 1. *y* *Ambros. l.* 1. *de offic. cap.* 18. *z* *Bened. in Regula cap.* 20. & 25. *a* *Eccl.* 35. 21.

*b* *Hieron in cap.* 5. *ad Ephes.* *c* *Isai.* 62. 6. *d* *Ps.* 33. *e* *Psalm.* 70. *f* *Eccli.* 39. 20. *g* *Psalm.* 32. *h* *Rupert. lib.* 10. *in Apoc.* *i* *Bened. reg. cap.* 19. *k* *Cassiod. lib. de musica.*

non habemus. Rectè Augustinus *l*. Vis rectè psallere? Non solum vox tua sonet laudes Dei, sed opera tua concordent cum voce tua. Cùm ergò voce cantaveritis: silebis aliquando? vita sic canta, ut nunquam sileas. Vis ut Deo tua jucunda sit laus? Noli bonæ cantilenæ tuæ obstrepere moribus malis. Plus ille attendit quid vivas, quàm quid sones. Quam multi sonant voce, & corde muti sunt! Et quam multi tacent labiis, & clamant affectu! quia ad cor hominis aures Dei. Sicut aures corporales ad os hominis, sic cor hominis ad aures Dei. Multi clauso ore exaudiuntur, & multi in magnis clamoribus non exaudiuntur. Denique cantat Deo qui vivit Deo, psallit nomini ejus, qui operatur in gloriam ejus. Hæc Augustinus, cui adstipulatur Origenes *m* his verbis; Quis putas ita canoræ vocis est, & ita spiritus puræ mentis, qui sincerè canat, ut cantilena ejus divinum delectare possit auditum? Ille profectò est, qui nullum raucum habet in se peccati sonum, qui nihil offensionis in lingua, nihil crassitudinis in spiritu gerit. Quid prodest sonoris vocibus personare, si vita dissona sit? Doces me, inquit Seneca *n*, quomodo inter se acutæ ac graves voces consonent, quomodo nervorum disparem reddentium sonum fiat concordia; fac potius quomodo animus secum meus consonet, nec consilia mea discrepent. Monstras mihi qui sint modi flebiles, monstra potius quomodo inter adversa non emittam flebilem vocem. Sic & Diogenes Cynicus *o* musicos in jus vocabat, quod cum lyræ chordas congruè aptarent, animi mores inconcinnos haberent. At quorum vita cum cantu, opera cum voce concordant, horum suavissima est harmonia, gratissimus Deo concentus. *Sonet*, ait ille ad talem animam, *sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora: amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* O amoris ordinatissimas vices, ô animæ amantis consonantissimam melodiam! Ergone credibile est sic Deum humanis cantibus delectari, ut animam sibi dilectam ultrò provocet ad cantandum? O cœlestem virtutum musicam, quæ exuperat omnem sensum, quæ resonat in anima justi; sed ab his qui foris sunt, qui non sunt amici, comprehendi non potest. Facit Deus concentum istum cum sanctis suis, & unusquisque pro varietate donorum sonum reddit vel gravem humilitatis, vel acutum vivæ fidei, vel superacutum charitatis. Harmonia devoti cordis concentum cœli dormire facit in modulis suis, si Deo & sibi ipsi concordat: & si cordis affectio cantat, Deus psallit, & exultat.

4. At ego Domine quali harmonia ad aures tuas personabo, qui totus dissonus per vitiorum cacophoniam esse reperior? A planta pedis usque ad verticem non est sanitas in me, & quomodo audebo tot cicatricibus deformis in conspectu tuo apparere? Numquid igitur à facie tua abscondar cum impio fratricida vagus, & profugus in terra: aut cum primis parentibus nuditatem meam inter folia, & virgulta cæ labo? Sed quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam, cùm scriptum sit, quia omnes qui elongant se à te peribunt? Ubi fugiam nisi ad te Deus meus? Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Ne avertas faciem tuam à me, qui eam non avertisti ab increpantibus & conspuentibus in te. Audi vocem meam secundùm misericordiam tuam, & da sermonem rectum, & benè sonantem in os meum, ut placeant verba mea in conspectu tuo. Ecce tu summe concentor dabis voci meæ vocem virtutis, vocem dulcedinis & suavitatis, vocem bonorum operum invicem consonantium in organo charitatis. Sic erit beneplacita tibi musica mea, & labiis exultationis laudabit os meum. Sic te largiente replebitur os meum laude tua, & cantabo tota die magnitudinem tuam. Sic per concordes virtutum numeros ad antiquam baptismalis innocentiæ musicam revocabitur anima mea, donec cum Angelis, & Beatis felix diapason consummetur.

## METRUM XLIV.

*NAm me quis melior recreet sonus,*
*Quam moribus vox consonans?*
*Mystica transcendunt modulamina*
*Quoscunque vocales tonos.*
*Vera etenim menti, non sensibus*
*Solet placere musica.*
*O si perpetuum aures intimas*
*Permulceat mundi melos!*
*O si dulcisonos pangat modos*
*Latè patens vox ætheris!*
*Quam subitò citharas, atque organa,*
*Chorique voces, & tropos*
*Sperneret indocilis mortalitas*

*Assueta*

*l Aug. in Ps.* 146. *Et in Ps.* 129. *&* 107. *m Origen. hom.* 6. *in Judic. n Senec. Ep.* 88. *o Laërtius lib.* 6.

*Assueta cœli cantibus!*
*Harmonicis dissultant motibus:*
*Lætisque subsiliunt choris*
*Astra polo lucentia, dum vago*
*Cœlum rotatur ambitu.*
*Sic elementa animum dulcedine*
*Auresque complent cantibus,*
*Cum modulis resonant gravioribus,*
*Tonosque acutos temperant.*
*Æthereæ sic terra consonat*
*Canore miro musica.*
*Respondetque recursio siderum*
*Mundi sonoris motibus.*
*Omnis ab harmonico systemate*
*Et terra pendet, & polus.*
*Vt nullus sit dissona litibus*
*Natura musicæ studet.*
*Nempè toni consistunt mysticis*
*Quæcunque Phœbus aspicit.*
*Complexuque suo omnia colligat*
*Dulcis modorum suavitas.*
*Nil concinna tamen concordia,*
*Vocisque nil prodest melos:*
*Dissona si morum sit musica,*
*Deique jussis discrepet.*
*Sese igitur veris concentibus,*
*Suosque mores imbuat*
*Psallere qui dignas laudes cupit,*
*Numenque cantu flectere.*
*Despicit orantum modulos Deus*
*Cum moribus vox dissonat.*

5. Joannes Gerson triplici tractatu de Canticis; itemque duodecim tractatibus super *Magnificat* totius musicæ praxim moraliter, & anagogicè explicat diffusissimè, quem studiosus lector, non sine magno animæ profectu percurret. Quid autem, & quotuplex sit musica morum, & virtutum, sine qua dissonat coram Deo musica vocum, & instrumentorum vir præclarissimus Absalon Abbas [p] his verbis exequitur. Planè musica ista vocalis ad laudem Dei satis congrua est, sed est alia quàm docet supernus ille musicus, & illa nostræ saluti magis est necessaria. Sed quæ est illa musica, quam docet Deus? Ipsa profectò triplici specie subdistinguitur, alia est enim animalis, alia spiritualis, alia cœlestis. Animalis est musica, quando sensus exteriores nihil superfluum appetunt, & à ductu rationis nequaquam discordant, ut visus non aspiciat vana, non auris audiat detractiones, vel judicium sanguinis, non odoratus quærat suavia, non gustus superflua, non manus extendatur ad illi cita. Istæ sunt quinque vocales animalis musicæ facientes harmoniam, quæ dicitur diapente: constituitur enim de quinque corporis sensibus ordinatè constitutis. Spiritualis musica consistit in profectu virtutum, in gaudio spirituali, & morum suavitate, in timore Dei & amore fraternitatis, per quam harmonia efficitur, quæ diatessaron est appellata. Quatuor ergò virtutes principales illam efficiunt, ut sit in omnibus benè agentibus fortitudo ad auxilium, justitia ad directionem, temperantia ad solatium, prudentia ad consilium. Cœlestis verò musica consistit in contemplatione Dei, in adeptione æternitatis, in mentis jucunditate, & immortalitate corporis: & facit hæc musica harmoniam, quæ dicitur diapason, siquidem octo beatitudines eam efficiunt. Hactenus ille. Hæc est musica, inquit Chrysostomus [q], quæ Deum & Angelos lætificat, hæc totum in cœlo spectaculum excitat, hæc dæmonum furorem compescit, & affectionum impetum demulcet. Nam dum charitas citharam pulsat, omnes affectiones silent, omnia quieta, omnia tranquilla sunt. Nos autem generibus musicæ jugiter exerceamur, in concordia vocum & morum laudes divinas in hoc exilio decantantes, donec mereamur divinæ musicæ consortes fieri, & ad consummatissimos cum sanctis Angelis Hymnos elevari.

p *Absal. Abb. ser. 1. de Annunciat.*

q *Chrys. hom. 40. in Act. Apostol.*

## CAPUT XVIII.

### De variis ritibus, quibus utitur Ecclesia Catholica in recitandis divinis Officiis.

#### §. I.

*Orthodoxam Ecclesiam varietatibus exornari. Varias Ecclesiarum consuetudines unitati fidei non obesse.*

ECCLESIAM Christi sponsam varietatibus circum amictam Regius Psaltes [r] eo Psalmo describit, quo verbum bonum eructans ejusdem cecinit Epithalamium. Eamdem horti

r *Psalm 44.*

horti nomine censeri, quem discolor florum diversitas ornet, Sponsus in Canticis asseverat dum ait *s*: *Hortus conclusus es, soror mea Sponsa, hortus conclusus.* Nil aptius ad decus Sponsæ, quam pretiosum indumentum multiformi gemmarum, colorumque nitore distinctum. Nil ad honestam recreationem magis idoneum, quàm amœnissimus horti recessus omnium florum venustate resplendens. Sponsa igitur cùm sit Ecclesia, decet eam variis gemmis, & monilibus ornatam, variaque suppellectile divitem esse. Hortus voluptatis cùm sit, eam debent omnium generum flores in varias areolas dimensi exornare. Quid autem vestes, quid flores multicolores sunt, nisi varietas sacrorum rituum, quibus Ecclesiastici viri Deo laudes persolvunt? Alias enim consuetudines Eccles. Romana, alias habet Mediolanensis: aliis ceremoniis utuntur Monachi, aliis Clerici, suntque diversæ diversarum Eccles. in recitandis officiis institutiones. Unam quidem Ecclesiam universalem, & orthodoxam confitemur; aut unius corporis plura membra diversa obire munia in unum finem tendentia quis nescit? aut quis adeò stupidæ mentis est, quem non rerum diversitas oblectet? Accedit ad delectationem omne ferens punctum utilitas. Nam ut gentium ac nationum mores diversi sunt, ita ad actus religionis, cultumque divinum diversis utuntur institutis, quæ salva Christianæ fidei integritate vix possent ab eis vel omitti, vel auferri. Quocirca optimum est, ait S. Isidorus *t*, ut gravis prudensque Christianus eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam fortè devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra mores bonos habetur, indifferenter sequendum, & propter eorum inter quos vivitur societatem servandum est, ne per diversitatem observationum schismata generentur. Varias illæsa fide Ecclesiarum consuetudines esse docet Ratramnus Monachus Corbeiensis l. 4. contra Græcorum opposita doctè & luculenter. Laurentius à Willavincentio Xeresanus l. 4. de ratione studii Theologici cap. 4. Neminem, inquit, offendere debet, quod in diversis Ecclesiis diversæ ceremoniæ in usu habentur. Etenim maxima in hoc genere semper fuit Ecclesiarum libertas ex libertate illa spirituali profluens, quam Christus dilectæ Sponsæ Ecclesiæ sua morte vindicavit. Præterea non conveniunt quævis quibusvis locis: quippè alia in populosa civitate, alia in angusto oppidulo aut obscuro vico fieri & possunt & debent. Ad hæc quædam alicubi retinentur, quia videlicet nullum ibi vitium accessit: alibi verò eædem propter obortum vitium sunt abolitæ. Novas insuper introduci postulat subinde ipsa temporis ratio. Denique nullæ unquam ab hominibus eum ad finem sunt conditæ, ut perpetuæ & immutabiles maneant.

2. Extant in sacris canonibus *u* multæ de hac re sanctorum Patrum auctoritates. In iis rebus, inquit canon ex verbis D. Augustini, de quibus nihil certi statuit Divina Scriptura, mos populi Dei, & instituta majorum pro lege tenenda sunt: & sicut prævaricatores divinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt. Item; Catholica Ecclesia per orbem terrarum diffusa tribus modis probatur existere: quicquid enim in ea tenetur, aut auctoritas est Scripturarum, aut traditio universalis, aut certè propria & particularis institutio. Et infrà *x*, ex Epistola Leonis Noni: Scit S. Romana Ecclesia, quod nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco & tempore consuetudines. Nicolaus quoque Primus Epistola secunda ad Photium sic scribit. De consuetudinibus, quas nobis opponere visi estis scribentes per diversas Ecclesias diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsistat auctoritas, pro qua obviare debeamus, nihil judicamus, vel eis resistimus. Item Gregorius Magnus ad Augustinum Anglorum Episcopum: Novit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam: sed mihi placet, ut sive in Romana, sive in Gallicana, sive in qualibet Ecclesia aliquid inveniſti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, solicitè eligas, & in Anglorum Ecclesiam, quæ adhuc in fide nova est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere poteris, infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca amanda sunt. Narrat Augustinus *z* sibi dubitanti de his multimodis Ecclesiarum observationibus dixisse Ambrosium, Ad quam fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Fulbertus *a* Carnotensis eleganter de hac re ad Finardum scribens disserit. Novit, & verè novit serenitatis vestræ prudentia, quod in Ecclesiasticis officiis plura sunt, in quibus orientales Ecclesiæ & nostræ communi obser-



*s* *Cantic.* 4. 12. *t* *Isid. de Eccl. offic. l.* 1. *c.* 43.

*u* *Dist.* 11. *c.* 7. & 8. *x* *Dist.* 12. *c.* 3. *y* *Dist.* 12. *c.* 10. *z* *Aug. Ep.* 118. *ad Januarium.* *a* *Fulbert. ep.* 2.

vatione sibi respondent: sunt vero alia in quibus alias ab aliis cultu dispari, & varia observatione audivimus dissonare. Nec tamen nos offendit observantiæ diversitas, ubi fidei non scinditur unitas. Porrò in multis Græcia ab Hispania, ab illis Romana, & Gallicana discrepat Ecclesia. Sed neque in hoc scandalizamur, si audimus diversam observationem, sed non diversam fidem in Christi semper Ecclesiis extitisse. Stat enim Regina Ecclesia à dextris Regis sui in vestitu deaurato circumdata varietate. Hæc Fulbertus. Legendus de hac re vir doctissimus Joseph Vicecomes toto libro secundo de antiquis ritibus Missæ. Olim consueverant omnes Ecclesiæ suæ Metropolitanæ institutionem in divinis officiis observare, de qua re habemus decreta Conciliorum Toletani [b], & Bracchar. Sed ut solent humanæ res multis erroribus obnoxiæ depravari plerumque, & in deterius labi; tanta paulatim licentia irrepserat, ut singuli Episcopi inscio Romano Pontifice privatos sibi ritus assumerent, non sine magna divini cultus perturbatione. Hanc nimiam orandi varietatem gravissimè ferens sanctissimus Pontifex Pius V. Romanum Breviarium magno studio emendatum, & juxtà decretum Tridentini Concilii pristino nitori restitutum divulgari jussit, eoque sic correcto omnes Ecclesias uti præcepit: quæcunque alia Breviaria abstulit, & abolevit, iis dumtaxat exceptis, quæ vel à sancta Sede Apostolica jam à primæva institutione approbata, vel ducentis annis antiquiora fuissent. Sic pluribus Breviariis antiquatis Ecclesiastici officii diversitates ad multo minorem numerum redactæ sunt. Porrò hoc capite eos ritus describere, quia adhuc vigent, propositum mihi est. Sed præmoneo, ne quis mihi succenseat, si suæ forsitan Ecclesiæ peculiares in divinis laudibus institutiones non attigero: nam nec totum Christianum orbem peragrare potui, nec omnes officiorum Codices nanciscì, quo usus omnium Ecclesiarum perdiscerem. Ergo necessitati, non voluntati tribuendum est, si quid fortassis prætermisero, quod hanc tractationem illustrare potuisset.

b *Dist.* 12. *ca.* 13. & 14.

## §. II.

### *De ritu Romano.*

1. Sancta Romana, & Apostolica Ecclesia mater & firmamentum veritatis, Ecclesiasticæ disciplinæ Magistra primum debet in hoc tractatu locum habere, quæ potestatis eminentia super omnes excellens ab ipso Christo primatum accepisse dignoscitur, cùm Beato Petro ligandi atque solvendi trâdidit Pontificium. Psalterium per Hebdomadam diu noctuque sic Romani distribuunt. Die Dominica ad Nocturnos duodeviginti concinunt Psalmos à primo usque ad 20. inclusivè, omissis quarto, & quinto. Reliquis diebus duodecim Psalmos hoc ordine assignant. Feriæ secundæ Psalmum 26. *Dominus illuminatio*, usque ad 37. *Domine ne in furore*. Feriæ tertiæ Psalmum 38. *Dixi custodiam*, usque ad 51. *Quid gloriaris*, omissis in medio 42. *Judica me Deus*, & 50. *Miserere*. Feriæ quartæ Psalm. 52. *Dixit insipiens*, usque ad 67. *Exurgat Deus*, omissis 53. *Deus in nomine tuo*, 62. *Deus Deus meus* 64. *Te decet*, & 66. *Deus misereatur*. Feriæ quintæ Psalm 68. *Salvum me fac Deus*, usque ad 79. *Qui regis Israel*. Feriæ sextæ Psalm. 80. *Exultate Deo*, usque ad 96. *Dominus regnavit*, omissis 89. *Domine refugium*, 90. *Qui habitat*, 91. *Bonum est confiteri*, 92. *Dominus regnavit decorem indutus est*, & 94. *Venite exultemus*. Sabbatho Psalm. 97. *Cantate Domino*, usque ad 108. *Deus laudem meam ne tacueris*.

Ad Laudes semper dicunt quatuor Psalmos, & unum Canticum ex veteri Testamento. Diebus Dominicis, & festis primo loco ponitur Psalmus 92. *Dominus regnavit*, diebus profestis Psalm. 50. *Miserere mei Deus*. Secundo loco diebus festis Psal. 99. *Jubilate Deo*. Feria 2. Psalm. 5. *Verba mea*. Feria 3. Psalm. 42. *Judica me Deus*. Feria 4. Psalm. 64. *Te decet*. Feria 5. Psalm. 89. *Domine refugium*. Feria 6. Psal. 142. *Domine exaudi*. Sabbato Psalm. 91. *Bonum est confiteri Domino*. Tertio loco semper dicitur Psalm. 62. *Deus Deus meus*, cum Psalm. 66. *Deus misereatur*, sub una conclusione. Quarto loco inseritur Canticum; diebus scilicet festivis Canticum trium puerorum *Benedicite*. Feria secunda Canticum Isaiæ *Confitebor*. Feria 3. Canticum Ezechiæ *Ego dixi*. Feria 4. Canticum Annæ *Exultavit*. Feria 5. Canticum Moysis *Cantemus Domino*.

*mino.* Feria 6. Canticum Abacuc. *Domine audivi.* Sabbato alterum Canticum Moysis *Audite cœli.* Quinto loco sub unica clausula dicuntur tres ultimi Psalmi *Laudate Dominum de cœlis, Cantate Domino,* & *Laudate Dominum in sanctis ejus.*

Ad Primam diebus festis, & Sabbato dicuntur tantùm tres psalmi, scilicet Psalm. 53. *Deus in nomine tuo,* & duæ sectiones Psalm. 118. *Beati immaculati,* & *Retribue.* Cæteris diebus quartum Psalmum adjungunt, nimirum die Dominica Psal. 117. *Confitemini.* Feria 2. Psalm. 23. *Domini est terra.* Feria 3. Ps. 24. *Ad te Domine.* Feria 4. Psalm. 25. *Judica me Deus.* Feria 5. Psalm. 22. *Dominus regit me.* Feria 6. Psalm. 21. *Deus Deus meus respice in me.*

Ad Tertiam, Sextam, & Nonam semper iidem psalmi repeti solent: ad Tertiam *Legem pone,* ad Sextam *defecit,* ad Nonam *Mirabilia,* quæ sunt divisiones Psalmi 118.

Ad Vesperas quinque quotidie Psalmos percurrunt incipientes die Dominica à Psalm. 109. *dixit Dominus* usque ad Psalm. 148. exclusivè: omissis tamen in medio Psalm. 117. *Confitemini.* 118. *Beati immaculati* 123. *Ecce nunc.* & 142. *Domine exaudi.*

Ad Completorium dicunt quotidie Psalm. 4. *Cum invocarem:* deinde sex primos versus Psal. 30. *In te Domine speravi:* tum Psalm. 90. *Qui habitat:* demum Psalm. 133. *Ecce nunc.* Sic totus liber psalmorum unica Hebdomada psallendo percurritur, quem ritum, licet psalmis alia ratione distributis, etiam Monachi observant. Ambrosiani verò, ut videbimus, duplicis Hebdomadæ circulo psalterium explent. Omnes autem nationes occidentalis Ecclesiæ in hoc conveniunt, quod Psalm. nocturnos cum Psalm. 109. *Dixit Dominus* exclusivè terminant, & exinde diurnos incipiunt. Romani autem officii series hæc est.

2. In Nocturnis dicunt secretò *Pater, Ave,* & *Credo:* deinde clara voce *Domine labia mea aperies, Deus in adjutorium, Gloria Patri.* Sequitur Invitatorium cum psalmo *Venite exultemus:* & repetito Invitatorio dicitur Hymnus. Postea recitantur psalmi nocturni. Sed Nocturnorum triplex distinctio est. Aliter enim diebus Dominicis, aliter diebus festivis, aliter diebus ferialibus procedunt. Diebus Dominicis in primo Nocturno duodecim psalmos cum tribus Antiphonis psallunt per ternas divisiones quatuor psalmorum. Post Antiphonam ultimi psalmi dicitur Versus, postea Oratio Dominicalis, tum absolutio, & tres Lectiones cum tribus Responsoriis, præmissa singulis Lectionibus benedictione. In secundo, & tertio Nocturno dicuntur tres psalmi cum suis Antiphonis, totidemque lectiones, ac Responsoria modo prædicto. Tertio cuique responsorio additur glorificatio sanctissimæ Trinitatis. Post nonam Lectionem agitur solemnis gratiarum actio per Canticum *Te Deum laudamus,* atque hoc modo Nocturnæ Vigiliæ diebus Dominicis terminantur. Hunc Nocturnorum ritum, ut scilicet prius psalmi, deinde Lectiones, & reliqua dicantur, existimant Baronius [c] per ea verba Apostoli * adumbrari, *Cum convenitis unusquisque vestrum Psalmum habet, doctrinam habet,* & quæ sequuntur. Per tria verò Nocturna tria tempora denotari legis Naturalis, legis Scriptæ, & Evangelicæ gratiæ docet Bonaventura [d]. Ideò in tertio Nocturno lectiones legi solent ex novo Testamento. Eadem ratio in Nocturnis festivitatum observatur, nisi quod in primo tres tantum psalmi cum suis Antiphonis recitantur, totidemque in secundo, & tertio. Nocturnum verò feriale alio modo procedit: dictis enim omnibus ut supra usque ad Hymnum inclusivè, mox duodecim psalmos cum sex Antiphonis persolvunt, post quos tres Lectiones sequuntur ritu suprascripto: & si dicendum sit Canticum *Te Deum laudamus,* post ultimam lectionem omisso Responsorio subsequi debet. In his autem Vigiliis numerum duodenarium psalmorum Angelo revelante stabilitum fuisse constans sanctorum patrum consensus apud Joannem Cassianum lib. 2. de institutis cœnobiorum asseverat. Nec caret mysterio hæc institutio. Nam duodenarius numerus, cum sit plenæ & consummatæ virtutis, temporis & rerum exprimit universitatem: & quia Dominum omni tempore benedicere debemus, eo psalmorum numero in ejus laudibus utimur, quo temporis plenitudo designatur. Verùm, quia omne tempus sex ætatibus mundi continetur, duodecim psalmos sex tantùm Antiphonis conjungimus. Accedit quod horæ noctis duodecim sunt, in quibus Dei Custodia muniri totidem Psalmorum modulatione postulamus.

Finito Cantico *Te Deum laudamus,* vel si hoc non dicatur, post ultimum Responsorium



c *Baron. an. 57. num. 161.* * 1. *Cor. 14. 26.* d *Bonav. in Ps. 76.*

statim incipiunt Laudes, præmisso versu *Deus in adjutorium*, post quem sequuntur Psalmi cum suis Antiphonis, tum Capitulum, Hymnus, Versus, Canticum Zachariæ cum Antiphona: deinde preces, si dicendæ sint, Salutatio, Collecta, Commemorationes, si occurrant, ac demum Antiphona de B. Virgine, & sic finiuntur Laudes.

Prima diei hora sic peragitur. Dicuntur primò *Pater*, *Ave*, *Credo*, *Deus in adjutorium*. Tum Hymnus semper idem *Jam lucis orto sidere*: Psalmi cum unica Antiphona, quibus die Dominica additur Symbolum Athanasii, Capitulum, Responsorium breve, Versus, Preces, Confessio, Oratio, ac denique lectio Martyrologii.

Tertia, Sexta, & Nona eodem modo persolvuntur. Dictis secretò *Pater* & *Ave*, sequitur divini adjutorii imploratio, tum Hymnus, Psalmi, Antiphona, Capitulum, Responsorium, Versus, Collecta, & finis. Per has horas repetitur quotidie Psalmus 118. in 22. octonaria juxta numerum Hebraicarum literarum divisus. Eo enim artificio compositus est, ut omnes Versus primi octonarii incipiant à prima litera *Aleph*, octo Versus sequentes à litera *Beth*, & sic deinceps; quod factum est literaliter memoriæ juvandæ gratia: mysticè verò ut, quemadmodum parvulorum ingenia primis literarum elementis legendi usum addiscunt: ita nos hujusmodi elementis usum discamus vivendi. Hic autem Psalmus totus moralis est tantò profundior mysteriorum sublimitate, quò apertior est superficie verborum. Fervens in eo studium ostendit Propheta erga Dei mandata, quare nullus est Versus, si unum excipias *Suscipe servum tuum in bonum*, in quo mandatorum Dei mentio non habeatur, una ex hisce vocibus adhibita quæ ferè idem significant, lex, via, justificatio, semita, mandatum, præceptum, judicium, testimonium, justitia, verbum, eloquium, veritas.

Vesperæ cum Laudibus conveniunt, nam post Orationem Dominicam, & Angelicam salutationem divinum auxilium imploratur. Deinde quinque Psalmi dicuntur cum Antiphonis: tum Capitulum. Hymnus, Versus, Canticum B. Virginis, Preces, & cætera sicut in Laudibus.

Completorium à brevi Lectione incipit, post quam Oratio Dominica, Confessio, *Converte nos Deus*, *Deus in adjutorium*, Psalmi cum Antiphona, Hymnus, Capitulum, Responsorium, Versus, Canticum Simeonis, Preces, Oratio, Benedictio, Antiphona B. Virginis cum oratione ac tandem *Pater*, *Ave*, & *Credo* subsequuntur. Hoc est Officium Romanum, cujus allegoricas rationes curioso lectori suppeditabunt Amalarius Fortunatus, Honorius in Gemma animæ, Durandus in rationali, & alii sacrorum rituum explanatores. Hic eas ego prætermittendas existimavi, tum quia omnes officii partes supra seorsim explicavi, tum quia hujusmodi allegoriæ curiosam potius subtilitatem continere videntur, quàm solidam legentium utilitatem.

## §. III.

### *De ritu Monastico pro his qui militant sub Regula S. Benedicti. Præmittuntur quædam de excellentia hujus sanctissimi Monachorum Patriarchæ.*

1. SAnctissimus Monachorum Patriarcha, & legislator Benedictus, cum Magni Gregorii testimonio omnium justorum spiritu plenus esset, Monachos à Clericis ut conversatione, ita & officio discerni debere existimavit. Itaque pro illis specialem ritum instituit à præfato Gregorio Romano Pontifice approbatum, cunctarumque Monasticarum Congregationum longa & laudabili consuetudine confirmatum. Nulla laus est, quæ hujus officii excellentiam assequi possit. Ab eo enim compositum, ordinatumque est, qui non omnium justorum tantùm, sed & ipsius Dei spiritu plenus tantam in hac fragili carne gratiam obtinuit, ut raptus cum Paulo usque ad tertium, & archetypum cœlum Angelorum psallentium choros audierit, & ipsum Dominum majestatis viderit facie ad faciem in momento supernæ claritatis lumine gloriæ illustratus. Est quidem inter Scholasticos diu agitata disputatio, an aliquis in hac vita videre possit divinam essentiam: sed ego ut eorum sanctitatem & doctrinam veneror, qui negantem controversiæ partem tuentur, nunquam tamen argumentis illorum adduci potui, ut Patri meo Benedicto hanc prærogativam denegarem, ut Moysem interim, & D. Paulum omittam: Debuit enim singularis illius sanctitas singulari aliquo munere insigniri. Non desunt huic assertioni

multæ

multæ rationes ad Scholasticam libellam summo rigore examinatæ: verum pro meo instituto aliquot testes dumtaxat profero, quorum auctoritas dictis conciliet fidem. Primus est Gregorius Magnus [e], qui Benedicti raptum narrans in dialogis; Totum, inquit, mundum sub uno Solis radio collectum vidit: mox edisserens qua id ratione potuerit fieri, subdit; Videnti enim Creatorem angusta est omnis creatura. Secundus testis est Bernardus, qui explicans versiculum illum psalmi, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, & scribens de ea cognitione, quam animæ beatorum habent in patria; Ad quam nimirum, ait, excellentiam licet ad modicum rapta fuisse videtur anima illa beata, quæ collectum sub uno solis radio mundum universum conspexit. Accedit tertio loco Rupertus Abbas Tuitiensis, qui huic veritati adstipulatur lib. 12. de gloria, & honore filii hominis: quem sequuntur Bonaventura serm. 20. de luminaribus Ecclesiæ; Dionysius Carthusianus serm. de S. Benedicto, Ludovicus de Prussia in Trilogio animæ parte 2. cap. 18. & Joannes Thaulerus cap. 12. institutionum: atque hanc sententiam probabilem pronunciavit in sua varia Theologia vir doctissimus Maximilianus Sandæus [f]. Hanc sancti Patris prærogativam libuit commemorare, quo ejus eximia virtus clarius eluceseeret. Non est autem hoc loco & illud prætermittendum, quod quidam [g] scribunt, sanctum videlicet Benedictum adhuc maternis clausum visceribus clarè, & distinctè cum sorore Scholastica cecinisse, quo portento præsignata pueri sanctitas fuerit, Ordinisque Monastici ab eo instituendi alacritas in psallendis divinis laudibus præostensa. Sed quod nullum hujus rei antiquum proferant testem, meritò suspecta videtur. Faciunt tamen prodigio fidem alia non dissimilia à probatis Auctoribus scripta. Augustinus [h] lib. 3. de civitate Dei in Ethnicorum libris scriptum asserit infantes nondum natos de uteris matrum quædam verba clamasse: ac ibidem commentator Valentinus refert ex Tito Livio [i] infantem Maruciæ Jo triumphe in utero matris clara voce protulisse. Scribit Eulogius in præfatione primi libri Memorialis sanctorum, sanctum Isaacum Monachum, & Martyrem tribus vicibus una die loquutum fuisse antequam nasceretur. Sanctus quoque Gerardus ter in ventre matris vagitus emisit teste Odone Cluniacensi [k] in ejus vita.

e *Greg. lib. 2. dialog. cap. 35.* f *Sand. lib. 3. comment. 42. exercit. 2.* g *Bonif. Simoneta lib. 4. Christian. persecut. epist. 20. Gerardus Belga in Meditationib. die 11. Decembris. Iepez. centur. 1. chron. Benedictini, & alii recentiores.* h *August. de civit. lib. 3. c. 31.* i *Tit. Liv. lib. 24.*

k *Odolib. 1. cap. 3.*

## METRUM XLV.

*Lux oculos divina ferit, descendit ab alto*
*Culmine cœlorum globus igneus.*
*In medio veneranda senis præsul ges imago,*
*Mirantesque animos ad se trahit.*
*Quis novus hic Heros? quod sidus? quæ nova cœli*
*Progenies variat rerum vices?*
*An novus occiduis surgit rubicundus aboris*
*Phœbus, & Eoi obscurat faces?*
*An Benedictus hic est Italæ lux maxima gentis,*
*Militiæque sacræ dux i. clytus?*
*O properate omnes, ille est. Quam multus euntem*
*Prosequitur Monachorum exercitus?*
*Quam pia festivo glomeratur pompa triumpho,*
*Atque Patrem lætis celebrat choris?*
*Huc ades ô mundi columen, spes altera terræ,*
*O & præsidium pereuntium.*
*Dexter ades, placidusque melos, quod pangimus: audi*
*Carminibusque tuis Pater annue:*
*Te canimus Regum soboles, divina propago,*
*Non sine summi plausibus æthers.*
*Te celebrat tellus, mare tibi concinit, omnis*
*Te dignis gens laudibus evehit.*
*Aurea submittunt proceres tibi stemmata, curva*
*Te Reges venerantur poplite.*
*Te penes est morum probitas, studiosaque recti*
*Norma, fidesque, & cultus Numinis.*
*Te pietas gremio fovit, te candida virtus*
*Nascentem tenero excepit sinu.*
*Diceris harmonicis materna clausus in alvo*
*Motibus exultasse, & cantibus.*
*Jam tunc divinis præludens laudibus, orbem*
*Queis jugiter docuisti incumbere.*
*Diceris & faciem clarè vidisse Tonantis*
*Athereo perfusus lumine.*
*Nempè serenata cœlos in mente ferebas,*
*Atque Deum claudebas pectore.*
*Sic miseris poteras terris Deus amer haberi,*
*Ni rapuisset te mors invida.*
*O Pater, ô tandem Monachorum respice cœtus,*

*Atque tuis da vivere moribus.*
*Aspice, nec vasto luctantes desere ponto,*
*Et nostrum repara antiquum decus.*

2. Psalterium à Divo Benedicto per dies, & horas sic distributum est, ut totum unius hebdomadæ circulo compleatur. Psalmos autem longiores in duas partes divisit. Nocturnis semper 12. Psalmi assignantur: sed Dominicis ac festivis adjunguntur tria Cantica è veteri Testamento, ut mox videbimus. Vigiliæ diei Dominicæ incipiunt à Psalm. 20. *Domine in virtute tua*, usque ad 31. *Beati quorum*, inclusivè. Vigiliæ secundæ feriæ à Psal. 32. *Exultate justi in Domino*, ad 44. *Eructavit*, omissis in medio 35. *dixit injustus*, & 42. *Judica me Deus*: atque diviso in duas sectiones Psalm. 36. *Noli æmulari*, quæ divisio fit in versu, *declina à malo*. Feria tertia initium est à Psalm. 45. *Deus noster refugium*, ad 58. *Eripe me*: omissis 50. & 56. *Miserere mei Deus*. Feria quarta à Psam. 59. *Deus repulisti*, ad 72. *Quam bonus Israel Deus*, omissis quatuor. 62. *Deus Deus meus*, 63. *Exaudi Deus*, 64. *Te decet*, 66. *Deus misereatur*, & divisis duobus 67. *Exurgat Deus*, in versu *Benedictus Dominus die quotidie*, & 68. *Salvum me fac Deus*, in versu, *Exaudi me domine*, Fer. 5. à Psalm. 73. *Ut quid Deus*, ad 84. *Benedixisti*, omisso 75. *Notus in Judæa Deus*, & diviso 77. *Attendite* in versu. *Et dilexerunt eum*. Feria sexta à Psalm. 85. *Inclina ad* 100. *Misericordiam & judicium*: omissis quinque. 87. *Domine Deus salutis meæ*, 89. *Domine refugium*, 90. *Qui habitat*, 91. *Bonum est*, 94. *Venite exultemus*: & diviso 88. *Misericordias Domini*, in versu *Tunc locutus es*. Sabbato à Psalm. 101. *domine exaudi*, ad 108. *Deus laudem meam*: divisis 103. *Benedic*, in versu *Hoc mare magnum*, 104. *Confitemini*, in versu *Et intravit Israel*, 105. *Confitemini*, in versu *Et irritaverunt*, 106. *Confitemini*, in versu *Dixit & stetit*.

Ad laudes semper dicitur primo loco Psalm. 66. *Deus misereatur* sine Antiphona, deinde cum Antiphona Psalm. 50. *Miserere* tam in Dominicis, quam in feriis; quem sequuntur alii duo Psalmi singulis diebus diversi, videlicet die Dominica 117. *Confitemini*, & 62. *Deus Deus meus*. Feria secunda 5. *Verba mea*, & 35. *Dixit injustus*. Feria tertia 42. *Judica me*, & 56. *Miserere*. Feria quarta 63. *Exaudi*, & 64. *Te decet*. Feria quinta 87. *Domine Deus salutis meæ*, & 89. *Domine refugium*. Feria sexta 75. *Notus in Judæa*, & 91. *Bonum est*, Sabbato 142. solus *domine exaudi*: supplet enim alterius Psalmi vices Canticum *Audite cœli* divisum in duas partes in versu *Ignis succensus est*. Sequitur Canticum, tum Psalm. 148. *Laudate Dominum de cœlis*, cum duobus sequentibus sicut psallunt Romani. In Laudibus festivitatum iidem Psalmi dicuntur, quos Romani cantant in festis, nisi quod Psalmus *Deus misereatur*, semper seorsim primo loco recitatur.

Ad Primam tres Psalmi dicuntur. Feria secunda primus, secundus, & sextus: *Beatus vir*, *Quare fremuerunt*, *domine ne in furore*. Feria tertia 7. *domine Deus meus*, 8. *domine dominus noster*, 9. *Confitebor* usque ad versum *exurge domine*. Feria quarta idem 9. à versu *Exurge* usque ad finem, 10. *In domino confido*, 11. *Salvum me fac*. Feria quinta 12. *Usquequo*, 13. *Dixit insipiens*, 14. *domine quis habitabit*. Feria sexta 15. *Conserva me*, 16. *Exaudi*, 17. *Diligam te domine* usque ad versum *Cum sancto sanctus eris*, Sabbato sequitur idem Psalmus à dicto versu, tum 18. & 19. *Cœli enarrant*, & *Exaudiat*, Die Dominica quatuor Psalmi cantantur, quatuor scilicet prima octonaria Psalm. 118. *Beati immaculati*, *in quo corrigit*, *Retribue*, *Adhæsit*.

Ad tertiam die Dominica sequuntur tria octonaria ejusdem Psalmi: *Legem pone*, *Et veniat*, *Memor esto*. Sic ad Sextam *Portio mea*, *Bonitatem*, *Manus tuæ*. Ad Nonam *Defecit*, *In æternum*, *Quomodo dilexi*. Feria secunda ad Tertiam *Lucerna*, *Feci judicium*: Ad Sextam *Mirabilia*, *Justus es Domine*, *Clamavi*. Ad Nonam *Vide humilitatem*, *Principes*, *Appropinquet*. Feria tertia, cæterisque feriis per hebdomadam ad Tertiam cantica graduum *Ad Dominum*, *Levavit*, *Lætatus sum*. Ad sextam. *Ad te levavi*, *Nisi quia Dominus*, *Qui confidunt*. Ad Nonam, *In convertendo*, *Nisi Dominus*, *Beati omnes*.

Ad Vesperas quatuor Psalmi cantantur. Die Dominica Psalm. 109. *Dixit Dominus*, cum tribus sequentibus. Feria secunda 113. *In exitu*, 114. *Dilexi*, 115. *Credidi*, cui adjungitur sub unica terminatione 116. *Laudate Dominum omnes gentes*, 128. *Sæpè expugnaverunt*. Feria tertia, 129. *De profundis* cum tribus sequentibus. Feria quarta 134. *Laudate nomen domini*, & tres immediatè sequentes. Feria quinta 138. *Domine probasti me* bipartitus in versu *Et dixi*, & duo sequentes. Feria sexta 141. *Voce mea*, 143. *Benedictus Dominus* divisus in versu *Deus*

*can*

*canticum novum*, 144. *Exaltabo te*, usque ad versum *Confiteantur*. Sabbato idem Psalmus à versu *Confiteantur*, usque ad finem cum tribus subsequentibus.

Completorium tribus Psalmis invariabiliter expletur 4. *Cum invocarem*, 90. *Qui habitat*, & 133. *Ecce nunc benedicite Dominum*. Sic distributis per hebdomadam Psalmis jam totius Officii seriem dispiciamus.

3. Singulis Officiis tam diurnis quam nocturnis præmittitur Oratio Dominica, Salutatio Angelica, & Symbolum Apostolorum, itemque divini adjutorii imploratio eodem ferè ritu, quo Romani: & similiter in fine additur una ex Antiphonis B. Virginis, quibus iidem Romani preces horarias terminare consueverunt. Speciatim verò nocturnæ Vigiliæ diebus Dominicis, & festis 12. lectionum hoc ordine procedunt. Dicto versu *Deus in adjutorium*, ter repetitur *domine labia mea aperies*: tum Psalmus tertius *domine quid multiplicati sunt* sine Antiphona recitatur: deinde Invitatorium, & Hymnus: postea sex Psalmi cum Antiphonis, mox Versus *Pater noster*, & absolutio. Tum accepta benedictione leguntur quatuor lectiones cum suis Responsoriis. Secundum nocturnum iterum sex Psalmis, & quatuor lectionibus constat. In tertio autem tria Cantica ex Veteri Testamento diei vel tempori congruentia sub unica Antiphona cantantur, post quam dicto Versu, & cæteris ut supra, ac benedicente Abbate rursum leguntur quatuor lectiones ex Homilia super Evangelium. Post quartum Responsorium semper dicitur *Gloria Patri*. Post duodecimum incipit Abbas *Te Deum Laudamus*, quod Canticum nunquam omittitur. Hoc dicto legit Abbas Evangelium, in cujus fine respondent omnes *Amen*: & immediatè cantatur *Te decet laus, te decet Hymnus, tibi gloria Deo Pater, & Filio cum sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.* Sequitur collecta diei, & si finiuntur Vigiliæ. In Officio feriali dictis omnibus ut supra usque ad Hymnum, sex Psalmi recitantur cum tribus Antiphonis: tum Versus, *Pater noster*, Absolutio, Benedictiones, & tres Lectiones sequuntur cum suis Responsoriis. Sed à Paschate usque ad Calendas Novembris una dumtaxat brevis lectio dicitur cum brevi Responsorio. In secundo Nocturno reliqui sex Psalmi cum *Alleluja*, & diebus Septuagesimæ cum tribus Antiphonis cantantur. Deinde dicitur Capitulum, Versus, *Kyrie eleison*, *Pater noster*, Oratio conveniens, *Benedicamus Domino Fidelium animæ*: & sic terminantur Vigiliæ in festis trium lectionum, & in Officio feriali.

Laudum ritus ferè convenit cum Romano, nisi quod in Officio simplici & feriali præmitti solent *Pater*, & *Ave*. Tum primo loco semper dicitur Psalmus *Deus misereatur*. Post Capitulum, Responsorium breve cantatur. Post *Benedictus* sequuntur *Kyrie eleyson*, & Oratio Dominica clarâ voce, tum Collecta, & Commemorationes.

Prima, Tertia, Sexta, & Nona discrepant à ritu Romano in Psalmis, & in eo quod nullum dicitur Responsorium post Capitulum; sed statim dicto versu sequitur *Kyrie eleyson*, *Pater noster*, & Collecta. In cæteris nullum est discrimen.

Vesperarum item Monasticarum hæc à Romanis differentia est, quod breviores uno Psalmo sunt, tum post Capitulum semper dicitur Responsorium, & post *Magnificat* ante collectam præmitti solent *Kyrie eleison*, Oratio Dominicalis clarâ voce.

Completorium quoque Monasticum Romano brevius est uno psalmo, & Cantico Simeonis, de quo S. Benedictus nullam facit mentionem. Caret etiam Responsorio post Capitulum, sed dicto versu sequuntur more solito, *Kyrie*, *Pater*, oratio, benedictio, & finis. Hujus autem Officii symbolicas rationes afferunt Honorius in Gemma animæ libro secundo, Durandus lib. 4. rationalis, Joannes Beleth in explicatione divinorum officiorum, & Rupertus Abbas lib. 2. in Regulam S. Benedicti, & Petrus Damianus opusculo 10.

## § IV.

### *De ritu Cistercienſium.*

1. ORdinem Cistercienſem antonomasticè Ordinem dici asserit Justus Abbas sermone in Conventu Abbatum habito, qui est tomo 2. Bibliothecæ Patrum. Ut enim scribit Hieronymus[k] Platus vir de statu Religioso optimè meritus: Nulla ex omnibus Religiosorum familiis nobilior quàm Cistercienſis. Angelus quoq; Domini apparens B. Henrico Hemmerodenſi novitio; Bene ait, ut refert Cæsarius[l] tibi

[k] *Plat. de bono stat. Relig. lib. 2. cap. 22.* [l] *Cæsarius lib. 8. histor. cap. 96.*

tibi placere debet Ordo Cistercienſis, quia nulla vita tantæ perfectionis eſt in Eccleſia Dei. Nec deſunt illuſtria magnorum virorum de hoc ordine teſtimonia. Philippus Abbas [m] bonæ ſpei Ordinis Præmonſtratenſis libro de dignitate Clericorum; Apud Ciſtercium, inquit, Monachicus ordo pridem mortuus ſuſcitatur, & pulſo vetuſto cinere novitatis gratia reformatur, dum cæteris acceptam Monachis delicatam teneritudinem execratur, & laborem, pauperiem, luctum, ſilentium inſatiabiliter amplexatur. Jacobus [n] Aconenſis Epiſcopus, & Cardinalis in Hiſtoria Occidentali hæc habet de Ciſtercienſibus. Alii ſermone Prædicationis, & gratia ædificationis præpotentes: alii virtute miraculorum, & gratia curationum inſignes: alii ſpiritum prohetiæ divinis illuminati revelationibus habentes, alii virtute abſtinentiæ & jejuniorum humanæ poſſibilitatis menſuras excedentes: alii in orationibus, & pſalmodiis, & laudibus divinis tantam à Domino conſecuti ſunt gratiam, & devotionis ſuavitatem, quod in fine Nocturni, & Matutini Officii ſicut adipe & pinguedine uſque ad ſummum repleti, vellent, ſi eſſet poſſibile, tempore nocturno revertente rursùs iteratum officium inchoare. Richardus Archiepiſcopus Cantuarienſis Epiſtola ad Abbatem, & Conventum Ciſtercienſem inter Epiſtolas Petri Bleſenſis [o]: Inter univerſas Ordinum varietates, quibus decorata eſt Sponſa Chriſti, nullus Ordo virtute flagrantior, nullus ſancti nominis odore ſuavior eſt in Chriſto quàm veſter. Una omnium vox eſt, quia Ciſtercienſis Ordinis Profeſſores tantò differentiùs præ cæteris triumphales ſanctitatis titulos referunt, quantò expreſſius Religionis Apoſtolicæ veſtigiis inhæſerunt. Stephanus Tornacenſis Epiſcopus Epiſtolâ primâ prolixum hujus Ordinis texit elogium, ſpecialiter verò de Ciſtercienſium Pſalmodiâ ait: Divina officia cum tanta ſolemnitate, & devotione celebrant, ut in eorum concentu voces Angelorum ſonare putes: Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus ad laudes Dei invitant homines, & Angelos imitantur. Tandem Petrus Cellenſis [p], ut alios innumeros prætermittam, ſic Ciſtercienſes commendat. Ciſtercienſes præ aliis mortalibus ſeriis, & ſine fine manſuris intendere video. Hi ſunt qui regulam B. Benedicti, penè combuſtam, ſicut Eſdras veterem legem, reſtaurave-runt. Clauſtra illorum caſtra Dei ſunt, ubi nocte in Pſalmis & Orationibus parati ſunt ſuſcitare Leviathan, qui ſub umbra dormit in locis humentibus. Sic vivebant Patres noſtri, hæc nobis virtutum exempla reliquerunt, quorum ſi veſtigia ſequuti fuerimus, verè Ciſtercienſes erimus non ſolo habitu & nomine, ſed virtute & perfectione. Quod autem ſpectat ad ritum Ciſtercienſem, majores noſtri à Regula S. Benedicti nullatenus deviantes, ritum proprium inſtituerunt regulæ prorſus conformem, qui propterea à communi Monaſtico diſcrepat in nonnullis.

2. Ante lectiones nec orationem Dominicam, nec abſolutiones præmittimus: ad Primam, & Completorium nec confeſſionem, nec preces habemus: ad Reſponſoria poſt Capitulum non adjungimus *Gloria Patri*, horum enim nullam Regula mentionem facit. Æſtivo tempore unicam perpetuò lectionem in nocturnis ferialibus legimus, ſic eâdem regulâ decernente: quapropter nullum feſtum habemus trium lectionum. Tum quod D. Benedictus Hymnos Ambroſianos vocet, Hymnos omnes ab Ambroſianis accepimus, iiſdemque prorſus omni tempore utimur, quibus & illi: quorum Catalogum inveniet curioſus lector apud Radulphum Tungrenſem. Ad Tertiam, & Completorium Hymnos variamus pro varietate temporum, & feſtorum. In Veſperis nunquam Pſalmos feriales mutamus ad mentem regulæ, quæ in feſtivitatibus Pſalmorum mutationem pro vigiliis tantum nocturnis permittit. Singulis horis Collectas proprias habemus. Feſta quæ non ſunt 12. lectionum ſolâ commemoratione in primis Veſperis & Laudibus celebramus. Feſta ipſa 12. lectionum in tres claſſes dividimus: ſolemniora dicuntur ſermonis, quod Abbas eâ die ſermonem ad Monachos habeat. Alia ſunt duarum Miſſarum, quod duę Miſſæ Conventuales de illis Cantentur, una poſt Primam, altera poſt Tertiam. Alia uniùs Miſſæ, quod unica de illis Miſſa canatur. Antiphonas nunquam duplicamus, ſed tantùm poſt Pſalmos integras cantamus. Ad Laudes unam dumtaxat dicimus Antiphonam, ad cujus tenorem omnes Pſalmos modulamur. Omnes horas commemoratione Beatæ Virginis & Dominicæ Incarnationis concludimus. Quotidie tandem poſt Completorium Antiphonam, *Salve Regina* ſolemniter decantamus.

§. V. De

m *Philip. Abb. c. 125.* n *Iacob. Acon. cap. 14.*
o *P. Bleſ. ep. 82.* p *P. Cell. lib. 6. ep. 23.*

## §. V.

### *De ritu Carthusianorum.*

1. SAcrosancta Religio Carthusiana, licet in cæteris Benedicti Regulam non agnoscat, ritum tamen Benedictinum in divinis Officiis observat. Paucis exceptis vix discrepant à Cistercienſibus, quibus ferè coævi sunt. Cœpit enim Cistercium anno Domini 1098. Carthusia verò initium habuit anno 1086. ut putavit Baronius, vel 1084. ut ex monumentis Ordinis collegit in suo Brunone Theophylus Raynaudus. Ante Vigilias dicunt ter *Pater & Ave*. Post ultimam Antiphonam Nocturni recitant semel *Pater*, & *Ave*, & Absolutionem. Post *Benedictus* dicunt novem vicibus *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, *Kyrie eleyson* cum multis precibus. Privatis diebus ad preces adjungunt Psalmum *Miserere*: quas preces repetunt singulis horis. In fine lectionum ex Prophetis addunt, *Hæc dicit Dominus*, *Convertimini ad me*, *& salvi eritis*. Ad Vesperas psalmos mutant pro diversitate festivitatum. Ad primam dicunt quotidiè Symbolum Athanasii. Ad salutationem Angelicam pulsant quater in die, post Matutinum, post Primam, post Nonam, post Completorium. Post Collectam dicto *Benedicamus Domino*, nihil aliud adjungere consueverunt. In reliquis, ut dixi, ferè conveniunt cum Cistercienſibus. Commendat eorum cantum Christus Salvator noster apud S. Brigittam c. 4. revelationum extravagantium: & Angelicam eorumdem psalmodiam elegantissimè collaudat Franciſc. Petrarcha in præfatione lib. de otio Religiosorum. Sunt autem reverà Carthusiani magna orbis miracula, in carne extra carnem viventes, Angelos nobis in terra, & Joanem Baptistam in Eremo repræsentantes. Sunt præcipuum Ecclesiæ ornamentum, similes aquilæ in cœlum volanti, quorum status universarum religionum institutis jure præfertur. Pius quidam, & religiosus Poëta apud Maximilianum Sandæum [q] in sua mystica Theologia Cartusianorum vitam, & mores hoc eleganti Epigrammate mirabiliter expressit. [r]

*Pallent cm nuper rigidi Brunonis alumnum*
*Sic adiit mundum linquere certus Odo.*
*Ede Pater, quæ Carthusiæ sit regula vitæ.*
*Quæ nox, quæve dies: quid fugiant, quid agant:*
*Ede quibus studiis hic vivitur. Ille tacendo*
*Fugit, & ingemuit. Non potuit melius.*

Historiam illam notissimam Theologi Parisiensis, qui post mortem tribus distinctis vicibus justè se accusatum, judicatum, & damnatum pronunciavit; atque hujus Ordinis institutioni occasionem dedit, copiosissimè defendit Raynaudus supra citatus in suo Brunone, ubi plura de laudibus Cartusianorum Lector inveniet.

[q] *Sand. lib. 2. comment. 3. exercit. 2. disquisit. 6.* [r] *Bernard. Panhusius Epigr. l. 5.*

## §. VI.

### *De ritu Præmonstratensium.*

1. NUlla post Monachos Religiosarum Congregationum, quæ proprios ritus habeat, antiquior est Præmonstratensi, sumpsit enim originem hic sacer, & Canonicus ordo à sanctissimo patre Norberto anno salutis 1115. habuitque aliquando plusquam mille Abbatias. Eorum ritus cum Romanis conveniunt, si pauca quædam excipias. Et primo quidem ante Vigilias nocturnas tres psalmos recitant cum quibusdam precibus, & orationibus. Deinde in ipsis Vigiliis ante Lectiones dicunt Versum, & Orationem Dominicam, sed non absolutiones. Post nonum Responsorium concinunt *Te Deum laudamus*: & ante Laudes unum Versum semper præmittunt, quem vocant Sacerdotalem. In primis Vesperis solemnitatum magnum Responsorium concinunt post Capitulum. Ad omnes horas diei Hymnos variant pro ratione, temporum & festivitatum. Antiphonam B. Virginis, quâ terminantur Horæ, nonnisi post Completorium cantant. Psalterium more Romano in dies & horas distribuunt, nisi quod Psalmum 117. *Confitemini* à Septuagesima usque ad Pascha diebus Dominicis non ad primam, sed ad Laudes dicunt loco psalmi *Dominus regnavit*, quem eo tempore canunt ad primam. De reliquo tam diurnum, quàm nocturnum Officium eo methodo ordinant, quâ Romana consuevit Ecclesia: imò suum Breviarium esse existimant antiquum Romanum, quod purum ab ipsis conservatum sit, non acceptatis mutationibus, & novis ejusdem reformationibus.

## §. VII.

### *De Ritu Prædicatorum.*

1. ILluſtriſſimus Prædicatorum Ordo à Canonicis Præmonſtratenſibus ut D. Auguſtini Regulam, ita & pſallendi ritum accepit. Sed viri doctrinâ, & ſanctitate eximii eos uſus in quibuſdam mutârunt. Ad primam tres pſalmos recitant: *Deus in nomine tuo*, *Beati immaculati*, *Retribue*: diebus verò Dominicis à Septuageſima uſque ad Paſcha novem videlicet, *Deus Deus meus reſpice in me*, *Dominus regit me*, *Domini eſt terra*, *Ad te Domine*, *Judica me*, *Deus in nomine tuo*, *Dominus regnavit decorem indutus eſt*, *Beati immaculati*, & *Retribue*: quo etiam tempore dicunt ad Laudes Pſalmum 117. *Confitemini* loco Pſalmi *Iubilate*. Reliquo anni tempore dictos pſalmos, quos Romani diſtributos per ferias dicunt ad primam, iſti omittunt. Martyrologium legunt poſt Laudes, ſed cum Matutinum veſpere diei præcedentis dicitur, tunc legitur poſt primam. In primis Veſperis ſolemnitatum hos pſalmos concinunt, *Laudate pueri Dominum*, *Laudate Dominum omnes gentes*, *Lauda anima mea Dominum*, *laudate Dominum quoniam bonus eſt Pſalmus*, & *Lauda Hieruſalem Dominum*. Hymnos Completorii variant pro ratione temporum, & in fine horarum ſemper dicunt Antiphonam, *Salve Regina*, & alteram de ſancto Dominico cum quibuſdam precibus. Extra Adventum, & Quadrageſimam Officium feriale ter, vel quater in Hebdomada omittunt, recitant enim de S. Dominico, de ſanctiſſimo Sacramento, de B. Virgine & de Sancto titulari Provinciæ. A die Paſchatis uſque ad Trinitatem tribus Pſalmis, totidemque Lectionibus nocturnas quotidie Vigilias perficiunt, quod poſt octavas Reſurrectionis non niſi diebus Dominicis uſque ad Aſcenſionem faciunt Præmonſtratenſes.

## §. VIII.

### *De ritu Carmelitarum.*

1. CArmelitæ Breviarium habent ſecundùm antiquam conſuetudinem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ. Hic enim Ordo pietate, & religione præſtantiſſimus diu floruiſſe in Oriente dicitur, antequam per diverſas Europæ Provincias diffunderetur. Eorum ritus non diſcrepant à Dominicanis, hoc dumtaxat excepto, quod diebus Dominicis per annum dicunt ad Primam Pſalmum 117. *Confitemini*. In Dominicis item Adventus quinque pſalmos ad primam aliis conſuetis præmittunt, nempe 21. *Deus Deus meus*, cum quatuor ſequentibus. Dominicis verò Septuageſimæ uſque ad paſcha ad Laudes, & primam eoſdem pſalmos recitant, quos Prædicatores. Tempore paſchali conſuetos pſalmos concinunt in nocturnis Vigiliis: tres autem pſalmos dicunt ſolummodò per octavas paſchatis, & Pentecoſtes, Sicut Romani, Preces longiores habent poſt quædam officia. In fine cujuſque horæ ſemper dicunt Antiphon. *Salve Regina*, cui tempore Paſchali ſubſtituitur *Regina cœli*. Officia multa ſanctorum habent cum elegantibus Hymnis, Antiphonis, & Reſponſoriis. Diebus Reſurrectionis initio Veſperarum, omiſſo Verſu *Deus in adjutorium*, cantant ſolemniter *Kyrie eleiſon* novem vicibus, ſicut in Miſſa: quo ritu utebatur olim Romana Eccleſia, ut conſtat ex ordine Romano, & ex Ruperto Abbate *f*: eumque legi in Breviario Præmonſtratenſi, & in antiquiori Breviario Ordinis Prædicatorum.

*f Rupert. lib. 8. de div. off. c. 2.*

## §. IX.

### *De ritu Lugdunenſis Eccleſiæ.*

1. SAncta Lugdunenſis Eccleſia Galliarum Primatu inſignis propriis ritibus utitur, quos S. Irenæum Epiſcopum, & Martyrem inſtituiſſe earum partium traditio eſt. Pſalterium in ferias, & horas diſtribuitur more Romano, ſed ad primam per Hebdomadam nonniſi tres Pſalmos recitant: *Deus in nomine tuo*, *Beati immaculati*, & *Retribue*: Diebus verò Dominicis novem, videlicet, *Deus Deus meus reſpice in me*, *Dominus regit me*, *Domini eſt terra*, *Ad te Domine*, *Iudica me Domine*, *Confitemini*, *Beati*, *Retribue*, & Symbolum Athanaſii, quod quidem Symbolum Primæ Dominicali omnes Eccleſiæ adjungere conſueverunt. Dominica autem Sexageſimæ, & ſequentibus Dominicis uſque ad paſcha duos priores pſalmos ad Laudes mutant, & pro Pſalmo *Dominus regnavit*, legunt Pſalmum 50. *Miſerere*, pro Pſalmo *Jubilate*, Pſalmum 117. *Confitemini*; atque ideo eodem tempore ipſum Con-

*Confitemini* omittunt ad primam; & pro eo substituunt Psalmum *Dominus regnavit*. Hoc excepto in Psalmorum distributione conveniunt omninò cum Romanis: Porrò singula Officia à Lugdunensibus sic ordinantur.

2. Nocturnis præmittunt Orationem Dominicam solam, deinde dicunt Versum *Sancti Spiritus adsit nobis gratia*, tum *Domine labia mea aperies, Deus in adjutorium, Gloria Patri*, & Invitatorium. Immediatè post Invitatorium dicuntur Psalmi, nam Hymnis carent omnia Officia excepto Completorio. In numero, & ritu lectionum non discrepant à Romanis. Post ultimum responsorium concinunt *Te Deum laudamus* cum Antiphona, & *Gloria Patri* ad instar Psalmi: sequitur Versus, quo dicto incipiunt Laudes, post sal. Laudum dicto Capitulo, & Versu sequitur Canticum, omisso Hymno, tum collecta diei, *Benedic Domino*, & finis. Prima, Tertia, Sexta, & Nona conveniunt cum Romanis, si Hymnos demas, & parva Responsoria post Capitulum. Id quoque notandum, quod ante Horas Orationem Dominicam solam recitant, & post singulas legunt Psalmum *De profundis* cum collecta pro defunctis. Antiphonam de B. Virgine, quâ Romani terminant horas, hi nonnisi post Nonam & Completorium concinunt. Vesperas incipiunt quemadmodum & alias horas, tum dictis Psalmis & Versu, Canticum Deiparæ modulantur. In quibusdam solemnitatibus Antiphonam Cantici septies repetunt, & Versibus ipsius Cantici intermiscent. Dicunt postea Collectam more solito, & sic finiuntur Vesperæ. Completorio nullam præmittunt lectionem, sed dictâ Oratione Dominicâ, dictisque Versibus: *Convertenos Deus*, & *Deus in adjutorium* eosdem Psalmos concinunt, quos Romani. Sequitur Hymnus, quem singulis feriis, & festis mutant: statim verò post Hymnum dicitur Versus, omisso Capitulo, tum Canticum Simeonis, postea preces, Oratio, & Benedictio: deinde Psalmus *De profundis*, ac tandem Antiphona conveniens de B. Virgine. Certis diebus ad Laudes & Vesperas, itemque ad reliquas horas preces habent, Litanias, & Processiones, ac peculiares quosdam ritus, quos brevitatis gratia prætermitto. Ecclesia ista novitates nescit, & tam in cantu, quàm in ceremoniis, & aliis functionibus Ecclesiasticis antiquitatis tenacissima est, de qua re sic laudatur à D. Bernardo t: Inter Ecclesias Galliæ constat profectò Lugdunensem hactenus præminuisse sicut dignitate sedis, sic honestis studiis, & laudabilibus institutis. Ubi enim æquè viguit disciplinæ censura, morum gravitas, maturitas consiliorum, auctoritatis pondus, antiquitatis insigne? Præsertim in Officiis Ecclesiasticis haud facilè unquam repentinis visa est novitatibus acquiescere, nec se aliquando juvenili passa est decolorari levitate Ecclesia plena judicii.

t *Bernardus Epistola* 174.

## §. X.

### *De ritu Ambrosiano.*

1. MEdiolanensis Ecclesiæ ritus à D. Ambrosio ejus civitatis Archiepiscopo Ambrosiani dicuntur, non quod ipse institutor eorum fuerit, ut multorum opinio est, sed quia illos auctoritate suâ, & eximiâ sanctitate plurimùm nobilitavit. Dici autem Ambrosiani cœperunt paulò post ejus decessum, ut observat doctissimus vir Joannes Vicecomes l. 2. de ritibus Missæ cap. 12. qui asserit eam Ecclesiam Missæ ordinem à S. Barnaba Apostolo, psallendi verò Regulam à S. Miroclete Archiepiscopo accepisse. Psalterium dividunt Ambrosiani in duas partes, primam à Psalmo primo ad 109. *Dixit Dominus* nocturnis Vigiliis, secundam usque ad finem diurnis horis assignant. In hujus secundæ partis distributione sequuntur omninò Romanam Ecclesiam. At prima pars in duas Hebdomadas divisa decem continet decurias, ut vocant, singulisque noctibus una decuria persolvitur, hoc modo. Prima decuria psalmos sexdecim continet à primo usque ad 16. & psallitur feria secunda prioris Hebdomadæ. Secunda decuria incipit à Psalm. 17. *Diligam te Domine*: habetque Psalmos quatuordecim, & expletur feria tertia. Aliæ decuriæ Psalmis decem constant, exceptâ ultimâ, quæ octo Psalmorum est. Decuria itaque tertia pro feria quarta incipit à *Psalmo* 31. *Beati quorum*. Quarta pro feria quinta à *Psalm.* 41. *Quemadmodum desiderat*. Quinta pro feria sexta à *Psalm.* 51. *Quid gloriaris*. Sexta pro feria secunda alterius Hebdomadæ à *Ps.* 61. *Nonne Deo*. Septima pro feria tertia à *Psal.* 71. *Deus in judicium tuum*, & sic deinceps. Sabbatis, & Dominicis diebus, & in solemnitatibus Domini certis

Canticis nocturnas preces persolvunt. In feriis autem, & quibuslibet aliis sanctorum festivitatibus superscriptas decurias non mutant. Ab hac tamen Regula excipiuntur sex feriæ ante Nativitatem Domini, quas vocant de exceptato, & sex item feriæ majoris Hebdomadæ in quibus psalmis utuntur peculiaribus. Porrò Psalterii versionem propriam habent similem ei, quâ Romæ utuntur Canonici S. Petri in Vaticano.

2. Ad Nocturnos post *Pater & Ave* dicitur Versus *Deus in adjutorium :* sequitur Hymnus semper idem, *Æterne rerum conditor*, mox additur Responsorium, deinde Canticum trium puerorum cum Antiphona, & ter *Kyrie eleison*. Postea cum Antiphonis dicuntur Cantica vel Psalmi pro exigentia diei vel temporis : quibus dictis leguntur tres lectiones cum suis benedictionibus ferè semper propriis. Diebus Dominicis lectiones sunt de Homilia in Evangelium, in feriis de scriptura, in festis tertia est de vita Sancti, vel de sermone festivitatis. Excipiuntur ab hoc ordinario Nativitas Domini, Epiphania, quibus diebus dicuntur tres Nocturni, & novem Lectiones. Feria item sexta Parasceve leguntur sex Lectiones sed tres ultimæ sunt integræ Passiones secundùm Marcum, secundùm Lucam, secundùm Joannem : Passio verò secundum Matthæum Missæ reservatur. Post duas priores lectiones duo sequuntur Responsoria : post ultimam dicitur *Te Deum laudamus*, si tempus requirat, vel nihil additur.

Laudes absolutè inchoantur à Versu *Deus in adjutorium :* sequitur Canticum Zachariæ, pro quo in Dominicis Adventus, in Nativitate Domini, Circumcisione, & Epiphania dicitur Canticum Moysis *Audite cœli* cum Antiphona, & ter *Kyrie eleison*. Tum in Dominicis, & sanctorum solemnitatibus dicitur quinquies, vel etiam septies repetita Antiphona ad sanctam Crucem, additâ quadam Oratione secretâ. Mox alterum Moysis *Cantemus Domino* cum sua Antiphona, & ter *Kyrie eleison*, aliâque Oratione secretâ. Deinceps Canticum trium puerorum *Benedicite omnia opera* (illud enim quod dicitur ad Nocturnos incipit *Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum*) cujus loco Sabbato dicitur Psal. 117. *Confitemini*, & in aliis feriis Psalm. 50. *Miserere* cum Antiphona, & ter *Kyrie eleison*. Additur Oratio clarâ voce, quâ finitâ sub uno *Gloria Patri* quatuor Psalmi recitantur *Laudate Dominum de cœlis*, cum duobus sequentibus, & *Laudate Dominum omnes gentes*. Finitis Psalmis dicitur Capitulum, tum Antiphona cum tribus *Kyrie eleison*. *Dominus vobiscum*, & Psalmus directus, quisimul ab utroque choro cantatur. Postea Hymnus pro qualitate Officii diversus : & duodecies *Kyrie eleison* cum *Dominus vobiscum :* & dicitur psallenda una in festis Sanctorum, in Dominicis duplex. Est autem psallenda Antipho. na quædam repetita cum *Gloria Patri* additis quibusdam Versibus, & ter *Kyrie eleison* cum Oratione. In feriis loco psallendæ dicitur quoddam Responsorium, quod vocatur in baptisterio. Quibus absolutis finiuntur Laudes, nisi facienda sit aliqua commemoratio, quæ fieri solet per psallendam illius diei vel officii, de quo fit commemoratio. Quotidie autem, quando Officium non est solemne, fit commemoratio de B. Virgine, de S. Ambrosio, & de Patrono Ecclesiæ.

Ad Primam post *Pater*, & *Ave*, & *Deus in adjutorium* dicitur Hymnus *Jam lucis orto sidere :* Tum Psalmi *Deus in nomine tuo*, *Beati*, & *Retribue* sine Antiphona : quibus finitis dicitur *Alleluja*, & in Quadragesima *Laus tibi Domine*, *Rex æternæ gloriæ*. Sequitur epistolella, ut vocant, cum Responsorio brevi, cui statim quotidie subditur Symbolum Athanasii : postea Capitulum cum precibus, quæ tamen omittuntur in quibusdam solemnitatibus. Adduntur tres Orationes eædem semper. Tum legitur Martyrologium, post quod dicitur Versus *Exultabunt sancti in gloria* cum oratiuncula, & sic finitur Prima.

Tertia, Sexta, & Nona iisdem Hymnis & Psalmis explentur, quibus utitur Romana Ecclesia. Psalmi tamen dicuntur sine Antiphona, in quorum fine dicto *Alleluia*, vel *Laus tibi Domine* sequitur epistolella cum Responsorio brevi, tum preces, si dicendæ sint, postea Oratio, & sic terminantur Horæ. In solemnitatibus, & Dominicis diebus cantatur Hymn. ad Tertiam, qui incipit : *Jam surgit hora tertia.*

Vesperæ post *Pater* & *Ave* incipiunt absolutè à Salutatione *Dominus vobiscum*, deinde cantatur Lucernarium, id est Responsorium quoddam ter repetitum diversum secundùm Officii diversitatem. Dicitur iterum *Dominus vobiscum*, postea Antiphona, mox tertio *Dominus vobiscum*, tum Hymnus conveniens. Post Hym-

Hymnum quartò *Dominus vobiscum*, & Responsorium, quo finito adhuc repetitur *Dominus vobiscum*. Sequuntur quinque Psalmi cum suis Antiphonis iidem videlicet, quibus utitur Romana Ecclesia. Verùm in solemnitatibus Domini sub una Antiphona, & uno *Gloria Patri* unus Psalmus dicitur diversus pro diversitate Officii, cui semper adjungi solent Psalmi *Ecce nunc benedicite Dominum*, & *Laudata dominum omnes gentes*. In festis sanctorum post primam Orationem dicitur alter Psalmus diversus pro varietate Officii, seu festivitatis. Absolutis Psalmis cum Antiphonis dicitur ter *Kyrie eleison*, *Dominus vobiscum*, & Oratio conveniens Officio. Postea *Dominus vobiscum*, & *Magnificat* præmissâ Antiphonâ. Finito Cantico iteratur primus ejusdem Versus, & repetitâ Antiphonâ dicitur *Kyrie eleison*, & alia Oratio. Deinde psallenda, & alia, sicut in Laudibus recitantur. In feriis Quadragesimæ non dicitur *Magnificat*, sed duodecies *Kyrie eleison*. Habent Ambrosiani quasdam Vesperas de sanctis Patronis, & Titularibus Ecclesiarum, quæ dicuntur cum Vigiliis, in quibus post primam Orationem dicitur primus Psalmus, tum legitur una lectio de vita illius Sancti cum suo Responsorio, & post aliam Orationem dicto secundo Psalmo legitur alia lectio cum suo item Responsorio. Denique dicto Cantico *Magnificat* cum psallendis cantantur Litaniæ cum quibusdam Orationibus.

Ad Completorium præmissis *Pater*, *Ave*, *Converte nos*, & *Deus in adjutorium*, dicitur quotidie Hymnus *Te lucis ante terminum*, exceptâ Quadragesimâ, in qua dicitur Hymnus *Christe qui lux es & dies*. Tum sine Antiphona dicuntur Psalmi *Cum invocarem*, *In te Domine*, *Qui habitat*: & sub uno *Gloria Patri*, *Ecce quàm bonum*, *Ecce nunc benedicite Dominum*, & *Laudate Dominum omnes gentes*: quibus finitis dicitur *Alleluja*, vel *Laus tibi Domine Rex æterne gloriæ*. Tum in Quadragesima Hymnus *Te lucis ante terminum*, alio tempore statim subditur Epistolella cum suo Responsorio brevi, deinde Canticum *Nunc dimittis* cum precibus, si dicendæ sint; Additur Antiphona B. Virginis cum sua Oratione. Tandem fit confessio communis, & sic finitur Completorium.

## §. XI.

### *De ritu Mozarabico.*

1. CUm Hispania benè omnis Arabum inundatione tabesceret, Christiani inter barbarorum pressuras degentes dicti sunt Mozarabes, sive Mixtarabes, id est mixti cum Arabibus, quare & officium eorum Mozarabicum & Mixtum appellatum est. Hujus ritus institutores fuerunt sancti viri Leander, & Isidorus Hispalenses Episcopi, solius tamen Isidori nomen retinuit, quem solum ejus auctorem agnoscit Baronius [u]. Sic inscribi solet, Officium Gothicum, sive Mixtum secundùm Regulam B. Isidori. Ex decreto quarti Toletani Concilii omnes Hispaniarum Ecclesiæ hoc olim utebantur, sed regnante Alphonso VI. mutatum fuisse dicitur jussu Gregorii VII. Romani Pontificis, cujus ob hanc causam cum Regibus Hispaniarum contentiones narrat Baronius [x]. Extant de hac re ejusdem Gregorii, Epistolæ Alphonso, & Sanctio Regibus, & Episcopis Hispaniarum à paribus scriptæ Indictione duodecima anno scilicet 1074. Tametsi officium istud à viris sanctis, & orthodoxis compositum fuisset, Hispaniâ tamen ab infidelibus devastatâ multi errores in illud irrepserant, ut ex Albino Flacco constat lib. 1. adversus Elipantum Episcopum Toletanum, qui ex iisdem Officiis depravatis multa assumit testimonia ad suam hæresim astruendam. Nunc tam Missale quam Breviarium hujus ritus correcta sunt, & juxta sensum Catholicum emendata jussu Francisci Ximenez Archiepiscopi Toletani, qui explosis Gothicis characteribus, Latinis ea conscribi, ac typis mandari curavit: tum Sacerdotes instituit, qui juxta hunc ritum Deo laudes, & sacrificium offerrent. Adhuc viget hoc Officium, & servatur Toleti in quinque Parœciis, & in sacello ejusdem Francisci Ximenez, itemque Salamanticæ in sacello Doctoris Talabricensis, quod est in claustro majoris Ecclesiæ. Plura de hoc ritu Etherius, & Beatus Scriptores antiqui, & graves lib. 1. adversus præfatum Elipantum. Discrepat ferè in omnibus ab usibus aliarum Ecclesiarum.



u *Baron. an. 633. num. 70.* x *Idem. an. 1074. & 1080.* y *Greg. VII. libro 1. Epist. 64. & 83.*

2. Omnes horæ sic inchoantur. *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster, & Ave Maria* secretò: additur in nocturnis *Ave Regina Cœlorum* cum Versu, & Oratione. Tum protinus alta voce, *In nomine Domini nostri JESU Christi lumen cum pace*: respondent omnes *Deo gratias*. Solum Completorium aliter incipit, ut videbimus. Horis autem absolutis dicitur *Pater noster* alta voce, singulisque petitionibus respondetur *Amen*, nisi cum ista profertur *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, cui respondetur, *Quia Deus es*. Mox eodem vocis tenore in Laudibus, & Vesperis hæc Oratio subsequitur: *Liberati à malo, confirmati semper in bono tibi servire mereamur Deo, ac Domino nostro. Pone Domine finem peccatis nostris, da gaudium tribulatis, præbe redemptionem captivis, sanitatem infirmis, requiemque defunctis: concede pacem, & securitatem in omnibus diebus nostris, frange audaciam inimicorum nostrorum: exaudi Deus orationes servorum tuorum omnium fidelium Christianorum in hoc die, & in omni tempore. Per Dominum nostrum.* In cæteris precibus loco hujus Orationis dicitur, *A malo nos libera, & in tuo timore, & opere bono confirma.* His peractis dicit Diaconus, *Humiliate vos benedictioni*: & statim Sacerdos benedictionem pronunciat tres petitiones continentem, quarum cuilibet respondetur, *Amen*. Tandem omnes horæ hac clausula terminantur, *In nomine Domini nostri JESU Christi perficiamus cum pace*: & respondent omnes *Deo gratias*. Habebant olim Mozarabes horas duodecim, ex quibus quatuor rejectæ sunt, videlicet, in principio noctis, ante lectum media nocte, & in surrectione lecti.

Nocturnæ preces hujus Officii brevissimæ sunt Post commune principium supra scriptum dicitur Antiphona cum Psalmo 50. *Miserere*. Hinc tres cantantur Antiphonæ cum Responsorio uno, quamlibet autem Antiphonam sua comitatur Oratio. Diebus Dominicis loco primæ Antiphonæ dicitur Hymnus *Æterne rerum conditor*, statimque oratio, post quam dicuntur tres Psalmi cum suis Antiphonis. His rursum succedunt tres Antiphonæ cum Responso, & orationibus. Cum ultimo autem Responsorio absolvuntur Vigiliæ nocturnæ. Psalmus *Miserere* mutatur in Psalmum *Domine quid multiplicati sunt* diebus Dominicis à Paschate ad Pentecosten, & in festis solemnioribus.

Ad Laudes dicta prius salutatione *Dominus sit semper vobiscum* cantatur Antiphona, quam sequitur Canticum unum ex veteri, vel novo Testamento, In festis B. Virginis, & in nocte Nativitatis Domini dicitur hoc loco Canticum *Magnificat*: & in festo S. Joannis Baptistæ Canticum *Benedictus*. Aliis diebus alia Cantica diversa assignantur. Absoluto Cantico repetitur Antiphona, & dicto *Dominus sit semper vobiscum*, dicitur alia Antiphona ante Canticum trium puerorum. Sequitur sonus similis nostris Responsoriis, & alia Antiphona ante Psalmum *Laudate Dominum de cœlis*, quo decantato legitur Prophetia, quam sequitur Hymnus, tum supplicatio Sacerdotis ad populum, qua eum hortatur, ut petat à Deo quæ necessaria sunt ad salutem: cui respondetur *Præsta omnipotens æterne Deus*. Postea Capitulum per modum Orationis præmisso *Kyrie eleison*: Tum *Pater noster*, & Laus constans ex versibus quibusdam sæpius repetitis, dataque benedictione finis Laudibus imponitur. Antiphonis & Laudibus sæpius adjungunt sanctissimæ Trinitatis doxologiam, quam hoc modo pronunciant, *Gloria & honor Patri, & Filio & Spiritui sancto in sæcula sæculorum. Amen.*

Post Laudes unum Officium speciale habent Mozarabes ante Primam persolvendum, quod vocatur Aurora. Solis diebus ferialibus dicitur & constat quatuor Psalmis cum Antiphona, habetque laudem unam, Hymnum unum, Versum unum, *Pater noster*, & quasdam preces. Psalmi sunt isti, Deus in adjutorium, Beati immaculati, In quo corrigit, Retribue.

Initio Primæ dicitur Antiphona, & *Dominus sit semper vobiscum*, statimque dicuntur septem Psalmi, nimirum Deus misereatur, Exaltabo te Deus meus Rex, divisus in Versu Regnum tuum, Laudate pueri, Adhæsit, Legem pone, & Veniat: tum iteratur Antiphona, quam sequitur Responsum unum, Prophetia, Epistola, laus, Hymnus, & Versus. Mox dicitur *Te Deum Laudamus*, & *Gloria* extra Adventum, & Quadragesimam, deinde Symbolum Apostolorum, supplicatio, *Pater noster*, benedictio & finis.

Tertia, Sexta, & Nona incipiunt ut Prima, habentque quatuor Psalmos, & varia Responsa, quibus succedunt Prophetia, Epistola, laus, Hymnus, & clamores, quibus petunt à Deo, ut non juxta scelera pœnas infligat. Sequuntur supplicatio, Capitulum, *Pater noster*, benedictio, & sic singulæ terminantur. Ad Tertiam hi Psal. dicuntur, Venite exultemus, Memento verbi tui, Portio mea, Bonitatem.

Ad

Ad Sextam, Deus in nomine tuo, Feci judicium, Mirabilia, Justus es Domine. Ad Nonam, Lauda anima mea Dominum, Lætatus sum, Ad te levavi oculos meos, Nisi quia Dominus.

Ad Vesperas nullos concinunt Psalmos, sed dicto *Dominus sit semper vobiscum* cantant laudem unam, sonum unum, Antiphonam unam, semperque singulis præmittunt salutationem. Sequitur alia laus, tum Hymnus, supplicatio, Capitulum, *Pater noster*, benedictio: item alia laus, quæ dum cantatur incensatur Ecclesia: demum recitata Oratione, sive Collecta diei finiuntur Vesperæ.

Completorium initium sumit à Psalmo *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Mox dicuntur tria *Alleluja*, & in Quadragesima *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.* Sequitur alius Psalmus, iterumque ter *Alleluja*: deinde alius Psalmus *Qui habitat.* Huic succedit alius Psalmus, & alter Hymnus: tum Versus, supplicatio, *Pater noster*, & benedictio. Dicta tandem Antiphona *Salve Regina* cum Versu, & Oratione absolvitur Completorium.

## §. XII.

### *De aliis quibusdam ritibus Ecclesiæ Latinæ.*

1. PRæter hactenus descriptos ritus de aliis quoque Latinis Ecclesiis agendum foret, quæ & proprio utuntur Breviario, & singulari inter cæteras religione, ac dignitate præeminent. Multi enim Episcopatus in Gallia, & in Belgio sunt, multi in Germania, & quidã etiam in Hispania, qui proprio ac peculiari ritu Domino Deo laudes persolvunt. Sed quoniam ab his quos jam descripsimus, maximè autem à Romanis vix discrepant, tum in psalmorum distributione, tum in numero lectionum, tum in ipsa Officii methodo, ac ordinatione, superfluum existimavi singularem de illis tractationem instituere. Nam præter quædam nihil novi in ipsis occurrit. Psalterii divisionem eam Gallicæ Ecclesiæ ac Germanicæ, itemque Belgicæ, ac Hispanicæ sequuntur, quam Romana tenet Ecclesia, exceptis Psalmis qui horæ primæ deserviunt, in quorum distributione cum eo ritu ferè omnes conveniunt, quẽ Officio Prædicatorum, vel Lugdunensis Ecclesiæ supra assignavimus. Ecclesia Bisuntina, quæ est Sequanorum Metropolis, habet hoc proprium, quod in secundis Vesperis solemnitatum, nec Capitulum, nec Hymnum dicit, sed pro Capitulo *Alleluja* cum Versu, pro Hymno quamdam prosam modulatur: in magnis item solemnitatibus bis Canticum *Magnificat* repetit, variis intermixtis Antiphonis. Toletani ante Matutinum recitant flexis genibus Antiphonam *Ave Regina cœlorum* cum Collecta: tum Psalmos Graduales, & horas B. Virginis præmittunt exceptis festis. Sed hæc minutiora sunt, & prætermittenda, cum notabile discrimen in sacris precibus non constituant.

## §. XIII.

### *De ritu Græcorum.*

1. AB Ecclesia Occidentali ad Orientalem transeo: à Latino ad Græcum idioma. Vox quidem dissona, ut loquitur Hieronymus[z], sed una Religio. Sunt autem Græcorum ritus in omnibus Ecclesiis, & Monasteriis Orientalibus similes, exceptis pauciſſimis observationibus, quæ licet modici momenti sint, diversis tamen Typicis nomen dederunt: est enim Typicon S. Sabæ, Studitarum, Montis sancti, quæ quidem Typica varietatem potius Monasticarum constitutionum, quam sacrorum rituum continent. Psalterium dividunt Græci in viginti καθίσματα, quasi sedes, & pausas, sive stationes, quia dum bini, & bini ad recitandum accedunt, illis stantibus cæteri sedent. Quodlibet Cathisma sive pluribus, sive paucioribus constet Psalmis, in tres partes distinguitur per Versum *Gloria Patri*: imò Cathisma 17. quod unicum habet Psalmum 118. eadem distinctione in tres sectiones dividitur. A Dominica in Albis usque ad Dominicam post octavam Exaltationis S. Crucis, quæ die 14 Sept. à Græcis solemniter celebratur, totũ psalterium semel in hebdomada percurrunt hoc modo. Die Sabbati in Vesperis dicunt primum Cathisma. Die Dominico in Matutino secundum, & tertium. Feria secunda in Matut. 4. & 5. In Vesp. 6. Feria tertia in Matut. 7. & 8. In Vesp. 9. Feria quarta in Matut. 10. & 11. In Vesp. 12. Feria quinta in Matut. 13. & 14. In Vesp. 15. Feria sexta in Matut. 19. & 20. In Vesp. 18. Sabbato in Matut. 16. & 17. A Dominica post octavam Exaltationis usque ad Dominicam in Quinquagesima eundem ordinem servant in Psalterio legendo, nisi quod feria secunda, tertia, quarta, & quinta semper in Vesperis legunt Cathisma 18. & ea Cathismata, quæ Vesperis horum dierum assignata erant, adjiciuntur Matutino: & Matutino diei Do-

z *Hier. ep.* 17.

Dominicæ superadditur Cathisma 17. A Quinquagesima usque ad Feriam quartam Dominicæ Palmarum bis in hebdomada Psalterium recitant. Die Sabbati ad Vesperas legunt primum Cathisma. Die Dominica ad Matut. 2. 3. & 17. Feria secunda ad Matut. 4. 5. & 6. Ad Tertiam 7. Ad Sextam 8. Ad Vesp. 18. Feria tertia ad Matut. 9. 10. & 11. Ad primam 12. Ad Tertiam 13. Ad Sextam 14. Ad Nonam 15. Ad Vesp. 18. Feria quarta ad Matut. 16. 19. & 20. Ad Primam primum. Ad Tertiam secundum. Ad Sextam 3. Ad Nonam 4. Ad Vesp. 18. Feria quinta ad Matut. 5. 6. & 7. Ad Primam 8. Ad Tertiam 10. Ad Sextam 11. Ad Nonam 12. Ad Vesp. 18. Feria sexta ad Matut. 13. 14. & 15. Ad Tertiam 19. Ad Sextam 20. ad Vesp. iterum 18. A feria quarta Dominicæ Palmarum usque ad Dominicam in Albis exclusivè non legunt Psalterium, nam ista cathismata omittunt, quæ solent adjungi Officio jam ex quibusdam Psalmis, & Orationibus constituto. Omnia verò Cathismata aliquando ex octo, vel novem Psalmis, aliquando ex paucioribus constant, excepto 17. quod, ut dixi, unicum habet Psalmum *Beati immaculati in via.*

2. Totum Officium dividunt Græci in Nocturnum quod μεσονύκτιον vocant, id est Officium mediæ noctis, Matutinum, Laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, Completorium: quibus additur Typicon, quod loco Missæ recitari solet.

Nocturnum sic incipit. *Benedictus Deus noster nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. Rex cœlestis, consolator spiritus veritatis, qui ubique es, & reples omnia, thesaurus bonorum, & vitæ largitor: Veni, & inhabita nos, & munda nos ab omni macula, & salva bone animas nostras.* Sequitur Trisagion, videlicet, *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis miserere nobis:* & dicitur ter *Gloria Patri. Sanctissima Trinitas miserere nostri, domine dele peccata nostra, domine parce iniquitatibus nostris, sancte visita, & medere infirmitatibus nostris propter nomen tuum. Kyrie eleison,* ter *Gloria Patri. Quoniam tuum est regnum, & virtus, & gloria Patris, & Filii, & Spiritus sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum Amen. Kyrie eleison* duodecies. *Gloria Patri. Venite adoremus Regem nostrum Deum. Venite adoremus Christum Regem nostrum Deum. Venite adoremus, & procidamus coram ipso Domino Jesu Christo, & Deo nostro.* Hoc initium est omnibus horis commune, si dicantur separatim: sin autem simul recitentur, illa Officia quæ adjunguntur ab illis versiculis incipiunt, *Venite adoremus.* Deinde Noct. ita prosequuntur. Dicunt *Psal. 50. Miserere,* & integrum *Ps. 118. Beati immaculati in via. Credo in unum Deum,* Trisagion, Troparia consueta, & præscripta. *Kyrie eleison* quadragesies, cum solitis Orationibus. Tum sequitur secunda pars Nocturni. *Venite adoremus* ter, ut supra, *Ps. 120. Levavi oculos meos,* & 133. *Ecce nunc.* Trisagion, Troparia pro defunctis. *Kyrie eleison* duodecies. Oratio pro defunctis, & dimisso Nocturni cum precationibus pro vivis, & eorum necessitatibus specialiter expressis, & pro defunctis. Hic accedit petitio veniæ, & absolutio Sacerdotis, seu Archimandritæ, aut alterius Præpositi Monachorum. Die Sabbati loco psalmi *Beati immaculati* dicuntur psalmi sequentes, *Te decet Hymnus* usque ad *Deus in adjutorium* inclusivè, videlicet à 64. usque ad 69. Dominica die Nocturnum penitus diversum est. Post communne principium dicitur *Ps. Miserere.* Tum Odarium de sanctissima Trinitate, quod novem odis constat, sicut cætera omnia Odaria: secunda tamen ode non canitur. Trisagion Troparia consueta, Litaniæ pro variis indigentiis, Precatio veniæ, absolutio, & precationes pro vivis, eorumque necessitatibus.

Ad Matutinum præmisso initio suprascripto dicuntur Psalmi 9. & 120. *Exaudiat* & *Domine in virtute tua.* Mox Trisagion cum Troparis, & Litania Sacerdotis. Tum psalmi sex, nempe 3. *Domine quid multiplicati sunt,* 37. *Domine ne in furore,* 62. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo,* 87. *Domine Deus salutis meæ,* 102. *Benedic,* & 142. *Domine exaudi.* Sequitur Litania magna Sacerdotis. Canitur deinde *Deus Dominus & illuxit nobis,* seu *Alleluja* pro diversitate temporum, Troparia, & debita Cathismata Psalterii, Psalmus 50. *Miserere,* & post ipsum aliqua Odaria. Tum *Magnificat* addendo post quemlibet versiculum glorificationem B. Virginis Mariæ. In festis autem solemnioribus non *Magnificat,* sed quædam alia cantantur, & in aliquibus festivitatibus sufficit ode nona, quæ semper sine ulla exceptione B. Virginis laudes continet.

Laudes immediatè junguntur Matutino, ideoque incipiunt sine præviis oratiunculis, sed post Exapostilarion, sive dimissorium canitur *omnis spiritus laudet Dominum.* Sequuntur Psalmi 148.

Lau-

*Laudate Dominum de cœlis*, 69. *Deus in adjutorium*, & 108, *Deus laudem meam ne tacueris*, interserendo ultimi Ps. Versiculis Stichiria diversa pro dierum diversitate. Additur *Gloria in excelsis* totum cum orationibus: Tum Litaniæ, & Stichiria cum quibusdam Versiculis: & post *Gloria Patri* cum Stichirio cantatur Versiculus *Bonum est confiteri Domino*. Demum Trisagion, Troparion, Litaniæ, & finis.

Ad Primam post initium dicuntur Psalmi 5. *Verba mea auribus percipe*, 89. *Domine refugium*, & 100. *Misericordiam*, & *judicium*. Deinde Troparia pro temporis exigentia, & nonnulla quæ nunquam mutantur, Trisagion, Contacion quod est brevissimus modulus, *Kyrie eleison* quadraginta vicibus, Orationes, & finis.

Ad Tertiam, Sextam, & Nonam idem ordo servatur, sed Psalmi diversi sunt, & diversæ Orationes. Psalmi Tertiæ sunt 16. 24. & 50. *Exaudi Domine justitiam meam*, *Ad te Domine levavi animam meam*, & *Miserere*. Sextæ 53. 54. & 90. *Deus in nomine tuo*, *Exaudi Deus orationem*, & *Qui habitat*. Nonæ 83. 84. & 85. *Quam dilecta*, *Benedixisti*, & *Inclina*. Cæterùm præter horas sunt quoque officio, quæ Mezoria nuncupantur. Mezorium primæ horæ post initium à Trisagio sumptum habet Psalmos 45. 91. & 92. *Deus noster refugium*, *Bonum est confiteri*, & *Dominus regnavit decorem indutus est*. Sequitur Trisagion, & post ipsum Troparia, tum *Kyrie eleison* triginta vicibus, Orationes, & finis. Similiter procedunt reliqua Mezoria, sed Psalmos & Orationes peculiares habent. Mezorium horæ tertiæ his constat Psalmis 29. 31. & 60. *Exaltabo te Domine*, *Beati quorum*, *Exaudi Deus deprecationem meam*. Sextæ 55. 56. 59. *Miserere mei Deus quoniam conculcavit me homo*, *Miserere mei Deus miserere mei*, *Deus in adjutorium meum intende*. Nonæ 83. 84. 85. ut supra ad Nonam.

Typicon ita incipit. *Benedic anima mea Dominum*: *Benedictus es Domine*: sequuntur Psalmi 102. & 145, *Benedic anima mea Dominum*, & *Lauda anima mea Dominum*. Tum Canticum de Verbo incarnato. Octo beatitudines cum Tropariis, aut Stichiriis, Epistola, & Evangelium. Precationes cum glorificatione sanctissimæ Trinitatis, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, *Credo in unum Deum*. Oratiuncula deprecatoria *Pater noster*. Contacia. *Kyrie eleison* duodecies. Oratio ad sanctissimam Trinitatem. Psalmus 33. *Benedicam Dominum in omni tempore*, & finis.

Ad Vesperas post consuetum initium dicitur Psalmus 103. *Benedic anima mea Dominum*: Tum Litania magna. Postea Psalterium, mox Psalmi 140. *Domine clamavi ad te*, 141. *Voce mea ad Dominum clamavi*, 129. *De profundis*, 119. *Laudate Dominum omnes Gentes*: Versibus autem duorum Psalmorum posteriorum intermiscentur stichiria, Sequuntur Versiculi, Prophetiæ, Litania, Orationes, Psalmus 122. *Ad te levavi oculos meos* cum stichiriis. Diebus Sabbati, & in primis Vesperis solemnitatum loco præfati Psalmi alii Versiculi adhibentur. Demum *Nunc dimittis*, Trisagion, Troparion, Litania, & finis.

Completorium, quod à Græcis ἀποδεῖπνον dicitur, quia post cœnam persolvi solet, triplex est pro temporum diversitate. Aliud est parvum, aliud medium, aliud magnum. Completorium parvum præmisso principio habet Psalmos 50. *Miserere*, 69. *Deus in adjutorium*, & 142. *Domine exaudi*. Sequitur *Gloria in excelsis* cum Orationibus. Tum Odarium, Trisagion, Troparia, *Kyrie eleison* quadragesies, Oratio ad Deum, Oratio ad B. Virginem, alia Oratio ad Deum, & finis cum petitione veniæ, absolutione, & precationibus pro vivis, & defunctis. Completorium medium post initium habet Psalmum *Qui habitat*, tum Canticum Isaiæ *Nobiscum Deus*, postea Troparia, *Credo in unum Deum*, Invocationes B. Virginis, Angelorum, & Sanctorum, Trisagion, Troparia, *Kyrie eleison* quadragesies, & Orationem. Mox ter *Venite adoremus*, Psal. 50. 69. & 142. *Gloria in excelsis*, & reliqua, ut in parvo Completorio. Completorium magnum in tres partes distinguitur. Prima pars post initium constat Psalmis 4. *Cùm invocarem*, *Domine ne in furore*, 12. *Usquequo*, 24. *Ad te Domine*, 30. *In te Domine speravi*, & 90. *Qui habitat*. Sequitur Canticum Isaiæ *Nobiscum Deus*, Troparia, *Credo in unum Deum*, Invocationes B. Virginis, Angelorum, & Sanctorum, Trisagion, Troparia, *Kyrie eleison* quadragesies, & Oratio. Secunda pars incipit à Versu *Venite adoremus* ter: deinde dicuntur Psalmi 50. & 101. *Miserere*, & *Domine exaudi*. Tum Oratio Manasse Regis Judæorum, Trisagion, Troparia, *Kyrie*, & Oratio. Tertia pars post *Venite adoremus* ter, habet Psalmos 109, & 142. *Dixit Dominus Domino meo* & *Domine exaudi*: deinde *Gloria in excelsis*, & reliqua, ut in parvo Completorio. Atque hi sunt ritus, quibus communiter utuntur Græci: sunt tamen aliqua quæ pro ratione temporum immutantur. Officium enim hebdomadæ Paschatis diversum est & brevissimum, Officium Quadragesimæ solito

longius, & alia multa sunt, quæ sigillatim describi non possunt: & si quis ea exactius scire desiderat, Typica consulere debet. Porrò Græci ritus nullibi exactius observantur, quàm in Monte sancto, quem Geographi Athon vocant. Degunt in eo multa millia Monachorum in diversis Monasteriis, estque in tanta apud Græcos sanctimoniæ æstimatione, qua Roma apud nos. Mons adeò elatus est, inquit Pomponius Mela, ut credatur altius surgere, quàm unde imbres cadunt. Longitudo ejus trium dierum, latitudo dimidii diei iter habere dicitur, estque in Macedonia. Sunt autem ritus Græcorum antiquissimi à sanctis Patribus Sabba, Charitone, Euthymio, & aliis sapientissimè ordinati. Successu verò temporis multa addita, & mutata sunt, ut docet vir doctissimus, & horum rituum peritissimus Leo Allatius l. 3. de consensu Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ c. 13. & in Dissertatione de libris Ecclesiasticis Græcorum. Atq; hinc factum est, ut Græcanica officia in ingentem molem excreverint.

## §. XIV.

### *De ritu Græco Monachorum Cryptæ ferratæ Ordinis S. Basilii.*

MOnasterium Cryptæ ferratæ in agro Tusculano ritus habet à communi usu Græcorum in nonnullis differentes, quod quidem discrimen licet essentiale non sit, vel magni momenti, libet tamen eosdem hic seorsim describere, prout ab illo Monasterio mihi transmissi sunt, ad uberiorem Officii Græci cognitionem. Psalterium dividunt in 20. Cathismata, ut supra: & singulorum officiorum hæc series est.

Nocturnum sive μεσονύκτιον certis tantùm diebus, recitant, ut in Adventu Domini, & in Quadragesima, aliisque paucis inter annum diebus.

Ad Matutinum sic procedunt. Hebdomadarius accepta benedictione à Superiore sic incipit: *Benedictum Regnum Patris, & Filii, & Spiritus sancti nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.* Respondet Chorus, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quo Versu bis repetito statim dicunt, *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Deinde dicunt hos Psalmos, *Domine quid multiplicati sunt, Domine ne in furore tuo, 2. Deus Deus meus ad te de luce vigilo*, & in fine Psalmi addunt, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. Alleluja* ter, *Gloria tibi Domine*, & iterum ter *Alleluja.* Tunc psallunt alios tres Psalmos *Domine Deus salutis meæ. Benedic anima mea Dominum*, 1. & *Domine exaudi*, 142. *Gloria Patri*, cum reliquis ut supra. Isti sex Psalmi semper iidem recitantur ad Matutinum. Adduntur Cathismata, quæ priusquam persolvant, nonnullas prætermittunt preces, quas Irenicas, id est pacificatorias vocant, quia ad pacem implorandam illas effundunt. Mox dicunt Orationem *Gratias agimus tibi Domine Deus noster*, post quam canit Hebdomadarius idem repetente choro, *Deus Dominus, & illuxit nobis, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Iterum Hebdomadarius, *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Respondet Chorus, *Deus Dominus, & illuxit nobis.* Hebdomadarius, *Circumdantes circumdederunt me.* Succinit Chorus, *Deus Dominus*: & sic per plures Versiculos. His expletis dicunt Orationem currentis diei sub nomine Troparii, & iterum aliam Orationem, tum versiculos quosdam graduales, atque Evangelium diei. Post Evangelium recitant Psalmum 50. *Miserere*: & si fuerit dies Dominicus sequitur Hymnus de resurrectione, alioquin dicitur alia Oratio. Sequuntur deinde lectiones currentis diei, quas vocant Canones, & constant novem lectionibus: quælibet autem lectio vocatur ode constans quibusdam Tropariis. Ante nonam lectionem concinunt Canticum B. Virginis *Magnificat* cum *Gloria Patri.* Postea additur deprecatiuncula quam vocant Exapostilarion id est dimissorium. Tum psallunt. *Laudate Dominum omnes Gentes*, & quædam Troparia. Deinde *Gloria in excelsis Deo*, Trisagion, *Gloria Patri*, & hanc Orationem: *Sanctissima Trinitas miserere nobis, Domine indulge iniquitatibus nostris, Domine, parce peccatis nostris, sancte Domine protege nos, & sana infirmitates nostras propter gloriam nominis tui. Domine miserere, Domine benedic.* Sequitur *Pater noster*, quo alta voce decantato statim Hebdomadarius ait, *Quoniam tuum est regnum, & virtus, & Gloria Patris, & Filii, & Spiritus sancti nunc & semper, & in sæcula sæculorum Amen.* Et statim recitant Orationem currentis feriæ, vel sancti, & post nonnullas alias deprecationes absolvitur Matutinum.

Primam dicunt immediatè post Matutinum, & ideò eo absoluto cantant omnes alta voce *Pater noster*: & statim Hebdomadarius dicit, *Quoniam tuum est regnum.* Mox alternatim ter concinunt *Venite adoremus, & procidamus Christo Regi, & Deo nostro.* Sequuntur Psalmi tres, post quos dicunt ter *Alleluja*, *Gloria tibi Domine.* Demum post

post aliquot deprecationes, post Trisagion, *Pater noster, Quoniam tuum est regnum*, & post duo Troparia recitant Orationem hujus horæ, & sic finitur Prima.

Tertia, Sexta, & Nona eodem modo procedunt, mutatis Psalmis, Tropariis, & Orationibus. Ad has autem horas, sicut & ad Primam eosdem concinunt Psalmos, qui jam supra descripti sunt in communi ritu Græcorum. Adjunguntur his, qui nunquam mutantur, Cathismata, sive Psalterii portiones, ut supra quoque notatum est.

Vesperæ incipiunt sicut Matutinum, *Benedictum regnum*. Sequitur alta voce *Pater noster*, quo finito dicit Hebdomadarius, *Quoniam tuum est regnum*, & statim psallunt omnes alternatim *Venite adoremus*, quo ter repetito, cantant Psalmum 103. *Benedic anima mea Dominum*. Postea si fuerit dies Dominicus, vel aliqua solemnitas, subdunt preces pacificatorias: quas aliis diebus omittunt. Sequitur Oratio; quæ incipit, *Domine misericors, & miserator*. Post quam dicitur εἰρήνη πᾶσι, *Pax omnibus*, cui salutationi respondetur, *& cum spiritu tuo*. Item *Inclinate capita vestra Deo*, respondetur *Tibi Domine*. Et statim cantatur Antiphona, juxta cujus tonum concinuntur quatuor Psalmi jam supra notati in communi ritu Græcorum. Finitis Psalmis accedunt singulatim Sacerdotes plures, vel pauciores juxta exigentiam diei, ad canendum Troparia, post quæ Superior, vel cui ipse jusserit, intonat *Gloria Patri*. Tum aliud Troparium ab aliquo Diacono, vel Subdiacono canitur, incipiens φῶς ἱλαρὸν, *Lumen lætitiæ*. Sequuntur quidam versiculi diversi pro varietate dierum, post quos ab eodem Diacono, vel Subdiacono recitatur quædam Oratio incipiens, *Dignare Domine hoc vespere*. Tum Sacerdos alias recitat preces, & post alia quatuor Troparia concinunt Canticum *Nunc dimittis*, & post ipsum Trisagion, *Sanctissima Trinitas, Pater noster, Quoniam tuum est regnum*. Denique dicitur Oratio currentis diei, vel sancti, & post alias quasdam deprecatiunculas Vesperæ finiuntur.

Ad Completorium Hebdomadarius accepta Benedictione dicit *Benedictus Deus noster nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen*. Sequitur Trisagion, *Sanctissima Trinitas, Pater noster, Quoniam tuum est regnum*. Deinde dicuntur Psalmi sequentes, *Dominus illuminatio mea, Domine in nomine tuo*, & *Miserere*. Mox recitatur Canon, & post oden octavam Canticum B. Virginis concinunt, & post ipsum immediatè legunt unam lectionem, sive compendium vitæ sancti currentis. Tum nona ode subsequitur, & post ipsam Psalmus *Deus misereatur nostri*: deinde Trisagion, *Sanctissima Trinitas, Pater noster, Quoniam tuum est regnum*, Oratio ad B. Virginem, deprecationes pro variis necessitatibus, & finis.

## §. XV.

### *De ritu Armenorum.*

1. CLarissima inter omnes Asiæ regiones est Armenia, multitudine populorum, terræ fertilitate, salubritate aeris, & locorum amœnitate. Dividitur in majorem, & minorem. Major Turcomannia nunc dicitur, Popul, & Curdi. Minor Pegian; & Bozoc; & dividitur à majori Euphrate flumine. Illa sub Persarum, hæc sub Turcarum tyrannico dominio miseram servit, & duram servitutem. Ad fidem Christi conversa fuit B. Apostoli Bartholomæi prædicatione, quam illibatum per aliquot secula conservavit; sed ut res humanæ in deterius semper labuntur, vicinæ Græciæ erroribus tandem adhæsit, & à Romana Ecclesia separata est. Porrò statum Religionis Armenæ verè, copiosè, & eleganter describit vir multis pro Catholica fide exantlatis laboribus illustris D. Clemens Galanus Surrentinus Clericus Regularis in sua Conciliatione Ecclesiæ Armenæ cum Romana, quæ nuper Romæ Latino, & Armeno idiomate edita est typis sacræ Congregationis de propaganda fide. Ab hoc qui multis annis in illis regionibus moratus est, & ab ejus discipulo Der Garabiet Monacho Armeno Cyriaci Armeniorum Patriarchæ Catholici nuper defuncti fratre germano viro Catholico ea didici, quæ de illius Ecclesiæ ritibus hic fideliter describo.

2. Psalterium, sicut Græci in viginti Cathismata, ita Armeni in octo sectiones dividunt, quas canones appellant. Prima sectio continet Psalmos decem & septem, à primo usque ad 18. *Cæli enarrant*, exclusivè. Secunda habet Psalmos decem & octo, à decimo octavo usque ad 36. *Noli æmulari malignantibus*. Tertia constat Psalmis undeviginti, à trigesimo sexto usque ad 55. *Miserere mei Deus quoniam conculcavit me homo*. Quarta est Psalmorum decem & septem, à quinquagesimo quinto usque ad 72. *Quam bonus Israel Deus*. Quinta est Psalmorum viginti septem, à septuagesimo secundo usque ad 99. *Jubilate Deo omnis terra*. Sexta habet Psalmos septem, à nonagesimo nono usque ad 106. *Confitemini Domi-*

*no quoniam bonus.* Septima Psalmis constat tredecim, à centesimo sexto usque ad 119. *Ad Dominum cum tribularer clamavi.* Octava denique ab hoc usque ad finem Psalmos continet triginta duos. Hæ Psalterii divisiones adjunguntur Officio divino jam ex Psalmis, aliisque precibus constituto, sicut Græcorum Cathismata: & sic Psalterium non semel, aut bis in Hebdomada, ut supra de Græcis dictum est, sed semel in die totum ex integro in Monasteriis percurrunt. In aliis autem Ecclesiis ipsas sectiones ita per ferias dividunt, ut non nisi semel in Hebdomata Psalterium expleant.

3. Totum Officium in octo dividunt partes. Prima dicitur *Mesehehieseris*, sive media nox, & est Officium nocturnum, quod ab illis media nocte recitatur. Secunda, *Arrauodian*, Diluculum, sive Laudes. Tertia, *Arieuachal*, ortus solis, id est Prima. Quarta, *Ferruort*, hora tertia. Quinta, *Viezieruort*, hora sexta. Sexta, *Inicruort*, hora nona. Septima, *Ferieghuorian*, Vespere. Octava, *Khakhaghaghan*, pacificatio, sive requies, & est Completorium. His accedit nonum quoddam Officium, quod à singulis privatim dicitur in fine crepusculi vespertini antequam cubitum eant. Sed de singulis sigillatim agendum est.

Nocturnum Officium incipit ab Oratione Dominica. Tum dicunt ter *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Benedicta sit consubstantialis, unica & individua Trinitas Pater, & Filius, & Spiritus sanctus nunc & semper, & in sæcula sæculorum Amen.* Sequuntur Psalmi *Domine quid multiplicati sunt, Domine Deus salutis meæ: Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt: Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem.* In fine Psalmorum dicitur *Gloria Patri:* Tum Oratio quæ incipit, *Excitati à quiete somni, quem nobis concessit amator hominum Deus in subsidium fragilitatis nostræ gratias agamus illi.* Post Orationem legitur Concio sive Paræneſis, qua lecta psallunt quinquagesies *Domine miserere,* & in diebus jejuniorum centies magna & elata voce; diebus autem festis ter tantum. Mox unus dicit Orationem *Gratias agimus tibi Domine Deus noster,* &c. cantant deinde Hymnos, sive Cantica quædam ab ipsis composita vario metrorum genere. Post hæc diebus Dominicis legunt Evangelium. Sequuntur precationes. *Intercessione sanctæ Dei Genitricis, S. Joannis Baptistæ, & S. N.* illius scilicet cujus festivitas agitur, *concede nopis omnipotens Deus, &c.* Hic interserunt duas priores Psalterii sectiones: Tum leguntur quatuor Conciones sive sermones exhortatorii, diversi pro temporum diversitate, & post singulos singulas cantant Orationes diverso tono. Sequitur Hymnus incipiens *Rex sæculorum.* Tum alius Hymnus singulis feriis diversus. Mox alia deprecatio, lectio Menologii, *Pater noster,* & finis. Et hic percurrunt tertiam, quartam & quintam sectionem Psalterii.

Laudes post Orat. Dominicam inchoantur à Versu *Repleti sumus mane misericordia tua* usque ad finem Psalm. Sequitur immediatè Cant. 3. puerorum. Tum Oratio *Benedicite Creatorem creaturarum, Dominum dominorum, Regem regum, &c.* Ode in laudem SS. Invitati ad orandum. Oratio ad Beat. Virginem, Canticum *Magnificat* Hymnus in laudem B. Virginis. Canticum *Benedictus*: Hic vero diebus Dominicis sequentia intermiscent: preces pro omni statu hominum hoc modo Sacerdos dit, *Oremus Dominum* pro tali re, vel persona: Respondent omnes *Dominum oremus:* Orationem *Tu es Rex sæculorum, &c.* Tres Versus Psalmorum diversos pro temporum diversitate: *Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & usque in seculum:* Evangelium de Resurrectione: sermonem seu concionem, *Læti magno gaudio propter nuntium Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, &c.* & brevem Orationem. Hæc omnia diebus Dominicis. Aliis diebus post Canticum Zachariæ sequitur Oratio. Deinde Psalm. 50. *Miserere.* Exhortatio ad orandum per intercessionem sanctorum illius diei. Ode iterum Encomiastica sanctorum. Oratio qua prosternunt se Deo. Psalmus *Laudate Dominum de cælis* cum duobus sequentibus. Tres Versus replicati in honorem Dei, & Sanctorum illius diei. *Gloria in excelsis Deo.* Duo Versus ex Psalmis, varii pro dierum varietate. Orationes quas tres Monachi, seu Clerici decantant. Oratio. Trisagion, Psal. *Laudate pueri Dominum.* Hic verò die Dominica legitur Evangelium diei. Ode seu Hymnus, Psalmi, *Verba mea auribus percipe Domine, Dilexi quoniam exaudiet Dominus,* cum duobus sequentibus. *De profundis. Deus in nomine tuo salvum me fac.* Duo postremi Versus Psalmi 85. Iterum preces pro omni statu hominum Hymnus, Concio, Oratio, *Pater noster,* & finis.

Prima sic peragitur. *Pater noster. Sit nomen Domini benedictum in secula, ante solem permanet nomen ejus,* cum cæteris Versibus usque ad finem Psalmi 75. *Gloria Patri.* Oratio, Psalm.

*Bonum*

*Bonum est confiteri Domino*, Oratio; Psalmi, *Deus Deus meus ad te de luce vigilo : Te decet Hymnus.* Oratio. Hymnus diebus dumtaxat jejuniorum. Psalmus, *Deus Deus meus respice in me. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam*, usque ad finem Psalmi 142. *Eructavit cor meum. Deus in adjutorium meum intende.* Duo postremi Versus Psalmi 85. *Gloria Patri*, Concio, Oratio, & *Pater noster.*

Ad Tertiam. *Pater noster.* Oratio ad Spiritum sanctum Psalm. 50. *Miserere.* Canticum, & Concio, *Sectio sexta Psalterii.* Oratio iterum ad Spiritum sanctum. Psalm. 21. & 142. à Versu octavo usque ad finem. *Gloria Patri.* Concio, Oratio, & *Pater noster.*

Ad Sextam. *Pater noster.* Oratio ad Patrem. *Miserere.* Concio, & Oratio, *Sectio septima Psalterii.* Quatuor primi Versus Psalmi 40. Psalm. *Qui habitat.* Concio, Oratio, & *Pater noster.*

Ad Nonam *Pater noster.* Oratio ad Filium, *Miserere*, Concio, & Oratio. *Sectio octava Psalterii.* Psalmi *Dilexi*, *Credidi*, & *Laudate Dominum omnes gentes.* Canticum. Concio, & *Pater noster.* Hic autem in conventu dicitur Missa, sive Liturgia. Hac peracta, & extra Ecclesiam ea omissa sequitur Psalmus unus diversus pro varietate diei. Tum encomium, sive Oratio panegyrica ad Sanctum cujus ea die recolitur memoria. Trisagion. Oratio, & Concio. Versus aliquot Psalmorum. Lectio prolixa ex Prophetis, vel ex Apostolo, ita ut integra Epistola perlegatur. *Alleluja* bis. Tres Versus ex Psalmis. Semel *Alleluja*, Lectio Evangelii. *Credo.* Concio, & Oratio. *Pater noster*, & finis.

Vesperæ sic celebrantur. *Pater noster. Ego autem ad Deum clamavi, & Dominus salvabit me. Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam.* Sequuntur alii Versus ab ipsis compositi. Tum *Gloria Patri.* Psalmus *Inclina Domine. Gloria Patri. Gloria tibi Domine.* Psalm. 139. *Eripe me Domine ab homine malo*, cum duobus sequentibus. Preces ut supra in Laudibus, repetendo viginti tribus vicibus ad totidem Orationes *Dominum oremus* : sed hæ preces dicuntur tantum die Dominico. Deinde Oratio. Trisagion. Psalm. *Levavi oculos meos in montes.* Canticum. Concio, & Oratio. Psalmi *Qui habitat. Ad te levavi oculos meos. Deus in nomine tuo salvum me fac.* Concio. Oratio. *Pater noster.*

Completorium duplex est. Alterum dicitur in Ecclesia immediatè post Vesperas in ipso occasu solis. Alterum à singulis privatim recitatur initio noctis post refectionem in fine crepusculorum, post quod nefas est quicquam cibi, vel potus capere, aut cum aliquo colloqui. Primum sic procedit. *Pater noster. Domine Deus salutis meæ in die clamavi, & nocte coram te : Intret in conspectu tuo oratio mea; inclina aurem tuam ad precem meam. Gloria Patri.* Psalmi *Cum invocarem. Domine ne in furore. Usquequo Domine. Conserva me Domine. Exaudi Domine justitiam meam. Quemadmodum desiderat cervus. Deus in adjutorium.* Duo postremi Versus Psalmi 85. *Gloria Patri.* Canticum prolixum, quo faustam à Deo noctem precantur. Concio, & Oratio, Psalm. *Dominus illuminatio mea.* Hymnus diebus dumtaxat jejuniorum. Concio, Oratio, & *Pater noster.*

Secundum sic recitatur. *Pater noster. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam*, & quæ sequuntur usque ad finem Psalmi 42. *Gloria Patri* cum quibusdam versiculis. Ex Psalmo *Beati immaculati in via* aliquot octonarii, videlicet, *Et veniat super me misericordia tua Domine : Memor esto verbi tui servo tuo : Iniquos odio habui : Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine* Psalmi 35. quatuor postremi versus, *Quoniam apud te est fons vitæ, &c.* Ex Cantico Abacuc, *Ego autem in Domino speravi* usque ad finem. Psalmi *Qui habitat. Ad te levavi oculos meos. Deus in nomine tuo salvum me fac.* Initium Cantici puerorum, *Benedictus es*, usque ad *Benedicite aquæ.* Psalmus postremus *Laudate. Nunc dimittis.* Ex Psalmo 137. Versus *si ambulavero* usque ad finem. Ex Psalm. 141. *Clamavi ad te Domine* usque ad finem. *Magnificat.* Duo ultimi Versus. Psalm. 85. Oratio, Psalmus *Cum invocarem.* Hymnus, Lectio Evangelii. Oratio prolixa. *Pater noster*, & finis.

4. In Armenia majori est parva quædam Provincia quæ dicitur Nascivanensis decem circiter oppida habens, in quorum majori Abraner residet Episcopus Catholicus. Hæc ad veram, & Catholicam fidem conversa fuit tempore Joannis XXII. Romani Pontificis à B. Bartholomæo Bononiensi Ordinis Prædicatorum illarum partium Episcopo : suntque in ea aliquot ejusdem Ordinis monasteria, in quibus divinum recitatur Officium lingua quidem Armena, sed juxta consuetudinem Fratrum Prædicatorum, quem ritum sequuntur etiam Presbyteri seculares in provincia degentes.

## §. XVI.

### *De ritu Maronitarum.*

1. CÆsar Baronius in Notationibus ad Romanum Martyrologium ad diem vigesimam primam Octobris; Maronitæ, inquit, sunt illi Christiani, qui proprios habentes Episcopos, degentes in monte Libano magna fidei sinceritate, & animi ardore communicant Romanæ Ecclesiæ. An verò Maronitarum nomen à Maronia civitate Syriæ, vel à sancto Marone Abbate sortiti sint, non audet definire. Ipsi autem Maronitæ in Romano Collegio degentes hac de re à me interrogati responderunt, se primos esse Christi fideles, qui ab ipso Christo sive ab Apostolis ad fidem conversi fuerunt, quam semper integram, & inviolatam conservarunt: atque ideò ipsi soli inter omnes Phœniciæ incolas Romanum Pontificem Christi Vicarium esse, & Petri successorem confitentur. Nomen autem Maronitarum vel à S. Marone primo illarum gentium Patriarcha se accepisse existimant: vel quia Maronita voce Syriaca idem est ac Dominicus, unde ipsi Maronitæ sive Dominici vocantur, quia fidem nunquam violarunt, quam à Domino acceperunt. Plura de Maronitis, eorumque nomine, statu, & Religione curioso Lectori suppeditabit Franciscus Sacchinus Historiæ Societatis Jesu p. 4. l. 6. num. 37. & sequentibus. Habent isti proprios ritus, & divina Officia lingua Syriaca persolvunt: cum vulgaris ipsarum Arabica sit.

Septem apud Maronitas sunt Horæ Canonicæ. Media nox, sive Nocturnum, Matutinum, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium. Nocturnum eorum lingua dicitur *Lilio* hoc est nox, quia media nocte recitatur. Maturinum *Saphio* hoc est Aurora; Tertia *Tlotsciohin*, Sexta *Seetsciohin*, Nona *Tesasciohin*, Vesperæ *Ramso*, Completorium *Sutro* hoc est protectio, seu destructio, quia dicitur post occasum, vel ut ita dicam post destructionem solis. Horam Primam non habent.

Psalterium nec per Hebdomadam, nec per totum annum recitant, sed certos quosdam Psalmos invariabiliter singulis horis dicunt, nimirum media nocte, *Ecce nunc benedicite Dominum*, & *Laudate Dominum omnes gentes*: ad Matutinum *Deus Deus meus ad te de luce vigilo*, *Qui habitat*, *Miserere*, & *Laudate Dominum omnes gentes*: ad Tertiam, & Nonam *Miserere*: ad Vesperas *Miserere*, *Domine clamavi ad te*, *voce mea ad Dominum clamavi*, & ex Psalmo 118. octo Versus inciendo à Versu *Lucerna pedibus meis verbum tuum*: ad Completorium *Miserere*, *Qui habitat*, & *Laudate Dominum omnes gentes*.

In principio & fine cujusque Officii semper dicunt Trisagion, *Pater noster*, *Ave Maria*, *Credo in unum Deum*, & aliam Orationem. Deinde semper cum Hymno recitant aliquem Psalmum, vel aliquod Canticum, vel aliquas invocationes. Prius autem recitatur una pars Psalmi, vel Cantici, sive aliqua invocatio: postea dicitur una pars Hymni: sequitur alia pars Psalmi, tum sequens pars Hymni, & sic deinceps donec Hymnus ex integro persolvatur.

Hora mediæ noctis continet sexdecim Orationes, undecim Cantica, sex Hymnos, duos Psalmos, Responsorium unum, & alias invocationes. Primò autem recitatur una Oratio, & unum Canticum cum secunda Oratione: deinde primus Hymnus cum primo Psalmo, & duæ aliæ Orationes, & secundus Hymnus cum aliquibus invocationibus: Tum quinta Oratio, & duo alia Cantica cum duabus Orationibus, & tertius Hymnus cum invocationibus: octava Oratio, & duo Cantica, & tres Orationes: Hymnus quartus cum invocationibus, & una Oratio, & duo Cantica: decima tertia Oratio & quintus Hymnus cum uno Cantico: deinde unum Responsorium cum duabus Orationibus, & sextus Hymnus cum secundo Psalmo: demum Oratio decima sexta, & reliqua Cantica.

Matutinum undecim habet Orationes, septem Hymnos, sex Cantica, quatuor Psalmos, & unum Responsorium, hoc pacto. Dicitur prima Oratio, & primum Canticum: secunda Oratio, & secundum Canticum, atque tertia Oratio: primus Hymnus cum tertio Cantico, & quarta Oratio: secundus Hymnus cum primo Psalmo, & quinta Oratio: tertius Hymnus cum secundo Psalmo, sexta Oratio: quartus Hymnus cum tertio Psalmo, & septima Oratio: quintus Hymnus cum quarto Cantico, & octava Oratio: sextus Hymnus cum invocationibus, & nona Oratio: septimus Hymnus cum quarto Psalmo: deinde Responsorium, duæ Orationes, quintum Canticum, Oratio, sextum Canticum, & finis.

Tertia, Sexta, & Nona habent quinque Orationes, & tria Cantica, sive duo Cantica, & unum Psalmum. Sexta habet tria Cantica: Tertia, & Nona unum Psalmum, & duo Cantica. Sic verò in his proceditur. Dicitur primò Oratio; deinde Psalmus, vel Canticum, alia Oratio, & aliud Canticum, & finis.

Vesperæ

Vesperæ Orationes septem, duos Hymnos, quatuor Cantica; quatuor Psalmos, & unum Responsorium continent hoc ordine. Psallitur una Oratio, & unum Canticum: secunda Oratio, secundum Canticum, & tertia Oratio; Hymnus cum primo Psalmo, & quarta Oratio: secundus Hymnus cum reliquis tribus Psalmis: deinde Responsorium, quinta, & sexta Oratio, tertium Canticum, septima Oratio, & quintum Canticum.

Completorium quinque Orationibus constat, & tribus Psalmis, duobus Hymnis, & duobus Canticis. Una dicitur Oratio, & unus Psalmus: deinde secunda Oratio, & Hymnus cum secundo Psalmo: mox tertia, & quarta Oratio, & unum Canticum: tum Hymnus secundus cum tertio Psalmo: demum quinta Oratio, & secundum Canticum.

## §. XVII.

### *De ritu Illyricorum.*

1. ILlyricum, seu Sclavonia propriè dicitur ea regio, quæ Dravum, Savumque amnem interjacet, ab occasu Stiria, ab ortu Danubio clausa, à Septentrione perpetuis montium jugis, quibus à Pannonia discernitur. Sclavonia dicitur à gente Sclavonica, quæ olim circa Mæotidem paludem habitabat, & in has regiones descendit. Porrò lingua Sclavonica longè lateque patet, atque ideò plurimæ gentes sacra peragunt hoc idiomate. Ritum verò sequuntur vel Græcum, vel Latinum. Nam in Dalmatia littorali, in Liburnia, & in Istria omnes Ecclesiastici tam seculares quam Regulares Romano ritu psallunt, habentque Breviarium Romanum Illyrica lingua impressum. In cæteris autem regionibus, videlicet in Servia, Mysia, Bosnia, Bulgaria, Russia Minori Regi Poloniæ subdita, in Volhinia, Podolia, & parte quadam Lituaniæ, aliisque finitimis provinciis ritu Græco divinum peragitur Officium translatis Græcorum Typicis in Sclavonicam linguam. Eosdem Græcos ritus eadem lingua servant Moscovitæ, quorum Regio Russia major, seu Roxolania nuncupatur, & quicunque parent Moscovitici Ducis amplissimo imperio: Christiani quoque Tartari circa Tauricam Chersonesum, Circassi, & multæ Ponticæ nationes. Ajunt quidam Historici, Gregorium VII. usum hujus linguæ in sacris Vladislao Bohemorum Duci noluisse concedere: sed concessum jampridem fuisse, anno scilicet 880. narrat Baronius.

## §. XVIII.

### *De ritibus Æthiopum, sive Abassinorum, & Cophtorum.*

1. DE rebus Abassinorum tres libros scripsit Nicolaus Godignus, ex quibus statum illius regionis curiosus lector intelliget. Est autem Abassia ea pars Africæ, quam veteres Æthiopiam sub Ægypto vocarunt, atque ejus Principis imperio subjecta est, quem vulgò Europæi Pretejannem appellant. Ab ipso exordio Apostolicæ prædicationis Christi fidem susceperunt Æthiopes, prædicante ipsis Eunucho Candacis Reginæ, quem paulò post S. Matthæus Apost. sequutus est. Unicum habent Episcopum, quem Abunam id est Patrem vocant, missum illuc à Patriarcha Alexandrino. Schismaticos eos esse, & erroribus Dioscori, atque Eutychetis infectos notissimum est. His addiderunt quasdam Judaicas superstitiones, quibus pertinaciter adhærent. In sacris lingua Æthiopica utuntur, quæ tamen à populari diversa est. Nocturnum Officium vocant *Manfachalelit*, Primam *Neg*, Tertiam *Seleshù*, Sextam *Sedastù*, Nonam *Tasaatù*. Vesperas *Saro*, Completorium *Noam*. Cophti, seu Copti sunt quidam Christiani Ægyptii sic dicti à Copto celeberrima olim civitate, & Metropoli Thebaidis, de qua Strabo *l.* 17. & Plutarchus *l. de Osiride*. Habent quindecim Monasteria, & proprium Patriarcham, qui residet in urbe Cairo, vel in Monasterio S. Mercurii ad mare rubrum. Vernacula eorum lingua Arabica est. At verò in sacris lingua Cophtica utuntur, quæ antiqua Ægyptiaca est, quam Monachi primi Thebaidis cultores ab interitu vindicarunt. Multi sunt Codices hac lingua scripti in Bibliotheca Vaticana, multi item in Ægypto. Plura de hac gente curiosus lector inveniet in Prodromo Copto Athanasii Kircher. Horum ritus Æthiopum ritibus similes esse asserit citatus Auctor *c.* 5. *Prodromi*. Æthiopes autem habent Romæ Ecclesiam S. Stephani propè Basilicam S. Petri, in qua tres viros reperi, duos Presbyteros, & unum Monachum, quos de ritibus suæ Ecclesiæ adhibito Interprete non semel interrogavi; sed quod sacros Codices non habeant, nihil ab eis edisscere potui, præter ea quæ sequuntur. Omnia Officia incipiunt ab Oratione Dominica, & Angelica salutatione. Initio nocturnæ precis recitant Psalmum *Venite exultemus*. Legunt prolixè sacras Scripturas, scripta verò sanctorum Patrum nunquam legunt, nisi in hebdomada sancta. Singulæ horæ duodecim Psalmis constant,

constant, quorum unus semper est Psalm. 50. *Miserere*. In Monasteriis, in quibus magna multitudo Monachorum est, semper ante prandium integrum Psalterium percurrunt brevissimo spatio temporis divisis per singulos Monachos Psalmis, sive Psalmorum sectionibus, cum longiores sunt. Hæc illi. Porrò de Cophtis, eorumque erroribus, obstinatione, & vafritie, deque solemni legatione ad eos missa longam, & scitu dignam Historiam narrat Franciscus Sacchinus parte 2. Historiæ Societatis Jesu lib. 6. num. 121. usque ad 157.

## §. XIX.

### *De aliis quibusdam ritibus Ecclesiæ Orientalis.*

1. INter mare Caspium, & Pontum Euxinum sitæ sunt Iberia, Colchis, & Albania. Albanenses ritum sequuntur Armenum in propriam linguam translatum. Sed advertendum aliam esse Albaniam in Europa, sic dictam ab Albanis Asiaticis qui à Tartaris expulsi istic consederunt. Est hæc illa pars Macedoniæ, quæ ad mare Jonicum vergit, & Illyrico sive Dalmatiæ jungitur, atque etiam Epirum complectitur, habetque proprium idioma ab Illyrico, & Græco diversum, quo sacra gentes illæ peragunt ritu Græco. Iisdem Græcis ritibus utuntur Colchi, & Iberi suo quisque idiomate. Colchi nunc Mengrellenses vocantur, habitantque sylvosos colles, & saltus horribiles sparsim more ferarum, absque ulla non solum urbis, sed nec vici quidem frequentia. Huc Jasonem cum Argonautis navigasse, aureumque vellus in Græciam transtulisse Poëtæ fabulati sunt. Vix præter nomen quidpiam habent Christianæ Religionis. Iberi nunc Georgiani dicuntur. Circa divinum Officium in eo sunt errore, ut non omnes Ecclesiastici illud recitent, sed unus tantùm, vel duo, cæteris adstantibus, & minimè attendentibus. Horum mores, & hæreses fusè describit, qui eas regiones peragravit, Clemens Galanus in conciliatione Ecclesiæ Armenæ, & Romanæ, *parte* 1. *cap.* 12. Chaldæi & Syri ritum Maronitarum sequuntur, sed hæretici Nestoriani, & Jacobitæ plerique sunt. Nestoriani in Babylonia, Persia, & aliis Asiæ regionibus degunt, & in Mesopotamia. Invocant in divinis Officiis Nestorium, & Theodorum Mopsuestenum, & S. Cyrillum anathematizant. Residet ut plurimùm eorum Patriarcha in civitate Mosal, quam dicunt esse Ninivem magnam. Jacobitæ à quodam Jacobo Syro Dioscori sectatore nomen acceperunt, suntque dispersi per civitates, & oppida Syriæ, Mesopotamiæ, & Babyloniæ. Horum Ecclesia Patriarchalis est in Mesopotania extra civitatem Mardim in Monasterio Zafran. Verùm Patriarcha residere solet in civitate Caramit, ut testatur Thomas à Jesu *lib. 7. de Conversione omnium Gentium procuranda*. Alii sunt in Persia, & India Orientali solo nomine Christiani, qui se Christianos S. Joannis Baptistæ nuncupant, sed hi nullum Officium recitant, carentque forma, & materia legitima Sacramentorum. In Indiis item Orientalibus in Provincia Malavar propè insulam Zeilam est alia natio Christianorum, qui dicuntur Christiani S. Thomæ. Hi olim Archiepiscopos ex Armenia habuerunt, qui lingua Syriaca divina Officia ritu Armeno celebrabant, quo idiomate etiam nunc utuntur. Ideò qui sacris initiari volunt, præter communem regionis linguam, etiam Syriacam, ut nos Latinam, ediscunt.

## §. XX.

### *De Codicibus sacrarum Precationum.*

1. COdices divinorum Officiorum, sive ut loquitur Virgilius Papa, *epist. 1. ad Eutherium*, Canonicæ precis textus apud Græcos multi sunt. Psalterium in 20. Cathismata divisum, ut supra dictum est. Lectiones veteris, & novi Testamenti. Triodium, in quo sunt Canones trium Odarum, quæ tempore Quadragesimæ recitantur. Pentecostarium, in quo sunt Officia à die Paschatis usque ad Pentecosten. Mænæa in 12. tomos divisa, quot sunt menses, & continent Officia Sanctorum. Menologium, in quo nomina Sanctorum, & vitæ breviter recensentur, fusius tamen quàm in Latino Martyrologio. Euchologium continens Orationes, & benedictiones, pro diversis functionibus Ecclesiasticis. Horologium, quod est Officium diurnum. Anthologium, in quo multa sunt Officia in variis libris dispersa. Panegyricus habet diversas Orationes in varias festivitates. Diaconicon de Officio Diaconi. Paracleticus quotidiano usui deserviens. Octoechus de octo tonis, seu modis musicis, quo in libro sunt Canones, & troparia diversa. Hermologium, sive Hirmologium rithmum indicans, sive tonum juxta quem libet Canonum cantus inflecti. Sunt denique Liturgiæ, & alii libri ad Missam spectantes. Agit de his diffusè & accuratè Leo Allatius in Dissertatione de libris Ecclesiasticis Græcorum.

2. Plures

2. Plures quoque sunt Latinorum Ecclesiastici libri, videlicet Psalterium, Lectionarium, Collectaneum, Antiphonale, Hymnarium, Martyrologium, Rituale, Ceremoniale, Sacerdotale, Pontificale, Missale, Graduale, Diurnum, & Breviarium. Omnia autem officia in Breviario descripta sunt, qua voce ad significandum Codicem divinorum Officiorum usos esse antiquos Patres constat ex Epistola cujusdam Presbyteri Aurelianensis ad Richardum Priorem S. Victoris, qua petit ab eo lectiones inserendas Breviario *a*. Habetur tomo 4. Scriptorum Historiæ Franciæ. Est autem Breviarium idem ac summarium, compendium, opus conciſum. Seneca *b* calumniatur hanc vocem tanquam minus Latinam: Breviarium, inquit, olim cùm Latinè loqueremur, summarium vocabatur. Sed Plinius, & Suetonius *c*, quos Latinè loquutos fuisse nemo negarit, hoc vocabulo uti non dubitarunt. Legi etiam apud Eginhardum in vita Caroli Magni ejus testamentum Breviarium dici, quia scilicet compendio facultatum illius dispositionem continebat. De Breviarii notione legendus Pithœus ad leges Francicas, itemque Gretserus lib. 1. in Codinum. Cur verò liber divinorum Officiorum hanc nomenclaturam sortitus sit, explicant viri docti Alardus Gazæus *d*, & Leonardus Lessius *e*. Continet enim omnes Psalmos, qui sunt compendium totius scripturæ: tum selectissima quæque complectitur ex utroque testamento, insigniorem sanctorum Patrum doctrinam, præcipua Sanctorum gesta, Hymnos, & Orationes. Addiderim ego Breviarium dici, quod in eo conciſè, ac sine musicalibus notis ea omnia conscripta sint, quæ in Antiphonariis, aliisque libris Choralibus magnis characteribus ad usum cantantium comprehenduntur. Denique Breviarii nomen ad Officii divini brevitatem referri potest: nam illud prolixum non esse & longum injuria dici, rectè evincit lib. 1. de horis Canonicis cap. 28. Oliverius Bonartius; constatque evidenter ex collatione hodierni Breviarii post Pium V. cum antiquioribus, quæ multò prolixiora sunt. Imò etiam vetus Romanum à Fratribus Franciscanis olim abbreviatum fuisse Radulphus Tungrensis conqueritur libro de Canonum observantia propositione vigesima secunda, & alibi passim.

a *Epist.* 563. b *Senec. Ep.* 39. c *Plin. l.* 18. *cap.* 26. *Sueton. in Augusto.* d *Gaz. in notis ad Cassianum lib.* 4. *de inst. c. ult.* e *Lessius de just. lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 8.

## CAPUT XIX.

### *De disciplina psallendi.*

NUlla actio Religiosorum majoris momenti est, nulla majoris obligationis, quam recitatio divini Officii: dixit enim Abbas Theodorus *f*, quia si nobis imputaret Deus negligentias temporis quo oramus, & captivitates quas patimur dum psallimus, non possumus salvi fieri. Ea tamen incuria nostræ salutis ut plurimum laboramus, ut omnia negotia & studia sæcularia accuratissimè peragamus; Sacras verò precationes perfunctoriè omninò, mente distracta, ac prorsus aliud agendo persolvamus, Omnem Dei cultum non sine magno æternæ vitæ discrimine negligentes. Nam, ut Simeon Monachus *g* scribit, Væ talibus, cùm Deo laudes concinunt, væ, cùm Deum adorant, væ, cùm preces ad eum fundunt. Parum est Sacerdotalis functionis exteriores dumtaxat ritus, & ceremonias perspectas habere, si externis actibus internas spiritus operationes copulare nesciamus. Sanctus Benedictus ad hanc sapientiam certissimus Magister, cùm per multa capita cœlestis suæ Regulæ nocturnæ diurnæque Psalmodiæ ordinem accuratè digessisset, mox decimum nonum caput attexuit de disciplina psallendi, ut quoties ad opus divinum assistimus, consideremus, ait, qualiter oporteat nos in conspectu Divinitatis, & Angelorum esse, & sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ. Hujus ego incomparabilis Magistri exemplum & institutionem numerationis serie, titulique inscriptione sequutus post descriptas horarum Canonicarum partes omnes, & symbolicas earum rationes, ad asceticam me confero tractationem, quæ si longior aliquanto fuerit, boni consulat lector; non enim simpliciter psallere; sed attentè, devotè, & reverenter psallere id Deo gratum, id animæ nostræ proficuum est.

f *Lib.* 5. *de vitis PP. libello* 11. *num.* 11. g *Sim. Orat.* 4. *de fid. & morib.*

## §. I.

*De duplici præparatione ante Officium, remota, & proxima. Remotam in rectitudine vitæ, in libertate animi, in oris taciturnitate: Proximam in puritate intentionis, in divinæ præsentiæ consideratione, in divini auxilii imploratione sitam esse.*

1. A Præparatione incipio, siquidem scriptum est *h*, *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Quis enim audeat in conspectu Principis non præparatus orationem habere? Aut quis musicus, vel citharœdus coram Rege, & Magnatibus præsumat canere, nisi prius temperet fides, & probet instrumentum? Nos autem, ait Chrysostomus *i*, quando ad Deum accedimus, id esse existimemus theatrum, sed ex universo orbe terrarum, vel potius ex supernis populis cœlestibus collectum: & Regem in medio sedere, qui vult nostram audire orationem. Nullus sit citharœdus, nullus lyricen, qui ita se exerceat scenam ingressus timens ne quid insuave, & inconcinnum canat, ut nos ingressuri theatrum Angelorum. Vetus parœmia est *Adoraturi sedeant*, qua paratum purgatumque animum ad orationem afferre monemur. Sancti verò Patres præparationem duplicem faciunt remotam, & proximam. Primam sic explicat Laurentius Justinianus *k*. Præparatio remota est orantis vita laudabilis. Multum enim juvat orationis puritatem, si in omni loco, actu, & tempore nos ab operibus temperemus illicitis, & divinis obediamus præceptis: si semper ab otiosis sermonibus auditum pariter castigemus & linguam. Quæcumque enim sæpius agere, loqui, vel audire consuevimus, necesse est frequenter ad animum quasi solitam, propriamque recurrant ad sedem. Rectè de eadem re Gregorius Magnus *l*, si quod præcipit Deus facimus; id quod petimus obtinemus. Valdè namque apud Deum utraq; hęc sibi necessariò congruunt, ut & oratione operatio, & operatione fulciatur oratio. Propterea ait Propheta *m*, *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Remota etiam præparatio est non solùm carere peccatis, sed à pravis affectionibus, & ab externis tumultibus liberam habere mentem, & cor expeditum. Sententia cujusdam Platonici est *n*, optimam apud Deum oblationem esse mentem puram, & perturbationum vacuum animum. Diadochus *o* item Photicensis eleganter docet oportere eos qui certant animum semper extra perturbationum fluctus conservare: mare enim cùm tranquillum est, usque ad fundum est piscatoribus perspicuum, cùm verò ventis agitatur, tegit tempestate turbida, quæ in placida tranquillitate largiter facit perspici. Ad hanc animi libertatem assequendam nil utilius silentio. Nam *in multiloquio non deerit peccatum*: & *qui custodit os suum, custodit animam suam.* Pythagoras, teste Apuleio *p*, primus Philosophiæ nuncupator & conditor, nihil prius discipulos suos docuit, quàm tacere, primaque apud eum meditatio sapienti futuro linguam omnem coërcere: prorsus hoc erat primum sapientiæ rudimentum meditari condiscere, loquitari dediscere. Taciturnitatis, ait Climacus *q*, mater orationis est. Et Joannes Abbas Raithu *r*; Silentium, inquit, custodia virtutum. Tandem, ut verbo omnem remotam præparationem complectar, memimisse debemus sanctissimæ institutionis, quam tradit Cassianus *s*, ut tales nimirum esse studeamus ante orationem, quales orantes volumus inveniri.

2. Altera præparatio specialis, & proxima illa est, quæ jam instante Officii hora fieri debet. Scimus enim, ait Richardus Victorinus *t*, quia intimè & devotè nunquam mens orat, quæ se ad devotionem studiosis præmeditationibus prius non excitat. Primò igitur, audito signo, quo ad sacram synaxim convocamur, oratio nostra recta intentione in suum finem dirigenda, qui Deus est, alioquin Deo placere nequaquam poterit, nisi ejus ipse sit causa. Sincera verò, & rectissima intentio est Deum solum semper respicere, de præmio & mercede nihil solicitum esse, majorem Dei gloriam, & beneplacitum ejus quocunque alio respectu excluso observare. Optimè de hac re Augustinus *u*, in illum Psalmi Versiculum, *Voluntariè sacrificabo, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est*: Quare, inquit, voluntariè? quia gratis amo quod laudo. Laudo Deum, & in ipsa laude gaudeo, ipsius laude gaudeo, quo laudato non erubesco. Gratuitum sit & quod

h *Eccli.* 18: 23. i *Chrys. in Psal.* 4. k *Justin. orat. cap.* 5. l *Greg.* 18. *mor. cap.* 5. m *Psal.* 65.

n *Porphyrius lib.* 2. *de abst. animal.* o *Diadoch. de perf. spirit. cap.* 26. p *Apul. Florid. lib.* 2. q *Climac. gr.* 11. r *Joan. Abb. ad gr.* 27. *Climaci.* s *Cassian. col.* 9. *cap.* 3. t *Rich. de erud. hom. int. lib.* 1. *cap.* 7. u *Aug. in Psal.* 55.

& quod laudatur, & quod amatur. Quid est gratuitum? ipse propter se, non proprer aliud. Contemne omnia, ipsum attende, ipsum gratis dilige, quia melius ab eo non invenis quod des, quam seipsum. *Et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.* Ob nihil aliud, nisi quod bonum est. Numquid ait, Confitebor nomini tuo, quia das mihi fructuosa prædia, quia das mihi aurum & argentum, quia das mihi latas divitias, excellentissimam dignitatem? Non. Sed quid? quoniam bonum est. Melius nihil invenio quàm nomen tuum, ideò *Confitebor nomini tuo, quoniam bonum est.* Ergò laudare Deum propter solum Deum, hoc verè Deum laudare est. Oculus simplex ex sententia Salvatoris nostri *x* totum corpus lucidum facit, quia, ut explicat Gregorius *y*, per horæ intentionis radium merita illustrantur actionis. Ideò sponsus in Canticis, Sponsæ oculos præ cæteris membris collaudat, sequè mirificè captum unico ejus oculo declarat dicens *z*, *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* Non dicit in oculis, quasi in pluribus, quia unica debet esse intentio, unus oculus simplex, & directus in unum. Qui plures oculos habet, divisus est: non respicit Deum, non dicit cum Propheta *a*, *unam petii à Domino, hanc requiram*: Ad summam, non quærit Deum, qui cum ipso Deo aliud à Deo quærere convincitur. Porrò cùm intentio duplex sit, actualis, cum quis Deo offert quod facit, aut dum facere incipit; & virtualis, quæ fundatur in actu præterito, virtualiter tamen præsente, suadeo ut rectæ intentionis actus initio cujusque Officii instauretur: tum quia matutinæ directionis impulsus ob varias humanæ vitæ occupationes interrumpi facilè potest: tum quia censent nobiliores Theologi apud Hieremiam Drexelium *b* in aureo suo libello de recta intentione non sufficere virtualem intentionem ad promerendum singulis actionibus novum gratiæ incrementum, quamvis sufficiat ad moralem operis integritatem. Narrat Joannes Moschus *c* in Prato spirituali venisse quemdam senem ad fratrem solitarium, atque illi dixisse: Dic mihi frater in tanto tempore solitariæ vitæ, & spiritualis exercitii quid lucratus es? Cui frater ait, Vade & post decimum diem veni ad me, & dicam tibi. Senex autem abiens post decimum diem rediit, invenitque fratrem migrasse ad Christum, & testam, in qua sic scriptum erat: Ignosce Pater, quia nunquam dum opus Dei agerem, aut horis constitutis psallerem, mentem meam dimisi in terram.

3. Sic mentis obtutu in Deum solum defixo sistere se debet oraturus ante conspectum divinæ majestatis, quæ res magnum habet momentum ad preces rectè inchoandas, & ritè prosequendas. *In omnibus viis cogita illum*, ait Sapiens, *& ipse diriget gressus tuos.* Docet fides Deum ubique esse, opera autem omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis ejus. Ergo si ad orationem assistens Deum esse præsentem verè crederem (verbis utor D. Hieronymi *c*) illud cor quo Deus videtur mundarem, manibus tunderem pectus, genas lacrymis rigarem, corpore in horrescerem, ore psallerem, jacerem ad Domini mei pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certè trunco crucis, nec prius omitterem, quam misericordiam impetrarem. Nunc verò creberrimè in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione etiam quæ dictu erubescenda sunt gero. Ubi est fides? Ubi timor Domini omnia videntis? Siccine putamus orasse Jonam? sic tres pueros? sic Davidem inter leones? sic latronem in cruce? Stoïcus Philosophus *f* nil utilius ad omnem virtutem concepta animo viri gravioris præsentia existimavit. Accipe, ait ad suum Lucilium, & quidem utilem & salutarem clausulam, quam te affigere animo volo. Aliquis bonus vir nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus quem vereatur, cujus auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat, atque ordinet! Qui sic aliquem vereri potest, citò erit verendus. Hæc ille. Quod si hominibus id tribuendum videtur, ut ne quid eis præsentibus committamus, quod eorum oculos possit offendere, quo timore percelli debemus ante ejus conspectum, qui observat omnes semitas nostras, & vestigia pedum nostrorum considerat: cujus oculi sole lucidiores sunt, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes? Idcircò Monachorum

x *Matth.* 6: 22. y *Greg. l.* 28. *mor. cap.* 6. z *Cant.* 4: 9. a *Psal.* 26. b *Drex. lib.* 1. *de rect. inten. cap.* 5. c *Prat. spirit. c.* 98.

d *Prov.* 3: 6. e *Hieron. in dial. adv. Luciferian.* f *Sen. epist.* 11.

rum Magister *g* mysticæ scalæ, qua ad beatitudinem ascenditur primum gradum in continua Dei præsentis recordatione constituit, & de disciplina psallendi differens, Ubique, ait, divinam credimus esse præsentiam, & oculos Domini in omni loco speculari bonos, & malos, maximè tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus divinum assistimus. Ideò semper memores simus quod ait Propheta, *Servite Domino in timore*, & iterum *psallite sapienter, & in conspectu Angelorum psallam tibi.* Est enim Ecclesia templum Dei, ut doctè ait Sanctus Germanus in rerum Ecclesiasticarum contemplatione, delubrum sanctum, domus orationis, terrenum cœlum, in quo Deus inhabitat. Denique Boëtius *h* vir sapientissimus, Magna nobis est, inquit, necessitas indicta probitatis, quando ante oculos agimus judicis cuncta cernentis.

## METRUM XLVI.

*Si cæde polum, medioque sinu celsi habere cæli,*
*Illic rotator siderum*
*Te Deus inveniet.*
*Turbida si inclusum caput inter nubila condas,*
*Latè patentes nubium*
*Dissegregat ille globos.*
*Frustra telluris gremio, stygiisque cavernis,*
*Aut rupe te cava teges;*
*Numine cuncta replet.*
*Fortè cupis nigro te noctis condere peplo?*
*At noctis umbras intima*
*Rumpere luce solet.*
*Eia age prapetibus pennis ad littora Thules,*
*Extremam ad arctoon evola,*
*Qua sera sævit hyems.*
*Decolor Eoo, qua cingitur India Gange,*
*Qua sol fluente fervidas*
*Abluit amne rotas.*
*Quaque dies medius pallentes deterget umbras,*
*Et solis ustas ignibus*
*Torret ab axe plagas.*
*Scu terra, pelagoque jugam, cæloque capessas,*
*Justus Deus te vindici*
*Prendet ubique manu.*

4. Postquam verò Deum præsentem humiliter adoraverimus, ejus gratiam ad dignè orandum implorare debemus: nam quid *oremus sicut oportet nescimus, & nemo potest dicere Domine JESU nisi in Spiritu sancto.* Sententia fidei est, supernaturale auxilium gratiæ necessarium esse ad actus supernaturales eliciendos. At orationem actum esse supernaturalem, docent Chrysostomus *i*, & Augustinus *k*. Accedit quod oratio simpliciter necessaria est ad salutem, ut ex multiplici Christi, & Apostolorum exhortatione ad orandum colligitur: nullum autem credimus salutem suam posse operari nisi Deo auxiliante; quia Nemo potest ad me venire, ait Christus, nisi Pater meus traxerit eum. Quomodo ergo poterit quispiam convenienter orare, nisi fuerit divinæ gratiæ præventus auxilio, ejusque assistentia, & efficacia roboratus; Stat quidem Dominus semper ad ostium, & pulsat, si forte sit aliquis qui audiat, & aperiat; sed optat nihilominus instanter à nobis exorari, ut, quod ab initio, & ante secula misericorditer tribuere decrevit, etiam precibus nostris solicitatus præbeat: & non solùm secundùm propositum ejus, sed etiam secundùm nostram cooperationem coronemur. Præclarè S. Prosper *l*, Quamvis quod statuit Deus nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrii devotio relaxatur, cum implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum. Rectè dictum est à Poëta *m*, *Dimidium facti qui benè cœpit habet*, in singulis enim actionibus id in primis curandum est, ut benè ordiamur. E fundamento totius ædificii ratio conjicitur, & à præparatione futurum orationis statum dignoscimus. Ignis ergo devotionis in prævia meditatione exardescat, qui fœnum & stipulam distrahentium cogitationum comburat; & sic fiet Officii recitatio sacrificium acceptabile Domino in odorem suavitatis.

g *Bened. c. 7. & 16.* h *Boët. in fin. l. ult. de consol.*

i *Chrys. lib. 2. d. orando Deum.* k *Aug. passim, in libris adv. Pelagionos.* l *Prosper. de vocat. gentium lib. 2. cap. ult.* m *Horat. lib. 1. epist. 2.*

### §. II.

*Utrum oratio ad intellectum, an verò ad voluntatem pertineat. Variæ orationis definitiones. Utriusque potentiæ actus requiri ad benè orandum. Intellectum attentione, voluntatem devotione componi. Actum prius de reverentia, qua componitur externus homo. Ea quid sit, & quotuplex, & quæ ejus incitamenta.*

1. Quæ-

1. QUærunt Theologi pertineatne oratio ad intellectum, an verò ad voluntatem. Sunt autem qui existiment ad solam spectare voluntatem ea ducti ratione, quod oratio nihil aliud esse videtur, quam interni desiderii, quo quis tenetur, propriæque voluntatis, quam quis à Deo adimpleri vellet, expressio, & manifestatio. Favet huic opinioni Augustinus *n* ad illa verba Psalmi, *Ante te omne desiderium meum.* Ipsum, inquit, desiderium tuum oratio tua est, & continuum desiderium continua oratio. Alii verò esse actum intellectus arbitrantur, tum quia orare teste Divo Isidoro *o* idem est ac dicere, dictio autem mentis actionem significat: tum quia ex Divo Thoma *p* deprecari ordinationem quamdam denotat, & consequenter soli competit intellectui. Hæ dissidentium Theologorum sententiæ facilè poterunt conciliari, si dixerimus utriusque potentiæ actus ad orationem requiri. Nam in primis necessarium est, ut illius rei quam petimus indigentiam, & Dei à quo petimus potentiam & benignitatem cognoscamus; tum rem illam convenienter à Deo postulari dijudicemus, post quod judicium sequitur in voluntate rei appetitus & desiderium, ac ejusdem insinuatio quædam, & declaratio. Sancti Patres, qui orationis naturam variis diffinitionibus explicarunt, per actus utriusque potentiæ eam solent sine discrimine diffinire. Basilius magnus *q*; Oratio est boni cujuspiam petitio, quæ ad Deum à piis effunditur. Damascenus *r*; oratio est ascensio mentis in Deum. Augustinus *s*; Oratio est conversio mentis in Deum per pium, & humilem affectum. Iterum Damascenus; Oratio est petitio decentium à Deo: nam, ut ait Gabrias *t*, *Deum rogare dedecet, quæ dedecent.* Hugo Victorinus, Oratio est pius affectus in Deum. Gregorius Nyssenus *u*. Oratio est conversatio, & sermocinatio animæ nostræ cum Deo, invisibilium contemplatio, ejusdem cum Angelis honoris conditio. Item Oratio est petitio bonorum, quæ Deo cum supplicatione offertur. Joannes Climacus *x*; Oratio secundùm qualitatem suam est conjunctio atq; unio hominum & Dei. Unio autem fit per amorem. Rursum Augustinus *y*, Quid est oratio nisi ascensio animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium? Simon de Cassia *z* vir pius & doctus, Oratio est in terrestri corpore incorporea operatio, aspectus immotus animæ in fide Deum aspicientis, ordo rationis animæ ad Deum, cui se studio subdit, consistentia animæ ante Deum: allocutio divinas aures pulsans, suavis clamor in sensu cordis, negatio dum agitur omnium corporalium actionum, præventio ante adventum judicis ad divinum judicium, verum animæ speculum, luminare splendidissimum, lux invisibilis ad actionem invisibilem, umbra æstuantem refrigerans, jactatio sui in Deum nihil volendo, nisi quod illi fuerit gratum. Ex his descriptionibus (quamvis quædam earum sublimioris orationis genus respiciant) liquidò constat, Spiritum nostrum ad Deum orando ascendere duobus mysticis pedibus, cognitione scilicet, & affectu. Hi sunt pedes, de quibus Psalmista cecinit dicens *a*, *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa statuens me.* Oportet itaque utramque potentiam ordinari, ut divini cursus Officii perfectè impleatur. Debet autem homo secundùm intellectivam potentiam attentionem, secundùm affectivam devotionem exhibere. Hæc interni hominis compositio est. Sed quia totus homo totis viribus, totis præcordiis se totum cum Rege Josaphat *b* conferre debet ad orandum, & laudandum Deum: ideò externus, & animalis homo suam quoque exigit ordinationem secundùm vires sensitivas per actum reverentiæ. Ergo de reverentia, postea de attentione, & devotione sigillatim tractabimus, ut prius quod animale, deinde quod spirituale est ædificetur.

2. Reverentia apud Ciceronem in Rhetoricis est virtus aliqua prælatione sublimatis debitæ honorificationis cultum exhibens: erga Deum verò actus religionis est, & adoratio, quam nos servitutem, Græci latriam vocant. Ejus necessitatem dum oramus elegantissima oratione explicat Bernardus *c*. Nonnullos arbitror experiri interdum in oratione ariditatem, & hebetudinem quamdam mentis, pro eo quod velut ex consuetudine quadam cum minus digna reverentia, & solicitudine accesserunt. Quid enim aliud cogitare debet frater intrans ad orationem, quam Propheticum illud, *Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei?*



n *Aug. in Psal.* 37. o *Isidor. lib.* 10. *orig. cap.* 14. p *S. Thom.* 2. 2. *qu.* 8. *art.* 1. q *Basil. orat. de S. Julitta.* r *Damasc. l.* 3. *de fid. Orthod. cap.* 24. s *Aug. de spir. & an. cap.* 50. t *Gabrias in sab.* u *Greg. Nyss. lib. de orat.* x *Climac. gr.* 28. y *Aug. ser.* 230. *de Temp.*

z *Simon de Cass. l.* 16. *de gestis. Salvat. cap.* 26. a *Psal.* 17. b 2 *Paral.* 29; 3. c *Bern. serm. de quatuor modis orandi.*

Omninò siquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cœlestem, illam utique curiam, in qua Rex Regum stellato sedet solio circumdante innumerabili, & ineffabili beatorum spirituum exercitu. Quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude sua procedens, & repens ranuncula vilis? Quam tremebundus, quam supplex, quam denique humilis, & solicitus, & toto intentus animo majestati gloriæ in præsentia Angelorum, in concilio justorum, & congregatione assistere poterit miser homuncio? Hic primus stimulus est orantes excitans ad reverentiam, divinæ scilicet præsentiæ consideratio. Nam si mortalium Regum ministri, cum se dominorum conspectibus præbent, quicquid sordidum, quicquid deforme, quicquid incompositum est à se amovere summo studio nituntur; quanto majori tum gravitate vitæ, tum puritate cordis, tum morum elegantia æterno Regi assistere debent inutiles servi? &, ut ait Regula Monachorum *d*, si cum hominibus potentibus volumus aliquâ suggerere, non præsumimus nisi cum humilitate, & reverentia: quantò magis Domino Deo universorum cum omni humilitate, & puritatis devotione supplicandum est? Ab ipsis quoque Angelis, quos orantibus assistere credimus psallentium verba describentes, teste magno Basilio *e*, excitari debemus ad reverentiam. Solent enim Angeli, inquit Bernardus *f*, astare orantibus, & delectari in his, quos vident levare puras manus in Oratione: holocaustum sanctæ devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. O si quis haberet oculos apertos, quos orando Propheta puero revelavit, videret proculdubio quemadmodum præveniunt principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum. Videret, inquam, quâ curâ, quoque tripudio intersunt cantantibus, adsunt orantibus, insunt meditantibus, supersunt quiescentibus, ordinantibus, & procurantibus præsunt. Agnoscunt nimirum supernæ potestates concives suos, & pro his qui hæreditatem capiunt salutis solicitè congaudent. Doleo proinde aliquos vestrum, fratres, gravi in sacris vigiliis deprimi somno, nec cœli cives revereri, sed in præsentia Principum tanquam mortuos apparere, cum vestra ipsi alacritate permoti vestris interesse solemniis delectantur. Vereor ne vestram desidiam quandoque abominantes, cum indignatione recedant: & incipiat unusquisque vestrum sero cum gemitu dicere Deo, *Longè feciſti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi*: Et illud; *Elongasti à me amicum & proximum, & notos meos à miseria*: Item, *Qui juxta me erant de longè steterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam.* Pro certo enim, si se à nobis boni spiritus elongaverint, impetus malignorum quis sustinebit? Consonat cum Bernardo Venetorum Patriarcha Laurentius *g*: Intersunt choris laudantium sancti Angeli, exultantque in laudibus psallentium; si tamen distinctè, si attentè, si vigilanter, si ardenter, si concorditer, si humiliter dicantur. Discurrunt namque inter illos, utpote ipsorum concives, & consortes regni. Comprimunt & immundorum spirituum impetus, nec eos sævire patiuntur tanquam fideles custodes. Nunc ascendunt, nunc descendunt, semper ad illorum profectum. Ubique verò alacres sunt, ubique festivi, ubique soliciti, ne divina interrumpatur laus, ne cælestia Cantica maculentur. At si vel ad momentum tepescat affectus, distrahatur animus, aut dormitet oculus, illicò indignantur sic oscitantes, & non invenientes quid offerant, suam mox præsentiam subtrahunt. Verecundum igitur, & valde pernitiosum est in conspectu tantorum principum irreverenter psallere, verba intercidere, inutiles cogitationes tractare, & corde torpescere. O si præsentiam suam propalare valerent! O si quantum congaudeant de puritate alacriter psallentium eis liceret ostendere! Prorsus omnis torpor abscederet, omnisque ignavia fugaretur.

d *Bened. reg. cap.* 20. e *Basil. in Psalm.* 28. f *Bern. serm.* 3. *in Missus est*, *& ep.* 28. *itemque serm.* 7. *in Cant.*

g *Laur. Justin. de disc. monast. conver. cap.* 17.

## METRUM XLVII.

*O Ego si possem rutilo fulgore micantes*
*Mortalis aligeros cernere lucchoros!*
*Ipsaque corporei detersa ærugine sensus,*
*Obvia Cœlitum se mihi castra darent.*
*Aut saltem posito terrena pondere molis,*
*Dent superi æthereas scandere posse plagas.*
*Et super astrorum, mundique volubilis arcem,*
*Quò nequeo ferri corpore, mente ferar.*
*Quam multis glomerata choris distincta catervis*
*Agmina conspicerem Numinis ante thronum!*
*Agmina tam numero, quàm majestate decora,*
*Agmina divinum psallere sueta melos.*
*Non tot sylva feras, tot pisces continet unda,*
*Totque insculpta micant sidera clara polo:*

Nec

*Nec tot spumosum rejectat litus arenas,*
*Quot turmæ Aligerum cælica templa colunt.*
*Hos opifex rerum mortali labe carentes*
*Edidit, æterni participesque boni.*
*Quos nec perpetuo labentia sæcula cursu,*
*Nec potis est gelidæ vis abolere necis.*
*Immunes senii tranquillos cælico ab ævo*
*Dinumerant annos, sidereosque dies.*
*Tristia connubii non norunt jura, nec ullis*
*Urget eos stimulis imperiosa fames.*
*Plurima quin etiam mira sermone loquuntur,*
*Nulla licet linguis mutua verba sonent.*
*Et jugiter summo nova pangunt carmina Regi,*
*Carmina mortali non referenda sono.*
*Festinantque sacras certatim currere ad ædes,*
*Cum gratas resono fundimus ore preces.*
*Hic ineunt placidas cælo plaudente choreas,*
*Et miscent nostris verba canora modis.*
*O templum! ô templum! ô felicia limina cæli!*
*Solaque digna Deo, cælicolisque domus!*
*Hic dulces resonant melicis concentibus Hymni,*
*Hic colimus casta religione Deum.*
*Mergimus hic undis culpas, hic sanguinis haustum*
*Sumimus, hic algens pectus amore calet.*
*Hic volucres animæ, puræ sine corpore mentes*
*Occulta irradiant viscera nostra face.*
*Ceratis ut celeres liquidum per inane feruntur,*
*Et gaudent templi tecta subire sacri?*
*Utque hilares inferre polo suspiria cordis,*
*Et gemitus sat agunt, sollicitasque preces?*
*Scilicet ut Numen faciles admittat ad aures*
*Luctisonos gemitus, sollicitasque preces.*
*Sæpe etiam lasci compescunt judicis iram,*
*Cum foret æternis pœna luenda rogis.*
*O vos felices, divinorumque capaces,*
*Vos quibus astrorum splendida regna patent.*
*Vos quibus arrisit cælum, jussitque tueri*
*Angelicos vultus, Angelicosque choros.*
*Dicite quàm densæ properent ex æthere turmæ,*
*Dum pia festivis personat aula choris.*
*Dicite quam lepido demulcent aëra cantu,*
*Dum pulsant patriæ dulcia fila lyræ.*
*O mihi si mentem, corpusque attollere cælo,*
*Et vestra liceat conditione frui!*
*Protinus Elysiis immiscens carmina turmis*
*Perpetuæ colerem laudis honore Deum.*
*Effundensque novos succenso è pectore versus*
*Acciperem votis præmia digna meis.*

3. Sed quid Angelos propono ad excitandam in psallentibus reverentiam? Parum est hoc. Nam & ipse Rex Angelorum, Dominus, & Salvator noster Christus Jesus corporaliter præsens adest Ecclesiæ in augustissimo Eucharistiæ Sacramento. Quàm terribilis est locus iste, & omni dignus reverentia, quem non solum frequentant Angeli, sed suâ quoque præsentiâ Dominus ipse dignatur! Considera te ipsum ô homo, nam si multis maculatus criminibus æterni supplicii reus es, astas judici tuo: quomodò non expavescis? Si dilatato corde viam mandatorum Dei currere incœpisti, magister tuus hic est: quantum ei honorem debes? Si ab omni terrena contagione mundatus jam summam cum eo unionem appetere audes, hic est sponsus: quantâ sollicitudine mores tuos, & actus componere te oportet, ne anima tua minimâ quâvis labe indecora displiceat sponso? Ipsa verò reverentia duplex est, interna, & externa. Interna in timore, & humilitate, in puritate, & compunctione cordis consistit: ut, sicut docet S. Ephræm *h*, orationis tempore quasi Angeli simus, sicque contendamus, ut oratio nostra sit sancta, pura, immaculata, & irreprehensibilis: ut cum illam sursum ascendere viderint portæ cœlestes gaudentes ultrò confestim ei aperiantur, ut ipsam cernentes Angeli, & Archangeli cuncti lætantes illicò occurrant, & coram sancto, atque excelso throno immaculati Domini offerant. Porrò ad externam reverentiam pertinent sensuum exteriorum custodia, externi hominis compositio, vocis in cantu moderatio, gravitas morum, habitus decentia, omniumque ceremoniarum, & præscriptorum rituum observantia: ut nimirum flectant genua, stent, sedeant, surgant, inclinent omnes pro rei & temporis exigentia: ut nil appareat in eis quod possit offendere intuentes. Hortor vos, ait Beatus Theodorus Studita *i*, decorè, riteque psallere, non obiter, non supinè, & confusè: Scriptum est enim, Psallite sapienter. Sanctus quoque Macharius Homiliâ sextâ adversus eos declamat, qui preces suas clamoribus parum decentibus, & confusione plenas effundunt. Inclinationes autem, genuflectiones, & alias hujusmodi exteriores observantias eleganti vocabulo orationem corporalem nuncupat B. Angela de Fulgineo sermone de oratione. Septimius Tertullianus *k* non esse sedendum in oratione asserit his verbis: Siquidem irreverens est assidere sub conspectu, contraque conspectum ejus quem cum maximè reverearis, ac venereris: quantò magis sub conspectu Dei vivi, Angelo adhuc orationis astante factum istud irreligiosissimum est; nisi exprobramus Deo, quod nos oratio fatigaverit. Idem asserunt Optatus Milevitanus *l*. Petrus Damianus *m*, & alii Patres.

Sedere

h *Ephræm. ser. de Virginit.* i *Theod. cat.* 9. k *Tertul. de orat. c.* 12. l *Opt. Milev. l.* 4. m *P. Dam. l.* 3. *ep.* 8.

Sedere tamen humiliter & modestè non prohibent Joannes Cassianus *n*, & sanctus Benedictus *o*. Idque confirmat consuetudo nostrorum temporum, solemus enim alternatim stare, & sedere.

4. Verùm enim verò si sancti Patres non ab omnibus damnatam sectionem tanto zelo reprehendunt, quid agerent si quorundam Clericorum, atque Religiosorum depravatam in omnibus psallendi disciplinam conspicerent? Quàm acriter adversus illos insurgerent, qui nec Deum timentes, nec hominibus reverentiam habentes liberrimâ oculorum jactatione, inconcinnâ corporis habitudine, licentiosâ gestuum levitate Ethnicorum, ac infidelium exprimunt mores? In sedilibus suis lecti mollitiem quærentes jacent inciviliter extensis tibiis, divaricatis cruribus: tum obrepenti somno cedentes dimidiata proferunt verba, crebris oscitationibus psalmorum recitationem turbantes, animum ibi non esse manifestant: pedibus vacillant, digitis exercent argutias, seriam aliorum gravitatem effusissimo risu contemnunt. Vocem in cantu vel deprimunt nimis, vel super alios attollunt: importuno garritu omnia miscent, tantoque impetu verba glomerant, & præcipitant, ut ne quidem verbum integrum sonet. De notula una cantus, vel de aliqua Antiphona lites quandoque movent acerrimas. Ad ineptias, & fabulas semper prompti; ad commessationes, & ebrietates semper robusti & benevalentes; in choro deinde languentes nec erecto corpore stare, nec genibus inniti, nec vocem possunt proferre. Diceres eos ad primum oratorii ingressum, graviori correptos infirmitate mox animam acturos esse. Heu miseros, & infelices! Siccine profanatis templum, sacerdotium confunditis, ordinem temeratis? Ubi religio est, ubi mores, ubi pudor, ubi lex, ubi fides, & disciplina? Quid Deo vestro respondebitis in die judicii, cum vobiscum ponet rationem, quod opus suum feceritis fraudulenter? Quid dicetis animabus, quarum bona percepistis in vita vestra, ut earum peccata portantes indignationem Dei averteretis ab illis? Quid Angelicis spiritibus respondere poteritis, quorum spreviſtis præsentiam, contempsistis auxilia, officia neglexistis? An ignoratis quod scriptum est *p*, *Qui contemnunt me erunt ignobiles*: itemque *q*, *Solemnitates vestras odivit anima mea, convertam festivitates vestras in luctum*: & *r* *In terra sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini*? Ipsa, ipsa Religio, quam profitemini, errores vestros accusat: Atrocius enim, ut Salvianus *s* scribit, sub sancti nominis professione peccatis; & ubi sublimior est prærogativa, major est culpa. Sed de horum miserrima conditione melius est silere, quàm loqui. Hugo Cluniacensis dictus de Folieto lib. 2. de claustro animæ inter opera Hugonis Victorini, abusiones claustri enumerans ponit undecimo loco dissolutionem in choro, eosque perstringit acerrimè, qui mente vagi, attoniti oculis, habitu dissoluti, aliud cantant, aliud cogitant: in choro sunt corpore, sed mente in foro. Eosdem reprehendunt, & damnant Joannes Chrysostomus, & Potho Prunienſis; hic in fine libri tertii de domo Dei, ille Homiliâ primâ de verbis Isaiæ, *Vidi Dominum*. Omnes autem partes internæ, & externæ reverentiæ Seraphicus Doctor Bonaventura *t* in speculo disciplinæ diligenter edisserit: & Joannes Cassianus *u* antiquorum Monachorum reverentiam in Ecclesia describens; Tantum, inquit, à cunctis silentium præbetur, ut præter illum, qui Psalmum decantat, nullus hominum penitus adesse credatur. Non sputum emittitur, non exscreatio obstrepit, non tussis intersonat, non oscitatio somnolenta dissutis malis & hiantibus trahitur, nulli etiam gemitus, nulla suspiria astantes impeditura promuntur.

n *Cassianus lib. 2. cap. 12.* o *Benedictus. cap. 9.* p *1. Reg. 2. 36. Isai. 1. 14.* q *Amos 8. 10.*

r *Isai. 26. 10:* s *Salvian. l. 4. de gub. Dei.* t *Bonav. part. 2. cap. 9.* u *Cassian. lib. 2. cap. 10.*

## §. III

*Ceremoniæ quid sint, & quæ hujus nominis origo. Earum efficacia, & utilitas ad divinum cultum. Veræ à falsis & superstitiosis discernendæ. Exteriores ceremonias sine interno spiritu parum prodesse.*

1. IN publicè persolvendis divinis Officiis omnes Ecclesiasticæ ceremoniæ ad amussim servari debent, in his enim exterior disciplina potissimum sita est. Sunt autem ceremoniæ, si propriè loqui velimus, ritus sancti in sacrificiis, & divinis Officiis ad Dei cultum adhibiti: sed migravit vocabulum in usus etiam profanos; nam cum homines instituissent sibi invicem inclinare, genua flectere, manus osculari; hæ & aliæ honoris exhibitiones, cum proprio nomine carerent, cœptæ sunt etiam ceremoniæ dici.

dici. A nomine *Cerus*, quod veteri lingua sanctum significat, dictas ceremonias existimat Festus, ut à sanctus sanctimonia. Augustinus *x* à carendo dici putat quasi carimonias, eò quod observantes careant his rebus, à quibus abstinent. Idem alii tradiderunt apud Gellium *y*, & Macrobium *z*, quod res sanctæ remotæ ac sepositæ à nobis sint. Quidam ab oppido Cere derivant: nam urbe à Gallis captâ virgines Vestales, sacerdotes, & simulachra Deorum agente L. Albino, ut Livius scribit *a*, vel L. Alvanco, ut placet Valerio Maximo *b*, in id oppidum plaustro perducta sunt, in cujus rei memoriam omni divino cultui ceremoniarum nomen enatum est. Alii à Cerere deducunt quasi Cereris munia, quod sacra Cerealia omnium sanctissima & antiquissima sint habita. Nonnulli à verbo Hebraico *Cherem* quod significat devovere, consecrare Deo, & à communi usu separare. Alii denique à verbo Græco χαίρειν, quod salutis sint causâ, vel ad salutem spectent. Græci ceremonias πλεθὶς vocant: est autem πλεθὶ apud Suidam sacrificium plenum maximis mysteriis. In Veteri Testamento multæ erant ceremoniæ à Domino institutæ, sed factâ per Jesum Christum gratiâ & veritate, cessavit earum obligatio. Asserit Augustinus *c*, nullam esse Religionem sive veram, sive falsam, quæ sine ceremoniis subsistere possit. Ideò apud antiquos nihil aliud erat esse Theologum, quam scire quæ Numina quibus ceremoniis colerentur, ut ex Platone *d* colligitur. Licet enim ipsæ ceremoniæ nullam secundùm se perfectionem, nullam contineant sanctitatem: sunt tamen actus externi Religionis, quibus quasi signis excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur charitas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simpliciores, Dei cultus ornatur, conservatur Religio; & veri fideles à pseudochristianis, & eterodoxis discernuntur. Christus ipse vix aliquod illustre miraculum patravit, in quo ceremonias non adhibuerit: nam lutum fecit ex sputo, & linivit oculos cœci nati: extendens manum tetigit leprosum, & mundavit eum: digito scribebat in terra: exspuens, & suspiciens in cœlum aures aperuit surdi, & linguæ vinculum dissolvit. Axioma Zoroastris *e* est sacris ceremoniis animam ad Deum reduci: sunt enim istæ, ut Psellus, & Pletho in scholiis docent, manuductrices ad supernas illuminationes & unionem cum Deo. Porrò Chaldæi sapientes existimârunt non aliter posse nos ad Deum reduci, nisi animæ vehiculum materialibus ceremoniis aptum reddamus, atque firmemus: his enim lustratur anima, & agilior redditur ad ascensum. Apud Ethnicos Numam Pompiliam octo libros ceremoniarum scripsisse ad Religionem pertinentium refert Dionsius Halycarnassæus *f*. Julianum quoque Apostatam in templis idolorum nostris consimiles ritus, & precationum alternatim canendarum formam instituisse scribunt Nicephorus *g*, & Nazianzenus *h*. Narrat item Baronius *i* Valentem Imperatoren Arianum, visis in templo sacris ceremoniis, maximam erga res Catholicorum reverentiam concepisse. Tanta est earum vis & efficacia.

2. Frustrà Sectarii, atque irrito prorsùs conatu in illis evertendis laborant. Dicunt enim ad Idololatras nos accedere, quod quædam ceremoniæ reperiantur, quæ nobis & illis communes sunt. Nam ut è multis pauca seligam, in sacris veste candidâ utimur, usi sunt & Gentiles testibus Valerio Maximo *k*, & Philostrato Lemnio *l*. Primitias offerri solitas Diis gentium, ut & olim vero Deo auctor est Censorinus *m*. Offerre decimas, & vota etiam apud Ethnicos observatum scribit Dionysius Halycarnassæus *n*. Non licuisse Pontifici quempiam occidere Suetonius in Tito asserit, sicut nec Sacerdotibus veri cultus. Lustralem aquam, aspersionem sepulchrorum, cereorum, & lampadarum usum, & alia multa, quæ nobis in usu sunt, inter Gentes viguisse prisci Scriptores commemorant. Sed hæc omnia jam pridem questus Tertullianus *o* ex lege divina in superstitionis cultum, agente diabolo, fuisse transfusa: præterquam quod multas gentium superstitiones ad cultum veri Dei à sanctis Patribus laudabiliter translatas Gregorius Nyssenus *p*, & Theodoretus *q* ostendunt. At omissis hæreticis, qui omnes ceremonias tollere conantur, contrarius aliorum error perstringendus est, qui declinantes in superstitionem nimio cultu onerant Religionem. Horum mores graphicè pingit, ut solet, in Ethicis characteribus Theophrastus.



x *Aug. l. 2. retract. c. 37.* y *Gell. l. 4. c. 9.* z *Macrob. d. 3. Sat. c. 3.* a *Livius l. 5. dec. 1.* b *Val. Max. l. 1.* c *Aug. l. 19. contra Faustum. cap. 11.* d *Plat. de Regno.* e *Zoroast. initio Magic. oraculorum.*

f *Dion. Halic. Ro. antiq. l. 2.* g *Niceph. lib. 10. c. 21.* h *Nazian. orat. 1. in Julianum.* i *Baron. an. 370. n. 46.* k *Valer. Max. l. 1.* l *Philostr. lib. 2.* m *Censor. c. 1.* n *Dion. Halic. l. 1.* o *Tertullian. de Præsc. c. 40.* p *Greg. Nyss. in vita Thaumaturgi.* q *Theod. l. 8. de Cur. Græc. affect.*

Superstitiosus, inquit, is est, qui elotis manibus, & aquâ lustrali aspersus è templo, folium lauri ore prehensum tenens integrum diem ita ambulet. Si viam eo ambulante mustela transcurrerit, non ante progreditur, quam alius prior transierit, aut ipse tres lapides trans viam miserit. Serpentes si viderit in ædibus, sacellum eo loco extruet. Lapides unctos qui sunt in triviis solet oleo ex ampulla perfundere: nec prius discedere, quàm posito genu eos fuerit veneratus. Solet etiam domum crebrò purificare, sepulchrum nullum insistere, ad defunctorum justa nullus accedere, neque item ad ullam unquam puerperam. Insomnium porrò si viderit, pergere illicò ad divinos, ad augures, sciscitaturus cui Deo, cui Deæ vota sint facienda. Hæc & alia Theophrastus de superstitiosis infidelibus, quos in Evangelica luce nonnulli turpius errantes imitantur.

3. Caveant autem Ecclesiastici, caveant animarum Pastores, ne Christianæ plebis ignorantiam ipsimet foveant, ne fiat sicut populus, ita & Sacerdos. Semper ignarum vulgus proclive fuit ad superstitionem, plus in vanis quibusdam ineptiis, quàm in vera pietate confidens. Sed prudentis Sacerdotis munus est docere populum, ut ceremonias quidem à majoribus nostris sanctè institutas accuratè custodiant; suspectas autem novitates, & tumultuarias hominum adinventiones radicitùs amputent, & evellant. In ipsis verò exterioribus observantiis sitam non esse pietatem & religionem animadvertant. Quidam enim Religiosi externis functionibus diligentissimè adimpletis, quasi jam salva sint omnia, magnam de seipsis sanctitatis opinionem concipiunt; cum tamen adhuc à vera perfectione longissimè distent, Christi Domini maledicto tanquam probrosæ arbores proximi, ni post frondes & flores expectatos etiam in maturitate autumni fructus parturiant. Hominem intuere, ait Bernardus *r*, vanam istorum Religionem describens, qui solas manus ad opera mandatorum movet corde penitus arido, ductus consuetudine quâdam, planè quasi vitula Ephraim docta diligere triturам. Exteriorum quæ ad modicum valent, nec unum jota præterit, sed camelum glutit, dum culicem liquat. In corde enim servus est propriæ voluntatis, cultor avaritiæ, gloriæ cupidus, ambitionis amator, aut hæc omnia, aut singula, quæque intus vitia fovens, & mentitur iniquitas sibi; sed Deus non irridetur. Videas enim interdum sic palliatum hominem, ut seducat etiam semetipsum penitùs non attendens vermem, qui interiora depascitur. Manet enim superficies, & salva sibi omnia arbitratur. Comederunt alieni robur ejus, & ignoravit. Dicit quia dives sum, & nullius egeo: cùm sit pauper, & miser, & miserabilis. Nam & inventâ occasione ebullire saniem, quæ latebat in ulcere, & excisam non extirpatam arborem in sylvam pullulare videas densiorem. Quod periculum si volumus declinare, securim ponamus necesse est ad radices arborum, non ad ramos. Non sola inveniatur in nobis exercitatio corporalis ad modicum valens, sed inveniatur utilis ad omnia pietas, & exercitium spirituale. Hæc Doctor mellifluus, qui non dicit externum cultum non esse omninò inveniendum in nobis, sed cum interno conjunctum, sicut scriptum est, *s Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Et *si orem linguâ, spiritus meus* (hoc est vox mea spiritu vitali & vocali prolata) *orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo? orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente.*

## §. IV.

*De attentione. Eam triplicem esse ad verba, ad sensum verborum, ad finem qui Deus est. Quæ & quanta harum attentionum vis, & necessitas. De eo qui rapitur extra se dum psallit. Controversiæ quædam tractantur, & solvuntur.*

1. Ecclesiastica hymnodia, tametsi secundùm se opus sit excellentissimum, si necessariis tamen conditionibus careat, nequaquam altissimo Deo placere poterit, qui modum operis magis attendit, quàm opus ipsum. *Justè, inquit, t quod justum est persequeris.* E qua doctrina illud Gersonis pronunciatum à viris spiritualibus proverbialiter usurpatum prodiit. Deum scilicet esse non verborum, sed adverbiorum remuneratorem: hoc est, Dominum non tam respicere ad actionis bonæ substantiam, quàm ad modum, & circumstantias, quas Grammatici solent adverbialibus terminis explicare. Sunt autem tres conditiones necessariæ, ne oratio nostra fiat nobis in peccatum: nimirùm ut reverenter, ut attentè, ut devotè psallamus. Et de reverentia quidem, ac ceremoniis, quæ ad vires pertinent sensitivas, jam dictum est, nunc tractandum de attentione, ut, dum psallimus, id versetur in corde

r *Bernh. Serm. 2. de assumpt.*

s *Psalm. 83. 1 Cor. 14. 14.* t *Deut. 16. 20.*

corde quod ore profertur, & cum Deo loquentes tantam saltem attentionem adhibeamus, quantam cum hujus mundi principibus de rebus terrenis tractantes adhibere solemus. Alioquin sugillabit nos Propheticâ objurgatione Salvator noster dicens *u*, *Hypocritæ bene de vobis prophetavit Isaias, populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Scitè Prosper Aquitanicus: *x*

*Laus vera in Dominum depromitur ore precantis,*
*Si quæ voce fluunt intima cordis habent.*

Magna sunt arma preces, inquit Chrysostomus *y*, dummodò sobrii, & undequaque mente nostrâ collecti Dominum adeamus, totique nitamur ita loqui, ut non solùm verba, sed etiam mens verborum comes ad Deum accedat. Et quæ segnitia est, ut sanctus loquitur Cyprianus, *z* alienari & rapi ineptis cogitationibus cum Dominum deprecaris, quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quàm quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri à Deo postulas, cùm ipse non audias! Vis esse Deum memorem tui cùm rogas, quando tu ipse memor tui non sis! Psalmodia, ait Laurentius Justinianus *a*, est quædam Dei ad hominem, atque hominis ad Deum dulcis, læta, & familiaris allocutio. Ideò indignum est, ut, quamdiu anima cum Deo sermocinatur, aliò se divertat. Intendere debet omninò illi, qui intendit sibi: & omnia verba sacri carminis suspensâ debet audire mente, tanquàm si ipsi soli essent prolata. Quod autem voce clamat, concordet sensu, seseque coaptet intellectui Scripturarum. Nihil verò de iis quæ foris sunt illo beato tempore cogitet, nihil appetat, sed sola ei sufficiat præsentia Redemptoris. Nam negligentes orationes, ut rectè dictum est à Smaragdo *b* Abbate, nec ab homine possunt impetrare quod volunt. Oratio autem, teste Guillielmo Alverno *c* in sua divina Rhetorica velut quidam nuntius est qui ad Deum mittitur, ad ipsum intrat, nec discedet, donec aspexerit Altissimus. Sed satius est videre quot sint gradus attentionis, quæ necessitas, quæ adjumenta.

2. Divus Thomas, *d* ejusque synchronus & amicus D. Bonaventura *e* tres modos attentionis distinguunt. Prima attentio in materiali verborum pronunciatione consistit; quando quis attendit ut integrè, & rectè, ac sine errore cantet, legat, psallat. Altera in sensu literali verborum sita est, cum quis observat eorum quæ recitantur significationem. Tertia circà mysticum sensum verborum, ut Seraphicus Doctor explicat, aut circa finem orationis qui est Deus, vel circa rem pro qua oratur ad mentem Doctoris Angelici versatur. Prima omnium infima simplicioribus competit, qui Latinum idioma non intelligunt. Secunda ad doctiores, & Theologos spectat. Tertia ad Religiosos pertinet, qui affectui maximè insistunt, licet doctrinâ & litteris careant. Prima dicitur materialis, secunda formalis, tertia finalis. Per primam attenditur ad verba, per secundam ad sensum, per tertiam ad effectum. Porrò hi modi attendendi non æqualiter obligant recitantes. Suppono autem aliquam attentionem saltem virtualem ad orationis integritatem requiri, quo posito certum est in primis quamcumque ex tribus suprascriptis attentionibus ad orationis vocalis integritatem sufficere; est enim quælibet actus humanus, & verum signum divini cultus. Verùm ad vitandam culpam primus attentionis modus quandoque non sufficit: ille enim qui majoris intelligentiæ omninò incapax ad sola verba superficialiter attendit, non peccat, cum peccatum esse non possit, nisi voluntarium. At vir doctus, qui verbalem duntaxat observans attentionem alias altiores voluntariis distractionibus impedit, & negligit, peccat proculdubiò ob gravem Dei irreverentiam, sacrique Canonis *f* transgressionem, quò Innocentius Papa districtè præcipit in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, omnes studiosè celebrent, ac devotè. Accedit *g* quod non omnes effectus orationis consequi orantes possunt, quâcunque adhibitâ attentione; effectus enim sunt quatuor, impetratio, meritum, satisfactio, & spiritualis animæ refectio. Ad impetrationem & satisfactionem sufficit primus modus cum virtuali proposito attendendi pro cujusque viribus & ingenio: nam ex ipso opere pœnali crescit per se satisfactio; nec ad impetrationem aliquem actum exigit Deus, qui vires hominum excedat, orare autem sine distractione nullus mortalium potest: tum fieri nequit, ut ad altiores sensus indocti homines eleventur. Meritum verò cum formaliter ac propriè totum sit

u *Matth.* 15. 7. x *Prosp. epig.* 6. y *Chrys. hom.* 30. *in Genes.* z *Cypr. de orat.* a *Justin. de disc. mon. conv. c.* 17. b *Smaragd. in diadem. Monach. c.* 1. c *Alver. div. Rhet. cap.* 38. d *Thom.* 2. 2. *q.* 85. *art.* 13. e *Bonav. l.* 7. *de proces. relig. c.* 3. f *C. Dolentes de celebr. miss.* g *Bern.* 7. *in Cant.*

in interiori actu, censent communiter Theologi, cessante internâ & actuali intentione ipsius quoque augmentum cessare. Postremus denique effectus spiritualis refectionis tertium, vel secundum attentionis modum requirit cum *actuali* spiritus advertentia, quæ res adeò certa est, ut nullâ indigeat probatione.

3. De hac psallentium mentali dulcedine loquitur dulcissimus Bernardus in ea sententia, quam suprà quoque commemoravimus. Cibus in ore, Psalmus in corde sapit. Tantùm illum terere non negligat fidelis & prudens anima quibusdam dentibus intelligentiæ suæ, ne si fortè integrum glutiat & non mansum, frustretur palatum sapore desiderabili, & dulciori super mel & favum. Offeramus cum Apostolis in cœlesti convivio, & in Dominica mensa favum mellis. Mel in cera, devotio in littera est. Aliquin littera occidit, si absque spiritus condimento glutieris. Si autem cum Apostolo psallas spiritu, psallas & mente, cognosces & tu de illius veritate sermonis, quem dixit JESUS, *Verba quæ loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Hanc Magistri doctrinam pari stylo, & spiritu sequitur Guerricus *h* noster Abbas Igniacensis. *Beati* planè, ait, *qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. Mirabilia testimonia tua Domine, ideò scrutata est ea anima mea.* Scrutinio quidem opus est non solùm, ut eruantur mystica, sed etiam ut fugantur moralia. Ideoque vos qui perambulatis hortos scripturarum, nolite negligenter, & otiosè transvolare, sed scrutantes singula velut apes sedulæ mel de floribus, spiritum de sermonibus colligite. *Spiritus enim meus*, inquit Jesus, *super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & favum.* Ita probantes quid sapiat manna absconditum eructabitis illud Davidicum. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Ab his hortis in alios, ubi requies secretior, & voluptas beatior, & species mirabilior, sponsus ni fallor vos introducet, cum intentos laudibus suis in voce exultationis, & confessionis rapit in locum tabernaculi mirabilis usque ad domum Dei, lucem scilicet inaccessibilem, ubi habitat, ubi pascit, ubi cubat in meridie. Si enim devotio psallentium habet aliquid de illa pia curiositate quærentium, *Rabbi ubi habitas?* puto quia merentur audire; *Venite, & videte. Venerunt*, inquit, *& viderunt, & apud eum manserunt die illa.* Cæterùm de hac mansione apud dilectum, ad quam nonnumquam introduc-

h *Guerric. serm. de Psalmodia.*

cuntur, qui hoc tertio attentionis genere uti solent, gravissima extat Theologorum disputatio. An attentio interior vocalem orationem impediat, ut ille, qui psallendo extra se rapitur per altissimam contemplationem, Officii recitandi præcepto non satisfaciat.

4. Contingere solet aliquando non mihi, aut mei similibus, sed iis, qui norunt educere mel de petra, oleumque de saxo durissimo, ut, dum mysticæ Psalmorum intelligentiæ, vel divinis mysteriis contemplandis inter psallendum diligentius insistunt, extra se rapiantur, elevatis in altum superioribus potentiis. Amor enim ecstasim facit, & rapit ad amatum. In hoc raptu constituta anima in abyssо quadam lucis, & ardoris avocatur ab exterioribus, ita ut actus inferiorum potentiarum, vel cessent, & impediantur omninò, vel suspendantur, & debilitentur. Hæc talis anima ad tantam sublimitatem singulariter producta, debetnè hujusmodi suspensionem impedire, ut vocaliter possit orare; an cessat tunc recitandi obligatio, vel postea ad se reversa Ecclesiæ præcepto satisfaciet? Sed quid si raptus ultra tempus persolvendi Officii duraret? In solutione harum difficultatum possem diutius immorari ob varias, & dissidentes Theologorum opiniones. Sed omissis controversiis satius existimo, quid mihi probabilius videatur breviter indicare. Dico igitur primò, quod si mentis suspensio usum vocis impediat, non impleatur præceptum; sed tenetur postea, qui talem raptum passus est, Officium suum recitare: nec enim tollit obligationem præcepti singularis impulsus Spiritus sancti. Si verò mentis excessus linguæ usum non tollat, sentio illum, qui sensui spirituali ita attendit, ut verba non consideret, verè orare vocaliter, & Ecclesiæ præcepto satisfacere, dummodò verba ipsa integrè, & sine errore pronunciet. Nam quid præcipit Ecclesia, nisi ut oremus, & laudemus Deum? Oratio autem quid est, nisi ascensio mentis in Deum? Ergo qui mente elevatur in Deum, verissimè orat, licet attentionem reflexam ad verba non habeat. Nullus unquam Doctor tam rigidus exactor fuit, ut actualem ad verba attentionem necessariam ad orationis integritatem existimaret: Ergo si prima intentio integra verba proferendi, & vocaliter laudandi Deum nunquam voluntariè interrupta virtualiter durat, quis neget hanc veram esse orationem, Deoque gratissimam, qui non vocis clamorem, sed amorem respicit cordis? Dico tamen secundò, quod

quod si tempus non supereſſet ad perſolvendum Officium, idque orans prævideret ita futurum, tantam animi ſuſpenſionem impedire teneretur, ne preces horarias omitteret, alioquin non excuſaretur à culpa, ſi privatos affectus Eccleſiaſticæ ſanctioni præferret: niſi fortè ſuſpenſio, vel raptus tanto impetu fieret, ut uſum tolleret libertatis, quod fieri poſſe Theologi Scholaſtici cum Myſticis aſſeverant: tunc enim in omiſſione Officii involuntaria peccatum non eſſet, ut per ſe conſtat. Diſſerunt de hac re ſancta Catharina Senenſis in Dialogo cap. 67. Sanctus Vincentius Ferrerius tract. de vita ſpirituali cap. 10. Dionyſius Carthuſianus in tractatu de diſcernendis ſpiritibus, articulo 23. citatus à Conſalvo Duranto Epiſcopo capite tertio libri de viſionibus, quem præmiſit Revelationibus Sanctæ Brigittæ. Gabriel Biel in Canonem Miſſæ lectione 62. ubi multa de hac materia, & alii Recentiores.

5. Hæc verò doctrina ex parte diſplicet Joanni Gerſoni *i*, quem ſequuntur quidam Neoterici, diſplicet etiam Gabrieli loco citato. Iſti enim ſentiunt nullo pacto licere pſallentibus talem meditationem admittere, quæ nec pertineat ad verba, nec in eis fundetur, aut quæ ipſorum verborum ſubmoveat cogitationem. Ratio eſt, inquiunt, quia non attendens ad verbalem prolationem, dum recitat, mentaliter tantum orat: quis enim aſſerat externam illam actionem eſſe humanam, cum careat omni advertentia? At Eccleſia publicam orationem jubet eſſe vocalem, ut toti populo, pro quo profertur, innoteſcat: Ergo non obedit Eccleſiæ, qui voluntariis contemplationibus orationis pervertit integritatem. Sic illi argumentantur. Sed ut veritas noſtræ aſſertionis inconcuſſa permaneat, id quod aſſumunt ad probationem, actum ſcilicet illum non eſſe humanum, omninò negandum eſt. Quoties enim in principio actionis actus voluntatis elicitur, quo quis vocaliter orare, atque integra verba proferre decernit, totus recitationis actus qui ſequitur liber, voluntarius, ac proinde humanus dici debet, quamvis deſit actualis attentio ad verba. Quod ſi actualis, ac nunquam interrupta attentio requireretur, profectò non ſalvaretur omnis caro, cum ob cordis humani inſtabilitatem, vix integram Orationem Dominicam liceat ſine diſtinctione proferre. Nec obſtat D. Bernardus *k*. Hoc enim ad confirmandam Gerſonis ſententiam quidam utuntur, & locus quem objiciunt hic eſt. Nihil aliud dum pſallitis, quam quod pſallitis cogitetis. Nec ſolas dico vitandas cogitationes vanas, & otioſas: vitandæ ſunt & illæ, illa dumtaxat hora, & illo loco, quas Officiales fratres pro communi neceſſitate quaſi neceſſariò frequenter admittere compelluntur. Sed ne illa quidem profectò recipere tunc conſuluerim, quæ fortè paulo ante in Clauſtro ſedentes, in Codicibus legeratis, qualia etiam nunc me viva voce diſſerente ex hoc auditorio Spiritus ſancti recentia reportatis. Salubria ſunt, ſed minimè illa ſalubriter inter pſallendum revolvitis. Spiritus enim ſanctus illa hora gratum non recipit, quicquid aliud quam debes, neglecto eo quod debes, obtuleris. Hæc illi à Bernardo, ſed malo omine ſuæ opinionis. Iſtinc enim evidentiſſima ratione conficitur, eas tantùm cogitationes tempore Pſalmodiæ abjiciendas, quæ licet bonæ ſint, nullo tamen pacto ad orationem pertinent: quales ſunt curæ temporales, ſcientificæ ſpeculationes, & alia ejuſdem generis. Secus verò eſt, cum meditatio practica ad pios erga Deum affectus excitandos ordinatur: nam hic orationis finis eſt, hoc munus primarium, hæc utilis exercitatio, adverſus quam non ſcribit Bernardus. Moneo tamen conſultius fore verborum ſenſui inſiſtere, quàm temerè per alta cœlorum volare, ne audax, & inconſultum facinus celeri ruina caſtigetur, temerarius majeſtatis ſcrutator opprimatur à gloria. Quis enim audeat ad montem aſcendere, niſi ſolus Moſes? Quis amatoria cum Deo miſcere colloquia, niſi cor purum, conſcientia bona, fides non ficta? Talem animam, cui vivere Chriſtus ſit, & mori lucrum, non judico indignam ſublimiori ad Deum acceſſu. Mihi autem bonum eſt ponere in Domino Deo ſpem meam, & recogitare dies meos in amaritudine animæ meæ. Sic per infimos ſcalæ gradus pervenitur ad culmen: & per materialem, ac formalem attentionem ad finalem, quæ perfectiſſima eſt, paratur aſcenſus, de qua Heſychius Presbyter *l*. Attentio, inquit, eſt continua cordis requies ab omnibus cogitationibus libera. Hæc quidem communiter de attentione. Eam verò plurimum juvant illæ præparationes, quas Officiorum recitationę præmittendas eſſe docuimus ſupra. Tum ſatagendum eſt, ut, quæ ipſam attentionem impediunt, ſtudioſè evitemus: ne videlicet evagationibus data opera occaſionem præbeamus, vel nimia oculorum licen-

*i* *Gerſon. 3. parte tract. de orac. circa finem.* *k* *Bern. ſerm. 47. in Cantic.*

*l* *Heſych. cent. 1. de Temperantia.*

licentia, vel præcipiti Psalmorum pronunciatione, vel tardo ad chorum accessu, vel immoderata risus petulantia, vel stulta, ac puerili loquacitate. Sunt igitur duo singularia attentionis adjumenta, ante orationem præparare animam suam, & in ipsa oratione omnem evagationis occasionem evitare. Sed de evagationibus, & earum causis, atque remediis seorsim tractandum est.

## §. V.

*Multis evagationibus humanam mentem subjectam esse. Omnes evagationes è septem fontibus oriri: à curis, & solicitudinibus, à magna negotiorum mole, ab otio, à superfluis colloquiis, ab animi perturbationibus, à sensuum exteriorum libertate, & ab instabilitate imaginationis.*

1. NOrunt omnes, qui orant, quantis evagationibus subjecta sit mens humana non volens, quantas patiatur vel invita difficultates, & ne putes ad pusillos duntaxat, & imbecilles in spiritu hoc vitium pertinere, audi magnum sanctitatis fastigium, audi eximium Dei cultorem Augustinum *m*. Verè dicam, ait tanquam homo in hominibus, & ex hominibus: attendat quisque, & videat, quanta agantur in corde humano, quemadmodum ipsæ plerumque orationes impediantur vagis cogitationibus, ita ut vix stet cor ad Deum suum, & vult se tenere, ut stet, & quodammodo fugit à se, nec invenit cancellos, quibus se includat, aut obices quosdam, quibus retineat avolationes suas, & vagos quosdam motus, & stet jucundari à Deo suo. Vix est ut occurrat stabilis oratio inter multas orationes. Diceret unusquisque sibi contingere, & alteri non contingere, nisi inveniremus in scripturis Dei David orantem, & dicentem, *n Quoniam inveni Domine cor meum, ut orarem ad te.* Invenire se dixit cor suum, quasi soleret ab eo fugere, & ille sequi quasi fugitivum, & non posse comprehendere, & clamare ad Dominum, Quoniam *cor meum dereliquit me.* Clamat quidem Dominus per Prophetam *o*, *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*: & alibi *p*, *omni custodia serva cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit.* Ego verò vicissim cum Psalmista clamabo *q*, *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis*: quia nisi Dominus custodierit nos, frustra nos ipsi ad nostri custodiam vigilamus. Sunt autem evagationum variæ origines, varii fontes, & rivuli, mare magnum, & spatiosum continua accessione componentes, in quo reptilia perambulant, quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis.

2. Primus fons è curis, & solicitudinibus oritur. Nimia enim anxietas ad res, & studia, & occupationes externas, cum quis incipit orare, illicò suggerit expedienda negotia, componendas lites, fruges comparandas, conscribendas epistolas, pecuniam exigendam, curandam suppellectilem, & alia ejusdem generis infinita. His curis maximè exæstuant, qui voluntatem suam divinæ non conformant, nec satis in eo confidunt omnem solicitudinem projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de nobis. Christus Jesus apud Matthæum superfluam temporalium curam multis argumentis prohibet, tandemque concludit: *r Nolite ergò soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Idem ingerens Apostolus, *Nihil*, inquit *s*, *soliciti sitis, sed in omni oratione petitiones vestræ innotescant apud Deum, Dominus propè est.* Olim Israëlitis præceperat Deus, ut ter in anno orationis causa Sanctuarium adirent, & ne solicitudo rei familiaris eos ab oratione diverteret, omnem securitatem tempore absentiæ promisit dicens, *t Nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.* Rectè S. Nilus *u*: Non poteris orare purè rebus, ac negotiis terrenis implicatus, & assiduis curis onustus, quia oratio est depositio cogitationum. Quod autem divitiæ, & mundi facultates distrahant cor, mentemque perturbent, & anxiam reddant, his versibus eleganter edisserit venustissimus Poëta Cornelius Gallus:

*Quid mihi divitiæ, quarum si demeris usum,*
*Quamvis largus opum, semper egenus ero?*
*Imò etiam pœna est partis incumbere rebus,*
*Quas cum possideas, est violare nefas.*
*Non aliter sitiens vicinas Tantalus undas*
*Captat, & appositis abstinet ora cibis.*
*Efficior custos rerum magis ipse mearum,*
*Conservans aliis quæ periere mihi.*

*Sicut*

m *August. in Psalm. 75.* n *2 Reg. 7: 27.* o *Isai. 1: 16.* p *Prov. 4: 25.* q *Psalm. 50.* r *Matth. 6: 31.* s *Philip. 4: 6.* t *Exod. 34: 29.* u *Nilus de orat. cap. 65.*

*Sicut in auricomis pendentia plurimus hostis*
*Pervigil observat non sua poma draco.*
*Hinc me sollicitum torquent super omnia curæ,*
*Hinc requies animo non datur ulla meo.*

3. Altera distractionum origo priori similis est, magna scilicet negotiorum moles. Sunt enim quidam magni ardeliones, qui non nisi terram, & carnem sapiunt, & quasi gigantes sub pondere negotiorum gementes, vel non orant omninò, vel tumultuaria celeritate suos Psalmos deglutientes corpore in templo, mente in foro sunt, quibus illud profectò convenit, quod scriptum est, *labor labiorum ipsorum operiet eos.* Hi tales ab hac voragine difficillimè emergent, nisi quotidie clament ad Dominum *x*, *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam, infixus sum in limo profundi & non est substantia*: Nisi inquam illud sedulò cogitent, *y Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* aut cur turbamur erga plurima, quando unum est necessarium? Mundus transit, & concupiscentia ejus, atque ita rebus transitoriis incumbendum est, ne beata æternitas amittatur.

4. Tertius è contrario fons otium est. Nam dum dormit agricola, inimicus homo superseminat zizania, & viæ nihil operantium replentur spinis. Otiositas mater nugarum est, noverca virtutum, sentina malorum, rubigo sapientiæ, summa mentis malitia, vivi hominis sepultura. Prosiliunt ab hac peste cum tædio spiritualium bonorum carnalia desideria, dicente scriptura *z*, *Desideria occidunt pigrum:* quæ mala si versemus in animo, cum à precibus vacamus, quando mens ad orationis studium se postea erexit, earum rerum imagines reverberata patitur, ut benè notat Gregorius *a*, quibus libenter prius otiosa premebatur.

5. Quartus fons è superfluis colloquiis, & vanis confabulationibus emanat. Quam rem venerabilis Beda *b* præclarè edisserens ait: Multum juvat orationis puritatem, si in omni loco vel tempore nos ab actibus temperemus illicitis, si semper ab otiosis sermocinationibus auditum pariter castigemus, & linguam. Quæcunque enim sæpius agere, loqui, vel audire solemus, eadem necesse est sæpius ad animum quasi solitam, propriamque recurrant ad sedem, & sicut volutabra sues palustria, columbæ limpida solent frequentare fluenta, ita cogitationes immundæ impuram mentem perturbant, castam verò spirituales sanctificant. Eleganter Poëta: *c*

*Crimen amare jocos, crimen convivia, cantus.*
*O miseri quorum gaudia crimen habent.*

6. Quintum fontem longè, lateque diffusum animi perturbationes parturiunt. Amor enim, ira, odium, & reliquæ affectiones rationis solem obumbrant, oculum mentis obcæcant, intelligentiæ lumen obscurant, distrahunt animum, dilacerant cor, & deprimunt sensum multa cogitantem. Sicut Sol obscuro nubium velamine circumseptus lucis suæ radios non spargit, ita mens perturbationum caligine confusa veræ lucis splendore nequit in oratione perfundi. Et sicut non potest currere, ait S. Nilus *d*, qui ligatus est, ita mens quæ perturbationibus servit locum spiritualis orationis videre non potest: trahitur enim, & huc atque illuc à perturbatis cogitationibus agitatur. Si vis igitur puram offerre orationem, prius excute mentem tuam, ut sanctissimus Abbas Isaias *e* docet, atque ita constitue, ut si dixeris, *Miserere mei*, ipse quoque precantis te misereris: si dixeris, *Ignosce mihi*, tu item inimicis ignoscas tuis: si dixeris, *Ne reminiscaris delicta mea*, nec tu proximi tui delicta recorderis. Hæc nisi præstiteris, frustra precaris.

7. Sextus fons è sensuum exteriorum libertate nascitur, itemque ex vana, & puerili scurrilitate. Vulgaris parœmia est, *Incustoditum captat ovile lupus*, ita mentem non custoditam per apertas sensuum fenestras expugnat dæmon. Nullus autem sensus est, per quem citius intret mors, quàm per oculos. *Oculus meus*, ait Propheta *f*, *depræ datus est animam meam:* & quidam profanus *g*, oculi sunt tota nostra luxuria, hi nos in omnia quotidie vitia præcipitant, mirantur, adamant, concupiscunt. Rectè Propertius: *h*

*Qui videt is peccat, qui te non viderit ergo*
*Non cupiet, facti crimina lumen habet.*

Propterea Græci eodem modo pupillam, & virginem nominarunt. Κόραι enim & virgines & pupillæ sunt, ut pupulæ apud Latinos.

Atque

x *Psalm.* 139. *Psalm.* 68. y *Matth.* 16: 26. z *Prov.* 21; 23. a *Greg. l.* 10. *mor. c.* 11. b *Beda de templo Salomon.*

c *Corn. Gallul.* d *Nilus de orat. cap.* 66. e *Isaias Abb. orat.* 18. f *Thren.* 3: 51. g *Quintilian. declam.* 2. h *Proper. lib.* 4. *eleg.* 35.

Atque huc respexit Demosthenes apud Plutarchum initio opusculi de vitioso pudore, cum dixit impudentem scorta in oculis habere non virgines sive Κόρας. Ideò virgines, inquit Cæsarius *i*, esse debent oculorum populæ, quæ idem cum virgimbus nominis ornamentum sortitæ sunt. Joannes quoque cognomento Jejunator *k*, cujus est Homilia quædam Chrysostomo perperam attributa, Pupilla, ait, vocatur oculus, ut sicut ille duabus palpebris velut in quodam conclavi clausus est, ita & virgo permaneat. Nihil autem frequentius legitur apud Ethnicos scriptores *l*, quam per oculos ad cor introire omnes improbas cupiditates. Elias locuturus cum Deo vultum suum operuit pallio, ut clausis exterioribus oculis internum Dei lumen clarius posset intueri. Priscorum item Patrum dictum solemne erat oportere orantem cæcum esse, & mutum, & surdum: ut nihil scilicet videat, loquatur, vel audiat, quod orationis studium interrumpere possit.

8. Septimus tandem fons à nobis ipsis etiam non volentibus, & plerumque resistentibus erumpit, ex varia nimirum, & instabili vi imaginationis, quæ nunquam in eodem statu permanens variis discursibus per infinita vagatur. Hanc ego soleo mulieri meretrici comparare, quæ in Proverbiis à Salomone describitur *m garrula, vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians.* Richardus Victorinus *n* eam Balæ assimilat, quæ fuit ancilla Rachelis. Imaginatio, inquit, cum tanta importunitate in auribus cordis perstrepit, quatenus ejus clamorem ipsa Rachel vix, vel omnino cohibere non possit. Hinc est quod sæpè, dum psallimus, vel oramus, phantasias cogitationum, vel quaslibet imagines rerum ab oculis cordis amovere volumus, nec valemus. Quoniam ergo hujusmodi perstrepentium cogitationum tumultus quotidie etiam inviti patimur, qualis vel quanta sit Balæ garrulitas quotidiano experimento docemur. Quæcunque enim visa vel audita quandoque, quæ ipsi gessimus vel diximus, ad memoriam revocat, & quæ ipsa jam enarrando explicavet, eadem iterum, atque iterum replicare non cessat. Sic Richardus. Quis autem valeat innumeros imaginationis motus, quos quisque omni momento sentit, explicare? omni enim mobili mobilior irrequieta pernicitate in varias partes distracta circumvolvitur: ducitur à vanitate in vanitatem, nunc cum mente concordans, mox ab illa resiliens. Quidquid illi occurrit, sive bonum, sive malum, sine differentia discretionis amplectitur, & quia spiritualia non curat, in amore terrestrium occupatur. Omnia transcurrit, & circumvolat, & dicto citius nunc in cœlos evolat, nunc in abyssis est, nunc ultra oceanum pergit, nunc orientem, & occidentem perlustrat. Variat rerum imagines, fingit species, vices alternat, ædificat nova, destruit vetera, destructa reparat, innovat amissa, mutat quadrata rotundis. Quam ridicula ejus monstruositas est? Nunc præliantes milites repræsentat, nunc venatores tubicinantes, nunc fabros tractantes quæ sua sunt, nunc mercatores mariuis undis agitatos, nunc eosdem ultramarinas merces distrahentes: mox res humanas perosa ad bestias, & portenta convertitur. Humano corpori cervicem jungit equinam, fabricat sub uno capite multa corpora, & rursus in uno corpore multa capita. Desinit leo in draconem, cervus in vitulum, miraque celeritate tam multas apparere facit formarum varietates, ut vel horæ momento quascumque Poëtæ concinnant fabulosas transformationes quasi in tabella pictas exprimat, & proponat. Sic multigenis deformata illusionibus de nihilo infinita componit & nobiliorem hominis partem stulta curiositate seductam allicit, & perturbat.

9. Hi sunt ferè omnes evagationum fontes, quos oraturi obturare & obstruere debent, ne crescentes in immensum aquæ fluctuosum efficiant mare, quod nulla valeat arte pertransiri. Vidit Ezechiel *o* Propheta aquas descendentes in templum, dicitque se per eas traductum primò usque ad talos, deinde usque ad genua, postea usque ad renes, tandem intumuerunt aquæ in modum torrentis, qui non potest transvadari. Templum Dei sumus nos, porrò aquæ evagationes sunt, si eis in principio non obviamus, væ nobis, quia impetuosis vorticibus sepultos dæmonibus tradent sine ullo orationis fructu illudendos. Suprascriptæ autem evagationes, vel sunt voluntariæ, & culpabiles: vel sic divina disponente clementia, orantis mentem afficiunt, ut

i *Cæsar. dial. 3. de fide interrog.* 10. k *Hom. 22. ad pop. Antioch.* l *Apulejus lib.* 10. *Heliodor. lib. 3. Longus sophista lib. 1. de Pæmenic. Theophyl. Simocatta epist. 36. Aristenet. l. 1. epist. Phædrus fab. 63. & alii apud Casp. Barthium in Notis ad Claudianum.* m *Prov. 7: 10.* n *Rich. lib. de prap. anim. ad can: empl, p. 1. cap. 6.*

o *Ezech. c. 47.*

ut discamus non altum sapere, sed timere, sicut scriptum est, *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas*: vel sunt immissiones per Angelos malos, quibus hostili fraude decipimur: vel naturaliter animo ingeruntur ob naturæ nostræ imbecillitatem sine ulla culpa, & consensu. Sed jam videamus quæ sint earum remedia, & curationes.

## §. VI.

*Septem evagationum remedia sigillatim enumerantur. Evagationes involuntarias nullum orationi detrimentum inferre.*

1. PRimum evagationis remedium est, cum quis se distractum animadvertit, divinæ præsentiæ memoriam innovare, ipsumque imaginari objurgantem, & dicentem; Discede à me qui operaris iniquitatem, festivitates tuas odivit anima mea, factæ sunt mihi molestæ. Ut quid cogitas malum in corde tuo? An ignoras quod se aufert spiritus à cogitationibus quæ sunt sine intellectu? Vir admirabilis Joannes Climacus *p* nil efficacius ad attentè orandum existimat quam formam rei judici astantis assumere. Si unquam, ait, visibili judici obnoxius fuisti, non tibi alia forma jam opus erit, quam imitari debeas, dum orationi insistis. Quod si neque reus extitisti, neque alios examinari perspexisti, vel ex infirmorum precibus, quas medicis cum secandi vel urendi sunt fundunt, hujusmodi aliquid addisce. Idem alibi *q* Memoria, inquit, æterni ignis tecum singulis noctibus dormiat, tecumque evigilet, nec unquam tempore Psalmodiæ dominabitur tibi negligentia. Considera quoque Dei patientiam in tuis distractionibus tolerandis, & cave ne eum amplius irrites, sed dic ei cum Propheta *r*, *Quoniam tu Domine suavis, & mitis es, & multæ misericordiæ, & verax: lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.*

Alterum remedium est duriori invectiva seipsum arguere his vel hujusmodi verbis, quibus in simili casu sanctus Paphnutius usus fuisse dicitur. Quid agis ô pretiosissima, & Deo digna anima, ut cœlestibus relictis terrenis occuperis? Væ tibi miseræ, quia sub conspectu Dei, & Angelorum ludibrium diaboli facta es fructum orationis amittens. Viderunt te hostes, & derisérunt Sabbata tua, & plausérunt super te manibus suis. Cleanthes Assius adolescenti cuidam dissérens, cum sibi videretur parum attentus, rogavit an sentiret: illo affirmante, cur igitur, inquit, ego non sentio te sentire *s*? Sic Dæmones, cum nullum attentionis signum exterius vident, planè sentiunt orantem non sentire.

Tertium remedium præservativum est, ante ingressum templi vel oratorii omnem cogitationum extranearum sarcinam deponere, eo modo quo Guillelmus Abbas auctor libelli de Amore Dei inter opera Bernardi utebatur. Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea venite, ascendamus in montem ubi Dominus videt, & videtur. Curæ, solicitudines, anxietates, labores, pœnæ, servitutes expectate me hic cum asino corpore isto, donec ego cum puero, ratio scilicet cum intelligentia usque illuc properantes, postquam adoraverimus, revertamur ad vos. Ad idem nos hortatur Eucherius Lugdunensis sermone in illud Evangelii, Oportet semper orare: Intraturus ædes sacras foris primum depone graves curarum catenas, & absoluto corde absolvendus ingredere. Sanctus Adelhardus Abbas, ut narrat in ejus vita Paschasius Ratbertus, cum ad divinum intrabat officium, mox omnes cogitationes, & causas rerum temporalium ante ostium reponebat, & secum totus ingrediebatur, ut totus Deo, ac sibi adesset. Eodem remedio quidam Monachus apud Joannem Climacum gradu quarto utebatur.

Quartum signis quibusdam externis constat, quæ phantasiam excitant & errantem in viam reducunt: qualia sunt carnem unguibus stringere, digitos contorquere, pectus percutere, & dicere cum Publicano *t Deus propitius esto mihi peccatori*: orare cum Ezechia *u Domine vim patior responde pro me*, vel cum sancta Judith *x Confirma me Deus in hac hora.* Juverit etiam ad lacrymas, & singultus interruptæ orationis vindices confugere, & fragilitatem suam ex viciorum multitudine prodeuntem defiere, ob eamque causam se indignum attentione, & colloquio Dei judicare: hæc enim humilitas expellit adversarium, & supremum accersit auxilium.

Quintum est certis punctis, objectis, & me-



p *Clim. gr.* 28. q *Idem. gr.* 7. r *Psalm.* 85. s *Diog. Laertius lib.* 7. t *Luc.* 18. 13. u *Isai.* 38. 14. x *Judith.* 13. 9.

ditationibus ad tertium attentionis modum pertinentibus mentem ad Deum jugiter elevare: quæ quidem puncta ex vita, & passione Christi aliisque mysteriis fidei desumi debent, de qua re agit diffusè Joannes Mauburnus in Roseto exercitiorum spiritualium in Directorio horarum Canonicarum. Sextum ex frequenti, & sæpius renovata actuali intentione procedit, ut si initio cujusque Psalmi, vel quoties situs coporis in choro mutatur, ferventius psallere, & diligentius attendere proponamus.

2. Septimum tandem, atque efficacissimum remedium est ipsas quascunque involuntarias evagationes, quæ nolentibus, nihilque cooperantibus adveniunt, parvipendere, neque ob eas expellendas nimia solicitudine, quæ capitis dolorem pariat, laborare. Quid enim perturbaris, si, cùm sis homo, id pateris, quod humanum est, quod fortissimi quique experti sunt? Sed vereor, inquis, ne tam multæ evagationes immundam reddant animam in conspectu Dei. Sanè illic trepidas timore, ubi non est timor. Audi Principem Theologorum *y*: In spiritu, & veritate orat, qui ex instinctu spiritus ad orandum accedit, etiamsi ex infirmitate mens postmodum evagetur. Mens enim humana propter infirmitatem naturæ diu stare in alto non potest, quia pondere infirmitatis deprimitur anima ad inferiora: Evagatio verò mentis, quæ fit præter propositum, orationis fructum non tollit. Audi Magnum Basilium *z*: Si debilitatus à peccato fixè nequis orare, quantumcunque potes te ipsum cohibeas, Deus ignoscit, eo quod non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes, ut oportet, assistere coram eo. Audi denique scripturam: *a Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum: recordatus est, quoniam pulvis sumus.* Sed forsitan meritoria non erit talis oratio? Nihil minus. Nam ut concludit Doctor Angelicus, ad meritum non requiritur ex necessitate, quod attentio adsit orationi per totum, sed vis primæ intentionis reddit totam orationem meritoriam: quamvis ad novi meriti incrementum actualis intentio sit necessaria, ut supra ostensum est. Ego autem amplius dico. Mentis distractio præter voluntatem orantis eveniens, non solùm orationis salutares affectus non tollit, imò plerumque ob continuam luctam, ob cognitionem, & depressionem sui auget meritum, duplicat coronam. Beata Virgo Maria apud Blosium *b* in Monili spirituali S. Brigittæ dixisse fertur; Quacunque tentatione pulseris inter orandum, persiste in bona voluntate, & conatu sancto, sicut commodè potes, quia desiderium, & conatus tuus pius reputabitur pro effectu orationis. Etiamsi pravas, ac sordidas cogitationes, quæ cordi tuo incidunt, ejicere non poteris, tamen pro illo conatu coronam in cælo recipies: ita tibi proderit illa molestia, modò non consentias tentationi, & tibi displiceat, quod indecens est. Hæc de attentione, quæ ad intellectum pertinet, nunc voluntas devotionis fervore excitanda est.

y *Thom.* 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. z *Basil. serm. de oranda Deum.* a *Psalm.* 102.

## §. VII.

*Quid sit devotio, quis ejus effectus, & efficacia. Tum novem documenta ingeruntur ad eam comparandam, & conservandam.*

1. DEvotionem à verbo *devoveo* deduxere Latini, quod destinare, consecrare, vel dedicare significat. Virgilius, Quorum se devovet aris. Priscianus, Tibi devoveo hoc opus. Suetonius in Cæsare; Devotissimos sibi milites reddidit. Legimus, & devotorium carmen apud Livium, & Macrobium, quale fuit illud Deciorum, qui se pro patria devoverunt. Sed quocunque sensu hac olim voce uterentur Latini, jam ex usu Christianorum profano vocabulo sanctitas, & veneratio accessit, sumiturque devotio pro peculiari quadam propensione animi ad Deum, & res divinas. Auctor libri de spiritu, & anima inter opera Augustini *c*, devotio, inquit, est pius, & humilis affectus in Deum: humilis ex conscientia infirmitatis propriæ, pius ex consideratione divinæ clementiæ. Affectus autem est spontanea quædam, ac dulcis ipsius animi in Deum inclinatio. D. Thomas *d* veræ sapientiæ Antistes, Devotio, ait, nihil aliud esse videtur, quam voluntas quædam promptè se tradendi ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum. Richardus *e* Victorinus; Quid aliud est devotio, nisi fervida mentis in Deum directio? Hæ devotionis descriptiones mulierculârum, hominumque simplicium convincunt errorem, existimantium in sensibili quadam dulcedine, & com-

b *Blos. Monil. c.* 3. c *De spiritu, & anima cap.* 5. d *Th.* 2. 2. *q.* 82. *art.* 1. e *Rich. de erud. int. hom. lib.* 2. *cap.* 9.

compunctione, ac teneritudine cordis veram consistere devotionem, cùm hæc omnia Doct. Angelicus inter effectus devotionis enumeret *f*; ipsa verò specialis quidam actus sit pertinens ad Religionem. Per devotionem docet Seraph. D. *f* omne bonum in cor nostrum immitti. Per hanc enim zelus justitiæ accenditur, pietas compassionis infunditur, patientia roboratur, exemplum bonum conditur, discretio clarificatur. Hæc est unctio spiritus docens omnia, quæ expediunt saluti; hæc mentem illuminat, inflammat affectum, actiones ordinat ad virtutem, mores componit, firmat fidem, fiduciam erigit, accendit amorem, ad divinam elevat amicitiam, orationem impinguat, dat in adversis constantiam, in prosperis humilitatem, delet peccata, sublimat merita, fugat dæmones, lætificat Angelos, ædificat proximos, instruit errantes. Arida est omnis Religio, quæ aqua devotionis non irrigatur: corruit omnis structura bonorum operum, ni hoc munimine fulciatur: hujus olei pabulo deficiente fatuarum virginum lampades extinguuntur. Ergò devotioni studiosè incumbendum est, quæ cùm difficilis acquisitu sit ob naturæ corruptionem, ob pravos habitus, & dæmonum pervicaciam, seligenda quædam adjumenta sunt, quæ præsidio nobis sint ad eam facilius comparandam, & tenacius possidendam.

2. Fervens autem, & efficax ejusdem devotionis desiderium primo loco statuendum. Initium enim sapientiæ concupiscentia ejus, & invenitur ab his, qui quærunt illam: præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Visitat Deus animam quærentem se, ait Bernardus *g*, quæ tamen ad quærendum toto se desiderio & amore devovit. Et hoc signum adventus ejus, sicut ab eo qui expertus est, edocemur. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit inimicos ejus.* Oportet namque ut sancti desiderii ardor præveniat faciem ejus ad omnem animam, ad quam est ipse venturus, qui omnem consumat rubignem vitiorum, & sic præparet locum Domino. Et tunc scit anima, quoniam juxta est Dominus, cùm se senserit illo igne succensam, & dixerit cum Propheta *h*, *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me*: Et illud *i* *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Tali animæ suspiranti frequenter, imò sine intermissione oranti, & afflictanti se præ desiderio cùm interdum desideratus ille, qui ita quæritur, miseratus occurrit, puto illi de propria experientia convenire, ut dicat cum Sancto Hieremia *k*, *Bonus es Domine sperantibus in te, animæ quærenti te.*

3. Secundum adjumentum, custodia cordis est. Sic præcipit Sapiens *l*, *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit.* Nempè res cordis est, ait rursum Bernardus *m*, gratia devotionis, & hoc munere se fraudat, qui internum ei dissimulat receptaculum exhibere. Sed à quibus custodiendum est cor? Ab inutilibus cogitationibus, & ab affectibus terrenis. De cogitationibus hæc Richardus *n*. Hi sunt veræ devotionis socii inseparabiles circumspectæ, discretæ, & providæ cogitationes. De affectibus sic Cassianus *o*: Non enim perfectio statim nuditate, aut privatione omnium facultatum, sed dignitatum abjectione contingit, sed cordis puritate, hoc est corde intacto à cunctis perturbationibus. Item Prosper *p* in sententiis: Qui supplicaturus Deo locum aptum, & sanctum requiris, interiora tua munda, & omni inde mala cupiditate depulsa præpara tibi in cordis tui pace secretum. Volens in templo orare, in te ora: & ita age semper, ut Dei templum sis. Ibi enim Deus exaudit, ubi habitat.

4. Tertium adjumentum, jugis Dei memoria, sicut scriptum est *q*, *Memor fui Dei, & delectatus sum*: Et alibi *r*, *Providebam Dominum in conspectu meo semper, propter hoc lætatum est cor meum.* Oritur hoc ex præcedenti; Domino attestante, qui dicit *s*, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* B. Ephræm *t* hanc doctrinam stabiliens, ait; Continua Dei recordatione turpes animæ passiones recedunt, instar maleficorum Prætore accedente: ubi verò memoria Dei abest, ibi tenebræ cum fœtore dominantur, omnisque res improba exercetur.

5. Quartum adjumentum, frequens usus aspirationum, quibus tanquam subjectis lignis in altari cordis ignis devotionis succenditur, & conservatur. Sunt autem aspirationes crebræ quædam, sed brevissimæ orationes, quas nonnulli jaculatorias vocant, quia tanquam jacula velociter currunt, & subtiliter penetrant. De his Augustinus *u* ad Probam sic scribit, Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem orationes habere, sed eas tamen



*f* *Bonav. de sex alis Seraph. c. ult.* g *Bern. ser. 31. in Cant.* h *Thren. 1. 15.* i *Psalm. 38.*

k *Thren. 3. 15.* l *Prov. 4. 23.* m *Bern. serm. de tripl. custodia.* n *Rich. de erud. int. hom. lib. 1. cap. 7.* o *Cassian. coll. 1.* p *Prosper. sent. 334.* q *Psalm. 76.* r *Psalm. 15.* s *Matth. 5. 8.* t *Ephr. de virtute c. 10.* u *Aug. epist. 121.*

men breviſſimas, & raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum neceſſaria eſt, per productiores moras evaneſcat, atque hebetetur intentio.

6. Quintum adjumentum præbet lectio ſpiritualis; *Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt:* & ut ait Iſidorus *x*, qui vult ſemper eſſe cum Deo, frequenter debet orare, frequenter & legere: nam cùm oramus, cum Deo ipſi loquimur; cùm vero legimus, Deus loquitur nobiſcum. Hanc ſacrarum lectionum utilitatem Sanctus Abbas Aelredus *y* his verbis confirmat; Sacra Scriptura ager eſt, in quem S. Iſaac inclinata jam die pergit ad meditandum, ubi ei occurrens Rebecca illum, qui acciderat, ſua lenit ſuavitate dolorem. Quoties mihi, Jeſu bone, dies vergit in veſperam, quoties parvæ alicui conſolationi quaſi diurnæ luci intolerabilis dolor nocturna caligo ſuccedit, vertuntur in faſtidium omnia, oneri ſunt cuncta quæ video. In modum ſilicis cor obduratur, hæret lingua, oculorum vena ſiccatur. Quid tunc? exeo ſanè ad meditandum in agro, ſacrum revolvo codicem, meditationes meas ceris imprimo, cùm ſubitò mihi occurrens Rebecca, tua ſcilicet gratia, Jeſu bone, ſua luce tenebras diſcutit, pellit faſtidium, duritiam frangit, mox ſuſpiriis ſuccedunt lacrymæ, lacrymas cœleſte gaudium comitatur.

7. Sextum procedit è ſenſuum exteriorum cuſtodia. Nam ut ſcribit doctus, & antiquus Abb. Berengoſius *z*, niſi ad exemplum legalis Sacramenti primogenitum hominis redimamus quinque ſiclis argenti, hoc eſt quinque ſenſuum cuſtodia, nihil nobis quinque vulnerum Chriſti profecêre vibices, quibus in ara crucis quinque ſenſuum noſtrorum voluit ſanare cicatrices. Refert Pelagius inter dicta S. Syncleticæ iſtud; Sobriè vivamus, quia per ſenſus corporis noſtri fures ingrediuntur. Sic perimus miſeri, & mortem per feneſtras intrantem voluptatis larva perſonatam excipientes illud poſtea magno errore decepti cantillamus,

*Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error. a*

Sed ſerò ſapiunt Phryges. Semel enim amiſſa ob licentioſam ſenſuum evagationem gratia devotionis nonniſi poſt longos labores, & continuum fletum, ac ferventiſſimas deprecationes recuperatur.

8. Septimum gignit ſolitudo. *Ducam eam in ſolitudinem*, dicit Dominus per Oſeam *b & ibi loquar ad cor ejus.* Hortatur ad hanc devotiſſimus Bern. *c* O ſancta anima ſola eſto, ut ſoli omnium ſerves te ipſam, quem ex omnibus tibi elegiſti. Fuge publicùm, fuge & ipſos domeſticos: ſecede ab amicis, & intimis, etiam & ab illo qui tibi miniſtrat. An neſcis te verecundum habere ſponſum, & qui nequaquam ſuam velit tibi indulgere præſentiam præſentibus cæteris? Secede ergò, ſed mente, non corpore, ſed intentione, ſed devotione, ſed ſpiritu. Idem alibi ſcribit ſolitudinem eſſe negotiorum cœleſtium apothecam, per quam in Paradiſum ingreſſi ſunt quotquot ad culmen perfectionis aſcenderunt. Sanctus quoque Guerricus *d* Abbas ſolitudinem vocat auditorium Spiritus ſancti. O ſolitudo Deo dicata, exclamat Laurentius Juſtinianus *e*, quam amabilis es, & quam ardenti deſiderio concupita ab his qui noverunt te! Tu namque humilitatis es ſpeculum, tu divini amoris cuſtos, tu propriæ cognitionis magiſtra, tu ſcientiæ ſchola, teſtis conſcientiæ, futuræ felicitatis imago, accuſatrix ſcelerum, vitiorum detectrix, veritatis amatrix, innocentiæ decus, ſecretorum cœleſtium cognitrix, contemplationis præventrix, origo compunctionis, cœli ſcala, latitudo maxima, orationis portus, tranquillitatis habitaculum, paſſionum ſpiritualium interemptrix, pervigil mentis cuſtodia, non dormitans affectio, prudentiæ comes, diſcretionis oculus, latens profectus, dulcedo cordis, ſpei fons, ſponſi cœleſtis receptaculum, Dei, & hominum mediatrix. O quam præcelſa ſunt præconia tua ſolitudo ſancta, tutæ divitiæ, laudabilis actio, ſucceſſus lætus, ſecura poſſeſſio, convivium juge, ac delicata cibaria! Frequentiſſimè ſapientiæ illuſtraris radiis, gaudio perfunderis, elevaris in cœlum, & pace repleris. Sinum quippe tuum dilatas, & jucundiſſimè ſuſcipis humiles, mente pacificos, orationi inſtantes, devotionis avidos, atque guſtu ſapido divina guſtantes.

## METRUM XLVIII.

*O Solitudo mentibus*
*Orantium gratiſſima,*
*O vera cordis ſuavitas*
*Ignota vulgi ſenſibus,*
*Ut te requiro, & expeto*
*Turbam peroſus improbam!*
*Hic, hic ſerena ſpiritus*

*Aſpi-*

x *Iſid. l. 3. Sent. c. 8.* y *Aelred. in c. 15.* z *Bereng. l. 1. de Laude S. Crucis c. 6.* a *Virg. cl. 8.* b *Oſea 2. 14.*

c *Bernar. ſer. 40. in Cant.* d *Guerr. ſerm. 4. de Adventu.* e *Juſtinian. lib. de Vita ſolit. cap. ult.*

*Aspirat aura pectori.*
*Hic nullus auditur fremens*
*Tumultuantium fragor.*
*Hic corda nullus inquinat*
*Vapor, vel umbra criminis.*
*Campi sonant hic mellicis*
*Psallentium concentibus.*
*Hic Angelorum cœtibus*
*Immixtus, & vindex sui*
*Sapiens quietam transigit*
*Vitam procul negotiis,*
*Curis procul nocentibus,*
*Solutus omni jurgio.*
*Hic alta vitans curiæ*
*Potentioris limina*
*Innoxios ducit dies*
*Inanis expers ambitus.*
*Hic lucra conscientiæ*
*Quadrante justo computans*
*Studet mereri fletibus*
*Amissa Cæli gaudia.*
*Optet superba culmina,*
*Opes, domosque splendidas*
*Quicunque vultæ me nescium*
*Fraudis juvat silentium,*
*Me solitudo, me quies*
*Abscondat ignotum omnibus,*
*Deoque soli cognitum.*
*Hoc scire demum, hoc vivere est,*
*Sibi, Deoque vivere.*

9. Octavò juvant devotionem opera misericordiæ, quia *f Charitas operit multitudinem peccatorum*: & *qui inebriat, ipse quoque inebriabitur g.* Juvant corporales afflictiones, quia *h caro concupiscit adversus spiritum*: *& i caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Juvat certum tempus quotidie seligere, quo quis devotioni diligentius insistat. Juvat, & ea omnia severissimo examine discutere, quæ vel ipsam devotionem conservare possunt, vel impedire. Quantum potes, te ipsum argue, ait quidam sapiens *k*, deprehendas te oportet, antequam emendes.

10. Nonum denique adjumentum perseverantia suppeditat. Perseverantia inquam in spiritualibus exercitiis semel assumptis, ut non temerè mutentur, ut sine causa non omittantur, ne ultra præscriptum tempus differantur. Fastidientis stomachi est multa degustare, & sæpius mutatum pharmacum non sanat, sed turbat: sæpius transfata arbor non proficit, sed arescit. Nullum certum exercitium habere, sed quasi folium, quod vento rapitur, per diversas operationes divagari, signum est animi ad vitam spiritualem prorsus inepti. Omnia quidem probanda, sed tenendum, quod bonum est. Nam quæ virtus coronam, quod opus laudem meretur, si desit perseverantia? Dicam omnibus, quod suis Januensibus scripsit Bernardus *l*. Absque perseverantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium meretur, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Hæc ferè sunt, quæ devotionem in nobis gignunt, & conservant: sed eandem multa quoque sunt, quæ impediant, & extinguant, de quibus consequenter agendum est.

f 1 *Petr.* 4: 8. g *Prov.* 11: 25. h *Gal.* 5: 17. i 1 *Cor.* 15: 50. k *Seneca ep.* 28.

## §. VIII.

*Quæ sint impedimenta devotionis. Interioris, & exterioris hominis pugna, & humanæ calamitatis deploratio. Oratio ad impetrandam gratiam devotionis.*

1. PRimum devotionis impedimentum sunt peccata venialia, quia, ut Laurentius Justinianus *m* docet, prius vita commendabilis habenda est, deinde devotio. Minuunt siquidem veniales culpæ charitatis fervorem, obscurant conscientiæ lumen, contristant Spiritum Sanctum.

Secundum ex conscientia scrupulosa oritur, gignit enim inconstantiam animi, mentis perturbationem, nebulas intellectus, cordis inquietudinem, omnemque devotionis suavitatem confundit.

Tertium ex cordis amaritudine nascitur, quæ fontem dulcedinis exsiccat, charitatis unitatem scindit, hostis est concordiæ, inimica pacis, nutrix contentionum.

Quartum impedimentum præstant externæ consolationes; nec enim cœleste manna datum



l *Bern. ep.* 129. m *Laur. Just. de disc. mon. convers. cap.* 19.

est Israeli, nisi postquam defecit farina Ægypti. Præoccupatum nempè sæcularibus recreationibus animum delectatio sancta declinat, nec misceri possunt vera vanis, externa caducis, ut iis pariter delectemur, quæ sursum sunt, & quæ super terram.

Quintum è curis superfluis oriri eloquentissimus Justinianus *n* testatur: nam cùm animus per multa diffunditur, utique minus in se validus est. Non enim interioribus, exterioribusque vacare perfectè potest; sed nec cuiquam intendere valet operi, nisi applicet affectum. Cùm autem superflua cura animus occupatur, proculdubiò diaboli laqueis captivus tenetur.

Sextum è nimio sciendi appetitu, & continua intellectus occupatione in studiis speculativis procedit. Nam qui ardentius theoreticis scientiis incumbunt, ferè semper sunt aridi, distracti, indevoti, ambulantes in mirabilibus super se, nihilque aliud animo revolventes, quàm controversias, syllogismos, sophismata, nugas, tricas, contentiones. Non tamen dico, ut verbis utar Bernardi *o*, contemnendam, aut negligendam scientiam literarum, quæ ornat animam, & erudit eam, & facit etiam ut alios possit erudire. Sed cognitio sui, & cognitio Dei oportet, ut expedit, ut præcedant, in quibus summa salutis constituitur. Et vide, si non docebat hunc ordinem, qui dicebat, *Seminate vobis ad justitiam, metite spem vitæ, & tunc demum illuminate vobis lumen scientiæ.* Ultimam posuit scientiam, tanquam picturam, quæ statum habere nequeat super inane: & ideò illa duo præmisit, & subjecit illi, tanquam si solidum aliquid picturæ substerneret. Securus jam intendam scientiæ, si vitæ prius securitatem accepero. Hæc Bernardus.

Septimum malesana curiositas producit, quæ multiplex est. Quidam enim disquisitores ingeniosi semper in malum aliorum indagare negotia, mores observare solent, unde detractiones, suspiciones, malevolentiæ, inquietudines generantur, quibus pax cordis amittitur, turbatur serenitas mentis, & perpetuis quibusdam fluctibus concutitur animus, & in varias partes agitatur. Alii inutilium librorum lectione dissipant spiritum, portentosis Poetarum figmentis, prophanis Ethnicorum historiis, confictis Heroum certaminibus, propudiosis Amadisiorum adinventionibus, aliisque similibus otiosorum pabulis pascentes animum, quæ res, vix dici potest, quanti sit detrimenti his, qui vitam spiritualem profitentur. Alii denique in vestibus, ædificii, supellectili, & superfluis ornamentis curiositatem sectantur, non sine gravi spiritus dispendio, dum fel draconum, & venenum aspidum vino sancti Spiritus dulciori super mel, & favum insipienter præponunt.

Octavum impedimentum objiciunt sibi nonnulli, qui gratiam devotionis jam habitam nulla cura, vel diligentia custodiunt. Non sic sponsa, non sic: nam invento Dilecto, *Inveni*, inquit *p*, *quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Tenetur autem sponsus cordis custodia, orationis instantia, & nunquam interrupto devotionis fervore.

2. Nonum tandem impedimentum explicat qui dixit, *q Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Quamdiu sumus in hac vita, caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: quæ quidem luctæ cùm sit perpetua, distrahit animum, & peccati vinculis quasi captivum religans, non sinit eum jugiter rebus divinis inhærere. Sic duplex in nobis homo reperitur, interior, & exterior. Interior gratia Dei plenus, præditus charitate, spiritu imbutus conversatur in cœlis, suavi pace perfruitur, bonis operibus fœcundatur, nihil in conscientia fœdum, nihil in tentatione admittit obliquum: ad spiritualia exercitia promptus, hilaris ad orationem, patiens ad contumelias, intrepidus in adversis, ad fratrum obsequia indefessus, austerus jejuniis, mutus silentio, nudus paupertate, simplicitate rectus, niveus innocentia, ardens amore, & per devotum affectum divino beneplacito semper subjectus. Homo exterior venundatus sub peccato, non percipiens quæ sunt spiritus Dei, amicus mundi, inimicus Christi, oneratus sceleribus, vitiis irretitus, oculos suos stravit declinare in terram, terram comedens, terram diligens, terræ adhærens omnibus diebus vitæ suæ. Adversus istum si quis Christi est, armare se debet zelo vindictæ, & clamare cum Propheta, *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, prævaluit in vanitate sua.* Crucifigatur homo iste, reus est mortis, pereat, pereat qui nostrum quærit interitum: destruatur corpus peccati, ut ultra ei non serviamus, sed tentanti concupiscentiæ resistentes, interioris hominis vitam ferventis animi devotione renovemus.

3. Sed

*n Idem de casto Verbi connubio cap.* 16. *o Bern. ser.* 37. *in Cant.*

*p Cant.* 3. 4. *q Rom.* 7. 23.

3. Sed heu me miserum, & infelicem! Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Quis in tam duro certamine docebit manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum? Quis dabit animæ meæ virtutem, & inimicum domesticum, adversarium propinquum, carnem peccatricem, & insurgentem in se supplantet subtus se, & confringat, donec deficiat? Quis, inquam, poterit solvere vincula captivitatis meæ, nisi tu, qui solus es, Domine Deus, pater vitæ meæ, fortitudo mea, & refugium meum? Obsecro te igitur per Jesum Christum Filium tuum, virum dexteræ tuæ, Filium hominis, quem confirmasti tibi, attende mihi, & exaudi me clamantem de profundo, & misericordia tua exaudiat desiderium meum. Erravi sicut ovis quæ perierat, & derelicto te fonte aquæ vitæ, fodi mihi cisternas dissipatas, quæ aquas internæ devotionis continere non valent. Nunquid non meliores sunt fontes Salvatoris omnibus aquis Ægypti? Et calix tuus inebrians, quam præclarus est? Ego tamen viam carnis ingressus sum, ut liberem aquam fluvii, quæ sitientem animam refocillare nunquam potuit: species enim creaturarum decepit me, & post eas ambulans, exterioris hominis hortamenta sequutus fontes pietatis, venas devotionis in me ipso siccavi. Et ecce anima mea sicut terra sine aqua tibi. Jam perversitatis meæ pœnas acerbissimas luo. Invasit enim me languor animi, hebetudo mentis, inertia spiritus. r

*Exitiosa caro, Belial tenebrosa procella,*
*Exitiosa caro, qua fluit omne scelus.*
*Cœnum, massa gravis plumbi, limosa catena,*
*Bellua pugnaci prodita materia.*
*Pestifer æstus, heræque tuæ vinclum, atque sepulchrum*
*Formæ, quæ supera venit ab arce mihi.*

Non sine causa dictum est de te, quod interficis diligentes te. Nam dum te foveo, dum te nutrio, dum scelerata tua desideria perficio, vita mea Dominus meus declinavit in ira à servo suo: & ideò approquinquavi usque ad portas mortis, & paulominus habitavit in inferno anima mea. Hinc ista sterilitas animæ, & devotionis inopia, quam patior. Aruit sicut testa virtus mea, factum est cor meum sicut saxum durissimum: nec Psalmus sapit, nec orare delectat, ad vigilias somnolentus, ad fabulas vigil, præceps ad iram, tardus ad patientiam, gulæ indulgens, & linguæ, segnis ad pietatem, nec compungi ad lacrymas queo, nec solitas meditationes invenio. In tantis miseriis constitutus, quid faciam miser, ubi fugiam, nisi ad te Deus meus? Miserere mei, & resuscita me: ne derelinquas me sicut montem Gelboe maledictum, in quem nec ros, nec pluvia descendunt. Da mihi irriguum superius, & iriguum inferius, ut sint mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte. Da mihi fontem perspicuum, in quo laventur iniquitates meæ, & super nivem dealbetur anima mea. Loquere ad petram cordis mei, & percute virga virtutis tuæ, & fluent aquæ compunctionis & inebriabor ab ubertate domus tuæ. Hujus aquæ salutaris recreatus aspergine, dilatato corde viam mandatorum tuorum currere incipiam, frequentius orabo, meditabor attentius, donec ad montes excelsos perveniam, in quibus aquæ sunt salubriores, aquæ nimirum Divinitatis, in cujus contemplatione requiescam in sæcula sæculorum.

r *Nazianzen. in Carmine adv. carnem.*

## METRUM XLIX.

*Absiste vulgus: cœlicos nunc me decet*
*Pangere versiculos*
*Amore perculsum gravi.*
*Amore nempe, pura qui semper novo*
*Vulnere corda secat*
*Mucrone diro sæviens.*
*Nam cor potentem armatus ille dexteram*
*Cuspide, & igne ferit,*
*Hæretque telum vulneri.*
*O æstuans incendium, ó fervens rogus,*
*Siccine corda cremas,*
*Nec ulla speratur salus?*
*Ut sole nix tabescit, ut ceræ solet*
*Solvere flamma globum:*
*Sic mens calore absumitur.*
*Vivensque morte occumbo, & expers sensuum*
*Vivo in amore miser.*
*Dum pectus ustrum liquitur.*
*Ah! nulla amoris asperum vulnus potest*
*Docta fovere manus*
*Sævum dolorem leniens.*
*Tanti est amoris ignis, ut ejus faces*
*Nec maris unda queat,*
*Nec ulla vis extinguere.*
*Victi amor: jam quæ jacis ferociter*
*Ignea tela, pati*
*Cor penè mortuum nequit.*
*Sed vulnera me amans Amor, mihi in tuo*
*Vulnere vita manet,*
*Si amore me sinas mori.*

4. Sæ-

4. Sat dictum de psallendi disciplina. Poteram quidem multa adjicere, quæ praxim attentionis, ac devotionis, & usum eorum, quæ hactenus dicta sunt, clarius explicarent. Sed hæc satius existimavi in alium librum rejicere, quo dóceo, qua ratione omnes humanæ actiones sint obeundæ. Interim quod hic prætermissum est, inveniet pius lector in Roseto exercitiorum spiritualium Joannis Mauburni, in Psalterio decachordo Joannis Michaelis Constantiensis, in Joannis Gersonis libro de Canticis, & super *Magnificat*, & in Alphabeto Divini amoris, quod tamen non est Gersonis, sed Joannis Nyder, itemque Epistola 37. Joannis Lanspergii, atque in aliis spiritualibus opusculis scriptorum recentiorum, quæ omnium manibus teruntur. Omitto Chiropsalteria, Cantichorda, & alia hujusmodi exercitia, quæ vix possunt ab infirmioribus exerceri sine capitis offensione ob continuam, & nunquam interruptam attentionem ad signorum distinctiones, quam requirunt. Joan. Cassianus *s* formalem attentionem præ cæteris commendat his verbis: Monachus psallens omnes Psalmorum affectus in se recipiens, ita incipiet decantare, ut eos non tanquam à Propheta compositos, sed velut à se editos, quasi orationem propriam profundâ cordis compunctione depromat; vel certè ad suam personam æstimet eos fuisse directos, eorumque sententias, non tunc tantummodo per Prophetam, aut in Propheta fuisse completas, sed in se quotidie geri, implerique cognoscat. Eumdem namque recipientes cordis affectum, quo quisque decantatus, vel conscriptus est Psalmus, velut auctores ejus facti, præcedemus magis intellectum ipsius, quam sequemur. Ad eamdem hortatur August. *t* dicens: Si orat Psalmus, orate; si gemit, gemite; & si gratulatur, gaudete; & si sperat, sperate; & si timet, timete: Omnia enim, quæ hic conscripta sunt, speculum nostrum sunt.

*s* *Cass. coll.* 10. c. 11. *t* *Aug. in Ps.* 30. *conc.* 3.

## Caput XX.

## De Variis Sanctorum exemplis ad Divinum Officium pertinentibus.

### §. I.

*Exemplorum magnam esse vim ad vitam rectè instituendam.*

1. Hactenus Divinæ Psalmodiæ originem, causas, partes, & disciplinam rudi penicillo malus pictor delineavi: Et quod operis initio non ausus fuissem me præstaturum polliceri, Deo vires submINISTRante, ipsaque materiâ uberius quotidie crescente, ipse quoque liber in hanc magnitudinem sensim excrevit. At supersuntnè alia? Imò verò, nec finis erit, si quæcunque curiosæ indaginis perscrutatione ad hanc rem spectantia adinveni, studiosè libeat amplecti. Sed cæteris omissis sola nobis restant Sanctorum exempla ad divinum Officium pertinentia, quibus extremum hoc caput dicatum sit. Nam quò pleniori obsequio Ecclesiasticos homines demerear, quædam quasi per saturam sine ordine rerum, aut temporis è probatis Scriptoribus excerpere non gravabor: eritque hoc superpondium non inutile, nec injucundum; quia ut celeberrimus Historicus *a* scribit, Aliorum erratis ad rectam vitæ institutionem pro exemplis uti, & quod rectè factum est imitari scitum, atque pulchrum est. Et facillimè, ait alter *b*, quid prosit, aut obsit homines animadvertunt, cum multa multorum exempla intuentur. Ex vitio alterius, inquit Publius *c*, sapiens emendat suum: estque compendiosum felicitatis genus, ut docet Sanctus Zeno *d*, alterius periculo discere, quid debeas devitare. Sic vulnus aliorum nostra cautio fit, & veterum egregia facta in utilitatem posterorum derivantur. Sententia Platonis est; Nihil rectè doceri, nihil rectè disci sine exemplo: & ut Magnus Gregorius *e* scribit, Non est in sermone laudabilis, qui hoc quod loquitur, opere non ostendit. Præclarè de hac re illustris rei rusticæ Scriptor *f*: Usus, & experientia dominantur in artibus, neque est ulla disciplina, in qua non peccando discatur: & ubi quid perperam administratum cesserit improsperè, vitatur quod fefellerat, illuminatque rectam vitam docentis magisterium. Exempla denique, teste Isidoro Pelusiota *g*, dormientes animas ad virtutem capessendam excusitant, & ignavas, ac socordes excitatiores efficiunt, & vitiis indulgentes erubescere docent; atque ad pœnitentiam agendam inducunt. Cæterùm à domesticis eventibus, à Cæsario scilicet nostro Heisterbacensi scribendorum exemplorum initium sumo, ejus enim historiæ memorabiles datæ sunt mihi in manus, dum

a *Diodor. Siculus l.* 1. *c.* 1. b *Dionys. Halicarn. initio l.* 11. c *Publ. in Sententiis.* d *Zeno ser.* 6. *de Isaia.* e *Gregor. l.* 19. *moral. cap.* 12. f *Columella l.* 1. *de re rustica c.* 1. g *Isid. Pelus. l.* 4. *Epist.* 172.

dum hæc scriberem. Stylum autem mutavi, quod & in cæteris observatum est.

## §. II.

### *Exemplorum Decades quatuor.*

1. MOnachum quendam *h* Ordinis nostri ita Princeps tenebrarum decipiebat, ut, quoties ad nocturnas vigilias surgendum esset, magno statim sudore perfunderetur. Ille putans infirmitatem esse, quod erat diabolica fraus, jacere, vestibus se operire solebat, & sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger ille vertebat se in lectulo suo. Nocte quadam cum dato signo, cæteri surgerent, & ad divinum Officium festinarent, delicatulus noster tentare quidem, & aliquantulum moveri, ut surgeret; sed larga sudoris profusione præpeditus, iterùm sopore languescere, iterum torpori succumbere. Et ecce incognita vox aures ejus implacidè feriens, Noli surgere, inquit, noli interrumpere sudorem tuum, quia non expedit tibi. Sensit tunc demum Monachus se fuisse deceptum, & phantastico sudore neglecto, vigil prosiliens è lecto adversus acediæ spiritum fortius deinceps dimicavit. Sic illis illudit dæmon, qui corporis infirmitatem magis quam morbos animi timentes, hostium stratagemata celeri vigilantia antevertere non student.

2. Alius quidam Sacerdos *i* cæteris post vigilias privatis orationibus, & meditationi juxta Regulam nostram incumbentibus in sede aliqua oratorii se collocans inter verba orationis dormitare solebat. Cumque frequentius ab ingruente somno vinceretur, apparuit ei quadam vice Dominus in cruce verso ad illum dorso, & facie aversa, hac corporali visione patenter insinuans tepidos, & pigros Monachos à facie Domini projiciendos fore: sicut ipse per Prophetam Jeremiam testatur *k*, dicens *k*, *Quia oblitus est mei populus meus, frustra libantes, & impingentes in viis suis; dorsum, & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.*

3. Et ne putet aliquis se excusatum iri, quod non omnis somnolentia à proprio vitio, vel ab hostili tentatione, sed à corporali quandoque infirmitate naturaliter oriatur: narrat Cæsarius *l* Beatum Christianum Ordinis nostri Monachum, cum ob adversam valetudinem post nocturnam synaxim inciperet debile caput in ipsa Ecclesia sopore reficere, à sanctissima Dei Genitrice Maria hac voce excitatum fuisse: Surge Christiane, non est hic locus dormiendi, sed orandi. Quoniam verò hujus sancti viri semel mentio injecta est, aliud ejusdem exemplum narrabo, quo ad frequentiam chori, & reverentiam in eo habendam excitemur.

4. Infirmus erat, ut dixi *m*, B. Christianus, ac propterea licentiam habuerat ab Abbate, ne surgeret ad vigilias. Ille tamen non nisi gravissima necessitate compulsus, hac facultate utebatur. Interrogatus autem à quodam, cur indulta sibi gratia perfrui nollet: Non possum, inquit, memor enim consolationum, quibus inter psallendum lætificat Deus animam meam, valdè crucior, si à publica recitatione me contingat abesse: nam & beatos Angelos chorum circuire, ipsumque Regem Angelorum multoties vidi, ipsum, inquam, Christum Jesum, qui dixit, *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum*: & *ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

5. Sed redeo ad somnolentiam, quam dæmonis astu orantibus immitti manifestum est. Nam B. Conradus *n* Conversus noster in dorso cujusdam fratris dormitantis, dum Laudes recitarentur, diabolum vidit in forma serpentis retortis gyris complicari. Vidit alius in alterius capite eundem sedere domesticæ felis assumpta figura. Circa alium somnolentum sæpè porci sunt visi, & porcorum grunnitus auditi, quia verba Psalmorum semiplenè, ac sine attentione prolata, quasi siliquas porcis infernalibus diripienda projiciebat.

6. Dormiens nocte quadam Monachus senior *o* nomine Fredericus, vir alioquin bonus, & justus, hominem vidit procera magnitudine, turpique aspectu deformem, nodum stramineum luto, ac fimo perlitum habentem in manu, qui cum somno sepultum terribilibus oculis respexisset, quid hic dormitas, ait magnæ fili mulieris? Magnam scilicet mulierem B. Virginem appellavit, cui Ordo noster specialiter addictus est. Tum stramen illud immundum magno impetu faciei ejus intentavit, qui cum vellet ferientis ictum declinare, caput parieti allidens non sine proprio dolore, aliorumque ludibrio evigilavit.

7. Horribilius est quod sequitur *p* Quidam enim in sacris vigiliis dormiens, tantam Deo



h *Cæsarius lib. 4. cap. 28.* i *Cæsarius lib. 4. cap. 29.* k *Jeremiæ c. 18.* l *Cæsarius lib. 4. cap. 30.*

m *Ibid.* n *Cæs. lib. 4. cap. 32. 33. & 35.* o *Cæsar. lib. 4. cap. 34.* p *Ibid. cap. 38.*

nauseam provocavit, ut veniens de altari Crucifixus, maxillam ejus validissimo pugno percusserit, qui & post triduum mortuus est.

8. Illustris, & facetus miles *q* lapidem oratorii ab Abbate Hemmerodensi emere voluit, quod talis eum naturæ diceret, ut somnum confestim conciliaret. Nam quoties oraturus se super eundem lapidem reclinabat, mox ei somnus tentante Sathana obrepere consueverat, ut vel inde cognoscas plures in lecto vigiles in choro somnolentos fieri, omnem pristinam vigilantiam humani generis hoste destruente.

9. Dictum est supra sanctos Angelos, ipsumque Dominum visos fuisse psallentium cœtibus interesse. Addo nunc, quod relatu jucundissimum est, Beatam *r* quoque Dei Genitricem sæpè oratorium perambulasse, devotè cantantibus benedixisse, à tepidis, & dormientibus cum indignatione recessisse: quæ omnia B. Henricus Conversus Claustrensis, & S. Godefridus Vilarensis Monachus, & alii non semel videre meruerunt. Sed in his memorabile est, quod cuidam carnali Monacho evenit; Hic, cum majorem corporis curam, quam spiritus haberet, in solemni festo B. Virginis psallens noctu cum cæteris eandem manifestè intuitus est, quæ mira claritate perfusa, pyxidem habebat in manu suavissimo electuario plenam, atque inde integrum cochlear hauriens, in os singulorum infundebat. Ad ipsum verò perveniens indignabunda recessit dicens: Tu de meo electuario sumerè non indiges, quia medicus es, & plures tibi impendis consolationes. Hac acerbissima animadversione perstrictus ille mores emendavit, & in proxima Dominæ nostræ solemnitate eandem visionem videre, & electuarium de manu Virginis accipere dignus fuit, quo gustato tanta dulcedine, & devotione repletus est, ut omnem terrenam consolationem prorsus respueret. Electuarium istud, inquit Cæsarius, gratia devotionis intelligitur, cujus virtute psallentes confortantur, cujus dulcedine labor vigiliarum vertitur in delitias: hujus species aromaticæ sunt memoria compunctiva Dominicæ Conceptionis, Nativitatis & reliquorum Sacramentorum Christi, quæ omnia mellifluæ spe futuræ retributionis conduntur, & meritis B. Virginis psallentibus infunduntur.

10. Ad cantum pertinent quæ sequuntur *s*. Et quidem ex canora voce inanis gloriæ occasionem arripere quanti discriminis sit, docuit periculo suo quidam Monachus Casinensis, qui cum cereum in Vigilia Paschatis voce dulcissima benediceret, esset que vox ejus tanquam Musica in convivio, peracta benedictione subito in veste Levitica de medio raptus nusquam comparuit, nec ullibi inventus est. Causam hujusmodi raptus elationis vitium fuisse, qui ejus vitam noverant, testati sunt.

11. Dicit Propheta, *Circuibo, & immolabo in tabernaculo ejus hostiam vociferationis, cantabo, & Psalmum dicam Domino.* Si tamen exaltatio vocis non ex fervore, & abundantia cordis, sed ex inani jactantia procedat, jam Deo placere non potest, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. In Ecclesia quadam sæculari *t* cantantibus Clericis, & tumultuosas voces in sublime tollentibus, vir religiosus, ac timens Deum qui fortè tunc adfuit, vidit in loco eminentiori dæmonem, sinistra manu saccum tenere, dextera verò cantantium voces colligere, ac in eundem saccum immittere. Post Officium verò, cum illi de optimo cantandi genere gloriarentur, dixit, qui visionem viderat. Benè quidem cantastis, sed saccum implêstis.

12. In Cœnobio quodam *u* Ordinis nostri cum Antiphonam Invitatorii is ad quem spectabat, psalmumque sequentem voce mediocri inchoasset, & seniores eodem tenore cœptam melodiam prosequerentur, quidam ineptus juvenis indignè ferens, deprelliori voce Psalmum incœptum fuisse, eum quinque ferè vocum intervallis exaltavit. Cumque Seniores arrogantiæ ejus resisterent, pertinax Monachus cedere contempsit; sed & alii ex oppositio choro eum adjuvantes vocem in exaltatione obstinârunt. Cessere pervicacibus cæteri propter scandalum, & cacophoniam. At B. Hermannus dicti loci tunc Prior, dæmonem vidit cùm lætitia, & impetu prosilientem, & circa eos, qui cantum superbè exaltaverant, tripudiantem.

13. Idem Hermannus dæmones sæpe vidit discurrentes in choro *x*, ut sciamus locum certaminis esse oratorium, & non esse nobis colluctationem adversus carnem, & sanguinem, sed adversus Principes, & Potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Cum aliquando initio vigiliarum chorus Abbatis inciperet Psal. *Domine quid multiplicati sunt*, adeò multiplicari dæmones vidit, ut ex illorum concursu, & discursu turbati fratres nescirent prorsus, quid dicerent. Tandem brevissimo illo, & usitatissimo Psalmo non

*q* *Ib. c.* 37. *r* *Cæs. l.* 7. *c.* 12. 18. 36. & 48. *s* *Cæs. l.* 4. *c.* 8. *t* *Ibid. cap.* 9. *u* *Cæs. l.* 3. *cap.* 5. *x* *Ibidem.*

non sine labore, & confusione utcunque explero, discessit diabolus totius confusionis caput, & psallentibus Monachis pax & serenitas restituta est.

14. Aliâ vice cum Prior Monasterii y sæcularia quædam negotia ante ingressum chori immediatè tractasset, vidit Hermannus dæmonem, tanquam viæ ducem ante illum ingredientem. Tanti detrimenti est ad opus divinum, sine præscriptis præparationibus accedere.

15. Idem cum errantes in aliqua z Officii parte, juxtà præscriptum regulæ nostræ, vel terram tangendo, sive deosculando, vel petendo veniam satisfacerent, dæmones aspexit ab illis, tanquam turbine impulsos, velocissimè discedentes. Non enim potest superbiæ spiritus humilitatis signum tolerare.

16. Ut discamus *a* quanto fervore Hymnus *Te Deum Laudamus*, cantari debeat, rem narro mirabilem, quam in monasterio quodam Sanctimonialium accidisse scribit Cæsarius. Puella quædam, cum dictus Hymnus incœptus esset, vidit cœlos apertos, & chorum cum psallentibus in ipsos supernè elevari, & introduci: Cumque versiculus ille, *Tibi omnes Angeli* psalleretur, universos ordines Angelorum, & singulos singulorum ordinum spiritus demissis capitibus, flexisque genibus, & expansis manibus Deum adorare. Quod & Apostoli, & Prophetæ, & omnis cœlicus ordo similiter faciebant, cum eorum nomina in consequentibus versiculis recitarentur. Cùm autem extremus Versus decantaretur, rursum chorus in terram descendit, & cœli clausi sunt. Liquet hinc terrestrem hymnodiam cœlestis filiam esse. Stamus enim hic in atriis supernæ Hierusalem, cujus participatio ejus in idipsum. Huic exemplo aliud subdo de Canticq Domini *Alleluja*.

17. Solet hæc vox supernis civibus familiaris, magnâ vocum exultatione, & longo notarum decursu cantari. Intolerabilis autem *b* cuidam Novitio Ordinis nostri hæc cantandi ratio videbatur, adeò ut vel hac de causa jam à sancto proposito discedere cogitaret. Nocte quâdam, cum tentatio eum acrius infestaret, vidit se in somnis à militibus, quos olim hostes habuerat, omni ex parte circumdatum, & oppressum; nec effugii ulla spes erat: jam hostes eum capere, jam manus in eum violentas injicere. Sic periclitanti adfuit candidatorum exercitus quorum signifer cum *Alleluja* ingenti vociferatione clamasset, eandemque vocem crebrò repetiisset, territi hostes in fugam dispersi sunt. At Novitius expergefactus, omnique tentatione solutus tantò ferventiùs inposterum *Alleluja* cantavit, quantò majorem ejus vim ad effugandas contrarias potestates expertus fuerat.

18. Hæc è Cæsarii flosculis *c* delibasse sufficiat. Sed ne statim ab Ordine meo discedam, quod de dulcissimo Patre Bernardo memini me legisse, hic inprimis enarrabo. Intererat aliquando nocturnis vigiliis Pater sanctus, cumq; solito ferventius divinas psallere laudes conaretur, singulis Monachis, singulos Angelos astare conspexit, qui psallentium verba, ne minimâ quidem syllabâ prætermissâ schedulis excipientes velocissimè conscribebant. Porrò quidam auro, alii argento, quidam communi atramento, nonnulli aquâ, quod quisque psalleret, exarabant. Erant etiam, qui nihil scriberent. Intellexit protinus vir Dei, eodem qui revelaverat spiritu edocente, quid scripturæ diversitas indicaret. Aurum enim ferventissimum in Dei servitio amorem & alacritatem: argentum minorem quidem fervorem, purissimam tamen intentionem significabat. Atramentum bonam voluntatem denotabat, quamvis devotionis, & vigilantiæ studium aliqua ex parte deesset. Per aquam verò eos Scribæ cœlestes exprimebant, qui somnolentiâ pressi, vanisque cogitationibus à se abducti voce, non corde psallebant. At qui nihil scribebant, illos indicabant, qui inter justos sceleratè viventes, noxiisque cogitationibus voluntariè distracti contra legis præscriptum vacui apparebant in conspectu Domini: quorum perversæ operationes indignæ, quæ Angelicis codicibus exciperentur, à dæmonibus quibus serviebant tenebrosis voluminibus consignabantur. Utinam hoc exemplo edocti, sic divinis assistere laudibus studeamus, ut omnis psalmodia nostra auro, vel argento conscripta honorem Deo, gaudium Angelis, nobis salutem operetur.

19. Cùm quædam cantantur, quæ majorem exigunt attentionem, valde soliciti sunt Angeli sancti, ut majorem quoque in psallentium cordibus excitent devotionem. *d* Vidit eosdem S. Bernardus, qui, cum Hymnus *Te Deum laudamus* decantaretur, utrumque chorum percurrentes nunc hos, nunc illos ad cantandum alacriter modis omnibus excitabant. Sed & ipse S. Abbas, cùm dictum Hymnum inciperet, visus est à quodam



y *Ibid.* z *Ibid.* a *Idem l. 8. c. 90.* b *Cæsl. 4. c. 55.*

c *Lib. de viris illustrib. Ord. Cistercienſis.* d *Exordium Ord. Cisterciensis.*

miro splendore circumfusus: Tum nitidissima flamma ab ore cantantis erumpere visa est, & in cœlum conscendere, quo ejus intentio ferebatur.

20. Beatus Wulfridus Monachus *e* Ordinis nostri in Anglia cum Canticum trium puerorum decantaretur, vidit Angelum Domini cum magnæ claritatis fulgore in medium chori descendere, & thuribulo cœlesti thymiamate referto spiritualium aromatum vivificum vaporem psallentibus offerre. Cùm autem ad illum versum psallentes perveniissent, quo sanctissima Trinitas collaudatur, idem Angelus carbonem ignitum de thuribulo tollens in os Wulfridi projecit, qui tantum ardorem ferre non valens, exanguis corruit, & delatus in infirmitorium, tribus diebus quasi mortuus permansit. Sed regredior ad cantum, quem humilem & devotum esse debere, hoc item domestico exemplo edocemur.

21. In Abbatia quadam Monachus erat *f* qui peritia cantandi, & dono suavissimæ vocis instructus non ad Dei laudem, sed ad inanem sui gloriam tanto munere utebatur. In communi Psalmodia prorsus elinguis, in iis quæ solus concinebat, ultra modum vocalis reperiebatur. In die autem solemni cùm versum cujusdam Responsorii pro singulari vocis privilegio sibi assignatum non in gravibus, sed in acutis, & superacutis vocibus, tinnulis modulis, flexilique lasciviâ personasset: eo finito dæmunculus teter cunctis videntibus apparuit, qui plaudens manibus, & fœdis cachinnis exultans, protinus exclamavit; O, ô benè, benè cantavit, optimè cantatum est. Hoc est videlicet superbi cantus præmium plausus diaboli, exultatio inimici, cantantis perditio. Sancta quædam Virgo primis Patribus nostris ruinam Ordinis eventuram prædixit ex agrorum multiplicatione, ex superfluitate ædificiorum, & ex vocum lascivia. Quam Prophetiam in nobis impletam, heu seris & inutilibus lacrymis deflemus. Hæc in libro de viris illustribus Ordinis nostri dum legerem, ingesserunt se protinus duo exempla, quæ prætermittere nefas sit. Ea pertinent ad somnolentiam, quæ noctis vigilias stodientibus obrepere solet.

22. Quidam Monachus Henricus nomine *g*, ætate juvenis, corpore robustus, sed carnis curam perficiens in desideriis, cum in omni parte Monasticæ disciplinæ cespitaret, tum maximè cum ad vigilias surgendum esset. Nam vel non surgere omninò, vel nondum peractâ synaxi discedere, pigritiam verò infirmitatis velamine solebat obtegere. Sed Deus non irridetur. Nam qui posthabito timore Domini, neglecta regulari admonitione dixerat, ut delinqueret in semetipso, tandem relicto Ordine reversus ad vomitum suscepti propositi impiissimus desertor interiit. Viderat eum sæpissimè Cœnobiarcha, dum exiret è choro diabolico impulsu abactum, ejus enim collo insidebat visibiliter adversarius, & extra castra pugnantium, & orantium impellebat, quò facilius solitarium opprimeret. Idem narrante in Dialogis Beato Gregorio cuidam Monacho accidisse didicimus, quem dæmon educebat ab oratorio, sed dissimili exitu: nam iste à S. Benedicto correctus culpam agnovit, & emendavit. Audiamus nunc rem jucundissimam, quæ vigilantes Monachos maximoperè corroboret & consoletur.

23. Miles quidam virtute, & sanguine illustris, quem Corradum vocabant, in Cœnobio Ordinis nostri præcipuas quasque solemnitates celebrare consueverat. Aderat aliquando nocturnis vigiliis in die festo Purificationis B. Virginis, tantamque invitus somnolentiam patiebatur, ut ei nullatenus resistere posset. Cumque proprium torporem detestans non cessaret Monachos admirari, qui ex eodem luto conficti, ac multis insuper jejuniis afflicti singulas noctes ducebant insomnes, subito sopore oppressus vidit duos homines monastico habitu venerabiles, quorum unus jucundo vultu militem allocutus hunc versum Latinum pronunciavit: *Talia posse pati soli meruere beati.* At vir analphabetus verborum sensum non percipiens, manè carmen recitavit Priori, à quo ejus explicationem audivit. Beati ergo divinitus nuncupantur, quibus datum est posse pati, & vigilare pro Christo: & admirabilis virgo Catharina Bononiensis *h* inter Martyres computandum fore dicebat Religiosum, qui nocturnis semper vigiliis sine ulla exemptione adesset. Pergo & ex vita S. Geltrudis *i* alia haud dissentanea adjungo.

24. Cum in festo cujusdam Sancti horas Canonicas purissimâ intentione sancta Virgo persolveret, visa sunt omnia psalmodiæ verba quasi lanceæ acutissimæ, quæ de corde ejus ad cor Jesu Christi procederent, idque medullitus penetrarent, & suavissima afficerent delectatione. De corde autem Christi exibant radii, qui novæ gloriæ splendore Sanctos omnes exornabant, vivis quoque

e *Henriquez in Menolog. Cisterc. ad diem 13. Februar.*
f *Lib. de vitis illustr. Ord. Cisterc.* g *Ibid.*
h *Vitæ ejus lib. 3. cap. 3.* i *Insinuationum Divinæ pietatis sive vitæ S. Geltrud. lib. 3. cap. 23.*

quoque speciales gratias, defunctis refrigerium subministrabant. Hi videlicet attentæ Psalmodiæ sunt effectus honor Dei, Sanctorum gloria, salus viventium, & requies defunctorum.

25. Aliâ vice dum singulas notas *k*, & verba cum actuali intentione proferre studeret, & sæpius pro humana fragilitate deficeret, dixit intra se: & quæ utilitas ex tali studio, cui tanta inest instabilitas? At pius Dominus, ut eam consolaretur, obtulit cor suum in similitudinem lampadis ardentis: Ecce inquiens cor meum dulcissimum organum semper venerandæ Trinitatis, cui omnia, quæ per te supplere non sufficis, fiducialiter perficienda commendabis, & sic omnia coram me summè perfecta apparebunt. Quemadmodum si tu vocem haberes dulcissimam, & sederes propè sororem, cujus dissona vox cunctis ingrata foret, valdè indignareris, si tibi ad cantandum aptissimæ illa inepta vices suas nollet committere: Sic ego soleo æstuanti desiderio præstolari, ut mihi homines ea perficienda offerant, quæ ipsi utpotè imperfecti adimplere per seipsos non valent.

26. Præcipit Sanctus Pater Benedictus *l* in Regula, ut Capitulum Laudum memoriter recitetur: Cum igitur hebdomadaria sic Capitulum cantasset, revelavit Deus Sanctæ Geltrudi tale ab illa præmium acquisitum fuisse, ac si tot personæ pro illa orarent, quot verba protulerat. Tanti momenti est, vel in minimis rebus obedientia.

27. Solent Prælati, & Præcentores nostri psallentium cœtum circuire, ut dormientes in nocturna synaxi excitent, & in opere Dei omnem præcaveant negligentiam: cum autem quædam Sanctimonialis id ex more præstaret *m*, dixit Dominus beatæ Geltrudi, si quis studet in divinis tam in se, quàm in aliis negligentias præcavere, ego pro illo suppleo omnem defectum perfectæ intentionis, & devotionis. Alia multa ad divinum Officium pertinentia, libro quarto continentur, quæ brevitati consulens prætermitto. Hic autem tria exempla ex Laurentio Surio describam, quæ doceant operi Dei nihil esse præponendum.

28. Cum S. Ludgerus *n* persolvendis divinis Officiis cum suis insisteret, à Carolo Magno Imperatore tertiò accitus ire tamen ad illum distulit, donec cœptam psalmodiam consummasset. Non defuere aulici, qui sancti viri pietatem ad contemptum Cæsaris retorquerent: *at ille interrogatus*, cur toties accersitus venire contempsisset, Ego, inquit, ô Imperator, tuum semper præceptum ita in omnibus exequendum putavi, ut tamen Deum tibi ubique præferendum non dubitarem: Ideò non ob contemptum Regiæ potestatis sed potius propter tuam salutem, quæ Deo debebam exolvere curavi, sicque expeditior ad tuum servitium veni. Hanc Episcopi libertatem suspiciens optimus Princeps, Gratias habeo Episcope, ait, quia qualem te semper credidi, talem te nunc esse expertus sum.

29. S. Hugo Lincolnienſis Episcopus semper Canonicas *p* preces statuto tempore persolvebat. Contigit illum aliquando cum Prælatis quibusdam, & Clericis per loca à latronibus obsessa iter agere. Surgunt omnes ante lucem, urgentque socii discessum, ut ingentis periculi viam in tenebris pertransirent: At vir sanctus instabat, ut matutinas preces ante omnia persolverent. Illi autem metuentes ne propter moram à grassatoribus caperentur, dilato in commodiorem horam Officio iter aggressi sunt. Mira res. Isti prudentes secundùm carnem inciderunt in latrones. Hugo verò cum suis expleto Matutino lætus, & incolumis ad constitutum locum pervenit.

30. In quodam Monasterio Sanctimonialium puella quædam in extremo vitæ discrimine versabatur *q*; instante verò Completorii hora sorores in Ecclesia convenerunt, ut diurnæ servitutis pensum complerent. Vix autem primos cantaverant Psalmos, cum subitò evocatæ virgines tactu signi ad transitum morientis divinum Officium imperfectum reliquerunt. Ad quarum ingressum infirma, quæ jam ultimum efflabat spiritum, repentino saltu è lecto prosiliens ad Abbatissam cucurrit clamans & dicens; Fer præsidium Domina, fer præsidium: At illa tremebunda, Quid habes, inquit, filia, quid habes? Respondit, Multitudo dæmonum, qui huc cum sororibus ingressi sunt, me ad inferos secum velle abducere minantur, quia propter me detrimentum servitii sui Christus habet. Porrò sorores ad imperium matris protinus in Ecclesiam regressæ divinæ laudis cursum devotè peregerunt: quibus psallentibus puella lectulum repetens, omni horrore discusso, paulatim deficiens mortua est.

31. Inter Canonicos *r* Præmonstratenses exi-



k *Ibid. cap.* 24. l *Ibid. cap.* 82. m *Ibid. cap.* 85.
n *Surius* 26. *Martii. Vita S. Ludgeri lib.* 1. *c.* 32.
p *Surius* 19. *Nov.* q *Id.* 4. *Decemb. in vita S. Annonis lib.* 1. *cap.* 36. r *Idem* 7. *Aprilis.*

mia floruit sanctitate B. Hermannus. Hic quotidie, dum Canticum Zachariæ dicebatur, tam mirifico replebatur odore, ut omnium florum, & aromatum fragrantia naribus ejus aspirare videretur. Eodem verò tempore duos Angelos videbat ab utraque parte Ecclesiæ incensum psallentibus ministrantes, sed cum magno discrimine: nam quibusdam hilares sese ostendere, & coram illis reverenter inclinare: alios præterire negligentius: & à nonnullis cum horrore quodam protinus resilire. Intellexit statim vir Deo plenus primos eos esse, qui Deum animo, & voce laudarent: Secundos, qui minus adverterent, quod psallebant: Tertios illos, quorum vita mors erat. Convenit hoc exemplum cum decimo octavo supra descripto: Nunc alia adjungenda sunt ex Thoma Cantipratano *s*.

32. Erat Suessionensis civitas in Gallia Ecclesiastico interdicto subjecta, quamobrem non nisi silentio divina ibidem mysteria celebrabantur. In Vigilia igitur Assumptionis B. Virginis Prior Canonicorum Regularium S. Joannis in vineis juxta muros ejusdem civitatis assumptis secum tribus Canonicis devotissimis viris in montem proximum secessit, ut in quodam oratorio solemnitatem Dei Genitricis celebrarent. Hora verò consueta ad nocturnam synaxim evigilant, cantant simpliciter, & devotè. At ubi Prior nonam lectionem de more finivit, subitò concentus mirabilis Angelorum insonuit, & Responsorium *Felix namque es* altissimis vocibus cantaverunt: quo usque ad versiculum dicto, quatuor tantum ex illa innumera multitudine versum, cum *Gloria* succinerunt, multitudine semper cum repetitione respondente. Post secundam verò repetitionem iteratò Responsorium, juxta morem Gallicum quatuor Angeli inchoarunt, & prosequentibus omnibus, alacriter finierunt. Porrò de cantu Ecclesiastico, qualis esse debeat, relatu dignum est quod idem auctor commemorat.

33. In quadam Ecclesia *t* Canonicorum sæcularium præcipua cujusdam Sancti festivitas agebatur; in Completorio autem Responsorium illud, *In pace in id ipsum dormiam, & requiescam*, Clericis cantantibus, & discantantibus, facta est cunctis audientibus vox, de cœlo dicens, solus raucus exanditus est. Erat hic raucus despectus quidam, qui vocis cacophoniam morum consonantia compensans cæteris in dulcedine vocis, absque cordis devotione sine fructu exultantibus, solus exauditus est pro sua reverentia.

34. Semper nititur dæmon divinum Officium impedire, quare sicut eodem Auctore narrante didicimus, Venerabilis quædam Abbatissa Ordinis nostri nocte quadam, cum nulla Monialium ad nocturnum surrexisset Officium, vidit diabolum, qui eas somno fallaciæ deluserat cachinnis singulas irridentem, & fusa ad Dominum prece, eum visibilem multis ostendit.

35. Sanctissimus Abbas Dorotheus *u* vir sapientia ac pietate insignis, rem mirabilem de nocturnis vigiliis scribit, quam ab eo cui accidit se audisse asseverat. Nocturnam synaxim persolvebat, cum cæteris beatus senex Dioraticus, & ecce virum splendidis indutum vestibus initio Psalmodiæ egredientem videt è sacrario parvum calicem cum sacrificio, & hostia habentem in manu: psallentibus autem appropians hostiam tingebat in calice, & ea fratres omnes obsignabat. Sedes autem quorumdam, qui ad vigilias non surrexerant, eo signo tangebat: aliquorum intacta loca pertransibat. Atque hoc ipsum in fine Psalmodiæ è sacrario rursus egrediens repetebat. Hæc senex cum vidisset, rogat hominem humiliter, ut signorum mysterium edisserat. Respondet ille se esse Angelum Dei delegatum ad hoc, ut Monachos ab initio Psalmodiæ usque ad finem perseverantes eo signo notaret: nec præsentes dumtaxat, sed eos quoque qui cum licentia & benedictione Prælati aberant, justa de causa sacro signaculo obfirmabat, eo quod animo, & voluntate cum psallentibus adessent. At loca eorum, qui ob desidiam, & somnolentiam divinis noluerant interesse solemniis, jussu Dei summi nullo signo notasse dicebat, quoniam ipsi eo munere indigni erant.

36. Scribit Seraphicus Doctor *x* in vita Sancti Francisci, quamvis beatus Pater oculorum, stomachi, splenis, & hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro, aut sedi dum psalleret inhærere, sed horas semper erectus, & stans cum ingenti reverentia, & alacritate persolvebat. Et si quando esset in itinere constitutus, instante hora divini Officii stans, & gressum figens in ipsa via, suas preces recitabat: nec ob solis ardorem, nec ob inundantes pluvias, nec ob frigoris asperitatem, aliamve temporis, vel cœli injuriam hujusmodi consuetudinem prætermittebat. Dicebat enim, si quietè comedit corpus

*s* Cantipratan. lib. 2. de Apib. cap. 40. *t* Ibid.

*u* Doroth. doctr. 11. *x* Bonav. de vita S. Francisci cap. 10.

corpus cibum suum fututum cum ipso esca vermium, cum quanta pace, & tranquillitate accipere debet anima cibum vitæ?

37. Idem magno zelo omnem animi evagationem castigare solebat, ut ex subjecto constat exemplo *y*. Fecerat aliquando otii vitandi gratia vasculum quoddam non elegans, quod cum memoriæ ejus occurrens, dum Tertiam psalleret, paululum ipsius animum distraxisset, motus fervore spiritus dictum vasculum igne consumpsit, dicens, sacrificabo illud Domino, cujus sacrificium impedivit. Hæc de Seraphico patre narrat Seraphicus filius Bonaventura. Sed Ecce in manibus vir Eminentissimus Petrus Damianus. Nil gravius, nil jucundius ejus eloquio. Hic quædam memoratu dignissima de divinis Officiis recenset, quæ cùm suavissimo ejus sermone describsero, & exemplis, & libro finis erit.

38. Clericus, inquit *z*, Colonienſis Ecclesiæ vadum fluminis transibat, & ecce B. Severinus ejusdem Ecclesiæ nuper Episcopus equi ejus habenas apprehendit, eumque retinens sistit. Cumque ille in stuporem versus, & graviter admiratus cur illic tam clarus, & tam celebris famæ vir moraretur, inquireret: da mihi, ait, manum tuam, & quæ circa me sunt non auditu disce, sed tactu. Cumque datam manum fluctibus Episcopus impressisset, tantus eam ardor absorbuit, ut undique carnes ejus resolutæ diffluerent, & ossa nuda vix hærentibus articulis remanerent. Ad quem Clericus, cùm nomen tuum, inquit, in tanta benedictione sit apud nos, & fama tua consonis totius Ecclesiæ præconiis celebretur, cur te pestilens hæc vorago constringit, tantoque, proh dolor! incendio cruciaris? Ad quem S. Episcopus; Nihil, ait, aliud in me remansit ultione plectendum, præter hoc tantùm, quia dum in aula Regia constitutus Imperialibus me consiliis vehementer implicui, Canonicæ synaxis Officia per distincta horarum spatia non persolvi. Manè quippè simul omnia coacervans tota die negotiis ingruentibus secura libertate vacabam. Ob hanc itaque negligentiam horarum ardoris hujus fero supplicium. Tu verò omnipotentis Dei clementiam humiliter implora, ut manum tuam in salutis pristinæ restituat statum. Quod cum factum fuisset: Vade, inquit, fili, obsecra fratres meos, Ecclesiæ Clericos, & alios spirituales viros, ut pro me preces fundant, indigentibus subsidia conferant, sacrificiorum votis insistant. His enim peractis ego mox de vinculo pœnæ hujus indubitanter expediar, & expectantibus me beatorum civium choris lætus adjungar. Hoc certè magnam nobis debet inferre formidinem, quia cum sanctum virum uni culpæ dumtaxat obnoxium tam intolerabilis Purgatorii pœna constrinxerit: Væ, væ, quæ mihi, meique similibus est inferenda sententia, quos tot reatuum prolixitas gravat? distinguenda sunt ergo per momenta temporum Ecclesiasticæ institutionis Officia, & sub magna reverentiæ disciplina dicenda sunt, ne dum psallimus, fructum spiritus cum carnis desiderio misceamus. Hæc Damianus, qui ab Adraldo Abbate Bremensi ea se asserit didicisse. Verùm Baronius *a* Ecclesiasticæ antiquitatis exactissimus indagator hanc Historiam referens, mendum irrepsisse putat in Episcopi nomen, & pro Severino substituendum censet Peregrinum, vel Pelegrinum, alioquin temporis ratio non constaret. Sanctus enim Severinus Damiani tempora annis circiter septingentis antecessit: Pilegrinus autem in serie Colonienſium Episcoporum paulò ante S. Petri ætatem collocatur. Pergit idem Petrus, & ex ejusdem Abbatis relatione, dum simul per Burgundiam iter agerent, aliud subjungit exemplum.

39. Frater quidam Cluniacensis Cœnobii *b* piæ mentis, & rectæ conversationis vir hinc aliquando transibat, & ecce crinitus quidam quasi ex Hierosolymitana peregrinatione deveniens palmam ferebat in manu. Cumque Peregrinus, & Monachus invicem obvii sese altrinsecus pertransissent, ait ille: Completorium in lecto nec salus est, nec profectus. Quod frater audiens, admiratus expavit, ac repentè post terga respiciens, eum videre non potuit. Mox enim at verbum protulit, omnino disparuit. Ille verò ad conscientiam mox reversus invenit, quia pridiano vespere lassus de via redierat, & fessa in lectulum membra projiciens, jacendo Canonicas horas compleverat.

40. Quiddam simile in eremo fontis Avellani, quam dum hæc scriberet, incolebat vir sanctus, narrat consequenter accidisse *c*. Erat ibi Prior nomine Joannes, qui lentis quibusdam infirmitatibus macilentus videbatur semper, & gracilis. Hac itaque sui corporis imbecilla tenuitate confisus, sæpè jacens in lecto, Completo.

*y* *Ibid.* *z* *Petrus Dam. lib. 2. Epist. 15. ad Desiderium Abbatem.*

*a* *Baronius Tom. 11. ann. 1062. num. 84.* *b* *Petrus Dam. ubi supra.* *c* *Ibid.*

pletorium decurrebat. Accidit autem, ut dæmoniacus quidam non procul abesset, qui multa hominum secreta, & obscœnos actus impudens propalaret. Cumque præfatus Joannes dæmonem exire præciperet, & quibusdam exorcismi quæstionibus flagellaret: Tune, ait, ille es, qui sub cotto quotidie Completorium insusurras, & modò me quasi Sanctus ejicere, & juris mei vasculum de meo vis dominio liberare? Hoc audito frater erubuit, quia rei veritatem etiam per mendacii recognovit auctorem. Hactenus ille.

## §. III.

### *Operis clausula, & pro ea gratiarum actio.*

1. HÆc habui, quæ de divina Psalmodia non pro rei majestate, sed pro virium mearum tenuitate proferrem. Plura sanè potuissem è Sanctorum Patrum amœnissimis hortis colligere, quibus hoc sterile senticetum uberius exornaretur; sed præstabilius visum est in tanta rerum congerie servare temperamentum, & posterorum industriæ multa relinquere. Cæterùm quia hoc opus ex scriptis veterum Patrum orthodoxorum magna ex parte compactum est, illorum dicta haud inopportunè in hac meta usurpabo. Et primò quidem illis verbis lectorem meum conveniam, quibus modestissimè alloquitur suum Timothæum Magnus Dionysius Areopagita in fine libri de Ecclesiastica Hierarchia. Hæc à me, Fili, tam multa, tamque præclara Hierarchiæ nostræ spectacula, quæ unum faciunt, aspecta, & animadversa sunt. Ab aliis autem mentibus, quæ acrius cernunt, non modò hæc perspecta sunt, sed multò clariora & diviniora. Tibi etiam, ut opinor, planè collucebunt clariores, divinioresque pulchritudines, si iis, quos dixi gradibus ad superiorem radium contendas. Communica igitur tu quoque mecum majorem, perfectioremque lucem, meisque oculis monstra præstantiores, & unius speciem magis exprimentes formas quascunque cernere potueris. Confido enim me his quæ sunt commemorata insitas tibi divini ignis scintillas excitaturum. Dicam & illud quod Maximus Martyr in fine opusculi de Ecclesiastica mystagogia scribit. Hæc ergo de his pro viribus exposui, ea quæ sunt magis mystica, & altiora attingere non ausus. Danda est autem venia imbecillitati meæ; & suscipiendum est potius, quam reprehendendum, si quod dari potest datur. Deo enim gratum, & acceptum est, quicquid pro viribus purè, & sincerè ex animo datur, etiamsi cum magnis collatum videatur exiguum. Clausulam quoque hic apponam, qua suum terminat Theophrastum Æneas Gazæus Philosophus Christianus. Jam quoniam istuc venimus, sacrificium gratiarum actionis Deo offeramus, non Hecatomben, ut apud Athenienses Minervæ; nec formicam, ut in Isthmo Soli, & Neptuno; sed perpurgatam mentem, quò Deo similes evadamus. O Rex, & Pater, & Conditor omnium: ô prima sapientia Patris, & Verbum per quod is omnia produxit: ô Spiritus Sancte, per quem Deus omnibus aspirat, omnia comprehendit, & conservat, & suam perfectionem adduxit: ô divina Trinitas, & sancta Unitas, des nobis supernæ illius pulchritudinis memoriam, des omnibus æternitatem. Nec verebor Juvenci Poëtæ assumpta persona aliquid mihi de hoc qualicunque opere polliceri, cantans in hoc Epilogo quod ille in prologo Evangelicæ Historiæ cecinit;

*Nec metuo ut mundi rapiant incendia secum*
*Hoc opus. Hoc etenim forsan me subtrahet igni,*
*Tunc cum flammivoma descendet nube coruscans,*
*Judex alithroni genitoris gloria Christus.*

Denique hac oratiuncula Deum precabor, qui libros de Trinitate concludit Augustinus. Domine Deus unus, Deus Trinitas, quæcunque dixi hic de tuo, agnoscant & tui: Si quæ de meo, & tu ignosce, & tui. Amen.

## METRUM L.

*O mihi jam plures multum vigilata per annos*
*Pagina, sat spatiis longum confecimus æquor.*
*Naufraga fluctivago jactata carina profundo*
*Jam portum tranquilla tenet: jam dente tenaci*
*Anchora de prora jacitur, jam littore gaudet*
*Navita, jam Scyllæ monstrum, rabiemque Charybdis,*
*Et syrtes, scopulosque, & venti evasimus iram.*
*Jam licet optatam saltu contingere terram,*
*Et superis meritas pro munere solvere grates.*
*Omnipotens Genitor, cœli suprema potestas,*
*Principium sine principio, sator unice rerum,*
*Immensus, sine fine potens, sine tempore durans,*
*Absque loco loca cuncta replens, sine luce coruscans,*
*Cuncta simul sine voce loquens, sine robore fortis,*

*Mundum*

*Mundum mente gerens, sine motu cuncta gubernans:*
*Unicus, & simplex, placidus seu parcis amanti,*
*Expectasque tacens; seu crimina vindice pœna*
*Corrigis iratus, seu justis præmia reddis.*
*Haud opis humanæ est dignas tibi solvere grates;*
*Sed cœli dum luce fruar, te carmine semper,*
*Pectore te memori cantabo, nulla carebit*
*Laudibus hora tuis. Tuque ô sapientia Patris,*
*Principium de principio, de lumine lumen,*
*A vero verax, soboles æquæva Parenti,*
*Fons lucis, mentale jubar, Verbumque paternum,*
*Omnia cognoscens divinæ notio mentis,*
*Ars summi Artificis, primique expressio veri,*
*Tu precor ignaro, majoraque viribus ausо*
*Ignosce, & clemens audacibus annue scriptis.*
*Tu Bonitas, tu Patris Amor, tu mutuus ardor,*
*O Patris, & Nati Flamen, qui compar utrique*
*Imperium sine fine tenes spirabile Numen,*
*Tu quoque, si potus per te tot adire labores,*
*Has licet exiguas pro munere suscipe laudes.*
*Auspice te, quacunque fides Romana patebit,*
*Ore legar populi, nec me libitina sepulchro,*
*Nec ventura dies tenebrosa condere nocte,*
*Nec poterunt flammæ, nec edax abolere vetustas.*
*Candida posteritas, duce te, mihi digna laboris*
*Præmia, & immeritam statuet cum laude coronam.*

# NOTITIA AUCTORUM, ET LIBRORUM,

## Qui in hoc Opere citantur, notantur, illustrantur.

## PRÆMONITIO ad LECTOREM.

*OBsequor genio hujus sæculi,* AMICE LECTOR, *cui nihil placet, nisi critico sale respersum sit. Quare non nuda Auctorum nomina præfigo, quod alii solent: sed singulis ausus sum adjicere censuram, & de iis proferre, quid sentiam. Nolim tamen huic Edicto semper subscribas, BONUM FACTUM: Mendaces enim sumus in stateris Filii hominum; sæpè decipimur, sæpè dormitamus. Ut autem ipsi Veteres, ita nos posteri castigabunt, hoc summam habente æquitatem, juxta Sententiam Jurisconsulti,* ff. quod quisque juris, l. 1. *ut idem jus nobis dicatur, quod ipsi aliis diximus. Lege, & vale.*

A

ABbas Urspergensis Ordinis Præmonstraten. cujus nomen diu ignotum est Conradus à Lichtenauu, in Chronico diligens, sed Pontificibus infensus.

Abbas Vercellensis, Dictus Thomas Gallus, sive à S. Victore, primus Abbas S. Andreæ Vercellarum, cujus est commentarius in S. Dionysium Areopagitam facilis & accuratus.

Abraham Ecchellensis Maronita Linguarum Orientalium Professor, multa & recondita præditus eruditione.

Absalonis Abbatis Sprinkirbacensis sermones docti & elegantes. Hujus cum laude meminit Cæsarius Heisterbacensis, *lib. 4. cap. 89.* Cui Synchronus fuit. Vixit ergo, non anno 1120. ut Miræus scripsit, sed circa an. 1209.

Achillis Bocchii Bononien. symbolicarum quæstionum libri 5. multæ eruditionis, sed styli depressi.

Achillis Tatii Alexandrini ex Ethnico, & in Eroticis venusto, sed parum casto Scriptore Episcopi Christiani, teste Suida, Isagoge in Arati Phænomena. Qua ætate vixerit, non liquet.

Adam Abbas Persennæ, quæ est Abbatia Ordinis Cisterciensis in Diœcesi Cenomanensi, cujus elegantissimi sermones extant Romæ MSS. apud doctissimum virum Hilarionem Rancatum Abbatem Cistercien sem.

Adam à S. Victore, auctor sequentiarum Missæ, quas non admisit vetus Ecclesia.

Adonis Viennensis Archiepiscopi Chronicon breve, ab origine Mundi ad sua tempora.

Adrianus Turnebus Criticus celebris, & emunctæ naris.

Aelredus Abbas Rievallis in Anglia Ordinis Cisterciensis, vir sanctissimus, & suavissimi eloquii.

Ægidius Columna Romanus, Ordinis S. Augustini Archiepiscopus Bituricensis, & Cardinalis, vir celebris doctrinæ, & miri ingenii, Doctor fundatissimus nuncupatus.

Ælius Lampridius Historicus fidelis, sed dicendi genere futilis. Vixit sub Diocletiano.

Ælius Donatus Grammaticus præstantissimus, præceptor D. Hieronymi.

Ælianus Scriptor Græcus, sed natus Præneste, ob sermonis suavitatem dictus Melliphtongus, cujus de varia historia, deque historia animalium libros exquisitissimos habemus. Vixit sub Hadriano.

Æneas Gazeus Philosophus Platonicus, pietate, & eruditione clarissimus, qui Dialogum de resurrectione, & immortalitate animorum inscripsit Theophrastum, quod potiores in Dialogo partes isti tribuat.

Æneæ Scriptoris vetustissimi (nisi fallit inscriptio) commentarius polierceticus. Claruit tempore Alexandri Magni.

Afranius fabularum Togatarum egregius Scriptor, quarum extant sola fragmenta apud veteres Grammaticos. Mores ejus culpat Quintilianus lib. 10. cap. 1.

Agapetus Diaconus vir pius, & magni spiritus, de Regis officio ad Justinianum.

Agathias Scholasticus Smyrnæus, qui tenui stylo, & confuso de rebus Justiniani libros quinque necessarios conscripsit.

Agobardus Lugdunensis Episcopus, vir doctrina insignis, sed Iconomachis consentiens, præterquam in cultu S. Crucis: qui etiam lapsus est, quod in divinis officiis nihil vellet admittere præter sacram scripturam.

Agræius inter veteres Grammaticos recensitus ob libellum de Sermone Latino.

Aimoinus, sive Aimonius Monachus de rebus Francorum laudabiliter scripsit, sed notat Baronius *Tomo* 10. eum Iconoclastis consensisse. Quis iste fuerit, & quo tempore vixerit, deque duplici Aimoino eruditissimè, ut solet, Philippus Labbe in dissertationibus ad Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Alanus Insulensis ex primo Abbate Ripatorii Ordinis Cisterciensis in Diœcesi Trecensi Episcopus Antissiodorensis, quem plerique confundunt cum altero Alano Converso Cistercii, qui dictus est Doctor universalis, cum longè ab illo diversus sit. Scripsit Poema contra Claudiani Rufinum, quod ideo Anticlaudianum vocavit. Valerius Andreas in Biblioth. Belgica ait Episcopum vitam duntaxat S. Bernardi, alia opera Conversum scripsisse. Episcopus obiit anno 1182. Conversus 1294.

Albinus Flaccus Alcuinus, abbas multæ pietatis, & scientiæ Scriptor, quem Eginarthus ait Magistrum fuisse Caroli Magni. Liber autem de divinis officiis malè tributus ei videtur, quia in eo citantur versus Theodulphi Episcopi Aurelianensis, qui vixit sub Ludovico Pio, quod etiam observavit P. Sirmondus in notis ad Teodulphum.

Alcinous de doctrina Platonis Platonicorum lectioni necessario præmittendus, quem librum commentariis illustravit Jacobus Carpentarius. Sed hunc perperam Alcinoo tribui suspicio est. Longam enim sententiam ex capite ejus 10. citat Eusebius lib. 11 Præp. Evang cap. 23. sub nomine cujusdam Didymi, quem infra lib. 15. cap. 15. Arium prænominat; nisi fortè hic Dydimus ab Alcinoo accepit. Ætas ejus incerta.

Alcimus Avitus Viennen. Archiepiscopus, qui plura graviter, & venustè scripsit versu, & soluta oratione. Joannes Gagneis in editione Lugdunensi anni 1536. multa pro arbitrio mutavit, & inaudito facinore quingentos propè versus suos pro Aviti versibus intrusit. Pura habentur Aviti Poemata in editione Sirmondi.

Alexandri ab Alexandro J. C. dierum genialium opus omni antiquitate & eruditione refertissimum. Improbant in eo critici, quod Auctores dissimulat, per quos profecit.

Aldhelmus Episcopus Anglus, cujus est liber de Laudibus Virginitatis stylo tumido, poëtico, confuso, verbisque novis, & inusitatis.

Alexander Halensis Anglus insignis Theologus Ordinis Minorum, dictus Doctor irrefragabilis.

Alardus Gazæus Monachus eruditus Cassiani Scholiastes.

Algazel Philosophus Arabs Avicennæ Sectator, & abbreviator.

Aloysius Novarinus vir multa prædirus eruditione, sacra & profana.

Albertus Crantzius Hamburgensis, diligens Historicus regionum Septentrionalium, cujus Catholicæ doctrinæ impiæ notæ ad marginem additæ sunt à Sectariis.

Albertus Pighius, vir acutissimi ingenii, Theologus, Philosophus, & Mathematicus peritissimus, sed liber ejus de Ecclesiastica Hierarchia cautè legendus est, quod non semper solidam tradat doctrinam.

Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis, vir ingenio, judicio, ac pietate eximius, qui brevissimo tempore, cum non nisi XL. annis vixerit, copiosissima in scripturam commentaria reliquit.

Alphonsus à Castro Ordinis Minorum, acerrimus Fidei propugnator, sed notat cum aliquando Bellarminus in controversiis.

Alphonsi Regis Hispaniarum Tabulæ Astronomicæ Astrologis necessariæ, quas Lucas Gauricus castigavit.

Aly-

Alypius Musicus, cujus Isagogen edidit Joan Meursius, eumque vixisse putat sub Juliano.

Alcoranum lex impiissima Turcarum.

Ambrosius Ansbertus Monachus sacrarum literarum peritia clarus. Fuit Abbas S. Vincentii ad fluvium Vulturnum, qui Capuam interfluit. Testatur ipsemet se vocari Autpertum in fine libri decimi comment. in Apocalypsim, seque vixisse ait tempore Desiderii Longobardorum Regis, unde perperam à pleriisque sæculo nono adscribitur.

Ambrosius Mediolanensis Episcopus verè cælesti manans ambrosia: cui tamen, sicut & cæteris Patribus, quædam tribuuntur, quæ sua non sunt.

Amalario Fortunato Episcopo Trevirensi perperam tribuum opus, quo Ecclesiastica officia explicantur doctè, diffusè, sed quandoque nimium subtiliter. Ejus autem verus auctor est alter Amalarius Ecclesiæ Metensis Diaconus. De duobus Amalariis vidi M. S. dissertationem Constantini Cajetani, in qua ait hunc posteriorem ex Monacho Metensi, & Archidiacono Turonen. Cardinalem fuisse, & vixisse circa an. 840. quod verum est, cætera criticis examinanda relinquo.

Amedeus ex Abbate Altæcumbæ Ordinis Cistercien. Episcopus Lausanen. dulcissimus B. Virginis Encomiastes.

Ammianus Marcellinus, Historicus judicio & fide clarus; sed stylo Poëtico, duro, & inepto: Homo enim Græcus græcas retinuit loquendi formas. Juliani Apostatæ milus & Parasitus fuit, Christianis infensus. Scripsit libros xxxj. sed priores xiij. desiderantur.

Amphilochius Iconii Episcopus, quem D. Hieronymus parem facit Basilio, & Gregorio Nazianzeno. Sed vita Basilii ei falsò tributa est.

Andreas Hierosolymitanus, Episcopus Cretensis, magni spiritus Orator.

Andreas Tiraquellus J. C. vario litterarum genere excultus.

Ansgardus Monachus, scriptor vitæ S. Ansberti Rothomagensis Episcopi.

Anacreon Teius Lyricus Græcus festivissimus.

Anacleti Sicci de Ecclesiastica Hymnodia, ejusque usu & præstantia liber elegans, & eruditus.

Anastasius Abbas, & Bibliothecarius Apostolicus Græcè & Latinè doctus. In vitis Pontificum plura sunt vocabula illius ætatis qua vixit, circa finem sæculi noni, tunc omnibus cognita, nunc obscura & difficilia.

Anastasius Abbas alter, cujus est eruditum, sed mutilum opus adversus Judæos.

Anastasius Episcopus Nicænus, cujus sunt doctæ responsiones ad Orthodoxos, si tamen ejus sunt & non alterius, ut quidam putant.

Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus, eruditione & scientia scripturarum insignis, cui tamen quædam tribuuntur, quæ sunt alterius Anastasii Patriarchæ item Antiochini recentioris.

Angeli Caninii Anglarensis, doctæ & solidæ disquisitiones in novum testamentum ex Linguis Orientalibus.

Angelus *del Pez*, Ordinis Minorum, vir solidæ & fecundæ doctrinæ, atque eximiæ pietatis.

Angelus Manrique vir doctissimus & clarissimus, qui Annales Cistercienses summa cura conscripsit, sed desuit illi multarum rerum cognitio, quibus uberiores eos reddere potuisset.

Angelus Minorita Musicus auctor Floris Angelici.

Angela de Fulgineo in cujus spiritualibus scriptis quædam duriora sunt, quàm ferat communis usus Scholasticæ Theologiæ.

Antigonus Carystius, quem laudant Laërtius, & Athenæus, multa scripsit, nunc verò sola supersunt Collectanea historiarum mirabilium, quarum jucunda, sed sæpè fabulosa narratio est.

Antonii Magni sanctissimi Patris Monachorum Epistolæ Apostolici sensus, & spiritus, quas ex Arabico in Latinum idioma transtulit vir Cl. Abrahamus Ecchellensis Maronita.

Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconen. Juris Pontificii diligens & doctus Epitomastes, & Romanarum antiquitatum peritissimus, sed in expendenda temporum ratione, & Canonum veritate non admodum accuratus.

Antonii Dauroultii Catechismus historialis, magno labore & diligentia scriptus.

Antonius Jepez Ordinis Benedictini Chronologus in multis corrigendus.

Antonius Monchiacensis Demochares Resonæus Doctor Sorbonicus, cujus est doctissimum & laboriosum opus de sacrificio Missæ adversus Misoliturgos.

Antonius Patavinus sanctitate admirandus, cujus scripta cum solida doctrina junctam habent Christianam simplicitatem.

Antonius Perez, vir doctus, sed in Regula S. Benedicti explicanda parum diligens.

Antonii Riciardi Brixiani commentaria Symbolica, quibus arcana multa explicantur.

Anselmus Cantuariens. Archiepiscopus, cujus opera doctrina & succo plenissima sunt.

Antiochi Monachi Græci Homiliæ spirituales, sive Pandectes scripturarum stylo conciso, & eleganti.

Anthologia seu Florilegium Epigrammatum Græcorum, opus varium, in quo plura frigida, & inepta.

Annibal Rosselius Calaber, cujus est in Pimandrum Trismegisti ingens commentarium omnem ferè Philosophiam, & Theologiam complectens.

Apollodori Grammatici Bibliotheca, sive deorum genealogia compendium continens omnium fabularum.

Apollonii Rhodii Argonautica, opus laboriosum, in plerisque durum & ingratum.

Apuleius Medaurensis, Philosophus Platonicus, stylo tumido & inflato, magno tamen ingenio, & faceto.

Aratoris subdiaconi historia Actuum Apostolorum eleganti carmine explicata.

Apollinaris Episcopus Laodicenus, postea in hæresim lapsus, vir doctissimus & eloquentissimus, qui heroico carmine multa scripsit. Sunt qui illi Tragœdiam Christi patientis tribuant, sed stylus depressior est, quam sint alia ejus Poëmata.

Aponius antiquus & Latinus scriptor, Cantica Canticorum juxta sensum allegoricum exactissimè explicavit. Sed magna pars hujus operis interiit.

Ardo Smaragdus Monachus Anianæ, vir doctrina & sanctitate præclarus, Auctor Commentariorum in Regulam S. Benedicti, quæ passim tribuuntur Smaragdo Abbati S. Michaelis, quæ etiam Jacobus Pamelius perperam adscripsit Rabano Mauro.

Aristeas scripsit ad Philocratem historiam LXXII. Interpretum. Sed qui nunc extat sub ejus nomine vulgatus liber supposititius existimatur; nam Latinus multum differt à Græco, ex quo quædam Eusebius lib. 8. de Præp. Evang. Sed & Græcum à Judæo quodam Alexandrino confictum esse docet Valesius in notis ad ejusdem Eusebii hist. Eccl. lib. 5. cap. 8.

Aristoxenus Tarentinus discipulus Aristotelis, quem Suidas ait in omni disciplinarum genere excelluisse. Ejus Harmonica elementa primus edidit Joannes Meursius.

Arnobii Afri libri 7. contra gentes, variæ eruditionis, sed styli asperioris, confusi, & inæqualis.

Arnobii alterius junioris, qui paulò post S. Leonem vixisse creditur, brevissimi commentarii in Psalmos juxta mysticum sensum, id servantes ut Psalmi series omni ex parte sibi cohæreat, quod & jucundum, & ingeniosum est.

Arnoldus abbas Bonævallis, vir admodum pius & doctus, non Cisterciensis, ut quidam putarunt, sed Benedictinus. Hujus esse librum de operibus Christi Cardinalibus olim Cypriano tributum testatur Lucas Holstenius ex fide antiqui Codicis M. S. Nec officit conjectura Pamelii existimantis illius auctorem propè tempora S. Cypriani vixisse, quod scribat contra Novatianos, nam Arnoldus eosdem hæreticos redarguit, libro de 7. verbis Domini. Stylus quoque non est dissimilis ab aliis operibus Arnoldi. Inscriptio verò ad S. Cornelium Pseudepigrapha est.

Arnoldus Uvion Ordinis Benedictini laudator egregius, cui plura addi, multa etiam demi possent.

Aristoteles Stagirites Summus Princeps omnium scientiarum, cujus mores Laërtius & Tertullianus, doctrinam alii carpunt, præsertim Melchior Canus in suis locis Theologicis.

Aristenæti eroticæ & lepidissimæ Epistolæ; sed obscœnæ, & in quibus non verba rebus, sed verbis res inserviunt.

Aristophanis Comœdiæ facetæ & elegantes, sed maledicæ. Vivebat Olymp. 85.

Artemidori Daldiani liber vanissimus, sed eruditus, de somniorum interpretatione, inter cætera, quæ mendax Græcia finxit, numerandus. Vixit tempore Antonini Pii.

Archangeli Burgonovensis Minoritæ Cabalistarum obscuriora, & selectiora dogmata cautè legenda. Fuit hic discipulus Francisci Georgii Veneti, & tres etiam libros scripsit de excelllentia nominis Jesu ex nugis Cabalistarum.

Arati melioris Poëtæ, quam Astrologi Phænomenon liber unus. Vixit Olymp. 127. teste Eusebio.

Arrianus Nicomediensis Epicteti discipulus, cujus dissertationes libris octo, sermones libris duodecim scripsit, ex quibus soli quatuor supersunt: Historicus item insignis, dictus alter Xenophon, ut testatur Suidas. Vixisse creditur circa tempora Maximini.

Aristides prænomine Ælius Adrianensis omnium Sophistarum artificiosissimus.

Asterii Episcopi Amaseæ in Ponto Homiliæ dulcissimi styli, & ad effectus concitandos aptissimi.

Astrampsychi Onirocritica, olim falsò tributa Nicephoro Patriarchæ Constantinop. Ejus meminit Suidas.

Asconius Pædianus Patavinus antiquus, & doctus Grammaticus, cujus supersunt in quasdam Ciceronis orationes notæ, seu Commentarii.

Athanasius Alexandriæ Episcopus, columna Ecclesiæ, sincerus Fidei defensor.

Athanasius Kircher Fuldensis, omnium linguarum cognitione, & totius Matheseos, præsertim Musicæ scientia singulariter excultus, qui abditam Ægyptiorum, aliorumque Orientalium Philosophiam è tenebris excitavit.

Athenagoras Athenienſis, eximius Christianæ Fidei defensor adversus Gentilium calumnias. Cum verò Athenagoræ nulla sit mentio apud Eusebium, & D. Hieronymum, dubitat Baronius *in notis ad diem 18. Januarii*, an opera tributa Athenagoræ sint S. Martyris Athenogenis. Sed Proclus Philosophus relatus ab Epiphanio *hæresi* 64. *num.* 21. citat ea sub nomine Athenagoræ, ut observat Petavius.

Athenæi undequaque doctissimi libri dipnosophiston, id est de cœnis sapientum. Claruit temporibus Antonini Philosophi, & L. Veri.

Augustinus Hiponnensis Præsul, Phœnix ingeniorum, omni laude superior.

Augustini Fortunii historia sacri Ordinis Camaldulensis.

Augustinus Steuchus Eugubinus, cujus libri de perenni Philosophia solidæ pietatis, ac veræ Philo-

so-

losophiæ indices sunt, continentque medullam omnium antiquorum Philosophorum.

Aubertus Miræus vir multæ doctrinæ & eruditionis, & de Ecclesiasticis antiquitatibus optimè meritus.

Aurelius Olympius Nemesianus Poëta suavis, & venustus.

Aurelius Victor, summæ auctoritatis Historicus, qui scripta sua ex Suetonio, Eutropio, & aliis antiquioribus contexuit.

Aulii Gellii, sive Agellii, ut aliis placet, Noctes Atticæ puræ latinitatis, ac multiplicis eruditionis.

Ausonius Magnus Burdegalensis laudabilis Poeta, sed styli durioris. Hunc Victor Giselinus *in Scholiis ad lib. 2. Prudentii contra Simmachum* falsò insimulat apostasiæ à Fide Christiana ad Ethnicismum. Constat autem ex Paulino Gentilem fuisse, & quæ de Christo inter ejus opera sunt, ei perperam tribuuntur.

Audoënius Rothomagen. Episcopus, vir sanctus, & doctus Scriptor vitæ S. Eligii Noviomensis.

Averroes Summus inter Arabes Philosophus implacabilis Avicennæ æmulus, & Aristotelis commentator, à veræ sapientiæ semita sæpè aberrans.

Avicenna Arabs Medicus, & Philosophus multi nominis ad Christianam Philosophiam proximè accedens. De hujus patria & nomine, & qualiter se mutum, ac surdum simulans à celeberrimo Medico scripta surripuerit, quæ postea suo nomine edidit, jucundam historiam, nescio qua fide narrat G. Sionita è Monte Libano cap. 3. suæ Arabiæ. Vixit anno Christi 990.

B

BAcchii Isagoge artis Musicæ. Extat M. S. Romæ cum aliis antiquis Musicis in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Barberini.

Bacchiarii elegans & efficax Epistola ad Januarium de recipiendis lapsis.

Bandomia, sive Bandominia Sanctimonialis, quæ ad vitam S. Radegundis Reginæ librum addidit, quo complectitur prætermissa à Fortunato.

Bartholomæus Gavantus sacrorum Rituum cognitione celebris.

Bartholomæi Cassanæi multæ lectionis viri Catalogus gloriæ mundi.

Baptista Platina vir doctus, sed in vitis Pontificum parum verax.

Baptista Vernacia Sanctimonialis magni spiritus, & à Deo edocta.

Basilius Magnus facundia & scientia maximus.

Basilius Seleuciæ Episcopus perspicacis ingenii, & ornatæ dictionis Orator, quem notat Photius nimium tropis abundare.

Basilii alterius Junioris Monachi Asceticæ vitæ descriptio edita à Jacobo Pontano.

Basilii Imperatoris ad Leonem P. Capita exhortatoria Christiana pietate plena.

Barnabas Brissonius I. C. & Criticus judicio, & eruditione insignis.

Beda Ven. Monachus omni disciplinarum genere excellens.

Benedicti Monachorum Patris Regula sermone luculenta, discretione præcipua.

Benedictus Pererius Sacrorum librorum accuratus Interpres.

Bernardus Abbas Clarævallis Doctor mellifluus, & Theodidactus, spiritualis doctrinæ Thesaurus.

Bernardus Abbas Fontis Calidi adversus Valdenses.

Bernardus Bauhusius, qui pia & acuta scripsit Epigrammata.

Berno Augiæ Abbas, mysteriorum Missæ explanator. Scribit ipsemet lib. 2. de Officio Missæ se interfuisse coronationi Henrici II. Imp. anno 1014. ex quo patet quo tempore vixerit, contra quam alii putarunt, qui annis ducentis antiquiorem faciunt.

Berengosius Abbas, vir multæ & facundæ scientiæ.

Bernardini Sacri Ticinensis Historia varia, curiosa, & multa continens scitu digna.

Berosus Chaldæus ab Annio Viterbiensi confictus.

Bessarion Cardinalis acerrimus, Platonis defensor.

Bionis Smyrnæi Idyllia, & carmina varia.

Bonaventura, vita & doctrina Seraphicus.

Boëtius Severinus Philosophus, Mathematicus Theologus, Rhetor item, ac Poeta acutus, locuples, & sublimis: multum licet repugnante Laurentio Valla, qui docet eum latinè loqui.

Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, & Martyr, vir Apostolici spiritus.

Bonifacii Simonetæ Abbatis Cistercienſis opus eximium de Christianis persecutionibus, quod novo invento in sex libros Epistolarum divisit. Vir fuit multæ lectionis. Vixit anno 1490.

Breviaria diversorum Ordinum, & Ecclesiarum.

Brigittæ sanctissimæ fœminæ Revelationes, maturo Theologorum judicio approbatæ.

Bruno Astensis, Abbas Montis Cassini, & Episcopus Signiensis, sanctitate & doctrina insignis, cujus opera nuper edita sunt Venetiis.

Brunonis Cartusianorum Fundatoris commentaria pia, & docta in scripturam.

Brunonis Herbipolen. Episcopi, patruelis Conradi II. Imperatoris Commentaria item in scripturam.

Burchardus, sive Brochardus Episcopus Vormacien. sacrorum Canonum collector.

C.

CAllistrati Græci expositio statuarum; quem solum librum habemus ex multis, quos hujus nominis varii Scriptores ediderunt.

Callimachus Cyrenæus Hymnographus, & apud Græcos Elegiæ Princeps. Carmen ejus de coma Berenicis Latinè reddidit Catullus. Ex eo colligimus eum vixisse usque ad Ptolomæum Evergeten.

Calfurnius Flaccus declamator disertissimus.

Calfurnius Siculus Poeta, generosæ venæ bucolicus, tempore Cari Imperatoris.

Carolus Sigonius Mutinensis, vir multæ & excellentis doctrinæ, atque prudentiæ.

Cassiodorus Senator, & Regi Theodorico ab Epistolis, postea Monachus, vir gravis & solidè doctus, cujus sacræ & profanæ lucubrationes plenæ sunt jucunditatis & gratiæ.

Catharina Bononiensis mysticæ Theologiæ alumna præclarissima.

Catharina Senensis, cujus Dialogi, & Epistolæ mirabilem sapientiam pro vitæ institutione continent.

Cajus Jul. Cæsar in Commentariis purus, tersus, sine fuco, quem Quintilianus eodem animo scripsisse ait, quo pugnavit.

Cæsarii Arelatensis Homiliæ suaves & devotæ.

Cæsarius scriptor Dialogorum de fide Catholica, frater Gregorii Nazianzeni, ut ait Photius, & alii post eum; tametsi id neget Jacobus Basilius, *in orat.* 10. *Nazianz.*

Cæsarius Heisterbacensis Ordinis Cistercienſis, in Historiis memorabilibus pius, verax, & simplex.

Cæsaris Baronii Cardinalis Annales Ecclesiastici, opus ingens, & Ecclesiæ necessarium.

Cebetis Thebani discipuli Socratis Tabula, qua vitæ humanæ rectè instituendæ præcepta continentur.

Censorinus luculentus & curiosus auctor, cujus libellum de die natali laudant Sidonius Apollinaris, & Aurelius Cassiodorus.

Chalcidii in Timæum Platonis argutissima Commentaria, nisi quod dimidiam tantum partem explanat. Christianus fuit & Diaconus Ecclesiæ Carthaginensis, & hæc Commentaria Osio Cordubensi dedicavit. Extat ad hunc Chalcidium Fulgentii Planciadis liber de prisco sermone. Cæsar Vaninus in suo divinæ Providentiæ Amphitheatro Chalcidium perperam vocat, & circumforaneum blateronem admodum indignè.

Christianus Druthmarus Monachus Corbejensis trium Linguarum peritus, Evangelii secundùm Matthæum doctus Commentator, sed incultæ dictionis.

Christophorus Clavius Bambergensis, recentiorum Mathematicorum Princeps.

Christophorus Marcellus Venetus, scripsit de Anima universalis traditionis spissum volumen, quo tractatus absolutissimus continetur de Anima vegetativa, sensitiva, & rationali ad mentem Aristotelis & Platonis, stylo tamen confuso & obscuro.

Christophorus Varsevicius, Canonicus Cracoviensis, vir nobilitate, doctrina, rebusque gestis pro Catholica fide eximius.

Chromatius Aquilejensis Episcopus SS. Hieronymi & Ambrosii testimonio celebris.

Chrysippus Presbyter Hierosolymitanus, cujus extat elegans sermo de B. Virgine.

Chrysostomus Henriquez, diligens Compilator Menologii Cistercienſis, in quo tamen quædam sunt sphalmata circa Historiam, & Chronotaxim.

Claudianus Latinorum Poëtarum gloriosissimus, & si Græcis comparetur soli Homero secundus. Non tamen Christianus fuit, ut quidam putant; nam Augustinus, *lib. 5 de Civit. c.* 26. dicit eum à Christi nomine alienum fuisse: & Paulus Orosius, *lib. 7. Histor. c.* 35. eundem vocat eximium Poëtam, sed paganum pervicacissimum. Versus autem de Christo, qui ei tribuuntur, sunt Claudiani Mamerti Viennensis Presbyteri, sive Damasi Papæ, ut aliis placet.

Claudii Marii Victoris Massilienſis, Commentariorum in Genesim libri tres versu heroico eleganti. Fuisse autem secularis literaturæ quam sacrarum literarum peritiorem, judicium est Gennadii Massilienſis.

Claudius Espencæus insignis Theologus Parisiensis, sed in quibusdam cautè legendus.

Claudius salmasius Ecclesiæ Romanæ hostis, vir loquax, & veterum Auctorum Compilator.

Claudius Minoes vir multæ lectionis & eruditionis.

Claudius Seissellus ex Episcopo Massilienſi Taurinensis Archiepiscopus, scientia, eloquentia, & pietate insignis.

Clemens Alexandrinus penu scientiæ, priscorumque sapientum medullam continens.

Clemens Romanus Martyr, in cujus operibus utilia multa sunt, multa item apocrypha, & quæ tanto viro perperam adscripta censentur.

Clemens Galanus Clericus Regularis, vir de Armena Ecclesia optimè meritus, qui de ejus cum Romana conciliatione luculentum opus edidit Latino, & Armeno idiomate.

Cledonius Romanus Senator, cujus est expositio in Donati Grammaticam.

Constantius Presbyter de vita Sancti Germani.

Constantinus Cajetanus Abbas, vir eruditus, sed cum voluerit inimicitiis claresceré, multorum in se odia concitavit.

Con-

Constantino Imperatori cognomento Pogognato tributa Geoponica, sive de re rustica liber, quem collegit ex varijs Auctoribus Dionysius Uticensis, vel secundùm alios Cassianus Bassus, ut ait Vossius, *cap. postremo libri primi de Historicis Græcis.*

Constantinus Harmenopulus dignitate, & literatura illustris.

Consalvus Durantus Episcopus, qui revelationes S. Brigittæ notis illustravit.

Columbanus Abbas notæ sapientiæ & sanctitatis magister.

Cornelius Gallus Forojulienſis, mellitissimus Poëta. Sed Maximiani esse quæ vulgò ei tribuuntur, nihilque Galli ad nos perveniſſe Critici accuratiores sentiunt.

Cornelius Tacitus, vir liberi judicii & styli, prudens & acutus; sed impius quandoque, & detestandus.

Cornelius Celsus Medicus; at in illo styli facilitas, brevitas, numerus, non Medicina spectanda est. Vixit sub Tiberio.

Cornelius Jansenius, senior sacrarum Litterarum accuratus Interpres.

Cornelius à Lapide pius item & doctus Scripturarum explanator.

Colluthus Thebanus Lycopolita, Poëta præclarus de raptu Helenæ. Claruit tempore Anastasii Imp.

Columella utilis, eloquens, & politus Auctor, qui de re rustica minimè rusticè scripsit tempore Claudii Imperatoris.

Corippus Africanus Grammaticus, & Poëta sub Justino juniore Augusto, cujus laudes cecinit carmine heroico.

Cosmæ Hierosolymitani Hymni sacri & elegantes. Fuit Episcopus in urbe Majuma Constantino Copronymo imperante.

Concilia generalia, & Provincialia.

Curius Fortunatianus, cujus sunt libri tres Rhetoricæ Scholicæ, quibus hanc artem optimè expressit.

Cydonii oratio de contemnenda morte. Est autem hic Demetrius ille Cydonius Thessalonicensis, vir multæ doctrinæ & pietatis qui multa opera D. Thomæ Aquinatis in Græcum transtulit, & adversus Schisma Græcorum plura scripsit.

Cyprianus Martyr floridus, suavis, doctus, & efficax ad persuadendum. Tertullianum in quibusdam opusculis imitatus est, sed stylo clariori, & elegantiori.

Cyrillus Alexandrinus pietate, eloquentia, & acumine insignis.

Cyrillus Hierosolymitanus, cujus Catecheses Apostolicam redolent scriptionem.

D.

DAcio Episcopo Mediolanensi falsò adscriptum Chronicon ut censent viri docti.

David à Mauden, rerum moralium peritissimus.

David Origanus, cujus Astronomicæ Ephemerides valdè eruditæ sunt, in nonnullis tamen locis expurgandæ.

Demetrio Phaleræo tributus liber de elocutione Rhetoricis necessarius, qui esse creditur alterius Demetrii Rhetorici Alexandrini, ut docet Vossius, *lib. 6. institutionum oratoriarum. c. 2. sect. 2.*

Diadochi Photicensis Episcopi capita centum de perfectione docta & sublimia.

Dio Cocceius, Romanæ Historiæ scriptor elegans: sed qui morum, vel judicii pravitate insignes viros insectatur Ciceronem, Senecam, & alios. Grandi sermone & tumido utitur, ut notat Photius.

Dio Prusæus ob auream facundiam dictus Chrysostomus, orator Clarissimus, vehementia, ubertate, & varietate præstans.

Diodorus Siculus, Historicus celeberrimus, quem Plinius ait primum è Græcis esse, qui desierit nugari. Veræ tamen Historiæ fabularem initio admiscuit, & ex quadraginta libris, quos scripsit, quindecim soli supersunt. Vixit sub Augusto.

Diogenes Laërtius sedulus indagator antiquitatis, ex cujus libro de vitis Philosophorum multum proficere possunt studiosi. Sunt qui dicant eum plus studii in legendo, quam diligentiæ in scribendo adhibuisse. Floruit circa tempora Antonii Pii.

Diomedes Grammaticus multæ peritiæ in arte sua.

Dionysius Areopagita, dictus Theosophus, ut ait Hilduinus in Areopagiticis, vertex Theologorum.

Dionysius Carthusianus, doctor extaticus, pius, sapiens, & numero operum quæ scripsit, vix ulli post Augustinum postponendus.

Dionysius Halycarnassæus studiosissimus antiquitatis, utilis, & veracissimus Historicus, nobilis item Rhetor, & subtilis Criticus. Vixit sub Augusto; Librosque xx. scripsit, sed xj. soli supersunt.

Dionysius Alexandrinus sanctitate & doctrina eximius, cujus sæpè cum laude Veteres Patres mentionem faciunt Hieronymus, Athanasius, itemque Eusebius, & alii.

Dionysius Longinus Cassius mordax Criticus, & Rhetor præstantissimus, atque egregius Philosophus, Magister Porphyrii, quem Ennapius in vita Porphyrii, & ipse Porphyrius in vita Plotini valdè commendant.

Dionysius Petavius luculentus, & doctissimus Scriptor, humana & divina literatura insignis.

Dionysii Thracis Tirei Alexandrini discipuli Aristarchi docti, & antiqui Grammatici diæreses. Hunc laudant Clemens Alex. lib. 5. Strom. Plutarchus in vita Homeri, Suidas, Sextus Empyricus lib. 1. adv. Mathem. c. 3. & alii. Pleraque ejus opera extant M. S. in Bibliotheca Vaticana.

Dio-

Diophantus Alexandrinus insignis Arithmeticus, & præcipuus Algebræ Scriptor, ejusque inventor. Vixit sub Antonino, eique rectius Algebræ inventio tribuitur, quàm Gebro Arabi, ut quidam putant.

Dioscorides Anazarbensis, Medicus celeberrimus, quem secuti sunt, & transcripserunt ferè omnes, qui de simplicibus medicamentis tractant.

Dorothei Archimandritæ doctrinæ, sive sermones Monasticæ disciplinæ praxim edocentes.

Dorotheus Tyrius creditus auctor Synopsis de vita, & morte Prophetarum, quo in libro multa sunt tanto viro indigna. Sunt qui putant esse cujusdam Dorothei Abbatis Romani.

Dracontius Poeta Christianus non ignobilis de opere sex dierum.

Drogo Monachus, & Episcopus Ostiensis, pius, dulcis, & facundus.

Dungalus Monachus adversus Claudium Taurinen. Episcopum Iconoclastam.

E.

EBrardi Betunensis liber Antihæreseos, quo Valdensium sectam egregiè, & diffusè confutat.

Echberti Monachi in Sconaugia sermones adversus Catharos: iremque deprecatio ad Beatam Virginem inter opera D. Bernardi.

Ecclesiæ Lugdunensis liber de tribus Epistolis, quo quemdam Monachum subtilissimè defendit, Gotteschalcum scilicet hæreticum, cujus historiam Lud. Gellorius scripsit, ubi multa de hoc libro, ejusque Auctore.

Edmundus ex monacho Cistercien. Archiepiscopus Cantuarien. vir magnæ sanctitatis, sed simplicissimi eloquii.

Eginhardus Caroli Magni Imper. gener, deinde Monachus, & vitæ ejus Scriptor elegans, & fidelis.

Elisabeth de Sconaugia libri tres Revelationum, in quibus quædam sunt æquiori trutina examinanda.

Elias Cretensis Nazianzeni Scholiastes.

Eliæ Monachi Græci Florilegium spirituale.

Eligii Noviomensis Episcopi utiles ad populum, & ad clerum Homiliæ.

Emmanuel Bryennius Musicus Græcus peritissimus, in quo multa sunt, quæ item reperiuntur in Musica Euclidis, & Aristidis Quintiliani. Sed cum hujus ætatem ignorem, nescio quis plagium fecerit.

Emmanuel Malaxus Pellopennesius auctor Turco-Græciæ, quam Martinus Crusius Græcè & Latinè edidit.

Ennius primus inter Latinos Epicus Poëta, ingenio maximus, arte rudis, ut ait Ovidius.

Epiphanius Episcopus universæ antiquitatis Ecclesiasticæ promptuarium, sed qui in sermone Atticæ elegantiæ nitorem neglexit.

Epiphanii Constantinopolitani Epistola ad Hormisdam.

Ephræm Syri Diaconi opera spiritualem doctrinam, & cœlestem pietatem redolentia.

Epictetus Stoicus veræ Philosophiæ incomparabilis Magister, quem S. Franciscus de Sales Episcopus Gebennen. *lib. 2. de Amore Dei cap.* 18. probabile existimat ad fidem conversum in fine. Expurgandus autem est ab erroribus Stoicismi.

Eradius Presbyter, cujus sunt quidam sermones inter opera D. Augustini.

Ericius Puteanus vir admodum doctus, & eruditus.

Ermengardus contra Valdensium Sectam.

Esaias Abbas Monasticarum virtutum optimus præceptor.

Etherius Episcopus Uxamensis adversus Elipandum Episcopum Toletanum.

Evagrius Ponticus, qui opuscula quædam Ascetica, & vitas quorundam Patrum scripsit: sed hic Pelagianæ hæresis semina jecit.

Evagrius Scholasticus Ecclesiasticæ Historiæ Scriptor, res potius profanas, quam sacras pertractans.

Euclides antiquus celeberrimus, & incomparabilis Mathematicus, quem Platoni coævum plerique faciunt, sed integro ferè sæculo posteriorem ostendit Vossius de scientiis Mathematicis cap. 15.

Eucherius Lugdunensis Episcopus, quem Senecam Christianum vocant, scripsit multa: sed Commentaria in Genesim, & in libros Regum ei falsò tributa videntur, quia in his Gregorium Magnum citat, qui centum, & amplius annis post eum vixit.

Eudoxi optimi Astrologi Phænomena. Platoni æqualis fuit, ejusque vitam scripsit Laertius.

Eugippus Abbas Scriptor vitæ S. Severini Noricorum Apostoli.

Eulogii Cordubensis martyrio, & scriptis eximii Memoriale Sanctorum.

Eumenii Rhetoris elegantissima oratio pro Scholis instaurandis.

Eunapii Sardiani opus elegans, & venustum de vitis Philosophorum, & Sophistarum, in quo passim ostendit, quàm fuerit Christianis infensus.

Euripides Summus Tragicorum, quem Scenicum Philosophum vocant Sextus Empyricus, & Clemens Alexandrinus.

Eusebio Emiseno falsò tributæ Homiliæ, quarum pleræque sunt Eucherii Lugdunensis, aliæ etiam Fausti Regiensis, aliæ Cæsarii Arelatensis. Porrò Eusebium patria Phœnicem, Emesæ urbis ad Libanum Episcopum, Arianum fuisse testatur Theodoretus Dialogo 3. adv. Hæreticos, qui impatibilis inscribitur.

Eusebius Pamphili Episcopus Cæsariensis omnium antiquorum Philosophorum doctrinis excultus, atque

que insignis Historicus, & laude dignus; si Ariana hæresi non fuisset infectus.

Eusthatii Martyris Episcopi Antiocheni egregia Commentaria in Exæmeron.

Eusthatius Archiepiscopus Thessalonicensis Homeri Interpres doctissimus, acutissimus, religiosissimus.

Eutropius Historicus nec diligens, nec elegans, quem putarunt nonnulli fuisse Christianum, & discipulum S. Augustini; sed repugnant tempora, nam hic sub Juliano Apostata in Persida militavit, ut observat Vossius *lib. 2. de Histor. Latinis.*

Euthymius Zigabonus, cujus sunt elegantes, eruditi, & pressi Commentarii in scripturam. Scripsit etiam Panopliam adversus Hæreses jussu Alexii Comneni Imperatoris. Sed ex ejus tractatu contra Latinos, cujus meminit Leo Allatius lib. 2. de consensu Ecclesiæ Occid. & Orient. cap. 10. n. 5. constat eum schismaticum fuisse.

Eutichianus de pœnitentia Theophili, qui Deum, & B. Virginem scripto negaverat, *apud Surium die 4. Februarii.*

Exordium Ordinis Cisterciensis, incerti Auctoris.

F.

FAcundus Episcopus Hermanensis in Africa, vir sui nominis, cujus libri pro defensione trium Capitulorum Concilii Calcedonensis, licet malæ faveant causæ, plura tamen bona continent et lectu digna.

Fabii Paulini Urinensis libri vii. de septenario recondita Philosophia, & omni eruditione referti.

Faustus Episcopus Regiensis in Gallia, quem Regiensis Ecclesia ut Sanctum colit *die* 16. *January*, sed ejus doctrina damnata est, nam & Semipelagianorum antesignanus fuit, & nihil præter Deum esse incorporeum asseruit *Epist. 6. & 17.* satis prolixa, & insulsa disputatione. Confutat hunc errorem in libris de statu animæ Mamertus Claudianus.

Felix Ennodius Ticinensis sententiis abundans, eloquio intricatus.

Festus Pompejus Grammaticus eruditissimus, quo utiliorem lingua Latina non habet.

Ferrandus Diaconus Carthaginensis, vir excellentis doctrinæ, quem auctiorem edidit, & notis illustravit Franciscus Chiffletius è Soc. Jesu.

Flavius Vopiscus diligens, sed tenuis Historicus.

Flori cognomento Magistri Ord. S. Benedicti expositio Missæ. An hic Florus sit ille Lugdunen. Ecclesiæ Diaconus, cujus celebris memoria est apud Sirmundum in notis ad Avitum pag. 60. apud Petavium to. 1. Theol. lib. 9. cap. ult. & apud Cellotium sæpè in Hist. Gothescalci, viderint Critici accuratiores.

Franchinus Gafforius Laudensis Musicus excellens, & eruditus.

Franco Abbas Affligenensis, cujus est luculentum opus de Gratia Dei.

Franciscus Alvarez Æthiopica legatio multa continens curiosa.

Franciscus Georgius Venetus ingeniosus auctor, sed Cabalistis nimium addictus.

Franciscus Luisini Utinensis critici exquisiti Parergon libri tres.

Franciscus Perucii Pompæ funebres Italicè descriptæ.

Franciscus Petrarcha, Poëta, Orator, & Philosophus multi nominis, qui, ut ait Jovius, sepultas literas è Gothicis tumulis excitavit.

Franciscus Ribera in sacris literis explanandis disertissimus.

Franciscus Sachinus Societatis Jesu, post Nicolaum Orlandinum Historiographus accuratissimus.

Franciscus Suarez primæ notæ Theologus.

Franciscus Salesius Episcopus Gebennen. cœlesti Sapientia, & Apostolico spiritu plenus.

Franciscus Turianus rerum Ecclesiasticarum peritissimus.

Freculfus Monachus, deinde Episcopus Lexoviensis, celebris Historicus.

Frontinus prænominatus Sext. Julius, cujus est præclarum opus Stratagematicon.

Fulbertus Carnotensis, scientia, sanctitate & zelo Ecclesiasticæ disciplinæ insignis.

Fulgentius Ruspensis Episcopus stylo clarus, doctrina profundus.

Fulgentii Planciadis Grammatici Mythologiarum libri tres, utiles quidem, sed dictionis admodum tumidæ, & verbis abstrusis, atque poëticis abundantes. Hoc opus editum olim fuit sub nomine Fulgentii Episcopi Carthaginensis. Bollandus *die* 14. *January* censet esse S. Fulgentii Episcopi Astigitani in Hispania, Fratris SS. Leandri, & Isidori, qui primò fuit Episcopus Carthaginæ, unde fortassis factum est, ut Fulgentio Carthaginen. tribueretur. Sed hæc est conjectura Bivarii in Comment. ad Chronicon suppositititium M. Maximi, nam Auctor Mythologiarum est procul dubio Fulgentius Planciades Grammaticus Africanus.

G.

GAbrias Scriptor fabularum, quæ in antiquis Codicibus nomen præferunt Ignatii Diaconi. Hunc non Gabriam, sed Babriam vocat Suidas.

Gabriel Albaspinæus Episcopus Aurelianensis rerum Ecclesiasticarum scientia omni ex parte ornatus.

Gabrielis Biel literalis, & mystica Canonis

Missæ explicatio, quam tamen ipse in fine operis ingenuè fatetur se collegisse ex Magistri Eggingi de Brunsvick lectura, paucis additis & immutatis.

Gabrielis Palæoti Cardinalis laudatissimus liber de sacris, & profanis Imaginibus.

Galenus Pergamenus Medicus, & Philosophus magni nominis, in cujus scriptis intempestivas digressiones, & longas periodos damnat Photius. Erravit etiam in natura animæ rationalis explicanda. Nemo tamen plura scripsit ac majori doctrina; quare Antiqui eum æquare Aristoteli, & ipsi etiam Platoni non dubitarunt, ut indicant Alex. Aphrodisien. in lib. 8. Topic. non procul à principio, & Eusebius circa finem lib. 5. Eccles. Historiæ. Vixit sub Antonino Philosopho, & Commodo Filio.

Gaspar Barthius Criticus, & Philologus multæ eruditionis.

Gaudentius Episcopus Brixiensis, pietate & sapientia illustris.

Gemini Rhodii, qui vivebat Ciceronis ætate, elementa Astronomica.

Gilbertus Genebrardus Archiepiscopus Aquensis sacrarum literarum & linguarum peritia eminentissimus. Fuit Monachus S. Benedicti, cumque Archiepiscopatum à Gregorio XIII. adeptus esset eorum intercessione; qui à Rege desciverant, eo postea rerum potito, habita dignitate frui non potuit.

Gennadius Massilienſis, cujus est opus de Ecclesiasticis dogmatibus tributum Augustino.

Gennadius Scholarius Patriarcha Constantinopolit. lingua nitidus, & ingenio acer, qui scripsit adversus Græcos pro Synodo Florentina. Alius fuit eodem tempore Gennadius Scholarius Monachus ejusdem Synodi perpetuus hostis.

Georgius Buchananus Scotus nobilis Poëta, sed infamis Apostata, & hæreticus impiissimus.

Georgius Cedrenus Monachus Græcus, in cujus Historia si quid boni reperitur, ab aliis compilatum est.

Georgius Codinus Curopalates Scriptor exactissimus de officiis Ecclesiæ, & aulæ Constantinopolitanæ.

Georgii Nicomedienſis Metropolitæ orationes, in quibus summa pietas, & eloquentia nitet.

Georgius Pisides Diaconus, & Cartophylax Ecclesiæ Constantinopolitanæ, haud ignobilis Poëta.

Gerardus Bolga Monachus Benedictinus, cujus devotissima & serventissima opuscula edidit vir doctissimus ejusdem Ordinis Professor Gabriel Bucelinus.

Germani Patriarchæ Constantinopolitani Theoria rerum Ecclesiasticarum, & sermones elegantissimi. Cum verò plures ejus nominis ejusdem Sedis Episcopi fuerint, incertum est an uni, & cui tribuenda sint hæc scripta.

Gertrudæ sanctissimæ Abbatissæ vita, sive insinuationes Divinæ pietatis.

Gilibertus Abbas Suuinshetensis in Anglia Ordinis Cistercien. post D. Bernardum, eodem ferè spiritu Canticorum explanator.

Girardi Rufi Commentaria in Arithmeticam Boëthii Pythagoricis, & Platonicis subtilitatibus illustria, sed cautè legenda: Auctor enim, cum esset Episcopus Oleronensis in Bearnia, hæresim in ea Provincia propagavit.

Gofridus Abbas Vindocinensis, & Cardinalis, vir florentissimæ pietatis, & doctrinæ: Ex cujus Epistolis ea expungenda, quæ est ad Robertum de Arbrisselo in sancti viri dedecus conficta à Roscelino damnato in Concilio Suessionensi anno 1140.

Gorgiæ Leontini Rhetoris omniscii, sed numerorum nimium studiosi, oratio de Laudibus Helenæ.

Gregorius Nazianzenus dictus Theologus, humanæ, & divinæ sapientiæ thesaurus.

Gregorius Neocæsarienſis dictus Thaumaturgus, scriptis & miraculis admirandus.

Gregorius Nyssenus vir eloquentissimus, & omni doctrina refertus, frater Basilii Magni.

Gregorius Magnus Papa morum instructor præcipuus, & omnium virtutum Magister.

Gregorius Turonensis fidelis Historicus sed simplicioris eloquii.

Gregentii Archiepiscopi Tephrensis in Regno Homeritarum, qui olim Sabæi, disputatio doctissima adversus Hebræos.

Guerricus Abbas Igniacensis Ordinis Cistercien. suavis, pius, & abundans cœlesti doctrina.

Guido Aretinus Monachus Ecclesiasticæ musicæ decus, & facilioris methodi canendi inventor.

Guigo majoris Carthusiæ Prior, vir probatissimæ vitæ, & scientiæ, cujus est tractatus Augustino, & Bernardo tributus sub titulo Scalæ Paradisi, sive de modo orandi.

Guilbertus Tornacensis, doctus & pius Theologus Ordin. Minorum.

Gulielmus Abbas S. Theodorici Auctor Tractatuum ad fratres de Monte Dei, & de amore Dei inter opera D. Bernardi.

Gulielmus Baldesanus Theologus Taurinen. scripsit Historiam Ecclesiæ Occidentalis, quæ extat M. S. in Bibliotheca Serenissimi Sabaudiæ Ducis.

Gulielmus Budæus Græca, & Latina eruditione, legumque scientia instructissimus, qui tamen lectori sæpè molestus est variis & perpetuis digressionibus.

Gulielmi Canteri viri multarum literarum, ac summi judicii novæ Lectiones.

Gulielmus Durandus dictus Speculator, præter speculum juris scripsit Rationale divinorum Officiorum

ciorum omnibus Ecclesiasticis necessarium.

Guilielmus Eisengrenius, qui adversus Hæreticos voce & scriptis strenuè decertavit.

Gulielmus Parisiensis Episcopus, patria Arvernus, in Scripturis divinis, & doctrina morali copiosè eruditus.

Gulielmus Postellus Auctor damnatus, nugator superstitiosissimus, qui capacissimum ingenium, variaque doctrina instructum nugis suis, ac somniis multum fœdavit. Nicol. Orlandinus initio libri quinti Histor. Soc. Jesu è Tyrocinio Societatis à S. Ignatio amandatum scribit, quod spiritu erroris inflatum deprehendisset. Catholicus tamen Parisiis ætate decrepita obiisse dicitur.

## H.

HArtmannus Monachus Poëta pius, & simplex. Haymo Monachus, & postea Episcopus Halberstaten. in explicandis scripturis facilis, & accuratus.

Hebedieſu Metropolita Sobensis, cujus tractatum de Scriptoribus Chaldæis edidit Abraham Ecchellensis, & notis eruditissimis illustravit.

Henricus de Knyghton Canonicus Leycestrensis de eventibus Angliæ, inter x. Rer. Anglicarum Scritores editos à Seldeno.

Henricus Cardinalis Ostien. Juris Pontificii consultissimus. Primus omnium summam scripsisse creditur multa eruditione Canonica plenam.

Henrici Glareani Helvetii Musici eruditissimi Dodecachordon.

Henricus Harphius mysticæ Theologiæ Magister doctus, methodicus, singularis.

Henricus Spondanus Episcopus Appamiarum Baronii Epitomastes, & continuator, qui etiam librum de sacris Cœmeteriis edidit omnigena eruditione refertum.

Henricus Auctor mysticæ Theologiæ, quæ incipit *Vtæ Sion lugent*, & D. Bonaventuræ tribuitur. A quibusdam de Palma, ab aliis de Balma cognominatur. Fuit Confessarius B. Coletæ, & vir magnæ perfectionis, teste Wadingo Annalium to. 4. an. 1380. num. 25.

Heliodori patria Phœnicis, Tricæ in Thessalia Episcopi Historia Æthiopica suavissima, castissima, & sine exemplo artificiosa. Hunc tanquam Principem sequuti sunt, qui fictas Historias ediderunt, sed ut ejus artificium non sunt assequuti; ita nec modestiam sequuti sunt, non sine morum, & honestatis irreparabili detrimento.

Heraclidis (non Ponticì, qui fuit discipulus Aristotelis, sed alterius Recentioris, citantur enim in hoc libro posterioris ævi Auctores) doctissimæ Allegoriæ in Homerum.

Hermannus Contractus ex illustri Veringensium Comitum sanguine, pietate, & scientia illustrissimus; sed Chronicon ejus penè ad verbum ex Beda exscriptum est.

Hermetis Pastor, liber ab antiquis Patribus laudatus, & à S. Irenæo nomine scripturæ citatus, quamvis nunquam in Canone fuerit. Qui verò nunc extat, corruptus ab Hæreticis censetur, & tanquam Apocryphus rejicitur.

Herodianus Historicus elegans, perspicuus, copiosus, veritati ubique studens, nisi in Alexandro, & Maximino, ut Angelus Politianus, & veteres etiam Scriptores observarunt.

Herodotus Pater Historiæ, dulcis, candidus, fusus, sed quandoque fabulosus. Athenæus vocat eum maximè admirandum, & mellifluum. Hic est antiquissimus Historicorum, quos habemus, nam quæ circumferuntur Historiæ de bello Trojano, sub nomine Daretis Phrygii, & Dyctis Cretensis, fictitiæ sunt, & antiquis illis falsò attributæ.

Heribertus Roseuvidus, cujus multa eruditio, & vividum ingenium tum in aliis libris elucet, tum præcipuè in vitis Patrum, quas collegit, & illustravit.

Hervæus Dolensis in Biturigibus Monachus, qui vixit circa annum 1130. Auctor Commentariorum in Paulum, quæ S. Anselmo Cantuarien. tribuuntur. Hujus vita describitur Tomo 2. Spicilegii veterum Scriptorum, quos in lucem profert V. Cl. Lucas Dacherius Benedictinus, Epist. 58. Bellarminus & alii hæc Commentaria falsò adscribunt Hervæo Natali Magistro Generali Ordinis Prædicatorum, sed errorem detexit vero Auctore invento Philippus Labbe vir eruditissimus, & de libris ac literis optimè meritus.

Hesiodus Poeta perelegantis ingenii, & mollissima dulcedine carminum memorabilis. Quidam Homero juniorem, alii antiquiorem faciunt, sed plurium opinio est æqualem fuisse.

Hesychii Presbyteri Centuriæ de temperantia & virtute, stylo non admodum claro.

Hesychii (alteriusne an ejusdem nescio) Presbyteri Hierosolymitani, quem Isychium vocant Commentaria in Leviticum. Hic ejus Ecclesiæ Presbyter, non autem Patriarcha fuit, ut constat ex Photio, & ex Rabano *Proemio in Leviticum*, quibus consentiunt antiquæ inscriptiones in Codicibus M. SS. Addit in hanc rem alias conjecturas, Joan. Bollandus *in cap. 6. vitæ Euthymii Abbatis die 20. Januarii.*

Hieremiæ Drexelii varia opuscula spiritualia lectu dignissima.

Hierocles Philosophi in aurea Pythagoræ carmina valdè utiles ad benè vivendum Commentarii.

Hieronymus Stridonienſis vir omnium virtutum, divina, & humana eruditione orbi notiſſimus.

Hieronymus Cardanus vir doctus, & magni ingenii, ſed impius, ut conſtat ex ejus libris, præſertim exeo, quem ſcripſit de utilitate capienda ex adverſis, in quo ſceleratos ſuos mores graphicè expreſſit.

Hieronymus Emſer Suevus vir doctus, & Fidei Catholicæ tenaciſſimus, qui adverſus Lutherum ſtrenuè decertavit. Sed in vita S. Bennonis, quam ſcripſit, vellem eum abſtinuiſſe ab ethnica locutione, nam B. Virginem magnam Deam, ſanctos Deos, Clericorum collegium pſallentium Sectam vocat, & alias hujuſmodi phraſes habet viro Catholico prorſus indignas.

Hieronymi Magii ſolertiſſimi Critici Miſcellanea. Fuit hic capta Cypro in Aſiam abductus, & quod mirum eſt, ſervus hominis Turcæ libros compoſuit.

Hieronymi Mercurialis variæ lectiones, atque eruditum opus de re gymnaſtica.

Hieronymus Platus, cujus libri de bono ſtatus Relioſi ſingularem ejus doctrinam, & ſtyli elegantiam valdè commendant.

Hieronymus Oſorius vir eloquio ſuavis; ingenio, doctrina, & pietate præſtantiſſimus.

Hieronymi Rubei Scriptoris diligentiſſimi Hiſtoriæ Ravennates.

Hilarius Pictavienſis Epiſcopus doctrina, & ſtylo graviſſimus, ſed difficilis, & obſcurus.

Hilarius Diaconus, cujus ſunt Commentaria in Paulum, quæ Ambroſio tribuuntur. Hujus meminit Auguſtinus *lib.* 4. *contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap.* 4. citatque locum ex his Comment. *in cap.* 5. *ad Romanos.* Hieronymus autem *in Dialogo adverſus Luciferianos* vocat eum Orbis Deucalionem ob inductum anabaptiſmum.

Hildegardis celeberrimæ Sanctimonialis opera varia, divino ſpiritu exarata.

Hildebertus Cenomanen. Epiſcopus poſtea Archiep. Turonen. cujus Epiſtolæ dulciſſimæ, & venuſtiſſimæ ſunt.

Hildefonſus Archiepiſcopus Toletanus B. Virginis laudator devotiſſimus, ac ejus intemeratæ Virginitatis defenſor eximius.

Hildinus Abbas S. Dionyſii Pariſienſ. qui Hiſtoriam Areopagiticam, ſeu vitam S. Dionyſii ſcripſit perente Ludovico Imp.

Hincmarus Remenſis Epiſcopus doctus, ſed dubiæ famæ, dubio vitiorum, ac virtutum temperamento.

Hipparchi Bithyni veteris Aſtronomi, quem Plinius *lib.* 2. *c.* 26. nunquam ſatis laudatum dicit, expoſitio in Arati Phænomena.

Hippocrates Cous Summus Philoſophus, & totius Medicinæ parens. Natus eſt anno 1. Olymp. 80.

Horatius Venuſinus Lyricorum Phœnix, ſatyricus mordaciſſimus.

Honorii Auguſtodunenſis Gemma animæ, ſive explicatio divinorum officiorum.

Homerus Fons ingeniorum, Princeps Poëtarum.

Horus Apollo Niliacus antiquus Scriptor Hieroglyphicorum.

Hugo à S. Victore, humanis & divinis literis apprimè excultus, doctrinæ D. Auguſtini æmulator, vocatus ob id lingua Auguſtini.

Hugo Eterianus Græcè, & Latinè doctus, ſed pro ſæculi vitio non multùm elegans.

Hugo Folietenſis Monachus, Auctor librorum de Clauſtro animæ inter opera Hugonis Victorini.

Hugo Menardus Monachus, ſacra & Monaſtica eruditione, omnique literarum gloria illuſtris.

Humbertus Cardinalis Sylvæ Candidæ Epiſcopus, Latinorum rituum adverſus Græcos propugnator, nimius tamen, & minutior quam par eſſet.

Humberti Magiſtri Ord. Prædicatorum pium, & utile opuſculum de Religioſorum eruditione.

Hyginus prænominatus C. Julius Auguſti libertus nobilis Antiquarius, & fabulator.

Hyginus alter, ſive Hygenus inter Auctores Gromaticos editus à Nic. Rigaltio, qui vixit Trajani ætate, ut ipſemet teſtatur in ſuo elegantiſſimo libello.

Hyppolitus Maraccius Lucenſis, vir eruditus, & multæ pietatis erga B. Virginem.

Hyppolitus Portuenſis Epiſcopus, & Martyr, Scriptor diſertiſſimus & Apoſtolici ſpiritus.

## I.

Jacobi Alvarez pium, prolixum, & ſacris documentis pleniſſimum opus de vita ſpirituali.

Jacobus Boulduc Capuccinus, vir judicio, inventione, & doctrina egregius, ut conſtat ex ejus libris de Eccleſia ante, & poſt legem, & de oggio Chriſtiano.

Jacobus Bozius Eccleſiaſtica eruditione clarus, crucis Encomiaſtes.

Jacobi Fabri Stapulenſis, viri docti elementa muſicalia: ſed hic in fine defecit ad Calviniſtas.

Jacobus Gretzerus malleus Hæreticorum, cujus libri de Cruce omni laude digniſſimi ſunt.

Jacobus Gualterus Chronographus diligens, & hæreſum profligator.

Jacobi Gutherii de jure manium, ſive de priſto funere libri tres valdè eruditi.

Jacobi Pamelii Liturgica, & notæ doctiſſimæ in Tertullianum, & Cyprianum.

Jacobi

Jacobi Philippi Foresti Bergomatis egregium opus, quod prænotavit supplementum Chronicorum, in quo tamen nihil aliis indictum dicit.

Jacobus de Valentia Episcopus Christopolitanus Psalmorum, & Canticorum Commentator.

Jacobus de Vitriaco Episcopus Aconensis, & Cardinalis, celebris Historicus, & fervens divini verbi Declamator.

Ignatius Martyr dictus Theophorus, vir Apostolicus. Quæ ejus Epistolæ veræ sint, quæ suppositiæ, optimè Bolland. in Prolegom. ad ejus vitam.

Jamblicus nobilis Platonicus, qui de mysteriis Ægyptiorum, & de vita Pythagoræ libros scripsit, & prorrepticas ad Philosophiam orationes: sed in vita Pythagoræ multa surripuit ex ea, quam scripserat Porphyrius ejus Præceptor. De vita Pythagoræ libros vij. composuit, quorum quatuor duntaxat ad nos pervenerunt: duo priores editi sunt, duo posteriores habentur M. S. in Bibliotheca Vaticana.

Janus Durantius Casellius Criticus insignis.

Idiota pius Scriptor, cujus nomen nuper repertum est Raimundus Jordanus.

Innocentius Papa iij. stylo tenuis, doctrina sublimis.

Joachimus Abbas Ordin. Cistercienf. vir Prophetici spiritus, & scientiæ non vulgaris.

Joannes Andreas Bononiensis I. C. doctissimus.

Joannes Antonius Flaminius de vita sancti Petri Damiani.

Joannes Antonius Valtrinus, cujus est eruditum opus de re militari.

Joannes de Anania, vulgo Archidiaconus, juris Pontificii celebris Interpres.

Joannes Azorius morali litteratura instructissimus.

Joannes Baptista Donius Florentinus, qui de Musica, modisque musicis antiquis, & novis doctissimè scripsit, doctiùs scripturus, si Græca eruditione præditus fuisset.

Joannis Baptistæ Novati pium, & spissum opus de Eminentia Deiparæ.

Joannes Bollandus, cujus labor in colligendis actis Sanctorum Ecclesiæ Dei multum utilis est. Utinam vitam habeat tam prolixo operi parem.

Joannis Bonifacii Historia Virginalis de vita, & miraculis B. Virginis.

Joannis Beleth accurata explicatio divinorum officiorum.

Joannis Brodæi Critici multæ eruditionis Miscellanea.

Joannes Busæus Petri Blesensis Scholiastes.

Joannes Cassianus Monasticæ perfectionis perfectissimus Magister.

Joannes Cantacuzenus Eximperator Constantinopolitanus eximius Historicus, sed res suas nimium extollens.

Joannes Climacus, sive Scalasticus (non Scholasticus, ut quidam scribunt) sic dictus à Scala graduum perfectionis, quam luculenter descripsit gradibus triginta. Asserit tamen Matthæus Raderus in notis libri ad Pastorem Scholasticum dici debere ex Codicibus Græcis, cui consentit Philippus Labbe.

Joannes Chrysostomus vir notæ sanctitatis, & divinæ eloquentiæ theatrum.

Joannes Cochkierus Leodiensis prudens, & eruditus Politicus.

Joannes Curopalates Historicus Græcus, græco schismate infectus.

Joannes Damascenus in confessione Fidei clarus, in docendo ac disserendo subtilis. De Historiis autem, quas scriptis suis inserit, quædam notarunt Baronius, & Bellarminus, aliique Theologi.

Joannes Diaconus Scriptor vitæ S. Gregorii Magni.

Joanni Episcopo Hierosolymorum adscriptus liber de Institutione Monachorum ab aliquo Carmelita confictus, ut censet Baronius *anno* 444.

Joannes Ecchius Suevus Catholicorum dogmatum adversus Lutherum strenuus defensor.

Joannes Eusebius Nierembergius, vir pius & doctus, multitudine librorum quos scripsit omnibus notus.

Joannes Filesacus Theologus Parisiensis doctus, & eruditus.

Joannes Geometra Græcus elegans hymnographus.

Joannes Gerardus Vossius omni doctrinarum genere, atque omni eruditione mirabiliter excultus, utinam Orthodoxa fide imbutus fuisset.

Joannes Gerson Scholasticæ, moralis, & mysticæ Theologiæ professor eximius.

Joannes Goropius Becanus de Symbolica Theologia optimè meritus. De eo Scaliger ita censet, quòd in suis libris nihil aliud ostenderit, quam sibi otium superfuisse, quo abuteretur ad levia ingenia oblectanda.

Joannes Justus Lanspergius veræ pietatis instructor exactissimus.

Joannes Keplerus, de quo jure dici potest, neminem in Mathematicis ævo suo subtiliorem fuisse: at dum Physica attingit, nemo profecto ineptior. Lib. 4. Harmonic. cap. 7. ait terram magnum animal esse; & lib. de motibus Martis dicit Solem esse magnum magnetem. Pertinax etiam fuit in asserendo motu terræ, atque his paradoxis magnam suæ doctrinæ labem inspersit.

Joannis Kuchmanni Lubecensis opus eruditum de solemnitatibus Romanorum funerum.

Joannis Lorini ubertima in scripturam Commentaria.

Joannes Mauburnus exercitiorum spiritualium Scriptor nulli secundus.

Joannes Michaël Constantiensis in spiritualibus exercitiis pius, sed prolixus.

Joannes Monachus de vita S. Petri Damiani.

Joannis Moschi Monachi cognomento Evirati Pratum spirituale de vitis SS. Patrum stylo rudiori, & humiliori, ut ait Photius. Tribuitur hoc opus à quibusdam Sophronio Episcopo Hierosolymitano, cui dicatum est.

Joannes Nyder, cujus præter Formicarium est Alphabetum divini Amoris inter opera Gersonis.

Joannes Picus Mirandulanus vir ingenii portentosi, & ad omne genus literaturæ idonei.

Joannes Pineda profundus, & eruditus Divinæ Scripturæ Interpres.

Joannes Presbyter Nicomedien. de Martyrio S. Basilei Episcopi Amaseæ.

Joannes Abbas Raythu eruditione divina copiosè instructus, Climaci Scholiastes.

Joannis Reuclini, seu Capnionis, damnatæ lectionis libri de Arte Cabalistica, & de verbo mirifico.

Joannes Rosinus in Romanis antiquitatibus veterum Scriptorum sedulus excerptor.

Joannes Rusbrochius Theologus mysticus, obscurus, Magni Areopagitæ æmulator.

Joannes Savaro, cujus notæ ad Sidonium, velut Cornucopiæ variarum rerum sunt.

Joannis Sapientis Cyparissiotæ expositio elementaria eorum, quæ de Deo dicuntur, quo libro abdita continentur mysteria mysticæ, & symbolicæ Theologiæ.

Joannes Sarisberiensis Episcopus Carnotensis tempore Alexandri III. super ævi illius morem doctissimus, vir gravis etiam cum de nugis scribit.

Joannes de Sacro Bosco Anglus, cujus libellus de Sphæra primum tenet locum inter ejus generis Scriptores.

Joannis Schenckii observationum medicarum libri varii, & curiosi.

Joannes Stephanus Durantus de Ritibus Catholicæ Ecclesiæ.

Joannes Stobæus, cujus est præclarissimum, & valdè utile opus Sententiarum ab antiquissimis Scriptoribus excerptum.

Joannes Stofflerinus celebris Mathematicus de usu Astrolabii.

Joannes Taulerus Ord. Prædicatorum Theologus mysticus profundus, & cœlesti sapientia singulariter imbutus.

Joannes Trithemius doctus, & pius Auctor, sed in Historia non satis accuratus.

Joannes à Turre Cremata Cardinal. Ord. Prædicatorum Theologus, & J. C. eximius.

Joannes Tzetzes Poëta Polyhistoricus, in Chiliadibus quas scripsit sæpè stolidus, & futilis.

Joannes Xiphilinus Monachus, & postea Patriarcha Constantinopolit. Dionis Cassii abbreviator.

Jodoci Clichtovæi sacrarum literarum scientissimi Elucidatorium Ecclesiasticum.

Jodoci Coccii infinitæ Lectionis opus, quod Thesaurus Catholicus inscribitur; in quo tamen nullum statuit discrimen inter veros & supposititios Auctores.

Jonas Abbas Luxovienſis, qui multas Sanctorum vitas luculento sermone descripsit. Errat Trithemius, & alii post ipsum putantes hunc Hibernum fuisse; nam ipse se Italum asserit in Attala, & Monasterii Bobiensis alumnum: discipulus autem Columbani dictus est, quia ejus Regulam professus est.

Jonas Episcopus Aurelian. adversus Claudium Taurinensem.

Jordanus, sive Jornandes ex notario Gothorum Episcopus Ravennas, cujus liber de rebus Getarum Epitome est Geticorum Cassiodori. Stylo utitur rudi & agresti, nisi ubi ex Floro quædam transcribit.

Joseph Flavius Hebræus stylo dilucidus, amabilis, jucundus, sed in antiquitatibus parum fidelis.

Joseph Vicecomes Mediolanensis, qui de antiquis Ecclesiæ Ritibus plures libros doctè, & luculenter conscripsit. At alicubi eum errasse ostendit Leo Allatius libro de Narthece veteris Ecclesiæ.

Joseph Zerlinus recentiorum Musicorum Princeps, qui edidit Italico sermone plures libros Institutionum, & Demonstrationum harmonicarum.

Irenæus Episcopus, & Martyr, omnium doctrinarum, ut inquit Tertullianus, curiosissimus explorator.

Isidorus Hispalensis omni genere literarum excultus Junior à quibusdam vocatur, ut distinguatur ab Isidoro Cordubensi, qui vixit circa ann. 100. Cujus sunt Commentaria in libros Regum.

Isidorus de Isolanis Mediolanensis Ord. Prædicatorum præclarus suo tempore Philosophus, & Theologus.

Isidorus Pelusiota doctrinæ spiritualis non sine eloquentiæ laude Professor.

Isaaci Syri Presbyteri Antiocheni utilis, & pius liber de Contemptu mundi; sed phrases habet difficiles, & modum loquendi obscurum.

Julius Cæsar Bulengerus vir multæ antiquitatis, & plurimæ lectionis.

Julius

Julius Cæsar Scaliger eruditorum maximus, sed nimium sibi tribuens.

Julius Capitolinus Historicus, quem multi hoc nomine indignum censent.

Julius Maternus Firmicus cultus, & gravis Auctor libri de mysteriis, & erroribus profanarum Religionum ad filios Magni Constantini. Hic nondum Christianus, Genethliacorum sequutus errorem, primus fuit qui astrorum judicia Latinè fecit audiri, editis libris octo Astronomicorum.

Julius obsequens de prodigiis Auctor curiosus, elocutionis candidæ & defœcatæ.

Julii Pollucis diligentissimi, & eruditissimi viri Onomasticon. Lectore indiget erudito, nam imbuit doctis, & non docet imperitos.

Julianus Aurelius haud spernendus Auctor de cognominibus Deorum.

Juliani Archiepiscopi Toletani, viri sancti, & sapientis Prognosticon de futuro sæculo. Hic obiit æra Hispanica 728. anno scilicet Christi 690. ideò, malè confunditur cum Juliano Pomerio, qui teste Ennodio Ticinensi vivebat anno 590.

Julianus Imperator Apostata loquacissimus, & impius Scriptor.

Ivo Carnotensis Episcopus Scripturarum, & Canonum scientia illustris.

Justinus Historicus Trogi Pompei breviator stylo nitidissimus, cujus Epitome ipsi Trogo exitio fuit.

Justinus Martyr doctissimus Philosophus, & vindex Christianæ Religionis.

Justus Abbas Ordinis Cisterciensis, cujus extat luculentus sermo de Ordinis præstantia.

Justi Episcopi Urgelitani explicatio Cantici Canticorum sermone brevis, sensu profunda.

Justus Lipsius magnæ doctrinæ vir, & elegantis eruditionis apex.

Juvenalis Satyricorum Princeps.

Juvenci Presbyteri Hispani, & Poëtæ non ignobilis Evangelica Historia. Hic, ut ait Dr Hieronymus, Evangelii majestatem sub metri leges mittere non pertimuit.

## L

Lactantius Firmianus Tullianæ eloquentiæ fluvius; qui tamen plus studii posuit in destruendo Hellenismo, quam in Christiana Religione astruenda.

Latinus Pacatus Drepanus elegans Panegyristes.

Laurentius Justinianus Sanctissimus, eloquentissimus.

Laurentius Novariensis Episcopus vir disertissimus, quem quidam conjiciunt illum fuisse, qui mellifluus vocatur à Sigiberto *cap.* 121. quod Homilias ore mellito declamarit, à quo revera titulo non dissentit stylus.

Laurentius Surius nitidus Scriptor, cujus laboriosum opus de vitis Sanctorum gratius foret, & utilius, si veterum Scriptorum primigeniam phrasim retinuisset.

Laurentius à Villavicentio Hispanus Ord. S. Augustini, scripsit inter cætera libros tres multis nominibus utiles de rectè formando studio Theologico.

Lœlii Biscolæ Horarum subsecivarum opus insigne, res continens in omni Philologiæ genere excellentes.

Leander Albertus de vita B. Jordani Ord. Prædicatorum.

Leonardus Lessius Theologus subtilis ingenii, & liberi judicii.

Leontius Byzantinus adversus Eutychianos, & Nestorianos. Dubium est, an idem sit, qui Salaminius dictus est, ejus videlicet Civitatis Episcopus.

Leo Castrensis, cujus sunt doctissima Commentaria in Isaiam, ex Scriptoribus Græcis, & Latinis contra Rabbinorum deliramenta.

Leonis Hebræi Philosophi Platonici Dialogismus de Amore.

Leonis Imperatoris de re tactica utilis liber.

Leo Magnus Papa, cujus eloquentia cor afficit, penetrat, urit.

Liber de Viris illustribus Ordinis Cistercensis incerti Auctoris.

Libanius Sophista declamator mirè disertus; sed dum nimis diligens esse vult, in obscuritatem sæpè delabitur.

Lilius Gregorius Girardus multæ lectionis Philologus, & acris judicii Criticus.

Liturgiæ Apostolorum, & aliorum SS. Patrum.

Longi Sophistæ Scriptoris confusi, & Græca licentia lascivientis Pastoralia.

Lucanus Grandiloquus, & concitatus Poëta, styli inæqualis, quem Quintilianus initio libri x. oratoribus potius, quam Poëtis annumerandum censet. Alii passim Historicum non Poëtam vocant.

Lucas Holstenius Hamburgensis, vir clarissimus, singularis doctrinæ, & admirandæ eruditionis in omni genere literaturæ.

Lucas Dacherius Monachus Benedictinus in indagandis & edendis veterum Patrum scriptis diligentissimus; de Catholica Ecclesia, & de Rep literaria optimè meritus.

Lucas Vuadingus Ordinis Minorum Historiographus excellentissimus, rerum gestarum, & scriptorum gloria illustris.

Lucas Tudensis Episcopus adversus Albigenses.

Lucianus Presbyter, Scriptor Historiæ Inven-

tionis

tionis S. Stephani, in qua multa peccari circa nominum Syriacorum interpretationem observarunt ejus linguæ periti.

Lucianus Samosatenus vir doctus, & puræ, ac venustæ dictionis, sed Deorum, & hominum irrisor.

Lucifer Calaritanus, cujus lapsus notissimus est. Baronius censet eum impœnitentem obiisse, at Sardiniæ Historici, ut Sanctum laudant. Ejus libelli ex centonibus scripturarum compacti sunt.

Lucius Florus concisus, elegans, & floridus rerum Romanarum Epitomastes. Damnant in eo multi, quod in temporum ratione negligens fuerit, sitque usus stylo declamatorio potius, quam Historico.

Lucretius Carus Poëta Physicus subtilis, argutus, enucleatus, sed impius.

Luctatius, sive Lactantius Placidius Grammaticus veterum transcriptor, Statii Papinii Commentator.

Ludolfus Saxo Carthusianus de vita Christi Scriptor pius, & utilis.

Ludovicus ab Alcazar, de cujus ingenio testimonium perhibent, docta in Apocalypsim Commentaria.

Ludovicus Blosius rerum spiritualium peritissimus, qui inter cætera opuscula Speculum Monachorum edidit sub ficto nomine Dacriani Abbatis.

Ludovici Carrionis Critici elaboratissimi antiquæ Lectiones, & observationes.

Ludovicus Cœlius Rhodiginus vir reconditæ eruditionis, & multæ antiquitatis, sed durioris eloquii.

Ludovici Cresolii Mystagogus, opus varium de sacrorum hominum disciplina, ex SS. Patribus multa eruditione contextum.

Ludovicus de la Cerda celebris Criticus, Tertulliani, & Virgilii Commentator.

Ludovici de Prusia Ord. Minorum Trilogium animæ, de ejus potentiis, passionibus, & habitibus, in quo multa præclara & recondita.

Ludovicus Vives Valentinus, vir quidem doctus, sed nimium sæpe insolens, & elatus, quippè qui Augustinum docere præsumit.

Luitbrandi Ticinensis Diaconi, postea Episcopi Cremonen. Historiæ sui temporis. Liber autem de vitis Romanorum Pontificum sub ejus nomine editus, supposititius est.

Lycophron Græcorum Poëtarum obscurissimus, cujus extat sola Alexandra, sive Cassandra.

Lysidi Pythagorico tributa Epistola de dogmatibus Magistri.

M.

MAcarius Ægyptius signis, virtutibus, & scriptis clarissimus.

Macrobius Philosophus eximius, & Criticus acutissimus.

Mamertinus Panegyristes elegans, & insignis.

Manuel Paleologus Summi Princeps ingenii de regia educatione ad filium.

Maphæus Vegius Laudunensis Orator, & Poëta insignis.

Marcelli Francolini nunquam satis laudatum opus de tempore horarum Canonicarum.

Marchettus Patavinus Musicus, qui de cantu plano tractatum utilem scripsit.

Marcus Antonius Muretus Orator, & Criticus scientissimus, & Poëta non ignobilis.

Marcus Antonius Natta Astensis, non solùm Jurisprudentia, sed & scientiis politioribus excultus.

Marcus Antoninus Imp. cognomento Philosophus, cujus libri de se ipso, & ad se ipsum, olim de vita sua malè inscripti, medullam continent totius moralis Philosophiæ ex placitis Stoicorum.

Marcus Eremita, dictus Asceta, cui sanctam Communionem Angelus ministrabat. Capitula de temperantia sublimia, & difficilia sunt, & stylo diversa ab aliis ejus opusculis, quæ ab Hæreticis depravata sunt.

Marcus Gazensis Ecclesiæ Diaconus, vitam scripsit S. Porphyrii Episcopi sui, a quo Legatus ad Arcadium Imp. missus fuerat.

Marcus Manilius Poëta Astronomicus elegantissimus, sed rei Astronomicæ non admodum peritus. Joannes Rivius in vita S. Augustini hunc Christianum fuisse ait, illum videlicet cui Augustinus inscripsit librum de vita beata, quod notat Gaspar Gevartius ad Statii sylvas.

Marcus Tullius Cicero summus Philosophus, & Princeps Oratorum, typus perfectæ eloquentiæ.

Marcus Varro vir undecunque doctissimus, quem Cicero acutissimum, Augustinus acerrimum, peritissimum, & gravissimæ auctoritatis vocat.

Marianus Victorius Episcopus Ametinus D. Hieronymi studiosissimus Scholiastes.

Marius Bettinus Bononien. subtilis & ingeniosus Mathematicus.

Marius Victorinus Afer sensu profundus, dictione obscurus, durus in sententiis, & sæpe Platonizans.

Marinus Neapolites Philosophus Platonicæ sectæ, & Rhetor, ac Mathematicus eruditus.

Marinus Mersennius Ordinis Minimorum de divinis humanisque literis, deque re Harmonica optimè meritus.

Martianus Capella stylo asper, doctrina varius, de nuptiis Mercurii, & Philologiæ.

Martialis Lemovicen. Episcopi viri sanctissimi, & Apostolici Epistolæ suppositiæ à viris doctis existimatæ.

Mar-

Martialis, qui primus Epigrammata scribere docuit, acutissimus Poëta, sed obscœnitas in eo castiganda est.

Martinus del Rio, vir variæ doctrinæ, rerumque magicarum incomparabilis disquisitor.

Martinus Azpilcuera Navarrus, cujus opera omnium manibus versantur non sine ipsius laude, & legentium fructu.

Martinus Perez Episcopus Guadixensis celebris ob librum quem reliquit de divinis, Apostolicis, & Ecclesiasticis traditionibus.

Martinus Polonus Chronologus simpliciissimus, & sæpè fabulator.

Marsilii Cagnati Medici Veronens. Critici exquisitissimi variæ observationes.

Marsilius Ficinus Platonicorum decus, qui ferè solus ex Platonicis inoffenso pede percurri potest.

Matthæi Riccii Sinarum Historia elegans, & curiosa.

Maximilianus Sandæus, vir magno ingenii acumine pollens, ut patet ex ejus varia, medica, mystica, & Symbolica Theologia, aliisque tractatibus.

Maximus Martyr sublimis, fervens, & limatissimus Scriptor.

Maximi Margunii Episcopi Cytherorum Schismatici Hymni sacri Anacreontici.

Maximus Medaurensis Philosophus Ethnicus, *cujus est Ep.* 43. *Tom.* 2. *Augustini.*

Maximus Planudes humanis & divinis literis inter Græcos, qui sæculo decimo quarto floruerunt, maximè instructus, vir sanè laudabilis, nisi Græcorum schismati pertinaciter adhæsisset.

Maximus Taurinensis Episcopus summa præditus sanctitate, & eloquentia.

Maximus Tyrius Platonicorum mellitissimus, sapientia & dicendi venustate soli cedens Platoni.

Mechtildis Virginis vita, sive liber gratiæ spiritualis.

Menander Rhetor Græcus, cujus est de genere demonstrativo luculentum opusculum.

Metrophanes Smyrnæus vir doctus, sed schismaticus.

Methodius Episcopus, & Martyr, cujus sunt quidam sermones: nam Revelationes pseudepigraphæ sunt, & fabulosis scatent narrationibus.

Mercurius Trismegistus Pythagora, & Platone antiquior, ut scribit Lactantius *libro de Ira Dei*, cujus quæ extant opera quidam conficta censent, alii putant ex veris ejus operibus excerpta esse. Certius tamen est ab aliquo Gnostico confecta fuisse, antiqua tamen, nam à Porphyrio & aliis antiquioribus citantur.

Michaël Glycas Hystoriæ Byzantinæ Scriptor, à quo plurima recondita eruuntur, quamvis Historiæ leges non admodum exactè observarit.

Minutius Felix Causidicus Romanus Christianæ veritatis adversus gentes acerrimus, & perelegans assertor.

Modesti libellus de vocabulis rei militaris ex Vegetio transcriptus.

Moschi Siculi Poëtæ Græci Idyllia suavissima.

Moses Bar-cepha Episcopus Syrus, vir doctus, & profundus, sed à vera Theologia quandoque dissentiens.

Musæi Poëma de Amore Herus, & Leandri stylo politissimo.

## N

NAtalis Comes, cujus mirificum ingenium, ac multipl icem eruditionem concelebrant Mythologiarum libri ab eo conscripti.

Nemesius Episcopus Emesæ urbis in Phœnicia, scripsit librum de natura hominis olim Gregorio Nysseno tributum: disserit autem de re proposita exactissimè sed nimium Platoni addictus fuit.

Nicetas Acominatus Choniates dignitatibus, ingenio, ac doctrina illustris, Historicæ veritatis ubique studiosus, sed Latinis infensus.

Nicetas Heracliæ Metropolites Gregor. Nazianzeni Commentator.

Nicephorus Calistus Xanthopulus, Historicus Ecclesiasticus elegans, sed parum diligens, & Schismaticus.

Nicephorus Gregoras Historicus probatissimus, nisi quod ævi vitio alienus ostenditur ab Ecclesia Romana, & de se multa loquitur parum decorè.

Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, qui adversus Iconomachos strenuè decertavit.

Nicolaus Cabasilas Archiepiscopus Thessalonicens. vir doctus, sed Græco Schismate infectus. Gentianus Hervetus conatur eum excusare, sed Æthiopem lavat.

Nicolaus Caussinus Rhetor floridissimus, atque omni politiori literatura ornatus.

Nicolaus Copernicus Mathematicus multæ subtilitatis; sed novarum rerum nimium studiosus.

Nicolaus Cusanus Cardinalis, vir profundæ scientiæ, & subtilissima exercitatione limatæ.

Nicolaus Oresmius Lexoviensis Episcopus, cujus est non contemnendum opusculum de mutatione monetarum.

Nicomachus Gerasenus Philosophus Pythagoricus laudatus à Photio, cujus Euchiridion Harmonices edidit Joannes Meursius.

Nicolaus Serarius Ecclesiasticæ antiquitatis diligentissimus pervestigator, hostis Hæreticorum.

Nicolai Londani Philosophi præstantissimi de Reversione animi in cœlum Tractatus luculentus è Psalmis Gradualibus sumpto argumento.

Nicolaus Godignus de rebus Abassinorum vir clarus è Soc. Jesu. Auctor verò, quem tacito nomine reprehendit, est Ludovicus de Urreta, cujus Historia Æthiopica multis fabulis plena est.

Nilus Monachus discipulus S. Joannis Chrysostomi de interemptione Sanctorum Patrum, qui erant in Sina. Scripsit & Ascetica quædam. Plures autem fuerunt hujus nominis Asceticorum Scriptores, sed quæ singulis opuscula assignari debeant, mihi certò non constat.

Nonius Marcellus Grammaticus, ob crebra, quæ apud ipsum extant veterum fragmenta, quæ alibi non reperiuntur, expetendus, alioquin nec eruditione, nec judicio laudabilis.

Nonni Panopolitæ Poëtæ Græci felicissimi, ac mirabilis genii Paraphrasis in Joannem, & Dionysiaca.

Notkerus Balbulus Monachus S. Galli. Othonis Magni Nepos, cujus antiquum Martyrologium edidit Canisius.

## O.

ODo Abbas Cluniacensis doctrina, & pietate celebris, qui Commentaria B. Gregorii in Job brevi coarctavit volumine, & alia quædam scripsit lectu digna.

Oecumenius Auctor catenæ Græcæ veterum Patrum in plerosque libros novi Testamenti.

Ogerius Abbas Lucedii, quod est Cœnobium Ord. Cistercien. in Diœc. Vercellen. Auctor 15. sermonum de Cœna Domini inter opera D. Bernardi, cui synchronus fuit, ut constat ex veteri Cod. M. S. Abbatiæ Stafardæ ejusdem Ordinis, qui nunc est Taurini in Bibliotheca Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ. Extat in Menologio Cistercienſi die 10. Septembris, & in Monastico Martyrologio Hugonis Menardi. At hic cum Oglerum vocat: alii Occlesium.

Oliverii Bonartii viri docti de Horis Canonicis libri tres.

Olympiodori Monachi succincta, & accurata enarratio in Ecclesiasten, juxta triplicem sensum.

Onosandri Platonici Strategicus, sive de Imperatoris militari institutione.

Onuphrius Panvinius Veronensis vir ingentis lectionis, rei antiquariæ sacræ, & profanæ peritissimus.

Oppiani Cilicis Poëtæ absolutissimi Cynegetica, & Halieutica.

Ordo Romanus, quo veteres Romanæ Ecclesiæ ritus explicantur. Liber est valdè antiquus, nam cum citant Amalarius & Albinus Flaccus; sed qui editus est posterioris ævi ceremoniis abundat, quod omnibus ritualibus libris contingit, cum a recentioribus transcribuntur.

Oracula Sybillina octo libris comprehensa, quæ tamen supposititia à viris doctis existimantur, abest enim ab illis oraculorum majestas, & nimis clarè fidei nostræ mysteria describunt.

Origenes Adamantius à D. Hieronymo Chalcenterus dictus, id est habens ærea intestina, rarum sapientiæ Sydus, atque utinam non caducum. Dum enim fastidit literam, Historiam penè omnem in allegoriam vertit; & dum sublimiora sectatur, corruit in profundum.

Orientii Episcopii Illiberitani commonitorium morale versu Elegiaco elegantissimo; sed mutilum in fine.

Orphæus Poëta Epicus, mysticus, Physicus, & Hymnographus.

Osbertus Monachus Cantuarien. Scriptor vitæ SS. Elphegi, & Dunstani Archiepiscoporum.

Ottomari Luscinii Musici præclarissimi Musurgia.

Otho Monachus Molismensis auctor vitæ S. Roberti primi Abbatis Cistercienſis.

Ovidius Poetarum copiosissimus, & ingeniosissimus, Elegiacorum Latinorum Princeps, cui Seneca *controv. 5. lib. 9.* Battologiam objecit.

## P

PAchomii Abbatis Sanctissimi Monachorum Magistri Regula, quam Angelo dictante scripsisse dicitur.

Palladii Monachi Galatæ Historia Lausiaca, seu vitæ Patrum ad Lausum. Fuit autem Palladius Episcopus Helenopolcos Pelagii, & Origenis fautor.

Palæphati Ægyptii, seu verius Athenienſis, ut ex Suida colligitur, Mythologi perantiqui liber Historiarum incredibilium, sive de non credendis fabulosis narrationibus.

Pappus Alexandrinus celebris Mathematicus, cui Musica Euclidis à quibusdam eruditis adscribitur. Ejus sunt item Commentaria in libros Harmonicorum Ptolomæi Porphyrio adscripta, nam hic scripsit in quatuor tantùm prima capita, ut constat ex antiquo Codice M. S. Bibliothecæ Vaticanæ.

Paschasius Diaconus Cardinalis, qui de Spiritu Sancto luculentissimos edidit libros Magni Gregorii testimonio celebres *l. 4. Dial. cap. 4.* Verùm qui nunc extant editi sub ejus nomine in M. S. Bibliothecæ Vaticanæ nomen præferunt Fausti Regiensis, cui etiam eos tribuebat P. Sirmundus.

Paschasius Ratbertus Abbas Corbeiensis, vir in divinis Scripturis valdè eruditus, secularium literarum non ignarus.

Paulinus Episcopus Nolanus, sanctitate, & scientia eminens; sensu, & eloquio sublimis. Sed ævi vitio modulum syllabarum in versibus sæpe neglexit.

Paulus

Paulus Æmilius Hiſtoricus elegans, & diſertus, ac teſte Lipſio omnium Recentiorum præclariſſimus.

Paulus Emiſenus, cujus extant doctæ quædam lucubrationes in Actis Concilii Epheſini.

Paulus Oroſius, quem Gelaſius Papa virum eruditiſſimum appellat, SS. Hieronymi, & Auguſtini amicitia clarus; ejus Hiſtorias caſtigat Scaliger circa temporum rationem in animadverſionibus Euſebii.

Paulus Manutius vir copia, ſcientia, eruditione, & elegantia ſummus.

Pauli Sherlogi eruditiſſima, & acutiſſima Commentaria in Cantica Canticorum.

Paulus Riccius Cabaliſta ex Judæo Chriſtianus, cui nigrum Theta Romanus index præfixit.

Pauſanias minus quidem facundus Scriptor, ſed ob rerum copiam, & Hiſtoriarum varietatem utiliſſimus.

Pelagius Diaconus citari ſolet in libro de doctrina, vita, & perfectione SS. Patrum, cujus non Auctor, ſed Interpres fuit.

Perſius acutus Satyricus, ſed obſcurus. Stylum enim magnificum affectans, crebriſque, & audacibus tranſlationibus utens in obſcuritatem frequenter labitur. Naſcitur etiam obſcuritas ex ignorantiâ. Scribit ille quæ ſuo tempore ſervis & tabernariis notiſſima erant, quæ quia nobis ignota nunc ſunt, plena myſteriorum arbitramur.

Petronius Arbiter puriſſimæ latinitatis impuriſſimus Scriptor.

Petrus Abailardus D. Bernardi celebris Antagoniſta, cujus opera nuper è tenebris prodierunt.

Petrus Antonius Spinelus, cujus eſt præclarum opus de Laudibus, & cultu B. Virginis.

Petri Aron Florentini Harmonicæ Inſtitutiones.

Petrus Babyon, ſeu de Babyone Anglus, Auctor Commentariorum in Matthæum, quæ ſub nomine S. Anſelmi circumferuntur. Vivebat hic an 1300. fuitque Poëta, & Rethor elegantiſſimus, ut aſſerunt Catalogi Scriptorum Angliæ.

Petrus Bleſenſis Archidiaconus Bathonien. libertate ſpiritus in ſcribendo eximius, & normam viyendi Eccleſiaſticis præſcribens.

Petrus Bongus Platonica, & Pythagorica diſciplina optimè inſtructus, ut ejus liber de myſteriis numerorum oſtendit.

Petrus Caniſius vir peracris judicii, & ſolidæ pietatis.

Petrus Cellenſis Abbas panem Cœleſtis doctrinæ libro de panibus aliiſque opuſculis abundè ſubminiſtrans.

Petrus Chryſologus ex aurea ingenii, & eloquentiæ ubertate id cognomen aſſecutus. Familiares illi ſunt congeminationes, & periodorum conformationes.

Petrus Comeſtor, dictus Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ, quam ex libris ſacris potiſſimum texuit, itemque ex profanis; ex quibus incertas Hiſtorias aliquando admiſcuit.

Petrus Damianus ex Monacho Cardin. vir optimi ſenſus, & aureæ facundiæ, quem fuiſſe Canonicum Regularem abſurdo errore aſſerit Joannes Trullus, eum ſcilicet confundens cum Petro Portuenſi Canonico Reg. qui vixit eodem tempore. Utrumque commemorat Hieron. Rubeus lib. v. Hiſt. Raven. rectè obſervans quantum inter eos diſcriminis ſit. Porrò Damianum ob zelum Eccleſiaſticæ diſciplinæ alterum Hieronymum dictum eſſe notat Baronius in Martyrologio ad diem 9. Novembris.

Petrus Diaconus Caſſinenſis, cujus pleraque opera nondum impreſſa ſunt; præſertim Commentar. in Regulam S. Benedicti. Habet quædam ejus opuſcula Jo. Baptiſta Marus S. Angeli in foro piſcario Canonicus, vir doctus, & antiquorum Patrum ſtudioſiſſimus.

Petri Dorlandi Carthuſiani Chronicon ſui Ordinis, quo res præclarè in eo geſtas explicat.

Petrus Faber J. C. nominatiſſimus, penu omnium ſcientiarum.

Petrus Galatinus Ord. Minorum Theologus inſignis, qui tamen librum de arcanis Catholicæ veritatis adverſus Hebræos majori ex parte tranſcripſit ex pugione fidei Raimundi Martini Ord. Prædicatorum.

Petrus Gregorius Tholoſanus utriuſque juris, & omnium ſcientiarum peritia magnus.

Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſien. Theologiæ compilator, dictus Magiſter Sententiarum.

Petrus Mauritius dictus Venerabilis, Abbas Cluniacen. vir ſanctus, verborum venuſtate placens, & ſententiis gravis.

Petrus Montius, ſive de Monte, Philoſophus multæ & reconditæ doctrinæ, ſed confuſus aliquando, & obſcurus.

Petrus Nonius non ignobilis Mathematicus, cujus eſt egregius liber de crepuſculis.

Petrus Pilichdorfius, qui ſectam Valdenſium docto volumine confutavit.

Petrus Pithœus omnium bonarum artium ornamentum, & vindex antiquitatis.

Petri Pontii Parmenſis de re Muſica Dialogi praxim ejus edocentes.

Petrus Roverius, qui Reomaënſis Monaſterii Hiſtoriam edidit, & illuſtravit.

Petrus Tyræus Noveſius rerum reconditarum cognitione conſpicuus.

Phalaridis Agrigentinorum Tyranni Epiſtolæ

verbis conciſæ, ſententiis locupletes, ſi tamen veræ ſunt, & non ab aliquo exercitii gratia confictæ.

Phœbadii Epiſcopi Agennenſis in Gallia liber ſingularis adverſus Arianos. Alii Sebadium vocant, ejuſque laudes celebrat *lib.* 2. *Hiſtor.* Severus Sulpitius.

Phœdrus Thrax Auguſtini Cæſaris libertus, fabularum, quas, ut ipſe ait initio lib. v. auctoritatis gratia Æſopicas nuncupavit, libros quinque conſcripſit jambicis verſibus cultiſſimis & elegantiſſimis.

Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus hæreſum profligator: quædam tamen tanquam hæretica reſpuit, quæ talia non ſunt, ut quod ſtellæ ſint cœlo infixæ.

Philippus Abbas Bonæ Spei, pius & doctus, ſed dicendi genere ſingularis, quippe qui clauſulas ſimiliter deſinentes ubique affectat.

Philippus Beroaldus vir ſummus ſuo ſæculo, ſed audax, & in quo judicium ſubindè deſideratur.

Philippus Claræ-vallenſis de miraculis S. Bernardi.

Philippus Cluverius vir ſingulariter eruditus, de antiqua & nova Geographia optimè meritus.

Philippus Labbe Soc. Jeſu, vir infinitæ lectionis, & eruditionis, atque acerrimi judicii in veterum ſcriptis recenſendis.

Philo Carpathiorum Epiſcopus à S. Epiphanio ordinatus, cujus Commentario in Cantica Canticorum inſerta ſunt quædam ex S. Gregorio Papa, quæ ideò cum reliquis malè cohærent.

Philo Judæus Platonis æmulus, vir omnium conſenſu doctiſſimus.

Philoſtrati juxta Suidam ſenioris, juxta alios junioris, Heroica, Icones, & vitæ Sophiſtarum floridiſſimo, ſuaviſſimo ſtylo.

Philoſtratus Lemnius in vita Apollonii Thinæi fabulator, & mendax, ſed ſermo ejus melle dulcior fluit.

Philotheus Patriarcha Conſtantinopolit. facundus Orator, ſed Schiſmaticus pervicaciſſimus.

Phocas antiquus Grammaticus, à quo Grammaticam ſuam magna ex parte mutuati ſunt Ælius Antonius Neoriſſenſis, & Joan. Deſpauterius.

Phornutus, vel Cornutus, Græcus Auctor, cujus eſt liber de natura Deorum, ſive ut Chriſtiani veteres inſcripſerunt, de Græcanica Theologia.

Photii Pſeudopatriarchæ Conſtantinopolitani Bibliotheca, quæ infinitam ejus lectionem, & acerrimum judicium demonſtrat: ſed hic homo perditus fuit, & primus auctor Schiſmatis Græcorum: ingenii vafri, verſipellis, & ambitioſi.

Pierius Valerianus Hieroglyphicorum accuratiſſimus collector & illuſtrator.

Pindarus Lyricorum Princeps inimitabilis.

Plato ſapientiæ Antiſtes, Philoſophorum Antecignanus, quem tamen dolet Tertullianus, *lib. de Anima cap.* 23. omnium hæreticorum condimentarium factum. Multa quoque congerunt adverſus eum Athenæus, *lib.* 11. *Dipnoſoph.* & ex recentioribus Jo. Bapt. Criſpus. *lib de Platone cautè legendo.* Ejus elocutionem ſeverè exagitat Dionyſius Halycarnaſſeus, laudat autem M. Tullius.

Plautus decima muſa, Romanæ linguæ lex, omnium leporum pater.

Plethonis Scholia in magiam Zoroaſtris. Hic Georgius Gemiſtus prænominatur, & in Concilio Florentino pro unione Eccleſiæ multùm laboravit.

Plinius major vir ſingularis doctrinæ & ſtyli, ſed non eſt ubique ſui ſimilis.

Plinius junior, cujus Panegyricus & Epiſtolæ omnibus numeris abſolutæ ſunt miſcentes utile dulci. Sed in Panegyrico nimia quandoque prolixitate aggravat animum legentis.

Plotinus Platonicus profundiſſimus, & à populari captu omninò disjunctus. Genus dicendi ſectatus eſt horridum, & incultum, verborumque ac ſententiarum obſcuritate perplexum.

Plutarchus compendium eruditionis, prudentiæ theſaurus, totius Philoſophiæ Venus, ac lyra, ut de eò ſcribit Eunapius. Libri autem de Placitis Philoſophorum alteri Plutarcho recentiori tribuuntur.

Pœnitentiale Romanum, ex quo apparet Eccleſiaſticæ diſciplinæ quanta olim ſeveritas fuerit.

Poliæni ſtratagemata militibus utilia, arguta, & curioſa.

Polybius Megalopolitanus Hiſtoriæ Romanæ Auctor vetuſtiſſimus, civili prudentia, & ſcientia militari nulli ſecundus; qui duplici fungitur munere Hiſtorici & Philoſophi, narrans, & docens.

Polidorus Ripa J. C. qui luculentum tractatum ſcripſit de Nocturno tempore.

Polidorus Virgilius non contemnendæ literaturæ homo, ſed in libro de inventoribus rerum ſæpe futilis, & mendax eſt.

Pomponius Mela, cujus libellum de ſitu orbis ſtyli elegantia, & brevitas toti orbi commendant.

Porphyrius Philoſophus Chriſtianæ fidei deſertor, ut aſſerit Auguſtinus, *lib.* 10. *cap.* 28. *de civit. Dei*, quem Theodoretus, *lib.* 3. *adv. Græcos* fautorem mendacii, & Cyrillus *lib.* 2. *cont. Julian.* patrem calumniarum vocant. De hujus vita & ſcriptis diſſertationem eruditiſſimam edidit V.CL. Lucas Holſtenius.

Poſſidippus Græcus Poëta cujus in Anthologia quædam ſunt Epigrammata. Mentionem ejus faciunt

ciunt Clem. Alexandrinus *in Protreptico*, Arnobius, *lib. 6.* & Stephanus *de Urbibus*.

Possidius Afer Episcopus Calamensis, qui malè quibusdam est Possidonius, Scriptor vitæ S. Augustini.

Pothonis *P*resbyteri *P*rumiensis libri pii, & ingenioſi de ſtatu domus Dei, deque magna domo ſapientiæ.

Priſcianus Cæſarienſis Grammaticus, omnium ſui generis *P*rinceps ſcriptor.

Primaſius Epiſcopus Uticenſis, ſive Adrumetinus, in Africa, cujus ſunt Commentaria in D. Paulum ſtylo dulci, & temperato.

Proclus Lycius *P*hiloſophus Platonicus, Mathematicus, & Poëta, hoſtis Chriſtianorum. Quæ & quanta ſcripſerit docet Suidas. Voſſius lib. de ſectis Philoſophorum non Lycium, ſed Siccenſem fuiſſe ait.

Proclus primo Cyzicenus Epiſcopus, poſtea Patriarcha Conſtantinopolit. unus de antiquis Eccleſiæ *P*atribus, æqualis Cyrillo Alexandr. qui ipſum egregiè laudat.

Procopius Gazeus Sophiſta ſacræ Scripturæ Commentator magis ex aliorum laboribus, quam ex proprio ingenio.

Procopius Illuſtrius Cæſarienſis verax Hiſtoricus, ſtyli mediocris. Vixit Juſtiniani temporibus Beliſario à ſecretis.

Propertius *P*oëta dulciſſimæ venæ.

Proſper Aquitanicus acerrimus fidei defenſor in ſcribendo accuratus, ſive ſoluta, ſive ligata oratione loquatur. Sirmundus in notis ad Sidonium Apollinarem conſtanter negat hunc Epiſcopum fuiſſe. Imò laicum fuiſſe & uxoratum docet Philippus Labbe.

Prudentius *P*indarus Chriſtianus, dulciſſimus, & prudentiſſimus Chriſti vates.

*P*ſellus nobiliſſimus, & diſertiſſimus *P*hiloſophus, & Theologus. Quis autem hic fuerit, & quæ ſcripſerit, docet vir doctiſſimus Leo Allatius in diatriba de *P*ſellis.

Ptolomæi Alexandrini, ſeu veriùs *P*eluſiotæ libri tres Harmonicorum. Hos autem libros non eſſe hujus Ptolomæi Geographi & Aſtrologi, ſed alterius Ptolomæi *P*hiladelphi recentioris *P*hiloſophi Pythagorici aſſerit Joannes Meurſius in notis ad Muſicam Nicomachi Geraſeni.

Publii Syri Mimographi graves, & elegantes ſententiæ.

Pythagoræ ſapientiſſimi *P*hiloſophi aurea Carmina, ſi tamen ejus ſunt, & non potius *P*hilolai, vel Lyſidis. Nihil enim quod verè *P*ythagoræ ſoret extare tum Joſeph in Antiquitatibus, tum Rufinus adverſus D. Hieronymum, aliique recentiores affirmant.

Q.

QUintilianus Ariſtides Muſicus Græcus excellentiſſimus.

Quintiliani Senioris acutiſſimæ declamationes.

Quintilianus Junior Auctor Oratoriarum Inſtitutionum, optimus dicendi artifex.

Quintus Curtius terſus, & perſpicuus Hiſtoricus, acutus in ſententiis, in orationibus mirè diſertus.

Quinti Calabri, ſive Cointi Smyrnæi ſuaviſſimi ſtyli *P*aralipomena, ſive prætermiſſa ab Homero.

R.

RAbanus Maurus ex Abbate Fuldenſi Archiepſcopus Moguntinus æquè doctus, ac pius, ligata & ſoluta oratione excellens. Artificioſum valdè eſt ejus *P*oëmation Iſogrammaticum de laudibus S. Crucis.

Rabbi Abraham Sepher Jetzirah, id eſt liber Creationis Magno Abrahamo *P*atri Credentium, ſolemni mendacio à Cabaliſtis attributus.

R. Abraham Aben Eſra inter magiſtros ſuæ gentis nominatiſſimus. Scripſit in totum vetus Teſtamentum.

R. Akiba Commentarius in librum Jetzirah, quem ipſe ſcripſiſſe dicitur, & Abrahamo ſuppoſuiſſe.

R. David Kimchi celebris Hebræorum Grammaticus.

R. Elieſer Auctor libri Berachot, id eſt Benedictionum.

R. Jacob Cohen explicatio libri Jetzirah.

R. Joſeph Caſtilienſis Cabaliſta, cujus eſt liber Nucum, & porta lucis.

R. Iſaac explanatio nominis ſancti.

R. Juda, qui ab Hebræis Rabbenu Hakados, id eſt Magiſter noſter ſanctus nuncupatur, vir magni nominis inter ſuos, Auctor Miſchnæ, quæ eſt quaſi ſecunda lex, qua utuntur Hebræi.

R. Moyſes Ægyptius, qui doctiſſimum librum conſcripſit More Hanevochim Ducem dubitantium, de dubiis perplexis veteris Teſtamenti ſtylo difficili, & ſcholaſtico. *P*atriam habuit Cordubam, ſed dictus eſt Ægyptius, quia in Ægypto habitavit. *P*rimus fuiſſe videtur, qui inter Judæos deſierit nugari; ideò à ſuis celebratur hoc dicto: A Moyſe (Legis latore) uſque ad moyſen (hunc ſcilicet dictum Maymonidem) nemo fuit ſicut iſte Moyſes.

R. Simeon Ben Joachai Auctor libri Zoar, quo fundamenta ponuntur vanæ artis Cabaliſticæ.

Radulphus Ardens ferventiſſimus concionator.

Radulphus Glaber Monachus, Hiſtoriarum ſui temporis accuratiſſimus Scriptor, quem Baronius, & alii meritò reprehendunt, quod velit Romanum

manum Pontificem, nihil posse extra suam Diœcesim.

Radulphus de Rivo Decanus Tungrensis tenacissimus antiquitatis in divinis officiis, ut constat ex ejus libro de Canonum observantia.

Raimundi Martini Ordinis Prædicatorum Pugio fidei adversus Mauros, & Judæos, liber aureus, post quatuor sæcula è tenebris erutus, & novissimè impressus Parisiis cum variis, & doctissimis observationibus eximii viri Joseph Voisin Burdegalen. ex quo Galatinus, ut supra dixi, optima quæque in sua arcana transtudit, suppresso penitus auctoris nomine.

Raimundi de Sabunde Theologia Naturalis valdè ingeniosa, praxim continens Artis magnæ Raimundi Lulli. Adrianus Turnebus dicebat hunc librum esse quintam essentiam D. Thomæ.

Rampertus Episcopus Brixiensis S. Philastri Encomiastes in libro de ejus translatione.

Ratramni Corbejensis Monachi contra Græcorum opposita libri IV. edito to. 2. Spicilegii à V. CL. Luca Dacherio.

Raphael Volaterranus, vir multæ industriæ ac doctrinæ, ac veterum Auctorum laboriosissimus excerptor, qui inter cætera ingenii sui monumenta reliquit libros 38. urbanorum Commentariorum, quibus omnia comprehendit.

Ratpertus Monachus, Poeta pius, & simplex.

Remigius Antissiodorensis Monachus, cujus est in Prophetas minores luculenta enarratio miram brevitatem cum perspicuitate complectens.

Rhegino Abbas Prumiensis non inut ilis Historiographus.

Richardus à S. Laurentio probæ notæ Auctor, B. Virginis eximius laudator, stylo simplici.

Richardus à S. Victore, vir scientia cautus, lingua disertus, divinæ contemplationis subtilissimus Magister.

Richardus Pampolitanus Anglosaxo Eremita, pius Scriptor.

Robertus Bellarminus Cardinalis omni scientiarum genere excultus, & summa imbutus pietate.

Roberti à Flud. Oxoniensis Eterodoxi inanis subtilitatis opera, nimirum utriusque Cosmi Historia, Philosophia Mosaica, & alia; quibus meritò Græcum proverbium convenit, magnus liber, magnum malum.

Roderici Episcopi Zamorensis speculum vitæ humanæ omnium statuum bona & mala optimè repræsentans.

Ruffinus Aquilejensis non minima pars Doctorum Ecclesiæ, ut ait Gennadius, vir elegantis ingenii, D. Hieronymi quondam amicissimus, postea adversarius, de quo extat Censura Gelasii Papæ, *cap. Sancta Romana, distinct.* 15.

Rupertus Abbas Tuitiensis pietate eximius, eloquio nitidus, sensu profundus: erravit tamen circa Sacramentum Eucharistiæ errorem astruens impanationis, ut Ballarminus observat, & ex scriptis ejus manifestum est.

Ruricius Lemovicensis Episcopus, cujus extant Epistolæ elegantes, & artificiosæ.

Rustici Cardinalis disputatio contra Acephalas. Hic autem damnatus fuit sub Vigilio Papa ob pertinacem trium capitulorum defensionem.

Rusticus Helpidius V. C. & exillustris Boetii æqualis, qui summatim tribus versibus heroicis, pleraſque Historias utriusque Testamenti non sine acumine, & venustate complexus est.

Rutilius Numantianus Gallus egregius Poeta, nisi quod Christianis, præsertim verò Monachis, iniquus est.

S.

SAlonius Episcopus Viennensis in Gallia, qui proverbia, & Ecclesiasten mysticè explicavit. Hunc fuisse Episcopum certum est, sed an fuerit Viennen. dubitat Baronius an. 441.

Salvianus Presbyter Massilienſis, cultus, ac pius Auctor. novus sui temporis Hieremias.

Sallustius Græcus Philosophus Cynicus, Auctor doctissimi libelli de Diis, & Mundo.

Sallustius Historicus admirandus, florentissimæ brevitatis artifex; cujus dictionem Asinius Pollio damnabat tanquam obscuram, & in translationibus audacem: ab Augustino autem *lib. de vita beata*, electissimus verborum pensator nuncupatur.

Sanctes Pagninus Hebraicarum literarum, & divinæ Scripturæ peritia insignis.

Sapho Lesbia suavissima in Lyricis Poetria.

Saxo, Grammaticus vividus, & elegans Historicus, sed fabulator quandoque, & subleſtæ fidei.

Sebastianus Foxius Morxillus Platonis Interpres doctus, nobilis, sine labe.

Secundi Athenienſis Sophistæ, quem Suidas crasso errore confundit cum Plinio Secundo, aureæ sententiæ.

Sedulius florentissimus Scriptor, & optimæ, ac Christianæ venæ Poeta.

Seneca Sapientiæ fons, ac virtutis studio penè Christianus, expurgandus tamen ab erroribus Stoicorum.

Seneca Junior Tragœdus tersus, & gravis; sed ei tributæ Tragœdiæ non unius Poetæ sunt. Octaviam censent nonnulli L. Flori esse, cujus est Epitome Rerum Romanarum, qui adoptione dictus est Annæus Seneca.

Sergius Hieropolitanus Christianus, & disertus Orator.

Servius Honoratus celebris Grammaticus, & Virgilii Commentator.

Severi

Severi Rhetoris, & Poëtæ Christiani carmen Bucolicum.

Severianus Cabalensis Episcopus antiquus, & eloquentissimus Scriptor, sed ob æmulationem S. Joannis Chrysostomi minus secundam posteritatis famam meruit, ut ait Petavius in Rationario.

Sexti Empyrici subtilissimi Philosophi, Plutarchi ex sorore Nepotis, libri admirabiles adversus Mathematicos, & Pyrrhoniarum hypotyposeon.

Sidonius Apollinaris Arvernorum Episcopus, vir acris ingenii, & cothurnatæ eloquentiæ, sed stylo duro & obscuro ob corruptum à Gothis sæculum.

Sigibertus Gemplacensis Monachus, utilis, & laudabilis Historicus, nisi quod Gregorio VII. iniquior fuit, & in gratiam Imperatoris multa mentitus est.

Silius Italicus Orator verius, quam Poëta, qui, ut ait Plinius, carmina scripsit majore cura, quam ingenio.

Simplicius magnus Philosophus, Platonis, & Aristotelis conciliator, ac utriusque sectator, & Epicteti Stoici Commentator. Non tamen Christianus fuit, ut quidam perperam existimarunt.

Simeon de Cassia vir admodum pius, & fervens, cujus est insigne opus de gestis Domini Salvatoris.

Simeon Metaphrastes vir Sanctus Sanctorum vitas descripsit, in quibus quid observandum sit docent Bellarminus de script. Ecclesiasticis, & Baronius sæpe in Annalibus. Bollandus tamen cum severiori censura immeritò perstrictum ait in præf. generali ad Acta Sanctorum cap. 1. §. 3. Vixit tempore Leonis Filii Basilii Macedonis.

Simeonis Præpositi Monasterii S. Mamantis, quem Græci novum Theologum post Nazianzenum vocant, orationes & opuscula sanctis documentis plenissima. Sunt qui hunc confundant cum Simeone Metaphraste, sed ex hujus scriptis colligitur ipsum vixisse annis circiter CCL. post Metaphrastem.

Simeon Wangnereck è Soc. Jesu vir doctus & pius, qui pietatem Marianam Græcorum ex eorum Menæis luculenter exscripsit.

Smaragdus Abbas divinæ scientiæ lumine imbutus, qui cum S. Ardone Smaragdo à plerisque confunditur.

Socrates Constantinopolitanus Ecclesiasticæ Historiæ scriptor, Hæreticus Novatiacus, quem Photius ait nec stylum splendidum habere, nec in dogmatibus esse accuratum.

Solinus Polyhistor Plinii transcriptor sæpè dormitans, qui tamen Plinii curæ quædam adjecit.

Sophoclis Tragœdiæ graves, acutæ, sublimes. Divinum Poëtam vocat Cicero 2. de Divinat.

Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, cujus elegans & declamatorium ingenium in variis, quas scripsit, orationibus elucet.

Sosipater Charisius doctus, & antiquus Grammaticus.

Sozomenus Salaminius Historicus Ecclesiasticu ab Ecclesia alienus, & parum verax.

Speusippi libellus valde utilis de diffinitionibus Platonis.

Statius Papinius Neapolitanus, summus, & egregius Poëta.

Stephani Abbatis, & postea Episcopi Tornacen. Epistolæ elegantes, & curiosæ.

Stephani Eduensis Episcopi præclarum opus de Sacramento Altaris.

Stephanus Forcatulus Jurisprudentia, Philosophia, & varia præditus eruditione.

Strabo Amasenus Princeps Geographorum, quem frustra conatur de sui operis possessione dejicere Franc. Patricius *lib. 3. Peripatetic. discussionum*, ut cuidam Stratoni tribuat. Castigandus autem videtur Strabo, quod Historias, & Philosophicas disputationes Geographiæ miscuerit.

Suetonius Tranquillus Historicus emendatissimus, & candidissimus, liber, & concisus, qui vitas Cæsarum scripsit pari libertate, ac ipsi vixerunt, ut censet D. Hieronymus.

Suidas Monachus Byzantinus Grammaticus eruditissimus, & admirabilis.

Symmachus V. C. mirabili eloquio, & scientia præditus, sed Christianis infensus.

Symposius Poëta ænigmatum Scriptor non contemnendus.

Symphoriani Camperii Lugdunen. Platonica Symphonia, iis valde utilis, qui Platonicæ doctrinæ studeut.

Synesius Crenensis Episcopus, qui in suis scriptis Platonem, Demosthenem, ac Pindarum exhibet nobis Christiano ore loquentes.

## T.

TAtiani florentissimus liber adversus Gentiles. Sed post martyrium S. Justini, cujus erat auditor, factus est Tatianus Hæresiarcha.

Terentius tersissimus Comicus, quem Cicero elegantissimum vocat. Sunt qui putant eum in componendis Comœdiis adjutores habuisse C. Lælium, & Scipionem Æmilianum, nec ipse negat, ut constat ex Prologo Adelphorum.

Terentianus Maurus, qui librum de metris scripsit versibus difficilibus, & laboriosis.

Teridii Presbyteri nomine scripta Regula Monachorum, quæ S. Cæsarii est, cujus Teridius Nepos fuit.

Tertullianus Presbyter acris, & vehementis ingenii, & in loquendo obscurus, disertior quam felicior, ut de eo loquitur Vincentius Lirinensis, cujus lapsus nos admonet, non altum sapere, sed timere.

Thalassii

Thalassii Monachi Centuriæ spirituales de charitate, continentia, & regimine mentis.

Themistius Euphrades, id est eloquens sapientiæ, ac regiæ disciplinæ thesaurus. Non tamen fuit Christianus, ut quidam putant, licet Christianos Impp. laudaverit. Præceptorem suum vocat Augustinus in fine libri de Categoriis.

Theocritus floridissimus Bucolicorum Princeps.

Theodoretus Episcopus Cyrensis fluidus, copiosus, & undequaque doctissimus.

Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus Canonum Interpres sæpè vacillans & Ecclesiæ Romanæ adversarius.

Theodorus Gaza Thessalonicensis, Græcæ, & Latinæ linguæ scientissimus, quem Pomponius Lætus sui ævi doctissimum existimavit. Erat in eo summum doctrinarum studium, cum summa eloquentiæ facultate.

Theodori Ecclesiæ Constantinopolitanæ Lectoris collectanea ex Ecclesiastica Historia.

Theodorus Peltanus Catholicæ doctrinæ adversus Novatores defensor acerrimus.

Theodorus Prodromus vir excellentissimus seu versu, seu prosa; seu sacra, seu profana scribat, sed fuit Schismaticus.

Theodorus Studites vir admirandus, potens opere, & sermone.

Theodoricus Erfordiensis Scriptor vitæ S. Dominici.

Theodulfus ex Abbate Floriacensi Episcopus Aurelianens. tam versu, quam prosa excellens.

Theofridus Abbas, cujus extant sermones nitidi eloquii de Reliquiis & veneratione Sanctorum.

Theoleptus Philadelphiæ Metropolita suavis hymnographus.

Theo. Smyrnæus Mathematicus, cujus opuscula multa in variis Bibliothecis M. SS. supersunt. Quædam edidit Ismael Bulliardus, qui eum Plutarcho coævum fuisse arbitratur.

Theophanes Byzantius, qui res gestas sub Justino II. libris 10. eleganter prosequitur.

Theophanes Cerameus Archiepiscopus Tauromeniæ in Sicilia, cujus extant Hymni sacri, & orationes.

Theophanis Episcopi Niceni Hymni pro Ecclesiasticis officiis.

Theophilactus Bulgarorum Archiepiscopus Schismaticus, qui ex Chrysostomo sua in Scripturam Commentaria compilavit.

Theophilactus Simocatta, cujus præter Historiam exstant quæstiones Physicæ, & Epistolæ agrestes, morales, amatoriæ: stylum habet venustum, sed dum nimis elegantiam sectatur in cacozelon, & puerilem affectationem incidit.

Theophili Alexandrini Epistolæ Paschales utiles, & doctæ.

Theophilus Episcopus Antiochenus primigenium Ecclesiæ spiritum in suis lucubrationibus ostendens.

Theophili Protospatarii lib. v. exquisitissimi de hominis fabricâ.

Theophilus Raynaudus omni doctrina, & eruditione refertus, multitudine librorum quos scripsit omnibus notus.

Theophrastus Philosophiæ decus, divinæ vir eloquentiæ, unde & nomen ab Aristotele magistro suo accepit, cum prius Tyrtamus diceretur.

Theosterictus politus & amœnus in Hymnis, & in Historia.

Thomais sanctimonialis auctrix vitæ S. Febroniæ Virginis, & Martyris.

Thomas Aquinas doctor Angelicus, Princeps Theologorum Scholasticorum.

Thomas Cantipratanus Ord. Prædicatorum sub figura Apum librum scripsit de officio Prælatorum, & subditorum, quo miracula sui temporis verè, & fideliter describit.

Thomas Cisterciensis Cantica Canticorum exposuit stylo conciso & aspero; crebrisque divisionibus intricato.

Thomas de Vio Cajetanus profundus Theologus, & Interpres Sacræ Scripturæ; vir summi ingenii, nec minoris pietatis.

Thomas Dempsterus optimæ notæ Philologus, & rerum Scoticarum Historicus.

Thomas de Villanova Archiep. Valentinus, qui sanctitate, & doctrina universam Hispaniam illustravit.

Thomas de Kempis simplici stylo magnam tradens doctrinam spiritus.

Thomas à Jesu Carmelita excalceatus vir multiplicis doctrinæ, & in praxi mysticæ Theologiæ singulariter eruditus.

Thomas Waldensis Carmelita magno pollens ingenii acumine, ut ex doctrinali fidei colligitur quo hæreses extirpantur.

Thucydides omnium cultissimus, & verax Historicus, stylo sæpè durus, nec satis rotundus, ut ait Cicero; de qua re etiam reprehenditur à Dionysio Halicarnasseo. Demosthenes autem tanti eum fecit, ut octies manu sua scripserit.

Titus Bostrorum Episcopus Sectam Manichæorum doctè confutavit, & Evangelium secundùm Lucam explicavit. Sed hanc Lucæ expositionem falsò huic tribui censeo, nam citantur in ea Chrysostomus, Cyrillus, & alii Patres, qui post ipsum floruerunt.

Titus Livius Historiæ Latinæ Princeps, lactea ubertate fluens, cui tamen Asinius Paravinitatem objecit, Lipsius frigidum aliquando, & supinum agnoscit.

Trebellius

Trebellus Pollio nobilis Historicus cujus dictio paulo altius assurgere censetur, quam conveniat Historico.

Tycho Brahe Excellentissimus Astronomus, qui in siderum observatione nulli priorum cessit.

Tychonius Afer Donatista, cujus meminit Augustinus *lib. 3. de doct. Christi.*

Turcius Ruffus Asterius, cujus est Collatio veteris, & novi testamenti venusto carmine expressa, à quibusdam Sedulio, ab aliis Claudiano Mamerto adscripta.

V.

Valerianus Cemelienſis Episcopus, quem Theophilus Raynaudus erudita Apologia liberare nititur à suspicione Semipelagianismi.

Valerius Flaccus felicis ingenii, & magni judicii Poeta; sed imperfectum Argonauticorum opus reliquit.

Valerius Maximus rerum varietate conspicuus, in plerisque acutus, & subtils, in plerisque durus, & abjectus, labe quoque adulationis vilescens.

Valerius Probus Grammaticus, vir multæ industriæ in notis antiquorum explicandis.

Vegetius disciplinæ militaris eloquens, & doctus Scriptor.

Venantius Fortunatus Pictavien. Episcopus nitidæ venæ Poeta, quem Hilduinus virum prudentem, & scholasticissimum appellat.

Victorinus Episcopus non Pictavienſis, sed Petavionensis, seu Pitabionensis in superiori Pannonia, & Martyr, quem Optatus Milevitanus, ut insignem hæresum debellatorem laudat *lib.* 1. Hieronymus autem cum enumerat inter Chiliastes in *c.* 36. *Ezech.* Nihil ejus supereſt præter Commentarium in Apocalypsim, de quo etiam dubitamus, an sit legitimum.

Victor Cartennæ in Mauritania Episcopus, stylo & dictione sublimis, cujus liber de Pœnitentia inter opera D. Ambrosii reperitur. Philippus Labbe ex Codicibus M. SS. docet hunc librum esse alterius Victoris Turonensis item in Africa Episcopi.

Victor Giselinus Prudentii scholiastes non admodum accuratus.

Victor Episcopus persecutionis Wandalicæ in Africa Scriptor, & particeps. Hic Episcopus Uticensis per errorem vocatur. Nam ut notat Franciscus Chifflerius in notis ad vitam S. Fulgentii scriptam à Ferrando, quo tempore hic scripsit, erat Episcopus Uticensis Florentinus. Victor itaque Episcopus Vitensis fuit, & postea Primas Byzacenus, in qua Provincia est Civitas Vitensis. Ita Chifletius ex antiquo Codice M S.

Vigilii Episcopi Tapsitani in Provincia Byzacena libri 5. adversus Eutychen, hactenus tributi Vigilio Martyri Episcopo Tridentino, cujus esse non posse, jam agnoverat Baronius. Verus Auctor repertus est in Cod. MS. Monasterii S. Eugendi, sive S. Claudii Jurensis. Idem Chifflet. præf. in Ferrandum.

Vincentius Beluacensis vir omniscius, ac plurimæ lectionis, ut ex ejus quadruplici speculo constat.

Vincentii Ferrerii viri sanctissimi Opusculum de vita spirituali cœlesti plenum sapientia.

Vincentius Galilæus, qui doctissimum tractatum edidit de antiqua, & nova Musica, plane necessarium ad Musicam nostri temporis corrigendam.

Virgilius Maro Poëta absolutissimus, dictus Plato Poetarum ab Alexandro Severo, ut refert Lampridius, omnium optimus, & incomparabilis.

Vitruvius, cujus sunt de Architectura notissimæ, & omni laude dignæ lucubrationes.

Ulpianus Rhetor Demosthenis scholiastes creditus ille, quem inter sapientes enumerat Athenæus in Cœnis.

Uranius, sive Oranius, qui vitam B. Paulini descripsit.

Urbani Quarti Rom. Pontificis pia Metaphrasis in Psalmum 50.

Walfridus Strabo, vir sapiens, & literarum scientia illustris. Fuit Monachus Fuldensis; postea Decanus S. Galli, demum Abbas Augiæ divitis: qua de causa quidam decepti, duos Strabones fecerunt, unum Monachum Fuldensem, alterum Augiæ Abbatem, cum idem sit.

Willelmus Malmesburiensis Monachus rerum Anglicarum luculentus Historicus.

Wolfgangi Lazii Viennen. eruditissima Romanæ Reipub. Commentaria.

X.

Xenophon Summus Philosophus, magnus Historicus, suavis Orator, Apis Attica, dictus à Suida, cujus stylus dulcior melle à Tullio dicitur, & cum quadam lenitate fluens. Cyripædia non ad fidem Historiæ, sed ad effigiem justi imperii ab eo scripta est, ut idem Tullius affirmat. lib. 1. Epist. 1. ad Q. fratrem.

Xenocratis Platonici insignis libellus de morte.

Z.

Zachariæ Scholastici, ac postea Episcopi Mytilenes subtilissima disputatio de Mundi opificio contra Philosophos.

Zeno Veronensis Antistes acumine ingenii, styli præstantia, rerumque divinarum peritia clarissimus.

Zonaras Historicus gravis, & copiosus, sed in quo majorem curam desiderant Critici Recentiores.

Zeroastris oracula Magica, seu verius reconditæ Philosophiæ artificiosum compendium: non autem revelationes sub ejus nomine à Gnosticis evulgatæ. Dubium est autem, fueritne hic Bactrianorum Rex, an alius recentior, de qua re doctè & eruditè Sam. Bochartus P. 1. Geogr. sacræ lib. 4. cap. 1. Apulejus 2. Florid. ait Zeroastrem Pythagoræ præceptorem fuisse.

# Prospectus Operis per Capita & Paragraphos.


## CAPUT I.

De antiquitate, & excellentia divinæ Psalmodiæ.

§. 1. *Antiquitatis quanta sit vis. Divinarum laudum antiquissima origo. Religio solius hominis propria. Cur homo rectæ staturæ. Ignorantia malorum radix. Dei cognitio difficillima. Quædam obiter adversus Atheos.* 649

§. 2. *Sensum Religionis hominibus innatum Dei existentiam probare. Divinæ laudis initium ab Angelis, imò ab ipso Deo. Unde sumi debeat Ecclesiasticæ Psalmodiæ origo.* 655

§. 3. *Viguisse semper divini cultus studium, à primis parentibus usque ad Christum. Testimonia infidelium de precibus, & Hymnis primorum Christianorum.* 657

§. 4. *Testimonia sanctorum Patrum de sacra Psalmodia ab ortu Ecclesiæ, & deinceps temporum serie servata. Addita quædam de ejus excellentia, & de perenni Psalmodia in quibusdam Ecclesiis instituta. Desiderium laudandi Deum. Tacti obiter quidam Ecclesiasticæ hymnodiæ calumniatores.* 660

## CAPUT II.

Quibus de causis certæ quædam horæ ad psallendas Deo laudes fuerint institutæ.

§. 1. *Varia nomina Horarum Canonicarum explicantur. Cur divina mysteria symbolis, & allegoriis occultarint antiqui.* 667

§. 2. *Prima ratio institutionis Horarum ex D. Cypriano. Secunda ex Amalario Fortunato, & Honorio Augustodunensi.* 670

§. 3. *Tertia ratio ex Hugone Victorino. Quarta ex communi scriptorum sententia ob Dominicæ Passionis memoriam.* 672

§. 4. *Quinta, & sexta ratio in gratiarum actionem ob divina beneficia. Septima per analogiam ad ætatem humanam. Addita quædam de brevitate vitæ.* 673

§. 5. *Octava ratio ex parabola Evangelica laborantium in vinea. Nona ex mystica septenarii numeri significatione. Etiam infidelesstatis horis orare. Errores Cabalistarum obiter indicantur.* 675

## CAPUT III.

De varia diei, ac noctis divisione.

§. 1. *Quid dies, quid nox sit. Prima diei divisio in naturalem, & artificialem. Diei civilis initia varia apud varias gentes. Horæ nomen æquivocum.* 679

§. 2. *Hora unde dicta. Figmenta Poetarum de Horis. De usu horologiorum apud veteres. Horæ olim nunciatæ à servis. Verus dies Christus est.* 682

§. 3. *Secunda divisio diei naturalis antiquo Romanorum more. Tertia divisio diei, & noctis artificialis. Cur divisa dies in 12. horas. De horis æqualibus, & inæqualibus: In vicissitudine diei & noctis relucet mirabiliter Dei providentia.* 685

§. 4. *Dies in quatuor præcipuas partes divisa ab Antiquis. Item nox: Quid stationes, quid Vigiliæ sint. Quota hora quodlibet officium celebrandum. Quot sint partes officii.* 690


CAPUT

## CAPUT IV.

### De Nocturnis Vigiliis.

§. 1. *Cur nocte orandum sit. Etiam Ethnicos nocturnas vigilias celebrasse in honorem Deorum. Exhortatio ad vigilandum. Oratio ut mysticæ fugentur tenebræ.* 693
§. 2. *Laudes vigiliarum. Exempla vigilantium. Nocturnum tempus maxime opportunum ad orandum.* 697
§. 3. *A sectariis damnari vigilias. Quota hora nocturna synaxis persolvi debeat. Somnus post vigilias Monachis interdictus, & cur. Oratio ad Deum, ut excitet nos.* 700
§. 4. *Amor evigilare facit. Quomodo vigilandum sit. Quæ sint Vigiliæ mysticæ.* 703

## CAPUT V.

### De Laudibus.

§. 1. *An Laudes sint officium distinctum à Nocturnis. Matutini nomen æquivocum. Laudes incipiente crepusculo persolvendæ sunt. Quid sit crepusculum, quæ ejus duratio.* 705
§. 2. *Cur Matutini, & Laudum nomen huic officio tribuatur. Matutinæ orationis prærogativæ. Ejusdem rationes mysticæ. Lucis, & Auroræ encomia.* 708
§. 3. *Matutinum tempus aptissimum contemplationi. Quæ sit mystica lux animæ. Tota nocte quæritur sponsus; non nisi in Aurora inveniendus. Oratio ad Deum, ut verum lumen oriatur in nobis.* 712
§. 4. *Lucta Jacob usque ad auroram, quid symbolicè, & moraliter indicet. Denique hortatio ad laudandum Deum.* 714

## CAPUT VI.

### De Prima.

§. 1. *Orandum esse post solis ortum. Laudatur sol, ejusque ortus describitur. Fabula Memnonis. De cultu solis, & ejus falsa Apotheosi. Inter priscos adorantium ritus etiam oscula adhibita.* 716
§. 2. *Omnes Ethnicorum Deos referri ad solem. Cur oremus versus Orientem.* 720
§. 3. *Veterum opiniones de sole. Verus Sol adorandus qui est Christus. Quis sit ignis obscurans solem. Cur oremus hora Prima,* 723
§. 4 *De Matutinis salutationibus. Primæ quando fuerit instituta, & qua hora persolvi debeat.* 725

## CAPUT VII.

### De Tertia.

§. 1. *Horæ Tertiæ mysteria. Numerus Ternarius commendatur.* 726
§. 2. *Hora tertia oramus ob adventum Spiritus sancti. Gratia sancti Spiritus quid operetur in anima.* 728
§. 3. *Quid sit portare spiritum, & vivere in spiritu. Oratio ad Spiritum sanctum. Cur hæc hora aurea, & sacra nuncupetur.* 729

## CAPUT VIII.

### De Sexta.

§. 1. *Divina majestas in sole præcipuè elucet. Solis, & Dei comparatio ex sanctis Patribus.* 731
§. 2. *Effectus solis in meridie quomodo impiis, & justis conveniant. Quid sit meridies. Affectus sponsæ quærentis ubi pascat, ubi cubet sponsus. Cur meridie oremus. Mediocritas laudatur.* 733
§. 3. *Dæmonium meridianum quid sit. Sextæ horæ mysteria ex sacris libris. Hac hora crucifixus est Christus.* 736

## CAPUT IX.

### De Nona.

§. 1. *Humanarum rerum inconstantia. Ea per Nonam designatur. Utilitas tentationum.* 739
§. 2. *Numerus Novenarius infaustus. Horæ Nonæ mysteria. Cur oremus hac hora.* 741
§. 3. *An hora nona cibum sumerent Antiqui. Quinam semel, qui pluries in die olim reficerentur. Christianorum qui mores de eadem re, & qua hora jejunium solverent.* 743

## CAPUT X.
### De Vesperis.

§. 1. Mysticus solis occasus. Quid sit solem oriri, & occidere. Dicta quædam breviter de cognitione sui. Humanarum rerum magnam esse vicissitudinem. 748

§. 2. De eo quod scriptum est. Ad Vesperum demorabitur fletus. Dictum obiter de utilitate lacrymarum. Vesper contemplationem significat. 750

§. 3. Magna esse vespertini temporis Sacramenta. Notantur quædam de Epistolis laureatis. Pacis encomium, & ad eam exhortatio. 753

§. 4. Vesperarum ex novo testamento prærogativæ. Vesper mundi finem significat. Oratio ad Dominum, ut nobiscum manere dignetur. 755

§. 5. Quid sit Vesper, & quæ ejus Ethymologia. Qua hora vespertinum officium persolvi debeat. Notantur quædam de Lucernario, & hora Lucernari. Mores nostros ab antiquis multum distare. 757

## CAPUT XI.
### De Completorio.

§. 1. Completorium cur sic dictum. Quare à Lectione inchoetur. Ostensum contra quosdam Sanctum Benedictum primum Completorii institutorem fuisse. 759

§. 2. Completorium qua hora celebrandum. Admonet nos finis nostri. Mysticæ ejus significationes. Quæ sit bona, & vivificans mors, quam justi optant. 762

§. 3. Hora Completorii obtulit Abraham sacrificium. Contemplationis series ex eodem sacrificio explicatur. Deprecatio pro dono contemplationis. 765

§. 4. Completorio ferventius adesse debemus multis de causis. Somnus imago mortis. 768

## CAPUT XII.
### De Officio parvo Beatæ Virginis.

§. 1. Quam difficile sit de Mariæ laudibus scribere. Cur negotium omnium seculorum dicatur esse. Ejus cultum semper viguisse. Ad ipsam B. Virginem deprecatio. 769

§. 2. Officii parvi B. Virginis memorabilis institutio. Ejus origo antiquior, quam vulgus putet. Deiparæ encomia, & ad eam salutatio. 772

§. 3. Ritus officii explicatur. Ordo Cisterciensis specialiter Deiparæ dicatus est. Exhortatio ad implorandum in omnibus Mariæ nomen, & auxilium. 775

## CAPUT XIII.
### De Officio Defunctorum.

§. 1. Cur Oremus pro Defunctis. Quædam de Purgatorio. Quæ peccata in eo puniantur. Voces purgantium animarum. 777

§. 2. Quot, & quibus operibus animabus defunctorum suffragari possimus. Officii pro defunctis quam antiqua sit institutio. Cur certi quidam dies sacris pro mortuis offerendis tribuantur. 779

§. 3. Quo ritu officium defunctorum celebretur. Dicta quædam de mortis recordatione. Qui mores Ethnicorum erga defunctos, deque variis sepeliendi modis. Qui mortui plangendi. Purgatorii acerbitas, & ad illud declinandum adhortatio. 781

§. 4. Indicantur Auctores, qui fidem Purgatorii, ritumque orandi pro defunctis astruunt. Addita quædam ex profanis scriptoribus de funerandi ratione. 785

## CAPUT XIV.
### De Psalmis Pœnitentialibus, & Litaniis.

§. 1. Pœnitentiæ utilitas, & effectus. De Psalmis Pœnitentialibus, eorumque usu. Laudes pœnitentiæ. Cur septem tantum sint Psalmi Pœnitentiales. 787

§. 2. Notantur quædam de singulis Psalmis Pœnitentialibus. Denique adhortatio ad pœnitentiam. 790

§. 3. Litania quid sit, & quotuplex. Litaniarum vis & efficacia. 796

CA-

## CAPUT XV.

### De Psalmis Gradualibus.

§. 1. *Quindecim Psalmis Gradualibus totidem gradus Christianæ perfectionis innuitur. Vitæ spiritualis triplicem esse statum. De ascensione mentis in Deum. Quindecim animæ dignitates ex Abbate Cellensi.* 798

§. 2. *Quinque gradus incipientium: omne mortale, omne veniale crimen deserere; divitias, ac dignitates contemnere: pravos motus cohibere: proprium judicium, & propriam voluntatem abnegare. Quæ sint purgati animi indicia.* 800

§. 3. *Quinque gradus Proficientium: Virtutes omnes acquirere, virtutum exemplar aliis esse, justitiæ vias docendo demonstrare, se humilem in omnibus exhibere, omnes irrisiones & detractiones patienter ferre.* 804

§. 4. *Quinque gradus perfectorum. Orationis studium, purissima intentio, in omne opus bonum magno impetu ferri, velle semper quod vult Deus, adhærere Deo, & unum fieri cum eo spiritum intimo charitatis affectu.* 807

## CAPUT XVI.

### De singulis Partibus Divinæ Psalmodiæ.

#### §. I.

#### De Oratione Dominica.

*Ostenditur ex Patribus dignitas, utilitas, & efficacia hujus orationis. Petitionum ordo, & congruentia ex D. Thoma. Quinam possint hanc orationem ritè, ac jure recitare. Quoties, & quo ritu in divinis officiis recitetur.* 810

#### §. II.

#### De Angelica Salutatione.

*Ejus dignitas, & excellentia demonstratur. Quando, & à quibus fuerit instituta. Cur in divinis officiis recitetur.* 813

#### §. III.

#### De Symbolo Apostolorum.

*Quando, & à quibus fuerit institutum. Quædam de symboli ratione. Laudes symboli ex Patribus. Quoties, & quo ritu dicatur. Cur hoc symbolum Romanum nuncupetur.* 814

#### §. IV.

#### De Horarum initio.

*Cur à Versu* Domine labia mea aperies, *incipiat nocturna synaxis. Quid sit mysticè aperiri labia. Completorio cur præmittatur hic Versus,* Converte nos Deus salutaris noster. *Conversio vera quæ sit. Ira Dei duplex. Usus multiplex hujus Versiculi,* Deus in adjutorium meum intende. 819

#### §. V.

#### De signo Crucis.

*Horæ Canonicæ à signo Crucis incipiunt. Signi hujus antiquitas, & virtus ex sanctis Patribus. Qua ratione manu exprimatur. Alia quædam de Cruce obiter notantur.* 822

#### §. VI.

#### De Gloria Patri.

*Varii errores recensentur, & confutantur de Hymni hujus origine, & institutione. Quid sit Deum glorificare. Vera gloria quæ sit. Inanis gloria sugillatur, laudatur humilitas.* 825

#### §. VII.

#### De Alleluja.

*Hujus vocis præconia ex Patribus. Cur ex Hebraico in Græcum, vel Latinum idioma non sit translata. Cur certis diebus intermittatur. Cur prolixiori modulatione cantetur. A quo primum cantari cœperit. Ejus multiplex usus. Quid Latinè significet. Addita quædam ex Hebraico fonte de decem præcipuis nominibus Dei.* 828

§. VIII.
De Invitatorio.

CUr Psalmus nonagesimus quartus, & quo ritu nocturnis vigiliis præmittatur. Brevis ejusdem Psalmi explicatio. 834

§. IX.
De Hymnis.

HYmnorum usus antiquissimus. De Hymnis Orphei. Varia genera Hymnorum. Laudantur Hymni ex sacris, & prophanis auctoribus. Quid sit Hymnus. Quo ritu cantari soleant. 837

§. X.
De Antiphonis.

QUid sit Antiphona. Quis primus fuerit Antiphonarum institutor. Alterni cantus antiquitas charitatem designat. Suspiria amantis animæ. 841

§. XI.
De Psalmis.

PSalmorum encomia ex Patribus. Psalterium compendium est omnium scientiarum. Divisio Psalterii. Psalmus quid sit, Usus Psalmorum laudabilis, antiquissimus. 844

§. XII.
De Canticis.

QUomodo inter se differant Psalmus, Canticum, Canticum Psalmi, & Psalmus Cantici. Canticum quid sit. De Canticorum usu, numero, materia, & antiquitate. De Cantico Te Deum laudamus. Per alia Cantica properandum esse ad Cantica Canticorum. 847

§. XIII.
De Versibus.

VErsus unde dicatur. Quid significet. Aliquot versuum explicatio. Cantica Evangelica cur stando psallantur. 850

§. XIV.
De Lectionibus.

ANtiquitas, utilitas, & excellentia sacrarum Lectionum. Ritus Lectionum explicatur. De benedictionibus. Cur Prælatus Dominus, & non Dominus nuncupetur. Dicta quædam obiter de hac voce. Sacra scriptura cur difficilis. 851

§. XV.
De Responsoriis.

REsponsoria quid significent. Cur prolixius cantentur. Quis eorum auctor. Quo ritu dicantur. 857

§. XVI. De Capitulis.

CApitulum quid sit. Quare singulis horis, & quo ritu recitetur. 859

§. XVII. De Collectis.

COllectæ nomen æquivocum. Collectarum primi auctores. D. Benedictus benedictionis nomine collectam indicat. De salutatione Dominus vobiscum, quæ collectis præmittitur. Notantur quædam de ultima collectarum clausula, & de hac voce Amen. ibid.

§. XVIII.
De Symbolo Athanasii.

QUando Symbolum scripserit Athanasius. Cur die Dominica recitetur. Notantur obiter hujus diei prærogativæ. 863

§. XIX.
De lectione Martyrologii.

EXemplorum quanta sit vis. De Cruciatibus sanctorum Martyrum. De usu, & ritu legendi Martyrologium. 864

§. XX.
De precibus, & suffragiis, atque de fine Officii.

CUr ad Primam, & Completorium quædam preces certis diebus recitentur. Cur etiam in Laudibus, & Vesperis commemorationes sanctorum fiant, itemque sanctæ Crucis, & deprecatio pro pace. De Versu, Benedicamus Domino. De oratione ad B. Virginem, quæ dicitur in fine cujusque horæ. Quis Antiphonam Salve Regina composuerit. 867

CAPUT XVII.
De Cantu Ecclesiastico.

§. 1. LAudatur universim Musica, ejusque varii, & admirabiles effectus enumerantur. 868

§. 2.

§. 2. *Dicta quædam de harmonia mundi. Inesse musicam singulis rebus. Origo Musicæ. De cantu Ecclesiastico. Eum antiquissimum esse. An instrumenta musicalia admittenda in Ecclesia. Primus organorum usus.* 875
§. 3. *Cantus Ecclesiastici qui fuerint primi inventores. De Musicis, & Cantoribus, eorumque discrimine. De Tonis, seu modis tropicis. Omnem Musicæ mutationem malam esse. Cur ab hodierna musica non iidem effectus sint, qui ab antiqua. Actum obiter de triplici genere cantus Draconico, Chromanico, Enharmonico.* 878
§. 4. *De singulis Tonis, eorumque proprietatibus, & effectibus. Quædam de cantu Gregoriano.* 882
§. 5. *Qualis esse debeat Ecclesiasticus cantus. Quæ vitia à Cantoribus evitanda. Quinam censeantur benè cantare. Quæ vera Musica, quis verus animæ concentus sit.* 885

CAPUT XVIII.

De variis Ritibus, quibus utitur Ecclesia Catholica in recitandis divinis Officiis.

§. 1. *Orthodoxam Ecclesiam varietatibus exornari. Varias Ecclesiarum consuetudines unitati fidei non obesse.* 888
§. 2. *De Ritu Romano.* 890
§. 3. *De Ritu Monastico pro his qui militant sub Regula S. Benedicti. Præmittuntur quædam de excellentia hujus sanctissimi Monachorum Patriarchæ.* 892
§. 4. *De Ritu Cistercienſium.* 895
§. 5. *De Ritu Carthusianorum.* 897
§. 6. *De Ritu Præmonstratensium.* ibid.
§. 7. *De Ritu prædicatorum.* 898
§. 8. *De Ritu Carmelitarum.* ibid.
§. 9. *De Ritu Lugdunensis Ecclesiæ.* ibid.
§. 10. *De Ritu Ambrosiano.* 899
§. 11. *De Ritu Mozarabico.* 901
§. 12. *De aliis quibusdam ritibus Ecclesiæ Latinæ.* 903
§. 13. *De Ritu Græcorum.* ibid.
§. 14. *De Ritu Græco Monachorum Cryptæ ferratæ Ordinis S. Basilii.* 906
§. 15. *De Ritu Armenorum.* 907
§. 16. *De Ritu Maronitarum.* 909
§. 17. *De Ritu Illyricorum.* 911
§. 18. *De Ritibus Abassinorum & Coptho-rum.* ibid.
§. 19. *De aliis quibusdam ritibus Eccles. Orient.* 912
§. 20. *De Codicibus sacrarum precationem.* ib.

CAP. IX. De disciplina psallendi.

§. 1. *DE duplici præparatione ante officium, remota & proxima. Remotam in rectitudine vitæ, in libertate animi, in oris taciturnitate: Proximum in puritate intentionis, in divinæ præsentiæ consideratione, in divini auxilii imploratione sitam esse.* 914
§. 2. *Utrum oratio ad intellectum, an verò ad voluntatem pertineat. Variæ orationis definitiones. Utriusque potentiæ actus requiri ad bene orandum. Intellectum attentione, voluntatem devotione componi. Actum prius de reverentia, qua componitur externus homo. Ea quid sit, & quotuplex, & quæ ejus incitamenta.* 917
§. 3. *Ceremoniæ quid sint, & quæ hujus nominis origo. Earum efficacia, & utilitas ad divinum cultum. Veræ à falsis, & superstitiosis discernendæ. Exteriores ceremonias sine interno spiritu parum prodesse.* 920
§. 4. *De Attentione. Eam triplicem esse ad verba, ad sensum verborum, ad finem qui Deus est. Quæ & quanta harum attentionum vis, & necessitas. De eo, qui rapitur extra se dum psallit, controversiæ quædam tractantur, & solvuntur.* 922
§. 5. *Multis evagationibus humanam mentem subjectam esse. Omnes evagationes è septem fontibus oriri: à curis & solicitudinibus, à magna negotiorum mole, ab otio, à superfluis colloquiis, ab animi perturbationibus, à sensuum exteriorum libertate, & ab instabilitate imaginationis.* 926
§. 6. *Septem evagationum remedia sigillatim enumerantur. Evagationes involuntarias*

*rias nullum orationi detrimentū inferre.* 929

§. 7. *Quid sit Devotio, qui ejus effectus, & efficacia. Tum novem documenta ingeruntur ad eam comparandam, & conservandam.* 930

§. 8. *Quæ sint impedimenta devotionis. Interioris, & exterioris hominis pugna, & humanæ calamitatis deploratio. Oratio ad impetrandam gratiam devotionis.* 933

CAPUT XX.

De variis Sanctorum exemplis ad Divinum officium pertinentibus.

§. 1. *Exemplorum magnam esse vim ad vitam rectè instituendam.* 936

§. 2. *Exemplorum Decades quatuor.* 937

§. 3. *Operis clausula, & pro ea gratiarum actio.* 944

## INDEX CARMINUM.

METRUM I.

*Initium operis cum invocatione superni auxilii. Versus heroicus exameter solus, ut apud Boetium, & Martianum Capellam.* Pagina 649

METRUM II.

*Adversus Atheos Scazon, quo passim omnes Epigrammatographi utuntur.* 654

METRUM III.

*Enthusiasmus, & dicendorum propositio. Versus exametri heroici.* 670

METRUM IV.

*Affectus erga Christi Passionem. Ode, Dicolos Distrophos: primus versus est exameter heroicus, secundus senarius Jambus, ut apud Horatium* epod. od. 16. 673

METRUM V.

*De brevitate vitæ Ode, Tricolos tetrastrophos. Duo primi Versus sunt Alcaici Dactylici ex Penthemimere Jambica, & duobus dactylis: Tertius est dimeter Jambus Hypercatalectus: Quartus constat ex duobus dactylis, & duobus trochæis: ut apud Horatium,* lib. 1. od. 9. 675

METRUM VI.

*De horis & horologiis, Elegia prima.* 685

METRUM VII.

*Noctis Encomium Ode, Dicolos tetrastrophos. Tres primi versus sunt Asclepiadei: Quartus Glyconicus, ut apud Horatium,* lib. 1. od. 6. 699

METRUM VIII.

*Potentia Amoris in nocte, & somnium, atque apparitio sapientiæ. Elegia secunda.* 703

METRUM IX.

*Laus Auroræ. Carmen Anacreonticum, quo post Anacreontem festivissimè utuntur Martianus Capella, Prudentius, & Sidonius Apollinaris: Primus pes est Jambus, Spondæus, vel Anapestus, sequuntur duo Jambi & syllaba.* 711

METRUM X.

*Invitantur omnes creaturæ ad cantandas Deo laudes. Ode, Dicolos tetrastrophos. Tres primi versus sunt Dactylici Alcmanii, & constant ex spondæo, dactylo, & cæsura: Deinde dactylo & spondæo. Quartus est Pherecratius ex spondæo, dactylo, & spondæo. Hanc compositionem, sive ut loquitur Terentianus Maurus, hanc compaginem & concinnationem, quæ versus alternat, apud neminem vidi. Usus sum ego primus haud invenustè.* 716

METRUM XI.

*Describitur Ortus Solis. Versus Glyconici, ut apud Senecam & Boetium sæpe.* 717

METRUM. XII.

*Oratio ad Christum. Ode, Dicolos tetrastrophos. Tres Sapphici cum Adonio, ut apud Horat.* lib. 1. od. 2. 725

METRUM XIII.

*Enthusiasmus ob Adventum Spiritus Sancti. Ode Dicolos distrophos. Glyconicus cum Asclepiadeo, ut apud Horat.* l. 1. od. 3. 726

METRUM XIV.

*Describitur Adventus Spiritus S. Ode, Dicolos distrophos. Primus versus est Exameter heroicus. Secundus est dactylicus trimeter hypermeter ab exordio constans primo ex una syllaba longa, vel duabus brevibus, deinde ex tribus ultimis pedibus versus heroici. Utuntur hac compositione Lyrici recentiores.* 730

ME-

METRUM XV.
*Verus Sol est Deus. Ode, Dicolos distrophos. Sapphicus cum Glyconico, quâ compositione utitur Boetius* Lib. 2. Metr. 3. *Hujus autem Metri argumentum ab eodem Boetio acceptum est*, lib. 5. Metr. 2. 733
METRUM. XVI.
*Affectus Sponsæ, id est animæ quærentis sponsum Elegia tertia.* 735
METRUM XVII.
*Laudatur mediocritas. Ode, Tricolos tetrastrophos. Duo Asclepiadei cum Pherecratio, & Glyconico, ut apud Horatium*, lib. 1. od. 5. 736
METRUM XVIII.
*Affectus animæ amantis erga Christum Crucifixum. Ode, Dicolos distrophos Jambicus trimeter cum dimetro, ut apud Horatium.* Epod. od. 1. 742
METRUM XIX.
*Comparatio antiquæ, & nostræ ætatis. Anapestici dimetri, quibus passim utuntur Seneca, Boetius, & alii.* 747
METRUM XX.
*Rerum vicissitudo. Ode, Dicolos distrophos. Tetrameter dactylicus cum penthemimere dactylica, quâ compositione utitur Ausonius.* 750
METRUM XXI.
*Invitatio ad lacrymas. Elegia quarta.* 752
METRUM XXII.
*Pax ubi invenienda. Phaleucii Hendecasyllabi, ut apud Boetium, Martialem, & alios.* 755
METRUM XXIII.
*Sicut Sol, ita & homo vix natus vergit ad finem. Ode, dicolos distrophos. Exameter, heroicus cum dactylico tetrametro, ut apud Horatium*, lib. 1. od. 7. 762
METRUM XXIV.
*Contemptus terræ, elevatio ad Cœlum, variique affectus amantis animæ. Dithyrambus. Versus Dactylici, Jambici, Trochaici. Anapestici, Choriambici, Antipastici, Ionici, Pæonici, diversorum generum, puri, & impuri, integri, & mutili; simplices & compositi. Amat Dithyrambus genus dicendi tumidum, plenum vocum compositarum, quas Horatius sesquipedales vocat plenum jocorum, & licentiæ. Sed ab his consultò abstinui, ne luderem in re seria: solam autem libertatem, & inconstantiam Dithyrambi in varietate versuum sequutus sum.* 767
METRUM XXV.
*Invocatio B. Virginis Mariæ, versus dactylici qui constant ex syllaba longa, vel duabus brevibus in principio, deinde ex tribus postremis pedibus versus heroici. Utuntur his Boetius*, l. 2. Metr. 5. *& Mart. Capella*, l. 2. 771
METRUM XXVI.
*Laudes, & invocatio B. Virginis. Elegia quinta.* 774
METRUM XXVII.
*Conjuratio inferni, ut portas pandat. Versus Trochaici tetrametri brachicatalecti, ut apud Senecam, Prudentium & alios.* 779
METRUM XXVIII.
*Mortis contemplatio vera Philosophia. Ode, Dicolos distrophos. Trimeter Jambicus cum Pentametro elegiaco, ut apud Boetium*, lib. 3. Metr. 6. 782
METRUM XXIX.
*Omnia contemnenda, quia inexorabilis est. Ode, dicolos distrophos ad instar illius Horatianæ*, Non ebur, neque aureum: lib. 2. od. 18. 789
METRUM XXX.
*Felicitas pœnitentis. Ode, Dicolos Distrophos. Dactylicus trimeter hypercatalectus cum pherecratio, ut apud Boetium*, l. 3. Metr. 6. 791
METRUM XXXI.
*Litaniæ. Ode Dicolos distrophos. Exameter heroicus cum dactylico trimetro hypercatalecto. Hac compositione usus sum ego primus sine ullo exemplo.* 796
METRUM XXXII.
*Oratio & excessus ab humanis. Trimetri Jambici.* 800
METRUM XXXIII.
*Divitum curæ. Ode, Dicolos distrophos,*

*Asclepiadeus cum Dimetro Jambico, ut apud Boëtium*, lib. 3. Metr. 8. 801

METRUM XXXIV.

*Vera felicitas. Ode, Monocolos, Asclepiadei. Horat.* lib. 1. od. 1. 803

METRUM XXXV.

*Viri justi constantia. Ode, Dicolos distrophos. Sapphicus cum dimetro Jambico, quâ compositione utuntur Recentiores.* 806

METRUM XXXVI.

*Conformitas humanæ voluntatis cum divina. Ode, dicolos distrophos. Phaleucius hendecasyllabus cum pentametro elegiaco, ut apud Boëtium*, lib. 4. Metr. 4. 808

METRUM XXXVII.

*Oratio Dominicalis. Ode, dicolos distrophos. Versus exameter cum Penthemimere dactylica, ut apud Horatium*, l. 4. od. 7. 811

METRUM XXXVIII.

*Mysteria fidei. Ode, Monocolos Aleaici dactylici, quibus utitur Claudianus in Epithalamio. Constant ex Penthemimere Jambica & duobus dactylis.* 817

METRUM XXXIX.

*Oratio pœnitentis ad Christum. Ode, Dicolos distrophos. Trochaicus dimeter cum Glyconico. Utuntur hâc compositione Lyrici recentiores.* 820

METRUM XL.

*Varii affectus amantis animæ erga sponsum absentem, & præsentem dulcisque luctæ amoris creati, & increati. Elegia sexta.* 842

METRUM XLI.

*Laudatur David, ejusque Psalmi. Ode, Dicolos distrophos. Asclepiadeus cum Pherecratio, ut apud Boëtium*, lib. 2. Metr. 2. 846

METRUM XLII.

*De Sanctis Martyribus. Ode, Dicolos distrophos. Exameter cum dimetro Jambico, ut apud Horatium*, epod. od. 4. 865

METRUM XLIII.

*Concentus musicus in laudem Dei. Ode, Dicolos distrophos. Trochaicus dimeter acatalectus. Cum altero dimetro catalecto, ut apud Martianum Capellam*, lib. 2. 874

METRUM XLIV.

*Harmonia mundi. Ode, Dicolos distrophos. Tetrameter dactylicus cum dimetro Jambico, ut apud Boetium*, libr. 4. Metr. 1. 887

METRUM XLV.

*Laudes Divi Benedicti Patris Monachorum. Ode, Dicolos distrophos. Exameter cum dactylico tetrametro acatalecto, ut apud Boetium*, lib. 1. Metr. 3. 893

METRUM XLVI.

*Ubique Deus. Ode, Tricolos tristrophos. Exameter heroicus cum dimetro Jambico, & penthemimere dactylica. Horat.* epod. od. 13. 916

METRUM XLVII.

*Angeli orantibus, & psallentibus assistunt. Elegia septima.* 918

METRUM XLVIII.

*Laudes solitudinis Dimetri Jambici, quibus solis utuntur Ausonius & alii.* 932

METRUM XLIX.

*Amoris potentia. Ode, Tricolos tristrophos. Trimeter Jambicus cum penthemimere dactylica, & dimetro Jambico, ut apud Horatium*, epod. od 11. 935

METRUM L.
Et ultimum.

*Hymnus Eucharisticus. Carmen Exametrum.* 944

TESTA-

# TESTAMENTUM

Quo se continuò præparavit ad Mortem

# FR. JOANNES

à S. CATHARINA Cognomento BONA

*Ordinis Cistercienſis in congregatione Italica magnum decus, humilis Monachus,*

Ex Monacho ABBAS Generalis, & demùm ex Generali titulo S. BERNARDI ad Thermas

## S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS.

---

## APPROBATIONES.

*Placeat Domino* Matthæo de Strozzis *Can. Flor. ac Sacræ Theologiæ Lectori perlegere, an in isto opere aliquid sit contrarium Sanctæ Fidei, & bonis moribus, & referat. Datum* 28. *Augusti* 1675.

Alex. Puc. *Vicar. Gener. Fl.*

In hoc EMIN. CARD. BONÆ Testamento, nihil contrà fidem; sed omnia in attestationem veræ fidei, & ad hæreditatis æternæ consecutionem tabulis hisce cœlestibus legitimè consignata reperi. Quare ego minimus inter fideles, non ut testis tantùm, sed ut novus etiam ipse testator meæ mentis, & intimæ erga Deum & homines voluntatis, attestationem refero.

Matthæus Strozza Can. Flor. Sacr. Theolog. Lector.

*In lucem edatur servatis servandis. Dat.* 4. *Sept.* 1675.

Alex. Puc. *Vic. Gen. Fl.*

Adi, 5. Septemb.

D'ord. del P. Reu. Inq. Il Pad. Conſ. Biagio Dolci Min. Oſſer. vegga, eriferiſca.

Fra. Cæſare Pall. Canc. del S. Off. di Fir.

*Rever. Pater.*

*Testam.* EMIN. CARD. BONÆ *à me diligenter lectum & consideratum expers ab omni nævo erroris tùm contra nostram sanctam Fidem Catholicam, tùm contrà bonos mores inventum est, maximæque utilitatis futurum, si typis mandetur.*

Fr. Blasius de Dulc.

Impr. Fr. Franc. Maria Vic. Gen. S. Off. Flor. S. Off. Conſ.

*Matth. de Merc. Adu. pro Ser. Magno Duce Etrur.*

# TESTAMENTUM
## SIVE
## PRÆPARATIO AD MORTEM.

Vigilate quià neſcitis diem neque horam. *Matth.* 25.

*In nomine Sanctiſſimæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

INter multos eoſque graviſſimos errores, temerè & inconſultò viventium, nihil damnabilius, nihil nocentius, quàm quod plerique mortalium, cum certò ſciant ſe morituros, diem verò vel horam migrationis ignorent, nunquàm tamen de morte recogitant, nunquàm ſe ad illud terribile momentum præparant, à quo pendet æternitas, ac ſi pactum cum inferno pepigiſſent, & mors ad ipſos nullo modo pertineret. Quod vitium commune noſtræ mortalitatis ſæpè conſiderans ego infrà ſcriptus, humilis Monachus, & indignus peccator; vocemque *Salvatoris* audiens, quâ nos hortatur ad vigilandum, quia neſcimus diem neque horam; memor item Scripturæ præcipientis, Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequàm veniat tempus afflictionis, & revertatur pulvis in terram ſuam. Cùm præſertim viderem amicos meos, paucis antè diebus repentinâ morte ſublatos, in manus Dei viventis incidiſſe: ne mihi contingat ſubitò hinc tolli, & ad tribunal diſtricti judicii cum ſordibus iniquitatum mearum perduci; ſtatui & decrevi; dùm ſenſus vigent corporis & vires animæ, ea quæ ſunt noviſſima (Divinâ favente gratiâ) providere, & meam ultimam voluntatem, in hunc qui ſequitur modum, declarare.

Timor enim & tremor venerunt ſuper me, comprehenderunt me laquei mortis, dolores inferni circumdederunt me, quia omnia in futurum reſervantur incerta, neſcitque homo amorene vel odio dignus ſit. Tinniunt aures cordis mei à voce tonitrui magni terribiliter intonantis: Oportet nos præſentari antè tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque quæ geſſit in corpore ſuo, ſive bonum, ſive malum. Metuo diem extremam tribulationis & anguſtiæ, diem calamitatis & miſeriæ, diem tenebrarum & caliginis, in quâ ſi Juſtus vix ſalvabitur, ego impius, ego ſceleſtus, ego maximus peccator, ubi apparebo? Contremiſco valdè à dentibus beſtiæ infernalis, à rugentibus, præparatis ad eſcam; & cupio antè mortem maturè mori, nè moriar in æternum.

CHRISTI igitur Redemptoris nomen invoco, antè thronum Divinæ Majeſtatis toto corde & corpore proſtratus, in præſentia *Deiparæ Virginis*, quæ Mater miſericordiæ jure vocatur, atque Angeli mei Cuſtodis, *S. Michaëlis* Principis Eccleſiæ, aſtantibus etiam, atque in ſpeculo lucidiſſimo Divini Verbi hæc omnia audientibus & videntibus Divis, *Joanne Baptiſta* Præcurſore Domini, *Petro* Principe Apoſtolorum, *Joanne Evangeliſta* & Apoſtolo magis directo; *Benedicto* Monachorum Patre, Virgine & Martyre *Catharina*, *Roberto* Ciſtertii Inſtitutore, & *Bernardo* Doctore Melliſluo, & Glorioſo *Stephano* Sancto Pontifice & Martyre; quos omnes humillimè deprecor, ut huic meæ ordinationi, propoſito, & voluntati teſtes infallibiles aſſiſtant. Fidem in primis, quam corde ad juſtitiam teneo, ſic ore confiteor ad ſalutem.

Credo & profiteor, quod unus eſt Deus verus, omnipotens, immutabilis & incomprehenſibilis, ineffabilis & æternus, PATER, & FILIUS, & SPIRITUS SANCTUS; *Pater* Unigenitus, *Filius* à ſolo *Patre* genitus, *Spiritus Sanctus* à *Patre* & *Filio* æternaliter procedens; non ſicut à duobus principiis aut duabus ſpirationibus, ſed ab utroque tamquàm ab uno principio & unicâ ſpiratione. Hæ tres Perſonæ ſunt unus Deus, non tres Dii; una eſſentia, una ſubſtantia, una immen-

immensitas, unum principium. Nullus alium, aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate; sed absque initio & sine fine, *Pater* est generans, *Filius* nascens, *Spiritus Sanctus* procedens.

Hæc Sanctissima TRINITAS, secundùm communem essentiam individua, & secundùm personales proprietatea discreta, suâ omnipotenti virtute & bonitate, omnem de nihilo ab initio temporis condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam & mundanam; ac deinde humanam, quasi communem, ex spiritu & corpore constitutam. Et Deus quidem omnia valdè bona creavit, sed diabolus & alii dæmones ipsi per se facti sunt mali; homo verò diaboli suggestione peccavit.

Credo item & profiteor, quòd Unigenitus Dei *Filius*, *Patri* consubstantialis, semper cum *Patre* & *Spiritu Sancto* existens, in plenitudine temporis, (ut à peccato *Adæ* ac cæterarum culparum sordibus nostram animam emundaret, & nos à pœnis inferni liberaret) incarnatus est de Spiritu Sancto in utero immaculato Beatæ semper Virginis MARIÆ; naturamque hominis veram & integram assumpsit, corpus videlicet & animam rationalem in unitate personæ Divinæ: tantâ unitate, ut unus & idem Christus sit Deus & homo, Dei filius & hominis filius; ita quòd una natura non confunditur cum alterâ, nec una transit in alteram, nec una miscetur alteri, nec altera evanescit; sed in persona omnino unâ sint duæ perfectæ naturæ, Divina scilicet & Humana, duæ voluntates, duæ operationes, ita ut *Christus* sit tantùm unus; & sicut formam servi Dei forma non ademit, ita formam Dei servi forma non minuit. Qui enim verus *Deus* est, idem verus est *homo*: *Deus* per id quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: *Homo* per id quod Verbum caro factum est & habitavit in nobis; unus & idem, secundùm Divinitatem æqualis æterno Patri & immortalis; secundùm verò humanitatem minor Patre, mortalis, & passibilis homo. Hunc verò prædico natum ex *Maria* Virgine, & ideò ipsam Virginem fateor Dei Matrem esse appellandam.

Firmiter etiam credo omnia & singula quæ continentur in Symbolo fidei, à trecentis decem & octo Patribus in Concilio *Nicæno*, & à centum quinquaginta in Concilio *Constantinopolitano* tradito, ac semper in Ecclesia inviolatè custodito.

*Ponatur hic Symbolum Sanctæ Fidei.*

Credo in unum Deum, &c.

Credo & profiteor, nullum unquàm hominem, ex semine Adæ conceptum & natum, fuisse salvatum aut fort salvandum, nisi per fidem Mediatoris Dei & hominis, Domini nostri JESU CHRISTI, in sangine & morte ipsius, quâ nos reconciliavit æterno Patri, & delevit chirographum iniquitatum nostrarum æternâ redemptione inventâ.

Insuper credo legalia omnia veteris Testamenti, quæ *Christum* figurabant, ipso adveniente cessasse, servarique non posse, jam promulgato Evangelio, sine interitu salutis æternæ. Novæ autem legis septem esse profiteor Sacramenta; nimirum *Baptismum*, *Confirmationem*, *Eucharistiam*, *Pœnitentiam*, *Ordinem*, *Matrimonium*, & *Extremam unctionem*; quæ gratiam conferunt dignè sumentibus, & perficiuntur verbis ut formâ, & rebus ut materiâ, & ministro qui facere intendat quod facit Ecclesia. Credo quoque & approbo sacros Ritus, in solemni eorum administratione. Recipio & admitto, quidquid de illis Sancta & Catholica Romana Ecclesia docet & prædicat. Firmissimè assero, quòd si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequàm plenè satisfecerint Divinæ Justitiæ, eorum animæ pœnis Purgatorii post mortem purgabuntur, à quibus tamen pœnis relevari possunt per fidelium vivorum suffragia, per Missarum sanctum Sacrificium, orationes, eleemosynas, & alia pietatis officia, secundùm Ecclesiæ instituta. Illorum verò animas, qui post Baptismum, vel nullam peccati maculam contraxerunt, vel à contractis plenè purgati sunt, in cœlum mox recipi assero, & Deum sicuti est, clarè intueri; magis tamen vel minus perfectè, pro meritorum diversitate. At eos qui decedunt in peccato mortali actuali, vel in solo originali, mox in inferno descendere ajo, disparibus tamen pœnis perpetuò puniendos.

Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, cæteraque observationes, & constitutiones ejusdem Ecclesiæ, firmiter admitto & amplector.

Itemque Sacram Scripturam, juxta eum sensum quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de Scripturarum interpretatione; omnesque Canonicos ejusdem libros suscipio, quos ipsa Catholica Ecclesia probat & suscipit.

Amplector item, suscipio, & approbo Sacrosanctas œcumenicas & orthodoxas Synodos, quas Apostolica Sedes approbat, suscipit, & amplectitur; videlicet *Nicænum* primum adversus *Arium*, *Constantinopolitanum* adversus *Macedonium*, *Ephesinum* adversus *Nestorium*, *Chalcedonense*m

adversus *Eutychem* Archimandritam & impium *Dioscorum* Alexandrinum.

In his quatuor primis Conciliis, velut in quadrato lapide, sanctæ Fidei structura consurgit.

Hæc cum *Magno Gregorio*, sicut Sancti Evangelii quatuor libros, ita suscipere & venerari me fateor; sed & alia Concilia universalia, pari reverentiâ & æquali approbatione, custodio; nempè secundum & tertium *Constantinopolitanum*, adversus hæreses *Petri*, *Anthimi*, *Severi*, *Sergii*, *Pauli*, *Theodori*, & aliorum; secundum quoque *Nicænum*, adversus Iconoclastas; quartum *Constantinopolitanum*, adversus *Photium* ejusdem Civitatis pseudo-episcopum. .... Schismatis primum auctorem; quinque *Lateranensia* celeberrima, adversus schismata, variasque hæreses & errores; duo *Lugdunensia*, unum universale contra varias item hæreses & schismata; unum *Florentinum*, contra errores Græcorum; ac novissimum *Tridentinum* adversus nostrorum temporum novatores.

Has omnes Synodos totâ devotione complector; quidquid illæ approbant, approbo; quidquid damnant, damno, respuo, abominor, & in sempiternum rejicio.

Doctores & sanctos Patres, quos approbat Sancta Romana Ecclesia, reverenter sustineo, & integerrimâ veneratione revereor.

Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum successorem esse *D. Petri Christique* Vicarium confiteor; ac ipsius ordinationibus, præceptis, censuris me semper & fideliter, absque ulla tergiversatione, obtemperaturum promitto.

Hæreses ab Ecclesia damnatas & anathematizatas, ego pariter damno & anathematizo.

Hanc autem Catholicam fidem, sine quâ nemo salvari potest, quam in præsenti sponte profiteor & veraciter teneo; eamdem integram & inviolatam, Deo adjuvante, usq; ad extremum punctum retinere & custodire, spondeo, voveo, & juro.

Hanc semper tenui, docui, & prædicavi; hanc semper tenebo, docebo, & prædicabo; hanc doceri & prædicari ab omnibus, quantum in me erit, procurabo.

Si quid autem à me dictum vel scriptum est aliquando, quod cum hac fide & doctrina non consentiat (quod certè sciens ac prudens nunquàm feci) id pro non dicto & pro non scripto haberi volo. Et si deinceps tale quidpiam, præsertim in graviori morbo, ore proferam; id ex nunc abominor & retracto, & ex animi mei sententia id nunquàm proficisci posse declaro, Dei optimi maximi favente gratiâ, sinè quâ nihil sum, nihil possum. Cæterùm pro hâc fide millies mori paratus sum, idque vehementer peropto; non meis viribus confisus, sed *Dei* fretus misericordiâ; qui cum dederit mihi hanc voluntatem, dabit & constantiam atque perseverantiam, ob suam infinitam bonitatem.

Hâc solemni fidei protestatione præmissâ, cum ingenti fiduciâ ad aram divinæ misericordiæ confugio, ut veniam consequar de peccatis meis; quæ tametsi gravissima sint (Tu solus *Deus* ea discernis) & multa nimis, major est tamen benignitas Dei, quàm sint omnes omnium hominum iniquitates, ab initio mundi usque ad finem. Et ego quidem omnia peccata, quæ commisi die à quo primùm peccare potui, usque ad hoc punctum, odi & detestor; meque prorsùs pœnitet ex toto corde, quod Dominum meum offenderim, quem amo super omnia; firmiterque propono ampliùs non peccare, & omnes peccandi occasiones devitare.

Tu verò, Domine mi, cui proprium est misereri semper & parcere, reminiscere miserationum tuarum & misericordiarum tuarum quæ à sæculo sunt. Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris, & ne statuas coram te: sed averte faciem tuam à peccatis meis, & respice in faciem *Christi* tui, in faciem dilecti Filii, pro me pendentis in cruce: ille enim ut me redimeret tradidit in mortem animam suam, & dignissimus est in quem respicias, quia ille pro meis & pro peccatis totius mundi, justitiæ tuæ copiosissimè satisfecit.

Hujus meritum affero ad te, in hoc solo meam spem & omnem fiduciam defixam habeo. Hæc est justitia mea & satisfactio mea, redemptio mea & propitiatio mea. Meis meritis onustus, clementissime Pater, iis meritis nimium confido quibus negare nihil potes. Accipe itaque spiritum meum, quâcumque horâ illum repetere volueris, non contemptibilibus auro & argento, sed pretioso sanguine Filii tui redemptum.

Exaudi, Domine; placâre, & fac, ô utinam nunquam peccassem! ô utinam omnes dies vitæ meæ in bonis operibus Deoque placitis actionibus transegissem! O si dies perditos revocare possem, aliamque vitam inchoarem! Quam vellem diligenter vel minimum defectum evitare, perpetuam innocentiam illibatam custodire! Sed, proh dolor! præterierunt dies mei, nec ampliùs revocari possunt, solaque temporis jactura irreparabilis est. Quoniam itaque nulla ad præ-

scriptum

scriptum est potentia, omnibus viribus animæ meæ avertens me ab omni temporis successione, ab omni locorum circumscriptione, in tranquillissimum æternitatis statum me confero; in quo Deus essentialiter existit, in quo nihil est præteritum, nihil futurum; in quo omnia deperdita reperiuntur. Hic me elevans super omnem creaturam, totusque in Deum transfusus, omni illo tempore, (quod ab initio mundi usque ad finem sæculi devolvitur) tam laudabiliter vixisse vellem, tam purè & obedienter, sicut omnes unquàm homines vixêre, in omni virtutum exercitio, in omni afflictione, paupertate, desolatione, labore, & operatione.

Hanc autem voluntatem omni momento renovare intendo, futurum confidens, ut benignissimus Dominus, qui voluntatem timentium se facit, hoc animi mei votum respicere & acceptare dignetur. Quamvis autem pro peccatis meis abundantissimam Redemptoris mei satisfactionem obtulerim æterno *Patri*, ipsi tamen pro illis satisfacere cupio in hac vita ex rigore justitiæ, hic uri, hic secari desidero; ad omnia flagella, ad omnia mala pœnæ toleranda, ad iram Domini portandam paratus, quoniam ei offensiones meæ multiplicatæ sunt. Omnia enim possum in eo qui me confortat, qui etiam facit cum tentatione proventum, ut possim sustinere, & in vita suæ misericordiæ memor erit.

Omnia peccata quæ tam in sæculo quàm in Religione, reus promissionis in baptismate factæ, & votorum monasticorum sacrilegus prævaricator, admisi; generali confessione, tum alias sæpè, tum hoc ætatis meæ trigesimo septimo virente anno, die secundâ Augusti, vigesimo scilicet professionis meæ, in Congregatione *S. Benedicti* Ordinis Cisterciensis, anniversario, divinâ opitulante gratiâ, expiavi; nihilque adhibitâ omni morali diligentiâ, scienter omisi, quod clarè, ut debui, non explicavi. Imò, si cognovissem id Deo placitum fore, universa delicta mea, & hic sigillatim describerem, & coràm omni populo in viis & plateis altâ voce confiterer; ut qui judicat aliquid de me, aliter quàm sit in me, ex eo quod foris apparet, manifestè cognosceret, quod sordibus inquinatus sim, quibus dignus sum omni pœnâ, omni ignominiâ, omnique honore & consolatione indignus. Quòd si inadvertenter vel ignoranter omisi aliquid, id ut suggerat memoria, *Salvatorem* meum enixè precor, qui scit insipientiam, & à quo delicta mea non sunt abscondita, ut Sacramentali confessione eluere, ac pro his dignè valeam satisfacere. Cor enim meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem.

Et quis potuit, nisi speciali lumine desuper illustratus fuerit, omnes latebras conscientiæ tam diligenter rimari, quin in tantâ scelerum multitudine aliquid effugiat quærentis sollicitudinem? *Delicta quis intelligit*, inquit Propheta? ideò consequenter cum eodem quotidiè psallo, Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo.

Quia verò scriptum est, *Dimittite, & dimittetur vobis*; ut hæc verba Domini ad me quoque pertineant, omnibus inimicis meis, qui malâ voluntate erga me sunt vel fuerunt, qui me verbo vel facto quocumque modo offenderunt, ex toto corde verissimè ignosco; & omnem injuriam remitto; si quid mihi de bono famæ debeant, illis omninò, in quantùm possum, condono; ac eosdem intimè diligo; flexisque genibus *Deum* precor, ut eis in omnibus benefaciat, & pro infamia, quâ me læserunt, honorem, pro detractionibus, bonam famam, pro odio, sanctissimum amorem suum; & pro omnibus malis mihi irrogatis, bona temporalia, saluti eorum utilia, suo tempore etiam retribuat. Fratres mei sunt; si oporteret, vitam pro illis libentissimè profunderem, eisque servire in omnibus, & omnem eis exhibere charitatem, cum Dei adjutorio, spondeo & juro.

Ab illis autem, quos ego aliquando offendi, aut verbis aut factis læsi, quos scandalizavi & ad peccatum induxi, veniam humillimè peto; ipsos rogans & adjurans, per vulnera patientis Domini mei JESU CHRISTI, ut omne debitum dimittant, meque in servum recipere dignentur, paratissimum ad omnem injuriam, per me illis illatam, justâ satisfactione compensandam.

Ad mortem alacriter subeundam me *Deo* promptum offero, quocumque loco, qualicumque modo ipse voluerit. Dominus est: faciat in me, & de me voluntatem suam. Et si ego possem mille adhuc annis in omni voluptate vivere; pro Dei amore mortem potiùs subire vellem. Et si liceret mihi, genus, tempus & locum mortis pro libito eligere; id nihilominus nullo modo præsumerem; quia nihil volo, nihil desidero, nisi Divinum beneplacitum, cui me in omnibus & per omnia subdo.

Unum dumtaxat rogo, ut Sacramento pœnitentiæ

tiæ purgatus, sacro refectus Viatico, & Oleo sancto inunctus hinc discedam: quocircà hæc Sacramenta toto cordis affectu, totâ mentis devotione postulo, ut juxta ritum Catholicæ Ecclesiæ mihi in extremis ministrentur; ut totus eorum virtute & efficaciâ à peccatis emundatus, Divinæque gratiæ munitus præsidio, insidiantes mihi hostes succutere, & ad Deum victor valeam pervenire.

Quià verò à summis Pontificibus, *Christi Vicariis*, quibus data potestas est ligandi atque solvendi, tum Ordini nostro generaliter, tum mihi specialiter ab URBANO VIII. sanctæ recordat, & ab INNOCENTIO X. nunc feliciter regnante, concessa est benedictio amplissima & plenaria indulgentia in articulo mortis; hanc mihi applicari, ac uti & frui volo; ut labiis purus, & ab omni culpa & pœna absolutus, divino conspectu, *Christi* suffragante gratia, possim gaudere. Fiat voluntas Dei: omne enim desiderium meum, satisfactionem tam animæ quàm corporis, Divino beneplacito submitto; paratus illi obsequi in tempore & æternitate. Verùm in hoc casu omnia prædicta spiritualiter recipere intendo; sperans & confidens per magnam misericordiam Dei, me tunc in gratia & amicitia ejus moriturum; in qua si moriar, beatus sum & benè mihi erit.

Omnem quamcunque infirmitatem *Deus* miserit, quamtumvis gravem, fœdam, & diuturnam, patienter ferre (Deo favente) propono, cupiens cum *Christo* affligi, cum *Christo* in Cruce mori; desideransque corpus infirmum, & laxam animam meam, ex nunc, cum ejus afflictâ animâ & membris pro me laceratis uniri, ea Deo Patri offerens in satisfactionem pro peccatis meis, & ad omnia quæ tunc temporis necessaria mihi fuerint impetranda.

Tentationibus dæmonum, quæ morientis animam apprehendere solent inter angustias, divinâ gratiâ me custodiente, nullatenus consentire intendo, sive sint spei longioris vitæ, sive infidelitatis, vel desperationis, aut nimiæ fiduciæ, vel cujuscunque alterius rei; illis autem oppono ex nunc Crucem & Passionem Domini Nostri JESU CHRISTI, intercessionem B. MARIÆ Virginis & *omnium Sanctorum*, eorum præcipuè, sub quorum tutela vivo; *Angeli* mei *Custodis* assistentiam, & Fratrum meorum orationes, quibus me devotè commendo: quod si fortassè ex pusillanimitate spiritus, ob terribilitatem divini judicii, vel ex debilitate rationis, me in aliquam tentationem incidisse (quod Deus per suam pietatem avertat) verbo vel facto indicavero; hoc ipsum nunc, sanæ mentis existens, revoco, detestor, & irritum fore, & pro non dicto aut pro non facto haberi volo; submittens me totaliter divinæ ordinationi & pietati.

Animam meam, in egressu suo è corpore, & post ipsius exitum & separationem, quantâ possum submissione & humilitate, *Deo Patri* commendo, ejusque *Filio* JESU CHRISTO, & *Spiritui Sancto*; atque idcircò procumbens ante thronum misericordiæ ipsius, indulgentiam ejus fusis lacrymis postulo, velut positus in articulo mortis. Succurre mihi, piissime *Domine*, in hâc horâ, & ne respicias peccata mea; nec me sinas in peccatis perire, quem creavit dextera tua. Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. Tu enim dixisti per os Prophetæ tui benedicti, quod in quâcumque horâ reversus fuerit peccator à viis suis malis, omnes ipsius iniquitates traderes oblivioni. In hac spe singulariter constitutus, audeo oculos levare meos ad te, qui non sum dignus respicere altitudinem cœli præ multitudine iniquitatum meārum. Jube me, Domine, à sanctis Angelis suscipi, & ad patriam Paradisi perduci, quam generi humano per Crucem & Passionem tuam dilectus Filius tuus acquisivit; non in meis meritis (quæ nulla sunt) nec in justificationibus meis, precans postulo ante faciem tuam; sed in miserationibus tuis multis confido, & in sanguine Domini mei Filii tui JESU CHRISTI.

In hoc confido, & non erubescam; in hoc spero, & non confundar. Benedic mihi, JESU amantissime, & nunc in pace dimitte me; quoniam tuus ego sum, & in æternum non dimittam te. Quis jam me poterit à tuâ charitate separare? Tu salus mea, quem timebo? Tu protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

Et ecce ad te venio, quem amavi; ad te propero, quem desideravi: in te vivam, in te moriar; in te, si volueris, in æternum permanebo. O si totus in te mergi, totus absorberi, & sepeliri in te volens, moriar! O si anima mea, inter amplexus tuos suaviter requiescens, tota absorbeatur in te, & felicissimè fruatur te Deo, amatore meo! Quid mihi jam ultrà cum mundo, mi chariſſime JESU? Ecce nec in cœlis quidquam volui præter te. In manus tuas commendo spiritum meum. Respice in me dulcis amor, ut in æternum benè sit mihi in te, & in pace tecum obdormiam & requiescam.

Sonet

Sonet in auribus mentis meæ vox illa jucunda, vox illa dulcissima, vox illa beatificans: Hodie mecum eris in Paradiso. Suscipe me, JESU CRUCIFIXE, inter amorosa brachia tua, quæ pro me in cruce extensa cerno & complector. Suscipe me inter desiderabiles amplexus tuos, & trahe ad te animam meam. Suscipe me, bone JESU, in misericordiâ tuâ; suscipe in pace spiritum meum. Amen.

Et tibi quoque Beatissima Virgo *Maria*, mater misericordiæ, Regina mundi, consolatrix afflictorum, refugium peccatorum, salus pereuntium, tibi, tibi, tibi, fons pietatis, in hac hora tremenda, commendo animam meam. Adjuva me trepidantem, cadentem subleva, errantem dirige, consolare desolatum. Impetra mihi à dilecto filio tuo misericordiam, quam semper optavi. Tu me semper in omnibus periculis clementer adjuvisti, mitissima Mater; ne me deseras in hoc ultimo discrimine constitutum, à quo pendet æternitas. Monstra te esse matrem, & loquere pro me bona ad Filium tuum; ut recreet me jacentem in umbra mortis. Fac, ô Benedicta, per gratiam quam meruisti, per animam quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te quoque intercedente participem me faciat gloriæ & beatitudinis suæ JESUS CHRISTUS Filius tuus Dominus noster.

*Sancte Michaël* Archangele, qui venisti in adjutorium populo Dei, Princeps militiæ cœlestis, qui divinâ virtute diabolum contrivisti, subveni mihi apud altissimum Judicem, & eripe me ab immundorum spirituum insidiis, & perduc animam in locum refrigerii & quietis.

Et tu, *Angele sancte*, cujus tutelæ & custodiæ ego indignissimus peccator commissus sum, assiste mihi in hoc puncto, & omnem satanæ potentiam à me procul expelle. Apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi. Salva me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam. Educ me de laqueo, quem absconderunt mihi, & restitue à malignitate eorum animam meam.

Subvenite mihi & vos, Patroni mei & tutelares Sancti. Tu *Joannes* Præcursor *Christi*, animus sponsi, vox Divini Verbi; rectas face semitas meas, & dirige in conspectu Domini viam meam. Tu Claviger Regni cælestis, Apostolorum Princeps, beatissime *Petre*, pro tradita tibi potestate, solve vincula peccatorum meorum, & aperi mihi januam Paradisi.

Tu *Joannes* Evangelista, qui de sacrario Dominici pectoris ineffabiles divitias divinæ suavitatis hausisti, illustra tenebrosam animam meam, afflictam recrea, mihique impetra in egressu meo ardentissimæ charitatis affectum.

Tu glorioſissime Monachorum Pater *Benedicte*, ne mihi imputes ad damnationem Regulæ tuæ transgressiones, de quibus doleo quantùm possum, sive ex malitiâ illæ fuerint, sive ex humanâ fragilitate.

Vos decus & capita Ordinis Cistercienſis *S. Roberte, S. Alberice, S. Stephane, S. Bernarde*, qui me arborem infructuosam jam per multos annos in hac vineâ vestrâ adeò patienter sustinuistis, expectantes à me fructus, quos non nisi amarissimos parturivi, ah! ne me deseratis in hac horâ; filius enim vester ego sum, tametsi hoc nomine nequaquam dignus. Tu fortissime Christi Martyr & sanctissime Papa *Stephane*, in cujus die natali per secundum Baptisma in solemni votorum nuncupatione renatus sum; Tu me respice ab alto, & constantiam impetra in hoc certamine, ac de hoste tartareo glorioſum triumphum.

Vos reliqui Sancti & Sanctæ, quos speciali devotione veneror. *S. Arseni, S. Thoma de Aquino, S. Catharina Virgo & Martyr, S. Magdalena*, postremam luctam meam precibus vestris adjuvate. En ego flens, gemens, & suspirans, quia manus Domini tetigit me. Jam mihi præteriit mundus; jam mihi tempus elapsum est, & quod hactenùs operatus non sum, nunquàm ampliùs operabor: jam mihi sese offerunt ante oculos res novæ & extremæ, de quibus anteà non cogitaveram; mors mihi in oculis est, jam scelerum meorum longè gravissimorum seriem audio publicari: jam parat se Judex ad sententiam inappellabilem pronunciandam, vitæ & mortis sempiternæ. Ah! non me deserite in his summis angustiis meis. Si quid unquam feci, quod vobis gratum fuerit, pro me supplices procumbite ante Dominum, & meum mihi Judicem conciliate: quatenus, vestrâ placatus intercessione, ad veram beatitudinem me perducat, in quâ vos cum ipso regnatis in sæcula sæculorum. Amen.

Corpus meum, egressâ animâ, sepulturæ mandabitur in communi Monachorum sepulcro, ad beneplacitum Superiorum, quibus me & omnia mea committo. Rem temporalem non habeo de quâ disponam; pauper enim sum & nudus Monachus; & si videor aliquos libellos possidere, mihi in usum permissos à superioribus meis, ergà istos tamen & exiguam meæ cellulæ

supellectilem, & ergà vestes quibus induor', nullum affectum proprietatis per gratiam Dei habeo; paratus his omnibus me expoliare, ad omnem vel minimum nutum cujuslibet Superioris mei. Precor autem Abbatem seu Priorem, in cujus Monasterio moriar; &, si contingat me mori dum Prælati munus indignè exerceo, rogo Fratres meos charissimos, ut vestem mihi laceram ob Dei amorem in eleëmosynam largiri dignentur, ut eâ involutum corpus meum terræ consignetur è quâ sumptum est, in terram reversurum, donec in novissimo die resurgat, cum venerit Dominus ad judicandum.

Suffragia item quæ fieri solent, precor ut fiant quàm citissimè pro miserâ animâ meâ, tàm in Missis quàm in Officiis, & consuetâ eleëmosynâ, & si quis aliqua supererogaverit, non ero ei ingratus in conspectu Domini mei.

Scripta mea & libri, quos Deo inspirante composui, & ea omnia quæ vitâ comite deinceps componere intendo, si nondum impressa fuerint cum moriar, peto ut remittantur amicis & Dominis meis Superioribus qui tunc fuerint, vel his quos ego moriturus nominabo, si spatium temporis competens id præstandi habuero; ut si eis videbitur, ad Dei gloriam, & proximi utilitatem, ea typis mandari curent; præmissâ præfatione, in quâ lector admoneatur, me omnino scripta mea Sapientum correctioni ac S. Romanæ Ecclesiæ censuræ submittere, in cujus fide & vivere & mori volo. Si verò accidat, ut meæ qualescumque lucubrationes, post meum decessum, in lucem prodeant; obtestor eos qui id curabunt, ne quid magnificè de me miserrimo & stultissimo peccatore præfari velint; sed simpliciter dicant me talia scripsisse ad Dei gloriam, ut me ipsum instruerem ad virtutem; nihilque boni in illis contineri, quod acceptum non sit à sanctis Patribus & Doctoribus Orthodoxis, vel ex antiquis Philosophis ethnicis, qui multa nobis utilia documenta reliquêrunt, & ab aliis scriptoribus, è quorum lucubratione meos tractatus omnes concinnavi.

Quod si per multos annos, quæ mea juvenilis est ætas, à Deo prorogata fuerit, & longius spatium pœnitentiæ mihi concessum; protestor & declaro, me velle omnino mores meos mutare in melius, & vitam perfectiùs instituere, omnemque horam & momentum in sanctis & Deo placitis operibus impendere. Tu Domine, qui hanc voluntatem dedisti servo tuo, tribue gratiam perficiendi quod te donante propono.

Ecce enim provolutus ante Majestatem tuam, in centro nihilitatis meæ, fiduciam habeo orandi ad te, quoniam fortitudo mea & refugium meum tu es, & propter nomen tuum deduces me, & diriges me in semitam rectam, ut custodiam mandata tua. O quàm me pœnitet, quòd hactenus tàm negligenter vixerim; quòd tempus mihi concessum ad promerendam gratiam tuam, in rebus vanis & inutilibus consumpserim; quòd in currendâ viâ mandatorum tuorum adeo piger & remissus fuerim; quod vota mea, quæ distinxerunt labia mea, tam frequenter prævaricatus sim; quod varias & multiplices corporis infirmitates & animi afflictiones, quibus me servum rebellem & contumacem erudire & exercere dignatus es, non eâ, quâ par erat, patientiâ & resignatione sustinuerim, & mentem obdurans servili nequitiâ ad paterna flagella clementiæ tuæ cervicem substuli. Retinebant scilicet me nugæ, vanitates, & ludibria terræ; teque relinquens fontem aquæ vivæ, fodiebam mihi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Et nunc, Domine, recogito dies meos in amaritudine animæ meæ, & confiteor dedecora mea in laude tuâ, quia eruisti animam meam ex inferno inferiori, & conversus consolatus es me. Nullum enim remedium supereſt salutis & emendationis, nisi ut levem ad te, Domine, oculos meos, quia imperfectum meum viderunt oculi tui. Memento quæso animæ meæ, attende gemitum meum, & da mihi virtutes sanctas, quæ tibi placent. Da in bono perseverantiam, da mihi assimilari tuæ sanctissimæ Humanitati, tuæ Divinitati intimè uniri, & ad altissimum perfectionis gradum pervenire.

Gratias ago, tibi benignissime *Pater*, ob universa beneficia tua, quòd me creaveris ad imaginem & similitudinem tuam, quòd me hactenùs conservaveris, quòd me sanguine tuo redemeris, quòd per Baptisma gratiæ tuæ dono ditaveris, quòd me toties ad pœnitentiam expectaveris, & à tot malis & peccatis præservaveris; tot bonis gratiæ & naturæ, totque occultis, quæ ipse non cognosco, cumulaveris; quod præsertim ad sanctæ Religionis perfectionem me vocaveris, mihique immensam in cælo gloriam præparaveris.

Ideò, quoties respiro, toties te laudibus celebrare intendo, quibus te laudaverunt & laudabunt omnes creaturæ tuæ, ab initio mundi usque in æternum, & laudibus omnium Angelorum & Sanctorum, Beatissimæ Virginis Matris tuæ, & sacratissimæ Humanitatis tuæ, his quæ continentur in veteri & novo Testamento & in omnibus libris mundi; easque laudes tibi dare & of-

& offerre desidero, quibus dignus es, & quas tibi denegant omnes impii & scelerati. Et quia affectus meus insufficiens est ad te dignè collaudandum, offero tibi in supplementum meæ imperfectionis, omnium Angelorum voluntates, omnium corda, omnium rerum motum & essentiam, omnes ignotos affectus Beatissimæ Virginis & omnium Justorum.

Offero tibi insuper animam meam & corpus meum, omnes cogitationes, verba, & opera; quidquid habeo, quidquid cupio, quidquid sum. Offero tibi omnes divitias & regna mundi; & si hæc omnia solus haberem, libentissimè omnia dimitterem propter te, & omnes facultates pauperibus distribuerem; offero tibi omnes infamias, dedecora, vituperium, omnes afflictiones mentis & corporis, quæ fuerunt & sunt ab initio mundi usque ad finem, paratus hæc omnia pati & tolerare propter te, si tu volueris. Offero tibi quidquid cogitatum, dictum, & factum est, vel cogitari, dici, fieri debet & potest à cunctis Angelis & hominibus, & ab aliis infinitis, quos potes creare; summè desiderans hæc omnia propter te, & alia plura cogitare, loqui, & perficere per gratiam tuam, sine quâ nihil possum, nihil sum. Adjuva me, Domine, qui scrutaris renes & corda. Tu nosti quàm verè & ardenter hæc cupiam; nam ante te est omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

Procul, procul à me omnis terrena delectatio; procul omnes amici & sodales; procul omnes civitates & castella, omnes montes & valles, omnes rivuli & fontes, omnia flumina & maria, omnes campi & sylvæ, omnia nemora & prata, omnes volucres cœli & pisces maris, bestiæ & universa pecora, & omnis prorsùs creatura. Procul omnes cantilenæ, omnia musica instrumenta, omnes flores & odores, omnia convivia & colloquia, omnes honores & favores, omnes ludi & discursus, omnes deliciæ & inutiles occupationes. Procul omnes divitiæ & dignitates. His omnibus, Domine, & cæteris quæ in mundo sunt, abrenuncio propter te. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in æternum.

De cætero, Fratres mei dilectissimi, qui residui eritis & supervivetis in hac valle lacrymarum, memores estote judicii mei, sic erit & vestrûm. Mors omnibus communis est: ille autem beatus vocari debet, qui omnem diem vitæ suæ tamquàm postremum transigens, quotidie moritur, ut supervivat; quotidie vivens descendit in infernum, ne descendat post mortem; vitamque suam ad præscriptum divinæ legis sic instituit, ut omni momento paratus sit mori. Sic facite, dilectissimi; mortem omni horâ suspectam habete: obedientiæ insistite usquè ad finem vitæ: de momento in momentum sub divinæ voluntatis ordinatione satagite, ut per bona opera certam faciatis vocationem vestram: pacem habete, perfecti estote, & *Deus* pacis vobiscum maneat. Amen.

Hæc est voluntas mea ultima, quam Dei freetus auxilio nunquam mutabo: hanc renovare intendo omnibus diebus omnique momento vitæ meæ. Tu, Deus, qui das velle & perficere, conserva hanc voluntatem in me, erige deficientem, atque etiam rebellem propitius ad te compelle voluntatem, exure in me flammâ Charitatis omnem proprietatem, reseca ferro tribulationum, omnem dissimilitudinem spiritus mei à spiritu tuo, omne quod tibi contrarium est à me prorsus eradica; argue me in virgâ tuâ, ut, cùm venerit extrema dies, nihil in me remaneat igne purgandum.

Verumtamen augens dolorem, auge & patientiam; ne deficiat in malis vita mea. Dum justè iraseeris, memor esto miserationis tuæ; & dum superbum provocantem corripis, ne despicias miserum invocantem. Quis enim poterit virgam correctionis tuæ sustinere, nisi tu, qui sic purgas quem amas, tolerandi vires subministras? Memento itaq; quod sicut lutum feceris me; & sic renova, sic expurga, sic perfice figmentum tuum, ut non deficiat.

Ego sum miser homo ille, quem tu, potentissime Deus, creasti propter te ipsum, & ad te ipsum. Ego sum miser homo ille, quem tu sanguine pretiosissimo *Filii* tui misericorditer redemisti. Ego sum miser homo ille, quem tu salvare potes secundùm abyssum misericordiæ tuæ. Domine Jesu, sanctifica me; & per illam amaritudinem quam substinuisti propter me in cruce, maximè in illâ horâ, quando anima tua egressa est de corpore tuo, miserere animæ meæ in egressu suo. Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me. Concede mihi, dulcissime Jesu, ut Corpus tuum pretiosissimum sit mea finalis refectio: glorioſissimum nomen tuum, quod est Jesus, sit mea finalis locutio. Imprime cordi meo omnium vulnerum tuorum acerbissimam passionem, uni voluntatem meam cum sanctissimo beneplacito tuo; ut nihil aliud optare possim, quàm quod tu vis.

Absconde me in aperto vulnere lateris tui, & non timebo mala, ambulans in regione umbræ mortis. Illumina oculos meos, ne unquàm obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, prævalui adversùs eum. Locutus sum in lingnâ meâ, notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, quis est, ut sciam quid desit mihi. Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo. Periit fuga à me, & non est, qui requirat animam meam. Clamavi ad te, Domine, dixi, Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. Veni Domine Jesu, veni, & noli tardare, relaxa facinora mea. Solve vincula, educ vinctum de domo carceris, de lacu miseriæ, & de luto fæcis. Expectans expectavi te, intende mihi & exaudi me. Ostende mihi faciem tuam, quam Angeli semper vident; sonet vox tua in auribus meis, vox gratiæ & remissionis, vox jucunditatis & lætitiæ. Recipe me ab hominibus: tempus enim est, ut revertar ad te, qui solus es principium meum, finis meus, centrum animæ meæ, unicum solatium meum, satietas mea, requies spiritus mei, *Deus meus* & exaltans caput meum, qui vivis, & regnas, laudabilis & glorioſus & superexaltatus in sæcula sæculorum.

Actum *Astæ*, in Monasterio *Sanctæ Mariæ* Consolationis, Congregationis reformatæ *S. Bernardi* Ordinis Cistercienſis, per manum mei JOANNIS *Monachi* peccatoris, qui professus sum vivere sub Regulâ sanctissimi Patris *Benedicti*, regnante Domino nostro *Jesu Christo*, anno ab ejus salutiferâ Nativitate M. DC. XLVI. die X. Octobris, incipiente anno ætatis meæ XXXVIII. Indict. XIV.

FR. JOANNIS *à S. Catharina*, cognomento BONA. Postea verò S. R. Eccl. CARDINALIS.

# ORATIO

## *Ejusdem ad S. S.* TRINITATEM.

O Summa TRINITAS, una Virtus, indiscreta Majestas, *Vnitas* in substantia, *Trinitas* in Personis; numerabiliter innumerabilis, mensurabiliter immensurabilis, invisibilis, ineffabilis, admirabilis, incomprehensibilis: Deus magnus sine quantitate, sine qualitate bonus, sine tempore sempiternus, sine situ ubique præsens, sine loco ubique totus; omnia implens sine extensione, sine indigentiâ omnia creans, sine motu omnia movens; in magnitudine infinitus, summus in bonitate, in virtute omnipotens, in sapientiâ inæstimabilis, terribilis in consiliis, in verbis verax, in operibus sanctus, justus in judiciis, copiosus in misericordiâ, patientissimus ergà delinquentes, piissimus ergà pœnitentes; cui nec præterita transeunt, nec futura succedunt; cui nec origo initium dedit, nec tempora dant incrementum; quem nec spatia dilatant, nec voluntas variat, nec mœsta perturbant, nec læta demulcent; *Deus* sanctorum Spirituum & cunctæ carnis, à cujus conspectu tremit cœlum & terra, cujus nutui obediunt elementa; vita vivificans me, lumen illuminans me. Aperi mihi clamanti portas justitiæ, & ingressus in eas confitebor tibi. Te adoro, te laudo, te glorifico labiis & corde, omnique, quâ valeo, virtute, te benedico; & procumbens humiliter sub pedibus magnificentiæ tuæ, gratias ago tibi, qui per illustrationem gratiæ tuæ illuminasti me, & per matris Ecclesiæ documenta in fide tuâ confirmasti me. Et unde hoc mihi, factor cœli & terræ, qui bonorum meorum non eges, unde mihi hoc quod amasti me? Quid tibi dedi, & retribuisti? Ubi eram antequàm fierem, & ut inciperem bonum? Sed tuâ gratiâ factus sum, & innumerabilibus donis tuis honoratus sum. Perfice ergò me, qui feciſti me: perfice usque ad formam plenam imaginis tuæ & similitudinis, ad quam formasti me. Te invoco, O beata TRINITAS, ut venias in me, & templum me facias dignum gloriæ tuæ. Rogo *Patrem* per *Filium*, rogo *Filium* per *Patrem*, rogo *Spiritum Sanctum* per *Patrem* & *Filium*, ut omnia vitia elongentur à me, ut omnes sanctæ virtutes plantentur in me. Deus immense, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia facta sunt; custodi me, opus manuum tuarum, in te sperantem & in tua solummodò misericordia confidentem. Custodi me quæso, hic & ubique, nunc & semper, intùs & foris, ita ut in me nullus pateat locus insidiis inimicorum. Ad te, beatissima TRINITAS, anima suspirat; quoniàm à te infeliciter exulat. Discedens à te quantis se intricavit erroribus, doloribus, timoribus? Cor meum conturbatum est, & indè dolor: dereliquit me virtus mea, & indè pavor; lumen oculorum meorum non est mecum, & indè error. Verumtamen in te speravi, Domine, quoniam confitebor tibi, cum error verus à ratione, à voluntate dolor, atque à memoria timor omnis recesserit; & succesſerit illa.

illa quam spero mira serenitas, plena suavitas, æterna securitas.

Æterne *Pater ingenite*, impassibilis; principium sine principio, auctor bonorum, fons veritatis, ac totius entitatis origo; Deitas tua me totum repleat, ejusque gloriæ participem faciat, quam Filius tuus mihi promeruit, sanctifica me in veritate, ut tui timore & tremore semper stem in conspectu tuo, nec unquàm mens mea à te evertatur. *Fili unigenite*, non posterior nec minor Patre, eique omninò co-æqualis & consubstantialis; Deus de Deo, lumen de lumine, candor lucis æternæ, Verbum incarnatum, virtus omnipotens; sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti; imago Patris, splendor gloriæ & figura substantiæ ejus; illumina intellectum meum, robora infirmitatem meam, ut te cognoscam & diligam, & tanquàm unicum præsidium meum omnibus præferam. *Sanctissime Spiritus*, à Patre & Filio procedens, utriusque amor, & arctissimum vinculum charitatis essentialis, & totius charitatis principium; ignis consumens, flamma vitalis, donum superans omne donum, à quo omnia bona in nos descendunt; inflamma voluntatem meam ferventissimo tui amore & constanti charitate: ut te solum quæram, & universa despiciam. Adstringe me *Tibi*, & *Patri*, ac *Filio*; ut nec intellectu, nec affectu à vobis divellar sancta & adoranda TRINITAS, Deus meus & omne bonum meum, abrenuntio propter te omnibus mundi pompis & honoribus; detestor omnem carnis, & sensuum voluptatem: anathema divitiis & vanitatibus sæculi; gloria mea hæc sit pro te contemni, mea voluptas tibi adhærere, meæ divitiæ tibi servire, in sæcula sæculorum. Amen.

*Meritorum memoria oblivioni traditur; Ut hæc vigeat*, Lector, *me Testamentum hoc ab Eruditis.* Ant. Magliabechio *recepisse scias, cui mecum debes ad beneficium reddendum, ora ut misericors Deus, nonnisi protestationibus hisce præmissis, nos vitam cum morte commutare sinat.*

FINIS TESTAMENTI.

# INDEX GENERALIS
## RERUM & VERBORUM.


A.

ABassia quæ regio sit. 911. Qui Abassinorum ritus. *ibid.*
Ablutio. 605.
Abnegatio. 57. 74. 75.
Absolutio publicè pœnitentium. 401. 435. quibus olim negata. 398. 602.
Abstinentia. 39.
Abrahæ sacrificium mysticè explicatur. 765.
Acediæ descriptio & curatio. 13.
Acerra. 468. 474.
Acœmetarum monasteria. 664.
Actio idem ac canon. 557.
Actiones ex Motivo examinandæ. 244. col. 1.
Adam vindicatur à quorundam accusatione, quod laudes Deo post creationem non cecinerit. 657. 658.
Adoratio unde dicatur. 719.
Adoratio spirituum apparentium. 312.
Adoraturi sedeant vetus paræmia. 914.
Æolius modus. 879. 883.
Ætatis aureæ descriptio. 747. Metr. 19.
Ætatis nostræ defectus. 759.
Ætatis antiquæ & novæ comparatio. Metro 19. 747.
Ætatum ratio habenda. 251. 11.
Æthiopum sive Abassinorum ritus. 359. 911.
Affectiones animi quot & quæ. 229.
Affectus animæ erga Christum crucifixum. Metr. 4. 673. & Metr. 18. 742.
Affectus animæ quærentis sponsum. Metr. 16. 735.
Affectus varii amantis animæ. Metr. 24. p. 767. & Metr. 40. 843.
Agape Christianorum. 328.
Agenda. 335. 638.
Agnus Dei. 583. 584.
Agnum offerri à Romanis, calumnia Photii. 539.
Agobardi Lugdunensis error circa divinum officium. 853. col. 2.
Alba. 450.
Albanenses Europæi & Asiatici & eorum ritus. 358. 912.
Aliturgici Dies. 402. 405.
Allegoriæ voluntariæ reprobantur. 848. col. 2.
Allegoriis & ænigmatibus occultarunt antiqui res sacras. 668. col. 2.
Alleluja quæ vox sit. 533. 828. Ejus encomia ex patribus. *ibid.* Cur hæc vox non sit translata in aliam linguam. *ibid.* Vox Hebraica est. 832. Quid latinè significet. 832. Cur certis diebus intermittatur. 828. 829. 830. Cur prolixiori Modulatione cantetur. 829. A quo primum cantari cœperit. 829. Ejus Multiplex usus. 829. 830. Olim etiam dicebatur in officiis defunctorum. 830. Audita hæc vox in templo Serapidis ejus ruinam portendit. 831.
Altare portatile. 417. 418.
Altaris vestes & ornamenta. 479.
Altarium usus & origo. 416. Altaria olim lignea, tum lapidea & argentea. 417. 479. Plura in eadem ecclesia. 385. Consecrata cum reliquiis martyrum. 415.
Alterni cantus antiquitas. 841. 842.
Ambitio. 14.
Ambrosianorum Missa. 361. 362. sq.
Ambrosianus ritus à quo institutus & qualis. 899.
Ambrosius an sit auctor librorum de Sacramentis. 351.
Amen quid significet & alia quædam de hac voce. 519. 566. 588. 863.
Amicitia. 34. 97.
Amictus. 449.
Amor Dei in quo consistat. 99. Quid sit. 170. Ejus origo, prærogativæ. *ibid.*
Amor ecstasin facit. 277.
Amor proprius. 267. 1. Ejus effectus. 62. 63.
Amor vigilare facit. 703. Metr. 8.
Amoris carnalis notæ. 265. Creati & increati lucra. 842. Metr. 40. Motiva erga Deum. 29. Natura. 19. Perfecti modus. 100. Amoris philosophia à quibus discenda. 170.
Amoris potentia. 19. Metr. 8. p. 703. 704. Metro 49. 935. Vehementia. 241. 242.
Amphionis fabula. 871.
Amula. 544.
Anaboladium. 449. 450.
Anagogici Motus. 114. 160.
Anaphora. 336.


Angeli

Angeli ab initio Deum laudarunt. 655. 656.
Angeli adstant orantibus & psallentibus. 918.
Angelica salutatio ejusque dignitas & excellentia. 813. à quibus composita fuerit. 814. Cur dicatur in divino officio. *ibid.*
Angelorum dotes & ministeria. Metr. 47. 918. 919. Motiones. 257. Locutio & illuminatio. *ibid.* & 258. apparitiones. 307.
Angelus initiò terret. 259. 7. Angelus Malus transfigurat se in Angelum lucis. 239. Angelus vel in propria vel in Dei persona apparet. 306.
Animæ divisio mystica. 126. Lucra cum Deo. 739. Dignitates. 799. Purgatio non differenda. 803.
Animarum regimen periculosum. 69. 243. 3.
Annulus. 457.
Antimensia. 416. 418.
Antiphona quid sit, 502. 841. quæ origo & quis usus Antiphonarum: 841. Charitatem significat. 842.
Antiquitatis vis & excellentia. 649. 650.
Apodipnon idem ac completorium. 905.
Apologiæ ante Missam. 490. 491.
Apostolicum. 414.
Apostolorum Liturgiæ. 353. seq. prima Missa, ejusque ritus. 341.
Apparitionis & visionis discrimen. 282. 283. 303.
Apparitionis corporalis & imaginariæ discrimen. 308.
Apparitiones quomodo fiant. 281. 282. Non sunt desiderandæ. 303. 312. 314. 319. quæ cautela in his adhibenda. 282. 283. quædam veræ, quædam falsæ. 304. Earum genera. 284. 304. 305.
Apparitiones Dei. 304. 305. An solus Dei filius in veteri Testamento apparuerit. 305.
Apparitiones Sp. S. 306. Christi personales & in Eucharistia. *ibid.* B. Virginis. 307. Angelorum. *ibid.* Dæmonum. 308. Hominum defunctorum & viventium. 309.
Appetitus sensitivus coërcendus. 18.
Apuleji textus corruptus emendatus. 879.
Aquamanile. 471. 472.
Aqua vino miscenda. 548. Eam græci bis miscent. *ibid.*
Archidiaconus. 485.
Archipresbyter. 485.
Areæ & Cœmeteria. 413.
Arionis Methymnæi fabula. 870.
Armarius. 574.
Armeniæ & Armeniorum rituum descriptio. 359. 434. 435. 906.
Ascensio mentis in Deum. 765. 766.
Aspirationum usus. 114. 117. 121. 807. Earum fasciculus. 147.
Asteriscus. 472.
Athanasii Symbolum quando & à quo scriptum. 863. seq. Cur die Dominica recitetur. *ibid.* A Carthusianis dicitur quotidie. 897. Itemque ab Ambrosianis. 900.
Athei confutantur. 653. Scazon adversus atheos. 654.
Athos mons in Macedonia. 906.
Attentio ad sensum verborum cæteris præfertur. 925. Ad orationem vocalem an meditationibus impediatur. 924. An satisfaciat suæ obligationi, qui psallendo rapitur extra se. 924.
Attentio in oratione necessaria. 922. Attentio triplex, ad verba, ad sensum verborum, ad finem, qui Deus est. 923. Earum vis & discrimen. *ibid.*
Avaritia. 9. 802.
Audacia. 23.
Audientes. 399.
Ave Maria. Vide Angelica salutatio.
Aurora. 710. 711.
Austeritas necessaria. 251.
Azymi & fermentati controversia. 435. 436. Ecclesiam latinam diu fermentato usam. *ibid.*
Azymorum usus quando & qua occasione inceperit. 444.

B.

Baculi olim depositi cum legeretur Evangelium. 532.
Baculus pastoralis. 459.
Basilica. 414.
Basilicarii. 485.
Basilii Liturgia. 357.
Beati cur non omnes. 51.
Benedictio pro collecta sive oratione. 582. 860.
Benedictio duplex in Missa, & alia quædam de Benedictionibus. 579. Benedictiones & earum usus. 854. Cur lectionibus præmittantur. *ibid.*
Benedictiones episcopales post orationem Dominicam. 579.
Benedictiones frugum & aliarum rerum, quo loco olim in Missa fierent. 574.
Benedictus Pater Monachorum Psalmodiæ propaga-

pagator. 664. Ejus laudes. Metr. 45. 893. Vidit in hac vita essentiam Dei. 892. Cantavit in utero Matris. 893. Quomodo officium divinum ordinaverit. 894. Primus completorium instituit. 759.
Beneficium. 32.
Bisuntinæ Ecclesiæ ritus. 903.
Boni & mali spiritus qualiter discernantur. 239. 310. 311.
Breviarium quid sit. 913. Cur codex sacrarum precationum Breviarium nuncupetur. 913.
Brevitas humanæ vitæ. Metr. 5. 675. & Metr. 23. 762. 763.
Brutis an insit ratio. 651.

C.

CAbalistarum errores & dogmata. 678.
Calatorium. 471.
Caligæ. 456.
Caligo divina. 302. Mystica 766.
Calix, & de eo multa. 465.
Calix baptismi. 468.
Calumniæ ethnicorum adversus Christianos. 339.
Camisia. 450.
Campanarum origo. 430. 432. ad quem spectet eas pulsare. 433. Campanæ pulsatio ad elevationem. 567. Campanæ religiosorum. 434. Campanarum initiatio. *ibid.*
Candelabra. 473.
Canon Missæ. 556. Ejus nomina & auctor. 557. Canonis interpolatio damnatur. 556. 571.
Cantatorium. 476.
Cantica eorumque usus, numerus, materia & origo. 847. seq. Quomodo differant cantica à Psalmis. 848.
Canticum quid sit, & quid significet. 847.
Canticum Psalmi & Psalmus Cantici in quo differant. *ibid.* Per alia Cantica ad Canticum Canticorum pervenitur. 849. Cantica Evangelica cur stando cantentur. 851. Canticum *Te Deum laudamus* quis composuerit. 849. Canticum trium puerorum. 610.
Cantores aquam offerebant. 544.
Cantorum & Musicorum discrimen. 878. 879. Cantorum ordinatio apud Orientales. 488. Cantorum schola. 487. Olim populus cantare solebat. 514.
Cantus alterni origo. 507. Antiquitas. 841. Cur in Cantu eadem verba repeti soleant. 538. Cantus Ecclesiasticus. 486. 868. 885. Cantus Gregoriani proprietates. 884. Cantus Gregorianus à quodam Abbate explosus & novus turpiter introductus. 885.
Cantus figurati lepida descriptio. 878. Col. 2.
Capitulum quid sit. 859. Cur singulis horis & quo ritu recitetur. *ibid.*
Cappa. 462.
Carmelitarum ritus. 898. Preces post elevationem. 567.
Carnalis spiritus notæ. 265. num. 15.
Carthusiani ordinis laudes & ritus. 897.
Castitas. 39.
Casula. 454.
Casubula. 455.
Catalepsis. 279.
Catechumenorum disciplina & Classes. 392. 396. 400.
Cathisma. 903.
Cautela in mulierum revelationibus. 316.
Cemeliarches. 469.
Ceremoniæ quid sint. 920. A fidelibus ad infideles translatæ. 921. Veræ à falsis & superstitiosis discernendæ. *ibid.* Ceremoniarum usus & efficacia. *ibid.* externæ sine spiritu interno non prosunt. 922.
Chaldæorum ritus. 912.
Charitas. 29. 95. 98.
Chartæ piarum donationum positæ in altari 543. Col. 2.
Chirothecæ. 457.
Chrismale. 476.
Christiani veri characteres. 58. Opera. 59. Vita, *ibid.* quæ scire debeat. 64. ipsi tria necessaria. 65. Etiam Crux & abnegatio. 74. Christianorum tria genera. 47.
Christiani S. Joh. Baptistæ & S. Thomæ in India. 912.
Christus dies sine nocte. 684, Semper in medio. 736. Ejus passionis memoria quam utilis. 672. Erga eam affectus. Metr. 4. 673. & Metr. 18. 742. Christi crucifixi contemplatio. 738. 742. Christus sacrificii institutor. 338. Pictus in forma agni. 308. 583. 584. Christi apparitiones. 306.
Chrysostomi Liturgia. 358.
Cibi sumendi hora apud antiquos. 743. seq. Qui olim semel, qui pluries in die reficerentur. 744. 745. Christianorum veterum hac de re mores. *ibid.* & 746.
Cingulum. 450.
Cisterciensis ordo B. Virgini specialiter dicatus est. 776. Ejus prærogativæ & de illis Veterum

rum Teſtimonia. 896. Ejuſdem ritus. *ibid.*
Clauſula Orationis, *Per Dominum noſtrum.* 518.
Cleanthis Aſſii Apophthegma. 929.
Clementia. 40.
Clementis Miſſa. 355.
Clepſydra, & de ea ænigma. 683.
Clocca. 433.
Cochlear. 472.
Codices Sacrarum precationum quot & qui ſint. 912.
Cœmeteria. 413. 769.
Cœnæ Antiquorum. 742.
Cogitationum principia. 232, 1. ſeq.
Cognitio Dei omnibus innata. 650.
Cognitio ſui neceſſaria. 749.
Cola, colum, colatorium. 471. 472.
Colchorum ſeu Mengrellenſium ritus. 358. 912.
Collecta. 334. 515. Collectæ nomen æquivocum. 516. 859. Collectarum uſus, materia, & auctores. 860. Collecta aliquando benedictio dicitur. 860. De poſtrema Collectæ clauſula. 862.
Colloquia inutilia vitanda. 927.
Colobium. 463.
Comes S. Hieronymi. 524.
Communicatio cum ſanctis. 502. Communicantium ſitus. 593.
Communio duplex. 540. Communio idem ac Miſſa. 335. Communio intincta. 598. Communio Laica & Eccleſiaſtica. 601. Communio mortuorum. 541. 592. Communio, id eſt, Antiphona populo communicante. 586. Communio peregrina. 602. Col. 2. Communio puerorum. 599. Communio ſanguinis cur dicta confirmatio. 470. Communio ſub utraque ſpecie. 594. Sub unâ tantum. 595.
Communionis varii ritus. 587. Frequentia. *ibid.* Abuſus. 592. Ordo. 593.
Compagi. 456.
Competentes. 392. 395.
Completorium cur ſic dictum. 759. cur à lectione inchoetur. *ibid.* à S. Benedicto primò inſtitutum fuit. *ibid.* Qua hora celebrandum. 762. Ejus myſteria. *ibid.* 763. admonet nos finis noſtri. 762. Ei ferventius adeſſe debemus multis de cauſis. 768. Cur ei præmittitur hic verſus, *Converte nos Deus ſalutaris noſter.* 820.
Concentus Muſicus in laudem Dei. Metr. 43. 874. Concentus Myſticus animæ. 887.
Conciliorum origo, auctoritas, frequentia. 348.
Confeſſio ante Miſſam. 489. 497. Col. 2. 500. Cur fiat ad primam & completorium. 867. Confeſſio Sacramentalis. 490.
Confeſſorum feſta quando agi cœperint. 389.
Conſecratio. 565.
Conſiſtentes. 400.
Conſolatio Spiritualis quid ſit. 270. Quotuplex. *ibid.* II. Ejus redundantia in ſenſus. 243. 4. Quomodo Dei inſtinctum notet. 248. Ea multi abutuntur. 271. A Deo & à Dæmone eſſe poteſt. 270. Ejus pericula & damna. 271. Conſolationis & deſolationis viciſſitudo. 272. 273.
Conſtantia viri juſti Metr. 35. 806.
Conſtitutionum Apoſtolicarum ſub nomine Clementis Auctoritas. 355.
Contemplatio quid? 123. Ejus ſeries ex ſacrificio Abrahæ deſcribitur. 765. Contemplationis objectum, cauſæ. 123. Ejus auctores. 126. Quotuplex. *ibid.* Ejus gradus & ſtatus. *ibid.*
Contemptus rerum terrenarum. Metr. 24. 767. & Metr. 29. 787.
Converſatio mala. 27. Mutua. 34.
Converſio vera quæ ſit. 820.
Copti ſive Cophti qui ſint & eorum ritus. 359. 911.
Corporale. 476.
Corpus caſtigandum. 802.
Cortina ante Presbyterium. 478.
Coſmas & Damianus Martyres qui fuerint. 563.
Creaturæ ſcala ad Deum. 799. Invitantur ad laudandum Deum. Metr. 10. 715. 716.
*Credo.* Vide Symbolum Apoſtolorum.
Crepuſculum quid ſit. 706. An diei vel nocti tribui debeat. *ibid.* Linea crepuſculorum. 707. Ejus duratio & plura de crepuſculis. 707. 708.
Crucis ſignum. 474. 822. ſeq. Ejuſque antiquitas & virtus. *ibid.* 823. Ab eo incipiunt omnia divina officia. *ibid.* Crucis encomium. *ibid.* 824. Signum crucis quâ ratione formatur. *ibid.*
Crux appenſa pectori. 456. Crux ſua cuique ferenda. 54. 251.
Cryptæ Monaſterium Græcorum in agro Tuſculano, ejuſque ritus. 413. 906.
Cryptæ urbis. 413.
Cura corporis poſt mortem. 786.
Curæ nimiæ tollendæ. 926.

Curiositas cohibenda. 934.
Custodia sensuum. 927. 932.

D.

DÆmonium meridianum. 736. 737.
Dalmatica. 457. 463.
David & psalmorum laudes. 845. 846.
Defunctorum animæ & pro iis officium. 777. seq. ipsius officii institutio. 780. & ritus. *ibid.* Cur certi dies tributi sint sacris pro mortuis offerendis. *ibid.*
Defunctorum memoria. 571.
Denuntiationes in Missa quo loco fierent. 583.
Dei cognitio hominibus innata. 651. 652. est tamen difficillima. 653. semper homo malè de Deo meruit. *ibid.* Deus cognoscitur ex creaturis. 650.
Dei existentia manifesta. 653. Dei ignorantia unde proveniat. 652. Atheismum vel superstitionem parit. *ibid.*
Dei inspiratio & ejus notæ. 255.
Dei instinctus & ejus signa. 248. 1. seq. quomodo moveat. 238. 239.
Dei locutio ejusque modi. 252. Dei motiones variæ. 247.
Dei nomina præcipua decem ex Hebraico fonte. 832. 833. Dei nomen quadriliterum cur ineffabile dicatur. 833. Omnia Dei nomina includi in nomine Jesu. 834.
Deo & diabolo multa tribui quæ à nobis sunt. 232. 6.
*Deo gratias* vox antiqua in Ecclesia. 526. 857.
Deos omnes Ethnicorum referri ad solem. 720.
Deum nemo videre potest, nisi moriatur. 764.
Deus cur se laudet in scripturis. 656. Divinæ laudis initium. 640. 650. 655. 656. 657. Successio ab initio mundi usque ad Christum. 657. 658. Deus invocandus initio operum. 670. 822. Dei invocatio. Metr. 1. 649. Dei misericordia. 794.
Deus cur laudetur hora prima, tertia, sexta & reliquis, non autem aliis horis. 671. Deus ubique est. Metr. 46. 916. Dei præsentia. 26. 61. 915. 919. 931. Deus solus illabitur menti. 258. 3. Solus efficaciter movet. *ibid* 4.
*Deus in adjutorium meum intende.* 822. Hujus versiculi usus. *ibid.*
Delitiæ spirituales quomodo examinandæ. 246. 10. 11.
Desolatio mystica. 126. Duplex. 273. Ejus remedia. 274. Causæ & effectus. 273.
Desperatio. 23.
Detractiones tolerandæ. 86.
Devotio quid sit & qui ejus effectus. 930. 931. Quæ ejus adjumenta. 931. Quæ impedimenta. 933. 934.
Diaboli instinctus. 260. Illusiones & fraudes. 260. 1. 261. 318. 3. 4. Diaboli apparitiones. 308. Docere potest, sed non illuminare. 258. 2.
Diaconi. 480. Diaconissæ. 482. Diaconicon. 448.
Dicerion. 472.
Dies quid sit. 679. An dies noctem præcedat vel nox diem. *ibid.* Divisio diei in naturalem & artificialem. 680. 685. Diei civilis initia varia apud varias gentes. 685. Cur dies divisa in duodecim horas. 685. seq. Diei naturalis partes antiquo Romanorum more. 685. seqq. Diei & noctis mirabilis vicissitudo. 685. 689. Diei & noctis divisio in quatuor partes. 690.
Diebus tributa nomina secundùm Musicam proportionem. 872. Dies verus Christus est. 684.
Dies Aliturgici. 402. 405. Liturgici. 405. Polyliturgici. 406.
Dignitatum vanitas. 14.
Dilectio nota divini spiritus. 242. 16. Dilectio proximi. 96.
Diluculum. 709. Cur diluculo orandum. *ibid.* 710. 711.
Dionysii Missa & de illo judicium. 355. 356.
Dioscori Liturgia. 359.
Diptychæ. 561. seqq. 571. 780.
Directoris consilium necessarium. 233. 236. 237. 260. 3. 262. 6.
Disciplina psallendi. 913.
Discretio Spirituum quid sit. 226. Quomodo differat à prophetia. *ibid.* An detur per modum habitus. *ibid.* & 227. Varii ejus modi. *ibid.* Ad quid se extendat. 229. Ejus regulæ generales. 227. 235. 1. seq. Discretio ex lumine infuso. 228. & per modum artis. *ibid.*
Discretionis difficultas & necessitas. 223. 224. 231. Ejus regulæ non sunt infallibiles. 233. 234. 235. 238.
Dispensatio à lege & pro ea cautelæ. 314.
Discus. 469.
Dithyrambus. Metr. 24. 767. 838.

Divisio animæ Mystica. 126. 764. col. 1.
Divitiæ spernendæ. 9. 31. 801. Earum usus. 82. Divitum curæ. Metr. 33. 801.
Docilitas indicium boni spiritus. 249.
Doctor spiritualis qualis esse debeat. 805.
*Dominus vobiscum.* 513. 859. 860. Divinissima salutatio, ejusque origo & cur collectæ præmittatur. 861. Cur ei respondeatur *& cum spiritu tuo.* ibid.
*Domine non sum dignus.* 586.
Dominicæ diei prærogativæ. 864.
Dominicale. 589. col. 2.
Dominicum pro Missa. 334. Pro templo. 414.
Domni & Nonni appellatio & de eo plura. 854. 855. seq.
Dorius tonus. 879.
Durandi error. 409.

E.

Ecclesiæ & templi discrimen. 412.
Ecclesiæ catholicæ varias esse consuetudines & ritus, qui non officiunt unitati fidei. 888. 889.
Ecstasis quid sit & quomodo fiat. 275. Status animæ in ecstasi. 276. Ecstasin multipliciter contingere. 277. 278. Ejus causæ. 278. Signa falsæ ecstasis. 281. Ecstasis vitæ. 279. Naturalis. *ibid.* Dæmoniaca. *ibid.* Ecstasi resistunt viri sancti. 280. 281.
Eleemosyna. 30. 5. 83.
Elevatio Eucharistiæ. 566.
Emboliſmus. 577.
Encolpion. 456.
Energumeni & eorum signa. 264. 14. 397.
Enos quomodo cœperit invocare nomen Domini. 658. col. 1.
Enthusiasmus & dicendorum propositio. Metr. 3. p. 670. 726. Metr. 13.
Ephrem Syri hymnus. 361.
Epigonatium. 460.
Epimanicion. 451.
Episcopi sepulti sub altari. 416.
Epistola & Evangelium à lectore legebantur. 525. 530.
Epistolæ Episcoporum lectæ in Ecclesia. 523. Epistolæ laureatæ. 754. Epistolæ nomen & usus. 522. Epistolæ pontificum usque ad Siricium cujus auctoritatis. 333. 334.
Epitrachelion. 454.
Epomadion. 462.
Esseni. 658.
Ethnicorum quorundam impietas erga defunctos. 783.
Evagationum fontes qui sint. 928. Evagationibus semper mens subjecta est. 926. Evagationum remedia. 929. Evagationes involuntarias non obesse orationi. 930.
Evangelium. 529. Evangelium in fine Missæ. 609. Evangeliorum libro qui honor habitus. 475. 533. 507.
Eucharistiæ institutio. 755. Eucharistia manu excepta. 588. Domi asservata. 590. ad absentes Missa. *ibid.* Item Missa in signum communionis. 443. delata in itinere. 591. in templis custodita in turri & in columba propter infirmos. *ibid.* defunctis consepulta. 592. pro infirmis quomodo conservetur à Græcis. 596.
Eucteria. 414.
Eulogiæ. 447.
Eutrapelia. 40.
Examen instinctuum. 233.
Exapostilarion. 904. 906.
Excessus ab humanis. Metr. 23. 762. seq.
Exempla quantum prosint. 805. 936.
Exemplorum pertinentium ad divinum officium decades quatuor. 937. seqq.
Experientia necessaria ad discretionem. 228. 236. 3.
Expulsio sive dimissio profanorum ab Ecclesia. 396. 401.
Externa sine internis non prosunt. 922.

F.

Fabulis veritas velata. 669.
Facere idem ac sacrificare. 335.
Fanon. 451. 460. 478. 544.
Favores extraordinarii suspecti. 246. 10. 11.
Felicitas vera in quo consistat. Metr. 34. 803.
Feria quinta cur olim Missa careret. 403.
Fermentati usus. 435. 441.
Fermentum missum ecclesiis à pontificibus. 441.
Fidelitas. 33.
Fidei mysteria. Metr. 38. 817.
Fides commendatur. 29.
Fiducia sui mala. 245. 7.
Finis rectus indicium boni spiritus. 249. Finis ultimus quis. 3. 51. 54. 55.
Fistula. 471.
Flabella. 472.

*Flectamus genua.* 515.
Flentes. 399.
Fletus ad vesperam cur demorari dicatur. 750.
Floribus ornatum altare. 480.
Fontes in atrio templi. 419.
Fortitudo. 36.
Fractio hostiæ. 578.
S. Francisci Epistola & de ea judicium. 387.
Fratres cur se mutuò vocent Christiani. 551.
Funerum ritus qui auctores describant. 786.
Futura contingentia dupliciter cognosci possunt. 296.

G.

GAllicanæ Ecclesiæ ritus. 372.
Gaudium. 22. in tribulationibus. 86.
Gelasii Missale. 475. 517.
Gemelliones. 471.
Gemitus animarum in purgatorio. 779.
Gemitus pœnitentis. 751.
Gentium vitia. 266. col. 2.
*Gloria Patri.* 503. Quando cœperit in fine Psalmorum cantari. 895. De hujus versiculi origine errores confutantur. 825. 826.
*Gloria in excelsis.* 511.
Gloria vera quæ sit & cui debeatur. 827.
Glorificare Deum quid sit. 827.
Gradus quindecim vitæ spiritualis. 800. seq.
Graduale. 476. 502. col. 2. 526.
Græcorum ritus. 357. 903. 905. Eorum officium quot & quibus codicibus contineatur. 912. Græcorum major ingressus. 549. Græcorum oratio post consecrationem ut panis fiat corpus Christi & ejus explicatio. 569. 570.
Gratia gratum faciens & gratis data. 225. 226. Utriusque discrimen. *ibid.*
Gratiam gratis datam etiam in malis reperiri. 227. Ejus species. 226.
Gratiæ & libertatis concordia. 820.
Gratia Spiritus S. quid operetur. 729.
Gratiarum actio necessaria. 673.
Gratiarum actio pro fine operis. 944.
Gratitudo. 32.
Gregorius Magnus commentaria sua in Job publicè legi in Ecclesia prohibuit. 853. 854. Quid addiderit canoni. 564. 575.
Gremiale. 460.
Guido Aretinus Monachus inventor facilioris methodi cantandi. 878.
Gulæ mala & remedia. 7. 77.

H.

H*Anc igitur oblationem.* 564.
Harmonia mundi. 875. Metr. 44. 887. 888.
Hipparchus Pythagoricus cur expulsus à schola. 668. col. 2.
Homeri poëma allegoricum. 668. col. 2.
Hominis interioris & exterioris pugna. 934. differentia. 64.
Hominis & spiritus similitudo observanda. 242. 13.
Hominis lapsi status. 265. 266.
Hominum apparitiones. 309.
Hominum diversitas. 266.
Homo cur rectæ staturæ. 652. 801. qua potissimum ratione à brutis distinguatur. 651. Vitiosus fit bestia. 652. Vix natus tendit ad finem. 762. seq. Homo sibi hostis. 267.
Hora unde dicta. 682. Horæ nomen æquivocum. 679. 681. Fabulæ poëtarum de horis. 682. Nomina horarum. 679. 680. Imago horarum apud Philostratum. 682.
Horæ pro anni tempestatibus olim acceptæ. 681. Olim nuntiatæ à servis. 684. Horæ æquales & inæquales. 687. Hybernæ & æstivæ. 688. Horæ Canonicæ. V. Psalmodia, officium divinum. Horæ ad Deum laudandum quæ & qua de causa institutæ. 678.
Horæ in sphæra maximè obliqua quomodo computandæ. 707.
Hora legitima ejusque officii celebrandi quæ sit. 693. Hora prandii & cænæ quæ olim fuerit. 743. seq. Hora Missæ celebrandæ destinata. 428. Horarum canonicarum varia nomina. 667. Earum calumniatores reprehenduntur. 666. col. 2. Horarum duodecim diurnarum antiquo more distributio. 688. seq.
Hora Romuli uxor. 682.
Horologiorum primi inventores. 683. 684. Usus & species. 684. Horologia mirabilis structuræ. 683. seq. Monachi olim quomodo horas metirentur. 684. Horologium quid moraliter significet. 682. de Horis & Horologiis elegia. 685.
Hostiæ situs in altari. 549. Hostiarum, quibus nunc utimur, origo. 446.
Humanæ miseriæ deploratio. 935.
Humanarum rerum inconstantia. 739. seq. & vicissitudo. 750.

Huma-

Humanus Spiritus. 265. Ejus inconstantia & malitia. 267.
Humilis descriptio. 92.
Humilitas. 41. 88. 90. 91. 806. est necessaria ad Discretionem. 236. num. 6.
Hyemantes. 400.
Hymni Liturgici. 556.
Hymnus quid sit. 839. Hymnorum auctores. 837. 840. Primi inventores. 837. Varia genera & laudes. *ibid.* quo ritu cantentur. 840. de Hymnis Orphei. 837. Hymni sanctissimæ Trinitatis. 655. Angelorum, primorum parentum & veterum patrum. 658. Primorum Christianorum & de illis testimonia infidelium. 657. 659. 660. Hymnus Christi post cœnam quis fuerit. 838. Hymnus ad Christum. 725. Metr. 12. Hymnus Eucharisticus pro fine operis. Metr. 50. 944. 945.
Hymnus S. Ephrem. 360.
Hyperæolius Tonus. 879. 883.
Hyperdorius. 879.
Hyperiastius, 879. 884.
Hyperlydius. 879.
Hypermixolydius. 879.
Hyperphrygius. 879.
Hypoæolius. 879. 883.
Hypodorius. 879. 883.
Hypoiastius. 879. 883.
Hypoionicus. 883.
Hypolydius. 879. 883.
Hypomixolydius. 884.
Hypophrygius. 879. 883.

## I.

Jacob ejusque lucta cum Angelo. 714.
Jacobi Apostoli liturgia. 354.
Jacobitarum ritus. 359. 912.
Jastius Tonus. 879.
Iberi nunc Georgiani, & eorum ritus. 358. 912.
Jaculatoriæ orationes. 114.
Ideæ falsæ. 65.
Jejunia quatuor temporum olim propria sede carebant. 583.
Jejuniorum ratio apud veteres. 693. Jejuniorum diebus qua hora cibum sumerent antiqui Christiani. 746. Jejunium ante Missam & communionem. 422. Jejunium ecclesiasticum olim incompatibile cum perceptione Eucharistiæ. 427.
Ignis alienus quis sit. 424. Quis Ignis obscurans solem. 724.
Ignorantia malorum radix. 652.
Iliton. 476.
Illabi menti proprium Dei. 258. num. 3.
Illapsus Dei. 246. num. 11.
Illuminatorum vitia. 243. 264. 313. 315.
Illusiones diaboli. 260. 263. num. 11.
Illyricorum ritus. 911. Lingua in sacris. 358.
Imaginatio & ejus instabilitas. 928.
Impatientiæ remedia. 88.
Incensi usus. 474.
Incipientium gradus. 800. Tentatio aliorum conversioni incumbere. 263. num. 12. 264.
Inferni conjuratio. Metr. 27. 779.
Infidelium oratio statis horis. 657.
Ingeniorum diversitas. 265.
Insania hominum. 57.
Inspirationis divinæ signa. 255. num. 1. seqq. Effectus. *ibid.* Quomodo expetenda. 256. Inspirationibus divinis sæpè errores miscentur. 246. num. 9.
Instinctus qualiter examinandi. 225. Instinctus dubii & obscuri. 241. Instinctuum principia. 231. Instinctus divinus. 247. Angelicus. 257. Diabolicus. 260. humanus. 265. Instinctus ad opera mirabilia qualis sit. 244. num. 6.
Instructor morum. 4.
Intellectus à quo continendus. 25.
Intentio duplex actualis & virtualis. 915. Intentionis puritas. 52. 807. 915.
Interpolatio Missæ. 504. 509. 512. 571. 611. Missa interpolata. *ibid.*
Introitus Missæ. 502.
Introitus parvus & magnus Græcorum. 506.
Invidiæ descriptio & curatio. 13.
Invitatorium quid sit, ejusque ritus. 834. 835. Explicatur Psalmus: *Venite exultemus Domino.* ibid.
Invocatio superni auxilii. Metr. 1. 649.
Ionicus Modus. 883.
Iræ effectus, causa, remedia. 10. seq. 24. 5. Ira Dei duplex. 821.
Irenicæ preces. 507.
Irreverentes in choro arguuntur. 920.
*Ite Missa est.* 607.
Judicia aliorum spernenda. 25.
Judicium visionis Propheticæ quomodo fiat. 320. Judicium, quo fit discretio, incertum. 233.
Justa cur dicantur funeratio. 783.

Justificationis ordo. 787. 788.
Justitia. 31.

K.

KYrie eleison. 507. 796. etiam infideles usi sunt hac precatione. 796.

L.

LAbia cur aperire deprecemur initio nocturni officii. 819.
Lac & mel datum recens baptizatis. 394.
Lachrimarum varia genera. 246. 12. Utilitas & vis. 751. Hortatio ad lachrymas. Metr. 21. 752.
Laici excluſi ab altari. 545. & ſanctuario. 421.
Lancea. 472.
Languor poſt divinum inſtinctum ejuſque cauſa. 251.
Laudes poſt collectam. 521. Qua hora dicendæ. 705. 708. An ſint officium diſtinctum à nocturnis vigiliis. 705. 706. Quæ ſint laudum rationes myſticæ. 708.
Lectiones in Miſſa. 522. Ordo Lectionum per annum. 524. Lectionum antiquitas, utilitas & excellentia. 851. Uſus & ritus. 852. Quæ & qualiter in Eccleſia legantur. 852. 853. cur eis præmittatur benedictio. 854. cum leguntur, cur ſedeamus. 856. col. 2. poſtrema earum clauſula explicatur. 857.
Lectio ſpiritualis. 932.
Lectoratum ſolum inter minores ordines agnoſcunt Græci. 484.
Lectores olim Epiſtolam & Evangelium legebant. 525. 530.
Legis diſpenſatio. 314.
Leucotheca. 708.
*Libera nos* poſt *Pater noſter*. 577.
Liber Evangeliorum. 475.
Liberalitas. 35.
Libertas Spiritus. 250. 8. Libertas & gratia quomodo cohæreant. 820.
Libri Eccleſiaſtici Latinorum & Græcorum quot & qui ſint. 912.
Libri Liturgici. 475.
Lignorum uſus pro campanis. 430.
Linea veſtis ſacerdotum ethnicorum. 450.
Linguæ cuſtodia. 17. Mala. 77. 358. Linguæ variæ in ſacris. 343. 344.
Linguarum mutatio. 344.
Litania quid & quotuplex. 796. Quando & à quibus inſtituta. *ibid.* Earum deſcriptio. *ibid.* Vis & efficacia. 797.
Liturgiæ nomen. 335.
Liturgiæ multæ orientalium. 361.
Locutio divina quid & quotuplex. 252. ſeq. effectum ſuum ſtatim operatur. 253. 2. Ejus modus. 254. non ſemper intelligitur. 253.
Lotio manuum. 550.
Lucani verſus explicatur. 691.
Lucernarium, hora lucernaris & Pſalmi lucernales. 757. 758.
Lucta Jacob cum Angelo, animæ cum Deo. 714.
Lugdunenſis Eccleſiæ laudes & ritus. 898.
Lumen neceſſarium ad diſcretionem. 224. 228. 291. 292.
Luminis divini proprietates. 250. 9.
Lumen falſum. 268. 4. Lumen propheticum. 291. 292. Luminum uſus in Miſſa. 342. 474.
Lux myſtica animæ. 712. 713. Lucis encomium. 711.
Luxuria. 8.
Lydius tonus. 879.
Lyſidis Epiſtola. 668.

M.

MAgas ſive Magadium. 882.
Magiſter ſpiritualis qualis debeat eſſe. 805.
Magnanimitas. 37.
Magnificentia. 35.
Manipulus. 450. 451.
Manſuetudo. 40.
Mantilia altaris. 477.
Mappula. 450. 451.
Maria virgo Major omni laude. 770. 809. 813. 814. difficile de ea ſcribere. 769. 813. Cur dicta negotium omnium ſæculorum. 770. Ejus cultum ſemper viguiſſe. 771. Ejus encomia & invocatio. Metr. 25. 771. Metr. 26. 774. 775. Ejus nomen venerandum. 777.
Mariæ virginis officium parvum. 772. Ejus inſtitutio antiquior quam vulgus putet. *ibid.* A monachis Benedictinis originem habet. 773. Ritus explicatur. 775. ſeq.
Maronitæ & eorum ritus. 909. 910.

Mar-

Martyrium. 414.
Martyrologium cur legatur post primam. 866. Quo ritu. *ibid.* Primi ejus scriptores. 866.
Martyrum tormenta. 865. Metr. 42. 865. 866. Reliquiæ. 415.
Matutina sacra apud Ethnicos. 709. Matutinæ salutationes. 725. seq. Matutini nomen æquivocum. 706. Unde dicatur. 708. Matutinum officium. V. Laudes. Matutinum tempus aptissimum contemplationi. 712.
Mediocritas laudatur. 736.
Mediolanensis Ecclesiæ ritus. 361. 362. Vel de ritu Ambrosiano. 899.
Melchitæ. 359.
*Memento.* 560. 571.
Memnonis fabula. 716.
Meridies quid sit. 679. 680. idem Mystice. 734. Solis effectus in Meridie mystice explicantur. 233. seq. Meridie cur oremus. 737.
Mezonyction. 906. 904.
Mezoria in officio Græcorum. 905.
Minorum ordinum antiquitas & officia. 483. 484. 485.
Miracula. 241. num. 9.
Misericordia signum divini spiritus. 240. num. 6.
Missa quale sacrificium. 177. Variæ considerationes ante Missam. 183.--186. quæ Missæ celebrationem antecedunt. 186.--201. De Missæ celebratione. 201.--211. Quid agendum post Missam. 213.--217. Missæ nomen. 327. Missa idem ac Missio. 328. Missæ nomen multa significat. 330. Missa pro die festo. 332. Missarum solemnia. 333. Missas tenere. 333. Missæ nomen antiquissimum. 333. Missæ varia nomina. 334. Patrum de illa testimonia. 340. Quis primus celebraverit. 341. Missæ primæ apparatus. 342. Missæ Apostolorum formulæ. 343. Missa olim qua lingua. 343. Cur non agatur lingua vulgari. 344. Missæ ordo corruptus ab hæreticis. 348. 349. Missa Romana. 349. 351. Missa Africana. 350. Missa Clementis. 355. Dionysii. *ibid.* Basilii. 357. Chrysostomi. 358. Ambrosiana. 361. 362. Gothica seu Mozarabica. 363. Gallicana ante Pipinum. 369. 372. Edita ab Illyrico. 369. 370. & in Appendice. 611. Missa antiqua in die S. Martini. 373. S. Stephani. 375. S. Germani. 377. Missa solemnis publica, generalis quæ sit. 379. 380. Missæ olim aderant soli communicantes. *ibid.* Missæ publicæ vetitæ in Monasteriis. 380. Missæ privatæ. 381. 405. Earum usus antiquissimus. 383. 405. Missæ solitariæ. 382. Missæ de Sanctis. 384. Missæ pro defunctis. 385. 390. Missæ plures in eadem Ecclesia. 386. Missæ sine communicantibus. 386, Missæ de Tempore. 388. Missæ votivæ. 389. Missa Præsanctificatorum. 390. Missa sicca, seu nautica. 390. Missæ plures in unum congestæ. 391. Missa Catechumenorum & Fidelium. 391. 392. Missæ plures ab uno sacerdote eadem die. 406. Missa aliquando extra templum & sine altari celebrata. 412. Missa una à pluribus simul acta. 386. Missæ nocturnæ & vespertinæ. 423. Missæ præparatio. 489. 490. Omnes functiones sacræ intra Missarum solemnia. 575. Missa Latina interpolata. 611.
Missale. 475. Missale S. Gelasii. 517. Missalis & Breviarii consonantia necessaria. 506.
Mitra. 457.
Mixolydius tonus. 879. 881.
Modestia. 40.
Monachi an quotidie antiquitus celebrarent. 404.
Monachorum in choro multiplex tentatio. 822.
Monasticus ritus. 892.
Mons sanctus in Macedonia. 906.
Mores nostri quàm diversi ab antiquis. 759.
Mors hominis duplex apud Platonicos. 763. Mors Mystica. 276. 277. 764. Mors inexorabilis. Metr. 29. 789.
Mortis memoria. 781. Mortis contemplatio vera Philosophia. 782.
Mortuorum memoria. 495. 780. 781. Mortuos sepeliendi varii mores. 783. Mortui qui plangendi. 784. Orandum pro mortuis. *ibid.* Ritum orandi pro mortuis qui auctores astruant. 785. Romanorum pietas erga mortuos. 783. Officium pro mortuis. V. Defuncti.
Moscovitæ & eorum ritus. 358. 911.
Mozarabes eorumque ritus. 363. 572. 901. ubi nunc vigeat hic ritus. *ibid.*
Motio vide Instinctus.
Motionum principium duplex. 231.
Motus boni à gratia, mali à nobis vel à Diabolo. 232. 233. Motus anagogici. 114. 160.
Mulieres an admissæ ad publicam pœnitentiam. 400. Mulieres in templo separatæ à viris. 420.

*Multi*

*Multi sunt vocati, pauci electi.* 102.
Mundani spiritus notæ. 265. 15.
Musica, ejusque laudes, & usus in nuptiis, conviviis, funeribus, bellis, ludis, sacrificiis, opificiis, &c. 868. 869. Bestias quoque allici cantu. 870. 871. Musicæ effectus admirabiles. 871. 872. Ejus utilitas pro S. Scriptura & omnibus scientiis. *ibid.* Utilis est ad gratiam contemplationis. 873. ad Moderandas passiones. 874. Qui de laudibus. Musicæ scripserint. *ibid.* Ejus origo. 875. 876. Musicam inesse singulis rebus. 875. Ejus mutatio semper mala. 880. Musica vera quæ sit. 886. 887. Musica morum & virtutum. 888.
Musica hodierna cur non eosdem pariat effectus, quos antiqua. 881. Musicæ sive cantus genus triplex, Enharmonicum, Chromaticum, Diatonicum. 881. 882. Modi Musici. V. Toni.
Musicalia instrumenta an admittenda in Ecclesia. 877.
Musicalium signorum diversitas apud antiquos. 878.
Mystagogia. 336.
Mysterium quid sit. 669. Mysteria sacra cur occultarint antiqui. 668. col. 2.
Mystica Theologia quid. 109. dispositiones ad eam. 111.
Mystica unio quid. 112.
Mysticæ phrases obscuræ. 250. 9. 321.

## N.

NAscinavensis provincia in Armenia ejusque ritus. 909.
Natalis calicis. 465.
Necrologium. 571. 866.
Nepentes Homeri quid fuerit. 873.
Nestoriani & eorum ritus. 359. 912.
Neumæ. 528.
*Nobis quoque peccatoribus.* 574.
Noctem ethnici coluerunt. 695.
Noctis encomium. Metr. 7. 799. cur nocte orandum. 693. 694.
Noctium numerum non dierum olim Galli & Germani computabant. 681.
Nocturnæ orationis prærogativæ. 694. 799.
Nocturnum officium. V. Vigiliæ.
Nomina Dei 832. 833. vide Dei nomina. Nomina quædam barbara cur in alteram linguam non transferantur. 828. Nominum notitia necessaria. 327. 330. Nominum recitatio. 571.
Nonæ officium, ejusque mysteria & causæ. 739. seqq.
Nonnæ, Nonnanes, Nonnanæ. 856.
Nonnus & Domnus. 855. 856.
Novemdialia sacra. 741.
Novenarius numerus infaustus. 741.
Novensiles Dii. 741.
Nox quid sit. 679. 685. 713. Nox mystica. 713.
Numerorum philosophia quanti facienda. 676.
Nummularii imitandi. 225. col. 1.

## O.

OBedientia. 32.
Oblatio pro Missa. 335.
Oblationarii. 485.
Oblationis nomen æquivocum. 540. Non omnium oblationes receptæ. 540.
Oblationum & munerum discrimen. 540.
Oblationum ritus. 544.
Observantia. 32.
Oculorum custodia. 16. 927. 928.
Odarium. 904.
Oeconomia pro sacrificio. 337.
Offerendi mos. 436. 539. quando desierit. 543.
Offerentes non semper communicabant. 542. Offerentium nomina olim recitabantur. 541.
Offertorium. 538. 544. 545.
Offerumenta. 540.
Officium quid sit. 667. 668. Officii divini partes quot & quæ. 693. Ejus initium. 819. & finis. 867. seq. Vid. Psalmodia. Officium defunctorum. Vid. Defuncti. Officium parvum B. Virginis. Vid. Maria. Officium Gothicum. 363. Officium Romanum mutatum à fratribus minoribus. 353. Olim Romæ diversa officia. 352. Officia discipuli. 4. 5. viri prudentis. 30.
Omophorium. 462.
Opera bona. 59. exteriora spiritu interiori animanda. 60. Operum perfectio. *ibid.* Opera indicant à quo spiritu quis agatur. 237. 10. 239.
Operis modum magis attendit Deus, quam ipsum opus. 922.
Opinionum usus. 18. 79.
Opum vanitas. 9.

Opus Dei quid & cur sic dictum divinum officium. 668.
Orale. 460.
Orarium. 453.
*Orate fratres*. 551.
Oratio vide Collecta. Oratio initio libri. 225. Oratio cur fiat versus orientem : & antiquorum hac de re mores. 720. Oratio est actus supernaturalis. 916. Orationis studium. 70. 71. 915. & necessitas. 916. Ejus definitiones. 916. 917. conditiones 71. effectus 72. 923. effectus quatuor. *ibid*. modus duplex 72. utrum pertineat ad intellectum an verò ad voluntatem. 916. 917. Oratio cur manibus expansis fiat. 520. 521. Oratio Dominica. 575. 810. seqq. Ejus præfationes. 575. à Catechumenis dici non poterat. 576. Ejus expositio. 577. Ejus dignitas, utilitas & efficacia. 810. Petitionum ordo & congruentia. 810. 811. Quinam eam ritè recitent. 811. A quibus sit explicata. *ibid*. Quoties & quo ritu dicatur in divinis officiis. 812. Præferenda omnibus orationibus. 813. ab init.
Oratio super populum. 606.
Orationem dare quid sit. 513. Orationes dum sacerdos induitur. 494.
Orationes in oblatione munerum. 545. Orationes secretæ. 551. Orationes olim pro pace & pro aliis necessitatibus post orationem Dominicam. 583. Orationes post communionem. 605. 606. Orationes sacerdotis cum discedit ab altari. 607. Orationes diversæ. Desiderium laudandi Deum. 666. Ad impetrandum verum lumen. 684. 685. Ut mysticæ fugentur tenebræ. 697. Ut Deus excitet nos, ut verum lumen oriatur in nobis. 713. Ad Spiritum Sanctum. 730. Metr. 14. Aspiratio amantis animæ ad Christum. 735. Metr. 16. Ad Christum, ut nobiscum manere dignetur. 756. Pro dono contemplationis. 766. Ad Deiparam virginem. 771. 772. 774. Pro remissione peccatorum & osculo sancto. 779. Ad S. crucem. 825. Suspiria amantis animæ. 843. Pro gratia benè psallendi. 887. Pro gratia devotionis. 935.
Oratorium privatum. 417.
*Oremus*. 514.
Organorum inventio & usus. 486. 878.
Origenis lapsus. 224. col. 2.
Ornamenta altaris & ecclesiæ. 479.
Ortus & occasus solis mysticè quid sint. 748.
Oscula olim adhibita in Deorum cultu. 719.
Osculatorium. 586.
Osculum mysticum. 820. Osculum pacis ante communionem. 584. item in omnibus Sacramentis. 585.
Otiositas vitanda. 927.
Oxyrynchus civitas plena Monachis. 665. col. 2.

P.

PAcis encomium, ad eam exhortatio. 753 seqq. Pax ubi invenienda. 755. Metr. 22.
Palla linostima. 452.
Pallium Archiepiscopale. 460.
Pallium Græcorum. 461.
Panis consecrandus qualis esse debeat. 434. 435. quomodo præparari. 446. Ejus forma & figura. 444. 445. Panis missus in signum communionis. 443. Panis & vini præparatio ante missam. 494. Panis consecratus datus olim pro communione. 443. Dierum. *ibid*.
Papæ nomen in Missa. 558.
Paratorium. 477.
Pascha annotinum. 407.
Passionis Christi commemoratio. 568.
Passionum animi series & origo. 229.
Pastophorion. 448.
Patena. 469.
*Pater noster*. V. Oratio Dominica.
Patientiæ laudes. 37. 806. Necessitas. 84. Bonum. 249. 6.
Pauperes spiritu qui. 82.
Pax animæ. 278. Ubi Deus ibi pax. 251. 13.
*Pax vobis*. 513.
Peccata venialia evitanda. 67. 801. Originale. 48.
Penula. 454.
Perfectio in quo consistat. 95. Ad eam adhortatio. 50.
Perfectorum gradus. 42. 806.
Perseverantia. 39. 7. Necessaria. 933.
Perturbationes animi. 927.
Petrus Apostolus primus omnium celebravit. 342.
Phælonium. 454.
Philosophorum libri non excitant ad virtutem. 269. 6.

Phrygius tonus. 879. 881. 883.
Pietas. 32.
Planeta. 454. Ejus complicatæ usus. 455.
Planetæ omnibus ordinibus communes. 464.
Pluviale. 462.
Pœnitentiæ motus à Deo. 242. num. 14.
Pœnitentiæ laudes. 66. 787. seqq. Qualis esse debeat. 31. 67. 789. Pœnitentiæ opera. 399. Pœnitentium Classes. 398. 399. Pœnitentia homini propriè convenit. 788. seq. Hortatio ad pœnitentiam. 795. 796. seram pœnitentiam non probant sancti Patres. 794. 795. Pœnitentis felicitas. Metr. 30. 791. 792. Pœnitentis ad Christum oratio. Metr. 39, 820.
Polystaurion. 455.
Postcommunio. 606.
Potentiæ animæ rationalis. 25.
Præcinctorium. 460.
Prædicare, munus Episcoporum. 534.
Prædicatorum ritus. 898.
Prædictiones non semper eveniunt. 295.
Præfationes Missæ. 551.
Præmonstratensium ritus. 897.
Præparatio ad Missam. 489. 490.
Prandii hora olim circa meridiem. 746.
Preces olim recitatæ post *Kyrie eleyson*. 509. Cur certis diebus recitentur. 867.
Primæ officium quando & à quibus fuerit institutum. 723. 725. Qua hora celebrandum. 724. 726. Ejus causæ & mysteria. 724.
Processio sacerdotis ad Ecclesiam & altare. 495.
Profani à sacris remoti. 669. col. 2.
Professio puerorum. 534.
Professionis ritus. 544. col. 1.
Proficientium status & gradus. 26. 27. 804.
Prophetæ nunquam desunt. 298. Prophetæ mens dupliciter à Deo instruitur. 234.
Propheteum. 414.
Prophetia in quo consistat. 291. non datur per modum habitus. 228. dupliciter fit. 293. Lumen propheticum. 291. seq. Gradus rerum, quæ à prophetis cognoscuntur. 292. Judicium propheticum quale sit. 293. 294. Veritas prophetiæ. 296. num. 2. an sit argumentum sanctitatis. 298. Tria ejus tempora. 292. Non est amentia. 293. Veræ & falsæ discrimen. 297. num. 3. 298. quibus detur. 298.
Prophetas interdum decipi. 292. 293.
Prosucteria. 414.
Prosphora. 337.
Providentiæ divinæ acquiescendum. 93.
Prudentia carnis. 269. num. 7.
Prudentiæ necessitas. 30.
Psallendi disciplina. 913. Quam stricta sit obligatio attentè recitandi divinum officium. *ibid.* Præparatio ante officium necessaria. 914. Remota in quo consistat. 914. Proxima. *ibid.* Psallendum mente & spiritu. 924. Psallendi modus præscriptus à SS. Patribus. 885.
Psalmi graduales. 798. Eorum usus, antiquitas, & mysteria. *ibid.* 847. 849. 876. 877. Explicantur singuli & quindecim gradibus Christianæ perfectionis applicantur. 799. Psalmi pœnitentiales. 787. Eorum usus & ritus. 788. Cur septem sint. 789. 790. Singulorum explicatio. *ibid.* 791.
Psalmodia & ejus origo. 657. Progressus. 658. Usus ejus ab ortu Ecclesiæ & deinceps. 660. Continua in multis ecclesiis instituta. 664. Ejus diversa nomina, cur dicatur officium, cursus, canon, synaxis, collecta, Missa, agenda, opus Dei. 667. Cur certæ horæ ei tributæ. 670. 671. Singulæ ejus partes explicantur. 809. & deinceps.
Psalmorum cantus. 503. Versio Italica. 504. Psalmorum encomia ex Patribus. 844. De Psalmorum auctoritate. 846. Psalmorum & canticorum discrimen. 847.
Psalterii divisio & usus. 846. 847.
Psalterium compendium omnium scientiarum. 844.
Puerorum communio. 599.
Pugillares. 470.
Pulpitus ad legendas lectiones. 528.
Pulvinar. 476.
Purgati animi indicia. 803. 804.
Purgatio animæ per desolationem. 274.
Purgatio animæ non differenda & in quo consistat. 803. 804.
Purgatio peccatorum. 5. seqq.
Purgatorium & quæ peccata in eo puniantur. 777. 778. Ejus acerbitas & ad illud evitandum exhortatio. 784. Voces purgantium animarum. 779. Quibus suffragiis juventur. *ibid.* 780. Qui auctores fidem Purgatorii propugnent. 785. 786.
Purificatorium. 477.

Q.

Quadrageſima carebat olim Feſtis Sanctorum. 403. 404.
Quadrageſimæ jejunia prorogata olim uſque ad veſperam. 746. 747.
Quæſitio propria. 63.
Quale ſit judicium quo fit diſcretio. 234.

R.

Raptus. 275. Vide Ecſtaſis.
Regimen animarum periculoſum. 243. num. 3.
Regionarii. 485.
Regis nomen in Miſſa. 559.
Regulæ Evangelicæ perfectionis. 50.
Regulæ diſcretionis non ſunt infallibiles. 233. 234. 235. 238.
Regulæ generales ad diſcernendos ſpiritus. 227. 228. 235. num. 1. ſeqq.
Regulæ ad diſcernendas motiones internas ab externis. 232. ad diſcernendum ſpiritum divinum à diabolico. 239. num. 1. ſeqq. ad examinandum inſtinctum dubium. 243. num. 1. ſeq. ad dignoſcendum inſtinctum Dei. 248. num. 1. ad diſcernendam locutionem divinam à Diabolica & propriæ imaginationis. 253. ſeq. ad intelligendum modum Angelici inſtinctus. 258. 259. ad dignoſcendas diaboli illuſiones. 260. ad dignoſcendos energumenos. 264. num. 14. ad notitiam ſpiritus humani. 267. ad ecſtaſin veram diſcernendam à naturali & dæmoniaca. 280. num. 1. & ſeqq. ad diſcernenda ſomnia. 290. 1. & ſeq. ad veram prophetiam à falſa diſtinguendam. 295. num. 1. ſeq. ad cognoſcendas malorum & bonorum ſpirituum apparitiones. 310. 311. ad diſcernendas revelationes veras à falſis. 315.
Religio. 31. 650. hominibus innata. 655. Solius hominis propria. 651.
Religioſi officia. 68. 69.
Reliquiæ ſub altari. 415.
Reſponſoria quid ſignificent. 857. 858. eorum origo & ritus. *ibid.* Cur prolixius cantentur. *ibid.* Reſponſorium. 526.
Revelatio quid ſit. 312. 313. quædam publicæ, quædam privatæ. 313. Privatis quæ fides habenda. 298. 299. 313.
Revelationes non ſunt deſiderandæ. 303. 312. 314. 319. Cur in ſomnis ſæpius fiant. 289. Revelationis veræ eventus ſæpe latet. 296. Revelationum examen ex perſona. 315. num. 1. ſeqq. Ex re quæ revelatur. 317. 318. Ex circumſtantiis. 319. Vide Apparitio.
Reverentia quid ſit. 917. Duplex eſt, interior & exterior. 919. Ejus neceſſitas in oratione. 917. Ejus incitamenta. 918.
Ripidion. 472.
Ritus diverſarum eccleſiarum in celebrandis divinis officiis, 888. & per totum caput. Ritus ſpeciales multarum Eccleſiarum cur omiſſi. 890.
Rituum varietas in quo ſita ſit. 345. Non tollit unitatem fidei. 346. Cauſæ varietatis. 346. In ritibus innovandis nimia licentia arguitur. 347. In propriis retinendis nimia quorundam pertinacia. *ibid.* 348. Pro varietate tollenda quid actum. *ibid.* Mutati à ſectariis. 349. Peculiares quomodo conſtituantur. 349. 350. quomodo introducti. 352.
*Rogus Dei.* 520.
Romæ olim diverſa officia. 348.
Romani ritus ſeries & explicatio. 890.

S.

Sacculi & ſindones ad recipiendas oblationes. 478.
Sacerdotes ſine titulo & ſine Eccleſia. 385. col. 2.
Sacramenta celata Catechumenis. 393.
Sacrificium Miſſæ. 177. de ejus vi effectiva. 178. Ejus excellentia. 183. Neceſſitas. 184. Vide Miſſa.
Sæculum ſæculorum quid. 862. col. 2.
Sal datum Catechumenis. 394.
*Salve Regina.* 868. Quis auctor hujus Antiphonæ. *ibid.*
Salutatorium. 449.
*Sancta Sanctis.* 489. 492. 588.
Sancti qui habuerunt donum diſcretionis. 235.
Sanctitas vera in quo conſiſtat. 101.
Sanctorum memoria in Miſſa. 562. 577. Quomodo pro iis ſacrificia offerri dicantur. 573. Sanctorum commemorationes. 866.
*Sanctus, ſanctus, ſanctus.* 553. 555.
Sanguine Chriſti ſcripta damnatio quorundam hæreticorum. 598.
Sapientia vigilantibus apparet. Metr. 8. 703. 704.

Sapor intimus necessarius ad discernendum. 228.
Scenophylacium. 448.
Scholastici. 409. 557.
Scientiæ nimius appetitus moderandus. 934.
Sclavonia & illarum gentium ritus. 911.
Scripturæ sacræ auctoritas. 235. 2. 317.
Scripturæ sacræ obscuritas unde proveniat. 857.
Secretarium. 448.
Sedes Episcopi in Ecclesia. 421.
Sementerion. 430.
Sensus interni. 18.
Sensuum delectationes perniciosæ. 243. 4. 264. 314. Sensuum custodia. 16. 76. 927. seq. 932.
Sepeliendi mortuos varii ritus. 783.
Septenarii laudes & mysteria. 677.
Septuaginta interpretum auctoritas. 505.
Sepulchrorum consideratio salutaris. 782.
Sequentiæ. 528.
Sermo ad populum post Evangelium. 534.
Sessio in choro an licita 919. col. 2.
Sextæ officium. 731. Ejus causæ & mysteria. 734.
Signi nomen pro campana. 432. quo signo olim fideles ad synaxim convocarentur. 429. seqq.
Silentium, ejusque utilitas. 77. Silentium rebus sacris debetur. 856.
Simplicitas. 33. 237. 8. 250. 7.
Singularitas damnatur. 244. 6.
Societas mala fugienda. 27.
Sol laudatur ejusque ortus describitur. 716. Metr. 11. pro Deo habitus ab ethnicis. 717. 718. plura de ejus cultu. *ibid.* Omnes Deos gentium referri ad solem. 720. Veterum opiniones de sole. 723. Deus est verus sol. Metr. 15. 733. Christus item verus sol. 722. 724. quibus verè luceat sol. 724. Solis & Dei comparatio ex Patribus. 731. Solis effectus in meridie mysticè explicantur. 733. 734. Solis ortus & occasus quid sint mysticè. 748.
Solitudo ejusque bona. 27. 932. Ejusdem laudes. 80. 932. Metr. 48. 932. 933.
Somnia à Deo & à dæmone. 288. clara & obscura. 289. divina rarissima. 290. an pertingant ad intellectum. 291. non observanda. 290. Somniorum species & causæ. 287. Somnia prophetica. 291.
Somnus imago mortis. 769. Cur monachis interdictus post vigilias. 702.
Spes. 23.
Sphinges in ingressu templorum cur positæ. 669. col. 2.
Spiritus nomen æquivocum. 230. Spiritus quotuplex sit. 230. 231. Spirituum probatio. Vide discretio & instinctus. Spiritus Dei docet aliquando non excitat. 247. Spiritus divinus. 238. 247. Angelicus 257. Diabolicus. 260. Carnalis & mundanus. 265. humanus. *ibid.*
Spiritus sancti apparitiones. 306. Spiritus sancti gratia quid operetur in anima. 728. Quomodo possimus vivere in spiritu. 729. 730. Ejus adventus hora tertia. 726. 728. 730. Metr. 14.
Spirituales viri rari. 224.
Statio quid sit. 192. An & quomodo differant stationes à jejuniis. 692. 693. quid sit dirimere stationem. 742.
Stationarii. 485.
Status triplex incipientium, proficientium & perfectorum. 121.
Stichiria. 905.
Stigmata. 246. 11.
Stola. 451.
Studiositatis munus. 40.
Subcinctorium. 460.
Subdiaconi. 482.
Substrati. 395. 399.
Subtile. 457. 463.
Superbia. 14. 89. Superbi character. 90. Superbia causa subtractionis gratiæ. 274.
Superpelliceum. 464.
Superstitiosi reprehensio & descriptio. 922.
*Supplices te rogamus.* 569.
*Supra quæ propitio.* 558.
Suspendium mysticum. 924. seq.
Symbolum quid sit. 815. 864. Multiplex hujus nominis significatio. *ibid.*
Symbolum Apostolorum quando & à quibus fuerit institutum. 814. Ejus laudes ex Patribus. 816. quoties & quo ritu dicatur. 817. 818. Ejus explanatio à quibus petenda. *ibid.* Cur dicatur Romanum. *ibid.*
Symbolum Nicænum. 536. quando cœperit Romæ cantari. 538. 818.
Symbolum Athanasii. V. Athanasii.
Synaxis. 336. 668.
Syrorum ritus. 912.

Tabel-

## T.

TAbellæ appositæ communicantibus. 588.
*Te Deum laudamus.* V. Canticum.
*Te igitur.* 558.
Teletarchus. 339.
Telete. 336. 921.
Temperantia. 39.
Templa eorumque origo. 410. 411. Nomina. 414. seq. Consecratio. 418. Structura. *ibid.* 419.
Temporis æstimatio. 26.
Tentationes septem. 674. Tentationum utilitas. 739. 740. Psallentes multipliciter tentantur. 822.
Ternarii numeri laudes. 727.
Tertia. 726. Cur aurea & sacra dicatur. 731. Ejus mysteria. 726.
Tertulliani lapsus. 225. col. 1. Sententia de Missa. 337.
Theologia Mystica quid. 109. dispositiones ad eam. 111. Ejus phrases obscuræ. 321. Theologia Symbolica ejusque scriptores. 815.
Theresiæ revelationes quibus signis probatæ. 317.
Thuribulum, Thymiamatherium. 474.
Timor. 23. Timor & pavor ex Dei instinctu. 248. 249.
Tituli. 414.
Toni seu modi musici qui & quot sint. 879. cujusque toni proprietas servanda in cantu. 882. de singulis tonis, eorumque systemate, effectibus & proprietatibus. 882.
Tractus. 527.
Tricerion. 472.
Trinitatis mysterium. 656.
Trisagion. 555. 556. 904.
Tristitia. 22.
Troparia. 529. 904.
Tropi ad *Introitum.* 504. ad *Kyrie eleison.* 509.
Tumoris mala. 14.
Tunica Episcopalis. 457. 463. Subdiaconi. 463.
Turcas horarum distinctionem in oratione servare. 678.

## V.


VAnitas. 73.
Vasa sacra. 469.
Vela diversa ad usum Ecclesiæ. 477.
Velum offertorii. 478.
Veneris sidus mane lucifer, vespere hesperus & noctifer dictum. 757.
Verba Dei sæpè aliter à nobis quam ab ipso intelliguntur. 253. 3.
Verecundia. 39.
Veritas. 33. 73.
Versio Italica psalmorum. 504.
Versus quid sit, quid significet, & quo ritu dicatur. 850. 851. aliquot versuum explicatio. *ibid.*
Vesper quid sit, & unde dicatur. 748. 757.
Vesper contemplationem significat. 753. & finem mundi. 754. 756. Vespere cur flendum sit. 750. Qua hora celebrandæ sint vesperæ. 757.
Vespertinum officium. 753. seq. 757. Ejus mysteria & prærogativæ. *ibid.* 755.
Vesperugo. 757.
Vestes celebrantium. 448.
Vestes sacræ Apostolorum. 342.
Vestiarium. 448.
Vestium luxus. 16.
Veteris Ecclesiæ mores ex præsentibus non æstimandi. 401.
Via duplex ad Deum. 107.
Via mystica duplex. 108.
Vicissitudo rerum. 739. & Metr. 20. 750.
Vigilantium exempla. 697. 698. Vigilare facit amor. 703. Hortatio ad vigilandum. 704. 705.
Vigiliæ ante Missam. 492.
Vigiliæ quid & quot. 191. Vigiliæ mysticæ. 705. Vigiliæ nocturnæ. 693. seq. Etiam ab Ethnicis celebratæ. 694. seq. Primi Christiani propter eas gentium calumniis exagitati. 695. 696. Laudes vigiliarum. 697. Vigilias damnant Hæretici. 700. Qua hora celebrandæ Vigiliæ nocturnæ. 701. Earum ritus, *ibid.* & causæ. 694. 704.
Vinum ad usum sacrificii. 447.
Virginis Mariæ & sanctorum commemoratio. 562. 577.
Virtus sola beatum facit. Metr. 34. 803.
Virtutes Theologicæ. 29. 143.
Virtutum acquisitio. 27. 804.
Visio quotuplex sit. 282. seq.
Visio corporalis. 285. Imaginaria. 286. Visio imaginaria non fit sine intellectuali. 291. Visio intellectualis quid sit & quomodo fiat. 298. quomodo visa intellectualiter defluant

in sensum. 294. an dari possit sine phantasmate. *ibid.* quomodo ab intellectuali imaginaria distinguatur. *ibid.* Visio intellectualis est immunis ab illusionibus. 301. Quæres in ea videantur. *ibid.* Visio Dei intellectualis triplex. 301. 302. Sanctorum testimoniis explicatur. 299. 300. Visio Dei intuitiva an sit possibilis in hac vita. 303.
Visionis propheticæ indicium quale sit. 294. Visiones in somnis. 287. Visionum genera, eorumque explicatio. 283. bonis & malis communes sunt. *ibid.* col. 2.
Vita Christi fons omnium bonorum. 155.
Vitæ brevitas. 675. 762. seq. Vitæ Cursus. 53. Vitæ humanæ cum horis Canonicis analogia. 673. Vitæ spiritualis triplex status. 799.
*Unde & memores.* 568.
Unio mystica quid. 42. 112. 807. 808. 809.
Voluntas propria abneganda. 25. 800. 802. seq. 808. Voluntatis propriæ damna. 80. Conformitas cum divina. 92. Metr. 35. 806.
Urcei. 471.

## ERRATA.

PAg. 337. *ab init. lege*, stemus cum timore, Pag. 443. *in fine lege*, præbebat, ut. Pag. 725. *col.* 1. *in medio pro* CAPUT VI. *lege* § IV. Pag. 871. *in notis ad literam* (u) *lege* Ansgardus.

FINIS.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN